ABSOLUTISSIMA
IN OMNES
BEATI PAULI
ET SEPTEM CATHOLICAS
APOSTOLORUM
EPISTOLAS
COMMENTARIA

Tribus Tomis distincta.


IN QUIBUS GENUINUS LITTERÆ SENSUS SOLIDE & perspicuè traditur: HÆRESES *tum novæ, tum veteres doctissimè refutantur:* MORES *denique varia & exquisita eruditione formantur.*

AUCTORE DN. GUILIELMO ESTIO SS. THEOLOG. DOCTORE, & in Academia Duacena Professore Primario, ejusdemque Universitatis Cancellario.

ACCEDUNT HUIC NOVISSIMÆ EDITIONI, PRÆTER COMMODIOREM TOTIUS Operis dispositionem, & accuratam recognitionem, TEXTUS SACER *Clementinæ Editionis:* ANNOTATIONES LOCORUM COMMUNIUM *ad* FIDEM & MORES *pertinentium.*

NEC-NON INDEX NOVUS AD LECTORUM ET IN PRIMIS CONCIONATORUM usum commodissimus.

Studio & Opera JACOBI MERLO-HORSTII, S. THEOL. Lti.



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

PARISIIS.

Apud FREDERICUM LEONARD, Regis, Sereniſſimi Delphini, & Cleri Gallicani Typographum, viâ Jacobæâ, ſub Scuto Veneto.

M. DC. LXXIX.

CUM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE.

ABSOLUTISSIMA

IN OMNES

BEATI PAULI


ET SEPTEM CATHOLICAS

APOSTOLORUM

EPISTOLAS

COMMENTARIA

Tribus Tomis distincta.



ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

CAROLO MAURITIO
LE TELLIER

ARCHIEPISCOPO DUCI REMENSI,

PRIMO FRANCIÆ PARI,

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO,

SUPREMO CAPELLÆ REGIÆ PRÆFECTO, &c.

QUI nuncuparem eximium hoc opus, ut cæteri ſolent, non quæſivi, PRÆSUL AMPLISSIME: *alteri enim non poteram, quàm Tibi, qui & illud jam ante alibi editum denuò in lucem emitti deſideraſti, & illius lectionem omnibus Eccleſiæ Remenſis Paſtoribus & Clericis, in egregio illo tuo* Rituali, *ut vocant, adeò commendaſti. Erat hæc te digna Eſtii, tam inſignis Theologi, commendatio. Erat hic illâ dignus. Tu illius famam auges, cùm de illo tàm magnificè judicas; Ille tuam, cùm ea ſit & eruditione & pietate, quæ judicii tui bonitatem, eumque, quo viros doctos ac probos foves, amorem oſtendunt. Ea me potiſſimùm ratio impulit,* PRÆSUL ILLUSTRISSIME, *uti Commentarium hunc in Epiſtolas D. Pauli, typis mandarem, ratus, nihil à me, Tibi tot tantiſque nominibus devincto, poſſe gratius, immò majus offerri, quo meam erga Te ſummam obſervantiam gratitudinémque teſtarer. Ea fermè*

omnium consuetudo est, qui munus aliquod aut Principibus, aut Dominis suis afferunt, ut illius tenuitatem, vel certè mediocritatem excusent. Hoc ego facere nec possum, nec debeo. Tuum namque est, & in tuo fundo natum, quicquid offero; & cùm nihil à Te nisi magnum acceperim, nihil nisi tale referre possum, quippe illud omne quod reddo, ab illa tua inexhausta liberalitate profectum est. Quoties apud me cogito, quantis me beneficiis, non dicam, cumularis, sed oppresseris, non possum, quin meam sortem accusem, quæ me vel minimæ cuicumque remunerationi imparem reddit. At quota pars hæc laudum tuarum, si aliæ prope innumerabiles tuæ dotes commemorentur, religio, fides, mira ingenii vis & profunditas, rerum usus, animus recti tenax, constantia morum comitate mixta, Ecclesiasticæ disciplinæ studium, bonarum artium amor, &, quod difficillimum est, in summa felicitate modus. Quæ apud Remenses gessisti non attinet ad me dicere; omnium enim sub oculis sunt, & in omnium ore, erecta sodalitia, pristino nitori restituta templa, Clerus ad antiquam disciplinam revocatus, abolita superstitiosa illa figmenta, quæ quasi publica Christianæ Religionis ludibria sunt. Hæc tamen ego in te omnia minimè miror, qui MICHAELIS TELLERII, *mortalium sapientissimi, hodiéque Supremi Galliarum Cancellarii, filius sis, & à tanto parente, tanquam à Magistro imbutus, institutus atque formatus. A te aliud expectari non poterat, nisi ut in societatem, hæreditatémque paternarum laudum aliquando venires.* Lutetiæ Parisiorum 1679.

Devotissimus servus
FREDERICUS LEONARD.

PRÆFATIO
JACOBI MERLO-HORSTII
AD LECTOREM.

GVILIELMI ESTII rarâ vitæ integritate, & ſingulari eruditione præſtantiſſimi viri elogio hoc loco libens ſuperſedeo. Malui id aliorum ore & ſtylo magis diſerto promi. Sed ut illi mecum ſileant, ESTII laudem fama, ſanctimoniam geſta, Doctrinam ſcripta ipſa palam loquuntur. Certè, abſolutiſſimi, qui nunc prodeunt in omnes Apoſtolorum EPISTOLAS Commentarii, utriuſque ſat locuplete teſtimonio fidem faciunt. Sic Apoſtolorum agit Interpretem, ut eorum & Mentem, & Mores feliciter admodum expreſiſſe videatur. Nimirum, qui aromata frequens attrectat manibus, eorum odore & fragrantiâ imbuitur; quid mirum, ſi qui Apoſtolorum ſcripta aſſiduâ verſet manu, ſpiritum quoque Apoſtolicum imbibat! ſi experiri libeat, & quidem Auctoris noſtri ductu, plurimum te brevi haud dubiè profeciſſe ſenties: non doctior tantũ evades, ſpondeo, ſed & melior; variam quippe hic eruditionem, nec minus efficaces ad virtutem ſtimulos invenies.

Ut verò ejus lectio, tantò tibi gratior, & utilior fieret, ſedulâ & ſingulari cura hanc editionem adornare conati ſumus.

Verum erit fortè, qui moralium rerum ſylvam hoc in opere deſideret, ſed quorſum quæſo ab Interprete ſcripturæ? qui ſi Germanũ Litteræ ſenſum accuratè & ſolerter exprimat, nonne ſat probè munere ſuo functus eſt? Quod ſi prolixas digreſſiones morales, varios diſcurſus, Apophthegmata, gnomas, Hiſtorias, & exempla deſideras, an Polyantheæ, Apparatus, Conciones, aliiq; libri desũt hũc in finem ſcripti? Cõmentator ſeu Interpres ſcripturæ mittit iſta parerga, aut obiter tantũ, & verbo tangit; eaque Concionatoribus aut Oratoribus, fuſius tractanda permittit.

Proteſtatur ſane alicubi Auctor noſter, ſeſe conatum eſſe verum ſenſum nudis & claris verbis explicare, nec ſibi propoſitum, commentarium extendere in exhortationes populares; verum id reliquiſſe iis, qui ſcribunt Homilias ad populum.

Itaq; qui ſolidam ſcripturarum ſcientiam amat, à Scripturæ Interprete ſenſum & imprimis Literalem petat: hoc probè cõſtituto quaſi fundamẽto facilius tropologias, & diſcurſus morales ſuperſtruet.

Ne tamẽ prorſus iſtud multorum deſiderium damnemus aut defraudemus; Ecce loca ad MORUM exhortationes, imò & confirmandis FIDEI dogmatis apta notavimus, quibus exornandis ubi opus fuerit, facilè aliunde ſupellex copioſa ſuppetit: imò ſi hæc ipſa loca, juxta ſenſus ab Interprete noſtro traditos expenderis, ſat uberem ad varios diſcurſus ſegetem habebis

Præter hæc verò, & accuratam multorum ſphalmatum correctionem, aliáque complura, viſum eſt operæ pretium, Textum ipſum ſeparatim poni, eumque ex correctione Romana; cum Auctor Lovanienſi uſus videatur.

Aliter quoque ipſa Commentaria interpungi ſeu in Paragraphos complures diſtingui placuit, ut facilius variorum Auctorum ſententiæ, & ſingula quæque incurrerent in oculos. Argumenta capitum, ſicubi deerant, ſupplevimus.

Indicem denique tuo & potiſſimum Concionatorum, uſui percommodum, & in III. Tomos unũ confecimus, non tam copioſum quam nervoſum. Id nobis ſingulariter propoſitum, LOCOS COMMUNES FIDEI ET MORUM indicare Lectori. Eum itaque, ſi adire voles, non eſt cur à nobis requiras ſingularem concionum formandarum Indicem: quis enim eſt qui Conciones formet juxta puncta quædam in aliquam Dominicã v. g. fortuito cõgeſta diverſiſſima, inquam, nec ſibi affinia? ſi quis locum aliquem velit, potius petat ex communi Indice, qui ſi debite cõfectus eſt, facile omnes totius Libri opes repræſentat, aut monſtrat. Porro ad certos titulos omnia redegimus, ſub quibus quæri debet, quod volueris, unde in collocatione ſingularum rerũ potius materiæ quam literarũ initialium rationem habendam duximus. Vale Candide Lector, & ſi quid hic commodo tuo præſtitum, benigne accipe; ſi quid neglectum, excuſa, aut emenda.

ELOGIUM
AMPLISSIMI VIRI
D. GUILIELMI ESTII,
HESSELII GORCOMIENSIS,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET APUD DUACENSES
PROFESSORIS PRIMARII,
AD S. PETRUM PRÆPOSITI,
ET UNIVERSITATIS CANCELLARII,
IN REGIO SEMINARIO PRÆSIDIS,
ÆVITERNÆ MEMORIÆ.

EQuis vel in priore virtutum tuarum obtutu, defixus non hæreat, GVILIELMI ESTII ut eximie doctrinæ & virtutis myſta, ita Theologorum flos delibatiſſime. Qua verborum dignitate cœleſtem & rariſſimum hoc ſæculo vitæ iſtum in te morumque candorem, apud omneis paſſim genteis, conteſtetur! Quo denique elogio Doctrinam iſtam excellentem, pari cum modeſtia conjunctam; iſtos divini ingenii, indefeſſi ſtudii, & accuratæ induſtriæ fœtus, clariſſima ſcriptorum monimenta, uberrimas, inquam, in omni ſacrarum literarum genere, elucubrationes; ceu quædam, meræ pietatis, ſanctimoniæ pluſquam humanæ, & tantum-non στοᾳνεύσης eruditionis referta narthecia, celebret aut commendet?

At enim, tam inuſitatæ in omni præclariſsimarum rerum genere ἐκπροχῆς exſpectationem, non vulgarem, jam tum multorum in animis concitaſſe viſus es, ut primùm & honeſtiſſimorum atque antiqua probitate ſpectatorum, è Gorcomio, non ignobili ditionis prius Arkelanæ, deinde Hollandiæ oppido; & de veſtuta nobilium olim Arcis Eſtenſis, haud procul Tilâ, in Batavis, Torparcharum ſtirpe (unde & cognomentum gentilitium, & inſignia, in poſteros, ſuo dominatu per vim fraudatos, permanarunt) patriciæ dignitatis parentum curâ; & magni illius, religioſiſſimi, & propè Divi dixerim. Nic. Pici avunculi cohortatione, præter egregia domeſticæ, & quaſi hereditariæ pietatis ac probitatis exempla, in omnem puerilium ſtudiorum & linguarum reconditiorum, ad poëticum uſque decus, elegantiam, Ultrajecti, ſub Macropedio feliciſſimè eruditus; generoſum tàm exculti animi impetum, cùm ad perveſtiganda Ariſtoteleæ Phiſolophiæ ſcita; tum ad abſtruſiorem divinarum litterarum, ſive Theologiæ, intelligentiam, Lovanii, celeberrimo earumdem diſciplinarum emporio, contuliſti, & tanta illic ingenii contentione enixus es, ut inde quidem, in frequenti ejuſdem laureæ Candidatorum examine, primas, vel certè primis proximas, deferri tibi contigerit: Hic verò, prælaudabili ſubactæ memoriæ ſolertia, & aſſidui in legendo audiendòq; laboris, qua publicè, qua privatim, ſedulitate, tantos brevi feceris progreſſus; ut non modò æqualeis tuos multis paraſangis antevertiſſe; ſed non obſcurè etiam clariſſimorum ea tempeſtate Theoſophiæ Columinum & graviſſimorum magiſtrorum luminibus adoleſcens & diſcipulus, pænè obſtruxiſſe judicarere.

Teſtis, celebre apud eoſdem Grudios, Falconis Gymnaſium: ubi, decennio amplius, juventuti philoſophica, quæ puer ibidem hauſeras, adultior cum Theologica ſubtilitate conjunxeras, præcepta, ut laborioſiſſimè, ita utiliſſimè explicaſti.

Teſtis, eadem in Academia, & τὸ ἱεραρχικὸν Hadriani VI. popularis, & ab aviâ uſque paternâ cognatione tibi conjuncti, φρονησιθέου: & τὸ βασιλικὸν Philippi II. φυτεσθήκιον, quorum in altero congeſtas ex contenti ſacrarum litterarum contemplatione divitias, uberrimè, tribus plus minus annis, in denſo Auditorio profudiſti.

Verumenim verò, anguſtis hujus vel illius Collegii ſubſelliis, tàm excellens virtus, tàm admirabilis doctrina, tàm illuſtris vitæ morùmque ſanctitas ita concludi non potuit, quin grato per viciniam longè latéque odore ſe proderet; & à primariis rerum Academicarum procuratoribus, qui ea majori in poſterum ſibi ſuæque Reipub. uſui eſſe poſſe, & luculentiore quidem theatro proficiebant, ultrò & certatim exambiretur. Jam tum novella apud Catuacos in Flandris Academia, caput extollere, jactis præclarè omnis generis diſciplinarum, & peculiarum iiſdem diverſoriorum, fundamentis, utcùmque cæperat. Ipſa, inter cæteras, Theologia, præſtantiſſima illa omnium & Eccleſiæ utiliſſima, maximèque neceſſaria facultas, magni illius Franciſci Richardoti, ceu ſolis cujuſdam, radiis illic, velut in primulas luminis auras, educta; & Smythæi, Galleni, Rubi, Stapletoni, Boſſeraii, aliorùmque, eidem ſuccidaneorum, faculis confota, ceu ſtatuminibus quibuſdam fulcienda erat, & ſublimè attollenda, quum peropportunè accidit, ut quoque, inexhauſta Catholici Regis (quem parentem & ſui conditorem agnoſcere & perpetuum colere hæc eadem debet Academia) liberalitate, & conſtanti amplificandæ Chriſtianorum religionis ſtudio, PLANTARIUM, (ex quo rediviva, non tàm Theologici ſtudii φιλικοῶν, quàm, qui vel primarius regii inſtituti ſcopus, proborum & idoneorum Belgicæ & Eccleſiæ το ιμῶν & Curionum ſoboles, uſque & uſque propagetur) fatum jam eſſet, & certis quodam modo, quaſi ad quincuncem, honeſtæ diſciplinæ, ſanctarùmque legum regulis, digeri dirigique ceptum.

Fidus horum myſteriorum quæritur οἰκόνομος, qui recens Viridarium perpetuis honeſtæ diſciplinæ morum, doctrinæ, ſanctitatis, ſcatebris irriget; & à vitioſo ſæculi depravatiſſimi ſqualore atque ariditate defendat: qui ſurculos, & tenellos ſtolones confirmet: qui Juventuti, ſuapte ſponte lubricæ, veteris conſtantiæ ſanctimoniæque exemplis præeat; qui facem, ad conſectandam Eccleſiaſtici rigoris & priſtinæ puritatis normam, præluceat.

Et hic quiſpiam miretur, cur tu unus, qui Theologi Doctoris titulo recens, & meritiſſimè quidem, Lovanii, auctus, non protritum ſolidioris doctrinæ ſpecimen, ex publico ibidem pulpito, edere jam cæpiſſes; magno acerrimi judicii hominum, Regiæ ſcholæ & Plantarii curatorum, conſenſu, ad geminum & docendi & præſidendi

munus, maximè idoneus repertus, & ſumma cum exſpectatione Duacum ſis arceſſitus: hoc eſt, Loviano, quaſi à matre ad filiam ritè & ſibi convenienter informandam, amandatus? Ubi te in ſublimiore authoritatis gratiæque gradu collocatum, non ſine maximo Adoleſcentum, vel ſacris addictorum, vel paſtorali inſtitutioni miniſterióque devotorum, profectu, reconditas ex pectore iſto, tot jam annorum laboribus, vigiliíſque ſubacto & recocto, divinæ ſapientiæ copias expromſiſſe; & quidquid in Theologia neque dum ſatis clarum aut firmum, mirandis celſiſſimi ingenii tui luminibus & viribus, inluſtraſſe, corroboraſſe, non ſine ſtupore & adplauſu, æterno frequentis Auditorii teſtimonio, ſit comprobatum.

Hinc controverſæ, hac ætate, novarum & exoticarum opinionum feraciſſima, Quæſtiones, præ cæteris, acutiſſimè explicatæ. Hinc Gnomologus ille, ſive, ut vulgò audit, Sententiarum Magiſter, ex vetuſtiſſimorum Patrum & Orthodoxorum ſcriptorum ſententia, ſemel iterùmque à capite ad calcem, enucleatus.

Hinc aureæ, & quibus, ſecundum Chriſti Servatoris oracula, nihil divinius, nihil ſublimius, nihil ad Chriſtiani populi inſtitutionem utilius Apoſtolorum Pauli, Petri, Jacobi, Joannis, Judæ, Epiſtolæ, ſanè ipſorum Hagiographorum, veteríſque Eccleſiæ menti convenientiſſimè explanatæ. Hinc luculentæ Orationes, pro re nata, publicis in conſeſſibus, placido & melleo iſto ore, graviſſimis de rebus, peroratæ. Hinc Adverſaria, accuratiſſimis obſcuriorum, quæ toto divinæ Scripturæ corpore paſſim occurrunt, locorum, interpretationibus, ſervata librorum ſerie, tamquam emblematis quibuſdam, interpolata. Hinc communium in tota Theologia materiarum farrago, ordine quàm concinniſſimo digeſta.

Nam quid nobilem illam Gorcomienſium, iíſque adfinium, partim Paſtorum, partim Franciſcanorum ſodalium, Martyrii, hiſtoriam commemorem? qua non ſolùm illuſtreis illas pientiſſimorum & fortiſſimorum pugilum, & Pici tui, inter cæteros, iſto in certamine Choragi, animas, immortalium ordinibus tranſcripſiſſe; ſed pari etiam vitæ pro Chriſto & ſincera ejuſdem religione generosè profundendæ cupiditate, cum cæteris fratribus, ſuccenſus, animo, ſui etiamnum corporis vinculis circumſepto, eodem evectus eſſe, atque adeò evolaſſe cenſearis.

Hi, triginta, & eo amplius, annorum, ex tempore ſubſecivo, labores. Hæc rariſſima animi pietate, doctrina, modeſtia exculiſſimi monimenta, quæ non ſine immortali nominis tui gloriâ, non ſine incredibili Eccleſiæ Catholicæ profectu, non ſine incomparabili ſacratioris ſtudii Candidatorum fructu, legentur à grata poſteritate, & æſtimabuntur.

Τῷ Θεῷ ἀειστμιγίστῳ δόξα.

ANDREAS HOIUS *in Acad. Duac. regius Prof. Lat. Amico ſcripſit.*

DE SCRIPTIS ET LIBRIS
D. GUILIELMI ESTII
EX BIBLIOTHECA BELGICA VALERI ANDREÆ DESSELT JC.

GUILIELMUS *Eſtius, Gorcomii natus, non ignoto Hollandiæ oppido, patre Heſſelio, viro admodum Catholico & Orthodoxæ Religionis ſtudioſiſſimo; de vetuſta nobilium olim Arcis Eſtenſis haud procul Tila, in Batavis, Torparcharum ſtirpe: unde cognomentum & inſignia apud poſteros manſerunt. Puer Ultrajecti litteris politioribus linguiſque ſub Georgio Macropedio eruditus eſt: Lovanii in ſtudiis cum Philoſophicis tum Theologicis feliciter inſtitutus, illa etiam decennio toto in Falconis Gymnaſio tradidit. Ac demum S. Theologiæ Doctor, è publico eandem pulpito interpretari cæperat, & mox Duacum accerſitus, Regio ibidem φυτευτηρίῳ præficitur, ad D. Petrum Præpoſitus, & Univerſitatis eo nomine Cancellarius ſalutatur: Vir ſane multis Pietatis, Doctrinæ, Modeſtiæ Chriſtianæ, atque in pauperes Beneficentiæ, nominibus ſuſpiciendus. Lovanii adhuc exiſtens operam quoque ſuam contulit in* D. Auguſtini Opera, *ſtudio Lovanienſium caſtiganda, & Tomum IX. é manuſcriptis recenſuit. Scripſit ibidē* Poema de libera Religione. *Extantque ejuſdem verſus aliquot.* De Agno Dei, *in oratione Molani De Agnis Dei* cap. 13.

Martirium R. P. Edmundi Campiani Societ. Jeſu, *è Gallico Latinè reddidit*

Duaci vero dedit Hiſtoriam Martyrum Gorcomienſium: *majori numero Fratrum Minorum, (quorum Guardianus* Nicolaus Picus, *Eſtii erat avunculus)*

Martyrium *item* Guilielmi Gaudani, *Minoritæ, ac* Cornelii Muſii, *Delpii, Theologi ac Poetæ.*

Commentarium *Abſolutiſſimum ac doctiſſimum* in omnes B. Pauli Epiſtolas: *cujus editioni immortuus eſt. Prodiit vero à morte Eximii viri Bartholomæi Petri curâ, cum Auctuario ejuſdem, in Epiſtolas Joannis Canonicas.*

Orationes Theologicæ XIX. *ibidem à morte auctoris evulgatæ.*

Commentarii in lib. IV. Petri Lombardi, *vulgo* Magiſtri ſententiarum: *quibus S. Thomæ Aquinatus ſumma Theologica pariter illuſtratur. foll. Tom. IV.*

Denique Annotationes in præcipua ac difficiliora S. Scripturæ loca. *ibid fol. Pariſiis apud Fredericum Leonard.*

Moritur Duaci, in regio, ut vocant, ſeminario, non ſine ſanctitatis opinione, An. D. 1613. Ætatis 70. XII. Kalend. Octobris: depoſitus in Aede ſacra D. Petri, Apoſtolorum Principis.

PROTESTATIO AUTHORIS IN EJUS SCHEDIS REPERTA, ET IPSIUS VERBIS HIC POSITA.

PROTESTATUR Author, quod omnia velit esse submissa judicio Ecclesiæ Catholicæ, & ejus summo in terris Pastori ac Judici, Rom. Pontifici: velitque pro non dicto haberi, si quid male dictum. Quod nolit ulli personæ aut familiæ detractum; cupiens Christianam cum omnibus Catholicis benevolentiam, & quantum possibile est, amicitiam colere & conservare. Item declarat, se ubique sequutum sensum Ecclesiæ, quantum eum percipere potuit ex collatione Scripturarum inter se, tum ejusdem Apostoli, tum aliorum scriptorum sacrorum; item ex collatione cum fonte Græco & melioribus exemplaribus Latinis: Item ex traditione Ecclesiæ, nota per Concilia, & doctrinam SS. Patrum veterum, ac præcipuorum, præsertim Augustini, qui Pauli fuit studiosissimus, & ejusdem gratiæ; quam Paulus in omnibus epistolis prædicat, Doctor eximius. Declarat præterea, sese conatum esse, verum sensum nudis & claris verbis explicare: nec Commentarium extendisse in exhortationes populares; verùm id reliquisse iis, qui scribunt homilias ad populum.

APPROBATIO.

COmmentarium hunc celeberrimi Theologi Domini GUILIELMI ESTII *piæ mem. in B. Pauli Epistolã ad Rom. utramque ad Corinthios, & eam quæ est ad Galatas, diligentissime perlectum, tanquam qui summo labore, industria, ac doctrina collectus & concinnatus sit, eaque ratione ad germanam Apostoli intelligentiam plurimum lucis & subsidii allaturus, nihilque habeat fidei Catholicæ aut bonis moribus repugnans, sed tam his, quam illi permultum sit profuturus, dignum impressione censuimus, Duaci 3. Maii*, 1614.

BARTHOLOMÆUS PETRUS S. Theolog. Doctor, & in Universitate Duacensi Professor.

EPITAPHIUM EJUSDEM D. GUILIELMI ESTII.

PATRIA Gorgomium est. qui me eduxere parentes,
Hic stirpe Estiades, Pikias illa fuit.
Sumere ab his licuit mihi vitæ exemplar honestæ;
Tota stetit priscâ pro pietate domus.
Trajectum, antiquis Rheni contermina ripis,
Musarum ingenuis artibus erudiit,
Lovanium in Sophiæ Stagiritidis ardua duxit,
Et titulo ornavit duplice Theologum.
Ad Cathedram & Regimen, schola me Catuaca vocavit:
Æde Petri, gessi munia Præpositi.
Ter-denis Spartam geminam, haud inglorius, annis
Doctor uti & Præses Regius, excolui.
Doctrinæ, ingeniique mei monimenta relinquo:
Unde mihi, in vitâ morte, perennet honos.

Idem And. Hoius canebat.

IN EPISTOLAM

IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD ROMANOS COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

DE Romanis, quorum nomen toto orbe notiſſimum ac celeberrimum eſt, ut ne moremur in non neceſſariis, nihil hîc aliud dicendum, quàm epiſtolam hanc, quæ ad Romanos inſcribitur, non ad Romanum populum miſſam fuiſſe, ſed ad omnes ac ſolos Chriſti fideles qui Romæ erant, id eſt, ad Eccleſiam Chriſti in urbe Romana conſtitutam. Sic enim habet epiſtola, *Omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis.* Erant autem ii partim Gentiles, partim Judæi eam urbem per id tempus incolentes. Qui cùm ab Apoſtolo Petro & aliis fratribus qui illuc ex Judæâ advenerant, edocti eſſent viam ſalutis in Chriſto; poſteà per quoſdam Moſaïcæ legis æmulatores, profeſſione quidem Chriſtianos, ſed à Chriſto, qui finis erat legis æmulatione plurimùm aberrantes, turbati ſunt; excitatâ nimirum odiosâ inter ipſos & gravi quæſtione de meritis & juſtificatione.

Pro cujus rei intellectu quidam hîc annotant, in exordio naſcentis Eccleſiæ duo fuiſſe genera Judaïzantium: Alterum, eorum qui arbitrarentur Evangelii gratiam poſteris Abrahæ ac populo Iſraëlitico peculiariter promiſſam, non eſſe propagandam ad Gentes profanas, idolorum ac dæmonum cultui debitas, & à Dei teſtamentis, ut Paulus *Epheſ.* 2. loquitur, extraneas. Hujus generis fuiſſe dicunt illos, qui cum Petro diſceptabant. *Act.* 11. expoſtulantes quod homines Gentiles feciſſet Evangelii participes; quique pòſt auditâ Petri ſatisfactione mirati dicebant: *Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Alterum verò genus eorum, qui non arcendas quidem Gentes ab Evangelio putarent, ſed tamen aſtringi volebant obſervatione legis Moſaïcæ, quod ſine eâ juſtificari & ſalvari quemquam poſſe negarent, utcumque evangelium ac legem Chriſti recepiſſet. Quod genus erant qui fratres ex gentilitate converſos docebant Act. 15. *Niſi circumdaminini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari.* Et iterum: *Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare legem Moyſi.* Item, qui Galatas in ſervitutem Moſaïcæ legis redigere volebant. *Galat.* 2.

Verùm hæc diſtinctio Judaïzantium mihi parùm ſolida videtur. Nam ut Judæi parati ſemper erant Gentiles ad communionem ſuæ religionis admittere tamquam proſelytos & aſſciticios: ita Chriſtiani Judaïzantes ab Evangelii gratiâ ac ſpe ſalutis, neminem excludebant Gentilem, modò circumciſum ac legalium Moſaïcorum obſervantem. Unde & illi Petri reprehenſores dicebant: *Quare introiſti ad viros præputium habentes?* id eſt incircumciſos: non utique reprehenſuri, ſi Gentiles illi circumciſi fuiſſent. Quod verò dixiſſe cum admiratione leguntur: *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus:* ſic intellige, Gentibus in præputio manentibus. Hoc enim myſterium priùs incognitum, ac ſibi valde paradoxum, Petro viſionem quæ ſibi fuerat cælitùs oſtenſa, narrante, jam didicerant.

Igitur hac Judaïzantium diſtinctione prætermiſsâ: quando nec apparet omninò Judæos qui Romæ erant, pertrahere voluiſſe Gentiles qui in Chriſtum crediderant, ad Moſaïcæ legis obſervationem (neque enim in hac epiſtola tale quid uſquam ſignificatur): illud potiùs dicendum, occaſionem hujus ad Romanos epiſtolæ ſcribendæ natam fuiſſe ex contentione, quæ Romæ inter Judæos & Gentiles, utroſque fideles, ſuborta fuerat, ut dicere cœperam, de meritis & juſtificatione: dum ſcilicet utrique ſuis meritis Evangelii gratiam arrogarent.

Etenim Judæi (qui quidem erant, ut dixi, contentionis authores) jactabant ſe Dei populum eſſe quondam electum, Gentibus in idololatriâ derelictis: legem cum judiciis & cæremoniis à Deo ſibi datam, non illis: Patriarchas ſuos ac Prophetas Dei familiares, & horum oracula ſibi tradita: Denique Dei promiſſa & pacta ſecùm inita, maximè de mittendo Meſſiâ ſalvatore, eodémque ex ipſis naſcituro, qui jam miſſus ad ipſos, & ex ipſis natus eſſet. Quæ omnia tamquam præclara de illis etiam Paulus ipſe commemorat ſparſim in hac epiſtolâ, ut cap. 3. 9. 11. & 15. Propter quod dicit aliquoties: *Judæo primùm & Græco,*

videlicet Judæorum præ Gentilibus prærogativam indicans. Hæc autem omnia meritis ſuorum majorum, cum quibus unus eſſent populus, attribuebant Judæi; ſua quoque merita velut ad cumulum addentes, quòd à majoribus ſuis minimè degenerarent, utpote retinendi cultus, ac legis obſervandæ ſtudioſiſſimi; digni proinde quibus potiùs quàm aliis populis Evangelii gratiam ac promiſſa Deus offerret: quemadmodum & jam obtuliſſet, Chriſto filio ejus Evangelium ſuum Judæis, non Gentibus annunciante.

Gentiles contrà, quos Apoſtolus Græcos appellat, ſuam Græciam philoſophiæ parentem, ſapientiæ virtutúmque ſtudiis excultam ac nobilem prædicabant: ſpecialiter Romani multa à majoribus ſuis non ſolùm fortiter, verumetiam temperanter & juſtè facta, quibus imperium & gloriam immortalem ſuæ Genti peperiſſent, commemorabant. Cæterùm idololatriæ crimen ita rejiciebant Gentiles, ut ignorantiæ deputandum dicerent, non malitiæ. Nec tamen etiam inter ipſos defuiſſe qui unum verum Deum, inviſibilem, æternum, omnipotentem ex opificio mundi cognoviſſent. Judæis certè qui tot Dei beneficiis ingrati, toties in ſuperſtitionem falſorum Deorum relapſi fuiſſent, denique Meſſiam Dei filium promiſſum ac miſſum, malè acceptum, turpiſſimâ morte condemnaſſent, multò ſeſe digniores eſſe, quibus Evangelii ſui gratiam Deus exhiberet.

Iſtiuſmodi igitur altercatione inter fideles qui Romæ erant exortâ, & in dies gliſcente; Paulus pro munere ſuo Apoſtolico occurrendum ratus, hanc ad eos mittit epiſtolam; quâ primùm utriuſque partis faſtum deprimit, oſtendens omnes priuſquam à Deo vocarentur ad fidem Chriſti, fuiſſe peccatis ſubditos, & à verâ juſtitiâ alienos; ideóque nihil habere de quo vel alteri adverſus alteros ſeſe venditent, vel utrique gloriari coram Deo poſſint, tamquam de aliquo merito gratiæ & ſalutis oblatæ per Chriſtum. Docet itaque gratuitum Dei donum eſſe juſtificationem: hoc eſt, non per legem, aut ex ullo operum merito, dignitate, reſpectu, ſed gratis per fidem in Chriſtum propiciatorem, juſtificari tam Gentiles quàm Judæos.

Atque hic ſtatus eſt & principale argumentum Epiſtolæ. Quod quidem B. Auguſtinus breviſſimè perſtrinxit in expoſitione quarumdam propoſitionum hujus epiſtolæ, quum dixit in eâ verſari quæſtionem operum legis & gratiæ. Ac rurſum in epiſt. 105. ad Sixtum Romanum preſbyterum, poſteà pontificem, ita ſcribens: *De gratiæ commendatione maximè ad Romanos Apoſtolica epiſtola loquitur, ut inde ſe prædicatio ejus velut à capite orbis toto orbe diffunderet: Ea eſt enim quâ juſtificatur impius.* Eumdem pluribus argumentum hujus epiſtolæ explicantem conſule, ſi placet, in hujus epiſtolæ inchoatâ expoſitione, *& lib. 1. ad Simpl. quæſt 2.* Eſt autem hæc vera & germana de juſtificatione doctrina; non quæ opera noſtra à negocio juſtificationis ſimpliciter excludat, ut ſectarii volunt (ſiquidem & ipſa fides opus quoddam noſtrum eſt) ſed quæ à juſtificatione removeat opera ſive legis, ſive naturæ, fidem præcedentia, & omninò ea quæ non ſunt ex fide. Quam Apoſtoli mentem eſſe ex ipſius epiſtolæ progreſſu planiùs evadet. Porrò liquet ex dictis, in hac epiſtola propriè non verſari quæſtionem, quæ in epiſtolâ ad Galatas ſcriptâ num ad ſalutem neceſſaria ſit obſervatio legis cærimonialis datæ per Moyſen, ut proinde Gentiles ſi ſalvi eſſe vellent, eam ſuſcipere debeant: ſed de lege morali diſputationem eſſe, quam Judæi ſcriptam in tabulis acceperant, Gentiles tantùm animis impreſſam gerebant. Quærebatur enim, an ea lex ſive ſcripta, ſive inſita juſtificare poſſet hominem, ut ejuſmodi juſtititiâ præparatus, donorum, ac promiſſorum quæ ſecum adfert Evangelium, particeps fieret. Potiſſimùm tamen ad legem decalogi reſpicit Apoſtolus, propter Judæos, qui in illâ fiduciam juſtitiæ collocabant multò ampliùs quàm Gentiles in lege naturæ, cujus ſe multifariè tranſgreſſores fuiſſe facile videbant. Cur autem eos qui circumſionem ac cætera legis cærimonialis obſervarent, hîc non increpet, ſicut in epiſtola ad Galatas; ratio jam antè dicta eſt. Nam Gentiles Romani non erant hoc paſſi, quod Galatæ, ut in legem & circumciſionem à pſeudoapoſtolis traducerentur: Judæi verò qui magna pars erant eorum ad quos hæc epiſtola ſcribitur, ab avito more nondum abſtrahendi erant (neque enim tempus advenerat,) tantùm docendi (quod ſatis hac epiſtolâ agitur) ne ex lege quoquo modo juſtitiam exſpectarent. Alioqui, Paulum non docuiſſe diſceſſionem à Moyſe eorum qui per Gentes erant Judæorum, de quâ re poſteà Jeroſolymis accuſatus fuit. Act. 21. vel inde conſtat, quia paſſim cum Judæis Judaïcè vivebat. *Factus ſum*, inquit, *Judæis tamquam Judæus: iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem.* 1. Cor. 9. Quocirca Jacobus Apoſtolus de accuſatoribus ejus: *Et ſcient*, inquit ei, *quia quæ de te audierunt, falſa ſunt.*

Occupatur Paulus in argumento memorato ab initio epiſtolæ uſque ad finem capitis undecimi. Poſtquam enim docuit omnes ſub peccato eſſe, nec habere de quo glorientur: deinde poſt medium cap. 3. ſuam doctrinam de gratuitâ per fidem juſtificatione, Gentibus æquè Judæis oblatâ exponit: eámque quarto capite confirmat ab exemplo Abrahæ. Ut autem hoc Chriſti beneficium magis illuſtret, originem prodit peccati in humano genere, ejúſque tyrannidem deſcribit, à quâ per Chriſti gratiam liberamur. Iſta exſequitur capit. 5. 6. & 7. Hinc capit. 8. repetitâ magnitudine beneficii per Chriſtum exhibiti, declarat

ordinem, vim & efficaciam divinæ prædeſtinationis. A quâ tranſitu facto ad Judæorum reprobationem, mox de utrâque in univerſum diſſerit; & ita quidem, ut tam electionis quàm reprobationis cauſam in ſolam Dei referat voluntatem. Capite 10. rurſus juſtitiam quæ ex fide eſt, à Judæis ignoratam, toto orbe prædicatam commendat. Denique undecimo capite, quæ de populi Judaici reprobatione dixerat, ita mitigat, ut doceat reliquias ex eo ſervari: imò futurum aliquando, ut ipſa natio Chriſtum recipiat, fide gentium provocata.

Sequitur deinde Epiſtolæ pars Ethica, quâ Romanos variis ac neceſſariis pro tempore præceptis ad vitam benè, Chriſtianéque ducendam informat. Revocat imprimis à vitiis & corruptelis ſæculi: tum ad charitatis officia mutuò præſtanda, ut inter membra ejuſdem corporis, hortatur: Inimicos quoque non modò non ulciſcendos, ſed etiam benefactis proſequendos eſſe: Principibus ac Magiſtratibus ex animo parendum: Omnibus reddenda debita: Infirmos in fide à firmioribus tolerandos ac fovendos, Chriſti Salvatoris exemplo. Hæc aguntur à capit. 12. uſque ad cap. 15. ubi quædam ſubjicit de ſuo erga Romanos officio, ſpem faciens, quòd ad eos ſit venturus. Extremum caput varias continet ſalutationes.

Eſt autem huic Epiſtolæ peculiare, quod etſi plurimùm univerſos qui Romæ erant fideles alloquatur Apoſtolus, interdum tamen propriè ad Judæos, interdum ad Gentiles convertat ſermonem. Ad Judæos quidem cap. 2. ferè toto: item cap. 7. & 14. Ad Gentiles cap. 11. ab eo loco: *Vobis enim dico gentibus.* Et cap. 15. ubi ait: *Audaciùs autem ſcripſi vobis*, &c. nam Gentilibus ſpecialiter id dici, ſequentia manifeſtant. Nec ſolum ea res, verumetiam multa alia ſunt, quæ huic Epiſtolæ intelligendæ difficultatem adferant: adeò ut affirmet Hieron. in octava ad Algaſiam quæſtione, omnem hanc ad Romanos Epiſtolam nimiis obſcuritatibus involutam eſſe: *Et ſi voluero*, inquit, *cuncta diſſerere; nequaquam mihi unus liber, ſed multa & magna erunt ſcribenda volumina.* Quod utique dictum ab eo, præcipuè propter doctrinam juſtificationis & annexorum, quæ majorem occupat epiſtolæ partem. Quæ cauſa magnum etiam Auguſtinum deterruit, ne cœptum opus expoſitionis hujus epiſtolæ perficeret, ut ipſe teſtatur lib. 1. retract. cap. 25. Quin & illud quod Petrus ſcribit 2. epiſt. 3. in Paulinis epiſtolis eſſe quædam intellectu difficilia; de hac ad Romanos epiſtola potiſſimùm accipi debere, non abs re multi exiſtimant.

Verumtamen difficultatem hanc quantacumque ea ſit, abundè compenſat utilitatis magnitudo. Quid enim utilius homini in vitâ, quàm id diſcere, ſine quo benè, beatéque & æternum vivere non poſſit? Quod ex profeſſo traditur in hac epiſtolâ. Scripta eſt autem è Corintho, quemadmodum benè docent Origenes & alii. Nam ultimo cap. commendat Phœben eccleſiæ quæ in Cenchreis erat, miniſtram. Erant autem Cenchreæ portus Corinthi. Caium quoque qui Corinthi morabatur, hoſpitem ſuum vocat. Idipſum confirmat Græcorum hypographe epiſtolæ ſubjuncta. Sunt qui Athenis ſcriptam dicant, ſed nihil adferunt probabile.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

CAPUT PRIMUM.

1. PAulus, ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, in Evangelium Dei, 2. quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis. 3. de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem, 4. qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri: 5. per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus, 6. in quibus eſtis & vos vocati Jeſu Chriſti: 7. omnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto. 8. Primùm quidem gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis: quia fides veſtra annunciatur in univerſo mundo. 9. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio filii ejus, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio. 10. ſemper in orationibus meis: obſecrans, ſi quomodo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. 11. Deſidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos: 12. id eſt, ſimul conſolari in vobis, per meam quæ invicem eſt, fidem veſtram atque eam. Nolo autem vos ignorare fratres: quia ſæpè propoſui venire ad vos, (& prohibitus ſum uſque adhuc) ut aliquem fructum habeam & in vobis, ſicut & in ceteris gentibus. 14. Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum: ita (quod in me (promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, evangelizare. 16. Non enim erubeſco Evangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primùm, & Græco 17. Juſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt: Juſtus autem ex fide vivit. 18. Revelatur enim ira Dei de cœlo, ſuper omnem impietatem & injuſtititiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent: 19 quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit. 20 Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles. 21. Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. 23. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & ſerpentium. 24. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. 25. qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen. 26. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam, 27. Similiter autem & maſculi, relicto naturali uſu feminæ exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes. 28. Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt, 29. repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, maligniate, ſuſurrones, 30. detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, 31. inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia. 32. Qui cùm juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte: & non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

Act. 13. *a* 23

Habac 2. *a*. 4. *Heb*. 10. *c*. 38. *Gal*. 3. *b*. 11.

Eph. 4. *c*. 17.

SUMMARIUM CAPITIS PRIMI.

PAulus *Deo gratias agit pro fide Romanorum: declarat ſuam promptitudinem evangelizandi omnibus, etiam Romanis. Ex fide evangelii juſtitia. Arguitur ingratitudo ſophorum Gentilium, qui Deum ex creaturis cognitum non glorificaverint: ex quo in idololatriam, mox in ignominioſas libidines, denique in alia ſcelera prolapſi ſint.*

CAPUT PRIMUM.

PAulus. Nomen ſuum epiſtolæ præfigit Apoſtolus, more illius ſæculi, potiſſimum Romano: tum ut additis epithetis, cujuſmodi ſunt, Servus & Apoſtolus Chriſti, conditionem ſuam atque officium ſtatim in fronte epiſtolæ, prætendat iis ad quos ſcribit. Hunc autem morem obſervat & in cæteris epiſtolis, exceptâ eâ quæ ſcripta eſt ad Hebræos. Quod quare in eâ factum non ſit, illic ratio veſtigabitur.

SERVUS JESU CHRISTI. *Jeſus* (quod Hebraïcè ſcribitur יֵשׁוּעַ Jeſuah) proprium nomen eſt illud hominis, qui ex Maria virgine natus idem eſt filius Dei, *Quod* nomen *vocatum eſt ab angelo, priuſquàm in utero conciperetur.* Luc. 2. dicente videlicet ad Joſeph virum Mariæ: *Vocabis nomen ejus Jeſum*: id eſt, Græcè, σωτῆρα; Latinè, *Salvatorem. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Matth. 1. *Et non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Actor. 4. Idem homo dignitatis nomine Chriſtus vocatur. Nam qui Hebraïcè מָשִׁיחַ Meſiah cum ſchin denſo (propter quod à Joanne cap. 1. & 4. Evangelii μεσσίας ſcribitur, ſigma geminato) Græcè χριστὸς dicitur, aliàs ἠλειμμένος, unctus Latinè. Quo nomine quùm alii multi tempore veteris legis honorati fuerint, ut reges, ſacerdotes, prohetæ; quòd oleo materiali ad hæc officia ſoleant injungi: propriè tamen ac perpetuâ conſuetudine ſcripturæ novi Teſtamenti, Jeſus Dominus ſignificatur; ille nimirum homo, qui propter unionem in ſe divinæ naturæ cum humanâ, Spiritu ſancto unctus eſt inviſibiliter, ita ut ſimul eſſet, ac præ omnibus aliis, & rex, & ſacerdos, & prophetа, doniſque gratuitis ad hæc officia pertinentibus, inſtructiſſimus. Unde & in eo vocabulo ſolet intelligi hypoſtaſis, in quam duæ naturæ, divina & humana, conveniunt.

Illud obiter adjicio, Græcos hæc duo ſacra nomina breviatè ſcribere ſolere cum virgulâ ſuperductâ, in hunc modum, ΙΗ̅Σ, ΧΡ̅Σ, vel in literis majuſculis Ι Η Σ, Χ Ρ Σ, atque idem poſteà ſervatis Græcis characteribus feciſſe Latinos. Hinc factum, ut in hodiernum uſque diem Latini literis revera Græcis, quas imperiti Romanas putant, eadem nomina pingant hoc modo, I H S, X H S. Quod moneo, non ut ſcriptura mutetur, ſed ut ejus origo noſcatur.

Cur Latini his characteribus nomen Salvatoris pingant.

Porrò ſervum Jeſu Chriſti ſe vocat Apoſtolus, vel generali ratione redemptionis noſtræ per Chriſtum, qui ob id in ſymbolo fidei & per omnem novi Teſtamenti ſcripturam Dominus noſter vocatur: vel potiùs ratione ſpeciali, propter miniſterium verbi in quo ſerviebat CHRISTO Domino. Quam ſervitutem ſignificat quùm dicit de Timotheo, Philip. 2. *Sicut patri filius mecum ſervivit in evangelio.* Unde & in ejuſdem epiſtolæ initio, Timotheum ſibi in hoc genere ſervitutis adjungit: *Paulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti.* Hujuſmodi porrò miniſterium maximè erat Apoſtolatus, de quo ſequitur.

VOCATUS APOSTOLUS, id eſt, vocatione Apoſtolus. Nam *vocatus* in Græco non participium, ſed nomen eſt, κλητὸς: ac ſi dicat vocatium aut vocatitium. Per hoc autem ſignificat ſe non uſurpaſſe ſibi munus aut nomen Apoſtoli: ſed ad id vocatum fuiſſe à Chriſto, & quidem vocatione immediatâ: quemadmodum & cæteri vocati erant, de quibus dicitur Marc. 3. *Vocavit ad ſe quos voluit ipſe.* De vocatione Pauli ad Apoſtolatum, quando & quomodo contigerit, legenda eſt hiſtoria *Act. 9. 11. & 13.* & conſulendi commentarii ſuper eo, quod ſcribit ipſe ad *Galat. 1.* ſe evangelium ſuum non ab homine accepiſſe, neque didiciſſe, *ſed per revelationem Jeſu Chriſti.*

Apoſtolus, ſi ſolum nominis etymon ſpectemus, legatum ſeu nuncium in genere ſignificat, id eſt, eum qui mittitur cum mandatis, ut accipitur Johan. 13. *Neque Apoſtolus major eſt eo qui miſit illum*: Verum uſu ſcripturæ ſ. ſoli illi dicuntur Apoſtoli, qui tanquam legati miſſi ſunt à Chriſto Domino ad prædicandum evangelium, acceptâ ab eo omni poteſtate, quæ ad fundandas & regendas eccleſias pertineret. *Qui propriè dicantur Apoſtoli.*

Tales fuere duodecim illi, quos Dominus ex omnibus diſcipulis ſuis electos, Apoſtolos nominavit *Luc. 6.* Non autem illi ſive ſeptuaginta ſecundum Græcos Codices, ſive ſeptuaginta duo ſecundum Latinos; tametſi ipſi etiam miſſi ad evangelium prædicandum *Luc 10.* Talis item Matthias in locum Judæ proditoris poſt Domini in cœlos aſcenſionem ſubrogatus. Tales etiam Paulus & Barnabas divinitùs ad opus apoſtolicum deſignati *Actor. 13.* Quod nomen deinde ad paucos alios extenſum, ut ad Silam, Timotheum, Lucam, Marcum, Andronicum & Juniam, qui partim in ſacris literis, partim in officiis divinis Apoſtolorum vocabulo honorātur: licet perfecta nominis apoſtolici ratio in eos haud omninò quadret.

Etenim non omnes Evangeliſtas, nec omnes Paſtores & Doctores eſſe Apoſtolos, ſi propriè de Apoſtolis loquendum ſit, præter id quod jam dixi de 70. diſcipulis, oſtendit etiam illud Epheſ. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.* Attamen etiam 70. diſcipulos generali vocabulo Apoſtolorum honoratos fuiſſe, probat illud 1. Cor. 15. *Deinde Apoſtolis omnibus*, quâ parte 70. diſcipuloss comprehendi valdè probabile eſt: ut ibi docebimus. Erant autem præterea qui dicebantur Apoſtoli eccleſiarum, id eſt, legati ab eccleſiis miſſi, quorum mentio 2. *Cor. 9.* Quo ſenſu Epaphroditus Philippenſium Apoſtolus vocari videtur. *Phil. 2.*

SEGREGATUS IN EVANGELIUM DEI. Id eſt, peculiariter delectus ad prædicandum Dei Evangelium. Delectus, inquam, à Spiritu ſancto: qui reſponſum hujuſmodi dedit Eccleſiæ Antiochenæ, Actor. 13. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.* Verum homines ſegregant in tempore, Deus autem ab æterno. Id quod Hieronymus ſignificavit *epiſt. 15. ad Marcellam*, dicens, Deum ante conſtitutionem mundi ſeparaſſe Paulum in Evangelium filii ſui. Quò pertinet quod ſanctus Ambroſius non ſegregatum, ſed prædeſtinatum legit, citans hunc locum libr. de incarnationis Dom. ſacramento c. 6.

Evangelium Græcis bonum lætumque nuncium ſignificat: Et uſurpatur interdum etiam apud Latinos pro mercede quæ datur lætum adferenti nuncium. Quâ ſignificatione legitur etiam apud LXX. 2. *Reg.* 4. Davide dicente de eo qui Saülis mortem ipſi nunciaverat: *Cui oportebat me dare evangelia.* *Significatio vocis evangelium.*

Verùm uſu Scripturæ Evangelicæ & Apoſtolicæ contrahitur ad ſignificandum lætiſſimum illud nuncium, & omni acceptione dignum, de redemptione & ſalute generis humani per Chriſtum: quo tamen ſimul comprehenditur annunciatio totius legis Chriſtianæ. Sic enim Apoſtolis quando miſſi ſunt ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, dictum eſt à Domino Matt. ult. *Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.*

Accipitur & pro libro continente geſta Chriſti Salvatoris: quo modo quatuor eſſe dicuntur Evangelia: ſed ea acceptio non eſt hujus loci. Porrò Evangelium Dei dicitur, tanquam mittentis. Sentit enim ſe miſ-

ſum à Deo Apoſtolum cum Evangelio, ſicut legatus à principe cum mandatis mitti dicitur. Intelligit autem Deum Patrem, ut probant ſequentia.

2. QUOD ANTE PROMISERAT PER PROPHETAS SVOS IN SCRIPTURIS SANCTIS. Facit hoc ad Evangelii commendationem & confirmationem, quòd iam olim à Deo per prophetas ab ipſo inſpiratos, quorum oracula literis conſignata haberentur, promiſſum eſſet; ne videretur res nova & commentitia. Scripturæ ſanctæ κατ' ἐξοχὴν dicuntur Scripturæ divinitus inſpiratæ, id eſt, verbum Dei ſcriptum, quo nihil ſanctius eſt. In his promiſit, quatenus in his ſcriptæ, &, ut dixi, conſignatæ ſunt ejus promiſſiones.

DE FILIO SUO. Refertur hæc pars vel ad *Evangelium Dei*, vt hac parte ſignificetur Evangelii materia, quod vult Caietanus: vel ad verbum, *promiſerat*. Nam Chriſtum Dei filium à Patre fuiſſe promiſſum, uniuerſa Novi Teſtamenti ſcriptura loquitur.

3. QUI FACTUS EST EI EX SEMINE DAVID SECUNDUM CARNEM. *Factus* Valla potiùs vertendum putat, *genitus*: idque ſecutus eſt Eraſmus. At minùs benè. Nam Græcè eſt γενομένου, quod non ſignificat *genitum*, ſed *factum*: licet etiam genita comprehendat. Idem verbum Gal. 43. *factum ex muliere, factum ſub lege*. Nec aliter eo loco Eraſmus. Pronomen *ei* neque in Græco eſt, neque in Syriaco, ſed neque in omnibus Latinis. Tertullianus quoque locum hunc allegans *lib. adverſus Praxeam c.* 27. partem hanc non addit: ut nec Ambroſius loco antè citato. Ac ſententiæ videtur etiam obſtare: vult enim Apoſtolus eum qui ab æterno eſt Filius Dei, in tempore factum eſſe ac genitum *ſecundum carnem*, id eſt, ſecundùm humanam naturam, ex ſemine & poſteritate David. Hoc autem modo non eſt genitus patri Deo, ſed matri homini: quia ſecundùm naturam creatam non eſt filius Dei, ſed filius hominis. Synecdochicè per carnem humana natura ſignificata eſt: ideò fortaſsè quòd non anima, ſed ſola caro ſit ex traduce.

Hinc directè probatur B. Virg. ortam ex ſemine David

Cæterum ex hoc loco benè docet Auguſtinus *lib. 2. de conſenſu Evang. c. 1.* B. Virginem Mariam ex ſtirpe David genus duxiſſe, cum genealogia Chriſti, quam Matthæus contexuit, tantùm id de Joſepho directè probet. Quanquam ſunt & alia loca ſatis multa, quæ directè id probant de Chriſto, ut Luc. 1. Angelo dicente, *Dabit ei Dominus Deus ſedem David Patris ejus*, & ubicumq; ei legimus acclamatum, etiam à pueris, *filio David* Matt. 21. Erat enim res notoria, quam nec adverſarii ejus in dubium revocabãt.

4. QUI PRÆDESTINATUS EST FILIUS DEI IN VIRTUTE SECUNDUM SPIRITUM SANCTIFICATIONIS EX RESURRECTIONE MORTUORVM JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI. Redit ad exponendam divinam Jeſu Chriſti naturam. Quomodo Chriſtus dicatur prædeſtinatus filius Dei, cùm fuerit Dei filius ab æterno; ad id autem quod ab æterno fuit, nulla ſit prædeſtinatio, ſed ad ſola futura: diſputant Theologi *in 3. ſent. diſt. 7.* ac rectè docent Chriſtum dici poſſe prædeſtinatum filium Dei, quatenus ab æterno decretum ac præordinatum eſt à Deo, ut in tempore hic homo qui eſt Chriſtus, eſſet filius Dei. Quamvis enim propter unitatem perſonæ contra Neſtorium nobis certiſſimè tenendum ſit, hunc hominem ſemper & ab æterno fuiſſe Dei filium; non tamen ab æterno verum fuit dicere, hic homo eſt filius Dei. Nam unio verbi cum carne facta eſt in tempore. Hoc igitur quod in tempore factum eſt, effectus fuit divinæ prædeſtinationis, ideóq; prædeſtinatũ rectè dicitur. Et in hunc ſenſum pleriq; commentatores Latini interpretãtur hæc Pauli verba: *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei.*

Quo ſenſu Chriſtus prædeſtinatus filius Dei.

Nec diverſum eſt quod Thomas dicit, prædeſtinationẽ hîc attribui perſonæ Chriſti, prout ſubſiſtit in humanâ naturâ. *Unde & Apoſtolus*, inquit, *priùs filium Dei incarnatum eſſe præmiſerat, & poſtea ei prædeſtinationem attribuit: ut intelligatur prædeſtinatus eſſe, ſecũdum quod factus eſt ex ſemine David ſecundùm carnem.* Hæc ille, poſt longam diſquiſitionem ſenſus Paulini. In quam ſententiam conveniunt & ea quæ de Chriſti prædeſtinatione, tãquam præclariſſimo noſtræ prædeſtinationis exemplari, diſſerit Aug. *lib. de prædeſt. ſanct. c. 15. Et tract. 104. ſuper Joannem.*

Quòd verò nonnulli prædeſtinatum interpretantur prædemonſtratum, *id eſt*, præ omnibus aliis qui filij Dei dicuntur, declaratum filium Dei, quum ipſe ſit naturalis Dei filius, cæteri tantùm per adoptionem: id quamvis coactum mihi videatur, ad ſenſum tamen Græcorum appropinquat. Sciendum eſt enim Græcam vocem ὁρισθέντος, quæ legitur hoc loco, non ſignificare prædeſtinatum, aut prædefinitũ, ſed ſimpliciter definitum, determinatum, decretum. Ruffinus Origenis interpres *deſtinatum* vertit: addens inter alia etiam hæc de ſuo: *Quamvis enim in Latinis exemplaribus (prædeſtinatus) ſoleat inveniri; tamen quod intepretationis veritas habet, (deſtinatus) ſcriptum eſt, non (prædeſtinatus.)* Sic ille. Tertullianus quoque definitum legit ſeu vertit loco ſuperiùs citato.

Sumitur autem interdum vox Græca pro eo quod eſt declaratum, ſeu confirmatum. Ita accepit hoc loco Syrus interpres, dum vertit agnitum. Eâdem ſignificatione acceperunt Chryſoſtomus, & cæteri poſt eum Græci tractatores. Qui quidem verba Apoli ad hunc modum exponunt; Idem ille qui factus eſt ex ſemine David ſecundùm carnem, quem proinde conſtat verum hominem fuiſſe; etiam declaratus eſt & certiſſimis argumentis comprobatus eſſe filius Dei. Ea argumenta ſequuntur.

Primùm, *In virtute*, id eſt, per potentiam miraculorum. Deinde, *ſecundùm ſpiritum ſanctificationis*, ſive, ut in Græco eſt ἁγιωσύνης ſanctitatis, id eſt, per Spiritum ſanctum, quem videlicet in ſe credentibus per evidentia ſigna multipliciter impertitus eſt: primùm Apoſtolis in die Pentecoſtes, deinde & aliis fidelibus. Nam illud *ſecundùm ſpiritum*, interdum idem valere, quod, *per ſpiritum*, manifeſtum eſt ex 1. Cor. 12. ubi quod dixerat *per ſpiritum*, ita repetit, *ſecundùm eumdem ſpiritum*. Tertiò, *Ex reſurrectione mortuorum*, ſive à mortuis. Nempe, quia ſemetipſum ſicut prædixerat, à morte ad vitam ſuſcitavit.

Hæc Græcorum expoſitio ſatis expedita & facilis eſt, & probè quadrat inſtituto Pauli. Deinde veram ac germanam eſſe id arguit, quod & alibi Paulus eadem hæc argumenta proferat, quibus declarata ſit & confirmata fidei veritas, ut 1. Cor. 2. *Prædicatio mea apud vos in oſtenſione Spiritus & virtutis.* Gal. 3. *Qui tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis.* 1. Theſſ. 1. *Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tãtùm, ſed in virtute & in Spiritu ſancto.* Hebr. 2. *Quæ ſalus in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus.* Item huius epiſtolæ c. 15. *In virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti.*

Expoſitio Græcorum potior.

Reſurrectionem verò Chriſti pro argumento veritatis Evangelij ab eo traditi paſſim adferunt Apoſtoli, nominatim Petrus Act. 2. omnium nomine dicens: *Hunc Jeſum reſuſcitavit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus.* Quod verò quidam *ex reſurrectione mortuorum* interpretantur *à reſurrectione*, id eſt, poſt reſurrectionem Chriſti à morte, ut tempus ſignificetur ex quo cæperit Chriſtus declarari filius Dei; non probo: quòd & peregrina expoſitio ſit, & Græco textui minùs reſpondeat. Nam tempori ſignificando, in ſcripturâ Græcâ Novi Teſtamenti non ſolet ſervire præpoſitio ἐξ quæ hoc loco habetur, ſed ἀπὸ. Vide Matth. 9. 15. 17. 22. & Joan. 19. in quibus locis Latinè *ex illâ horâ, ex illâ die.* Item Luc. 1. 5. 7. 12. & 2. Cor. 5. ubi Latinè *ex hoc, ex quo.*

Porrò Latinorum interpretatio præter eam difficultatem quam parit hic ſermo, Chriſtum prædeſtinatum eſſe Filium Dei, (quod certè in ſcripturis alibi

non legitur ;) etiam in explicanda ſyntaxi & ſenſu verborum ſequentium: *In virtute, ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum* ; multùm laborat: nec tamen lectoris animo ſatisfacit. Quocirca nec huc aſcribendum putaui. Petat qui volet ex aliorum commentariis.

Occurritur objectioni.

Sed contra Græcorum expoſitionem unus adfertur ſcrupulus. Aiunt enim Græcum verbum ὁρίζειν, etſi ſignificet interdum oſtendere ſeu declarare, nuſquam tamen in ſacris literis eâ ſignificatione reperiri; ſed ſemper accipi pro eo quod eſt, finire ſeu definire, ſtatuere ſeu cõſtituere, vt Act. 2. *Hunc definito conſilio & præſcientiâ Dei traditum.* Et 10. *Qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum.* Et 17. *Definiens ſtatuta tempora.* Cui objectioni breviter reſponderi poteſt, nec quidem hoc loco eam vocem aliter accipi à Græcis ; niſi quod definitionem referunt non ad rem, ſed ad hominum notitiam; ut is qui factus eſt homo, dicatur definitus filius Dei per miracula, & cætera quæ dicta ſunt, quia definitè certóq; cognitus, & ut ita dicam, certificatus. Hoc enim ſenſu Theodoritus hanc rem dilucidè & benè explicat. Neq; verò alienũ eſt à conſuetudine Scripturæ, ut aliquid factũ dicatur tunc quãdo innotuit. Sic n. etiam de filio Dei dicitur Heb. 1. *Tãt᷑ melior angelis effectus.*

Deinde & rejicitur objectio. Nam nec uſquam in Scripturis idem verbum ὁρίζειν ſignificat prædeſtinare ; nec verò interpres uſquam alibi ſic vertit : ſed ubicumque extra hunc locum, *prædeſtinare*, legimus; Græcè eſt προορίζειν. Denique non ſolum Origenes, ſive in ejus commentario vertendo Ruffinus, ſignificatione diſtinguit hæc duo ὁρίζειν & προορίζειν : verùm etiam S. Hieronymus horum diſcrimen tradit in *comment. epiſt. ad Epheſ.* exponens illud cap. 1. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum.*

Reſurrectionem mortuorum interpretati ſumus reſurrectionem à mortuis, vel ex mortuis. Quæ phraſis Hebræa eſt in ſcripturis vſitatiſſima, ut à mortuis reſurgere dicantur qui à morte redeunt ad vitam. Fateor ſanè reſurrectionem mortuorum alibi nuſquam inveniri poſitam pro reſurrectione ex mortuis, ſed ſemper accipi propriè pro reſurrectione eorum qui mortui erant. Unde quidam reſurrectionem mortuorum hîc intelligunt Chriſti & aliorum quos ille à morte ſuſcitavit. Verùm arbitror idcircò Paulum hoc loco dixiſſe *mortuorum*, & non *ex mortuis*, quùm tamen non aliud dicere vellet, ne ejuſdem præpoſitionis repetitione ſermonem redderet inconcinnum, dicendo ἐξ ἀναστάσεως ἐκ νεκρῶν ex reſurrectione ex mortuis : Eraſmus obſcuritatem ita conatus eſt tollere. *Ex eo quod reſurrexit à mortuis.*

Cur ſcriptũ ſit, reſurrectionem mortuorum, non ex mortuis.

Jam quod ſequitur *Jeſu Chriſti Domini noſtri*; Plerique tam Græci quàm Latini nectunt cum eo quod proximè præcedit, atque hunc ſenſum faciunt ; ex reſurrectione Jeſu Chriſti Domini noſtri à mortuis, quomodo Petrus locutus eſt 1. ep. 1. *Per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis.* Poteſt tamen per hyperbaton (ſchema Paulo non infrequens) referri ad illud remotius, *de filio ſuo qui factus eſt ex ſemine David, qui prædeſtinatus eſt filius Dei.* Nec enim obſtat diverſus caſus in noſtrâ verſione: Nam hæc omnia in Græco ejuſdem caſus ſunt, genitivi; & Latinè per ablativum reddi poterant, hoc modo: *De filio ſuo facto ex ſemine David, declarato filio Dei Jeſu Chriſto Domino noſtro.* Hæc cõſtructio Syriacæ quoq; verſioni conſentanea eſt. Eamdem Valla, Stapulenſis, Caietanus & plures alii probãt, non abnuente Eraſmo: ut quidem etiam mihi probabilis videtur. Juxta quam, hic demum exprimit Apoſtolus nomen proprium ejus, de quo loqui cœperat, dicens, *de filio ſuo*, addito ſecundùm morem ſuum nomine poteſtatis, quùm ait, *Domino noſtro*: de quo paulò poſt dicemus.

5. PER QUEM ACCEPIMUS GRATIAM ET APOSTOLATUM. Suprà, ſe dixit vocatum Apoſtolum : Nunc authorem vocationis exprimit, dicens ſe Apoſtolatum accepiſſe per Chriſtum, id eſt, Chriſto vocante atque mandante. *Accepimus*, id eſt, accepi. Sic autem loquitur vel modeſtiæ cauſa (nam ſpecies arrogantiæ eſt rem magnam ſibi ſingulariter aſcribere) vel quòd decor ſermonis id poſtulet.

Quid per Apoſtolatum hîc Paulus intelligat.

Particula & expoſitivè ſumitur ; nam gratiam appellat ipſum Apoſtolatum : ſicut & Eph. 3. cùm ait: *Mihi omnium ſanctorũ minimo data eſt gratia hæc*, &c. Itaque ſenſus eſt: A quo Jeſu Chriſto collatum mihi eſt gratuitum hoc beneficium, quod eſt Apoſtolatus, id eſt, munus ac dignitas Apoſtolica. Neq; enim Apoſtolatus nomine nudam functionem Apoſtolici muneris intelligere debemus, ut vult Eraſmus ; ſed ipſam hujuſmodi functionis exercendæ poteſtatem cum dignitate conjunctam: quomodo diſertè apoſtolatum exponunt Origenes & Chryſoſtomus. Nam & Epiſcopatus nomine in eo quod dicitur Pſal. 108. *Epiſcopatum eius accipiat alter*, conſtat tam ex Græco vocabulo quo uſi ſunt interpretes 70. quàm ex Hebræo, poteſtatem ſeu præfecturam, quæ cum dignitate geritur, ſignificari.

AD OBEDIENDUM FIDEI IN OMNIBUS GENTIBUS. *Ad obediendum fidei*, Græcè; *ad obedientiam fidei*. Fidem metonymicè poſuit pro doctrina fidei : quemadmodum & Lucas Act. 6. dicens : *Multa turba ſacerdotum obediebat fidei.* Senſus: Ut gentes ubiq; recipiant Euangelii doctrinam, credant Evangelio. Hanc vocat obedientiam ; quia quamvis fides ſit in intellectu, tamen ad eam ſuſcipiendam neceſſaria eſt obedientia, & humilis ſubmiſſio voluntatis. Sic 2. Cor. 10. loquẽs de officiis Apoſtolatus ſui, dicit ſe in captivitatẽ redigere *omnem intellectum in obſequium* (Græcè ὑπακοὴν, *obedientiam Chriſti*. Poteſt illud, *in omnibus gentibus* etiam non incõmodè conſtrui cum Apoſtolatu : quod fecit Syrus interpres. Nam Apoſtolatum Paulus accepit non ad unum aliquem populum, ſed ad omnes gentes. Quamquam præpoſitio Græca ἐν priorem ſenſum magis optat.

PRO NOMINE EJUS. Hæc pars omninò referenda eſt ad Apoſtolatum : ut ſenſus ſit: Accepi legationem hanc obeundam nomine & vice Chriſti, cujus ſum Apoſtolus : ſecundùm illud 2. Cor. 6. *Pro Chriſto legatione fungimur.* Quo loco eadem eſt præpoſitio ὑπέρ ; nec aliter hîc interpretanda, quod fecit Eraſmus, dum vertit, *ſub ipſius nomine.*

6. IN QVIBUS ESTIS ET VOS VOCATI JESU CHRISTI. id eſt, in quarum gentium numero ẽt vos eſtis, vtpote jam vocati Jeſu Chriſti, hoc eſt gratuita Dei vocatione facti fideles Jeſu Chriſti. Nam & hoc loco, *vocati* nomen eſt, non participium. Intelligitur vocatio non externa & communis illa, quæ in multis fruſtratur, de quâ dicitur Matth. 20. *Multi vocati*: ſed quâ efficaciter homines vocantur ad fidem, ſanctitatem, ſalutem : quæ eſt vocatio ſecundùm propoſitum ſeu prædeſtinationem divinam : quomodo vocem hanc & in parte ſequente, & cap. 8. hujus epiſtolæ, & paſſim alibi Paulus vſurpat.

7. OMNIBUS QUI SUNT ROMÆ. Poteſt etiam verti, *Omnibus qui eſtis Romæ*: quemadmodum vertit Eraſmus non malè, quia præceſſit : *in quibus eſtis & vos.*

DILECTIS DEI VOCATIS SANCTIS. Subaudi, ſcribit hanc epiſtolam. Nam ſermo hucuſque ſuſpenſus hîc abſolvitur. *Dilectis* & *vocatis* rurſus in Græco nomina ſunt, non participia, ἀγαπητοῖς, κλητοῖς. Senſus eſt: Amicis Dei ac gratuitæ vocationis ejus beneficio ſanctis. Græca vox ἀγαπητὸς quam vim habeat, infrà commodiùs explicabitur ad illud cap. 11. *Chariſſimi propter patres.* Id ſolùm hîc moneo, noſtrum interpretem tribus modis eam vocem reddere Latinè, *dilectum, chariſſimum, dilectiſſimum*: ne quis in his diſtinguendis inaniter laboret.

Quo ſenſu Sanctos dicat.

Sanctos autem, hoc eſt, verâ præditos ſanctitate vocat Romanos fideles, non quia omnes & ſinguli

ſancti erant : ſed quod eccleſia Romana ad quam ſcribit,ut & alia quæcumq; particularis eccleſia, ſit ſanctorum cœtus & congregatio.Nam ſancti in unaquâque eccleſiâ ſunt præcipua eius membra. Propter quod non ſolum Eccleſia univerſalis , verum etiam quælibet particularis verè ſancta dici poteſt.

Quare non eſt neceſſe(quod quidam faciunt) ſanctos hoc loco & aliis ſimilibus, interpretari eos qui per baptiſmum ſemel ſanctificati ſunt,etiamſi ab illâ ſanctitate jam exciderint: Hoc enim pacto , ſancti dicerentur, vel Romani, vel alii, etiamſi nullus inter eos verè ſanctus, id eſt, juſtus eſſet : imò ſancta diceretur univerſalis Eccleſia, tametſi nullus in ea vera ſanctitate & iuſtitia præditus eſſet. Quod eſt omninò abſurdum.

GRATIA VOBIS ET PAX. Poſt epigraphen, ſolemni more exorditur epiſtolam à ſalutatione, quâ benè precatur iis ad quos ſcribit. Eſt autem hæc Apoſtolica per epiſtolas ſalutandi formula; quâ & Petrus in utraque epiſtola,& Joannes in ſecunda & Judas uſi ſunt. Verbum quod hîc deſideratur, ſuppleri poteſt ex iam dictis Apoſtolorum Petri & Judæ epiſtolis: Id autem eſt , *Multiplicetur*, ſive quod idem eſt , *adimpleatur*. Eſt enim idem in Græco vocabulum πληθυνθείη. Quod autem verbum addatur in ſecunda Joannis, ſuo loco videndum. Legitur & apud Danielem cap. 6. in edicto Darii regis hæc ſalutatio : *Pax vobis multiplicetur.*

Gratia quid ſignificet.

Porrò dictiones hæ, *gratia* & *pax*, peculiarem habent uſum in ſacris literis. Et quamuis *gratia*, Græcè χάρις, nonnumquam ſonet favorem, vt Luc. 1. *Inveniſti gratiam apud Deum*: plerumq; tamen ſignificat gratuitum Dei beneficium, conducens ad æternam hominis ſalutem, ut ſunt fides , ſpes, charitas, remiſſio peccatorum, juſtificatio , virtutes , atque earum augmenta, bonorum operum perſeverantia & ipſa vita æterna ; quæ omnia ſunt dona à gratia prioris modi, id eſt, à favore ſeu benevolentia Dei profecta : atque eadem omnia rectè comprehenduntur nomine gratiæ Novi Teſtamenti.

Pax plura ſignificat.

Pax, Hebræis interdum ſucceſſum & proſperitatem ſignificat, vt Pſalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Et Jerem. 29. *Quærite pacem civitatis ad quã tranſmigrare vos feci, & orate pro eâ ad Dominũ: quia in pace illius erit pax vobis.* Interdum ſimpliciter ſalutem, ut 2. Reg. 18. *Eſtne pax puero Abſalom?* id eſt , eſtne ſalvus ? Nam ſignificatio ſucceſſus & proſperitatis ibi locum non habet. Utuntur autem Hebræi, cùm ſalutant quempiam ; ut , pax tibi , ſive pax tecum. Ita David per nuncios ad Nabal 1. Reg.25.*Sit fratribus meis & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcumq; habes, ſit pax.* Pro quo Græci dicunt χαῖρε, Latini, ave, ſalve. Eſtque veriſimile angelum Hebræa lingua ſalutantem beatam virginem Luc. 1.Et mulieres Matth. ult. Hebraïco more dixiſſe ; pax tecum; pax vobiſcum : ubi Euangeliſta Græcé ſcripſit χαῖρε ; χάιρετε. *Ave.Avete.* Sic enim & Chriſtus ſuos diſcipulos ſalutaſſe legitur Luc. 24. & Joan.20.dicens, *Pax vobis*: adeóque præcepit ut ea ſalutandi forma uterentur. *Dicite*, inquit , *pax huic domui* Luc. 10.

Verùm quia Chriſtus pacem ſuis optavit & dedit, non eam quæ in ſucceſſu rerum temporalium intelligitur,ſed quæ in bonis verè ſalutaribus conſiſtit(unde & Joan. 14. cùm dixiſſet: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, adjecit: *Non quomodo mundus dat , ego do vobis*) idcirco conſentaneum eſt hanc Apoſtolicam ſalutationem ſimiliter interpretari de pace quæ ſit hominibus in Deo , & cum Deo.

Sive igitur pacis nomine ſalutem accipiamus ,ſive proſperum rerum ſucceſſum, ſive (quomodo ſolet à noſtris definiri) quietam & ſecuram bonorum poſſeſſionem : ea bona ſunt hîc intelligenda quæ ad vitam conducunt æternam, id eſt, ſpiritualia,quæ gratiæ nomine ſuprà diximus comprehendi ; non autem temporalia,niſi quatenus illuc etiam provehãt. Itaq; pax intelligitur hominum in ijs bonis quæ per gratiam ſignificantur, &., ut ſemel dicam, in Deo ſolida & imperturbata quies atque tranquillitas.

Quod ergo nonnulli pacem interpretantur hoc loco reconciliationem cum Deo, quâ fit , ut qui per peccata priùs erant inimici ac gehennæ obnoxij, remiſſione peccatorum acceptâ, animum gerant à perturbationibus ac terroribus quos mala cõſcientia adferebat, liberum atque pacatum ; de qua pace dicitur infrà cap. 5. *Juſtificati ex fide, pacem habemus ad Deum*: ii non integrè , ſed ſolum ex parte vim hujus vocis, ut à Chriſto & Apoſtolis ejus in ſalutationibus uſurpata eſt, expoſuerunt. Porrò multiplicatur ijs gratia & pax , quibus memorata gratiæ & pacis dona accumulantur & augentur in dies.

A DEO PATRE NOSTRO ET DOMINO JESU CHRISTO. Poteſt ex Græco textu,ſi nuda ejus verba conſideremus , etiam ſic verti, *A Deo patre noſtro & Domino Jeſu Chriſti*.Sed multò meliùs ſe habet noſtra verſio,quæ & aliorum interpretum eſt; & omninò retinenda. Neque enim Apoſtolus priùs diceret Deum patrem noſtrum,& deinde patrem Jeſu Chriſti;ſed contrà potiùs: quomodo ipſe Dominus apud Joan. 20.*Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrũ.* Eſtque hæc apoſtolica ſalutandi formula, quam in omnibus ejus epiſtolis, vna aut altera dempta, videre eſt ; qua gratiam precatur iis ad quos ſcribit , à Deo patre, & Chriſto Domino. *Patre noſtro* , id eſt, cujus nos filii ſumus per gratiam,à quo proinde gratiarum & pacis acceſſionem meritò vobis precor.

Quod ſequitur, *Et Domino Jeſu Chriſto* , quidam ſic exponunt : à Domino Jeſu Chriſto , ut homine : quippe qui nobis illa bona per ſuam crucem promeruit : Senſus quidem veriſſimus:Sed ſciendum eſt ad meritum Chriſti ſignificandum Paulum , imò Apoſtolos dicere ſolere , *In Chriſto*, vel *per Chriſtum*;ut in ea parte quæ hîc proximè ſequitur.

Itaque magis apparet hunc eſſe ſenſum : A Chriſto authore & largitore , æquè ut à Deo patre. Unde Græci commentatores , & Cyrillus *libr. 12. theſauri cap. 1.* ex his Apoſtoli verbis oſtendunt Chriſti divinitatem & cum patre æqualitatem. Senſus ſententiæ.

Verúm objicit Arianus : Si Chriſtus æqualiter eſſet Deus cum patre, non diſtingueret Apoſtolus ſermonem ſuum , vt patrem quidem Deum vocaret , Chriſtum autem Dominum. Cui *reſpondeo* : Non magis eſſe conſequens ex Apoſtolico ſermone,Chriſtum non eſſe Deum; quàm, patrem non eſſe Dominum. Sicut enim alterum de filio tacet , ita & alterum de patre.Quod ſi de patre tacetur alterum,ſine ejus præjudicio ; cur non & alterum de filio ? Refellitur Arianorum objectio.

Tantùm reddenda ratio , cur *Domini* vocabulum propriè Chriſto tribuat. Ea nimirum eſt, quia Chriſtus in aſſumpta carne precio ſui ſanguinis nos è ſervitute diaboli redemit , ſibique vindicavit in populum peculiarem ; cujus proinde ipſe quatenus homo, Dominus pleno jure effectus ſit. Hinc paſſim in Apoſtolicis literis honoris cauſa *Dominus* appellatur. Eſt igitur in verbis Apoſtoli inſinuatio quædam vtriuſque naturæ in Chriſto : Divinæ quidem, cùm dicit , *à Chriſto* ; ſicut dictum erat , *à Patre* : Humanæ autem , in vocabulo *Domini*, juxta rationem aſſignatam. Vide quæ commentabimur ad illud Eph.4. *Vnus Dominus, Vnus Deus.*

Loc. Moral. De gratiis Deo ſemper agendis pro acceptis beneficiis.

8. PRIMUM QUIDEM GRATIAS AGO DEO MEO PER JESUM CHRISTUM PRO OMNIBUS VOBIS. Græcè , *ſuper* , aut *de omnibus vobis* , id eſt, ob beneficia vobis impenſa.Notandum in Paulo Apoſtolo , quòd in omibus ferè ſuis epiſtolis ſalutationi ſtatim ſubjungit gratiarum actionem pro beneficiis à Deo collatis in eos ad quos ſcribit. Quod & Petrus facit *in 1. epiſt.* Faciunt autem hoc,tum vt gra-

tiam Dei in omnibus commendent, (nam gratiarum actio gratiæ confessio est & commendatio) tum quia grata recordatio bonorum acceptorum dignos efficit ad impetrandum ampliora. Illud *per Jesum Christum*, vel ad ipsam gratiarum actionem refertur, vel potiùs ad id quod in gratiarum actione continetur, id est, ad beneficia pro quibus gratias agit: quale est illud quod subjungit.

QUIA FIDES VESTRA ANNUNCIATUR IN UNIVERSO MUNDO. *Annunciatur*, id est, divulgatur. *In universo mundo.* hyperbole est, tam vulgo, quàm sacræ Scripturæ frequentata. Nam sensus est: fama fidei vestræ multùm lateq; per varias mundi partes diffunditur. Etenim Romani iam antè fidem Christi susceperant, idque Petro Apostolo prædicante: quemadmodum hoc loco testatur Chrysostom.

Hyperbole.

Cæterùm, non tam propter annunciationem fidei, quàm propter ipsam fidem annunciatam gratias Deo se agere significat Apostolus. Sic enim in aliis epistolis pro fide, charitate, bonis operibus & profectu pietatis eorum ad quos scribit, Deo gratias agit: tametsi ipsa quoque annunciatio & celebratio fidei, beneficium Dei erat gratiarum actione dignum. Itaque *sensus est*: Gratias ago Deo pro fide vestrâ, quæ tanta est, ut fama ejus uniuersum mundum pervagetur. Hinc quoque disce, fidem esse donum Dei per Christum; quod etiam ex hoc loco docet Prosper contra *coll. cap. 36. & lib. 1. de voc. gent. cap. 23.*

9. TESTIS ENIM MIHI EST DEUS. Græcè non *mihi*, sed *meus*. Propter quod negat Caietanus Paulum hîc jurare, eò quòd non invocationem, sed narrationem, sonet, Deus est testis meus. Sed meliùs S. Thomas, aliique Patres in commentariis, & S. Aug. *lib. 1. de serm. Domini in monte*, invocationem divini testimonii, & proinde juramentum hîc agnoscunt. Neque enim interest, sive dicatur meus, sive mihi Deus est testis, aut sit testis: modò sit voluntas adhibendi Deum testem.

Jurat hoc loco Apostolus.

Eodem prorsus modo loquitur Paulus *Philip. 1.* Sed nec ibi quisquam, ne Caietanus quidem, negat eum juravisse. Jurat ergo Paulus non temerè, nec sine justâ necessitate (quod solum juramentum Christus prohibet *Matth. 5.* De quo vide commentarium nostrum *Iacob. 5.*) sed quòd sciret, ad stabiliendam suæ prædicationi fidem & authoritatem plurimùm referre, si Christiani qui Romæ erant, quorum multi Judæi Paulo alioqui parum æqui, de ipsius piâ solicitudine quam erga eos gerebat, benè essent persuasi. Refertur enim hoc juramentum ad illud sequens, *Quod sine intermissione memoriam vestri facio*, &c.

CUI SERVIO IN SPIRITU MEO IN EVANGELIO FILII EJUS. *Cui servio*, scilicet cultu divino, quem significat Græca vox λατρεία in plerisque Scripturæ locis, & maximè in illo præcepto, *Soli Deo servies.* Similiter loquitur Act. 27. *Astitit mihi Angelus Dei, cui deservio.* Latiniùs diceretur *quem colo. In spiritu meo*, id est, cultu interno & spirituali, qui consistit in fide, spe, & charitate; & non tantùm cultu exteriori, vt faciunt carnales Judæi. Vel sic: *In spiritu meo*, id est cum animi sincerâ promptitudine & alacritate. *In Evangelio filii ejus*, subaudi, annunciando, prædicando, propagando. Vel sensus est, in negocio Evangelii.

Loc. Moral. De zelo animarum & cura salutis alienæ in Prælatis, Pastoribus & Rectoribus populi.

QUOD SINE INTERMISSIONE MEMORIAM VESTRI FACIO SEMPER IN ORATIONIBUS MEIS. *Sine intermissione*, ad memoriam faciendam; *semper*, ad orationes referendum; Sic enim etiam ad Tim. scribit 2. epist. 1. *Gratias ago Deo, quòd sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die.* Non solùm ergo significat se quoties oraret, Romanorum apud Deum meminisse, eosque Deo commendare, verùm etiam, juxta id quod alibi præcipit 1. Thess. 5. semper orare. Sunt autem eadem Apostolo, *semper, sine intermissione, nocte ac die.*

Porrò semper orat, juxta Augustinum *hæresi 57.* qui nullo die intermittit certa orandi tempora. *Aut*, secundùm alios, qui frequenter & quasi assiduè orat, sive is certa & constituta habeat orandi tempora, sive non. Quæ expositio simplicior est & verior. Nam Christus Luc. 18. dicens: *Oportet semper orare:* & Apostolus 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate*, loquuntur ad omnes: nec tamen omnes tenentur ad certa orandi tempora. Est igitur hyperbole, quâ frequentia cum studio significatur: qualis Luc. 2. de Anna prophetissa; *quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.* & cap. 24. de Christi discipulis; *Et erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum.*

Quo sensu semper oret.

10. OBSECRANS SI QUOMODO TANDEM ALIQUANDO PROSPERUM ITER HABEAM IN VOLUNTATE DEI VENIENDI AD VOS. Hæc congeries adverbiorum, *si quomodo, tandem, aliquando*, significat ardens desiderium ac votum Pauli ad consequendum id quod scribit, hoc est, ad visendum Romanos. *In voluntate Dei*, id est, per voluntatem Dei, Deo volente. *Sensus*: Obsecrans Deum inter alia, ut juxta vehemens animi mei desiderium ipsi placeat, iter meum quamprimùm ad vos dirigere & prosperare. Unde sequitur.

11. DESIDERO ENIM VIDERE VOS, id est, vobis adesse. VT ALIQUID IMPERTIAR VOBIS GRATIÆ SPIRITUALIS Græcè, *vt aliquod tradam donum vobis spirituale.* Est enim χάρισμα, quod de iis donis accipi solet, quæ dantur ad aliorum utilitatem; de quibus hujus *epistolæ c. 12. & 1. Cor. 12.* tametsi potest etiam ad alia extendi. Causa tanti mei desiderii non alia est, inquit, quàm ut, suprà ea quæ jam accepistis, aliquid adhuc donorum seu gratiarum spiritualium vobis per meum ministerium impertiar.

AD CONFIRMANDOS VOS. Græcè: *ad confirmari vos.* Id est, quò fiat saltem ut confirmemini in donis acceptis.

12. ID EST SIMUL CONSOLARI IN VOBIS PER EAM QVÆ INVICEM EST FIDEM VESTRAM ATQUE MEAM. Consequenter vertendum erat: *id est* (Græcè *id autem est*) *ad simul consolandum*; quia præcessit, *ad confirmandos vos*: nisi (quod quibusdam placet) hæc pars ad verbum *desidero* referatur; desidero videre vos, id est simul consolari in vobis. Verùm multò meliore sensu refertur ad proxima. Mitigat enim Apostolus hac expositione, & quasi corrigit quod de confirmandis Romanis dixerat; verbumq; confirmandi, mutat in consolandi. Deinde sic loquitur tanquam ipse viciſſim à Romanis fructum aliquem accepturus sit spiritualem. Quæ omnia faciunt ad benevolentiam conciliandam. *Sensus*: Id volo, ut communem atque unà vobiscum cònsolationem seu recreationem capiam ex mutuâ communicatione fidei vestræ & meæ. Porrò non est inepta expositio. Si quidem ipsa confirmatio fidei Romanorum futura erat Paulo, simul & illis, materia consolationis & gaudii.

Sunt qui verbum Græcum συμπαρακληθῆναι exponunt de mutua exhortatione. Nam & hanc significat. Ita *sensus* erit: ut mutua fidei communicatione invicè exhortemur. Quomodo dicit 1. Cor. 14. *Potestis omnes per singulos prophetare, ut omnes discant & omnes exhortentur.* Sensus non improbandus, quo declaratur insignis Pauli modestia: qui paratus sit etiam aliorum exhortationes audire, & ex iis fructum sibi speret. Obiter admoneo nonnullam esse in Græco textu diversitatem. Nam plerique codices sic habent: τοῦτο δὲ δεῖ συμπαρακληθῆναι. Laurentius verò sic legit: τοῦτο δὲ εἰς τὸ συμπαρακληθῆναι. juxta quam posteriorem lectionem non poterit omninò pars ista ad verbum *desidero*, referri.

Loc. Moral. De Modestia Apostoli imitanda. Ne quis se prudentiorem putet, quam vt ab alio instrui debeat. Nota quod sæpius vsu venit.

13. NOLO AUTEM VOS IGNORARE FRATRES, QUIA SÆPE PROPOSUI VENIRE AD VOS. *Quia* pro *quod*, Græcè ὅτι, ferè perpetuum nostro interpreti.

Quod semel admonuisse sufficiat. Excusat Apostolus cur desiderio nondum satisfecerit, docens conatum sibi non defuisse, sed facultatem. Id enim est quod sequitur.

(ET PROHIBITUS SUM USQUE ADHUC (Parentheticè legendum est. *Et*, copulativa conjunctio ponitur pro adversativâ, *sed*, vel *etsi*. *Prohibitus*, id est, impeditus. De hoc impedimento, quale fuerit, habemus infrà *cap.* 15. ubi commemorat Apostolus se prædicando in aliis regionibus Evangelio occupatum, eáque occupatione plurimum impeditum fuisse, quo minus adhuc Romanos invisérat.

Loc. Moral. De syncéritate intentionis in prædicando Evangelio.

UT ALIQUEM FRUCTUM HABEAM ET IN VOBIS, SICUT ET IN CÆTERIS GENTIBUS. Conjunctionem *&* priori loco malè quidam codices omittunt: Habetur enim in Græcis & Syris & Latinis castigationibus: necnon in textu com. Amb. Referenda est hæc pars ad illud superius, *proposui venire ad vos*: Significat enim causam finalem desideratæ suæ profectionis ad illos, id est, fructum ex iis colligendum Evangelii prædicatione, sicut jam collegerat ex aliis gentibus. De quo fructu Dominus Joan. 15. *Elegi vos*, inquit, *& posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Hic ergo fructus est fides & salus populorum. Hunc fructum Paulus suum vocat, dicens: *ut aliquem fructum habeam*: qiua licet totus esset Domini, suo tamen ministerio colligendum sperabat, ac Domini lucrum, suum reputabat.

14. GRÆCIS AC BARBARIS, SAPIENTIBUS ET INSIPIENTIBUS DEBITOR SUM. Potest sic verti: *Græcis æquè ac Barbaris, sapientibus æquè & insipientibus debitor sum*: vel hoc modo: *Tam Græcis quàm Barbaris, tam sapientibus quàm insipientibus.* Hæc dicit, ne fortè Romani cogitarent se neque barbaros esse, neque rudes & insipientes, qui Paulo doctore egerent. Græcorum nomine Romanos etiam, id est, Latinos, comprehendit. Nam cæteri omnes populi, propter incultiorem sermonem Barbari à Græcis & Romanis vocabantur.

Qui per Græcos, qui per Barbaros hîc intelligendi sint.

Sapientes intelligit eos qui vulgò sapientes dicebantur, id est, sæculari Philosopiâ imbutos; insipientes verò, qui eâ sapientiâ carebant. At generaliter sapientes, doctos; insipientes, indoctos. Quibus omnibus Paulus se profitetur debitorem ex injuncto sibi munere Apostolatus: debitorem, inquam, annunciandi & docendi Evangelii. Hanc enim doctrinam nec Græci, nec Philosophi perceperant.

15. ITA (QUOD IN ME) PROMPTUM EST ET VOBIS QUI ROMÆ ESTIS EVANGELIZARE. Pro *ita*, multi codices habent *itaque*, & Græcè quidem est οὕτω, *sic, ita*, sed hoc loco vim habet illationis, & per *itaque* exponendum, ut sit *sensus*: Et ideò quantum in me est, modò cessent impedimenta, animi promptitudo mihi adest, id est, promptus &paratus sum etiam vobis Romanis coram evangelizare. *promptum*, πρόθυμον, id est, promptitudo, Græcismus est, ut & sequenti cap. χρηστὸν, id est, benignitas.

Particula, *quod in me*, Græcè, τὸ κατ' ἐμὲ, quâdam antithesi respondet ei quod suprà dixit: *In voluntate Dei*, quasi dicat; Ego quidem vehementer volo; modò ea sit etiam Dei voluntas, *Evangelizare*, quod Græcè dicitur εὐαγγελίζειν & εὐαγγελίζεσθαι, idem est quod bonum ac lætum nuncium adferre. Quibus verbis Græcis, in hac quidem significatione primùm usi fuerunt LXX. interpretes, interdum generaliter, ut 2. Reg. 18. aliàs autem ac multò frequentiùs specialiter, ad significanda lætissima novi Testamenti promissa, ut Psal. 67. & 95. Isa. 40. 52. & & 61. & Nahum 1. Inde manavit horum verborum usus ad Apostolos, ejusdem novi Testamenti promulgatores, in quorum scriptis passim occurrunt hac speciali significatione. Unde & verbale Evangelista.

Notandum quoque verbum medium εὐαγγελίζ, non activè solum usurpari, ut hîc & aliàs sæpè, sed interdum etiam passivè, *Matth. 11. Luc. 7. Hebr. 4.*

16. NON ENIM ERUBESCO EVANGELIUM. Græca addunt *Christi*. Verùm Tertullianus eo non addito sic legit: *Non enim me pudet Evangelii*. lib. 5. adversus Marcionem cap. 13. Syrus quoque interpres non agnoscit, ut nec Latinorum commentarii. Evangelium vocat hoc loco Paulus vel Euangelii prædicationem vel ipsam rem prædicatam, ut Christum crucifixum, ac si diceret: Quamvis Christum esse crucifixum, & hoc ipsum palam prædicare pro Evangelio, probrosa res & stulta videatur; non tamen illius me pudet. Ratio sequitur;

Loc. Moral. De magnanimitate & generositate spiritus in causa Christi.

VIRTUS ENIM DEI EST IN SALUTEM OMNI CREDENTI. Hîc jam aggreditur Apostolus materiam hujus Epistolæ principalem, de quâ in argumento diximus; eamque totam hac ipsâ sententiâ brevissimè complexus est. Virtus, Græcè δύναμις, id est, potentia. Porrò salus hominis secundùm scripturam intelligitur, non tantùm in vitâ æternâ, quæ est consummata salus, sed etiam in ejus justificatione, quæ est inchoata salus; & habetur in hac vitâ. Quo sensu dicit ad Ephes. 2. *Gratiâ estis salvati per fidem.* Et ad Tit. 3. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Sic autem generaliter salutem accipi hoc loco, manifestum est ex iis quæ statim sequuntur.

Salus hîc generaliter sumitur.

Syrus interpres salutem hîc & alibi vitam exponit, sed æquè generali significatione, quomodo sæpe apud Joannem accipitur. *Sensus verborum est*: Evangelium, id est, evangelica prædicatio seu doctrina per divinam virtutem efficax est, ad præstandam salutem, id est, justitiam & vitam æternam, cuilibet credenti: quia nimirum Deus Evangelio velut instrumento vult uti ad salvandum homines quibus Evangelium prædicatur. Placuit enim divinæ sapientiæ, ut ait idem Apostolus 1. Corinth. 1. *Per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Unde & ibidem affirmat: *Verbum crucis iis qui salvi fiunt, esse Dei virtutem.*

Dicit autem, *omni credenti*, non quòd omnis quomodocunque verè credens Evangelio, salutem aut justitiam consequatur, ut ex hoc loco & similibus malè colligunt hæretici: sed quia fides quâ creditur Evangelio, medium est per quod Deus ordinavit homines justitiam & salutem adipisci. Quam & certissimè consequentur, si faciant & persistant in eo quod fides monstrat faciendum.

Non favet hic locus sectariis.

Alii credentem intelligunt corde perfecto, id est, qui non solum fidem adhibeat verbo prædicationis, sed præterea facere paratus sit ea, quæ fides monstrat facienda: quod est obedienter credere. Quæ expositio consentanea est aliis scripturæ locis, tam apud hunc Apostolum, quàm alibi; velut Joan. 3. *Ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et cap. 7. *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Juxta hunc igitur intellectum absoluta sententia est, Evangelium adferre salutem omni credenti: ut fides intelligatur non qualiscumque, sed formata bona & efficaci voluntate faciendi quod Evangelium præscribit. De quâ re pleniùs infrà ad illud: *Justus autem ex fide vivit.*

JUDÆO PRIMUM ET GRÆCO. Hoc est, Judæo imprimis, deinde & Græco. Nam copula pro particula ordinis Hebræo more posita est. Græcum intelligit Gentilem quemcunque, etiam Barbarum. Non enim Barbaro, ut paulo antè, sed Judæo Græcus hîc opponitur. Ratio tam generalis acceptionis est, quod lingua Græca per Gentes maximé esset communis: adeò ut etiam apud Barbaros ejus usus plurimùm invaluisset. Judæorum verò nomine etiam proselyti comprehenduntur.

Dicit autem *primùm Judæo*, vel quia priùs tempore annunciatum est Evangelium Judæis quàm Gentibus, ut exponit Chrysostom.: vel *primùm*, id est, potissimùm, quia promissio salutis per Christum dandæ,

non gentibus, sed Judæis facta fuerat. Hunc sensum confirmant ea quæ passim de Judæorum prærogativâ dicuntur in hac epistola, ut *cap.* 3. 9. 11. *&.* 15.

17. JUSTITIA ENIM DEI IN EO REVELATUR EX FIDE IN FIDEM. Particulam *in eo* ad credentem refert Ambros. commentator. Verùm alii multò rectiùs ad Evangelium. Probat enim Paulus Evangelium esse Dei virtutem in salutem omni credenti; quia in eo, scilicet Evangelio, revelatur justitia Dei ex fide. Dicit autem revelatur ἀποκαλύπτεται, quia de mysterio loquitur ab humanis sensibus abscondito. Dei justitiam veteres quidam interpretati sunt eam justitiam quâ Deus ipse justus est, & fidelis in promissis. Theodoritus justitiam Christi hominis intellexit, quâ nobis redemptionem & salutem promeruit.

Sunt & qui Christum ipsum Dei justitiam interpretentur. Verùm si expendamus ea quæ sequuntur, & attendamus ad scopum Apostolicæ doctrinæ, nec non ad similia loca Scripturæ, præsertim apud hunc eumdem Apostolum, certò comperiemus, justitiam Dei non eam intelligi quâ Deus aut Christus justus est, nec Deum aut Christum ipsum: sed justitiam quâ justus est homo.

Quæ quidem justitia Dei vocatur duplici ratione: *vel* quoad à Deo sit, ut justitia Dei dicatur quâ Deus hominem donat, induit & afficit, dum eum justificat; sic enim loquitur Apostolus Philip. 3. *Et inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est: sed illam quæ ex fide est Christi quæ ex Deo est justitia in fide.* Hanc rationem adferunt hoc loco Chrysost. Theophylact. aliique Græci, nec non August. *lib. de spir. & lit. c. 9. & 11.* Simili ratione dictum est Psalm. 3. *Domini salus*, id est, ea quæ est à Domino. Item Psal. 59. & 107. *salus hominis*, quæ est ab homine: ut Hieronymus ex Hebræo interpretatur. Vel justitia Dei dicitur, id est vera justitia, quâ nimirum quis verè coram Deo justus constituitur. Veram enim justitiam qui habent, more Scripturæ coram Deo vel ante Deum justi dicuntur: ut Noe *Genes.* 7. Zacharias & Elizabeth *Luc.* 2. Rationem hanc confirmant etiam quæ dicuntur infrà de justitia & justificatione coram Deo, ut cap. 2. *Non auditores legis justi sunt apud Deum.* Et cap. 3. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo.* Ubi & gloriam Dei vocat, quæ coram Deo est, quemadmodum illic declarabitur. Utraque ratio valde bona est: tametsi posterior meo judicio magis ab Apostolo spectata.

Quid hîc significet justitia Dei.

Variant hîc interpretes.

Sequitur ut exponamus illam partem, *ex fide in fidem.* Cujus obscuritas plurimas peperit interpretationes: maximè quòd ea phrasis nusquam extet alibi in tota Scriptura sacra. Nam & illud dubitatur, cum quo conjungi & construi debeat hæc pars, utrum cum verbo proximo *revelatur*, ut multis visum est; an verò cum *justitia Dei.*

Igitur multi sensum reddiderunt hujusmodi: Justitiam Dei revelari ex fide veteris Testamenti in fidem Novi, ex fide prophetarum in fidem Apostolorum, ex fide patrum in fidem filiorum. Tertullianus loco suprà citato; *Ex fide legis in fidem Evangelii.* Hæc enim omnia ferè idem volunt, nempe, justitiam Dei, quam in veteri Testamento sub umbris & figuris latentem tenuerunt antiqui patres, & prædicaverunt Prophetæ, eamdem nunc remotis figuris ac discussis umbris revelari nobis filiis per prædicationem Apostolorum: ita ut quæ illi crediderunt ventura, nos jam credere debeamus exhibita.

His expositionibus affine videri cuipiam posset quod Oecumenius ex Acacio deprompsit; *Judæo quidem ex fide in fidem quæ per Christum est: Græco autem ex fide naturali, in eamdem Jesu Christi fidem.* Verùm facessat hoc glossema cum authore suo Acacio homine Ariano. Nullam enim fidem præter eam quæ in Christo est, Apostolicæ literæ commendant.

Sedulius ita exponit: *Ex fide Dei promittentis, in fidem hominis credentis.* Idem aliter: *Ex fide Judæi, in fidem gentilis.* Idē aliter: *Ex fide prædicantium, in fidem credentium.* Quorum primum accepit ex comment. Amb. Secundum ex comment. Pelagii; tertium ex Augustini libro de spiritu & litera cap. 11. Idem Augustinus lib. 2. quæst. Evang. cap. 39. reddit hunc sensum: *Ex fide verborum quibus nunc credimus quod nondum videmus, in fidem rerum quâ in æternum, quod nunc credimus, obtinebimus.*

Sunt præterea qui sic exponunt; Ex fide præteritorum in fidem futurorum: quoniam videlicet non satis sit credere Christum pro nobis natum, passum, resurrexisse, nisi credamus etiam nos in illo debere renasci, & ei compati, & cum eo resurgere. Rursus alii sic: *Ex fide in fidem*, id est ex fide cujusvis temporis atque ætatis. Putant enim similem esse phrasim cum illa, *à generatione in generationem*, id est, per omnes generationes.

Notandum autem expositiones jam datas ferè in eo convenire, quod hanc partem *ex fide in fidem* referant ad verbum *revelatur.* Atqui ad institutum Apostoli multo est accommodatius, ut referatur ad justitiam Dei. Hanc enim docet esse ex fide, idque per Evangelium mundo annunciari. Tantùm illud difficultatem habet, cur non contentus dixisse *ex fide* addere voluerit *in fidem*, vel *ad fidem.* Utrumlibet enim verti potest ex Græco.

Constructio probabilior.

Nonnulli verò sic ordinant & exponunt: Justitia Dei quæ est ex fide, per Evangelium revelatur in fidem, sive ad fidem, scilicet multorum, id est, hoc fructu, ut multi credant & justificentur. Sed ea divulsio mihi satis violenta videtur. Prorsus enim apparet hæc in syntaxi conjungenda esse: *ex fide in fidem*; sicut omnes ferè conjungunt.

Est autem probabilis sensus, quem adfert Joannes Hesselius scribens *in 1. Petr. 1.* ut justitia dicatur esse ex fide in fidem, videlicet Dei, id est ex fide quâ creditur Deus fidelis in promissis: de quâ fide dicitur infrà cap. 3. *Nūquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* Sic enim & Petrum dixisse, nos custodiri per fidem in salutem, id est, per eam fidem quâ salutem venturam credimus. Cui sensui non malè quadrat subjunctum ex Propheta testimonium, quo dicitur justus vivere ex fide, scilicet promissionum Dei.

Nihilominus illa nobis admodum probatur interpretatio, quam suppeditant Theophylactus & Oecumenius, quámque Sasboldus, Pererius, Emanuel & alii libenter amplectuntur. Ea quidem hujusmodi est: *Ex fide in fidem*, id est, ex fide promovente ac subinde augescente: ut sit Hebraismus, qualis in Psalm. 83. *Ibunt de virtute in virtutem*, id est, subinde majora capient suæ virtutis seu fortitudinis augmenta. Nam in Græco forma sermonis planè eadem est, ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν & ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Simile & illud Psal. 143. *Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud*: id est, aliam post aliam fructuum speciem copiosè subministrantia. Hanc verò expositionem intentioni Paulinæ congruere, docet ac declarat subjuncta ejus probatio ex Propheta dicente: Justum ex fide vivere: tanquam non satis sit ad justitiam semel credidisse, sed oporteat justitiam adeptam semper ex fide nutriri.

Sensus maximè probabilis.

Itaque nobis videtur totius sententiæ hunc quàmmaximè probabilem sensum reddi posse. Vera justitia, qua quis coram Deo justus est, in Evangelio, id est, per Evangelii prædicationem, nunc passim omnibus revelatur, & clarè annunciatur: ea, inquam, justitia, quæ non ex lege, ut Judæi putant, neque ex viribus naturæ, ut Græci, sed ex fide comparatur & ex fide continuò nutriri, conservari, augeri & perfici debet. Hanc sententiam sic intellectam, optimè probat Apostolus per id quod sequitur;

SICUT SCRIPTUM EST, apud Prophetam Habacuc

cap. 2. JUSTUS AUTEM EX FIDE VIVIT. Rectiùs in futuro *vivet*. Sic enim multi iidemque meliores habent codices, Græcis etiam & Syris aſtipulantibus. Nam & apud ipſum Prophetam in Hebræo futuri temporis verbum habetur. Et LXX. quoque interpretes futurum reddiderunt. Eadémque lectio eſt in Græco ad Galat. 3. & ad Heb. 10. quibus locis eadem ſcriptura citatur. Quamvis autem ea vera ſit lectio; non tamen ſenſus eſt, eum qui juſtus eſt, poſtea victurum; ut juſtitia præcedat, vita ſequatur: quomodo comm. Amb. expoſuit, vitam intelligens futuri ſæculi. Nam alioqui & id quod apud Prophetam proximè antecedit, *Qui incredulus eſt, non erit recta anima ejus in ſemetipſo*, ſimiliter exponendum eſſet, ut quis priùs incredulus ſit, ac poſteà animam habeat non rectam: Quod & falſum eſſe conſtat, & alienum à mente Prophetæ.

Sed verbo futuri temporis uſus eſt, vel quia tamquam Propheta de futuris loquebatur, ac ſi diceret: Futurum eſt ut juſtus ex fide vivat, dum promiſſionem exſpectat: vel quia futurum tempus ſervit continuationi ac perpetuitati ſignificandæ. Nam juſtus ita vivit ex fide, ut ex ea vivere non deſinat, uti mox docebimus. Jam nec magni momenti eſt ea diverſitas, quod cum Hebræa veritas habeat *in*, id eſt, *ex fide ſuâ*, & LXX. verterint, *ex fide meâ*: Paulus hoc loco & in epiſtola ad Galatas abſolutè dixerit, *ex fide*. Facilè enim pronomen *ſuâ* ſubauditur.

Cur autem LXX. pro ſuâ, meam reddiderint, rationem apud Hieronymum require in commentario ſuper Habacuc: tametſi rectè dicitur *meâ*, id eſt Dei (Deus enim loquitur) quia fides eſt quâ Deo creditur, & quæ nemini niſi Dei munere contingit. Quamquam quod eodem loco poſt multa dicit Heronymus, Apoſtolus in hac ad Romanos epiſtola citaſſe teſtimonium Prophetæ juxta LXX. verſionem, ejúſque rei rationem reddere conatur, memoria lapſum arbitror, ut in hac epiſtola ſcriptum putaret, quod legerat in epiſtola ad Hebræos. Nam in ea maximè ſolet Apoſtolus citare veteris ſcripturæ teſtimonia ſecundùm LXX. licet in Græcis hoc teſtimonium nunc non ita habeatur. Accedit autem quod in Latinis legitur: *Juſtus autem meus ex fide vivit*. Sed ea res ſuo loco diſcutietur.

Ut autem ad ſenſum Prophetici teſtimonij veniamus; Cajetanus quidem ita diſtinguit & exponit: Qui ex fide juſtus eſt, is vivet vita ſalutis æternæ. Cujus diſtinctionis etiam Hieronymus meminit in comm. epiſt. ad Gal. verùm ea diſtinctio primùm quidem haud congruit iis, quæ à Propheta dicuntur, ut cuivis legenti manifeſtum eſt: Deinde & à mente Pauli aliena eſt. Non enim hoc loco, ut nec aliis in quibus hoc teſtimonium citat, intendit duos introducere juſtos, unum qui ſit juſtus ex fide, & proinde victurus; alterum qui non ex fide, ſed aliunde juſtus ſit, ideóque non victurus. Sed ſimpliciter juſtum nominat, docétque unde qui juſtus eſt vivat, id eſt juſtitiæ vitæ vitam habeat, ſcilicet ex fide. Sic enim diſtinctè loquitur Gal. 2. *Quod autem nunc vivo in carne*, nempe vitam juſtitiæ, *in fide vivo filij Dei*. Eſtque ſimilis locutio, cùm dicimus aliquem ſpe vivere, ali, ſuſtentari.

Senſus Apoſtoli, quo etiam ſecunda juſtitia comprehenditur.

Tenenda igitur eſt diſtinctio, quam communiter omnes tradunt, ſententiam ita ordinantes: Juſtus vivit ex fide: *Senſus* autem eſt hujuſmodi; Juſtus in quantum juſtus eſt, vivit ex fide: ut qui vitam juſtitiæ neque adipiſci potuerit niſi per fidem; neque retinere eam poſſit, & in eâ permanere; neque in ea creſcere & proficere, niſi per fidem. Ac breviter; Tota vita juſti quâ juſtus eſt, ex fide eſt: quia tota ejus juſtitia ab initio uſque ad finem ex fide eſt.

Ex quo ſenſu liquet juſtititiam hîc non eam ſolam intelligi, qua quis ex impio fit juſtus, quam nulla proſſus antecedunt bona merita, & quæ prima juſtitia vocatur: ſed eam prætereà comprehendi, quâ quis in acceptâ juſtitiâ progreditur ac proficit, quam vocant ſecundam juſtitiam. Et certum eſt Apoſtolum in hanc ſua diſputatione, qua præcipuè de prima juſtitia agere videtur, etiam de ſecunda admiſcere ſermonem: velut cùm docet Abraham ex fide juſtificatum eſſe, quia ſcriptum eſt: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam*. Jam antè enim juſtus erat: quemadmodum & Phinees, de quo dicitur Pſal. 105. *Stetit Phinees & placavit; & reputatum eſt ei in juſtitiam*. Tale eſt & illud Mattathiæ 1. Mach. 2. loquentis de Abraham per juſſionem immolandi filij tentato, quando procul dubio juſtus erat: *Abraham*, inquit, *nonne in tentatione inventus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad juſtitiam?* Quin ipſe Apoſtolus Heb. 10. citans hanc prophetæ ſententiam, manifeſtè refert eam ad conſervationem juſtitiæ. Sic & Petrus 1. epiſt. 1. dicit per fidem nos cuſtodiri, id eſt, in accepta juſtitia conſervari, in ſalutem.

Quæ cùm ita ſint, nihil eſt quod nos cogat teſtimonium prophetæ, mentemque Pauli reſtringere ad eum ſolum qui ex peccatore juſtus futurus ſit, & cum quibuſdam hunc ſenſum reddere; Qui peccator eſt, & juſtus eſſe deſiderat, vitam gratiæ per fidem accipiet. Satis enim jam liquet ex dictis, latiùs hanc patere ſententiam, ac neceſſariò debere extendi ad omnem hominem juſtum, quantumcunque etiam in hac vita fuerit juſtificatus. Quamdiu enim juſtus per fidem ambulat, ex fide vivit. Et ſanè per abſurdum eſt ſentire quod peccator ex fide victurus ſit, ut juſtificetur: idem autem juſtificatus, deinceps ex fide vivere deſinat.

Porrò quæ fides hîc intelligatur, jam ſuperiùs ex parte diximus ad illud *omni credenti*. Pleniùs autem idipſum nunc explicantes dicimus, eam intelligi fidem qua creduntur *vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atque illud imprimis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu*. His enim verbis fidem juſtificantem exponit ſynodus Tridentina *ſeſſ. 6. cap. 6.* Sed quia ſecundam juſtitiam diximus etiam hîc comprehendi, addendum eſt: qua credimus etiam juſtum à Deo juſtificari progreſſu quodam & incremento juſtitiæ, per gratiam ejus, &c. Quæ fides intelligatur.

Notandum deinde, ſic Apoſtolum de fide loqui in hac epiſtola, ut etiam ſpem atque fiduciam remiſſionis peccatorum ac juſtitiæ conſequendæ, cæterorúmque bonorum quæ à Deo promiſſa ſunt, includat, etiam cum bona voluntate placendi Deo & implendi mandata ejus. Expendantur quæ de fide diſſerit *infr. cap. 3. & 4.* ac rurſus *cap. 9. 10. & 11.* His enim locis nuſquam à fiducia & bona voluntate eam ſejungit; tamquam hæc ſimul uno fidei nomine complectens. Quod quidem Prophetæ locus hîc citatus manifeſtè etiam docet, quemadmodum facilè patebit locum ipſum diligenter examinanti.

Neque tamen negandum, quod ſectarij negant, aliàs ſepè fidem pro ſimplici credulitate & perſuaſione quâ revelatis à Deo myſteriis aſſentimur, accipi. Loca enim ſunt apertiſſima *1. Corinth. 13. Iacob. 2. Ioan. 12.* atque etiam *Heb. 11. & alibi*. Sicut ergo ex his locis conſtat eſſe aliquam fidem informem & mortuam; ita in illis commendatur nobis fides excitata & viva, ut quæ non tantùm cum ſpe & fiducia ſit conjuncta, verùm etiam bona voluntate formata, ſicut antè diximus.

Ex hac igitur fide vivit juſtus, quia quod juſtus eſt ac juſtè operatur, & in juſtitiâ proficit ac perſeverat habet ex hac fide tanquam initio, fundamento & radice, denique ut ex cauſa imperante: quemadmodum id per ſingula declarabitur infrà ad illud cap. 3. *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem*. Hujus autem doctrinæ ratio potiſſimùm referenda eſt ad conſilium & voluntatem Dei, quâ ſapientiſſimè

sic ordinavit, ut nemo post lapsum peccati restitueretur in statum justitiæ, nisi qui crederet in ipsum, & in Christum mediatorem ac redemptorem. Uult enim beneficium redemptionis & justificationis agnosci per fidem, ipsâque fide apprehendi.

In cujus rei typum olim vulnerati morsibus serpentum, non sanabantur, nisi qui serpentem æneum, quem Moyses erexerat pro signo, oculis aspexissent. *Num. 21.* Sic enim per Christum in cruce exaltatum nemini vitam ac salutem contingere, nisi qui credat in ipsum, id est, fidei oculis eum aspiciat, Christus ipse docet, *Ioan. 3.*

Porrò si quæras, an Paulus adducat testimonium Prophetæ in sensu literali, an mystico, an, ut quibusdam visum est, extensivo: Primùm respondeo sententiam Prophetæ generalem esse de fide promissorum Dei: quæ ita placet Deo, ut ad justitiam homini reputetur. Unde rectè specialiter applicatur sententia ad fidem salutis promissæ per Christum mediatorem. Verùm illud addo, Prophetam procul dubio vaticinari de Messia venturo, quum dicit, *quia veniens veniet & non tardabit*: Item loqui de fide in Messiam promissum justificante, quum dicit: *Justus autem in fide suâ vivet.* An autem hic sensus Prophetæ literalis sit, an verò superliteralis, id est mysticus, non adeò refert, dummodo fateamur à Spiritu sancto, & quidem principaliter esse intentum.

18. REVELATUR ENIM IRA DEI DE CEOLO SUPER OMNEM IMPIETATEM ET INJUSTITIAM HOMINUM, EORUM QUI VERITATEM DEI IN INJUSTITIA DETINENT. Apostolus constituta generali propositione qua continetur argumentum totius epistolæ, nempe justitiam ex fide quærendam esse, aliam nunc propositionem assumit, ex qua ad priorem illam confirmandam procedat. Ea hujusmodi est: Omnes homines esse impios, injustos, peccatores, & per hoc iræ Dei subjectos. Quos intellige, præveniendo fidem, de qua jam agitur. Hanc verò propositionem explicat partitione, qua eam rem docet primum de gentibus, hoc capite: deinde de Judæis, cap. 2. & 3. ubi demum ad principale redit institutum de justitia petenda ex fide; atque id ex præmissis hoc ferè modo colligit: Si omnes tam qui legem benè viuendi à Deo acceperunt, ut Judei, quàm qui studio sapientiæ operam dederunt, ut Græci, peccato & iræ Dei sunt obnoxij, non ergo ex lege neque ex operibus exspectanda est justitia, sed gratis habetur per fidem quæ est in Christo.

Jam igitur ad explicationem verborum Apostoli veniamus. Revelatur ira Dei per Evangelij prædicationem, dum in eo annunciantur hominibus pœnæ quas Deus impiis & peccatoribus comminatur. Est enim ira Dei non tantùm in percutiendo, verùm etiam in comminando. *Nam qui irascitur, interdum non percutit, sed tantummodò comminatur*, inquit Hieronym. in comm. super Abac. 3. hunc præsentem locum adducens. Quocirca Cajet. iram Dei exponit justitiam Dei vindicativam, ad quam pertinent etiam comminationes. Quamvis & ipsa vindicta secundum Aquinatem rectè intelligitur, non quidem præsens, sed impendens & parata.

Ira Dei quæ dicatur.

Illud *de cœlo*, quamquam jungi possit cum verbo *revelatur*, multò tamen rectiùs refertur ad illam partem, *ira Dei*, subaudito participio *ventura*: ut sit sensus: Per Evangelium annunciari vindictam Dei cælitùs superventuram & exercendam in impios Christo judice, quando descendet *in flamma ignis dantis vindictam*, ut dicitur 2. Thess. 1. Hinc etiam disce prædicatione Evangelij non solùm contineri doctrinam gratiæ salvantis, sed etiam justitiæ vindicantis: secùs quam novi quidam tradunt dogmatistæ.

Impietas & injustitia sic differre videntur, quòd impietatis nomine intelligatur quicquid committitur adversus cultum ac religionem Dei; injustitia verò cætera omnia peccata comprehendat: licet hæc duo ferè confundat Apostolus in sequentibus hujus epistolæ, ubi de peccatoris justificatione disserit. Quicumque enim coram Deo justus non est, is Apostolo injustus & impius dicitur, id est, peccator.

Veritatem Dei in injustitia qui detineant.

Porrò veritatem Dei in injustitia detinent, qui veram quam de Deo assecuti sunt notitiam, per injustitiam, id est, pravitatem suæ voluntatis supprimunt, ac veluti captivam intra se tenent; dum vel non communicant eam aliis, vel non ostendunt per opera pietatis, sicut ille qui dicit Jacob. 2. *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*: sed magis ad conditoris injuriam divinos honores creaturis tribuunt. Hæc de Græcorum Philosophis dicit: quorum etsi quidam, ut mox dicetur, ad unius Dei notitiam philosophando pervenerint, ut Pythagoras, Socrates, Planto, Aristoteles & alij: quibus adde Hermetem Trismimegistum sacerdotem & Philosophum Ægyptium, Senecam philosophum & Senatorem Romanum Paulo σύγχρονον: nemo tamen omnium Deum cognitum aut coluit ut debuit, aut colendum prædicavit. Ex quibus Plato ne quidem evulgandam putavit eam quam perceperat unius Dei notitiam: sed iis solis communicabat, quibus ut amicis ac sapientioribus, animi sui sententiam auderet aperire: quemadmodem ex ipsius scriptis ostendit Eusebius *l. præpar. evang. c. 9.* Quò pertinent etiam hæc ipsius verba Platonis in Timæo: *Parentem & opificem universorum neque facile, neque inventum in vulgus promulgare tutum est.* Igitur metu vulgi, veritatem Dei apud se suósque paucos detinuit hic tantus philosophus.

Quod autem hic apud Græcos, id apud Latinos Seneca: De cujus simulatione metu legum expressa, vide quæ ex ipsius scriptis adfert Augustinus lib. 6. de civit. Dei cap. 10. ita tandem de eo concludens: *Sed iste, qui illustris populi Romani senator erat, colebat quod reprehendebat: agebat quod arguebat: quod culpabat adorabat*: idque *propter leges civium, morésque hominum*: videlicet *eò damnabilius, quod illa quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret.* Hæc Augustinus. Qui & in *lib. de vera rel. cap. 5.* philosophos in universum notat, quod eadem sacra susciperent cum populis, & de deorum natura ac summo bono diversas in scholis sententias traderent. Quod ad textum attinet, ubi nos habemus *veritatem Dei*, in Græco quidem & Syriaco non additur *Dei*, nec in Græcorum commentariis legitur: ut nec apud Tertullianum citantem hunc locum *lib. 5. adversus Marc.* Rectè tamen intelligitur. Nam de veritate quâ Deus agnoscitur, Apostolum loqui palàm est ex sequentibus.

19. QUIA QUOD NOTUM EST DEI, MANIFESTUM EST IN ILLIS. Græcè: *quia notum Dei*, vel *eò quòd notum Dei*, &c. Quamquam *notum* Grecè γνωστὸν etiam verti potest *cognoscibile*, ut sensus sit: Propterea quòd ea quæ de Deo naturali lumine intellectus ab homine cognosci possunt, fuere *in illis*, id est, apud illos manifestè & evidenter cognita: cujusmodi sunt Deum esse unum, æternum, mundi principem & gubernatorem, actum purum, & similia. Non defuerunt, inquit, inter illos qui hæc cognoscerent, tametsi alij plus, alij minùs.

Quidam volunt, *in*, propositionem redundare, ac si tantùm dixisset *manifestum est illis*, quemadmodum redundat apud Petrum 1. ep. 1. cùm dicit *hereditatem conservatam in vobis.* Quod quidem non improbabile est. Convenit enim cum eo quod sequitur: *Deus enim illis manifestavit.* Dicit autē *quod notum* seu *cognoscibile est*, ad differentiam eorum quibus cognoscendis non sufficit naturale lumen humanę mentis; quale est mysterium Trinitatis: malè his quæ per naturam de Deo cognosci possunt, à Pelagio annumeratum.

Sciendum tamen etiam sic verti posse: *quia notitia Dei manifesta est eis*, quomodo vertit Stapulensis, ut concretum

concretum ſit poſitum pro abſtracto, veluti ſuprà *promptum*, id eſt, promptitudo. Jam ex eo quod dicit *manifeſtum eſt illis* vel *in illis*, rurſus colligi poteſt, ut benè colligit Cajetanus, ea quæ philoſophi de Deo noverunt, demonſtratione illis cognita fuiſſe. Nam quæ ſola fide cognoſcuntur, non evidentiam, ſed obſcuritatem habent. Ne tamen etiam illius naturalis boni principium in ſeipſo quis ſtatuat aut quærat; ita ſubjungit.

Manifeſtare & revelare differunt.

DEUS ENIM ILLIS MANIFESTAVIT. Non dicit revelavit, quaſi infuſo lumine fidei, ſed *manifeſtavit*, id eſt, manifeſtò & evidenter eos cognoſcere fecit, ſcilicet per lumen naturæ, uti jam dictum eſt, & verbis ſequentibus explicabitur. Simile eſt illud Pſal. 93. *Qui docet hominem ſcientiam.* Neque enim dubitandum, quin omne bonum tam intellectus quàm voluntatis, etiam quod ex ſolis naturæ viribus abſque ſpeciali auxilio Dei provenit, authori Deo ſit tribuendum, & pro eo ſint agendæ Deo gratiæ. Siquidem & bona corporis, ut ſanitas, robur, pulchritudo, & cætera hujuſmodi in Deum authorem & largitorem cum gratiarum actione referenda ſunt.

Etiam naturalis quælibet cognitio Dei donum eſt.

Quare non eſt neceſſe (quod quidam volunt) hîc intelligi notitiam vires naturæ excedentem. Siquidem imperfecta Dei & proprietatum ejus notitia, quam ex mundi contemplatione perceperunt homines magnis ingeniis præditi, rerumque cognoſcendarum ſtudioſi, ex eo quod in naturâ poſt corruptionem peccati manſit reliquum, haberi potuit. *Quoniam reverà* (ait Aug. lib. de ſpiritu & lit. cap. 12.) *ſicut magna ingenia quærere perſtiterunt, ſic invenire potuerunt.* At nihilominus eadem iſta qualiſcumq; Dei notitia, Dei ipſius beneficio tota adſcribenda fuit. Quod idem Doctor in l. 2. de civ. Dei cap. 7. teſtatur his verbis: *Et quidam eorum* (de philoſophis agit) *quædam magna, quantùm divinitùs adjuti ſunt, invenerunt: quantùm autem humanitùs impediti ſunt, erraverunt.* Sed de ea re plura & ex profeſſo ad diſt. 3. lib. 1. ſent.

20. INVISIBILIA ENIM IPSIUS A CREATURA MUNDE, PER EA QUÆ FACTA SUN, INTELLECTA CONSPICIUNTUR. Malè quidam codices, *intellectus*: Nam Græcè eſt νοούμενα participium temporis præſentis. Illud verò *à creatura mundi*, quidam vertendum putant *à creatione mundi*, id eſt à mundo condito, à mundi initio. Nam Græca vox κτίσις ambigua eſt ad creaturam & creationem. Et Aug. lib. 8. de civ. Dei cap. 9. & 11. legit *à conſtitutione mundi*. Sed ea verſio mihi non probatur: primùm quia vocabulo κτίσεως Scriptura vix uſquam utitur pro creatione. Tantum eſt, qui à Laurentio profertur, locus Heb. 9. *Tabernaculum non manufactum*, id eſt, *non hujus creationis*.

Aliàs ſemper pro creaturâ, id eſt, rebus creatis ſumitur: ut hoc ipſo cap. *Servierunt creaturæ potiùs quàm creatori.* Et c. 8. quinquies. Quùm autem ſignificare vult mundi creationem, dicit καταβολὴν κόσμου, quod interpres ferè reddit *conſtitutionm mundi*. De quâ phraſi vide quæ annotamus ad Ep. 1. Deinde quia verſioni illi ac ſenſui non quadrat verbum præſentis temporis, *conſpiciuntur*. Nam dicendum erat: ab initio mundi conſpecta ſunt.

Adde quòd plenior eſt ſententia magiſque ſerviens inſtituto Pauli, ſi creaturam, id eſt, res ipſas creatas intelligamus: ut ſenſus ſit; *Inviſibilia Dei*, id eſt, attributa ſeu proprietates Dei quæ corporeis oculis aſpici nequeunt, mente conſpiciuntur ex universâ hac creaturâ viſibili, quæ mundus dicitur; dum intelliguntur ex iis quæ facta ſunt (Græcè τοῖς ποιήμασι) id eſt, per opera ſenſibus noſtris expoſita, tamquam per ſuos effectus. Nam ex operis præſtantiâ cognoſcitur ars, ingenium & ſapientia opificis. Hanc Dei cognoſcendi rationem pulcrè nobis tradit Scriptura *Pſ.* 18. & *Sap.* 13. Quidam per inviſibilia Angelos acceperunt. Quam expoſitionem ut ab inſtituto Pauli alienam, meritò rejicit Theophylactus.

SEMPITERNA QUOQUE EJUS VIRTUS ET DIVINITAS. Græcè, *Sempiternaque ejus virtus*, &c. Quod ita verti poteſt: *tã ſempiterna ejus virtus quàm divinitas.* Nam exegeticè pars hæc addita eſt: quâ nimirum exponit Apoſtolus, quæ dixerat inviſibilia: quemadmodum & Græci interpretes intellexerunt. Tria verò ſpeciatim recenſet: Sempiternitatem, virtutem ſeu potentiam, & divinitatem. Nam cujus virtus ſempiterna eſt, ipſum quoque ſempiternum eſt. Sempiternitas autē propriè eſt accipiēda, ſcilicet, ejus quod nec cepit unquam, nec eſſe deſinet. Potentia quoq; abſoluta & illimitata, quam omnipotentiam vocamus.

Divinitatem Theophylactus interpretatur majeſtatem. Videtur Apoſtolus hoc vocabulo, ne longam texeret ſeriem idiomatum divinorum, voluiſſe comprehendere cætera, quæ audito Dei nomine ſtatim in animum cadere ſolent, ut quòd ſit ſummè bonus, juſtus, ſapiens, omnium habens providentiam: item quòd incorporeus & immaterialis & actus purus, ideóque ipſe immutabilis, omnia movens, & omnia in omnibus operans. Hæc enim aut omnia, aut plæraq; ſaltem imperfectè nota philoſophis fuêre. Et quidem de juſtitiâ Dei ab iis cognitâ, habes in fine capitis. *Qui cùm juſtitiam Dei cognoviſſent*, &c.

Notandum autem epitheton *ſempiterna*, per ſyllepſin poſſe etiam ad divinitatem extendi: ut ſit vera deitatis ſignificatio, quæ utique vera non eſt, niſi ſit æterna. Quod proinde dictum videatur ad differentiam falſæ divinitatis attributæ multitudini deorum gentilium, quorum omnium origenes referuntur. *Patrum quiſpiam*, ait Theophilactus, *ſempiternam potentiam filium dixit, divinitatem autem Spiritum-ſanctum.* Quod non eſt recipiendum. Conſtat enim ex contemplatione creaturæ non poſſe perveniri in notitiam plurimum perſonarum in Deo.

Deum eſſe mundi creatorem quibuſdam philoſopis cognitum.

Cæterùm illud de philoſophis quæri poteſt, an cognoverint Deum eſſe mundi creatorem. Equidem puto non defuiſſe qui cognoſcerent. Pertinet enim hoc ad omnipotentiam Dei, quam hic vocat δύναμιν, virtutem. Nam & Jovis apud ethnicos poëtas epitheton erat, *omnipotens*. Deinde quia dixit *à creatura mundi*, id eſt, ex rebus ab illo creatis, ex opificio mundi. Eſtque hæc Auguſtini ſententia in expoſitione propoſitionis tertiæ hujus epiſtolæ: *Sapientes gentium inveniſſe creatorem.* Apertius autem id docet vetus author Aponius, dum *lib. 4. comm. in canticum Salomonis* exponens illud cap. 2. *Per capreas cervoſque camporum*, ita ſcribit: *Cervi videntur intelligi, qui in ipsâ philoſophiâ ſuæ velocitate doctrinæ, non multos, ſed unum Deum inviſibilem, immenſum, inæſtimabilem, omniumque creatorem, totum ubique mundum implentem confeſſiſunt.* Hæc ille.

Quod & ratione probatur. Nam etſi ſcirent naturaliter ex nihilo nihil fieri poſſe; ſciebant tamen mundum non eſſe à ſeipſo, ideoque factum ab eo cujus tanta virtus eſſet, ut etiam ex nihilo faceret exſtare quæ vellet. Et huc certè plurimum acceſſit Ariſtoteles, quando cœli ac mūdi totiuſq, naturæ cauſam efficientem eſſe docuit mentē æternā, omnia moventem, ipſam immobilē, hoc eſt Deum: *ut l. 1. Metaph. c. 2. & l. 12. c. 7. Itemque l. 2. phyſ. c. 6. & l. 8. cap. 2.* Hæc verò efficiens cauſa non aliâ fingi poteſt, quam vel creans, vel continua creatione conſervans, ita ut ipſius etiam materiæ cauſa ſit. Qui enim mundum, id eſt universum dicit, etiam materiam ipſam comprehendit.

ITA UT SINT INEXCUSABILES. *Ita*, in quibuſdam codicibus abeſt. Potuit autem hæc pars ex Græco ſic verti: *In hoc ut ſint inexcuſabiles*: ſed ſenſu conſecutivo, quo ſignificetur cognitionem illam quam de Deo philoſophi acceperunt ex rebus creatis, reddere eos inexcuſabiles in judicio Dei. Cujus ratio ſequitur.

21. QUIA CUM COGNOVISSENT, DEUM. Græcè, διότι γνόντες τὸν θεόν, *propterea quòd cognitum Deum, vel cùm cognoverint Deum.*

Loc. Moral. De fide & notitia Dei ad ejus cultum & reverentiam di rigenda, ne dum Deũ cognoſcimus, & non colimus, graviùs eum offendamus.

NON SICUT DEUM GLORIFICAVERUNT, AUT GRATIAS EGERUNT. Pro *gratias egerunt.*, Eraſmus vertere maluit, *grati fuerunt*. Sed Græcè eſt verbum εὐχαρίστησαν, quod procul dubio ſignificat *gratias egerunt*. Quod & huic loco meliùs convenit. Tale igitur eſt quod Apoſtolus dicit: Sicut naturali rationis lumine pervenerunt in veram Dei notitiam; ita clarè dictat eadem ratio, Deum cognitum glorificandum eſſe, eique gratias agendas. Quocirca inexcuſabiles ſunt qui hæc non fecerint. Deum glorificare ut Deũ, eſt Deum laudibus ſibi debitis, hoc eſt divinis, celebrare. Eſt enim *gloria* (definiente Auguſtino q. 31. inter 83.) *frequens de aliquo fama cum laude.*

Quid gloria.

Gratias agere Deo, eſt beneficia à Deo accepta per agnitionem & laudem in ipſum referre. Reſpicit autem Apoſtolus præcipuè ad illud beneficium quod eſt Deum cognoviſſe: de quo jam dixerat, *Deus illis manifeſtavit*. Quamquam nihil vetat cum iſto cætera quoque cognita ab ipſis beneficia Dei comprehendere: quùm non unius tantùm, ſed omnium fuerint ingrati. Quis enim philoſophorum qui Deum cognoverunt, cùm tam multa ſcripſerint, quæ adhuc extant, & alia plura, quorum inſcriptiones & argumenta prodita ſunt à Diogene Laertio: quis, inquam, eorum legitur ſcripſiſſe Deo laudes eucharisticas? Exſtant quidem in laudes Deorum hymni poëtarum ethnicorum, Homeri, Orphei, Pindari, Horatii, qui tamen & ipſi philoſophati feruntur. At in laudem veri Dei pſalmus aut hymnus aut quidquam tale à quoquam illorum compoſitum, nuſquam invenitur.

Quæſtio.

Sed quæret aliquis; an ſint excuſabiles, qui Deum non cognoſcentes non eum glorificaverunt: quippe

Reſponſio.

cùm glorificare non potuerint incognitum. Reſpondeo non eſſe prorſus excuſabiles. Nam cognoſcere eum potuerunt & debuerunt ex rebus creatis, uti præclarè docet author libri Sapientiæ cap. 13. Unde & paſſim in pſalmis & alibi Scriptura culpat eos tamquam impios, qui Deum non noverunt. Et Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 6. ita ad Deum loquitur: *Cœlum & terra & omnia quæ in eis ſunt, undique mihi dicunt ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſabiles.* Sic ille.

Cæterum excuſabiles dici poſſunt aliqua ex parte, propter ignorantiam ſcilicet, atque aliorum comparatione, quibus Dei notitia divina manifeſtatione contigit. Qui proinde quò minùs cognitum colerent & glorificarent, nihil prætexere potuerunt impietati ſuæ & ingratitudini.

Dices non potuiſſe eos gratias agere & glorificare ſine ſpeciali auxilio gratiæ Dei, ut nec ſuper omnia diligere: atque illud auxilium non omnibus dari. Unde & Auguſtinus loco memorato, cùm dixiſſet cœlum & terram omnibus prædicare ut Deum ament, adjecit: *Altiùs autem tu miſereberis cui miſertus eris. Alioquin cœlum & terra ſurdis loquuntur laudes tuas.* Reſpondeo, ad multa teneri homines, quæ non poſſunt ſine ſpeciali auxilio Dei; & talia ſunt omnia opera pietatis. Nec verò conſequens eſt, ſi id non potuerunt abſque Dei auxilio, ſimpliciter non potuiſſe. Nam poſſe naturæ eſt, ut docet Auguſtinus lib. de gratiâ Chriſti: Gratia verò ſpecialis auxilii non datur ut poſſimus, ſed ut faciamus.

Poteſt quidem etiam dici, philoſophos potuiſſe per vires naturæ Deum cognitum, ut Deum, aliquatenùs laudare & glorificare, & gratias agere: non tamen ita ut oportuit, hoc eſt, non eo voluntatis affectu quo ad veram juſtitiam appropinquarent. Quamquam nec omninò, ne ſteriliter quidem philoſophos illos qui Deum cognoverunt, etiam glorificaſſe Deum, uſquam legitur, ut jam dixi.

SED EVANUERUNT IN COGITATIONIBUS SUIS. *Cogitationibus*, id eſt, diſquiſitionibus, ſeu raciocinationibus. Tale quid enim ſignificat Græca vox διαλογισμούς. Senſus eſt: Dum contenti ſuâ ſubtili inquiſitione, & quam inquirendo ac ratiocinando conſecuti erant Dei cognitione, non tamen eum glorificaverunt nec gratias egerunt: vani facti ſunt; quia finem illius cognitionis qui conſiſtit in vero Dei cultu & pietate atque in verâ beatitudine, non ſunt aſſecuti. Vanum enim & fruſtraneum illud dicitur quod finem ſuum non aſſequitur.

ET OBSCURATUM EST INSIPIENS COR EORUM. *Obſcuratum eſt*, Græcè ἐσκοτίσθη. *Obtenebratum eſt.* Senſus: Et mens eorum ex culpa tantæ impietatis & ingratitudinis inſipiens, ſtolida, & ut Græca vox ἀσυνέτους ſonat, expers intelligentiæ effecta, multis errorum tenebris involuta eſt.

Cor in Scripturis ſignificet.

Cor in Scripturis figuratè, ſed uſitatiſſimè nunc intellectum, nunc voluntatem ſignificat. Voluntatem, quoties correctum, pravum, molle, durum, mundum, immundum, vocatur. Intellectum verò ſeu mentem, quoties docile, ſapiens, intelligens, illuminatum, & contrà ſtultum, inſipiens, obtenebratum, excœcatum dicitur, ut hoc loco: quemadmodum paulò pòſt illis verbis, *in deſideria cordis eorum*, & cap. ſeq. ubi legimus cor impœnitens, accipitur priori modo. Dico figuratè; ſive ea metaphora ſit, rei corporeæ ad incorpoream & ſpiritualem, eò quòd in mente ſit principatus vitæ rationalis, ſicut in corde vitæ animalis.

Quò reſpexiſſe putant Sapientem, cùm ait Prov. 4. *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ab ipſo vita procedit*: ſivè potiùs metonymia, juxta eum modum quo continens ponitur pro contento, propterea quòd ſenſus communis & vis imaginativa, quæ rationali parti proximè ſubſerviunt, ipſum cor velut organum ſibi vendicent, ideóque menti ſedes in corde fuerit antiquitùs aſſignata.

Vetus diſceptatio, utrũ mentis ſedes cor ſit, an cerebrum.

Quod quidem ſentit Ariſtoteles, & variè probat compluribus locis, potiſſimùm libro *de ſenſu & ſenſili, & lib. 3. de partibus anim. cap. 4.* refellens eos qui cerebro ſenſuum principatum deferunt (quæ ferè medicorum ſententia eſt) quod ille ſenſationi ineptum oſtendit. Ejuſdem opinionis Stoicos ad unum fuiſſe tradit Plutarchus *lib. 4. de placitis philoſ. cap. 4.*

Huic Ariſtotelis & Stoicorum ſententiæ multum videntur favere ſacræ literæ, quæ cogitationes ubiq; cordi tribuunt, nuſquam cerebro, nec omnino capiti: non aliâ quantum apparet ratione, quàm quia in corde effinguntur, ut ait philoſophus, rerum imagines. Scripturæ paſſim obviæ ſunt: *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Ex abundantia cordis os loquitur. De corde exeunt cogitationes malæ.* Matth. 9. 12. 15. Item dicere in corde, pro cogitare, Pſ. 4. 10. 13. 34. 52.

Quin & apud Latinos, eoſque prophanos authores cor pro animo ſumitur, ut quùm dicunt: Hæc res mihi cordi eſt. Unde cordati, (& compoſitis nominibus) excordes, vecordes, ſocordes & concordes dicti ſunt. Eſtque hujus rei ſignum naturale, quod pœnitentes non caput ſed pectus tundimus, ſub quo cor ſitum eſt; tamquam culpam à corde profectam agnoſcentes.

Confirmant hanc ſententiam Chriſtiani doctores: nominatim Hieronymus in comment. Matthæi, quum ad illa verba, *De corde exeunt cogitationes malæ*, ſic infert: *Ergo animæ principale non ſecundum Platonem in cerebro, ſed juxta Chriſtum in corde eſt.* Et ante eum Tertullianus tum *lib. de reſurrect. carnis cap.* 15. ubi principale quod ἡγεμονικὸν appellant Græci, cordi conſecrat; tum maximè lib. de anima cap. 15. quo loco recitatis facilè decem de hegemonico veterum philoſophorum opinionibus, eam ſolam recipit, & ſcripturis divinis conſentaneam eſſe docet, quæ ſedem illi in corde conſtituit. Quanquam alii hanc rem in dubio relinquere malunt, ut Lactantius *lib. de opificio Dei, cap.* 16. Theodoretus *ſermone 3. de providentiâ.* Philo Judæus *lib. de ſacrificiis Abel & Cain*;

& altero, de eo quod deterius priori inſidietur.

Porro Gregorius Nyſſenus etſi *ſermone 1. de Reſurr. Chriſti* cum iis ſentire videatur qui ſedem mentis in corde ponunt; attamen lib. de creatione hominis cap. 12. nec cordi nec cerebro principale hominis aſſignandum putat, nec propriè cuiquam aliarum partium, ſed æquè per omnes diffundi juxta ſuum cujuſque temperamentum. Qui verò de philoſophia ſcripſit (ut vel intelligas à Nyſſeno diverſum eſſe) *lib. 4. cap. 6. & 7.* ex profeſſo docet interiores vires imaginativam, cogitativam & memorativam, quæ menti proximè ſubſerviunt, in cerebro ſua ſenſoria ſingulas habere, totidem ventriculis, ut loquitur inter ſe disjuncta. Quin & Ambroſius *lib. de Noë & arca cap. 7.* mentem in capite locatam ſcribit ſecundùm plurimorum ſententiam, & maximè Salomonis qui ait: *Oculi ſapientis in capite ejus.* Eccleſ. 2. Quod & ſuis deinde verbis probabile facere conatur.

Sanè hæc plurimorum etiam hodie ſententia eſt: exiſtimantium ſcripturam ſacram cordi cogitationes aſſcribere tantummodo propter analogiam vitæ ſpiritualis ad vitam animalem, cujus principium à corde eſt. Quam rationem ſuprà priori loco indicavimus. Hanc de corde problematicam diſputationem nolui intactam relinquere; quòd ad intelligentiam tropi in ſcripturâ frequentiſſimi, momentum habere videretur.

22. DICENTTES ENIM SE ESSE SAPIENTES, STULTI FACTI SUNT. Conjunctio *enim* non eſt in Græco, nec in omnibus codicibus Latinis: nec eam addit Auguſtinus, hujus loci verba referens lib. de ſpiritu & lit. cap. 12. Quidam ita vertunt: *cum ſe putarent, cùm ſe crederent eſſe ſapientes.* At Græcè eſt φάσκοντες, id eſt, *dicentes*, ut noſter interpres vertit: idque rectius ſe habere etiam Genevenſis catena teſtatur: tametſi φάσκειν non ſimpliciter eſt dicere, ſed palàm & in vulgus dicere, ex quo fama oriatur. Hinc enim deducitur φήμη fama.

Senſus igitur eſt: Cùm apud homines profiterentur ſe ſapientes, ac ſibi arrogarent magnam ſapientiam, videlicet ob rerum arcanarum & ſublimium cognitionem, à quâ dici ſolent homines ſapientes; *Stulti facti ſunt*, id eſt longiſſimè à vera ſapientiâ quæ in verâ erga Deum pietate conſiſtit, aberraverunt, ad extremam ſtultitiam & inſipientiam delapſi.

Sunt qui in pronomine *ſe* emphaſim ſtatuũt hoc ſenſu: *Dicentes ſe eſſe ſapientes*, id eſt, hoc ipſum quod ſapientes erant, ſibi tribuentes, non autem Deo acceptum referentes. Ita quidem etiam Auguſtinus *loco jam citato*, & alibi. Verùm ſciendum eſt pronomen, *ſe*, non exprimi in Greco: tametſi neceſſariò reddendum fuit ab interprete Latino. Non poteſt autem emphaſis intelligi in voce non expreſsâ.

Philoſophi non abſolutè dicendi fuiſſe ſapientes.

Quæret aliquis an illi verè fuerint ſapientes. Reſpõdeo non fuiſſe, ſi ſapientem intelligas eum qui abſolutè talis dicitur: præſertim juxta loquendi conſuetudinem Scriptæ ſacræ tam veteris quàm novi Teſtamenti: quæ paſſim ſapientem eum vocat, qui Deum novit & timet, & mandata ejus obſervat. Hic enim cauſam altiſſimam quæ Deus eſt, ita contemplatur, ut juxta regulas ab eo præſcriptas vitam & actiones ſuas inſtituat: Quod eſt verè & abſolutè ſapientem eſſe; quemadmodum benè docet S. Tomas 2. 2. q. 45. Quo fit ut ſapientia vocetur ipſa pietas ſeu timor Domini, Job. 28. *Ecce timor Domini ipſa ſapientia*, Ubi LXX. *Ecce pietas θεοσέβεια, eſt ſapientia.*

Quocirca non ſolum σόφοι revera non fuerunt illi ſapientiæ profeſſores, ſed nec φιλόσοφοι, quo velut modeſtiore vocabulo Pythagoras ſe ſuóſque diſcipulos primus appellari voluit. Ratio manifeſta eſt, quia veram ſapientiam non ſolùm non habuerunt, ſed nec amarunt.

23. ET MUTAVERUNT GLORIAM INCORRUPTIBILIS DEI IN SIMILITUDINEM IMAGINIS CORRUPTIBILIS HOMINIS ET VOLUCRUM ET QUADRUPEDUM ET SERPENTIUM. *Et* pro *etenim* Hebræo more. Declarat enim in quo ſtulti facti ſint, nempe in eo quod gloriam uni immortali & incommutabili DEO propriam, tranſtulerunt primùm ad hominem mortalem, deinde ad beſtias, ut volucres, quadrupedes, ſerpentes, denique ad horum ſimulacra: tranſtulerunt inquam, honores uni Deo debitos, id eſt divinos his omnibus attribuentes. *Serpentium* Græcè ἑρπετῶν id eſt reptilium. Quo nomine etiam piſces comprehenduntur Gen. 1. Eſtque eadem ſignificatio vocis Syriacæ.

Philoſophi Dei gloriam ad creaturas tranſtulerunt.

Porro hæc quæ Paulus enumerat, & horum ſimulacra pro diis habita fuiſſe, & cultu publico ac ſacrificiis venerata ab ethnicis; nec ſolùm à vulgo, verùm etiam ab iis qui inter illos ſapientiæ profeſſione eminebant; ex antiquitatis hiſtoria tam profana quàm ſacra & eccleſiaſtica, facile eſt docere. Nec refert, ſi fortè quidam eorum non ex anima, ſed errori populari ſeſe accommodantes cultum his rebus adhibuerint; ut qui philoſophando jam didiciſſent non eſſe Deum uiſi unum. Tanto quippe majoris ingratitudinis rei, quòd eum quem ipſius beneficio cognoviſſent unum verum Deum, ſuis privarint honoribus, gloriam & cultum propriè ei debitum aliò transferentes. Quod vel ipſum Platonem non modò feciſſe, ſed & docuiſſe conſtat. Nam in libris de legibus & de republica, diis, dæmonibúſque & heroibus ſacra & cæremonias fieri jubet. Cujus doctrinæ Platonicæ etiam Auguſtinus meminit *lib. 8. de civ. Dei cap. 12.* Quin & Socrates cùm in judicio periclitaretur, gallum Æſculapio pro ſalute ſacrificari juſſit. Quod à multis traditum eſt: & à Chryſoſtomo refertur in hujus loci commentario. Vide etiam quæ ſuprà verſ. 18. de Seneca, & universè de philoſophis ex Auguſtino annotavimus.

Sed ad textum Apoſtoli preſſiùs examinandum redeo. Quod ait, *Et mutaverunt gloriam Dei in ſimilitudinem imaginis*, &c. alluſio eſt ad verſum Pſal. 105. *Et mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli.* Cui ſimile illud Jerem. 2. *Populus meus mutavit gloriam ſuam in idolum.* Quibus quidem locis *gloriam ſuam*, intellige gloriam populi, id eſt Deum ipſum, idq; juxta fontem Hebraïcum: cùm alioqui in Pſalmo apud LXX. legatur, *Et mutaverunt gloriam ejus*, ſcilicet Dei: quomodo & hìc dicitur, *gloriam Dei*: ut dubium non ſit quin ad eum Pſalmi verſiculum, ut eſt in Græco, Paulus reſpexerit. Sed hæc relativi diverſitas in Hebræo & Græco, ſummã rei non mutat. Alterum enim ex altero ſequitur. Nam Iſraëlitæ hoc ipſo quo gloriam ſuam, id eſt, Deum ſuum pro idolo commutaverunt, ipſius Dei gloriam ad idolum tranſtulerunt. Dicebatur autem Deus gloria & decus illius populi, quia populus per illum glorioſus erat ac celebris: eoque derelicto ſemper fuit expoſitus ignominiæ.

Jam & illud, *in ſimilitudinem imaginis*, &c. nonnullam obſcuritatem habet, tum quia Græcè eſt *in ſimilitudine*, tum quod non appareat quæ dicatur ſimilitudo imaginis; cum ipſa imago ſit alterius ſimilitudo. Sed dicendum rectè & ad mentem Apoſtoli interpretem vertiſſe *in ſimilitudinem* caſu accuſativo: ut in Græco ἐν pro εἰς poſitum ſit. Scribit enim Apoſtolus quod in Pſalmo legerat ἐν ὁμοιώματι *in ſimilitudine*, pro quo ex Hebreæo vertunt, *in formam, exemplar, ſimilitudinem.* Quod ſi obſervaſſet Eraſmus, non ad alienum ſenſum Apoſtoli verba detorſiſſet, vertendo *per imaginem*, &c. Debuiſſet enim & inferiùs ubi planè ſimilis eſt ſermo, ſic vertere: *Qui commutaverunt veritatem ejus per mendacium;* quod vidit ſibi non eſſe faciendum.

Porrò *ſimilitudo imaginis*, Hebraiſmus eſt pro imagine ſimili ſeu repræſentante, ut ſenſus ſit; Sapientes illos gloriam veri Dei tranſtuliſſe in creaturas, non quomodocumque, ſed in ſimulacra creaturas re-

Obſerva contra Hæreticos de cultu imaginum.

preſentia, ut homines, volucres, &c. Non ſolùm enim has creaturas, verùm quod abſurdius eſt, earum idola ſeu ſimulachra lignea & ſaxea pro diis coluerunt.

Hic locus & alii innumeri qui ſunt in Scripturis utriuſque teſtamenti, palàm redarguunt Jo. Calvini & ſequacium ejus calumniam; qui ut invidiam faciant imaginibus Chriſti & ſanctorum, quas Eccleſia Catholica habet in veneratione, dicunt Gentilibus numquam in mentem veniſſe ut inanimata ſimulacra Deos putarent, ac divinis honoribus afficerent. Nam ſi ita eſt, quomodo Paulus affirmat eos commutaſſe gloriam Dei in icones ſive imagines hominum, volucrum, quadrupedum, ſerpentium? Et quid volunt Prophetæ, David, Iſaias, Jeremias & alij qui dementiſſimam illam Gentilium ſtultitiam, ſeu veriùs inſaniam, toties traducunt atque irrident? idque verbis adeò claris & apertis, ut nihil clarius aut apertius dici queat.

Sit igitur hoc ſecundùm Scripturas indubitatum; Gentiles à veri Dei notitia alienos, variiſque cupiditatibus immerſos, juſto Dei judicio fuiſſe permiſſos in eam mentis cæcitatem cadere, quâ non ſolùm homines, de quibus præclarè ſentiebant, aut cæleſtia corpora, ſolem, lunam, aſtra, denique & beſtias rationis expertes, verùm etiam ipſa horum omnium ſimulacra, manibus humanis fabrefacta, pro diis haberent & colerent. Quamquam hac in re non omnium Gentilium idem aut æquè gravis error fuit. Erant enim qui plus aliquid ſaperent ſupra vulgus hominum.

Triplex Gentilium Theologia.

Unde & triplicem Gentilium quæ dicebatur theologiam diſtinguunt orthodoxi ſcriptores: civilem, quæ per Pontifices celebrabatur in templis; fabularem, quam Poëtæ repreſentabant in theatris; & naturalem, quam philoſophi tradebant in ſcholis. Quæ Gentilis theologiæ genera, poſt Auguſtinum paſſim de his argentem in *libris de Civit. Dei*, doctè explicat Thomas in hujus loci commentario ſub finem ſeptimæ lectionis, & in 2. 2. q. 94. art. 1.

24. PROPTER QUOD TRADIDIT ILLOS DEUS IN DESIDERIA CORDIS EORUM, IN IMMUNDITIAM. *In deſideria cordis eorum.* Græcè ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν, *In deſideriis* ſeu *cupiditatibus cordium eorum.* Quod Eraſmus vertit *per cupiditates cordium ſuorum.* Addit enim Apoſtolus diverſa præpoſitione & caſu εἰς ἀκαθαρσίαν *in* vel ad *immunditiam.* Sed quia præpoſitionibus ἐν, εἰς, ὅτι, non propriè ſemper utitur, ſed earum ſignificationem aliquando confundit, ut alibi videbimus; hinc alii meo judicio rectiùs, & ad Apoſtoli ſenſum accommodatiùs ita vertunt: *Tradidit illos Deus cupiditatibus cordium ſuorum ad immunditiam.* Oſtendit autem in quæ & quàm turpia peccata fuerint prolapſi merito ſuæ ingratitudinis & idolatriæ memorati ſapientes. Rectè verò ex hoc ſcripturæ loco, & ex aliis ſimilibus docet Auguſtinus, aliique poſt eum Theologi, quædam ſic eſſe peccata, ut ſint etiam pœnæ peccatorum. Auguſtini loca ſunt *lib. 5. contra Julianum cap. 3. & lib. de natura & gratia cap. 22. & alibi.*

Sed cùm omnis pœna peccati ſit â DEO, atque hîc etiam expreſſè dicatur DEUS quoſdam tradidiſſe *in deſideria cordis eorum in immunditiam*, & ut paulò poſt ſequitur, *in poſſeſſiones ignominiæ*, & *in reprobum ſenſum*: quæſtio eſt cur ex hac doctrinâ non ſit conſequens DEUM eſſe peccatorum & flagitiorum, cujuſmodi hîc referuntur, authorem. Quod ex his atque aliis Scripturis ſtatuere conati ſunt veteres ac novi hæretici, non ſine grandi injuriâ ac blaſphemia in Deum. Nam & Apoſtolorum tempore fuiſſe qui ex Pauli ſcriptis malè intellectis hunc errorem hauſiſſent, apparet ex epiſtola beati Jacobi, in quâ cap. 1. tam ſtudiosè fideles adverſus eum errorem munit, admonens ne peccatorum tentationes & incitamenta Deo aſſcribant, ſed ſuæ potiùs concupiſcentiæ; in Deum autem nonniſi quæ bona ſunt referant: alióqui graviter erraturos. Igitur ut ad Paulum revertar.

Obſerva contra hæreticos Deũ non eſſe auctorem peccati.

Tradere in malum culpæ vel pœnæ quid ſit Scripturis.

Reſpondeo præſentem locum nihil iſtis patrocinari. Nam tradere hominem in aliquod malum culpæ vel pœnæ (quæ phraſis eſt in Scriptura frequens) non aliud eſt quàm hominem ejuſmodi malo exponere, videlicet, deſerendo, non protegendo, non eripiendo vel etiam occaſiones & offendicula ponendo: denique quomodólibet permittendo ac permittere volendo, ut in ejuſmodi malum incidat, ſive eis qui ſic traditur, aliquo præcedente peccato id commeruerit, ſive non. Nam Deus filium ſuum innocentiſſimum in mortem tradit, nec omninò fieri non poteſt ut quis alterum occidat, niſi Deus eum tradat in manus illius, teſte Auguſtino *quæſt. 27. in Exod.* Et quod attinet ad traditionem in peccata, Eccleſiaſticus, utique juſtus, Deum ſic orat. cap. 23. *Extollentiam oculorum ne dederis mihi.* Et iterùm: *Animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me.* Imò omnium juſtorum quotidiana oratio eſt. *Ne nos inducas in tentationem*, Quod quid eſt aliud, quàm, ne tradas nos in tentationem? Quare & hoc loco non putamus in vocabulo *tradidit* includi reſpectum aliquem ad meritum peccati præcedentis. Hoc enim ſeorſim ſignificatur cauſali dictione præpoſita, *propter quod*, *propterea*. Et infrà illis verbis: *Sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ.* Quamquam fatemur, ubi Scriptura ſic loquitur, plerumque ſermonem eſſe de traditione quæ fit ob culpam præcedentem. Ita Stephanus Act. 7. de filiis Iſraël, qui vitulum ſibi ad cultum erexerant: *Et tradidit eos*, inquit, *ſervire militiæ cœli*, ut nimirùm peccatum ſequens eſſet pœna prioris.

Quo ſenſu Deus tradat homines in deſideria cordis eorũ.

Quod ergo dicit Apoſtolus, tale eſt: Deum peccatis illis philoſophorum ſupràdictis offenſum, ita eos auxilio ſuo deſtituiſſe, & cupiditatibus ipſorum permiſiſſe, ut in immunditiæ peccata ac fœdas libidines, de quibus in conſequentibus plura, proni ac præcipites irent. Senſum locutionis probat orthodoxorum Patrum, Chryſoſtomi & aliorum interpretatio, qui traditionem hanc, ſicut & illam inductionem, paſſim exponunt per hæc verba, ſinere, permittere, deſerere, auxilium gratiæ ſubtrahere vel non impartire: interdum addentes etiam poſitivam aliquam actionem, non reſpicientem peccatum, ſed res ſecundùm ſe bonas, quarum Deus author eſt, quæ tamen hominibus ad mala propenſis eſſe ſolent occaſiones & irritamenta peccandi. Quod etſi non adderent, per ſe tamen ſatis intelligitur. Nobis enim, in quibus aſſiduè caro concupiſcit adverſus ſpiritum, peccatorum occaſiones ac tentationes etiam externæ, nuſquam non ſunt obviæ; Mundus enim laqueorum plenus eſt. Quamquam aliis plures, aliis pauciores objiciuntur occaſiones, Deo vel propter hominum merita, vel alias ob cauſas in ipſo abſconditas, ita diſponente.

Cur autem ad hunc modum loquatur Scriptura, ut Deum dicat vel tradere homines in peccata, vel inducere in tentationem; ea ratio eſt, quia qui ſubducit auxilium malo ſuperando vel evadendo neceſſarium, aut id non præſtat cùm poſſit, tradidiſſe videtur & induxiſſe in malum. Et ita loqui ſolent homines de hominibus, quibus in culpam imputatur ſi periclitantibus opem aut non ferant, aut ſubtrahant.

At verò Deus ſenſu jam explicato tradens homines in peccata, atque in tentationem inducens, neque culpandus eſt, quia nihil cuiquam debet, neque peccatorum author dicendus, quia non ipſa peccata operatur, ſed ea bona quibus in malum ſuum homines abutuntur. Operatur etiam actiones malitiæ ſubſtratas, ut Theologi loquuntur: ſed & illæ bonæ ſunt & de iis hîc non eſt ſermo.

Solvitur objectio.

Dices: Author eſt Deus omnis pœnæ: Si ergo quædam peccata ſunt etiam pœnæ peccatorum, conſequens eſt ut etiam peccatorum author ſit. *Re-*

ſpondeo, quemadmodum id non ſequitur ex eo quod omnis actionis author eſt Deus, licet quædam actiones peccata ſint ; ita nec ſequitur ex eo quòd author eſt omnis pœnæ, licet quædam pœnæ ſint peccata. Nam ſicut omnis actionis author eſt, ut actio quædam eſt, non ut peccati deformitatem habet : ita author eſt omnis pœnæ, quatenùs juſtæ punitionis habet rationem, non quatenùs etiam peccatum eſſe contingit. Atque id eſt quod docet Auguſtinus lib. de prædeſt. ſanct. cap. 10. *Etſi ſunt*, inquit, *quædam quæ ita peccata ſunt, ut pœnæ etiam ſint peccatorum; unde dictum eſt, Tradidit illos Deus* &c. *non ibi peccatum Dei eſt, ſed judicium.* Hæc enim verba ſignificant, idcircò peccata quædam eſſe pœnas peccatorum, quia præter malitiam culpæ, quæ non eſt à Deo, invenitur in illis bonum juſtæ vindictæ, quod haud dubiè à Deo eſt. Quomodo autem inveniatur, explicat ſanctus Thomas in commentario : Et in univerſum hac de re diſputant ſcholaſtici doctores *in 2. ſent. diſti. 36.*

Auguſtini locus explicatur.

Jam ex his intelligi poteſt, quo ſenſu B. Auguſtinus contra Julianum ſcribens loco citato, reprehendat hæc illius hæretici verba: *Cum deſideriis ſuis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi ſunt, non per potentiam in peccata compulſi.* Non enim ſentit aut dicit homines per divinam potentiam in peccata compelli: ſed eatenus verba Juliani reprehendit, quòd ille in Deo homines ſuis deſideriis tradente ſolam agnoſceret patientiam derelinquentis, non etiam potentiam operantis ; cùm Apoſtolus hujus epiſt. c. 9. ſimul utrumque poſuerit, dicens : *Si volens Deus oſtendere iram & demonſtrare potẽtiam ſuam, attulit in multa patiẽtia vaſa iræ quæ perfecta ſunt in perditionem.*

Potentiam vero vult agnoſci in eo quòd circa peccatores operatur quædam ſive proſpera ſive adverſa, ſive qualiacumque, quibus ut occaſionibus aut offendiculis eos graviùs ac turpiùs impingere contingat: non in eo quòd in peccata propriè compellat. Hunc enim modum tradendi diſerte excludit & damnat alibi, quùm dicit Deum tradidiſſe peccatores ſuis deſideriis, non cogendo, ſed deſerendo, ut *ſerm. 9. de diverſis cap. 9.* & *& lib. de natura & gratia cap. 23.* necnon *l. 1. contra 2. epiſt. Pelag. cap. 18.* ubi Juliani verbis quibus dixerat: *Nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum invitũ aliquem cogi: ſed propria voluntate aut bonum facere aut malum*, hæc ſua verba opponit: *Nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi: ſed Deo deſerente pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante ſine meritis converti ad bonum.* Scripſit autem hæc Auguſtinus poſt illa quæ ex *libro 5. contra eumdem Julianum* ſcripto proferebantur, ut proinde mentem ſuam de eo quòd priùs ſcripſerat, in his poſterius explicare voluiſſe exiſtimandus ſit.

UT CONTUMELIIS AFFICIANT CORPORA SUA IN SEMETIPSIS. Pro *contumeliis afficiant*, in Græco unum verbum compoſitum eſt ἀτιμάζεσθαι, alibi vertit interpres *inhonorare* vel *exhonorare*, id eſt, ignominia ſeu turpitudine afficere. Quod ſequitur, *in ſemetipſis*, additum videri poteſt ad ſignificandum expreſſiùs, quòd eam contumeliam ipſi ſibimet inferant, & à ſemetipſis patiantur : cùm alioqui ſoleant alii alios afficere contumeliis, & ab aliis eas pati. Sic infrà: *Mercedem quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes.* Græcè ἐν ἑαυτοῖς.

Aliis tamen placet ἐν ἑαυτοῖς poſitum pro ἐν ἀλλήλοις, id eſt, *inter ſe mutuò*, ſcilicet, eo modo quem mox ipſe Apoſtolus apertioribus verbis exponit. Atque ita vertit Eraſmus. Nec aliud ſibi vult verſio quædam vetus, *inter ſemetipſos*, quæ legitur apud S. Ambroſium *lib. 1. de fide ad Gratiã. cap. 7.* Sed & com. Amb. etſi legat *in ſemetipſis*, exponit tamen de iis qui corpora ſua dehoneſtant invicem. Sanè conſtat eam acceptionem pronominis illius reciproci Paulo non eſſe inuſitatam. Sic Eph. 4. & Col. 3. *donantes invicem.* Græcè ἑαυτοῖς. Porrò quamvis ſecundùm Apoſtolum 1. Cor. 6. *Omnis qui fornicatur in corpus ſuum peccat* ipſumque dehoneſtat & contumelia afficit, nimirum ob fœditatem libidinis quâ illud commaculat ; maximè tamen & ſingulari quodam modo id faciunt, qui naturalem Veneris uſum præpoſtera libidine pervertunt. Fuit autem hæc congruens pœna peccato, ut qui Deum gloriâ debitâ defraudaſſent, ipſi è diverſo turpiſſimâ in ſeipſis & à ſeipſis ignominiam paterentur.

25. QUI COMMUTAVERUNT VERITATEM DEI IN MENDACIUM. *Dei* Græcè *ejus.* Cauſam repetit cur ſic derelicti & traditi fuerint à Deo. *In mendacium.* Græcè *in mendacio*, quod & in Latinis quibuſdam codicibus legitur. Sed idem ſignificatur. Ita ſuperiùs *in ſimilitudinem*, quod Græcè erat, *in ſimilitudine.* Rectiùs igitur hoc loco vertit Eraſmus. *Qui cõmutarunt veritatem ejus mendacio.* Senſus enim eſt. Quia veritatem Dei, id eſt, ea quæ de Deo cognoverant, ut æternitatem, omnipotentiam, ipſamque omninò divinitatem tranſtulerunt ad idola, colentes ea pro diis, & attribuentes quæ divina ſunt. Mendacii nomine idolum hîc & aliàs ſæpe in Scripturis appellatur, ideò quia idolum nihil minus eſt quàm id quod dicitur, ſcilicet Deus. Etenim hac ratione *idolum nihil eſt 1.* Cor 8.

Mendacium, id eſt, idolum.

ET COLUERUNT ET SERVIERUNT CREATURÆ POTIUS QUAM CREATORI. *Coluerunt* Græcè ἐσεβάσθησαν, id eſt, religioſè venerati ſunt. Significatur enim ea veneratio, quæ haberi ſolet rebus majeſtate præcellentibus. *Et ſervierunt* ſervitute ſeu cultu divino, Græcè ἐλάτρευσαν. *Creaturæ potiùs quàm creatori*, Græcè, *creaturæ præter eum qui creavit*, id eſt, *creaturæ, relicto creatore*, quemadmodum citat hunc locum Cyprianus lib. 3. teſtimon. ad Quirinum cap. 10. ſive, *præterito creatore*, quomodo citat Hilarius lib. 12. *de Trinitate.* Non enim ſignificatur comparatio, quaſi coluerint utrumq;, magis autem creaturam; ſed quòd creaturam coluerint, non creatorem. Quidam ſic exponit: præter creatorem, id eſt, contra creatoris mẽtem ac legem. Sed is mentẽ Apoſtoli non aſſequitur.

QUI EST BENEDICTUS IN SÆCULA, *Benedictus* εὐλογητὸς nomen eſt, non participium. Eraſmus laudandum interpretatur. Vocabulum eſt Scripturis ſacris peculiare, ductum à verbo εὐλογεῖν, id eſt, laudare cum gratiarum actione, atque, ut Tacitus loquitur, laudibus gratiiſque venerari. Quod uno itidem verbo Latino Græcum exprimentes dicimus, benedicere, licet hac ſignificatione priſcis Romanis ignoto. Nam illis benedicere erat benè precari, ut videbimus infrà ad illud cap. 12. *benedicite perſequentibus vos.*

Igitur ſenſus eſt: Qui tamquam Deus omnium rerum creator, & omnium nobis bonorum author, jure laudandus & prædicandus eſt per omnia ſæcula, id eſt, omni tempore. Nam ſæculum, Græcè αἰὼν, ſignificat longum tempus, quale eſt centum annorum. Et ſæcula, αἰῶνες plurali numero, univerſum tempus atque ipſam æternitatem in Scripturis ſignificare ſolent, præſertim addito genitivo *ſæculorum*, qui in fine hujus epiſtolæ, & alibi ſæpe additur ad expreſſiorem æternitatis ſignificationem.

AMEN. Vox eſt Hebræa, paſſim omnibus nota, & à Chriſto Domino frequentata : quam Paulus ſexies poſuit in hac epiſtola. Adhibetur autem ad confirmationem & approbationem ejus quod dicitur : ac idem valet quod adverbium *verè*, aut verbum, *fiat, verum ſit ac firmum.* Utitur eo Chriſtus in Evangeliis (apud Joannem ſemper geminato) tamquam adverbio aſſeverandi : idque initio ſententiarum quas vult confirmare, dicendo: *Amen*, id eſt, verè *dico vobis.* Et quidem hoc ei peculiare fuiſſe videtur. Nam alibi in ſcriptura utriuſque teſtamenti uſurpatur pro clauſula ſermonis antecedentis, quâ cum optatione quod dictum eſt, approbatur. Unde eſt illud de non intelligẽte 1. Cor. 14. *Quomodo dicet Amen ſuper tuam*

Quid ſignificet Amen.

benedictionem? Ita accipitur hoc loco. Nam sensus est: Ut verè laudandus est in omnem æternitatem; ita fiat, in æternum laudetur. Hanc ejus vocis significationem reddiderunt LXX. interpr. Græco verbo γενοιτο, id est *fiat*, quod geminatum legitur in fine Psalmorum 40. 71. 88. & 105. Idipsum Aquila, Symmachus, & Theodotio, *fideliter*, sive *verè* interpretati sunt, teste Hieronymo in fine comment. epistolæ ad Galat. Interdum quoque epitheton est Christi filii Dei, ut Apoc. 3. *Hæc dicit Amen, testis fidelis & verus.* Græcè ὁ Αμὴν, *ille Amen*, ac si dicat: Hæc dicit ipsa veritas.

26. PROPTEREA TRADIDIT ILLOS DEUS IN PASSIONES IGNOMINIÆ. Repetit & pluribus declarat in quæ decorosa flagitia prolapsi sint supradicti sapientes in punitionem peccati, quo servierunt creaturæ potius quàm creatori. *Passiones*, Græcè πάθη, quas alii *cupiditates*, alii *affectus* vertere maluerunt. Nam passiones hac quidem significatione Valla negat probè dici: Sed & Erasmus adversatur velut novum & fictitium vocabulum. Atqui tempore B. Augustini non erat novum. Utitur enim ipse, authorem citans Apuleium, *lib. 9. de civ. Dei cap. 4.* Atque eò libentiùs utitur, quod & Græcam vocem, & rem ipsam magis exprimat: etsi non ignoraret quosdam, ut Ciceronem perturbationes, alios, ut Quintilianum affectus vocare ea quæ Græcis πάθη dicuntur. Usurpat autem & Hieronymus non solùm passionis, sed & propassionis vocabula *in comment. Matth, cap. 5. & 26.* Nec enim inveniebat alia Latina aptiora, quibus Græca πάθος & προπάθειαν commutaret. Unde est & illud ejusdem in diaconum: *Quid patitur mensarum & viduarum minister?* epistola 85. ad Evagrium. Sanè in hoc loco Apostoli nihil significantius nomine passionis. Qui enim illa turpia agunt, adeò se totos illos dedunt atque immergunt, ut pati magis quàm agere videantur. Has autem vocat passiones ignominiæ, id est, passiones ignominiosas ac pudendas. Hebræis enim familiare est substantivum gignendi casu ponere loco epitheti.

Bene vertit interpres passiones.

NAM FOEMINÆ EORUM IMMUTAVERUNT NATURALEM USUM IN EUM USUM QUI EST CONTRA NATURAM. Græcè *præter naturam.* Sed id tantumdem valet, sicut & infrà cap. 16. *præter doctrinam quam didicistis*, id est, contra eam doctrinam. De qua significatione Græcæ propositioni παρὰ pleniùs acturi sumus ad illud Gal. 1. *præter quàm quod evangelizavimus vobis*, &, *præter id quod accepistis.* Naturalis usus corporum de quo agit Apostolus, est ea conjunctio ad quam natura inclinat, & ex qua nata est sequi generatio. Hæc autem non est nisi maris & fœminæ, eaque membris ad hoc à natura deputatis. Omnis igitur usus illorum membrorum ad Venerem ab hoc diversus, contra naturam est, non solùm quâ homines, sed etiam quâ animalia sumus. Quocirca genus hoc libidinis plusquàm bestiale est.

Quæres, cur fœminei sexus hîc meminerit, cùm de philosophis ageret: Idcircò, ni fallor, ut ostendat punitionem & exempla virorum redundasse etiam in fœminas. Id enim insinuat Græca lectio: *Nam & fœminæ eorum*, &c. quasi dicat, culpâ virorum etiam ad fœminas turpitudinem manasse: quod in Sappho poëtria notatur: tametsi mox redit ad viros.

27. SIMILITER AUTEM ET MASCULI RELICTO NATURALI USU FOEMINÆ. Græcè ὁμοίως τε. *similiterque.* Interpres pro τε legit δὲ. Sed ad sensum nihil penè facit ea varietas. Suntque codices qui neutrum habeant.

EXARCERUNT IN DESIDERIIS SUIS IN INVICEM. Græcè non est, *in desideriis suis*; sed, ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν, *in appetentia sui ipsorum*, id est mutua, quod explicatur parte subjuncta, *in invicem*, sive alius in alium. Et ampliùs per id quod sequitur.

MASCULI IN MASCULOS TURPITUDINEM OPERANTES. Græcè κατεργαζόμενοι, quod non simpliciter est, *operantes*, sed studiosè & impensè operantes, ut Græci interpretantur. Erasmus vertit, *fœditatem perpetrantes.* Porrò videri cuipiam posset Apostolum hac parte, *Similiter autem*, &c. non speciatim loqui de philosophis, sed in genere de sexu masculino, qui in illa cœca Gentilitate erat hoc infandæ libidinis vitio vehementer corruptus.

Putant etiam nonnulli Paulum hîc & in versu præcedente respicere ad obscœnitatem sacrorum Gentilium, velut Liberi patris & Cybeles, in quibus, ut referunt historici, turpia quædam & nefanda sub velamine mysteriorum agebantur. Verùm ut etiam hic locus de philosophis intelligatur, postulat series disputationis: nec ad diversos referri permittit hoc quod deinceps sequitur de mercede reddita illis *qui non probaverunt Deum habere in notitiâ*: Nisi fortè quis indignum putet de philosophis, præsertim iis quorum sanctior erat professio, tam fœda suspicari. Sed non putabit, qui fidem habeat antiquis & fide dignis authoribus.

Hæc obscœnitas de philosophis etiam intelligenda.

Etenim Socratem illum inter philosophos laudatissimum hujus criminis, id est, obscœni adolescentum amoris reum faciunt non solùm nostri, ut Tertullianus *in apol. adversus Gentes cap. 46. & lib. de anima cap. 1.* Gregorius quoque Nazianzenus *orat. 1. adversus Julianum*, & *in carmine de virtute*: verùm etiá Athenæus scriptor ethnicus *lib. 13. dipnosophistarum*: ut taceam Lucianum, qui Socratem hoc nomine sæpe insectatur: præcipuè & apertissimè in dialogo, cui titulus *Amores.* Et quidem Athenæus etiam Aristotelem atque Zenonem cum sua Stoïcorum familia, turpitudinis hujus insimulat. Nec Zenoni hac in re pepercit Diogenes Laertius, etsi ipse quoque philosophus: imò nec Platoni, quamvis tam sublimiter erudito, ut divinus agnominaretur: tametsi Platonem ipsi sui dialogi, ut ab eo conscripti sunt, satis suspectum faciunt. De quo præterea refert Theodoritus *in libro de legibus*, qui est de Græcanicarum affectionum curatione nonus, eum inter alia multa turpia & absurda quæ legibus statuit, etiam istam puerorum quam vocant ἐρωτικὴν, usque adeò laudasse, ut huic amori præmium apud cælites promitteret. Atque hic scilicet ille divinus est Plato; tot tantisque suorum encomiis celebratus.

Addo quod de Licurgo commemorat eodem libro Theodoritus: & quod de Solone Chrysostomus in commentario; nempe eos latâ lege Venerem hujusmodi suis populis permisisse: nisi quòd servos ab hoc beneficio Solon excluso voluit. Qui duo quamquam non Philosophi professione fuere, sed legislatores officio, leges tamen eorum Philosophi laudaverunt: quorum itidem multos libros hocce morbo refertos inveniri, testatur idem Chrysostomus; Denique quos in universum accusat hoc crimine Lucianus. Pudet hæc attingere: sed tamen necesse fuit propter aliquam hujus loci, quem exponimus, illustrationem.

ET MERCEDEM QUAM OPORTUIT ERRORIS SUI IN SEMETIPSIS RECIPIENTES. Id est, retributionem errori & peccato suo condignam & congruentem velut quâdam talionis lege in suis ipsorum corporibus recipientes. Congruentiam hujus pœnæ jam superiùs explicavimus. Eam tamen paulò aliter explicat Chrysost. scribens in Psalm. 124. *quia*, inquit, *sicut commutaverunt veritatem Dei in mendacium; ita traditi sunt, ut naturalem usum commutarent in eum qui est contra naturam.* Pro mercede, Græcè est dictio composita ἀντιμισθία, q. d. compensationem, id est mercedem meritis respondentem. Hîc ergo jam manifestiùs significat Apostolus hujusmodi peccata fuisse præcedentium peccatorum pœnas. Dicit *erroris sui*, quia licèt Deum verè cognovissent, in eo tamen errabant gravissimè, quòd honores divinos pu-

Quædam peccata pœna præcedentium peccatorum.

tarent vel ſaltem per ſimulationem exhibendos eſſe creaturis & earum ſimulacris.

28. ET SICUT NON PROBAVERUNT DEUM HABERE IN NOTITIA, TRADIDIT ILLOS DEUS IN REPROBUM SENSUM. Græcè *in reprobam mentem*, quomodo citat Aug. *lib. de prædeſt. ſanct. c. 10.* & alibi. Notanda antitheſis cum alluſione vocum inter *probaverunt* & *reprobum*, quæ magis apparet in vocabulis Græcis ἐδοκίμασαν & ἀδόκιμον. Senſus: Et ſicut non probaverunt neque æſtimaverunt beneficium à Deo acceptum, quod erat *Deum habere in notitia*, id eſt, Deum cognoviſſe: ſed magis illud ingratorum hominum more parvipendere viſi ſunt, quia cùm Deum noſſent, non eum ut dignus erat honorarunt: ita viciſſim in pœnam tantæ ingratitudinis tradidit illos Deus in reprobam mentem, id eſt, permiſit eos ſibimetipſis: Quo factum, ut mentem induerint judicij prorſus depravati, quam proinde nemo probet, ſed omnes ut vilem & improbam contemnant.

UT FACIANT EA QUÆ NON CONVENIUNT. Eventus ſignificatur, non cauſa finalis. Nam ſenſus eſt: ita ut faciant ea quæ facere non convenit, id eſt, ea quæ maximè homines dédecent, utpote res turpiſſimas. Figura eſt ſcripturis frequens, quâ minus dicitur, plus intelligitur: ut Nehem. *Non eſt bona res quam facitis*, id eſt, valdè mala.

29. REPLETOS OMNI INIQUITATE. Ne putes uni vitio ignominioſæ ac nefariæ libidinis fuiſſe obnoxios; oſtendit Apoſtolus in univerſum eos moribus fuiſſe corruptiſſimis, idque congerie vitiorum, quæ hîc deinceps enumerat. In quibus ordinem quærere, quod quidam faciunt, arbitror eſſe ſupervacaneum. Pro *repletos*, verti etiam poteſt *repleti*, idque fortaſſe rectiùs, ut benè monet Eraſmus. Referendum enim potiùs, ad verbum *faciant*, quam ad *tradidit*. Nam priùs erat tradi, quàm his vitiis repleri. Idem judicium de cæteris accuſativis in hac vitiorum enumeratione ſequentibus, *ut plenos invidiâ, contumelioſos, ſuperbos*, &c.

Pro *iniquitate*, Græcè eſt ἀδικίᾳ injuſtitia. Hanc primo loco ponit ut vitium generale, juſtitiæ item generali oppoſitum: cujus deinde varias ſpecies ſubjicit. Quamquam nihil vetat juſtitiam ſpeciali juſtitiæ oppoſitam intelligi, quâ tranquilitas reipublicæ plurimum læditur, & quæ Græco nomine propriiſſimè ſignificatur. Dicit autem repletos omni injuſtitia, id eſt, omni genere injuſtitiæ. Nam & ſpecialis injuſtitia per varias ſpecies diffunditur

MALITIA. Id eſt nocendi ſtudio, quod diabolicum eſt vitium, Græcè πονηρία. Unde diabolus per antonomaſiam *malus*, Græcè πονηρὸς, paſſim in ſcripturâ Novi Teſtamenti vocatur.

FORNICATIONE. Quo nomine comprehenditur omnis illicitus concubitus viri cum fœmina. Notandum hæc duo *malitia* & *fornicatione* in textu Græco & Syriaco legi ordine commutato. Sed id potuit accidiſſe ex ſimilitudine Græcarum vocum πορνεία, πονηρία.

AVARITIA. Græcè, πλεονεξία. Quâ voce ſignificatur ſtudium plus quam ſibi competat habendi, uſurpandi, occupandi, quaſi dicas plurishabentiam: Nec id ſolum in divitiis, ſed etiam in honoribus, aliiſque rebus. Nam & ad libidines transfertur interdum, ut *Epheſ.* 4. Quomodo etiam hoc loco accipi poteſt non ineptè.

NEQUITIA. Græca dictio κακία ferè idem ſignificat quod ea quam paulò antè malitiam vertit interpres. Aptè tamen diſtinguitur, quod πονηρία verſutiam, id eſt, fallax nocendi ſtudium, κακία perverſitatem animi propriè ſignificare videntur.

29. PLENOS INVIDIA, HOMICIDIO. Ut ſimilis ſoni ſunt voces in Græco φθόνος, φόνος, ita vitia cognata, quorum alterum oritur ex altero: juxta illud Sap. 2. *Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Et 1. Joannis 3. *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*: ſcilicet aut re aut voluntate. Quare & hîc ſub homicidio voluntatem occidendi comprehende. Nam hi de quibus Apoſtolus loquitur, ut invidia pleni erant, ita voluntate erant homicidæ; cæterùm ab opere perpetrando legibus deterriti.

CONTENTIONE, DOLO. Hæc quoque vitia cum invidia & homicidio generis ſunt ejuſdem. Contentio eſt cùm quis certat ſtudio vincendi, non amore veritatis. Dolus machinatio eſt ad fallendum.

MALIGNITATE, ſcilicet eâ quæ in moribus appareret. Id enim ſignificat vox Græca κακοηθεία, quam poſſis moroſitatem, ſeu morum aſperitatem ac difficultatem dicere.

30. SUSURRONES, DETRACTORES. Significantur ij qui proximos occultè mordent, illi ut ſolvant amicitiam, iſti ut lacerent famam. Vitia linguæ plus ſatis nota, ac nimiùm frequentia.

DEO ODIBILES. Hanc partem gloſſâ quædam annectit parti præcedenti, tamquam ſentiat Apoſtolus detractores eſſe Deo odibiles. Sed meliùs ſeorſim legitur, ut cætera vitia hîc enumerata. Græcè una dictio eſt θεοστυγεῖς: quæ tam ſignificat eos quibus Deus exoſus eſt, quàm qui exoſi Deo. Prior ſignificatio magis quadrat huic loco. Referuntur enim vitia hominum, non Dei erga homines affectus. Unde Cyprianus Epiſt. 68. legit *abhorrentes Deo*, id eſt, quib. Deus eſt horrori, nimirum propter juſtitiam quâ vindicat in malos. Itaque parit hoc vitium ſcelerata conſcientia. Reddunt hunc ſenſum etiam Græcorum ſcholia. At Theophylactus utrùmque ſenſum nudè propoſuit.

CONTUMELIOSOS. Græcè ὑβριστὰς: quâ voce ferè ſignificatur contumelia facti, ut eſt hominum ferocium, qui alios per vim opprimunt. Cyprianus legit *injurioſos*.

SUPERBOS. Non ſolum in eo ſuperbos quòd Deum cognitum non ſicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, ſed ſe ſapientes eſſe dixerunt; quod eorum peccatum ſuprà commemoratum fuit ab Apoſtolo: verum ĕt quod ſapientes nomine ſeſe cæteris hominib. præferentes, eam animi ſuperbiam externo faſtu morum oſtenderent: adeò ut de hoc vitio ĕt apud vulgus malè audirent. Atque iſtud hoc loco propriè ſignificatum videtur. Eodemque pertinet quod ſequitur.

ELATOS. Græcè ἀλαζόνας, pro quo Cyprianus legit *jactantes ſui*. Latini vocant glorioſos, qualis ille miles apud Terent. *Elatos* & *ſuperbos* habes etiam 2. Tim. 3. poſitos in ſerie magnorum vitiorum.

INVENTORES MALORUM. Id eſt, qui non contenti vitiis, flagitiis, aliiſve exceſſibus, quos alii jam ante invenerunt, etiam ipſi nova luxus ac libidinum genera modoſque excogitant. Poteſt etiam intelligi de malis, id eſt, nocumentis ac nocendi inſtrumentis quibus alij læduntur.

PARENTIBUS NON OBEDIENTES. Græcè ἀπειθεῖς, inobedientes, immorigeri, refractarij, qui monitis nolunt acquieſcere. Græca vox ſonat, ac ſi dicas imperſuaſibiles, quâ paſſim in Scriptura ſignificantur increduli. Sed hîc propter adjunctum dativum *parentibus* obedientiæ opponitur. Addidit hanc partem Apoſtolus, quâ doceat illorum malitiam eò progreſſam, ut adverſus ipſam naturam pugnarent, non ſolum in turpitudine voluptatum, quod jam dictum eſt: verùm etiam detrectando honore & obſequio parentibus debito. Sed & hoc vitium poſuit 2. Tim. 3. inter ea quibus tempora redduntur periculoſa.

31. INSIPIENTES. Vox Græca quam & ante habuimus, ubi nominavit *inſipiens cor eorum*, ſignificat intelligentia deſtitutos, id eſt, non recto rationis judicio utentes. In quod vitium ferè incidunt qui venerunt in conſuetudinem peccandi.

INCOMPOSITOS. Hoc eſt, inquit Theophylactus,

in fœdere non permanentes, fœdifragos. Compoſitionem ergo eam intelligit quæ eſt in pactis & conventis. Atque id ſecutus Eraſmus vertit *pactorum haud quaquam tenaces*: Sed quia mox ſequitur *abſque fœdere*, poſſunt hîc accipi qui moribus ſunt inurbanis & imcompoſitis, & ab humanitate alienis. Nam & illud vox Græca ſignificat. Eſtque etiam hîc in Græco obſervanda grata vocum alluſio hujus & præcedentis, ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους: quâ nimirum innuere voluit vitiorum affinitatem. Nam ſtultitia mentis ſtatim in mores redundat.

SINE AFFECTIONE, ABSQUE FOEDERE, SINE MISERICORDIA. In Græco ſunt ſingula nomina, ἀστόργους, ἀσπόνδους, ἀνελεήμονας quorum duo priora conjunxit etiam 2. Tim. 3. Et quidem ἄστοργοι Græcis dicuntur, qui nullo tanguntur pietatis aut charitatis affectu, qualis etiam naturaliter eſſe ſolet inter parentes & liberos, atque alios ſanguine vel ſimili neceſſitudine conſtrictos. Ἄσπονδοι dicuntur qui fidem & fœdera non ſervant. Quamquam etiam intelligi poſſunt implacabiles, qui ſemel offenſi reconciliationem non admittunt. Nam & hi Græca voce ſignificantur. Utraque certè ſignificatio præſenti loco benè quadrat. Ἀνελεήμονες id eſt *immiſericordes*, *immites*: qui non commoventur alienis miſeriis, ſive ut eas benignè ſublevent, ſive ne eas injuſtè vel crudeliter inferant.

Quidam ſuſpicantur Apoſtolum hæc duo *ſine affectione* & *ſine miſericordia* (quæ vitia ſunt admodum inter ſe cognata) huc aſſcripſiſſe propter Stoicos philoſophos qui ἀπάθειαν docuerunt, id eſt, paſſionum ſive affectionum vacuitatem: neſcientes virum bonum paſſionibus uti debere ut ſtimulis ad opera virtutum. Quâ de re Aug. conſule. 14. de civ. Dei c. 9.

32. QUI CUM JUSTITIAM DEI COGNOVISSENT, NON INTELLEXERUNT, QUONIAM QUI TALIA AGUNT DIGNI SUNT MORTE; ET NON SOLUM QUI EA FACIUNT, SED ETIAM QUI CONSENTIUNT FACIENTIBUS. Sic codices Romanæ correctionis: tametſi plerique alij ſine conjunctione legunt, *Digni ſunt morte, non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam* &c. Cæterùm à Latinis tam Græca quam Syriaca non parum diſcrepant. Sic enim habent: *Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, quia qui talia agunt digni ſunt morte, non ſolum ea faciunt, ſed etiam conſentiunt facientibus. Juſtitiam* Græcè δικαίωμα *juſtificationem*. Sed ſæpè pro juſtitia ponitur. In hunc autem modum Græcos omnes interpretes olim legiſſe, quamvis apud nonnullos textus irrepſerit vulgatæ verſionis Latinæ (quod dico potiſſimùm propter Origenem) patet ex eorum commentariis. Oecumenius ita utriuſque meminit lectionis, ut eam quæ Latinorum eſt codicum, ex profeſſo refellat. Cajetanus affirmat in Latinis literam eſſe corruptam.

Græca & Syriaca lectio potior Latina.

Sanè conſtat etiam Latinos quoſdam olim legiſſe prorſus aut propemodum, quomodo Græci. Nam Cyprianus loco ſuperiùs citato, juxta fidem multorum exemplarium manuſcriptorum ſic verba Apoſtoli recitat. *Qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, non tantùm faciunt mala, ſed & conſentiunt eis qui hæc agunt*: ac deinde ſubjungit: *quoniam qui talia*, inquit, *agunt, digni ſunt morte*. Quæ lectio Græcis conſonat, eo ſolum excepto quòd ordinem ſententiæ paulùm immutet, verba quædam è medio ſublata collocans in fine. Auguſtinus quoque in expoſitione quarumdam propoſitionum hujus epiſt. juxta codices antiquiores ita legit: *Non ſolùm ea faciunt, ſed etiam conſentiunt facientibus*. Atque eam lectionem ſubjuncta ejus expoſitio confirmat. Item Symmachus Papa locum hunc adverſus Anaſtaſium imperatorem profert, ut doceat gravius eſſe conſentire quàm facere. Quod ex hoc loco nequaquâm habetur, niſi legamus ut Græci.

Secundum hos igitur planus eſt ſenſus hujuſmodi: Qui philoſophi & ſapientes cùm præter alia quæ de Deo didicerunt, etiam juſtitiam Dei cognoviſſent, ſecundùm quam digni ſunt morte qui talia, quæ jam commemorata, agunt; non ſolum tamen ipſi ea faciunt, quod in multis ignorantiæ aut infirmitati poterat imputari; verùm etiam conſentiunt aliis talia facientibus, id eſt, ea in aliis ſuo conſenſu, adulatione & autorithate fovent. Hoc enim abſque dubio majoris erat malitiæ, quàm ſi ipſi ſolum talia perpetraſſent. Nam is qui facit, ſemel peccat: qui facientibus conſentit, bis peccat, in ſe, & in alio, cujus peccatum, conſentiendo, vel etiam fovendo, facit ſuum: eóque magis, ſi illum avertere debebat à peccato. Quod ſanè eorum erat qui ſe ſapientes in populo profitebantur.

Senſus Latinæ lectionis eſt: philoſophos etſi juſtitiam Dei cognoviſſent, malitia tamen ſua excœcatos non eam ante oculos habuiſſe, nec conſideraſſe, quod exigente Dei juſtitia morte digni ſunt qui talia faciunt: nec ſolum qui talia faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus: etiamſi fortè per ſe ipſi quædam talia nec faciant, nec facere vellent.

Notandum autem lectionem Latinam à Græca non differre mutatione aliqua verborum, ſed tantum additione. Hæc enim amplius habet, *non intellexerunt. & qui* duobus locis, & in Romanis voculam *&*. Equidem addita putarim vel ab interprete, vel potiùs ab alio vel aliis poſteà; quod alioqui ſententia videretur abſurditatem continere: cum vulgi judicio graviùs peccent qui faciunt, quàm qui conſentiunt. Quam rationem lectionis à nonnullis etiam Græcis immutatæ, ſuis in ſcholiis adfert Oecumenius. Porro philoſophos qui Deum cognoverunt, etiam juſtitiam Dei cognoviſſe, quâ ſcelera non dimittit impunita, liquet ex eorum ſcriptis, nominatim Platonis, qui in *Dialogo 9. & 12. de legibus*, affirmat impios maxima ſuorum ſcelerum poſt mortem ſupplicia manere.

CAPUT SECUNDUM.

1. PROpter quod inexcuſabilis es ô homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipſum condemnas; eadem enim agis quæ judicas. 2. Scimus enim quoniam judicium Dei eſt ſecundùm veritatem in eos qui talia agunt 3. Exiſtimas autem hoc ô homo, qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei? 4. An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? 5. Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicij Dei, 6. qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus: 7. iis quidem qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: 8. iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio: 9. Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum, & Græci: 10. gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primum, & Græco: 11. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. 12. Quicumque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. 13. Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. 14. Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: 15. Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus, 16. In die, cùm judicabit Deus occulta hominum, ſecundùm Evangelium meum, per Jeſum Chriſtum. 17. Si autem tu Judæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo. 18. & noſti voluntatem ejus, & probas utiliora inſtructus per legem, 19. confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, 20. Eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege, 21. Qui ergo alium doces, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: 22. Qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis: 23. Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. (Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes,

Mat. 7. a 2.
Mat. 16. d. 27.
Deut. 16. d. 17.
Job. 34. b. 19.
Act. 10. c. 34.
Mat. 7. d. 21.
Jac. 1. d. 22.
Iſa 52. b. 5.
Ezec. 36. c. 20.

ſicut ſcripum eſt (25. Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves : ſi autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt. 26. Si ergo præputium juſtitias legis cuſtodiat : nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur ? 27. & judicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per litteram & circumciſionem prævaricator legis es ? 28. Non enim qui in manifeſto, Judæus eſt; neque quæ in manifeſto, in carne eſt circumciſio : 29. ſed qui in abſcondito, Judæus eſt: & circumciſio cordis in ſpiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

SUMMARIUM.

Judæos ethnicorum reprehenſores oſtendit inexcuſabiles, ac Dei judicio reddentis unicuique ſecundum opera condemnandos, quòd legem à Deo acceptam, in qua gloriabantur, non ſervarent : cùm è diverſo Gentiles non acceptâ lege, facerent tamen ea quæ legis ſunt.

PROPTER QUOD INEXCUSABILIS ES, Ô HOMO, OMNIS QUI JUDICAS. Hactenus Gentilium peccata & vitia detexit Apoſtolus : Nunc quadam inſinuatione ac tacito nomine tranſit ad reprehenſionem Judæorum, qui Gentiles tot vitiis contaminatos deſpiciebant ut immundos, ac Dei beneficiis judicabant indignos. Idque ſignificatur ſtatim initio capitis. Nam qui referunt hunc locum ad principes & magiſtratus publica judicia exercentes, (quæ Græcorum eſt expoſitio) non ſatis attendiſſe videntur ad ſcopum Apoſtoli. Vult enim oſtendere omnes ſub peccato eſſe. Quod cum de Gentilibus jam docuerit, nunc de Judæis, qui ſe judices Gentilium faciebant, idipſum proſequitur, uti ſequentia declarabunt. Eſtque hæc Aug. ſententia *l. de ſpir. & lit. c.* 26. Et in expoſitione quarumdam propoſitionum hujus epiſt. Ex quibus etiam liquet non de publicis judiciis hic ſermonem eſſe, ſed de privatis : deinde nec eos Apoſtoli mentem aſſecutos, qui hæc verba connectunt cum extremis cap. præcedentis, tamquam ad eoſdem utraque pertinerent, quum ſint admodum diverſi. Nam hîc introducuntur qui illos damnabant.

Judæos arguit hoc capite, non publicos judices.

Ubi & illud animadverte ; quomodo ſuperiùs philoſophos qui Gentilium erant præcipui, inexcuſabiles oſtendit Apoſtolus ; ita nunc docere Judæorum præcipuos, id eſt, legiſperitos ac magiſtros, nihilo magis apud Deos excuſabiles inveniri. Cohæret autem iſtud initium cum ſuperioribus hoc modo. Quamvis tot & tanta ſint peccata Gentilium, tu autem etiam ô Judæe, qui illos contemnere & tuo judicio condemnare ſoles, inexcuſabilis es, nec ullam prætexere potes peccatis tuis ignorantiam. Ratio ſequitur.

Loc. Moral. De peccatore temerè non judicando.

IN QUO ENIM JUDICAS ALTERUM, TEIPSUM, CONDEMNAS. *In quo ἐν ᾧ* Græciſmus eſt pro eo quod Latinè diceretur, hoc ipſo quod.

EADEM ENIM AGIS QUÆ JUDICAS. Græci codices habent ὁ κρίνων *qui judicas*, ſcilicet alios. Quæ lectio in nonnullis etiam Latinis reperitur. Annuit & Syriaca tranſlatio. *Senſus Apoſtoli eſt* : Nam eo ipſo quo alium judicas peccatorem & morte dignum, conſequenter etiam te condemnas : Eadem enim quæ judicas in aliis (ſive, tu qui judicas alios) ipſe agis vel opere, vel voluntate ſaltem ac deſiderio. Quod enim à quibuſdam abſtines, id facis timore pœnæ quam lex minatur, aut amore laudis humanæ, non amore juſtitiæ. Liquet Apoſtolo eadem eſſe judicare & condemnare, cùm alterum per alterum exponat : ſicut & apud Luc. cap. 6. dicente Domino : *Nolite judicare*, & : *Nolite condemnare*. Itaque judicium condemnationis ſignificatur, ut alibi ſæpiſſimè in Scripturis. Quamquam quod ait *condemnas*, intelligi debet non verbo ſed facto, &, ut dictum eſt, ex conſequenti : quatenus eadem agis quæ judicas.

Eodem recidit Aquinatis expoſitio ; *teipſum condemnas*, id eſt, condemnabilem oſtendis. Ex data jam explicatione perſpicitur illud *propter quod διὸ*, id eſt, *igitur, proinde*, ſignificare quidem illationem quamdam ex ſuperioribus, ſed ita, ut ſupplenda ſit probatio ex verbis ſubſequentibus, *in quo enim judicas*, &c. Quæ res conſiderata ſubmovet obſcuritatem, ob quam nonnulli laborant in connectendo hujus capituli initio cum præcedentibus.

2. SCIMUS ENIM QUONIAM JUDICIUM DEI EST SECUNDUM VERITATEM IN EOS QUI TALIA AGUNT. *Enim*, Græcè *autem*; quemadmodum & legit Amb. comm. *Senſus* : Scimus nos Judæi ex lege nobis à Deo tradita, certiùs quàm Gentiles qui legem non acceperunt, judicium à Deo exercendum ſecundùm veritatem, id eſt, juſtè & ſecundùm merita operum, abſque reſpectu perſonarum, adverſus eos qui talia agunt, cuiuſmodi ſuprà de Gentilibus commemorata ſunt

3. EXISTIMAS AUTEM HOC, Ô HOMO QUI JUDICAS EOS QUI TALIA AGUNT, ET FACIS EA; QUIA TU EFFUGIES JUDICIUM DEI : Ac ſi dicat : Vehementer falleris ô Judæe, ſi exiſtimes aut ſperes te evaſurum juſtum Dei adverſus te judicium, qui alios peccantes tanquam aut doctor aut peritus legis judicas, cùm ipſe eadem facias. Imò ſic judicando gravius tibi ipſi judicium accerſis. Oſtendis enim te non ex ignorantia peccare, ſicut plerique Gentilium, ſed ſcientem prudentemque prævaricari legem. Continet autem hæc pars cum ſuperiori ſyllogiſmum, argumento à minori ſubſtructum, hujuſmodi : Judicium Dei certiſſimè futurum eſt adverſus omnes qui talia faciunt. At tu talia facis, non quomodocumque, ſed ſciens ea eſſe peccata ; quippe qui etenim alios facientes judicas : ergo tu nullo modo effugies Dei judicium, ſed etiam graviùs cæteris punieris. Subindicatur & hoc argumentum : Tu tibi vindicas judicium in alios peccantes ; juſtum igitur eſt & te ſi peccaveris, à Deo judicari; præſertim cùm tu falli poſſis, nec illud tui ſit officii alios judicare : Deus autem infallibilis & incorruptibilis ſit omnium judex. Obiter nota, ſicut hic in Græco ſynonyma ſunt πράσσειν καὶ ποιεῖν ; ita & Latina, agere & facere.

4. AN DIVITIAS BONITATIS EJUS ET PATIENTIÆ ET LONGANIMITATIS CONTEMNIS ? Pergit in objurgando Judæo, hinc allegans Dei bonitatem quâ abutebatur ; inde ſeveritatem proponens judicii divini, quod metuere debeat. In hac parte duplex Hebraiſmus eſt : alter in vocabulo *divitias*, quo ſignificatur abundantia & magnitudo : alter in phraſi qua dicit *divitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis*, pro divite ſive abundanti bonitate, patientia & longanimitate.

Loc. Moral. De Dei benignitate & longanimitate non abutenda & pœnitentia maturè agenda, ne dum cumulamus peccata, accumulemus quoque nobis ſupplicia.

Vox Græca χρηστὸς, quam interpres bonitatem, & mox benignitatem vertit, Syrus dulcedinem vocat, propriè ſignificat eam virtutem, quâ quis ut definiunt philoſophi, libenter ac ſponte aliorum utilitatibus expoſitus eſt. Nam ab utilitate nomen habet. Patientia Dei in eo eſt quòd malos tolerat, Græcè ἀνοχὴ; tametſi metaphoricè Deo tributa. Longanimitatis in eo quòd pœnam in longum tempus differt. Addit enim aliquid ad patientiam. Hæc autem contemnere videtur, qui iis ad ſpem impunitatis, & majorem peccandi licentiam abutitur. Itaque ſenſus eſt : An ô Judæe, ex magna & ſuperabundanti benignitate & longanimi patientia Dei, ſecuritatem & impunitatem tibi promittens permanes in peccatis ?

IGNORAS QUONIAM BENIGNITAS DEI AD PŒNITENTIAM TE ADDUCIT ? *Ignoras*, Græcè ἀγνοῶν *ignorans* : & ita vertiſſe noſtrum Interpretem docent codices manuſcripti probatiores, aſtipulante etiam Cypriano *in libr. de patientia*, & *l. 3. teſtim. ad Quirin. c. 35.* Denique & Amb. commentatore : Tametſi ea varietas non tam in ſenſu verborum eſt, quàm in pronunciatione. *Benignitas* Græcè

τὸ χρηστὸν adjectivum ſubſtantativum, quam modò χρηστότητα dixit. Senſus hujus partis eſt : Cùm certè ignorare non debeas benignitatem Dei te ducere (ſic enim in Græco eſt) id eſt, invitare & provocare ad pœnitentiam.

Notandum benignitate, patientia & longanimitate Dei vocari peccatores ad pœnitentiam, ſed communi & generali vocationis modo, qui conſiſtit tum in externis beneficiis, quæ plurima præſtita fuerant populo Judaïco, ut hæc præcipua, lex, doctrina, prophetæ, Meſſias promiſſus atque exhibitus: tum quantum ad omnes, in obvia Dei cognitione ex creaturis, de qua cap. præcedenti : *Deus enim illis manifeſtavit :* denique in lege naturæ omnium animis impreſſa; de qua poſt paululum. Verum toto hoc vocationis genere, niſi ſpecialis & efficax accedat vocatio, homines abutuntur, etiam ad magis peccandum. Quare nihil hic locus adjuvat eos qui ſentiunt omnibus hominibus gratiam à Deo dari vel offerri ſufficiẽtem. Quam opinionem (ut alia taceam) planè deſtruunt ea quæ Paulus in hac ipſa epiſtola diſputat de gratuita Dei electione.

5. SECUNDUM AUTEM DURITIAM TUAM ET IMPOENITENS COR, THESAURIZAS TIBI IRAM IN DIE IRÆ ET REVELATIONIS JUSTI JUDICII DEI. Quædam Græca particulam copulantem ſecundò repetunt : *in die iræ & revelationis & juſti judicii Dei.* Quomodo Theophylactum legiſſe conſtat. Legit & Oecumenius, tametſi ſenſum reddit noſtræ lectioni conſentaneum. Revera namque ſecundo loco redundat ea particula, ac ſenſui officit. *Theſaurizas*, Græcum eſt θησαυρίζεις, id eſt, colligis, accumulas inſtar theſauri. Ira more Scripturæ rurſus pro vindicta poſita eſt, ſicut cap. præcedenti.

Ac meritò diem judicii vocat diem iræ, quia tunc impiis nulla erit ſpes miſericordiæ, ſicut nunc eſt dum vivunt. Eumdem vocat diem *revelationis juſti judici*, Græcè δικαιοκρισίας, id eſt, diem quo palàm exercebitur juſtum in omnes judicium : quando non ſolùm manifeſtabuntur omnibus omnium merita bona & mala; verùm etiam manifeſtè conſtabit juſtum eſſe Dei judicium in omnes. *In die*, id eſt, in diem, quemadmodum cap. præced. *in ſimilitudine*, *in mendacio*. Sic Jacob 5. *in die occiſionis*. Senſus hujus partis : Tu verò pro duritia tua & corde impœnitente, id eſt, per hoc quòd Dei bonitate te invitante non emolliris ad pœnitentiam, ſed magis obdureſcis in peccatis; accumulas tibi quemdam pœnarum theſaurum apud juſtitiam Dei in tempus illud terribilis ac manifecti ejus judicii, quo theſaurus ille pœnarum univerſus ſuper te ſimul effundetur.

6. QUI REDDET UNICUIQUE SECUNDUM OPERA EJUS. Hoc enim eſt juſtum exercere judicium. *Queres* an redditurus ſit unicuique ſecundum omnia ejus opera tam bona quàm mala. Reſpõdeo ſecundùm omnia bona, quæ non invenientur mortificata : & ſecundùm omnia mala, quæ non invenientur remiſſa. Nam & illa mortificata & hæc remiſſa ſic habebuntur in illo judicio, tamquam facta nunquam fuiſſent. Omnia quidem prorſus & bona & mala, quæcumq; quis fecerit, in illo judicio proferentur in lucem, & (ut humano more loquar) examini ſubjicientur : ſed omnes tam bonorum ceſſationes, quàm malorum remiſſiones ac ſolutiones anteà factæ, in rationes imputabuntur. Circa eamdem hanc partem ab Hugone Victo. ſeptem moventur quæſtiunculæ : quarum explicationem qui volet, ab ipſo repetat.

Dubitatio ſolvitur.

7. IIS QUIDEM QUI SECUNDUM PATIENTIAM BONI OPERIS, GLORIAM ET HONOREM ET INCORTUPTIONEM QUÆRUNT, VITAM ÆTERNAM. Pro *quærunt* legendum arbitror *quærentibus*. Sic enim habent omnes codices manuſcriptorum quos habere aut videre contigit Franciſco Lucæ diligentiſſimo veræ lectionis in Bibliis vulgatæ verſionis indagatori. Nec ſecùs legunt plerique omnes hujus Epiſtolæ Latini expoſitores, tam veteres quàm recentiores, ſuffragante etiam textu commentatoris Amb. & Gregorio *lib. 28. mor. c. 6.* Denique lectionem hanc omninò poſtulat Græcus contextus : licet alioqui dictio Græca ζητοῦσι ambigua ſit ad verbum & participium. Nec obſtat relativum *qui*, quod in Græco non eſt, rectè tamen poſitum ab inteprete noſtro: nam ſubauditur verbum ſubſtantivum : *iis quidem qui ſunt ſecundùm patientiam boni operis*, ſicut expreſſum habetur in altera parte ſententiæ : *qui ſunt ex contentione.*

Hac igitur lectione conſtituta, duplex eſt iſtius partis expoſitio, prout illud *quærentibus* vel ad præcedentes accuſativos, vel ad ſequentes referri poteſt. Quæ amphibolia æquè eſt in Græco. Si cum præcedentibus conſtruatur, erit hic ſenſus : Iis qui in converſatione perſeverantes, nec eam propter ulla adverſa deſerentes (hoc enim ſignificat *boni operis patientia*, Græcè ὑπομονὴ, vocabulum à ſuperiore diverſum) gloriam & honorem apud Deum atque in Deo, & incorruptionem, id eſt, immortalitatem quærunt, reddet Deus vitam æternam. Hunc ſenſum perhibent Origenes, Chryſoſt. & Theophilactus. Duplex ſenſus duplici conſtructioni reſpondens.

At ſi cum ſequentibus, ſenſus eſt : Iis qui perſeverant in benefactis, & ex iis quærunt vitam æternam, reddet gloriam & honorem & incorruptionem, id eſt, ipſam vitam æternam. Sic ferè Latini Tractatores exponunt, & cum his Gregorius Romanus loco ſuprà citato : ac præterea Græcus Oecumenius, qui annotat hoc loco hyperbaton eſſe.

Hæc expoſitio germanior nobis videtur. Convenit enim cum eo quod paulò pòſt dicitur : *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum.* Notandum eſt in Scripturis gloriam & honorem ſæpè conjungi. Quamvis enim differant, quòd gloria ſit frequens de aliquo fama cum laude; honor autem teſtimonium virtutis : in eo tamen conveniunt, quòd virtutum opera conſequi ſoleant. Unde meritò nominantur hæc duo, ubi de remuneratione virtutum ac bonorum operum agitur.

8. IIS AUTEM QUI SUNT EX CONTENTIONE ET QUI NON ACQUIESCUNT VERITATI, CREDUNT AUTEM INIQUITATI, IRA ET INDIGNATIO. Supple ex ſuperioribus, reddetur à Deo. Poterat in Latino retineri idem verbum: *qui non credunt veritati, credunt autem iniquitati :* ut ſervaretur alluſio vocum quæ in Græco eſt, ἀπειθοῦσι, πειθομένοις. Eraſmus : *Qui veritati quidem non obtemperant, ſed obtemperant injuſtitiæ.* Porrò ſenſus eſt: Iis verò qui contentioſi ſunt, nec acquieſcunt veritati divinæ, id eſt, evangelio ſibi annunciato, ſive credenda ſpectes ſive agenda: ſed magis eligunt credere, id eſt, acquieſcere & adhærere injuſtitiæ, & doctrinis, quibus injuſta & corrupta vita foveatur : iis, inquam, retribuetur à juſto Judice Deo *indignatio & ira* (hic enim eſt ordo in Græco, θυμὸς καὶ ὀργὴ) id eſt, grave ſupplicium, quale ab animo irato expectari ſolet. Contentionem dicit eorum, qui ſenſa capitis ſui non ratione, ſed animi pertinacia defendunt. Quales ut plurimum erant Judæi, quorum ingenium hac voce perſtringere videtur. Porrò totus hic locus apertiſſimè declarat id quod ab hæreticis negatur, Deum benè operantibus redditurum vitam æternam, & quidem habito reſpectu ad opera, & juxta conditionem operum. Idem enim planè convincit vocabulum reddendi ſeu retribuendi.

9. TRIBULATIO ET ANGUSTIA IN OMNEM ANIMAM HOMINIS OPERANTIS MALUM. Hæ voces *tribulatio & anguſtia* à quibuſdam adjunguntur parti præcedenti. Volunt enim congeriem eſſe quatuor vocum penè idem ſignificantium, quâ divinam in impios ultionem Paulus exaggeret. At plerique novum verſum hic faciunt; in quo ſit repetitio ſuperioris antitheſis ſub aliis verbis & in ordine converſo.

Nam alioqui pars sequens omninò suspensa remaneret & imperfecta ; nisi suppleas cum Origene, id est, *in omnem animam hominis*, &c.

Verùm si congeriem facere voluisset Apostolus, addidisset conjunctivam particulam, *& tribulatio*, &c. *In omnem animam hominis.* Hebraismus ; Id est in omnem hominem. Subauditur aut, ventura est, aut quid simile. Nec dixit ; in omnem animam hominis injusti, sed operantis malum: Et mox *omni operanti bonum*, non autem, omni bono sive justo : quia retributio sive in bonum sive in malum propriè respicit opera, tamquam merita quædam, non autem habitus, ut quibus propria ratio meriti non convenit.

JUDÆI PRIMUM ET GRÆCI, id est, tam Judæi quàm Gentilis : primùm tamen ac præcipuè Judæi cùm propter insignes illius populi prærogativas apud Deum, tum quia priùs oblata ei fuit gratia evangelii : ut hoc pacto qui potior fuit in beneficiis, etiam principalior sit in pœnis.

10. GLORIA AUTEM ET HONOR ET PAX OMNI OPERANTI BONUM. Gloriæ & honori pacem adjungit, ut significet benè operantibus futuram omnium bonorum quietam, perpetuam, certam & securam possessionem. Hanc partem Origenes de iis exponit sive Judæis sive Gentilibus, qui in Christum non crediderunt, opera tamen fecerunt justitiæ, misericordiæ, temperantiæ, cæterarumque virtutum: quos dicit non quidem habituros vitam æternam, nec intraturos in regnum cœlorum, eò quòd fidem non habuerint ; accepturos tamen juxta Pauli sententiam, ex suis operibus in Dei judicio gloriam & honorem & pacem. Sed hæc Origenis doctrina (quam tamen judicio lectoris submittit vel ipse, vel ejus interpres Ruffinus) cæteris ejus erroribus annumeretur. Constat enim sine fide Christi neminem posse benè vivere. Sed etsi in Christum non credens aliqua faciat opera bona, non ea tamen esse ejusmodi, quæ gloriam & honorem & pacē apud Deum judicem mereantur.

Expositio Origenis erronea.

JUDÆO PRIMUM ET GRÆCO. Istud adjicit etiam hoc loco, ut gentem suam honoret, quam in priori parte videbatur depressisse.

11. NON ENIM EST ACCEPTIO PERSONARUM APUD DEUM. *Acceptio personarum*, Græcè προσωπολημψία. Laurentius & Erasmus personarum respectum dicere malunt. Sic Matth. 22. *Non enim respicis personam hominum.* Sensus : Deus in judicando non respicit cujusquam personam, quod exempli gratia, vel Judæus sit, vel doctus, vel dives, vel potens, vel nobilis, sed tantum respicit ad merita causæ. Est enim personarum acceptio, quùm in præmiis aut pœnis ex justitia decernendis, vel omninò in judiciis seu publicis seu privatis, prætermissa ratione meritorum respicitur ad eas hominum qualitates, quæ nihil ad rem faciant de qua judicandum sit. Neque enim locum habet acceptio personarum in iis quæ merè gratuita sunt, ut in eleemosynis : Unde non est acceptor personarum Deus, quando ex universo hominum genere alios elegit, alios reprobat ; aliis dat gratiam, aliis non dat. Electio enim ad gratiam indebita est, ut & ipsa gratia.

Quid sit personarum acceptio : & unde illa phrasis orta.

Notādum est autem hanc phraisim quâ quis dicitur acceptor personarum (quæ quidem sacris literis peculiaris est) manasse ab Hebræis, quibus accipere vel sumere faciem, vel respicere in faciem hominis dicuntur, qui eum propter aliquam qualitatem quam in illo conspiciunt aut noverunt, ut propter potentiam, opulentiam, nobilitatem, consanguinitatem ita reverentur aut amant, ut propterea ab eo quod verum, justum, rectum est, judicando deflectant. Hinc illa est ad judices increpatio Psalm. 81. *Usquequò judicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* Unde & Pharisæi cum Herodianis Christo fallaciter assentantes dicebant : *Non enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces*, Marci 12. Pro quo apud Matthæum noster vertit, respicere personam. Quò pertinet quod justitia solet cæca pingi : quia nimirum facies hominum non aspicit. Quoniam autem vox Græca πρόσωπον à quâ compositum προσωπολημψία personarum acceptio, significat & faciem & personam : inde factum ut interpretes Latini modo faciem, modo personam accipere, sint interpretati, cùm Hebraica dictio פנים phanim propriè tantum significet facies. Unde & Syrus interpretatur acceptionem facierum, hîc & Jacob. 2.

12. QUICUMQUE ENIM SINE LEGE PECCAVERUNT, SINE LEGE PERIBUNT. Græcè & Syrè cum adjecta copula *& peribunt*, quam & habent Latina quædam manuscriptorum pervetusta : nec ociosa est copula. Nam quasi dicit: Qui ἀνόμως peccaverunt, ἀνόμως quoque peribunt.

ET QUICUMQUE IN LEGE PECCAVERUNT, PER LEGEM JUDICABUNTUR. *In lege*, id est, sub lege, acceptâ lege. Legem intelligit non quamcumque, sed scriptam seu positivam à Deo traditam. Alioqui sine lege peccare non contingit, cùm peccatum non sit aliud quàm legis alicujus transgressio. Quamquam & humana legislatio apud Græcos non admodum antiqua fuit. Quod inde colligitur, quia νόμος apud Homerum nusquam legitur. Verumtamen hìc de lege divina sermonem esse constat; *ut sensus sit* : Quicumque peccaverunt, non accepta lege scripta a Deo, peribunt, non tamen condemnante eos lege scripta, quam non acceperunt, sed sola lege naturæ contra quam peccaverunt. Qui verò lege à Deo sibi tradita contra eam peccaverunt, per eam ipsam legem condemnabuntur. Prius membrum competit in Gentiles, posterius in Judæos.

Nec minus est judicari quàm perire : quemadmodum sensisse videtur Hieronymus *lib. 1. dialog. contra Pelag. cap. 9.* negans eos perituros qui in lege peccaverunt, sed tantùm judicandos : nam judicium interpretatur de pœna tēporaria, perditionem de æterna; tametsi declarat se loqui de credentibus in Deum. Verùm hanc ipsius Hieronymi tacito nomine sententiam, velut à veritate alienam, & à mente Pauli dissentaneam benè corrigit Augustinus in explanatione *Psal. 118. concione 5.* ac pleniùs hujusmodi commentarium redarguit *lib. de fide & op. cap. 23.* Nam judicium constat intelligi in condemnationem & interitum. Ac potiùs significatur deterioris esse conditionis eos qui per legem judicabuntur ; quoniam, ut ait Aug. scientes peccaverunt : tantùm abest ut profuturum sit eis, legem audivisse.

NON ENIM AUDITORES LEGIS JUSTI SUNT APUD DEUM ; SED FACTORES LEGIS JUSTIFICABUNTUR. *Sunt* non exprimitur in Græco : & suppleri potest *erunt* ; ut respondeat alteri verbo *justificabuntur.* Pressiùs urgere nunc incipit Judæos, qui legem acceperant & in ea gloriabantur, nec tamen eam observabant : sicque à justitia remotos & peccato subjectos esse ostendit. Prior pars hujus sententiæ manifestum habet sensum hunc : Qui legem acceperunt, eamque noverunt ac diligenter audiunt, non eo ipso justi sunt, aut erunt *apud Deum*, id est, in judicio Dei: vel intellige cum exclusione, qui tantum sunt auditores. Nihil enim prodest audire legem, nisi facias. Nam audire hîc non obedientiam significat, ut interdum alibi, sed audientiam solam.

Posterior pars obscurior est & difficultatem habet, ob id maximè, quia Pauli doctrina est in hac Epistola, speciatim cap. sequenti, ex operibus legis neminem justificari. Igitur pro hujus partis intelligentia, primùm illud præmoneo, factores legis intelligi, qui faciunt ea quæ lege præcipiuntur, sive legem acceperint sive non. Vult enim hoc commune esse etiam Gentilibus, ut patebit ex versu sequenti. Deinde in hac parte repetendum ex priori membro, *apud Deum. Factores legis justificabuntur apud Deum.* Non

enim aliter constabit antithesis quam facit Apostolus inter auditores legis & factores.

Variæ acceptiones verbi, justificare & justificari.

Denique videndum quid sit, *justificabuntur*. Nam justificari, quemadmodum & justificare, non uno modo accipitur in Scripturis. *Primò* quidem ac proprijssime justificari dicitur, qui ex injusto vel non justo sit justus: & justificare, qui ex non justo justum facit. Ita accipitur in sequentibus, cap. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Et cap. 4. *Credenti in eum qui justificat impium.* Item Gal. 3. *Ex fide justificat gentes Deus*, & alibi. Hinc verbale justificatio, id est, motus seu transitus ab injustitia ad justitiam.

Secundò. Justificare est justitiam conservare, augere, perficere. Sic apud Jacob. cap. 2. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* Et Apoc. ultimo dicitur: *Qui justus est, justificetur adhuc.* Atque hæc vocari solet justificatio secunda. Unde & bona opera justificationes vocantur in Scripturis, quòd per ea soleat augeri & conservari justitia; ut Dan. 9. *Neque enim in justificationibus nostris,* id est confisi bonis nostris operibus, *prosternimus preces nostras ante faciem tuam.* Et Apoc. 19. *Byssinum justificationes sunt sanctorum.* Quamquam & Dei præcepta, quorum observatione justificantur homines, etiam persepè justificationes dicuntur, præsertim apud Davidem in Psal. 118. Sic & infrà hoc cap. *Si præputium justificationes legis custodiat.*

Tertiò. Justificare est justum ostendere, declarare, pronunciare, sententiam pro aliquo dicere. Quæ quidem acceptio hujus vocis in Scripturis usitatissima est, ut Ps. 81. *Humilem & pauperem justificate,* Isaiæ 5. *Justificatis impium pro muneribus.* Matth. 12. *Ex verbis tuis justificaberis.* Luc. 16. *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus.* Ejusdem generis est, quùm significat excusare, defendere, ut Job. 9. *Si justificare me voluero, os meum condamnabit me.* Et Ecclesiastici 7. *Non te justifices ante Deum.* Hinc justificatio pro apologia, qua quis suæ causæ justitiam tuetur, ut Job. 27. *Justificationem meam quam cœpit tenere non deseram.* Item justum prædicare, facta alicujus ut bona & justa laudare. Ps. 50. *Ut justificeris in sermonibus tuis* Luc. 7. *Et omnis populus audiens & publicani justificaverunt Deum.* Et iterùm *Justificata est sapientia ab omnibus filiis suis:* quomodo magnificare Deum dicitur qui eum magnum prædicat.

Ut igitur ad Apostolum revertar, ejus verba quæ nunc tractamus, alij aliter exponunt, juxta triplicem quam attuli significationem vocis justificari. Augustinus *lib. de spiritu & lit. cap.* 26. duobus modis interpretatur. Primùm, juxta primam significationem. *Factores legis justificabuntur,* id est, aliter non sunt factores legis, nisi justificati fuerint, hoc est, ex impiis justi facti. *Ut* inquit, *non justificatio factoribus accedat, sed ut factores legis justificatio præcedat.* Et adhibet simile: velut si dicamus, homines creabuntur, scilicet, ipsa creatione futuri homines.

Sensus iste promptus quidem est ad conciliandum hanc Pauli locum cum ipsius doctrina, qua negat ex operibus legis quemquam justificari: verùm nonnihil contortus est, deinde & alienus ab eo, quod Paulus non agit. Uult enim ostendere discrimen apud Deum, inter auditores legis & factores: quòd illi non sint justi, hi verò justificentur. Id autem per hunc sensum non ostenditur. Quod ipse Augustinus animadvertens subjungit aliam expositionem juxta significationem tertiam verbi *justificari. Factores legis justificabuntur,* id est, qui legem factis observant, justi judicabuntur, declarabuntur, habebuntur à Deo; ut justificari apud Deum, idem reipsa sit cum eo quod in priori membro, justos esse apud Deum: sicut & in præcedenti parte, *peribunt* & *justificabuntur* re & effectu idem valent.

Porrò neotericis quibusdam placet hoc loco secunda justificandi significatio. Dicunt enim Apostolum hîc loqui de justificatione secunda, ut sensus sit: *Factores legis justificabuntur*, id est, homines exercendo bona opera quæ lex præscribit, accipient augmentum justitiæ, secundùm id quod scriptum est: *Qui justus est justificetur adhuc.* Itaque Paulũ non esse sibi contrarium, quia cùm alibi negat ex operibus hominem justificari, de prima loquitur justificatione, quæ non ex operibus est, sed opera ipsa præcedit. Hic sensus veram continet doctrinam de augmento justitiæ per bona opera. Sed tamen non convenit huic loco. Neque enim satis respondet priori membro. Deinde si illud vellet Paulus, dixisset quomodo Joannes in Apocalypsi: *Justificabuntur adhuc*, id est, ampliùs. Nam justificari per se non sonat augmentum.

Sensus verior.

Secundus igitur Augustini sensus omninò retinendus ut germanior; non modo, quia nititur usitatissima phrasi Scripturæ, de quâ jam diximus; verúm etiam quia antithesis quam attendit Apostolus, per hunc sensum optimé explicatur, ac si diceret: Non auditores legis, sed factores apud Deum justi reputabuntur, hoc est, vero judicio justi sunt; ut pote justitiam quæ lege præcipitur, opere exercentes. Sic enim scriptum est 1. Joan. 3. *Qui facit justitiam, justus est.* Simile illud Salvatoris Luc. 11. *Beati qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* Nimirum ideò beati, quia justi.

Porrò sensum hunc etiam cæteri passim interpretes tam Græci quàm Latini tradunt & amplectuntur. Neque pugnat hic sensus ullo modo cum ea Pauli doctrina, qua removet ab operibus justificationem. Ea namque accipienda est de operibus non à fide profectis: quùm justificationis initium à fide sit, ut suo loco pleniùs exponetur. Hîc autem illi sermo est de operibus verè bonis Deoque acceptis ad vitam æternam; ut ex superioribus liquet. Hujusmodi verò esse non possunt nisi ex fide emanarint. Nam & de hoc operum genere etiam agit Jacobus Apostolus, quùm docet ex operibus hominem justificari, & non ex fide tantùm. Sanè videri potest idcircò Paulum hîc tam diligenter commendare voluisse bona opera, ut ad justitiam & vitam æternam conducibilia ac necessaria; quò lectorem præmuniret, ne sequentem ipsius doctrinam, qua justificationem tradit ex fide sine operibus, malè intelligendo offendiculum pateretur, aut in errorem incurreret.

Illud postremò notandum adversus sectarios, Paulum hîc manifestè agnoscere & commendare justitiam operum, eamque veram; cùm dicit factores legis justificari apud Deum. Quod enim apud Deum, id est, Dei judicio tale est, id verè tale esse nemo nisi impius dubitaverit: ita Lucæ 1. *Erant justi ambo ante Deum.* Certè Paulus alibi, quùm significare vult rei de qua loquitur veritatem & sinceritatem, dicere solet, *ante Deum, coram Deo*: ut 2. Cor. 2. Gal. 1. Col. 1. Quod si negent aliquos esse factores legis, coarguunt eos sequentia.

14. CUM ENIM GENTES QUÆ LEGEM NON HABENT, NATURALITER EA QUÆ LEGIS SUNT FACIUNT. *Cùm faciunt*, malè Erasmus, *cùm fecerint.* Nam Græcè est ὅταν ποιῶσι subjunctivus præsentis temporis. Itaque potiùs vertendum erat: *quùm faciant*, ut quidam verterunt. Verùm rectiùs noster interpretes, *cùm faciunt.* Nam adverbium ὅταν, quando, nunc indicativum, nunc subjunctium sibi adjungit eodem sensu. *Naturaliter*, Græcè φύσει, *naturâ*: quomodo vertit Ephes. 2. *Eramus naturâ filij iræ. Quæ legem non habent,* non est determinatio restringens, sed declarans. Est enim gentium epitheton legem non habere, sicut Judæorum, habere legem. Ita 1. Cor. 9. Judæos & Gentiles suis epithetis designans, illos vocat, *qui sub lege*, hos, *qui sine lege*, Græcè ἀνόμους.

EJUSMODI LEGEM NON HABENTES IPSI SIBI SUNT LEX. *Ejusmodi* non ad legem referendum, quod nonnulli faciunt, sed ad personas, scilicet Gentiles. Græ-

cè

Tres expoſitiones, quarum prima Pelagii.

cè ἔθνη, *in legem non habentes, ſibi ipſi ſunt lex.* Porrò hujus loci tres feruntur expoſitiones, quarum una erronea eſt, imò hæretica: reliquæ duæ ſanum continent ſenſum. Pelagius in commentario, & apertiùs in epiſtola ad Demetriadem, cujus initium, *Si ſummo ingenio*: Itemque Joannes Caſſianus *in collat. de protect. Dei*, cenſent Apoſtoli Pauli in hoc loco doctrinam eſſe, quòd ex Gentilibus quidam ſine fide & gratia Chriſti per ſolas naturæ vires fecerint ea quæ legis ſunt, id eſt, obſervaverint & impleverint legem Dei. Et hos naturaliter juſtos vocat Pelagius. Quæ doctrina damnata eſt in concilio Milevit. *can.* 5. Fuitque hæc ipſa Pelagii hæreſis, Dei Præcepta ſine ejus gratia ſervari poſſe, ut conſtat ex multis quæ adverſus eam hæreſim ſcripſit Auguſtinus, quam & diſertè exprimit in libro de hæreſibus.

Secunda.

Alii nonnulli, inter quos Cajetanus exponunt quidem hunc locum de Gentilibus à fide Chriſti alienis, non tamen omnia quæ legis ſunt facientibus, ſed aliqua: cujuſmodi ſunt honorare parentes, inopi ſuccurrere, reddere depoſitum, juſtam ferre ſententiam. Quæ expoſitio nihil habet ſanæ doctrinæ contrarium. Nam infideles poſſe facere quædam opera moraliter bona, communis eſt & vera Theologorum ſententia, juxta quam Hieronymus quoque intelligendus eſt, ſcribens in *Ezech.* 29. ubi locum hunc Pauli refert ad ethnicos infideles.

Cæterùm de hujuſmodi Gentilibus, deque operibus ex ſola facultate naturæ profectis Apoſtolum loqui, ex eo probant; quia dicit eas Gentes naturaliter, id eſt (ut illi interpretantur) ex naturæ viribus ea quæ legis ſunt facere. Sed hoc argumentum facilè evaneſcet audita veriore interpretatione.

Tertia quæ de Gentibus fide imbutis locum hunc intelligit, probatur.

Eſt igitur tertius commentarius eorum qui de Gētilibus fide Chriſti mediatoris imbutis, & per ejus gratiam ea quæ legis ſunt facientibus, ſive Chriſti præceſſerint adventum, ſive ſecuti ſint, Apoſtolum exponunt; velut imprimis Auguſtinus *lib. 1. de ſpir. & lit. cap. 26.* & aliquot ſequentibus: *lib. cōtra Julianum cap. 3. & lib. 4. cap. 3. & alibi.* Item Proſper contra Caſſianum *cap. 22.* Fulgentius *de gratia Chriſti, cap. 25. & 26.* Et ante hos omnes comment. Ambroſ. Denique Latini poſteriores, Hugo, Lombardus, Hervæus, Aquinas, Carthuſianus, aliique complures. Et ut ad Græcos tranſeam, primùm Origenes de iiſdem ſenſiſſe videtur. Dicit enim legem ſcriptam in eorum cordibus ſpiritu Dei vivi, reſpiciens nimirum ad locum. *2. Cor. 3.* qui ad fideles certiſſimè pertinet. Chryſoſtomus quoque & eum ſecutus Theophilactus pro exemplis huc adferunt eos Gentiles, qui Deo per fidem placuerunt: ut Melchiſedech, Job, Ninivitas, Cornelium. Satis idipſum indicat etiam Oecumenius, quùm illud exponens quod præceſſit: *pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco*, dicit Græcum ibi intelligi verum Dei cultorem ac fidelem.

Hunc autem commentarium valdè probabilem ac pœnè certum faciunt: primùm ſcopus Apoſtoli, cui propoſitum erat oſtendere ſine fide Chriſti omnes eſſe ſub peccato, tam Gentiles quàm Judæos: quod & ſuperiori capite de Gentilibus latè executus ſt. Nec certè uſquam alibi de Gentilibus à fide mediatoris alienis ita loquitur, ut tribuat eis aliquam veram legis obſervationem, ſed ubique varia eis aſcribit crimina, *ut Epheſ. 2. & 4. Coloſſ. 3. 1. Theſſ. 4.* De quibus & in hac epiſtola cap. ſequenti pronunciat illud cum Judæis commune: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.*

Deinde probat totius loci contextus, quem diligenter expendit Auguſtinus *in lib. de ſpir. & litera.* Nam proximè præceſſit, factores legis juſtificari videlicet ſive Judæos, ſive Gentiles, ſive legem ſcriptā accepiſſent, ſive non. Et quia dubitari poterat de Gentilibus, quomodo legem faciendo juſtificarentur, quùm legem non accepiſſent; idcircò modum hac parte declarat, dicens: *Cum enim Gentes*, &c. Certum eſt autem ſecundùm fidem catholicam, nullos infideles fuiſſe juſtificatos aut juſtos apud Deum, etiamſi nonnulla quæ legis ſunt, facerent: igitur neq; ſubſequens hæc declaratio de Gentilibus infidelibus accipi poteſt: ſed de ſolis fidelibus eſt verificanda, cujuſcumque temporis fuerint.

Eodem omninò facit illa ſententia præcedens: *Gloria & honor & pax omni operanti bonum*, id eſt, facienti ea quæ legis ſunt. Si ergo Gentilis ſine fide facit ea quæ legis ſunt, ſecundùm Apoſtolum erit illi gloria & honor & pax, id eſt, ut jam ſuprà expoſitum eſt, ipſa vita æterna. Quâ probatione ad refutandam iſtam de infidelibus expoſitionem utitur Fulgentius. Rurſum pro fidelibus faciunt ſimiles ſententiæ quæ hoc eodem capite ſequuntur, ut illa: *Si igitur præputium juſtitias legis cuſtodiat, nonne* &c. Item: *Judicabit id quod ex naturâ eſt præputium legem conſummans, te qui per literam*, &c.

Ex quibus omnibus collige quòd eadem ſunt Apoſtolo ſex iſta, quæ in hoc capite leguntur, *operari bonum, eſſe factorem legis, facere ea quæ legis ſunt, legem obſervare, juſtitias legis cuſtodire, legem conſummare.* Atqui horum duo poſtrema ſine controverſia tribuit Apoſtolus Gentilibus ad fidem converſis: quartum tribuit Judæis fidelibus: primum & ſecundum generaliter iis qui coram Deo juſti ſunt, & gloriam apud Deum merentur. Quare & tertium, id eſt, facere ea quæ legis ſunt, quod Gentilibus attribuit, non aliis utique præterquàm fidelibus attributum intelligi debet, iis qui coram Deo juſti ſunt.

Adde, quod in ſequentibus ſignificat Apoſtolus, eorum opera de quibus hìc dicit quòd quæ legis ſunt faciunt, remunerationem habitura in die judicii. Id enim volunt illa verba: *In die cùm judicabit Deus occulta hominum.* At ea remuneratio non alia eſt quàm vitæ æternæ. Nam infidelium opera bona quoniam mortua ſunt, nullam illic acceptura ſunt remunerationem. Denique & illud admodum ſuadet, quòd Gentilem juſtitias legis cuſtodientem & legem conſummantem, in fine cap. appellat *Judæum in abſcondito*, & juſtitiam ejus vocat *circumciſionem cordis in ſpiritu, non litera: cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo.* Hæc enim planè congruunt cum eo quod hìc dicit, Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt facere, ut qui oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis: licet non habeant ſcriptum in tabulis, ſicut habebant Judæi.

Igitur ex omnibus ſatis abundè liquet, de quibus Gētibus hìc loquatur Apoſtolus. Cur autem de Gentibus hæc verba ſuperiori ſententiæ ſubjecerit, jam antè dicta eſt ratio. Cui & iſta accedit, quia comparatione Gentilium humiliare volebat Judæos, & peccatores oſtendere, ut patet ex ſequentibus.

Objectio.

Verùm adhuc inſtant Pelagius & Caſſianus, negantes de fidelibus hæc Apoſtoli verba accipi poſſe, qui loquitur de Gentibus quæ legem non habent: fidcles autem omnes præter legem naturæ cunctis inſitam, legem habent Chriſti: ſicut & Paulus de ſe teſtatur dicens 1. *Cor.* 9. ſe ſine lege non eſſe, ſed eſſe in lege Chriſti. Primùm reſpondeo: quamvis hoc argumentum videri poſſit aliquid habere momenti, quantum ad Gentiles attinet Chriſtianos, id eſt, eos qui Chriſto nomen dederunt in baptiſmo: nihil tamen ad eos pertinere Gentiles qui Chriſti adventum præceſſerunt, & tamen in eum venturum crediderunt; quos hìc etiam comprehendi jam antè dixi. Nam his nullam à Chriſto legem datam fuiſſe, manifeſtum eſt.

Reſponſio.

Deinde pleniùs ac generaliùs reſpondetur, nec omninò Chriſtum ullam dediſſe legem in tabulis aut membranis ſcriptam: At neque principaliter attuliſſe legem operum quam omnes à naturâ, Judæi

insuper à Deo per Moysen acceperant ; sed legem fidei. Non enim Gentiles per operum legem traducti sunt ad fidem , quemadmodum Judæi , quibus sua lex pædagogus fuit ad Christum : sed nulla lege media vocati sunt ad fidem , ut ea quæ legis sunt facerent. Denique lex Christi præter legem naturæ & fidem mysteriorum pauca continet servanda : magisque consistit in spiritu ac dono gratiæ quâ lex impleatur, quàm in præceptis , quæ jubeantur impleri.

Sed nunc ad explicationem textus veniamus. Cùm enim Gentes , inquit , quæ legem scriptam non acceperunt,naturaliter ac sine lege scripta faciunt ea quæ sunt legis scriptæ , id est,ea quæ lege decalogi continentur ; hi legem scriptam non habentes , sibiipsis sunt loco legis ; dum sua sponte ac proprio judicio sine externo legis jubentis adminiculo & impulsu bonum operantur: Atque hoc pacto completur in eis quod dixi *factores legis justificari.* Illud *naturaliter*, Augustinus *de spir. & lit. cap.* 27. exponit , ex natura per gratiam reparata. Alii sic:*naturaliter*,id est, duce ac monstrante ipsa natura seu naturali lumine rationis absque magisterio legis scriptæ. S. Thomas utrumque commentarium adfert.

Nec verò pugnant hi duo sensus. Neque enim duce natura possunt Gentes ea quæ legis sunt facere,nisi eadem natura per gratiam fuerit reformata. Cujus ratio est & ex parte luminis naturalis , quod peccato obscuratum cùm sit , non monstrat omnia agenda & vitanda ; & ex parte voluntatis , quæ ex peccato infirmitatem & malitiam contraxit ; ut nec ea omnia quæ ratio naturalis agenda dictaverit , eligere possit, antequàm fuerit per gratiam sanata atque adjuta. Nec aliud vult Augustinus , quùm naturam interpretatur reparatam per gratiam. Non enim sentit hîc in nomine naturæ gratiam includi : sed Gentes id quod hîc dicitur , facere non posse naturaliter, id est, per naturam , nisi gratia reparatam.

Ex his jam liquet , in verbis Apostoli naturam non gratiæ,sed legi scriptæ opponi : & proinde cessare argumentum eorum qui ex vocabulo *naturaliter* colligebant hîc Apostolum agere de Gentibus infidelibus. Sunt qui vocem *naturaliter* sic exponant , spontè, libenter , ex animo,ut hoc opponat Apostolus illi modo quo Judæi sub lege constituti legem observabant, nempe serviliter & coactè. Ratio locutionis patet , quia quæ naturali fiunt impulsu, spontè , & non coactè fiunt. Mihi tamen quod priùs dictum est , magis germanum videtur. Utrique sensui benè quadrat quod sequitur.

15. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. *Scriptum* Græcè γεγραπτὸν , nomen, non participium. Significatur enim ita scriptum ut permaneat. *Ostendunt* faciendo ea quæ legis sunt, cùm legem non acceperint. Per hoc enim declaratur quod *ipsi sibi sunt lex.* Idipsum etiam signum est eos ex animo facere , tamquam opus legis habentes scriptum & impressum in cordibus. Scriptum autem à Spiritu Sancto , ut indicatur in fine cap. ubi circumcisionem nominat *cordis, in spiritu, non literâ.* Expressiùs autem alibi significatur , ut 2. Cor. 3. ubi Corinthios vocat Epistolam Christi, scriptam *non atramento , sed spiritu Dei vivi , non in tabulis lapideis , sed in tabulis cordis carnalibus.* Quò pertinet illud Jerem.31. *Dabo legem meam in visceribus eorum : & in corde eorum scribam eam.*

Ad hunc modum distertè scriptionem hanc in cordibus exponit & probat Augustinus *lib. de spiritu & lit. cap.* 26. Et huc etiam Origenis commentarium spectare , jam antè diximus. Ita quoque B. Ambrosius intellexisse videtur *lib. de paradiso cap.* 8. quùm citans hunc locum dicit ; nos Dei præceptum cordibus nostris tenere impressum spiritu Dei vivi. Alii interpretantur Apostolum hîc loqui de lege naturæ omnium animis impressâ , cujus dictamen appellat *opus legis scriptum in cordibus.* Sed prior sensus magis est Apostolicus , quem & tradit Thomas in commentario , eúmque secutus Joannes Viguerius.

Testimonium reddente illis conscientia ipsorum. *Testimonium reddente* Græcè συμμαρτυρούσης , *contestante* , ut legit Augustinus in expositione quarumdam prop. Sed compositum videtur positum pro simplici. *Testificante eorum conscientia.* Nam *illis* in Græco non est. Vide tamen quæ annotavimus infrà ad illud cap.8.*Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro* , ubi Græcè est idem verbum quod hîc. Qui partem hanc referunt ad eosdem Gentiles , scilicet , ea quæ legis sunt facientes , exponunt ad hunc modum : In eo quòd faciunt ea quæ legis sunt , non sequuntur legem scriptam , quæ eis non est data, sed suam ipsorum conscientiam (intellige Dei gratia reformatam) quæ eis est loco legis , utpote testificans & dictans quid agendum , quid fugiendum. Ita ferè Oecumenius.

Verùm quia pars hæc connexionem habet cum sequenti , quæ non potest de solis justis accipi,videtur ipsa quoque referenda ad Gentes in genere, maximè cùm , ut dictum est , pronomen *illis* in Græco non habeatur. Igitur ablativos absolutè positos , qui Græcis genitivis respondent , crediderim exponendos rationaliter , hoc sensu : Habent enim omninò Gentes,etsi legis expertes , conscientiam factorum suorum intus in animo , quæ ipsis testimonium ingerit de iis quæ benè vel malè fecerint. Unde consequenter addit Apostolus.

Et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus. Ablativos legimus ex correctione Romana , cùm hactenus pervulgata codicum lectio fuerit , *cogitationum accusantium aut etiam defendentium* (pro quo *excusantium* legit Augustinus *lib. 2. de serm. Domini in monte cap.* 9.) retentis scilicet ex Græco genitivis absolutè positis , qui in ablativos mutandi erant : sicut factum est in parte præcedenti : *Testimonium reddente conscientia* , Nisi fortè interpres hos genitivos regi putaverit à præcedenti nomine *conscientiâ* : Id enim conjiciunt nonnulli : Sed non est probabile. Ablativos legunt Hieronymus *lib. 5. Ezech.* 16. Ruffinus in expositione symboli , ad articulum ; *Inde venturus est judicare* , & in commentario Origenis. Augustinus *lib.* 20. *de civ. cap.* 26. & commentator Amb. necnon Concordantiæ veteres uno & altero loco.

Pro *cogitationibus* Græcè est λογισμῶν , quo vocabulo significantur non qualescumque cogitationes , sed quæ fiunt ratiocinando ac disceptando;dum adhibito judicio rationis animus examinat aliquid , & de eo pronuntiat, sitne verum an falsum , bonum an malum. Derivatur à verbo λογίζεσθαι , quod sequenti capit. exponit arbitrari. *Sensus est :* Atque ex hoc testimonio conscientiæ fit,ut dum facta sua cogitando expendunt & inter se conferunt , ipsis suis cogitationibus vel accusentur propter mala facta , vel excusentur ac laudentur propter bona.

Notandum plerosque illud,*aut etiam defendentibus* extendere ad cogitationes infidelium , quos scilicet defendit sive excusat aliquorum bonorum operum à se factorum conscientia. Sed probabilius puto cum Oecumenio , eam partem tantùm respicere bonos , de quibus dixerat : *Cùm enim gentes* ,&c. idque Paulum significare voluisse addita vocula *etiam* ; ac si diceret : *cogitationibus accusantibus aut etiam* (quod ad bonos & ea quæ legis sunt facientes , attinet) *defendentibus.* Nam certè etsi infidelium bona quædam sint opera , remunerationem tamen , ut suprà dixi , non sunt acceptura in die judicii,de quo & anteà locutus est , & nunc iterùm loquitur.

16. In die cum judicabit Deus occulta hominum. Pars ista cum proximè præcedente connecti potest hoc modo ; Quod quidē testimoniū conscientiæ

ac cuſantis vel etiam defendentis, etſi valeat plurimùm in hoc ſæculo, præcipuè tamen locum habebit in die judicii, quo Deus judicaturus eſt de factis omnium hominum, etiam iis quæ nunc ſunt occultiſſima. Vel *in die* juxta Stapulenſem, id eſt, in diem judicii divini: ſicut ſuperiùs, *in die iræ*. Nam illa cogitationum accuſatio vel excuſatio nunc quidem fit, ſed reſpicit diem examinis ac judicii Dei.

Nonnulli partem hanc, quòd incommodè cum proximis cohæreat, annectandam putant ſuperiori verbo *oſtendunt*, ac ſi nunc tempus exprimatur, quo oſtenſio illa futura ſit, de qua dixerat: *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum*, &c. Quæ connexio mihi non probatur: Nam illa oſtenſio fit per opera legi conſentanea dum exercentur. Unde nec dictum eſt *oſtendent*, ſed *oſtendunt*. Magis placet quod alius quidam admonet, jungendam eſſe cum verbo *juſtificabuntur*, & ſuperioribus *judicabuntur*, *peribunt*, quæ omnia ſunt futuri temporis, & judicium divinum reſpiciunt; ut ſequentia ab illo loco, *Cum enim gentes*, &c. accipiantur velut parentheticè interjecta. Nam quo minùs aptè hæc pars ad proxima referatur, æquè obſtant præſentis temporis participia *accuſantibus* & *defendentibus*.

SECUNDUM EVANGELIUM MEUM. Scilicet, quod prædicandum mihi Chriſtus tradidit. Hinc diſce contra ſectarios, ad Evangelium pertinere non ſolùm annunciationem gratiæ Dei & ſalutis per Chriſtum promiſſæ, ſed etiam juſti judicii, quo Deus unicuique reddet ſecundùm opera ſua. Scribit Hieronymus in catalogo de Luca quoſdam ſuſpicari, quotieſcumque in Epiſtolis ſuis Paulus dicit, *juxta Evangelium meum*, de Lucæ ſignificare volumine: Sed eam ſuſpicionem nec Hieronymus ſibi probari ſignificat, neque nos probamus. Evangelium enim ſuum Paulus non aliud intelligi vult quàm doctrinam Evangelicam, ut dixi, à ſe prædicatam; quod eam Chriſto revelante didiciſſet. Gal. 1.

Quòd vocet Paulus Evangelium ſuum.

PER JESUM CHRISTUM. Hoc adjungendum illi parti; *cum judicabit Deus occulta hominũ*. Senſus enim eſt; Deum judicaturum per Chriſtum hominem, *qui conſtitutus eſt ab eo judex vivorum & mortuorum*, Act. 10. Quemadmodũ habet & ſymboli noſtri confeſſio.

17. SI AUTEM TU JUDÆUS COGNOMINARIS. Hîc jam apertè & expreſſo nomine ſermonem ad Judæum convertit, ac gravi accuſatione eum urget, quod cùm legem à Deo accepiſſet, eóque nomine ſibi placeret, non autem id præſtaret lege inſtructus quod Gentiles ſine lege. Atque in ea re inculcando perſiſtit uſque ad finem cap. Eſt autem oratio ſplendida ac vehemens, & ad rem quam agit accommodata: Quâ priùs quidem recenſet ea quæ videbantur in Judæo præclara, & in quibus gloriabatur; poſteà verò ex iis ipſis, quoniam tantis beneficiis non reſponderet, damnabilem eum oſtendit. *Si*, inquit, *tu Judæus cognominaris*, id eſt, geris nomen Judæi, eóque nomine gaudes, & in eo gloriaris. Etenim reverà honorificum erat appellari Judæum, ſicut nunc vocari Chriſtianum. Erat enim nomen illud & appellatio populi Dei, hoc eſt, à Deo peculiariter electi, & à cæteris gentibus ad ipſius cultum ſeparati. *Non* enim fecerat *taliter omni nationi*, Pſal. 147.

Unde ſit orta Judæorũ appellatio.

Cæpit autem appellatio Judæorum ſub tempus captivitatis Babylonicæ, poſtquam decem tribus abductæ fuiſſent in Aſſyrios; cùm anteà communi nomine vocarentur filii Iſraël. Ac primùm quidem ii ſoli qui erant de regno duarum tribuum, hoc nomine vocabantur, à tribu videlicet principaliore, ut 4. *Reg.* 16. & 25. Item apud Jeremiam & Danielem. At in libro Eſther, ubi frequens eſt nomen Judæorum, accipitur generaliter ut omnes tribus comprehendat. Sic & deinceps apud Zachariam *cap.* 8. & in libris Machabæorum atque in tota Scriptura Novi Teſtamenti. Et de hac generali nuncupatione Joſephus intelligendus eſt, cum dicit *lib. 11. antiq. Jud. cap. 5.* tum primùm eam inditam fuiſſe & populo & regioni (ſcilicet ut regio Judæa vocaretur) quando à Babylonià ſunt reverſi.

Ex his etiam conſtat eos vehementer falli, qui nomen Judæorum à Juda Macchabæo deductum volunt: quùm fuerit facilè tribus ſæculis antiquius. Quod ad initium attinet hujus partis, variant Græci codices. Nam plerique qui nunc exſtant, habent εἰ id eſt, *ecce tu Judæus*. Atque ita verterunt Eraſmus & Faber, aliique neoterici. Idque etiam mavult F. Toletus. At interpres noſter legit δὲ εἰ *Si autem*. Quomodo & in Origene Ruffinus vertit: & comm. Ambroſ. legit. Prior lectio reddit ſententiam abſolutam: Poſterior ſuſpenſam relinquit, quæ tandem abſolvitur ibi: *Qui ergo alium doces*, &c. Eadem varietas exſtat in Epiſt. Jacobi cap. 3. *Si autem equis*, &c.

ET REQUIESCIS IN LEGE. Hæc quæ ſequuntur, tamquam bona quædam commemorantur uſque ad illud: *Qui ergo*, &c. Nondum enim venit Apoſtolus ad reprehenſionem. Non igitur ſenſus eſt: Qui ſpem ſalutis in lege collocas, nihil ampliùs quærens, quaſi illa tibi ſatis ſit ad juſtitiam. Hoc enim malum eſt. Sed *requieſcis*, ſive ut alii vertunt, *acquieſcis in lege*, hoc eſt, oblectaris in lege, de eâ tibi gratularis ſeu applaudis tamquam de inſigni Dei beneficio: frequens es in ejus auditu & lectione. Sermo eſt de univerſa lege Moſaicâ, præcipué tamen de morali, ut ex ſequentibus patet.

ET GLORIARIS IN DEO. Hoc eſt, gloriaris verum Deum eſſe Deum tuum, qui te ad cultum ſuum ex omnibus mundi nationibus elegerit, & populum ſibi peculiarem fecerit. Meritò quidem hac in re gloriabatur Judæus; erat enim magnum Dei beneficium; ſed illud non rectè, quod in Deo non ſicut oportet gloriàretur, vel plus ſibi tribuendo quàm deberet, vel non in Deum bona quæcumque accepiſſet referendo.

18. ET NOSTI VOLUNTATEM EJUS. *Ejus* non eſt in Græco, ſed ab interprete additum ad explendum ſenſum. Ex lege noſti, inquit, quid Deus velit te facere, & à quibus abſtinere. Hæc vocari ſolet voluntas ſigni, in præceptis conſiſtens.

ET PROBAS UTILIORA INSTRUCTUS PER LEGEM. Id eſt, ex lege ſic inſtitutus es, ut noris bona à malis diſcernere, ac probè ſcias quid agere, quid fugere debeas. Hanc enim vim habere videtur quod in Græco eſt διαφέροντα, q. d. *differentia*; pro quo legit Auguſtinus *diſtantia*, lib. de ſpirit. & lit. cap. 8. Porrò *differentia*, id eſt, meliora, bona præ malis. Quare minùs placet, quod Eraſmus vertit, *eximia*. Rectiùs alii *meliora*; ſic tamen ut comparativus impropriè ſumatur, ſicut apud Poëtam: *Video meliora proboque: deteriora ſequor.*

Inſtructus Græcè κατηχούμενος, participium præſentis temporis, quo ſignificatur is, qui myſteriis alicujus religionis initiatur. Unde catechumeni apud Chriſtianos. *Senſus*: Legem habens in promptu, quæ te quotidiè docet ac inſtruit.

19. CONFIDIS TEIPSUM ESSE DUCEM COECORUM, LUMEN EORUM QUI IN TENEBRIS SUNT. In Græco præfixa eſt conjunctio, *& confidis*. Quo intelligitur illud *inſtructus per legem* non ſequentibus ſed præcedentibus annectendum eſſe. *Senſus*. Arrogas tibi tantam legis ſcientiam, ut etiam cœcis, id eſt errantibus ducem te præbere, & iis qui in tenebris ſunt, id eſt, ignorantibus, lumen doctrinæ poſſis adferre. Confidere pro gloriari legitur etiam alibi, de quo vide commentarium ad illud. 2. Cor. 3. *Fiduciam autem talem habemus*, &c.

20. ERUDITOREM INSIPIENTIUM, MAGISTRUM INFANTIUM. Et ſi plus eſt eſſe magiſtrum ſive doctorem, Græcè διδάσκαλον, quàm eruditorem παιδευτήν, qui ſcilicet erudiendis tantùm pueris adhibetur, quùm magiſter etiam grandes & provectos habeat

discipulos: hîc tamen videntur confundi. Nam sicut eruditorem vocat insipientium, ita magistrum infantium, sive parvulorum, Græcè νηπίων, id est, rudium & imperitorum. Transfertur enim hæc vox ad animum. Quod in scriptura frequens est.

HABENTEM FORMAM SCIENTIÆ ET VERITATIS IN LEGE. *Formam* Græcè μόρφωσιν, *formationem*. Quo nomine significat instituendi formandique rationem, quam quis aliis præscribit. Habetur idem vocabulum 2. Timoth. 3. ubi interpres vertit *speciem*. *Habentes speciem quidem pietatis*. Cujus loci veram intelligentiam illic indagabimus. Quod autem hîc dicit, tale est: Profiteris te magistrum imperitorum, ut qui ex studio legis consecutus sis formam ac rationem, quâ etiam alios scientiâ veritatis imbuere, ac morum præceptis instruere queas. Caussaliter enim hæc pars connectenda cum præcedenti.

Loc. Moral. De utili & efficaci modo docendi; nimirum, si quod faciendum doces, ipse primùm facias.

21. QUI ERGO ALIUM DOCES, TEIPSUM NON DOCES. Nunc ad accusationem ipsorum vertit bona quæ dixerat; quia non iis utebantur ad eum finem, ut benè & justè viverent. Hanc partem cum sequentibus Chrysostomus, Theophylactus & alii plerique legunt schemate interrogationis. Alii verò enunciativè, ut annotavit Oecumenius. Sensus tamen eodem recidit; nisi quòd acrior & vehementior est objurgatio per interrogationem. *Teipsum non doces*. id est, non vivis ut doces: doctrinam tuam facto non ostendis. Nam *turpe est doctori cùm culpa redarguit ipsum*. Unde sequitur.

QUI PRÆDICAS NON FURANDUM, FURARIS.

22. QUI DICIS NON MOECHANDUM MOECHARIS. Hæc faciebat Judæus non solùm cupiditate & affectu, verùm etiam ipso opere. Nam etsi lex manum cohibebat, non animum; in multis tamen effervescens cupiditas erumpebat in actum externum. Etenim de manifesta violatione legis Apostolum loqui, patebit ex sequentibus.

QUI ABOMINARIS IDOLA, SACRILEGIUM FACIS. Sacrilegium hoc intelligi debet in participatione cultus idolorum, ut respondeat antitheto suo, *qui abominaris idola*. Committebat autem hujusmodi sacrilegium Judæus exponentibus Chrysost. & Theophyl. quando cupiditate victus res idolis consecratas contra legem usurpabat. Id enim erat idolorum cultus participem fieri.

Potest etiam intelligi in eo quòd gula aut hominum amicitia illecti, mensas adibant idolothytis instructas. Nam & hoc ad idolorum culturam & dæmonum societâtem pertinere, Paulus docet 1. Corinth. 10. Minùs probabile quod Syrus interpres reddit: *spolias domum sanctuarii*, id est, templum: nisi sacerdotes templi Hierosolymitani occultè de ejus thesauro furantes hîc taxat; quod ipsum tamen non erat idolis participare. Idola more Scripturæ dicuntur simulacra falsorum deorum, vel quæ ipsa pro diis coluntur. De qua voce plura ad illud 1. Cor. 8. *Nihil est idolum in mundo*.

23. QUI IN LEGE GLORIARIS. Tamquam à Deo accepta; Nec enim levis erat materia gloriandi, legem à Deo accepisse præ cæteris Gentilibus. Nam *judicia sua non manifestavit eis*, Psal. 147.

PER PRÆVARICATIONEM LEGIS DEUM INHONORAS. Illum ipsum scilicet, à quo legem accepisti. Nam legis prævaricatio cedit in injuriam & ignominiam legislatoris. Tollitur enim per eam honor illi debitus, qui consistit in observatione legis ab eo latæ: præsertim ubi transgressio est hominibus manifesta, qui per hoc Deo tuo sint obtrectaturi. Id enim hîc significari, declarat probatio sequens.

24. NOMEN ENIM DEI PER VOS BLASPHEMATUR INTER GENTES. *Per vos* Græcè δι' ὑμᾶς propter vos. Et sensus est: Propter vos, id est, vestra culpa, qui legem à Deo traditam palàm violatis: malè de Deo vestro gentes loquuntur, detrahentes honori & majestati ejus, qui habeat tam malos cultores, quasi eos vel negligat punire, vel non possit; vel etiam sceleratos approbet. Qua de re graviter expostulat Dominus apud Ezech. cap. 36.

SICUT SCRIPTUM EST.) Ad locum memoratum Ezechielis hanc Pauli citationem referendam esse multi existimant. Sed rectiùs Origenes & alii referunt ad locum Isaiæ 5. Nam verba apprimè conveniunt juxta versionem LXX. quæ sic habet: *Propter vos semper nomen meum blasphematur in gentibus*. Jam ex his verbis satis apparet illa superiora *furaris, mœcharis, sacrilegium facis*, de externo opere accipienda esse. Nam propter solum affectum intus latentem non poterat infamari nomen Dei apud exteras nationes.

25. CIRCUMCISIO QUIDEM PRODEST, SI LEGEM OBSERVES. Græcè: *Nam circumcisio quidem prodest, si legem facias* seu *exsequaris*. Aliud nunc removet, in quo gloriabantur Judæi, nempe circumcisionem: Docetque eam nihilo magis quàm superiora, si legem non observent, ipsis profuturam ad salutem; sed ita demum prodesse, si legem observent.

Ubi quæstio occurrit; quomodo cum hac sententia non pugnent illa *Galat. 5. & 6. & 1. Cor. 7.* quibus dicitur neque circumcisionem valere quicquam, neque præputium, sed fidem quæ per charitatem operatur, & observationem mendatorum Dei. Respondent Apostolum hîc loqui de circumcisione pro tempore legis, alibi verò pro tempore revelatæ gratiæ. Unde in utroque loco ad Galat. addit, *in Christo Jesu*.

Quo sensu prouerit Judæo circumcisio.

Sed verior responsio est ex mente Pauli (respicientis etiam ad tempus quo hæc scribebat, quando Judæis nondum erant legalia prohibita) circumcisionem prodesse Judæo legem observanti, quia circumcisione benè utitur. Nam qui legem observat, circumcisionem quam in carne accepit, transfert ad spiritum, dum quod circumcisione carnis significatur, id est, vitiorum amputatio & fuga, in ipso impletur. Nam circumcisio signum quoddam erat, Judæum commonefaciens cor esse circumcidendum, secundùm illud Jerem. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum*.

Adde quod etsi Judæo jam illicita facta fuissent circumcisio per sufficientem Evangelii promulgationem, tamen adhuc proderat ei servanti legem circumcisio quam infans acceperat, quatenus per eam admonebatur circumcisionis spiritualis, quam illa carnis circumcisio significabat.

Sunt qui putent hîc per synecdochen nomine circumcisionis totam legem ac professionem Judaicam intelligi. Secundùm quos *sensus est*: Religione ac professione Judæum esse prodest, si qui talis est legem observet, atque id quod profitetur præstet. Quod tamen etiam secundùm suprà dicta debet intelligi. Verùm ea circumcisionis acceptio neque cum sequentibus admodum congruit, neque facilè potest aliunde probari.

SI AUTEM PRÆVARICATOR LEGIS SIS, CIRCUMCISIO TUA PRÆPUTIUM FACTA EST. Sin autem, inquit, legem non observes, sed transgrediaris; nihil tibi conferet tua circumcisio; nec omninò proderit Judæum esse genere ac professione: sed eris tamquam non circumcisus, id est, præputiatus, Gentilis: quasi dicat. Circumcisio tua tibi versa fuerit in præputium. Est enim præputium ea pellicula, cujus amputatione fiebat circumcisio.

26. SI IGITUR PRÆPUTIUM JUSTITIAS LEGIS CUSTODIAT: NONNE PRÆPUTIUM ILLIUS IN CIRCUMCISIONEM REPUTABITUR? Erotemate Judæum perurget comparatione Gentilis. Nam præputium priori loco metonymicè pro homine præputiato, id est, Gentili incircumciso ponitur. *Justitias legis* Græcè *justificationes legis*, id est, mandata legis,

quorum observatione justi sunt homines. *Sensus* est: Igitur è diverso si Gentilis legem observet, justa opera exercendo; nónne perinde habendus erit, & apud Deum reputabitur ut circumcisus? quia nimirum rem circumcisione significatam exhibet opere. Est enim corde circumcisus, licèt non carne.

27. ET JUDICABIT ID QUOD EX NATURA EST PRÆPUTIUM LEGEM CONSUMMANS, TE, QUI PER LITERAM ET CIRCUMCISIONEM PRÆVARICATOR LEGIS ES? Hæc posterior erotematis pars est instar conclusionis, qua tamdem in Judæum subtiliter retorquet judicium quo Gentilem Judæus gravabat; ut vidimus initio hujus cap. *Consummans*, Græcè τελοῦν quod minus plenè vertit Erasmus, *si servaverit*. Nam Græcum verbum τελεῖν, perficere & implere significat. *Sensus*: Et nonne Gentilis quem tu judicare soles, etsi præputium habens cum quo natus est, si legem observet ac perficiat, sui comparatione condemnabit te, qui cùm literam, id est, legem in tabulis scriptam habeas, & carne circumcisus sis, atque externa professione Judæus, tamen huic professioni non respondes, sed legem acceptam prævaricaris? Simili locutione dicit è diverso cap. 4. Gentes per præputium credere.

Posset alioqui sic intelligi: *per literam & circumcisionem prævaricator*, id est, occasione legis & circumcisionis trangressor factus, quia *lex iram operatur* infrà cap. 4. quomodo dictum est: *litera occidit* 2. Cor. 3. & *Virtus peccati lex* 1. Cor. 15.

Notandum est à Syro interprete priorem partem ita reddi: *Et judicabit præputium quod ex natura sua perfecit legem*; ut illud *ex natura sua*, videatur Apostolus opponere vocibus quas subjungit, *per literam & circumcisionem*: fitque idem cum eo quod suprà dixit, Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt facere. In quem sensum & Græca accipi posse mihi videntur, etsi interpretatione minùs prompta & commoda.

Obserua contra sectarios mandata Dei non esse seruatu impossibiiia.

Cæterùm illud hîc observa lector, quàm sæpè ac diversis verbis Apostolus repetat atque inculcet, hominem justificatum facere, servare, consummare legem Dei, ut intelligas quàm sint ab Apostolico spiritu alieni novatores nostri, quum docent Dei præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia. Quos proinde justo anathemate damnavit Synodus Trid. *sess. 6. can.* 18.

28. NON ENIM QUI IN MANIFESTO JUDÆUS EST; NEQUE QUÆ IN MANIFESTO IN CARNE, EST CIRCUMCISIO. Docet quis Judaismus, & quæ circumcisio hominem Deo commendet, atque ex eo probat versum præcedentem. *Sensus est*: Non enim qui genere aut professione externa & hominibus conspicua Judæus est, is verè & coram Deo Judæus est; neque circumcisio manifesta atque externa quæ fit in carne, vera est circumcisio. Non negat fieri posse, ut qui in manifesto Judæus est, idem etiam verè & coram Deo Judæus sit: Ipse enim qui hæc scribit Apostolus Paulus, & in manifesto Judæus erat & coram Deo: sed negat ex eo verum Judaismum æstimandum esse, quòd in manifesto quis Judæus sit: ac similiter de circumcisione.

SED QUI IN ABSCONDITO JUDÆUS EST. Id est, qui Judæus est in abscondito ubi Deus videt, qui corde ac legis observatione ex corde profecta Judæus est: ille demum verus est Judæus, ad quem pertinent promissiones Abrahæ factæ.

ET CIRCUMCISIO CORDIS IN SPIRITU, NON LITERA. Quod ait *In spiritu, non litera*: jucundiùs sonat in Græco, ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι. Spiritum nonnulli humanum interpretantur, id est, animam seu mentem. Augustinus in expositione quarumdam hujus epistolæ propositionum, per spiritum intelligere videtur sensum spiritualem legis, & per literam sensum literalem, qui est de carnali circumcisione. Atqui idem Augustinus in *lib. de spiritu & litera cap.* 8. spiritum interpretatur Spiritum sanctum: quam genuinam esse expositionem ostendit locus ejusdem Apostoli 2. *Cor.* 3. ubi similiter spiritum opponens literæ, de Spiritu sancto se loqui manifestè declarat.

Cæterùm pars hæc ut superioribus respondeat, ita supplenda videtur: Et circumcisio cordis circumcisio est: nempe, quæ in spiritu, non in littera; ut hic sit sensus: Et circumcisio qua cor circumciditur à vitiis & concupiscentiis, ea demum vera Deóque placita circumcisio est, utpote quæ spiritualis sit circumcisio, id est, per Spiritum sanctum facta: non autem carnalis juxta literam legis Mosaicæ.

Potest etiam illud, *in spiritu, non litera* seorsum accipi, & referri ad utrumque quod præcessit, Judæum & circumcisionem: ut sensus sit; Verum esse Judæum, qui talis est in spiritu, non secundùm literam, modo jam explicato. Similiter quoque veram esse circumcisionem, quæ talis est in spiritu, non litera.

Cujus LAUS NON EX HOMINIBUS, SED EX DEO EST. *Cujus* Græcè οὗ, masculinum est vel neutrum. Itaque non potest præcisè ad circumcisionem referri, quæ etiam in Græco fœminini generis est, περιτομή. Proinde vel ad Judæum referri debet; quod facit Augustinus in expositione: vel per syllepsin ad utrumque, id est, Judæum & circumcisionem, hoc sensu: Qui Judæus & quæ circumcisio spiritualis, laudem & commendationem habet, non apud homines, qui non vident nisi quæ foris sunt conspicua; sed apud Deum, qui cor intuetur.

CAPUT TERTIUM.

1. Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primùm quidem quia credita sunt illis eloquia Dei. 3. quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit, 4. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est Ut justificeris in sermonibus tuis: & vincas cum judicaris. 5. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? 6. (secundum hominem dico.) Absit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? 7. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tamquam peccator judicor? 8. & non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio justa est. 9. Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus, Judæos & Græcos omnes sub peccato esse, 10. sicut scriptum est. Quia non est justus quisquam: 11. Non est intelligens, non est requirens Deum. 12. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum: non est usque ad unum. 13. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant: Venenum aspidum sub labiis eorum: 14. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est: 15. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: 16. Contritio, & infelicitas in viis eorum: 17 & viam pacis non cognoverunt: 18. Non est timor Dei ante oculos eorum. 19. Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: 20. quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. 21. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est: testificata à lege & Prophetis 22. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio: 23 Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. 24 Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, 25. quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum. 26. in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore: ut sit ipse justus, & justificans eum qui est ex fide Jesu Christi, 27 Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. 28. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. 29. An Judæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? Imo & Gentium. 30 Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem: 31. Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.

1. *Tim.* 2. *d.* 13. *Joan.* 3. *d.* 33. *Ps.* 55. *a.* 11. *Psal.* 50. *a.* 6. *Gal.* 3. *d.* 22. *Psal.* 13. *a.* 4. *Psal.* 5. *c.* 11. *Ps.* 139. *a.* 4. *Psal.* 9. *b.* 7. *Is.* 59. *b.* 7. *Prov.* 1. *b.* 19. *Ps.* 35. *a.* 2. *Gal.* 2. *d.* 16.

SUMMARIUM CAPITIS III.

OSTENDIT in quibus Judæi præcellant Gētilibus. Omnes tamen docet esse sub peccato, nec habere de quo glorientur: & proinde egere justificatione per fidem Christi.

QUID ERGO AMPLIUS JUDÆO EST? AUT QUÆ UTILITAS CIRCUMCISIONIS? Oritur hæc quæstio ex eo quòd dixerat, circumcisionē nihil prodesse sine legis observatione: & præputium nihil obesse observanti legem. Movet autem eam quæstionem Paulus in gratiam Judæorum: ne videatur eos nimiùm depressisse, tanquam nihil illis præstitum esset à Deo præ Gentilibus. Sensus est: ita se res habet, ut dictum est; quid igitur amplius præ Gentili, quidve eximium (Græcè τὸ περισσὸν) collatum est Judæo? quid habet Judæus in quo præcellat? denique *quæ utilitas circumcisionis*? id est, quid prodest esse circumcisum? Quidam posteriorem interrogationis partem cum priore confundunt, tamquam unum idemque significetur, hoc nimirùm: Quid prodest esse religione Judæum?

Sed alii rectiùs distinguunt, ut prior pars quærat de populi prærogativis in genere, quod ad religionem pertinet, ut sunt lex, prophetæ; posterior autem specialiter de circumcisione, quæ mandata fuit ipsorum Patriarchæ in totam posteritatem. Rectiùs, inquam, distinguunt: Nam separatim Apostolus ad eas respondet: continuò quidem ad partem priorem, ad posteriorem verò capite sequenti.

2. MULTUM PER OMNEM MODUM. Hypophora est, qua suæ ipsius interrogationi respondet. Quo schemate septies adhuc utitur hoc eodem capite, & sæpè alibi. Non enim solùm ornat orationem, verùm etiam ad docendum cumprimis accommodum est, *Multùm*, inquit, *per omnem modum*, id est, valdè, multum amplius est Judæo. Hîc enim, ut dixi, ad priorem partem quæstionis respondet; ad alteram posteà suo loco responsurus: ut inanis & intempestiva sit hoc loco conjectura Erasmi, qui suspicatur à Paulo non fuisse scriptum πολὺ *multum*, sed πολλὴ *multa*: ut ad utilitatem referatur.

Quæstio.

Dicet aliquis: Si multum omninò amplius est Judæo præ Gentili; quomodo ad Gal. 3. parem facit utriusq; conditionem, dicens: *Non est Judæus, neq; Græcus; non est servus, neque liber*, &c. Respondeo, Paulum eo loco non aliud velle, quàm rem esse adiaphoram in religione Christana, sitne quis Judæus an Gentilis, servus an liber. Hîc verò eum loqui de beneficiis olim populo Judaïco præstitis præ cæteris Gentilibus. De qua re Psalmista: *Non fecit taliter omni nationi*. Hoc enim est quod sequitur.

Responsio.

PRIMUM QUIDEM, QUIA CREDITA SUNT ILLIS ELOQUIA DEI. Græcè: *Nam primùm quidem*, id est, hoc imprimis & præcipuè Judæis amplius est, quòd credita, commissa, tradita sunt eis eloquia Dei. Pronomen *illis* in Græco non exprimitur; sed ab interprete necessariò adjectum. Nam ἐπιστεύθησαν *crediti sunt eloquia*, Latinè dicitur credita sive commissa sunt eis eloquia Dei. Sic autem loquuntur Græci: creditus est hanc rem, id est, hæc res ei concredita, commissa est. Annotavit hoc Erasmus, tacitè notās imperitiam Fabri, qui relativum *illis* rejecerat ut superfluum. *Eloquia*, Græcè λόγια. Quæ vox apud authores Græcos peculiariter usurpatur ad significanda responsa Dei vel Deorum, quæ Latini vocamus oracula. Sed in sacris litteris extenditur ad omne Dei verbum hominibus traditum, cujusmodi est universa Scriptura sacra, sive prophetica, sive historica, seu quæcumque alia. Erat autem permagnum beneficium, habere legem & scripturas sibi traditas à Deo.

Prærogativæ Judæorum præ Gentilibus.

Privilegia Judæorum præ Gentilibus explicat idem Apostolus enumeratione quadam infrà cap. 9. *Quorum est*, inquit, *adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem.* Ex quo videmus Apostolum hoc loco non omnia voluisse exprimere quæ Judæus habeat præ Gentili; sed uno ac præcipuo beneficio nominato pleniorem declarationem alii loco servasse. Quod fortè significare voluit dicendo, *primùm quidem*. Ac si dicat: non hoc solùm est, sed sunt & alia alibi referenda.

Quare & de eo quod hoc loco quærunt nonnulli, fueritne signaculi circumcisionis apud Judæos utilitas aliqua, sive effectus spiritualis ac salutaris: ex iis quæ hîc dicuntur, statui nihil potest, tum quia de circumcisione nondum hîc respondet Apostolus: tum quia contentus unam exposuisse Judæorum prærogativam, de cæteris tacet. Erit autem opportunum, ut de ea quæstione aliquid dicamus ad illud capitis sequentis, *Et signum accepit circumcisionis*, &c.

QUID ENIM, SI QUIDAM ILLORUM NON CREDIDERUNT? Græcè ἠπίστησαν, quasi dicat, incrediderunt, credere noluerunt, scilicet eloquiis Dei sibi creditis. Hoc est, non habuerunt fidem promissis divinis, quæ continentur in Scriptura. *Illorum* non est in Græco, tametsi additum facit ad sensum.

3. NUM QUID INCREDULITAS ILLORUM FIDEM DEI EVACUABIT? Futuri temporis verbum *evacuabit* (pro quo in multis legebatur præteritum *evacuavit*) omninò retinendum ex castigatione Romana. In hanc enim lectionem mss. codices emendatiores cum Græcis conspirant. *Evacuabit* autem, id est, abolebit, irritam faciet, Græcè καταργήσει. Et est *sensus*: Numquid illorum incredulitas efficere poterit, ut Deus promissa sua non præstet, fidemque datam non servet? Fides hîc accipitur, ut aliàs sæpissimè in Scriptura veteris Testamenti, pro veritate in præstandis promissis.

ABSIT. Græcè μὴ γένοιτο. *Ne sit, ne fiat*; scilicet ut hominum malitia Dei fidem evacuet. Sermo est abominantis, velut rem absurdam, atque adeò impossibilem: Siquidem impossibile est Deum mentiri, aut fidem fallere. Unde sequitur.

4. EST AUTEM DEUS VERAX. In omnibus dictis & promissis: adeò ut fallere non possit. Est enim ipsa veritas. Notandum pro verbo *est* in Græco legimus γινέσθω, id est, *fiat*. Et ita citant hunc locum Amb. *lib. 3. de fide ad Grat. cap. 3.* Hieron. *in comment. epistolæ ad Titum cap. 1.* Estque sensus: Sit Deus verax; Hoc est, sine ambiguitate credatur verax in omnibus suis dictis & promissis. Putant quidam interpretem vertisse *esto*.

OMNIS AUTEM HOMO MENDAX. Scilicet ex semetipso & ex inclinatione depravatæ suæ naturæ: Sumptum ex psalmo 115. Excipitur autem ille homo, qui etiam Deus est. Non hîc repetendum γινέσθω, sed supplendū ὦσι; nisi illud exponas, habeatur, reputetur.

SICUT SCRIPTUM EST. Referri posset hæc citatio ad sententiam modò dictam, sed meliùs & quidem necessariò refertur ad testimonium sequens, quod alioqui non cohæret.

UT JUSTIFICERIS IN SERMONIBUS TUIS ET VINCAS CUM JUDICARIS. Adducit hoc testimonium ex psal. 50. quo ostendat Deum semper in promissis esse veracem, non obstantibus etiam hominum peccatis; adeò ut ex nostra iniquitate magis etiam appareat, atque illustrior fiat ipsius veritas & justitia. Quod luculentè docet *psal.* 88. in quo post commemoratas promissiones Davidi & semini ejus factas, affirmat Deus, etiamsi posteri legem suam deserant, ac justitias suas profanent, tamen inconcussè servaturum se ea, quæ promiserat; nec irritum facturum quicquam eorum, quæ de labiis suis processerant.

Hominum peccata non mutant Dei promissa.

Ut intelligatur hoc Paulum velle, exponendus est psalmi versiculus. *Tibi soli peccavi*, inquit David, *& malum coram te feci.* Ex qua mea iniquitate id con-

ſequitur, *ut tu juſtificeris in ſermonibus tuis*, &c. id eſt, ut omnes cum laude agnoſcant, adeò te juſtum ac veracem eſſe in verbis tuis ac promiſſis, ut ne quidem ob peccata hominum, promiſſiones tuas retractes : quandoquidem mihi, nihil obſtante hac mea, quam confiteor, iniquitate, præſtabis quæcumque de regni ſtabilitate, ſucceſſore, & ſancto ſemine ex me naſcituro fuiſti pollicitus : itàque fit, ut ſemper *vincas cum judicaris*, id eſt, victor & ſuperior in cauſa pronuncieris, quoties quis recta ratione voluerit de tuis factis judicium aut examen inſtituere. In hunc modum exponit Euthymius congruenter admodum cum mente Pauli hoc loco.

Ex qua etiam expoſitione liquet, particulam, ut non finalem eſſe, ſed tantùm conſecutionem denotare : quod & Theophylactus hîc annotavit. Loquitur autem Apoſtolus de promiſſis Dei abſolutis, quale fuit illud *Pſalmi* 88. non de iis quæ conditionem habent annexam. Nam quæ hujuſmodi ſunt ; ea, non ſervata conditione, evacuari & irrita fieri poſſe conſtat, ſalva fide & veritate promittentis.

Nonnulli verſum hunc, *ut juſtificeris* &c. in pſalmo per hyperbaton referunt ad preces ſuperiores, *Miſerere mei. Dele iniquitatem meam. Lava me. Munda me.* Ac ſi diceret David: Si mei miſertus fueris, ſi deleveris iniquitatem meam, ſi laveris & mundaveris me ; verax & juſtus invenieris in ſermonibus tuis, quibus veniam & gratiam promiſiſti pœnitentibus. Probabilis quidem etiam hic ſenſus : Verùm expoſitio priùs data pleniùs ſervire videtur explicandæ menti Paulinæ.

Cæterùm obſervà Paulum in hoc teſtimonio citando ſequi verſionem LXX. interpretum : quod ferè ſolet, ubi eorum verſio parùm aut nihil ab Hebræo diſcrepat, uti contingit in hoc verſiculo, quem Hieronymus ex Hebræo vertit iiſdem verbis : niſi quod pro *judicaris* reddidit futurum *judicaberis*, ſenſu nihil diverſo.

5. Si autem iniquitas nostra justitiam dei commendat, quid dicemus? ἀδικία ; pro qua malim *injuſtitiam*, propter antitheſim ad *juſtitiam*. *Commendat* Græcè συνίστησι. Quid quidam potiùs vertendum putant, *confirmat*, *conſtabilit*, *adſtruit* ; quomodo accipitur Galat 2. ubi nos habemus : *prævaricatorem me conſtituo*. Sed & in Syriaco *confirmat* legitur. Atqui ſentit Eraſmus interpretem noſtrum rectè vertiſſe ; nec ipſe ſecùs vertendum ſibi putavit. Nam in verbo commendandi poſſunt ea quæ commendationi conjungi ſolent, etiam intelligi, ut declaratio, teſtificatio, confirmatio. Dixerat Apoſtolus incredulitate hominum non modò non evacuari fidem Dei, verùm etiam illuſtrari. Quare meritò quæſtionem hanc ſubjicit, inquiens : Si noſtra iniquitas ſive injuſtitia commendat, id eſt, apparere facit, & illuſtriorem reddit, adeóque confirmat Dei juſtitiam & fidem erga homines ; *quid dicemus* ? ſcilicet ad quæſtionem ex illis dictis obviam, quæ ſequitur.

Nunquid iniquus est Deus qui infert iram ? Et hîc mallem, *Numquid injuſtus eſt Deus*? ut ſicut in Græco, ſic in Latino παρονομασία quædam appareat. Senſus : An ob id cenſebimus Deum injuſtum eſſe, qui infert iram, id eſt, punitionem ; qui punit & vindicat peccata, ex quibus juſtitia commendatur ?

6. Secundum hominem dico.) Id eſt, ſecundum humanum ſenſum loquor : objectionem hanc moveo ex perſona hominis divina nondum capientis ; cui facilè, ſicut experientia docet, hujuſmodi quæſtiones occurrant.

Absit : ut ideò credatur Deus injuſtus ; ut quis de Deo tam abſurdè & indigné ſentiat.

Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum ? Græcè τὸν κοσμὸν, *mundum*, ſine pronomine demonſtrativo, conſentientibus etiam mſſ. quibuſdam Latinis, & Syro exemplari. Deductione ad incommodum repellit objectionem, quaſi dicat : Si propter cauſam memoratam Deus injuſtus cenſendus eſt in vindicandis peccatis ; igitur non erit idoneus qui judicet mundum. Quod eſt longè abſurdiſſimum. Sequela manifeſta eſt, quia judicem totius mundi juſtiſſimum eſſe oportet.

Cæterùm directa quæſtionis ſolutio eſt, Dei juſtitiã non illuſtrari noſtra iniquitate per ſe, ſed tantùm ut per occaſionem. Nam vera cauſa illuſtrandæ juſtitiæ divinæ, qua juſtus & fidelis eſt in verbis ſuis, ipſa bonitas eſt & potentia Dei, ad eum finem utentis peccatis hominum, ſeu potiùs ea permittentis : ſicut & ea permittit, tum ad demonſtrandam juſtitiam ſuam vindicativam in iis puniendis, tum ad declarandam ſuam miſericordiam in iis remittendis. Et quidem veram cauſam illuſtrandæ juſtitiæ Dei non eſſe noſtra peccata, docet Apoſtolus ſubjunctis verbis, idque rurſus ad incommodum deductione, cùm ait :

7. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in Gloriam ipsius. Mendacium vocat quod paulo antè iniquitatem, id eſt, peccatum. Nullus enim peccat, niſi falſa ſpecie boni. Dixit autem mendacium propter antitheſim cum veritate. Abundare in gloriam eſt clariorem fieri,

Quid adhuc et ego tanquam peccator judicor ? Redundat, ut alibi interdum, & particula. *Senſus* totius verſus eſt : Si fides & veracitas Dei clarior & illuſtrior facta eſt per meum mendacium ſive injuſtitiam ; cur poſteà judicor, condemnor, & punior tamquam mendax & peccator ? Suam perſonam ponit pro quavis alia, tamquam diceret ; Si peccata hominum per ſe juſtitiam Dei illuſtrant, ejuſque gloriam promovent ; cur igitur homines tamquam peccatores puniuntur. Toletus ſubtilem quamdam adhibet huic loco commentarium, quem lectori ipſius judicandum relinquo. Nobis quidem videtur coactior : Noſtra verò communis eſt expoſitio ; quod & ipſe fatetur. Et huic optimè cohæret quod ſequitur.

8. Et non sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere ; faciamus mala ut veniant bona ? Βλασφημούμεθα ; id eſt, maledicimur, malè de nobis homines loquuntur. *Senſus* : Et cur non potius dico (ſicut quidam malè de nobis loquentes aiunt nos dicere) faciamus mala, cumulemus peccata peccatis, ut veniant bona ; quale eſt Deum glorificari ? Suppleri ſententia poteſt etiam hoc modo : Et cur non potiùs facimus mala, ut Deus glorificetur ? ſicut quidam calumniantur nos dicere, *Faciamus mala ut veniant bona*. Videtur Apoſtolus eos ſignificare, qui malè & calumniosè interpretabantur id quod paſſim docebat, ſupurabundaſſe gratiam Dei ubi ſuperabundavit hominum iniquitas.

Obſerva ad mores, non eſſe facienda mala, ut eveniant bona.

Simul inſinuat, pro regula tenendum, ne umquam malum faciamus cujuſcumque boni gratiâ. Cæterùm permittere & non impedire mala quùm poſſis, ut bona majora eveniant ; haud dubiè licitum eſt & laudabilis prudentiæ ; quemadmodum & illud, conſulere cuipiam minus peccatum, quo à majori revocetur : ſicut ipſe fecit Apoſtolus, quædam ſecundùm indulgentiam dicens infirmis, non ſecundùm imperium, 1. Cor. 7.

Quorum damnatio justa est, ſcilicet eorum qui ſic loquuntur : *Faciamus mala*, &c. Rejectio eſt. Non enim dignatur illationem tam abſurdam pluribus refellere, ſed eam ſimpliciter condemnat. Sapientis enim diſputatoris eſt, non ad omnia objecta reſpondere, ſed quædam contemnere. *Damnatio*, Græcè *judicium*, ſed intellige condemnativum, ut alibi frequenter.

Hîc ſecundùm diſtributionem Theodoriti, finis eſt primi tomi hujus epiſtolæ, & ſecundi initium à verbis ſequentibus. Cùm enim, inquit, Gentilium & Judæorum iniquitatem coarguiſſet Apoſtolus, & utroſ-

que ſupplicio dignos oſtendiſſet; offert deinceps fidei medicamentum, & divinæ diſpenſationis benignitatem docet.

9. QUID ERGO ? PRÆCELLIMUS EOS ? NEQUAQUAM. *Eos* non eſt in Græco, rectè tamen ſuppletum, etiam ab Eraſmo. Quoniam videbatur Judæum prætuliſſe Gentili, quando dixit, multùm per omnem modum ampliùs eſſe Judæo: rurſus hîc, ne Judæus ſe extollat adverſus Gentilem, ita quærit; *Quid ergo?* an quia hoc ampliùs eſſe dixi Judæo, ideò nos Judæi præcellimus Gentiles? Et reſpondet, *Nequaquam.* Græcè οὐ πάντως, *non omnino*: ſed uſurpat Paulus pro *nequaquam, nullo modo.* Qua reſponſione non jam ſibi contrarius eſt Apoſtolus. Dixerat enim Judæo amplius eſſe, quantum attinet ad externa beneficia Judaico populo exhibita à Deo, & illud maximè, quia credita illis fuerant eloquia Dei: Hîc autem negat Judæum abſolutè præcellere, id eſt, quoad veram juſtitiam, à qua ſola petenda eſt hominis cujuſque vera & ſolida ſupra alium excellentia. Unde ſequitur.

Apparens antilogia tollitur.

CAUSATI ENIM SUMUS JUDÆOS ET GRÆCOS OMNES SUB PECCATO ESSE. Græcè προῃτιασάμεθα, quaſi dicat *præcauſati ſumus. Quod ego transferrem*, ait Valla, *ſuprà diximus enim cauſam.* Unde ſenſum hunc reddunt: Jam enim antè probavimus allatis cauſis & rationibus, Judæos & Gentiles omnes peccato ſubditos eſſe, id eſt, omnes eſſe peccatores, & propter peccata damnatione dignos. Atqui plenior erit ſenſus, ſi dicas; Jam antè probavimus, allegatis criminibus, &c. Nam Græcum verbum & ſimplex & compoſitum ſignificationem habet accuſandi. Crimina audivimus Gentilium cap. 1. & Judæorum cap. 2.

Quæſtio.

Hîc quæritur quam generaliter illud *omnes* accipiendum ſit, quùm cauſatum ſe dicit *omnes ſub peccato eſſe.* Nam ex præcedentibus ſolùm inferri poſſe videtur, multos ſub peccato eſſe; ut ex Gentilibus philoſophos, ex Judæis legiſperitos: Siquidem horum propriè crimina percenſuit. Reſpondeo Pauli procul dubio mentem eſſe de omnibus ſine exceptione hominibus ſub peccato concludendis; ſicut & dicit Gal. 3. *Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato.* Primùm id patet ex ſcopo Pauli. Vult enim demonſtrare ſine fide Chriſti neminem juſtificari poſſe: quod demonſtrari non poteſt, niſi conſtiterit ſine ea omnes eſſe peccatores. Idipſum probant teſtimonia Scripturæ ſubjuncta, quæ prorſus univerſaliter loquuntur; illud potiſſimùm: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Ex quibus deinde rurſus univerſalem, omnes & ſingulos homines complectentem, facit illationem dicens: *Ut omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo.* Nec pluribus opus eſt argumentis in re tam manifeſta.

Reſponſio.

Ad objectionem verò reſpondemus, Pauli collectionem, quæ brevis & proinde obſcura eſt explicandam eſſe hoc modo: Gentilium & Judæorum præcipui, & à quibus maximè erat exſpectanda juſtitia, quippe qui præ cæteris hominibus ſapientiam, ut philoſophi, & divinæ legis notitiam, ut nomodidaſcali, profitebantur, peccaverunt & à juſtitia longè aberraverunt: igitur & omnes cæteri, quibus nec ſapientiæ ſtudium cordi fuit, nec legis divinæ notitia contigit. Argumentum eſt à minori. Nec verò plenior exigenda fuit de ſingulis probatio: quùm intelligenti ſatis ſit rationem adferri poſſe ſingulis & omnibus communem, nec ignotam; id eſt, humanæ naturæ corruptionem: etſi cauſa ejus paſſim lateret. Hæc porrò ſi Judæo minùs perſuadeant, audiat quæ ſequuntur.

10. SICUT SCRIPTUM EST: QUIA NON EST JUSTUS QUISQUAM.

11: NON EST INTELLIGENS, NON EST REQUIRENS DEUM.

12. OMNES DECLINAVERUNT, SIMUL INUTILES FACTI SUNT: NON EST QUI FACIAT BONUM: NON EST USQUE AD UNUM.

13. SEPULCHRUM PATENS EST GUTTUR EORUM, LINGUIS SUIS DOLOSE AGEBANT. VENENUM ASPIDUM SUB LABIIS EORUM.

14. QUORUM OS MALEDICTIONE ET AMARITUDINE PLENUM EST.

15. VELOCES PEDES EORUM AD EFFUNDENDUM SANGUINEM.

16. CONTRITIO ET INFELICITAS IN VIIS EORUM.

17. ET VIAM PACIS NON COGNOVERUNT.

18. NON EST TIMOR DEI ANTE OCULOS EORUM. Omnes ſub peccato eſſe, copioſiùs adhuc probat propter Judæos ex Scriptura, tamquam propriâ (ſicut infrà dicit) ipſorum lege, convincendos. Arguit autem hæc probatio, quemadmodum ſuperiùs admonui, univerſalem intellectum illius concluſionis: *omnes ſub peccato eſſe.* Dicitur enim: *Quia non eſt juſtus quiſquam* &c. Item: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Accedit & generalitas hominum illo verſu ejuſdem Pſal. ſignificata: *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum: ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum.* Poſt quem verſum proximè ſequuntur verba à Paulo citata: *Omnes declinaverunt*, &c. Hoc enim quid eſt aliud, quàm omnes inventos malos, neminem bonum? Verùm hæc intellige juxta mentem & ſcopum Pauli, de filiis hominum, id eſt humano genere, quale eſt ex ſua origine, & qualis unuſquiſque perſeverat, donec juſtitiæ Dei per fidem Jeſu Chriſti particeps fiat. Non ſum neſcius, Hieronymum alicubi ſcripturam hanc; *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt*, interpretandam docere ſecundùm illum canonem Scripturarum, quo ſignum univerſale non ad totum, ſed ad partem maximam referendum ſit, velut in eo quod Apoſtolus dicit: *Omnes quæ ſua ſunt quærunt.* Philip. 2. Sic enim cenſet *in epiſt.* 146. quæ eſt de filio prodigo ad Damaſum Papam, & *in comment. Eph. ſub finem capitis primi.* Quam Hieronymi interpretationem etiam alii quidam ſequuntur.

Mihi tamen Paulino ſenſui, atque etiam Davidico, convenientius videtur, ut univerſaliter utriuſque verba accipiantur, eo modo quo dixi. Nam de Paulo ſatis puto conſtare. Sed & Davidis non aliam in ſuis verbis arbitror eſſe ſententiam, quàm quæ fuit Iſaiæ prophetæ in hiſce conſimilibus c. 53. *Omnes nos quaſi oves erravimus: unuſquiſque in viam ſuam declinavit.* Quæ verba nemo Theologus negaverit ad omnes omninò pertinere, quos comprehendit id quod proximè ſequitur: *Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Alibi quoque Hieronymus hoc univerſali ſenſu verſum Davidicum accipit ut in commentario ſuper Iſaiæ 52. ita ſcribens: *Opportuno tempore pro cunctis ſanguinem fudit* Chriſtus, *quando omnes declinaverant, ſimul inutiles facti erant: non erat qui faceret bonum, non erat uſque ad unum: ut pro omnibus guſtaret mortem, quia omnes peccaverant, & indigebant gloria Dei.* Hæc ibi.

Sed quæret aliquis, quomodo ad omnes & ſingulos pertineant quæ ſequuntur apud Paulum: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum*, uſque ad finem citati teſtimonii. Reſpondeo Paulum non ſentire, quod in omnibus & ſingulis fuerint omnia vitia quæ hîc enumerat; ſed alia in aliis; ita tamen ut omnes in vitio & peccato fuerint, omnes declinaverint, & ad bonum facti ſint inutiles: denique inter omnes nullus ſit juſtus, nullus intelligens, nullus qui Deum quærat aut timeat, aut quod bonum eſt faciat: ſenſu nimirum anteà declarato.

Cæterùm quod ad Scripturas hîc ab Apoſtolo citatas attinet, etſi jam olim in vulgatis codicibus Latinis exſtiterint omnes uno loco, ſcilicet in Pſal. 13. etiam ante Hieronymi & Auguſtini tempora; ſcien-

dum tamen est, neque in Hebræo, neq; apud LXX. interpretes in eo Psal. omnes haberi. Quod & disertè testatur Hieronymus *in præfat. lib. 16. suorum comment. in Isaiam*, astipulante etiam commentario psalmorum, qui Hieronymi titulum habet. At neque Chaldæa paraphrasis in eo loco agnoscit. Addit ipse Hyeronymus omnes Græciæ tractatores, qui in psalmos edidere commentarios, idipsum liquidò confiteri: Dicitq; eos qui artem contexendarum inter se Scripturarum Apostoli nesciebant, cùm quærerent aptum locum, ubi assumptum ab eo ponerent testimonium, quod absque authoritate Scripturæ positum non putabant; transtulisse in eum psalmum in quo repererunt prima verba. Fuere quidem nonnulli, qui versus illos, quos alió relegat Hieronymus, contenderent Hebraico textui in psalmo memorato detractos esse, & restitui debere, idque ex quodam Hebraico, quod allegant, psalterio Anglicanæ Ecclesiæ. Sed eos benè & solidè refellit vir doctissimus F. Lucas suis in sacra Biblia notationibus; ad quas lectorem remitto.

Ars Apostoli Pauli in contexendis Scripturis.

Jam ex quibus locis collecta sit hæc testimoniorum congeries, eodem indice Hieronymo paucis accipe. Primi versus usque ad illud: *Sepulchrum patens*, deprompti sunt ex psalm. 13. jam dicto, qui Hebræis est 14. At versus ille: *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant*, sumptus est ex Psal. 5. Quod sequitur: *Venenum aspidum sub labiis eorum*, decerptum est ex Psalm. 139. non autem, ut vult author ille incertus commentariorum in psalmos, ex Deuteronomio. Nam in eo libro non hoc legitur, sed *venenum aspidum insanabile*, cap. 32. in cantico Moysi. Quod statim sequitur: *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est*, habetur in psalm. 9. qui Hebræis est 10. Porrò verba sequentia: *Veloces pedes eorum* & cætera usque ad illud: *Non est timor*, desumpta sunt ex Isaiæ cap. 59. Quod ita esse repetit in eumdem Isaiæ locum scribens Hieronymus. Illud postremum: *Non est timor Dei ante oculos eorum*, in psal. 35. principio legitur. *Nec in hoc*, ait Hieronymus, *cuiquam videatur esse diversum, si quod in suis locis numero dicitur singulari, ab Apostolo pluraliter dicatur: qui scribebat ad plurimos, & in unum sensum multa cogebat exempla.* Sic ille. A quo Cajetanus in locis designandis nonnihil dissentit: sed præter æquùm.

Restat ut testimonia hæc à Paulo citata breviter exponamus. *Non est*, inquit, *justus quisquam.* Græcè, *non est justus, ne quidem unus*, scilic. in universo hominum genere: quod intellige, quantum ad naturæ corruptionem attinet, & antequàm quisque justificetur ex fide. Item non est quisquam intelligens, id est, sapiens ea quæ Dei sunt. Non est exquirens Deum, id est, bonis actionibus sese Deo commendans. Omnes originaliter infecti atque corrupti, à recto deflexerunt ad iniquitates. Simul omnes, excepto nemine, facti sunt ad legem implendam & opera pietatis exercenda prorsus inepti atque inutiles: quod in Hebræo est, *putruerunt, sive rancidi facti sunt.* Non est quisquam qui faciat bonum, Græcè χρηστότητα, *bonitatem*; sed Hebraicè טוב tob, *bonum*, id est, opus Deo acceptum. Vel: Non est quisquam, qui benè vivat; qui ita faciat bonum, ut bonus dici possit. Sic enim in 4. Reg. & 2. Paralip. de quibusdam Regibus Juda dicitur, quod fecerint bonum, rectum, placitum coram Domino. *Non est usque ad unum*, id est, ne unus quidem. Nam inclusivè exponendam esse voculam *usque*, secus quàm in expositione psalmi vult Augustinus, ut Christum excipiat; rectè monet Cajetanus: *Nullus enim*, inquit, *purus homo excipitur.* Et hic sensus patet ex eo quod in Græco præcessit: οὐδὲ εἷς, *ne quidem unus.*

Loc. Moral. Contra detractionem & abusus linguæ.

Porrò sepulchro patenti simile est guttur eorum; quia sicut sepulchrum patens exhalat tetrum ac pestiferum fœtorem; ita ex ore illorum, impuri, pestilentes, noxiique sermones exeunt. Linguis suis utuntur ad dolum & fraudem, aliud loquentes, aliud sentientes. Et, quasi qui venenenum aspidum, id est, nocentissimum sub labiis vel in labiis gerant, semper parati sunt pestiferum virus latentium cogitationum ex oris pharetra depromere, & in quemlibet ejaculari. Quorum os maledictione sive execratione & amarulentia plenum est: ita ut vix aliud ore proferant in eos, quibus offensi sunt, quàm contumelias & maledicta. Est autem amaritudo sive amarulentia, dum odium cordis in ore & sermone apparet. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*, id est, ad cædes & oppressiones innocentium. *Contritio & infelicitas in viis eorum. Infelicitas* Græcè ταλαιπωρία, miseria, ærumna. Calamitatem legit Cyp. *lib. de zelo & livore.* Vox Hebræa apud Isaiam vastitatem significat. *Sensus*: Omne eorum studium est ut alios conterant & vastent; adeò ut nati videantur in aliorum perniciem.

Viarum nomine studia & actiones Hebræa phrasi significari notum est. *Et viam pacis non cognoverunt*, scilicet approbationis notitia: quia pacem & justitiam veræ pacis conservatricem, oderunt. Ac si dicat: nolunt ingredi viam pacis. Denique quod præcedentium malorum fons & caput est: *Non est timor Dei ante oculos eorum*, id est, oculis mentis non considerant Deum ubique præsentem, proindéque timendum esse, tamquam justum vindicem malorum. Hoc enim timore, velut fræno cohiberi solent homines, ne in scelera & flagitia præcipites currant. Ex hoc loco colligitur, hominem peccando non solùm amisisse amorem justitiæ, verùm etiam timorem gehennæ, quemadmodum docet Prosper. lib. contra Collatorem cap. 19.

Homo peccando non solùm amisit amorem justitiæ, sed etiam timorem gehennæ.

19. SCIMUS AUTEM QUONIAM QUÆCUNQUE LEX LOQUITUR, IIS QUI IN LEGE SUNT, LOQUITUR. *In lege*, id est, sub lege, legi subjecti. Ne Judæus excipiat, & dicat hæc superiora nihil ad se pertinere; sed de impiis, id est, Gentilibus dicta esse; nunc ratione probat ea Judæis esse communia. Legis nomine priori loco psalmos & prophetas, ac verisimiliter et reliquos sacros libros comprehendit. Nam ex psalmis & prophetis adducta fuere memorata testimonia. Atque eo modo legis vocabulum etiam Dominus usurpat Joannis 15. dicēs: *Ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.* An eadem legis acceptio sit posteriori loco, cùm dicit, *iis qui in lege*, id est, sub lege *sunt*, dubitari potest. Nam solet hac locutione Mosaica lex intelligi, quæ ut summum quatuor libris continetur. Verùm quia tota Veteris Testamenti scriptura canone Hebræorum comprehensa, Judæis erat, ut esse debebat, pro verbo Dei; ideò nihil vetat etiam hac parte totam legis nomine comprehendi: tametsi nihil incommodi est, si specialiter accipiatur. Nam sic etiam *sensus* congruit, qui est hujusmodi: Lex & prophetæ, licet multa dicant & prædicent de Gētilibus à populo Dei diversis, & aliquando ad eas etiam sermonem dirigant, ut in prophetis videre est: potissimùm tamen intendunt corripere, castigare, comminari, invehere in illorum vitia qui sub lege sunt: præsertim ubi loquuntur absque determinatione certæ alicujus Gentis. Hæc enim quæ dixi, legis sunt officia. Lex autem soli populo Hebræorum data fuit. Benè igitur Apostolus ex lege & ejus increpatione convincit populum illum totum fuisse sub peccato. Alii aliter hanc probationem explicant: sed meo judicio minùs rectè.

Legis nomine quæ scripturæ comprehendantur.

UT OMNE OS OBSTRUATUR. *Ut*, illationem notat non causam, ac si dicat: Hinc fit ut nemo gloriari possit de justicia, nec se excusare in Dei judicio, ne Judæus quidem qui in lege gloriatur. Per eam ipsam enim injustus arguitur.

ET SUBDITUS FIAT OMNIS MUNDUS DEO. Subditus Græcè ὑπόδικος, id est, obnoxius, obstrictus ad pœ-

nam. Augustinus legit *reus* lib. de gratia Christi cap. 8. Sensus: Et ut appareat omnes omninò homines, etiam Judæos, esse Deo judici ad æternam mortem obnoxios.

20. QUIA EX OPERIBUS LEGIS NON JUSTIFICABITUR OMNIS CARO CORAM ILLO. *Non justificabitur omnis caro*, id est, nulla caro, nullus homo justificabitur. Notissima synecdoche, caro pro homine. Porrò *quia* Græcè est ὅτι, *propterea quod*, *ideò quia*. Sentit. n. Apostolus idcircò etiam Judæo, qui legem accepit, os obstrui, reddique eum Deo obnoxium: quoniam etsi legem & opera legis prætendere velit, non tamen ex illis coram Deo justificetur: quùm maneat illud, quod antè probatum & conclusum est, *Judæos & Græcos omnes sub peccato esse*; nec habere de quo coram Deo glorientur. Quod si Judæus qui legem accepit, ex operibus legis non justificabitur; quantò minus Gentilis qui legem non accepit? Itaque rectè dictum est, *omnis caro*. Potest autem accipi hæc Pauli sententia velut epiphonema supradictorum. Huc enim spectant quæ dixit, ut intelligatur ex lege non esse justitiam: Unde mox colligat principale suum institutum, justitiam esse petendam ex fide.

Opera legis quæ Paulo dicantur.

Quidam hoc loco intelligunt opera legis, qua parte cæremonialis est. Ex hoc putant Apostolum velle; quod justitia non habeatur per sacramenta veteris legis, sive per observationem legalium. Pro quo intellectu facere videtur, quod eadem hæc præpositio habetur Gal. 2. in qua epistola potissimùm de legis cæremonialis ad justitiam inutilitate Paulus disserit. Verùm de illius loci sententia videbimus in ejus commentario.

Præsens certè doctrina ad legem cæremonialem restringi non potest, quemadmodum bene probat Augustinus *lib. de spiritu & littera cap.* 8. & 29. Primum, quia continuò subjungit Apostolus; *Per legem cognitio peccato*: quod de lege morali in decalogo scripta dici manifestum est. Et ita se ipse Apostolus exponit cap. 7. citans illud ex decalogo, *Non concupisces*: ac subjungens legem sanctam esse, & mandatum sanctum & justum & bonum. Quæ epitheta maximè competunt in legem moralem. Deinde quia verbis hìc superioribus, & jam antè *cap.* 2. ostenderat, nec eos quidem qui legem acceperant, justitiam fuisse consecutos de lege morali indubiè loquens; ut ibi: *Qui prædicas non furandum, furaris*, & quæ sequuntur.

Adde quod non opponit Apostolus cæremonialia moralibus, sed antithesim statuit inter id quod est ex operibus legis, sive ex lege, & per legem: & id quod est gratis, atque ex fide, & per fidem; uti docet totus contextus sequens. Sed nec id quod infrà dicitur: *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus*; accipi potest de lege cæremoniali, quam fides Christi promulgata tollit ac destruit. Illud quoque cap. sequentis: *Lex iram operatur: ubi enim non est lex, nec prævaricatio*; de lege morali præcipuè veritatem habet. Nam prævaricationes pleræque omnes sunt contra leges morales. Igitur hoc loco vel legem moralem oportet intelligi, vel certè legem universam Moysi, moralia simul & cæremonialia complectentem. Nam à tota lege vim justificandi removere vult Apostolus. Et sic intellecta sententia magis ad amussim convenit cum ea quæ est ad *Gal.* 2.

Præterea notandum est opus legis bifariam sumi: vel pro opere quod lex præscribit, quale opus verè bonum est; de quo cap. 2. *Factores legis justificabuntur*, vel pro opere quod fit ex lege, id est, ex sola legis cognitione, & non ex fide. Quo posteriori modo loquitur hìc Paulus de operibus legis, ea nimirum intelligens, quæ quis facit sola lege adjutus. Cujusmodi erant quæ faciebant & adhuc faciunt Judæi, non existimantes gratiam redemptoris ad justè vivendum sibi esse necessariam. Qualiacumque enim ea sint ad veram justitiam nihil conducunt. Hoc quippe est ex operibus legis neminem judicari coram Deo. Sic opera legis exponit Augustinus compluribus locis, *ut lib. de spir. & lit. cap.* 8. *de gratia & lib. arb. cap.* 12. *& lib.* 3. *contra epist. Pelag. cap.* 7. Item Hugo *quæst.* 82. & 83.

Quod si lex à Deo data, tamquam legis naturalis per peccatum obscuratæ quædam interpres, explicans eam ac renovans, justitiam præstare non potuit: multò minùs id potest sola lex naturalis, tali interprete destituta. Quare si ex operibus legis scriptæ nemo Judæus justificatur; consequenter intelligendum relinquitur, multò minùs Gentilem judicari posse ex operibus legis naturæ, quantumlibet etiam humano studio excultæ, & quibuscumque philosophiæ præceptis elucidatæ. Quocirca nec Aristotelis Ethica, quamvis suam minimè contemnendam habeant utilitatem, cuiquam sufficere potuerunt ad veram & salutarem justitiam. Unde & Paulus alibi, tam legis scriptæ quam naturalis opera comprehendens, communem de utrisq; quod ad salutem nihil conferant, profert sententiam. Sic enim scribit Judæus ipse ad Titum Gentilem cap. 3. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.*

Videtur autem hoc loco & deinceps justificari seu justificatio generaliter accipi, qua nimirum quis vel ex impio fit justus, vel in adepta justitia progreditur. Prius acceptionis membrum ex sequentibus manifestum est, maximè ex eo quod dicitur cap. seq. *Credenti in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Posterioris autem membri justificatio fuit ea, quæ ibidem Abrahæ tribuitur ex fide: ut qui jam antè erat justus. Quem utrúmque justificationis modum observare est etiam apud Jacobum Apostolum *cap.* 2. Igitur mens & doctrina Pauli est, & ex operibus legis neque primam obtineri posse justitiam cum remissione peccatorum: neque justitiam habitam conservari, augeri, perfici; neque verò tamquam ex actibus justitiæ, justum quempiam apud Deum reputari.

Pauli doctrina communis ad justificationem primã & secundam.

PER LEGEM ENIN COGNITIO PECCATI. Intellige exclusivè hoc sensu: Lex solam præstat & ingerit agendorum & fugiendorum notitiam: dum alia præcipit, alia prohibet. Quod enim lege prohibetur, peccatum est. Non ergo per legem, neque ex operibus legis est justificatio, quia peccatum tollitur & lex observatur. Sermo est de eadem lege de quasuprà, id est, de lege scripta sive Mosaïca. Nam ea, qua parte moralis est, peccatum ostendit: sicut & infrà dicit cap. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret: Non concupisces.* Unde patet falli Origenem, qui legem naturalem ab initio mentibus hominum insitam, existimat hìc significari. Quamvis enim Cain & alij multi ante legem scriptam, habuerint agnitionem malefactorum suorum, accusantibus ipsos suis conscientiis; obscurior tamen & imperfectior erat ea notitia.

Nam lumen naturale rationis ita peccato fuit obnubilatum, ut multa quæ peccata sunt, non putarentur esse peccata; multa quoque levia putarentur, quæ gravia sunt. At verò per legem à Deo datam & tabulis inscriptam, multo clarior atque perfectior accessit peccati cognitio: non solùm quatenus rectæ rationi peccatum repugnat, verùm etiam quâ Dei offensa est, & à Deo graviter puniendum: quod utrumque per solam naturæ legem pauci, nec nisi imperfectè, poterant cognoscere. Denique si de lege naturæ partem hanc interpreteris, non perinde contra Judæum valebit; qui dicere poterit: Et si per legem naturæ, tantùm peccati cognitio sit; legi tamen divinæ, quam ipse accepit, ampliùs esse tribuendum. Sentiunt nobiscum August. *lib. de spiritu & litera cap.* 8. & commentatores ferè omnes.

21. NUNC AUTEM SINE LEGE JUSTITIA DEI MANIFESTATA EST; TESTIFICATA A LEGE ET PROPHETIS. Poſtquàm oſtendit ex lege non eſſe juſtitiam, docere nunc incipit, unde ea petenda ſit, nempe ex fide Jeſu Chriſti. Qua in re verſari cardinem Paulinæ diſputationis in hac epiſtola, diximus initio. *Nunc*, id eſt, tempore prædicationis evangelicæ: vel *nunc autem*, id eſt, atqui, at verò. Sic enim accipitur interdum, ut non tempus, ſed aſſumptionem vel adjunctionem ſignificet. Vide quæ annotamus ad illud Hebr. 11. *Nunc autem meliorem appetunt. Juſtitia Dei*, id eſt, ea juſtitia qua coram Deo quis juſtus eſt. Præceſſit enim: *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo.* Nunc, inquit, juſtitia Dei, juſtitia vera, quâ in Dei conſpectu & judicio juſti ſint homines, manifeſtata eſt & palàm annunciata, ac reipſa exhibita ſine lege, id eſt, non per opera legis: tametſi teſtificationem habent à lege & prophetis. A lege quidem, id eſt, ex libris legis, ubi ſcriptum eſt: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* A prophetis autem, in quibus legitur: *Juſtus ex fide vivit.*

Sciendum eſt Auguſtinum lib. de gratia Chriſti cap. 8. & de ſpiritu & littera cap. 9. illud, *ſine lege*, jungere cum *juſtitia Dei*: quod & ſequitur Hugo *quæſt.* 87. ut juſtitia Dei ſine lege intelligatur, quæ non eſt ex lege. Sed ea conſtructio coactior eſt, & non neceſſaria. Nam ſenſus eodem recidit cum expoſitione priùs data. Minùs verò placet quod alii quidam *ſine lege* exponunt, ceſſante lege. Non. n. agit nunc Apoſtolus de legis aut legalium ceſſatione, nec opportunum erat ut ageret: ſed de legis effectu. Docet enim quid lex poſſit, quid non poſſit: peccatum oſtendere potuiſſe, juſtitiam præſtare non poſſe; ideoque ſine ea juſtitiam eſſe manifeſtatam & exhibitam.

Porrò ea manifeſtatio ſeu manifeſta exhibitio juſtitiæ Dei ſine lege, potiſſimùm facta eſt in converſione Gentilium qui legem non acceperant; quorum tamen veræ juſtitiæ atteſtabantur externa ſigna; prout Cornelii centurionis & aliorum exempla in Actis commemorata nos docent. Unde & Galatis dicitur cap. 3. *Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?*

22. JUSTITIA AUTEM DEI PER FIDEM JESU CHRISTI IN OMNES ET SUPER OMNES QUI CREDUNT IN EUM. Græcè non additur *in eum*; ſatis tamen intelligitur. Nam & Syrus interpres addendum putavit. Cohærent hæc verba ſuperioribus epanalepſi quadam, exponente cauſam ac modum juſtitiæ Dei, quam dixit acquirendæ. *Senſus enim eſt*: Juſtitia, inquam, Dei quæ eſt per fidem Jeſu Chriſti; idque in omnes & ſuper omnes credentes in Chriſtum. Hi. n. omnes juſtificantur, ſive Judæi ſint, ſive Gentiles. Cùm dicit juſtitiam Dei haberi per fidem, apertè ſignificat juſtitiam non eſſe ipſam fidem; quod volunt hæretici. Doctrina enim Apoſtoli eſt per fidem acquiri juſtitiam; ita tamen ut ipſa fides ſit initium juſtificationis atque etiam pars quædam juſtitiæ: quemadmodum infrà pleniùs declarabitur. Hæc duo, *in omnes & ſuper omnes*, Oecumenius ita diſtinguit, ut prius ad Judæos, poſterius ad Gentiles referatur: quòd Judæi apud ſe velut domeſticam haberent ſalutis cauſam, nempe Chriſtum; à quibus extenſa deinde fuerit ad Gentiles & ſuper Gentiles Dei gratia: quia *ſalus ex Judæis eſt*, Joan. 4. Verùm non hoc Apoſtolum velle, ſatis arguit pars ſequens, qua diſertè ſignificat ſe indiſtinctè nunc loqui de Judæis atque Gentilibus. Utrumque igitur hoc membrum ad utroſque pertinet.

Obſerva contra Hæreticos, fidem non eſſe ipſam juſtitiam.

Alii dictum putant *in omnes*, propter univerſalitatem beneficii; *ſuper omnes*, propter ſublimitatem. Atqui Græcè non eſt ἐπὶ, ſed ἐν; quemadmodum priori loco εἰς, Paulo ferè idem ſignificantia; ut verti potuerit hoc modo, *ad omnes & in omnes.* Quare ſi quid diſcriminis eſt, velim ita diſcerni, ut in priori ſignificetur acceſſus, in poſteriori perventio. Habet n. juſtificatio ſuos gradus. Atque id eſt quod alii dicunt, eſſe ejuſdem inculcationē per auxeſim quamdā.

Porrò omnes in Chriſtum credentes intellige, non quomodocumque, ſed ea fide de qua cap. 1. diximus Apoſtolum loqui: qua videlicet in Chriſtum quis credit, paratus ſubire & agere ea quæ ille ordinavit ad juſtitiam conſequendam, vel etiam retinendam, id eſt, credentes fide humili & obediente. De qua & illud accipiendum quod dicit Dominus Joan. 3. *Ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ex his quoque reſponderi poteſt ad id quod quæri ſolet; utrùm hæc fides informis ſit, an formata. Jam enim ſuprà dictum eſt, eam non prorſus informem eſſe, ſed formatam bona voluntate, in qua & ſpes & dilectio Dei includuntur.

NON ENIM EST DISTINCTIO. Scilicet inter Judæos & Gentiles; ac ſi dicat: Nullus eſt hominum qui poſſit aut umquam potuerit aliter juſtificari, quàm per fidem Jeſu Chriſti. Hæc una & ſola via eſt omnibus propoſita, qua perveniatur ad juſtitiam. Qua de re graviter diſſerentem vide B. Auguſtinum *lib. de peccato originali cap. 24.* Quamquam illud ſciendum, in fide Chriſti mediatoris implicita pleroſque qui Chriſti adventum anteceſſerunt, juſtificatos fuiſſe: quod ex profeſſo docent Theologi *in 3. ſent. diſt. 25.* Porrò non eſſe diſtinctionem, probat ex cauſa communi.

23. OMNES ENIM PECCAVERUNT; Tam Judæi quàm Græci, quemadmodùm in præcedentibus oſtenſum eſt & concluſum: ut quibus eſt morbus communis, ſit etiam communis remedii neceſſitas.

ET EGENT GLORIA DEI. Ita legendum, non *gratia Dei*, quod in quibuſdam legitur. Senſus tamen huc recurrit juxta multorum expoſitionem. Putant enim hoc ſignificari; quoniam omnes peccaverunt, idcircò omnes egere Dei miſerantis auxilio, id eſt, gratia remiſſionis, per quam Dei nomen glorificetur; ut eſt apud Ezechielem cap. 36. Sic intellexit Auguſtinus lib. *de ſpiritu & litera cap. 9.* & ferè Latini poſt eum. Sic etiam Theodoritus in commentario. Atque hunc intellectum confirmare videntur ea quæ proximè ſequuntur de gratuita remiſſione peccatorum.

Poteſt autem & hic eſſe ſenſus: Omnes confiteri debent ſe peccatores, & per hoc gloriam dare Deo; quomodo Joſue dicebat ad Achan furti deprehenſum: *Da gloriam Deo, & confitere quid feceris* Joſ. 7. Quo item ſenſu dicitur Apoc. 15. *Et non egerunt pœnitentiam ut darent Deo gloriam.*

Verùm notandum eſt verbum ὑστεροῦντω *egent*, etiam verti poſſe *diſtituuntur*; quemadmodum verterunt Eraſmus & alii. Tùm ſenſus eſſe poteſt, Quia omnes peccaverunt; ideò omnes deſtituuntur ſeu privantur gloria Dei, id eſt, indigni ſunt vita æterna, quæ non datur niſi juſtis. Quem ſenſum indicant Chryſoſtomus & Theophylactus.

Quid egere gloria Dei.

At verò quamvis hi ſenſus memorati probabilitatem ſuam habeant; eſt tamen alius meo judicio verus & germanus hujus loci, iſte nimirum: Omnes peccaverunt & proinde deſtituuntur gloria Dei, id eſt, non habent unde coram Deo glorientur. Sic enim Paulo gloria Dei eſt gloria coram Deo, ſicut eidem hîc & alibi juſtitia Dei eſt juſtitia coram Deo. Cui locutioni ſimiles ſunt, oratio Dei *Lucæ 6.* pro oratione ad Deum: fides Dei, *Marci* 11. pro fide in Deū: & paſſim fides Jeſu Chriſti pro fide in Jeſum Chriſtum. Sic & blaſphemia ſpiritus; *Matth.* 12. id eſt, blaſphemia in ſpiritum. Itaque hac parte dicitur idem quod ſuperiùs; *ut omne os obſtruatur*; id eſt, ut nemo habeat unde glorietur: & quod inferiùs: *Ubi eſt ergo gloriatio tua?* Explicatur autem hæc phraſis cap. ſeq. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gratiam, ſed non apud Deum.* Ad hunc ſenſum quàm proximè accedunt Cajetanus & Toletus in commentariis, &

Erasmus in paraphrasi. Denique contextui sensus hic apprimè quadrat.

24. JUSTIFICATI GRATIS PER GRATIAM IPSIUS. *Justificati*, Græcè δικαιούμενοι, præsentis temporis participio, quo Latini carent. Non ergo significatur priùs homines justificari quàm peccent, aut egeant gloria Dei: sed eos qui peccaverunt, nec habent in quo glorientur coram Deo, posteà justificari. Proinde vertit Erasmus, *justificantur autem gratis*. Potest & ita commodè verti, *justificandi gratis*. Quomodo partes concilii Tridentini participium ἁγιαζομένους Heb. 10. quod interpres vertit *sanctificatos*, exponendum putarunt, *quotquot sanctificandi essent*, sess. 22. cap. 1. Quod sequitur, *per gratiam ipsius*, ἐξηγητικῶς additum est, ac si dicat *gratis*; id est, *per gratiam ipsius*. Nam sensus est, homines peccatores justificari absque ullo suorum operum merito; per solam gratuitam Dei bonitatem. Hoc autem intellige de tota justitia ab initio usque ad finem: de qua sub nomine salutis idem Apostolus verbis anteà citatis: *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit*. Hinc Augustinus *epistola* 105. quæ est ad Sixtum Romanum, docet justitiam & fidem nusquam vocari mercedem; quamvis remissio peccatorum non sine aliquo sit merito, propterea quòd reddatur fidei & orationi præcedenti. Cujus doctrinæ ratio est, quia justitia Christiana complectitur totam hominis renovationem: cujus initium est à fide quæ prima datur, ut per eam cætera impetrentur; uti loquitur idem August. *lib. de præd. sanct. cap. 7.* Eumdem vide his consentanea scribentem *in epistola* 106. *ad Paulinum Nolanum episcopum*. Ab hac explicatione sententiæ Paulinæ nihil diversum est, quod docet synodus Trid. sess. 6. cap. 8. nos ideò gratis justificari, *quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur*. Loquitur enim de fide prorsus informi & mortua, quæ nihilo magis, quàm donum linguarum, aut prophetiæ, aut scientiæ, si nihil adsit Christianæ dilectionis, hominem Deo commendat 1. *Cor.* 13. quemadmodum & de operibus totam justificationem præcedenribus; quæ nec ipsa qualiacumque sint, hominem Deo commendare possunt.

Justificatio gratuita.

Dico totam justificationem; cujus exordium est à Dei per Jesum Christum præveniente gratia, qua qui à Deo aversi sunt, ut dicitur ejusdem *sess. cap. 5.* nullis eorum existentibus meritis ad convertendum se disponuntur, ad quod utique non disponit fides omnino informis & ociosa. Et hanc esse mentem concilii satis etiam ostendit ipsius subjuncta probatio: *Si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin gratia non est gratia*. Si quidem parùm solida videretur hæc probatio, si de operibus à gratia Christi profectis, & proinde sub latitudine justificationis comprehensis, Synodus fuisset locuta. Quamquam alioqui, & de hujusmodi operibus, sicut & de fide invocante, ex qua procedunt ea opera, fatemur verè dici, quòd habitualem justificationis gratiam, quæ videlicet in amicitia Dei consistit, & datur simul cum remissione peccatorum, non promerentur: quatenus scilicet hoc promerendi vocabulo meritum condignum significetur. Nam quòd eam ex congruo mereantur, sacris literis & sanctorum patrum attestationibus valdè consentaneum est.

Gratia & prædestinatio Dei prorsus gratuita.

Porrò ex hoc Apostoli loco & aliis similibus constabilitur dogma catholicum adversus Pelagianos ac Pelagianorum reliquias, de gratia & prædestinatione Dei prorsus gratuita. De quo disputant ex professo Theologi *in 1. sent. dist. 41. & in 2. dist. 26.* Vocat autem hoc loco gratiam Apostolus, quam in epistola ad Titum vocat misericordiam, id est, gratuitam Dei benignitatem ac beneficentiam erga miseros & indignos.

PER REDEMPTIONEM, QUÆ EST IN CHRISTO JESU. Græca vox ἀπολύτρωσις propriè significat eam redemptionem qua captivus pretio pro capite ejus persoluto redimitur. Id enim pretium Græcis λύτρον dicitur. Estque sensus: Peccatores justificari per redemptionem, quam appenso pretio fecit ac meruit Christus Jesus: Sive quod idem est; per Jesum Christum redemptorem. Quamvis igitur quod ad nostra merita attinet, gratis justificamur; non tamen absque meritis & satisfactione Christi, qui sanguinis sui pretio nos à peccato redemit, atque in libertatem justitiæ vindicavit; denique omnia bona ad salutem pertinentia nobis promeruit: ut proinde rectè dicatur, non solùm justificationem nostram, sed & prædestinationem niti meritis Christi; testante eodem Apostolo Eph. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Et iterùm: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum*. Verumtamen etiam hoc ipsum fuit gratuitæ erga nos misericordiæ Dei, quod Christum redemptorem & satisfactorem nobis dederit. Unde adduc sequitur.

Justificatio & prædestinatio nostra ex meritis Christi.

25. QUEM PROPOSUIT DEUS PROPICIATIONEM PER FIDEM IN SANGUINE IPSIUS. Quidam vetusti codices habent *propiciatorem*; quibus annuunt textus Amb. & Syriaca versio, necnon quarumdam ecclesiarum breviaria. Neque enim Græcè est ἱλάσμιον quod propiciationem significat, ut 1. Joan. 2. *Ipse est propiciatio pro peccatis nostris*, & 4. *Misit Deus filium suum propiciationem pro peccatis nostris*; *sed* ἱλαστήριον. Potestque vel neutro genere accipi vel masculino. Neutro genere vocabulum est sacris Scripturis peculiare, & à LXX. interpretibus usurpatum, ad significandam tabulam illam desuper extensam supra arcam testimonii; quam interpres Hieronymus modò *propiciatorium*, modò *oraculum* vocat. De quo Exod. 25. & 36. Cujus & Apostolus meminit Heb. 9. Ad illud verò Paulum hîc respexisse, velut ad typum Christi, existimant Origenes & Theophylactus. Quod si sequamur, vertendum esset *propiciatorium*, ut fecit Theophylacti interpres. Quod etiam Vallæ & Stapulensi placet.

At probabilius est hîc accipi genere masculino, ut propiciatorem significet, seu reconciliatorem, ut vertit Erasmus: idque cum allusione ad sacrificia veteris legis, ea nimirum quæ erant propiciatoria pro peccatis: Quæ quidem omnia unius sacrificii crucis figuram prætulerunt. Huc invitat maximè quod additur: *Per fidem in sanguine ipsius*. Erant enim omnia sacrificia propiciatoria veteris legis cruenta. Nam sine sanguinis effusione non fiebat remissio Hebr. 9. Quod si *propiciationem* legas, ut ἱλαστήριον αὐτὴ τὸ ἱλασμὸς positum sit, (quod non improbo) sensus eôdem nihilominus recidet; qui est hujusmodi; Quem Deus proposuit, exhibuit, ac dedit nobis propiciatorem seu propiciationem, id est, tamquam victimam quamdam iræ suæ divinæ propiciatoriam, interveniente scil. effusione sanguinis ipsius; sicut in veteri Testamento, victimarum quæ pro peccato offerebantur, sanguis effundi solet. Cujus quidem propiciationis ac reconciliationis participes nos effici voluit per fidē.

Hîc vides parte illâ *in sanguine ipsius*, astrui vocabulo *propiciationem* sive *propiciatorem*. Et favet Chrysostomus qui illud intermedium, *per fidem*, non videtur legisse. Alii tamen servato ordine verborum Apostoli, posteriorem partem sic exponunt; Cujus propiciationis participes efficimur per fidem, qua credimus eum pro peccatis nostris expiandis sanguinem suum effudisse, simulque confidimus Deum Patrem propter effusum sanguinem filii sui nobis fore propicium. Nam ea parte, *in sanguine ipsius*, causa meritoria significatur, id est, passio Christi salvatoris.

AD OSTENSIONEM JUSTITIÆ SUÆ. Hoc est, ut palam mundo declararet; ac manifestam faceret suā, id est,

id eſt, Dei juſtitiam, qua ſcilicet homines verè coram Deo juſti ſunt, & quam non dat niſi Deus. Hæc enim tempore veteris Legis non erat manifeſta. Chryſoſtomus quidem & commentator Amb. juſtitiam Dei intelligunt, qua ipſe juſtus eſt, qua eadem vel juſtificat peccatores, ut ille exponit, vel fidem præſtat promiſſorum, ut iſte.

Verùm prior ſenſus quem tradit Auguſtinus, & poſt eum Hervæus, congruit cum ſuperioribus, ubi dictum eſt; *Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt.* Ac rurſum: *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti*, nec non cum eo quod dictum eſt capite primo. *Juſtitia Dei in eo revelatur*, &c. & omninò cum ſcopo Pauli in hac epiſtola. Quidam *oſtenſionem* exponit *exhibitionem*. Nam oſtendere pro exhibere frequens eſt in Scripturis. Equidem arbitror utrumque ſimul ab Apoſtolo ſignificatum, manifeſtationem cum exhibitione. Neque enim aliter manifeſtata eſt, quod antè dixit, juſtitia Dei; quam quia palàm mundo fuit exhibita.

PROPTER REMISSIONEM PRÆCEDENTIUM DELICTORUM. Græcè πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, id eſt, *præteritorum* ſeu *priùs admiſſorum peccatorum*. Hujus partis duplex eſt expoſitio. Una quidem & obvia, quæ eſt Origenis & Latinorum: Chriſtum à Deo patre datum propiciatorem, per quem remitterentur, id eſt, condonarentur peccata hactenus admiſſa: non quod ad remiſſionem eorum quæ poſteà committerent homines, non eſſet valitura Chriſti victima: Valet enim prorſus una eademque ad delenda totius ſæculi peccata; quemadmodum latè demonſtrat Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos: Sed præcedentia ſolùm nominat, ut nobis inſinuet deinceps poſt effuſum & ſemel applicatum unicuique Chriſti ſanguinem, non eſſe peccatis vivendum, ſed juſtitiæ: ſicut exhortando docet infrà cap. 6. & Heb. 10.

Pro altera expoſitione notandum in Græco non haberi conſuetum vocabulum ἄφεσιν, quo ſignificari ſolet remiſſio debiti; ſed πάρεσιν, quod remiſſionem quidem ſeu diſſolutionem ſignificat, ſed eam quæ intenſioni, firmitati ac robori opponitur; ſecundum quod ad Heb. 12. ſcribitur: *Remiſſas manus* (Græcè τὰς παρειμένας χεῖρας) *& ſoluta genua erigite.*

Plerique languorem ſeu tabem exponunt. De ea voce Budæus in commentariis linguæ Græcæ: πάρεσις, inquit, *defectio & languor eſt, & virium, corporiſque extenuatio & tabes.* Juxta quam vocabuli Græci ſignificationem Chryſoſtomus & Theophylactus ita hunc locum exponunt: Deum cùm videret mundum peccatis præcedentibus oppreſſum contabeſcere, ac veluti paralyticum jacere ſine ſpe ſalutis; miſericordia motum miſiſſe Chriſtum medicum ac propiciatorem: Ut remiſſio peccatorum hîc dicatur, non qua peccata remittuntur, ſed quam peccata fecerant.

Hic ſenſus valde probabilis eſt; tametſi nec prior repudiandus. Nam verbum Græcum, παρεῖναι, quemadmodum memorato loco Budæus docet, inter alia etiam ſignificat indulgere, condonare; licèt in ea ſignificatione haud facilè reperiatur in ſacris literis. Unde & Syrus interpres de vocis ſignificato dubius, uti conjicio; prætermittendam duxit. Tantùm enim vertit: *propter peccata quæ ab initio peccavimus.* Illud porrò minùs placet, quod apud commentatorem Amb. pro remiſſione legitur propoſitum: quamvis ſic etiam legat Auguſtinus de *ſpiritu & litera, cap. 13.* Non placet, inquam, quia nec Græca vox id ſignificat, nec ſenſum ea lectio ſuppeditat huic loco commodum. Veriſimile eſt autem interpretem illum qui vertit *propoſitum*, in Græco non πάρεσιν, ſed πρόθεσιν legiſſe.

26. IN SUSTENTATIONE DEI. Græcè. ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, id eſt, *in tolerantia Dei.* Superiori capite vertit patientiam. Quod ſi in parte præcedenti remiſſionem accipimus condonationem, *ſenſus eſt*: Quæ peccata Deus hactenus toleravit ac patienter tulit, differens judicium, ut interim ſuo tempore propiciatorem exhiberet. Si verò remiſſionem intelligimus languorem; aptiùs referetur hæc pars ad ipſam remiſſionem, hoc modo: Quam remiſſionem, id eſt, languorem humani generis ex peccatis eorum Deus hactenus toleravit. Ad hunc modum exponit Chryſoſtomus, & eum ſecutus Theophylactus. Quamquam hujus interpres Latinus mentem ſui authoris non videtur aſſecutus.

AD OSTENSIONEM JUSTITIÆ EJUS IN HOC TEMPORE. Verti poteſt *juſtitiæ ſuæ*, ut ſuprà. Repetit quod dixerat, ut addat, *in hoc tempore*: volens per hoc ſignificare, Deum miſiſſe filium ſuum in plenitudine temporis, uti dicitur *Gal. 4.* hoc eſt, eo tempore quo jam ſatis exploratum & compertum eſſet, neque per legem naturæ, neque per legem ſcriptam poſſe languorem peccati ſanari, & juſtitiam reſtitui. Poteſt tamen & aliter hæc pars exponi. Non enim hîc eſt in Græco præpoſitio εἰς, quæ ſuprà, *ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ*, ſed πρὸς, qua ſignificari poteſt *uſque ad*; ut ſit ſenſus, Deum toleraſſe peccata hominum uſque ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, id eſt, uſque ad hoc tempus, quo ſuam juſtitiam mundo voluit patefacere & exhibere. Quem ſenſum confirmat addita temporis explicatio, *in hoc tempore.*

UT SIT IPSE JUSTUS, ET JUSTIFICANS EUM QUI EST EX FIDE JESU CHRISTI. *Chriſti* non eſt in Græco. Senſus: Jeſum dedit Deus propiciatorem, ut & ipſe agnoſcatur juſtus in ſe, & præterea author juſtitiæ in aliis, ſcilicet iis qui ſunt ex fide Jeſu Chriſti, hoc eſt, qui in Chriſtum credentes, juſtitiam ab eo per fidem exſpectant.

Quid ſit eſſe ex fide Chriſti, ex lege, ex operibus legis, ex circumciſione.

Phraſi quadam peculiari fideles dicuntur eſſe ex *fide Chriſti*; quemadmodum è diverſo Judaizantes eſſe dicuntur ex lege & ex operibus legis: nempe quod ex his juſtitiam ſibi promitterent. Habes ejuſmodi locutiones cap. proximè ſequente, & ad Gal. 3.

Dicebantur etiam Judæi eſſe *ex circumciſione*; ſed ob id tantùm, quòd ſecundùm legem circumciſi eſſent. In priori parte ſententiæ juſtus dicitur Deus, vel quia promiſſa ſervat, ut plerique exponunt; vel potiùs quia in ſeipſo rectiſſimus eſt, omnis iniquitatis expers. Sic enim priori parti meliùs reſpondebit poſterior, qua dicitur, *& juſtificans eum* &c. ut utrobique ejuſdem rationis juſtitia intelligatur. Nam & juſtitia, id eſt, rectitudo Dei in hoc maximè declaratur, quòd uſque adeò odit peccatum, ut ejus delendi, & hominis juſtificandi gratia filium ſuum miſerit in mundum, atque in mortem tradiderit.

Cæterùm his verbis alludere videtur Apoſtolus ad locum Iſa. 53. qui ſic habet: *In ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos.* Nam *in ſcientia ſua*, ſive ut alii vertunt, *in cognitione ſui*, idem eſt quod, in fide quæ eſt in ipſum. Obſervavit hoc Joan. Forerius in commentario prophetæ. Loquitur quidem propheta de Chriſto, Paulus de Deo: ſed hoc nihil obſtat alluſioni: præſertim eum Chriſtus etiam ſit Deus, noſque non tantùm merito, ſed & poteſtate juſtificet.

27. UBI EST ERGO GLORIATIO TUA? EXCLUSA EST. In Græco & Syriaco *tua* non exſtat, ut nec apud Chryſoſtomum; tametſi Theophylactus legiſſe videtur. Qui legendum aut ſupplendum putant, intelligunt Apoſtolum hîc alloqui Judæum & concludere adverſus eum ex ſuperioribus, quòd non habeat unde glorietur & extollat ſe de ſua juſtitia ſupra Gentilem: quandoquidem æquè ut Gentilis, propter peccata Deo ſit obnoxius, & Chriſti propiciatoris indigus.

Alii exiſtimant abſoluto ſenſu dictum, *Ubi igitur gloriatio?* Cùm enim, ut aiunt, in ſuperioribus oſtenſum ſit omnes peccaſſe, & juſtitiam non ex operibus, ſed à fide petendam eſſe, rectè ſubinfert Apoſtolus, omnem de ſuis meritis gloriandi materiam ereptam eſſe Judæis pariter ac Gentilibus: quod &

antè de utriuſque dixerat illis verbis: *Et egent gloria Dei.* Sanè dicendum puto., quamvis commune eſſet utriſque non habere de quo gloriarentur, hanc tamen interrogationem inſtitui propriè ad Judæum, vel de Judæo, qui gloriabatur adverſus Gentilem de juſtitia legis acceptæ à Deo: Sub cujus etiam perſona dudum moverat quæſtionem dicens? *Quid ergo præcellimus eos?* Sed & ea quæ ſequuntur uſque ad finem capitis, oſtendunt ad eos, ſive de eiseſſe ſermonem, qui legem acceperant. Porrò excluſa dicitur gloriatio, quia demonſtrandum eſt ei locum non eſſe relictum.

PER QUAM LEGEM? FACTORUM? NON: SED PER LEGEM FIDEI. *Factorum*, id eſt, *operum*, Græcè ἔργων Eſt autem lex operum, per quam habetur nuda cognitio agendorum. Lex fidei, quæ fidem exigit, per quam ſine operibus exſpectatur à Deo juſtitia. Alio nomine lex evangelii. Vel certè (quod placet Chryſoſtomo & Theophylacto) legem fidei vocat Apoſtolus ipſam fidem, qua velut lege impellitur homo ad quærendam à Deo juſtitiam: quemadmodum infrà *cap. 7.* concupiſcentia vocatur lex peccati. Per eam legem excluditur Judæi gloriatio, qua in operibus gloriatur; dum inanis ac de nihilo eſſe hujuſmodi gloriatio convincitur. Sic enim ex fide petenda juſtitia eſt; nihil igitur ad juſtitiam opera legis conferunt, ut de iis gloriari Judæus poſſit.

Quæſtio. Quæres; quare non etiam excluditur gloriatio per legem operum: quando eam Judæus verè non implet.

Reſponſio. *Reſp.* quia lex operum non docet, per quem & quibus auxiliis ipſa implenda ſit, ut quæ tantùm agẽda præſcribit; Tum quia Judæus aliquo ſaltem modò legem operum implet, nempe, ſerviliter & ſpecie externa. Quod dum facit, magis intra ſe fovet de ſua juſtitia noxiæ præſumptionis vitium, ut dicat; *Non ſum ſicut cæteri homines*, Lucæ 18. Legem factorum

Lex factorum quæ. ſunt qui legem Moſaïcam interpretentur, qua parte cæremonialis eſt, dicentes gloriationem Judæorum, id eſt, legem in qua gloriabantur, excluſam eſſe, non per aliam legem operum ſimilem, ſed per legem fidei, id eſt, per Evangelium Chriſti, quo promulgato lex Moſaïca ceſſavit. Verùm non hîc agitur de legalium abrogatione; quam rem in hac epiſtola diſſimulat Apoſtolus, quemadmodum ſatis oſtendunt ea quæ ſcribit *cap. 14.* Qua de re etiam in argumento hujus epiſtolæ nonnulla diximus.

Sed de differentia legis & gratiæ tota Pauli diſputatio eſt, legis inquam moralis: quemadmodum oſtenſum eſt ſuprà ad verſum 20. Lex igitur operum eſt lex decalogi; ſine cujus operibus mox affirmat hominem juſtificari per fidem. Nec aliter hunc locum intellexit Auguſt. quem conſule libro *de ſpiritu & litera cap.* 13. & 14. & ſequacem ejus Hugonem *in quæſt. hujus loci.*

Si quæras, cur dicere maluit Apoſtolus legem fidei, quàm ſimpliciter fidem: aut cur omninò quæſtionem ſic propoſuit, per quam legem? reſpondet Chryſoſtomus, ut à legis vocabulo non recederet, quod gratum ſciebat auribus Judæorum.

28. ARBITRAMUR ENIM JUSTIFICARI HOMINEM PER FIDEM SINE OPERIBUS LEGIS. *Enim* Græcè οὖν *igitur*: ut hæc ſit illatio ex ſupradictis. *Arbitramur*, Græcè λογιζόμεθα, id eſt, *ratione colligimus*, Syr. *ratiocinamur*: quæ ſignificatio non eſt aliena à Latino vocabulo arbitrandi. Dicit autem *hominem*, ait Chryſoſtomus, *commune naturæ nomen uſurpans*, ne quis hominum exceptus intelligatur. *Senſus:* Jam ergo colligimus & concludimus ex ſuperiori diſputatione hanc noſtram propoſitionem: Hominem ſive Judæum, ſive Gentilem juſtificari per fidem, qua juſtitiam apprehendat, etiamſi legis opera non adferat, ea videlicet quæ ſola cognitione legis adjutus fecerit: ut quæ nihil ad juſtitiam conducant.

Obſerva contra Sectarios non omnia opera à negotio juſtificationis excludi. Non igitur ut ſectarii volunt, opera ſimpliciter excluduntur à negotio juſtificationis, ſed opera fidem præcedentia, vel non à fide profecta, quantumvis ad lumen inſitæ rationis lucerna ſcriptæ legis acceſſerit. Nam quod ad opera verè bona ac ſalutaria attinet, tenendum prorſus quod in ſua docet epiſtola Jacobus Apoſtolus cap. 2. *quoniam ex operibus juſtificatur homo & non ex fide tantum:* quemadmodum præcedenti cap. declaratumeſt. Sed hæc *opera ſunt ex fide, non ex operibus fides* ait Auguſtin. libro de gratia & libero arbitrio cap. 7. *Non enim virtutibus venitur ad fidem, ſed per fidem venitur ad virtutes*, teſte Gregorio magno hom. 19. ſuper Ezech. Siquidem & *Cornelius centurio, cujus eleëmoſynæ ante baptiſmum angelo teſtante laudatæ ſunt*, ut de eo ſubjicit ibidem Gregorius *non operibus venit ad fidem, ſed fide venit ad opera*, ſcilicet hæc ipſa quæ ab angelo laudata ſunt, orationes & eleemoſynas. *Neque enim*, inquit, *poterat bona agere, niſi antè credidiſſet.* Porrò quæ fides hîc intelligatur, ſatis expoſitum eſt in ſuperioribus. Sed & Auguſtinus loco proximè citato fidem exponit, de qua Paulus Gal. 5. ſcribit dicens: *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides quæ per dilectionem operatur.* Ea eſt quam ſuprà diximus fidem obedientem & bona voluntate formatam.

Illud hoc loco pleniùs ac diſtinctiùs explicandum; quùm aliis in locis ſcriptura juſtificationem aſſcribat nunc pœnitentiæ, nunc dilectioni, nunc invocationi divini nominis, nunc ſacramento baptiſmi, *ut Act. 2. & 3. Luc 7. Joël. 2. Joan. 3. Tit. 3.* ſintque hæc omnia ad juſtificationem neceſſaria: quænam ſit ratio cur Paulus ita peculiariter eam attribuat fidei. Nam ſi reſpondeas fidem à dilectione & cæteris illis non eſſe ſeparandam; è diverſo tibi dicetur, nec illa à fide ſeparanda eſſe, aut ſeparari poſſe, ut ad juſtitiam valeant.

Obſerva contra Hæreticos, quomodo Juſtificatio attribuatur peculiariter fidei.

Itaque reſpondeo complures adferri poſſe rationes, ob quas ſecundùm doctrinam Apoſtolicam ex fide juſtificari dicamur.

Prima ratio eſt, quia fides humanæ ſalutis ac proinde juſtitiæ ipſius, initium eſt: non ſolùm quia fides juſtitiam præcedit, ſed quia ſic eam inchoat, ut etiam ipſius pars quædam ſit: quemadmodum à corde principium eſt vitæ hominis, quùm tamen in ipſo etiam vita ſit. Quò referendum, quod Gregorius in homilia paulo antè citata, fidem vocat veſtibulum ædificii ſpiritualis: quoniam huc non intratur niſi per fidem. Et tamen veſtibulum etiam eſt pars ædificii.

Secunda, quia fides fundamentum eſt omnis noſtræ juſtificationis: ut quæ tota fidei innitatur, & ab ea continuò ſuſtentetur. Id quod præclarè docet Apoſtolus in epiſtola ad Hebr. 10. & 11.

Tertia, quia fides ejuſdem noſtræ juſtificationis radix eſt, ut pote in qua virtute contineatur omnis juſtitia noſtra, & ex qua veluti pullulet atque ſuccreſcat. Circa quas duas rationes illud rurſus notandum; ſicut fundamentum pars eſt domus, & radix pars arboris: ita fidem eſſe partem quamdam juſtitiæ. Tres rationes jam dictas expreſſit ſynodus Tridẽt. c. 8.

Quarta eſt, per fidem ſive ex fide hominem juſtificari, quia fides impetrat juſtificationem, & quadamtenus eam meretur. Hac enim ratione dictum eſt peccatrici Luc. 7. *Fides tua te ſalvam fecit*, id eſt, à peccatis juſtificavit. Etenim fides ut hîc accipitur, opus eſt Deo gratum, idemque primum, cujus intuitu cætera donantur, quæcumque ad juſtitiam & ſalutem hominis pertinent: ut ob hanc cauſam meritò non ſolùm impetrare, verùm etiam apprehendere juſtitiam fides dicatur. Adfert hanc rationem Auguſtinus *lib. de ſpirit. & lit. cap.* 29. & 30. & *in epiſtola* 105. ac alibi. Unde illud ejuſdem; *Fides impetrat quod lex imperat*, concione 16. in pſalm. 118. Item: *Non opera, ſed fides inchoat meritum* libro 1. retractationum cap. 23.

Accedit & *quinta ratio*, quæ quartam confirmet; quòd nimirum in fide magis quàm in aliis actibus

Deo placitis appareat ac manifeſtetur, hominem non propria virtute, ſed Chriſti merito gratis juſtificari. Nam idipſum agnoſcit & proteſtatur is qui in Chriſtum credit; Qua quidem agnitione in ſpem erectus, fidenſque Deum ſibi propter Chriſtum propicium fore, provocat erga ſe miſericordiam Dei ad impertiendum ipſi juſtificationis beneficium: ſicut in quarta ratione dictum eſt.

Obſervantia Sectarios nos non juſtificari per fidē, ut cauſam formalem.

Quod verò ſectarii docent, per fidem ut cauſam formalem nos juſtificari, ſic ut non ſit alia noſtra juſtitia quàm fides; id quàm ſit alienum à mente Pauli, ſatis oſtendit illa dudum ab eo præmiſſa ſententia: *Factores legis juſtificabuntur.* Igitur utrúmque confitendum eſt; factores legis juſtificari; nec tamen ex operibus legis quemquam juſtificari, ſed per fidem. Non enim factores legis ex operibus legis, ſed ex operibus fidei juſtificantur, quantumvis in juſtitia promoverint. Etenim etiam in hoc loco juſtificationem generaliùs accipi nihil vetat, ut comprehendat progreſſum & augmentum juſtitiæ; de quo ſcriptum eſt: *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc* Apoc. 22. Semper enim juſtus, dum in hoc ſeculo vivit, ex fide vivit.

Quomodo non pugnēt, nos per fidem, & tamen gratis juſtificari.

Ad extremum quæret aliquis, quomodo Paulus modò per fidem, modò gratis juſtificari nos dicens, non ipſe ſecum pugnet: maximè ſi in fide ſecundum prædicta ſtatuendum ſit aliquod meritum juſtificationis. Quidam huic quæſtioni non aliter ſatisfieri poſſe putant, niſi meritum hoc inficiando. Dicunt enim fidem eſſe nudam conditionem, quam Deus exigat ab homine præſtandam, ſi velit juſtificari: ſicut erat aſpectus ſerpentis ænei iis, quos momorderant igniti ſerpentes, *Numer.* 21. Hac enim utuntur comparatione, velut argumento ad rem figuratam: quaſi videlicet aſpectus ille non debuerit eſſe cum obedientia conjunctus; ideóque etiam impetrationis ac meriti quamdam rationem habuerit; aut quaſi figura debeat per omnia reſpondere figurato: quùm conſtet, ac multis exemplis doceri poſſit, etiam per actiones malas interdum actiones bonas & ſanctas in myſterio præfiguratas fuiſſe. Exempla ſunt Noë inebriati, Geneſis *capit.* 9. Samſonis meretricem amantis: *Judicum capite* 14. Davidis inſaniam ſimulantis, 1. *Regum capite* 21. & aliorum: quemadmodum viciſſim per actiones bonas, cujuſmodi multæ erant, quibus immunditia legalis contrahebatur, mala & immunda opera typicè ſignificata fuere.

Dicendum proinde nullam in ea Pauli doctrina eſſe repugnantiam: Quoniam & fides ipſa gratis darur, tamquam juſtitiæ pars quædam initialis, ut antè dictum eſt. Nam fides non ſolùm gratiam Dei qua juſtificamur, agnoſcit & impetrat: ſed & eam inchoat. Eſt enim fides, ut ſic dicam, gratiæ Dei per CHRISTUM filia primogenita. Nec verò prorſus, ut oportet, quis credit ſe gratis juſtificari, niſi credat & ipſam fidem qua juſtificatur, eſſe gratuitum Dei donum. Id quod perſpicuè docet Apoſtolus *Epheſ.* 2. ubi cùm utrúmque conjunxiſſet, dicendo; *Gratia eſtis ſaluati per fidem*, ſtatim de fide ſubjunxit: *Et hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.*

29. AN JUDÆORUM DEUS TANTUM? NONNE ET GENTIUM? IMÒ ET GENTIUM. Græcè; *Certè & Gentium.* Senſus eſt: Deum ad quod beneficium attinet juſtitiæ & ſalutis æternæ, non ſolum Judæorum Deum eſſe, verùm etiam Gentilium; ut qui æquè ſint Dei creatura rationis capax, & ad ſupernam felicitatem ordinata; nec neceſſe eis ſit per circumciſionem Judæicæ nationi incorporari, ut juſtitiæ Dei participes fiant. Quod declarant verba ſequentia.

30. QUONIAM QUIDEM UNUS EST DEUS, QUI JUSTIFICAT CIRCUMCISIONEM EX FIDE, ET PRÆPUTIUM PER FIDEM. *Juſtificat*, Græcè futurum, δικαιώσει juſtificabit; Latinis etiam nonnullis aſſentientibus. *Ex fide, & per fidem, non ad aliquam differentiam dictum eſt, ſed ad varietatem locutionis*, ait Auguſtinus libro de ſpiritu & litera capite 29. ac doctè demonſtrat aliorum locorum collatione. Nam & contrà, Judæos per fidem juſtificari, & Gentes ex fide, teſtatur idem Apoſtolus *Gal.* 2. & 3. Diſtinguit quidem hæc duo Paulus Burgenſis ex Tarantaſia. Diſtinguere conantur & alii quidam: ſed inani labore ſe occupant. *Senſus* enim clarus eſt: Cùm, inquit, omnium unus & idem ſit Deus; unam quoque & eamdem conſequendæ juſtitiæ rationem, ſcilicet ex fide ſive per fidem, omnibus ſine diſcrimine providit, tam Gentilibus, quàm Judæis.

31. LEGEM ERGO DESTRUIMUS PER FIDEM? Objectionem movet, quâ dici poterat, hanc de fide doctrinam ſpectare ad legis everſionem. *Deſtruimus* Græcè καταργοῦμεν, id eſt, *abolemus.* Auguſtinus & ante eum Tertull. legunt, *evacuamus.* Ita noſter interpres ſuprà, *fidem Dei evacuabit.* Senſus: Ergóne legem abolemus, irritam facimus, ocioſam & inutilem reddimus hac noſtra de juſtificatione doctrina, qua fidem exigimus, & opera legis excludimus? Reſpondet.

ABSIT: SED LEGEM STATUIMUS. Adeò legem non deſtruimus, inquit, ut potius eam ſtatuamus, id eſt ſtabiliamus, & confirmemus. Id quomodo verum ſit, nempe legem per fidem ſtatui, trifariam explicatur. Primùm, quia ſicut dicit Auguſtinus *libro de ſpiritu & litera cap.* 30. fides impetrat gratiam, qua lex impleatur. Eamdem rationem adferunt Chryſoſtomus, ejuſque ſequaces. *Secundò*, quia quæ lex vetus ſignificabat & promittebat, per legem novam exhibentur. Impletur enim promiſſio, non evacuatur, quando res promiſſa præſtatur. Qui ſenſus etiam eſt apud Chryſoſtomum, & probabilis efficitur ex illis ſuperioribus Apoſtoli verbis: *Teſtificata à lege & prophetis. Tertiò*, quia per hanc juſtificationis doctrinam legitimum officium legis oſtenditur, & ab officio fidei diſcernitur: dum docetur per legem haberi cognitionem peccati, uti ſuprà dictum eſt, & latiùs declaratur *infrà cap.* 7. per fidem verò juſtitiam acquiri. Verùm id propriè non eſt legem per fidem ſtatui. Nam etiam ſine fide, per legem cognitio peccati habetur.

Quo ſenſu fides legem ſtatuat.

Placent igitur duo priores ſenſus: primus maximè. Nam legis firmitas, impletio, conſummatio potiſſimùm intelligitur in obſervatione præceptorum ejus, ut patet *ſuprà cap.* 2. Nec obſtat quod dicunt fidem non eſſe iutroductam, ut impleretur lex Moſaïca, quam per Chriſtum abolitam eſſe conſtat. Loquitur enim Apoſtolus non de lege cæremoniali, ſed morali, id eſt, de lege decalogi: nec ea, quatenus per Moyſen lata, ſed ut juſtitiæ præcepta continet omnibus ſervanda, Judæis pariter & Græcis. Porrò quod Chriſtus in Evangelio dicit: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Matth. 5. non videtur huc pertinere. Dictum eſt enim alio ſenſu: quia multa quæ minùs erant in lege expreſſa, ipſe expreſſiùs tradidit, & facienda præcepit. Quamquam & aliis modis legem Chriſtus Dominus adimplevit: tum ea, quæ lex adumbravit, exhibendo; tum ad obſervanda legis præcepta gratiam ſubminiſtrando.

CAPUT VI.

1. QUid ergo dicemus inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundùm carnem? 2. Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum; 3. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad juſtitiam. 4. Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. 5. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ Dei. 6. Sicut, & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus: 7. Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates

Gen. 15. *b.* 6. *Gal.* 3. *a.* 6. *Jac.* 2. *d.* 23. *Pſal.* 31. *a.* 1.

& quorum tecta sunt peccata. 8. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. 9. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantùm manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiàm. 10. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in præputatio? Non in circumcisione, sed in præputio. 11. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio: ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad justitiam: 12 & sit pater circumcisionis, non iis tantùm qui sunt ex circumcisione, sed & iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. 13. Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut heres esset mundi: sed per justitiam fidei. 14. Si enim qui ex lege, heredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio. 15. Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex; nec prævaricatio. 16. Ideò ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solùm, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrûm, (17. sicut scriptum est: Quia patrem multarum Gentium posui te (antè Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt: 18. Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum Gentium, secundùm quod dictum est ei: Sic erit semen tuum, 19. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum cùm jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. 20. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: 21. Plenissimè sciens quia quæcumque promisit, potens est & facere. 22. Ideò & reputatum est illi ad justitiam. 23. Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam: 24. sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum à mortuis: 25. qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.

Gen. 17. a. 4.
Gen. 15. b. 5.

SUMMARIUM CAPITIS IV.

EXemplo Abrahæ ostendit, non ex operibus, neque ex circumcisione, neque ex lege, sed ex fide exspectandam esse justitiam; non Judæis solùm, sed omnibus fidem illius imitantibus.

QUID ERGO DICEMUS INVENISSE ABRAHAM PATREM NOSTRUM SECUNDUM CARNEM? *Invenisse*, id est, consecutum esse, phrasi Hebræa, quia alibi *invenire gratiam, misericordiam, sapientiam, vitam.* Duas quæstiones initio capitis superioris sibi fecerat Apostolus: quarum posteriorem de utilitate circumcisionis huc usque dilatam nunc repetit aliis verbis; idque supradictorum occasione, maximè ejus quòd docuerat Deum sine discrimine justificare tam præputium, quàm circumcisionem: ex quo sequabatur ad justitiam nihil interesse, sitne quis circumcisus, an non. Ubi jam locum habet quæstio: *Quæ* igitur *utilitas circumcisionis*? Quoniam verò Abraham primus mandatum circumcisionis accepit, idemque justus ac Dei amicus prædicatur in Scripturis; ideò quæstionem resumit in persona Abrahæ: quod fatendum videatur eum fuisse justificatum per circumcisionem. Nam dicere poterat Judæus, quid ei profuit circumcisio, si non ad justitiam? Valde enim magni faciebant circumcisionem Judæi; ut etiam quidam ex eis dicerent ad Gentiles: *Nisi circumcidamini, non potestis salvari.* Act. 15.

Porrò quæstioni Paulus ita respondet, ut doceat non ex circumcisione, sed ex fide justificatum fuisse Abraham: nec tamen inutile fuisse circumcisionis signum. Quamquam non instituit hîc agere de lege cæremoniali, quæ data fuit longè post Abraham; sed solùm de circumcisione, quæ, sicut ait Dominus Joann. 7. *Non ex Moyse* erat, *sed ex patribus*: licet institutis legalibus sub Moyse cœperit annumerari. Nam de legalibus in universum, quòd nihil ad justitiam conferant, alibi docet Apostolus ex professo; ut in epistolis ad Galatas & ad Hebræos. In Græco hic est ordo verborum: *Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrum invenisse secundùm carnem?* ut illud *secundùm carnem* referendum videatur ad verbum *invenisse*. Quod quidem voluit Syrus interpres, dum ita vertit: *Quid igitur dicimus de Abraham principe patrum, quod invenit in carne*? Quin & Latini quidam, ut commentator Ambro. Aquinas & Cajetanus sic interpretantur, ut *secundùm carnem* referant ad *invenisse*. Juxta quam seu lectionem seu constructionem, sensus erit: Quid dicemus Abraham patrem nostrum consecutum fuisse per circumcisionem carnis?

At noster interpres qui verba transposuit, hunc videtur sensum facere voluisse: Quid dicemus Abraham, qui pater noster est secundùm carnem, id est, secundùm carnalem propagationem, (loquitur enim Apostolus ex persona suæ Gentis) adeptum fuisse per hoc quod fuit circumcisus? Nam de circumcisione moveri quæstionem sequentia docebunt. Ita quoque Chrysostomus, ejusque sequaces, & Photius exponunt, agnoscentes hyperbaton in textu Græco. Faventque huic constructioni & sensui alia loca apud Paulum, ut hujus epistolæ cap. 1. *Ex semine David secundùm carnem.* Et infrà cap. 9. *qui sunt cognati mei secundùm carnem.* Ac rursum: *Ex quibus est Christus secundùm carnem.* Et 1. Cor. 10. *Videte Israël secundùm carnem.*

2. SI ENIM ABRAHAM EX OPERIBUS JUSTIFICATUS EST, HABET GLORIAM, SED NON APUD DEUM. Malè quidam codices: *ex operibus legis*: addito scilicet vocabulo *legis*, quod nec in Græcis est, nec in Syriacis, nec in melioribus Latinis. Sed nec erat ratio cur adderetur; quùm sermo esset de Abraham, cujus tempore lex nondum erat data. Legit quidem commentator Ambros. & exponit; sed usus mendoso textu, quemadmodum & Aquinas, & alii quidam. *Gloriam* Græcè καύχημα, *gloriationem.* Proinde clariùs alii verterunt: *habet quod glorietur.* Porrò vocula *enim* non causalis est hoc loco, sed suppletiva, qua responsionem aggreditur. Ac primùm docet quid non fuerit consecutus Abraham per circumcisionem, deinde quid consecutus. Negat consecutum fuisse justitiam, quia non ex operibus justificatus est. Id verò probat hoc modo: Si Abraham ex operibus justificatus est & non ex fide, habet unde glorietur, unde se jactet apud homines, tamquam justum; sed non apud Deum: quia talis justitia (quod in superioribus demonstravi) non est justitia Dei. Atqui in confesso est Abraham habuisse gloriam apud Deum: non igitur ex operibus justificatus est. Hanc enim argumenti conversionem ex opposito consequentis Paulus intendit. Ubi tamen non hoc sentit, eum qui ex operibus justificatus videtur, meritò posse gloriari de sua justitia apud homines; sicut hanc partem nonnulli accipiunt: (Neque enim ea vera justitia est.) Sed per concessionem dicit *habet*, id est, habeat gloriam; ut sensus sit: Etsi fortè, quod nunc non discutio, de sua operum justitia apud homines gloriari possit, qui tantùm vident ea quæ foris sunt: haudquaquam tamen habet unde glorietur apud Deum, qui videt abscondita cordis: *Nam ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo.* Suprà cap. 3. Estque eadem ratio de cæteris operibus non à fide profectis, ac de ipsa circumcisione, ut erat signum & observatio quædam externa, quamvis à Deo instituta.

Quo sensu non ex operibus Abraham justificatus.

Interpretamur Apostolum de operibus quæ non sunt ex fide, sed fidem præveniunt & contra eam distinguuntur. De talibus enim Apostolo præsens instituta est disputatio. Nec alioqui causæ ejus serviret exemplum Abrahæ; ut quem ex operibus à fide profectis verè & coram Deo justificatum fuisse, testatur ac docet Apostolus Jacobus cap. 3. Quod ipsum & Christus significavit dicens: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, Joan. 8. Consule si lubet, Augustinum *in præfat. suæ enarr. in psalm.* 31. ubi pulcrè & diserté explicat, de quibus operibus hæc Pauli doctrina sit accipienda; simulque eam cum doctrina Jacobi, qua justificationem ex operibus asserit;

doctè conciliat, adhibita distinctione operum quam diximus.

3. QUID ENIM DICIT SCRIPTURA, CREDIDIT ABRAHAM DEO, ET REPUTATUM EST ILLI AD JUSTITIAM. Si non ex operibus Abraham justificatus est, quærere poterat (Judæus) quomodo igitur justus in scripturis prædicatur? Respondet & docet Apostolus ex fide justificatum fuisse: simul ut eo exemplo tanti patriarchæ probet ac suadeat principalem propositionem qua dixerat; justificari hominem per fidem sine operibus legis. Si enim Abraham ex fide & non operibus justificatus est; quem tamen scriptura tamquam egregiè justum describit, atque in exemplum justitiæ nobis proponit: igitur nos quoque non ex operibus, sed fide justitiam exspectare debemus. Hanc ratiocinationem Paulo propositam esse, liquet ex contextu totius capitis, & maximè ex eo quod sub finem veluti concludendo dicit: *Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, sed & propter nos*, &c. Porrò scriptura quam adducit Paulus in testimonium, habetur Gen. 15. Quo quidem scripturæ loco quamvis nondum Abraham, sed Abram vocatur: Paulus tamen scripsit *Abraham*, quod nomen illi posteà Deus indidit; quodque tritum erat ore Judæorum, & auribus gratum.

Circa eamdem scripturam notandum, ne cui scrupulum faciat in Hebræo quod legitur, *Credidit in Dominum* seu *Deum*: nihil diversum significari, sed sensú esse eumdem. Nam Hebræo sermone credere in aliquem vel in aliquo, idem est quod illi ipsi credere, fidem adhibere. Sic Exodi 14. Hebraicè, *Crediderunt in Dominum & in Moysen servum ejus*. Quod Hieronym. bene vertit; *Crediderunt Domino, & Moysi servo ejus*. Item 1. Reg. 22. Hebraicè. *Et credidit Achis in David*. Hieronymus. *Credidit ergo Achis David*. Nec aliter in Genesi & Exodo verterunt LXX. Quare & Paulus in hoc capite, credere Deo, & credere in Deum, usurpat pro iisdem.

Quid Hebræa phrasi credere in Deum.

Jam quod nos passivè legimus, *reputatum est ei ad justitiam*; activè quidem in Hebæo legitur: *reputavit illud ei justitiam*; sed nulla sensus diversitate, nisi quod illic expressiùs significatur persona reputans, scilicet Deus. Visum autem fuit Paulo, quemadmodum & Jacobo cap. 2. sententiam hanc citare, sicut habetur apud LXX. Quorum erat receptissima versio: maximè quod ita etiam in Hebræo legatur psalmo 105. Unde etiam appareat haud rectè ex Hebræo vertisse Pagninum: *Imputavit illud sibi ad justitiam*, id est, Abraham sibi ipsi. Quod omnino alienum est à sensu utriusque Apostoli, atque ipsius Moysi, qui sanctum patriarcham non suo, sed Dei judicio justificatum dicere voluit.

Præter hæc observandum, vulgato interpreti tria hæc verba, reputare, imputare, & accepto ferre, quæ hoc capite leguntur, prorsus ejusdem esse significationis; ut quibus unum idemque verbum Græcum λογίζεσθαι tam activa quam passiva significatione respondeat. Nec verò, ut Erasmus in paraphrasi exponit, & alij quidam existimant; illud ex mente Apostoli dicitur reputari pro aliquo vel ad aliquid, quod cùm verè tale non sit, ex sola reputantis aut imputantis benignitate pro tali habetur; ut si quis habeat pro soluto, quod verè non est solutum. Hoc enim adferunt pro exemplo. Sed ea falsa esset reputatio, quæ in Deum cadere non potest. Etenim hoc pacto non esset verè justus ille cui fides ad justitiam imputatur. Quare nec Abraham, cui credidisse Deo reputatum est ad justitiam, ea fide verè justus fuisset, Quod & Scripturis & ipsi Apostolo repugnat.

Ac certè non parùm favere videretur ea expositio novo dogmati hæreticorum de justitia imputativa. Dicunt enim hominem etsi non verè justum, tamen coram Deo justum haberi; quia fides qua credit sibi propter Christum remissa peccata, imputatur ei pro justitia. Quam doctrinam meritò damnavit Ecclesia in synodo Trid. *sess. 6. & 7. & canon. 11.* Itaque secundùm scripturas dicimus illud reputari ad aliquid, quod vera æstimatione, veroque judicio tale habetur. Sic enim dictum est *Credidit Abram Deo, & reputatum est ei ad justitiam*: quia fides illa qua Deo credidit promittenti sibi semen sicut stellas cæli, erat verum & insigne opus justitiæ, Deo gratissimum. Sic de eodem Patriarcha scriptum est *lib. 1. Macab.* 2. quod *in tentatione inventus est fidelis, & reputatum est ei ad justitiam*; Item de Phinees sacerdote *Psal.* 105. *Stetit & placavit, & cessavit quassatio: & reputatum est ei ad justitiam.* Hæc quippe erant opera verè justa. Sic & ab Augustino dictum est in Tractatu de urbis excidio cap. 3. quod beatus Job *sustinuit tribulationem: & deputatum est illi ad magnam justitiam*: quia nimirum illa sustinentia Job magnæ justitiæ opus fuit.

justitia imputativa.

Quid secundum scripturas quippiam ad aliquid reputari.

Quæ res confirmatur etiam ex contrario. Nam more Scripturæ etiam mala opera reputari dicuntur in peccata; ut violatio voti, & detentio mercedis debitæ, Deuter. 23. & 24. Hæc autem constat verè peccata esse, eaque mortifera. Neque Deus qui justè & secundùm veritatem judicat, in peccatum reputaret, & tamquam peccatum punitet opus aliquod, quod verè peccatum non esset. Quare & in bonis eadem est retinenda istius vocabuli significatio, etiam hoc loco, ubi docetur, fidem reputari ad justitiam. Et ita *Cypr. in Epist. ad Cæcil. lib. 2. Epist.* 3. hanc reputationem explicat. *Si Abraham*, inquit, *Deo credidit, & deputatum est ei ad justitiam, utique quisquis Deo credit, & fide vivit, justus invenitur.* Ubi vides eadem esse Cypriano, deputari cuipiam fidem ad justitiam; & eum per fidem justum inveniri. Nec verò hunc Scripturæ sermonem ab Apostolis repetitum, quo dicitur fides Abrahæ deputata ad justitiam, partes orthodoxi umquam aliter quàm de vera justitia acceperunt.

Quod autem objiciunt, in rationibus imputari tamquam soluta, non solùm quæ verè soluta sunt, verum etiam quæ non soluta, sed remissa: *Resp.* id impropriè dici, quo significetur debitorum condonatio; quæ cum facta fuerit, jam non est quod solvi debeat. Alioqui verè & propriè nec reputari nec haberi potest pro solutó, quod non est solutum: nihilo magis quàm habere possis pro viro bono, quem scias esse nebulonem. Cæterùm quomodo sit hoc ipsum intelligendum, quod hîc ex professo docet Apostolus, fidem reputari ad justitiam; cùm fides non sit ipsa hominis justitia, paulo post explicabitur.

Ac circa præsentem locum duplex occurrit dubitatio. Nam videri potest exemplum Abrahæ, de quo scriptum est, *Credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam*, non benè nec appositè introductum ab Apostolo ad probandam impij justificationem ex fide Christi: *Primùm*, quia Abraham non tunc demum, quando hoc credidit quod de eo Scriptura commemorat, justificatus fuit: sed inde ab initio vocationis suæ, quando dictum ei: *Egredere de terra tua*, &c. Genes. 12. describitur ut vir justus, ut pote fidelis & obediens Deo, & ut talis laudatur. *Heb. 11.* & alibi. *Deinde*, quia Scriptura non loquitur illic de fide Christi propitiatoris; sed de ea solùm fide, qua promittenti Deo credidit Abraham semen suum futurum sicut stellas cœli.

Duplex dubitatio.

Ad priorem dubitationem responsio quorumdam est, verba citati à Paulo testimonij de prima Abrahæ justificatione esse intelligenda: non tamen referenda ad solam promissionem Dei proximè præcedentem, sed etiam ad alias superiores, quibus jam antè & ab initio credidit. Nam *fide Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem.* Hebr. 11. Hæc responsio mihi certè violenta videtur & improbabilis. Planus enim Scripturæ textus postulat, ut

Quorumdam ad priorem responsio.

Observa contra Sectarios de

verbum *credidit* præcisè referatur ad promissionem proximè narratam ; neque patitur ut ad alias longè præmissas post multa intermedia retrahatur. Tum & ratio obsistit. Nam si de prima justificatione sermo est, jam omninò non poterit referri verbum *credidit* ad promissionem præsentem, sed ad illam solam referendum erit, quæ facta fuit Abrahæ nondum justificato. Itaque non stat ut ad hanc simul & priores referatur.

Alia responsio melior.

Proinde verior ac textui Mosaïco magis consentanea responsio est ; Abraham tunc quando hoc credidit, quod ibi Moyses ei promissum narrat, justificatum fuisse : non quod tunc ex impio justus factus fuerit: sed quia ea fide tamquam insigni opere justitiæ declarata fuit & aucta ejus justitia : auctam dico ea justificatione quæ secunda vocatur. Nam etiam multò post quando filium suum obtulit, eamdem scripturam impletam fuisse, Jacobus in epistola sua testatur *cap. 2.* Jam si Abraham anteà justus, adhuc justificatur ex fide & per gratiam fidei ; non autem ex operibus : majori igitur ratione (quod in fine capitis Apostolus concludit (ex impio justus quis primùm efficitur per fidem & non per opera. Adde quòd Apostoli doctrina de justificatione generalis est, etiam secundam justificationem comprehendens, uti cap. 1. & 3. satis ostensum.

Responsio ad posteriorem dubitationem.

Ad posteriorem dubitationem responderi potest, Abraham divinæ promissioni credentem, non solam attendisse carnalem posteritatem ; sed præcipuè spectasse unum illud semen, in quo, sicut ei promittitur Gen. 12. benedicendæ erant omnes familiæ terræ, id est, Christum ex ipsius posteritate nasciturum. Nam propter hoc semen quod est Christus, omnia illa de carnali posteritate promissa dabantur.

Verùm quia in promissione quæ habetur Genes. 15. (ex quo loco præsens testimonium desumptum est) nulla fit mentio seminis, in quo Gentes sint benedicendæ ; sed tantùm posteritatis carnalis ; velut etiam toto hoc capite non aliam fidem Abrahæ, quæ ei reputata fuerit ad justitiam, urget Apostolus, quàm qua contra spem in spem Deo promittenti credidit (ut infrà dicitur) se futurum patrem multarum Gentium ; idcircò respondent alij, fidem illam Abrahæ, licèt non fuerit de Christo ut objecto, tamen innixam fuisse fidei seu fiduciæ de Christo, saltem tacitè atque implicitè, si nondum expressam de eo revelationem acceperat.

Alia responsio.

Sed hæc responsio principium petere videtur. Hoc ipsum enim probandum erat, Abrahæ fidem qua credidit Deo promittenti sibi semen sicut stellas cœli innixam fuisse fidei quam habebat de Christo ; & ex hoc fundamento valuisse ei ad justitiam.

Alia probabilior responsio.

Simplicior mihi responsio videtur, si dicamus satis esse Paulo, ab exemplo Abrahæ, qui ex fide qua Deo credidit, justificatus fuisse scribitur, qualecumque fuerit illius fidei objectum, ostendisse, idque apud Judæos, quibus omnia facta Abrahæ erant veneranda, quod non debeat absurda videri doctrina Evangelica, sed iis quæ de Abraham sanctissimo eorum patriarcha leguntur, admodum consona, qua docetur impium justificari ex fide : cum illud exemplum clarè doceat, esse rem Deo ad justitiam hominis valde gratam & acceptam, si verbis illius indubitata fides adhibeatur.

Hæc responsio colligi potest ex fine capitis, ubi Paulus exemplum Abrahæ credentis suo applicans instituto, solùm hoc dicit: *Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, quia reputatum est illi : sed & propter nos, quibus reputabitur, credentibus in eum qui suscitavit Jesum Christum*, &c. Quibus verbis Abrahæ quidem non aliam attribuit fidem, quàm de qua egerat in superioribus: & tamen hoc scriptum esse dicit propter nos, per fidem qua in Christum crederemus justificandos : ne videlicet incredibile Judæis videatur, hominem justificari ex fide Jesu Christi ; quùm & Abraham patrem suum legant ex fide justificatum. Huc facit quod *Hebr.* 11. dicitur Noë ejus justitiæ quæ per fidem est, hæres fuisse institutus, id est, per fidem justificatus. Hanc enim fidem exponit eo loco Paulus, non qua credidit in Christum, sed qua Deo credidit prædicenti futurum mundi diluvium : ita ut propter hanc fidem etiam de ipso dici potuerit ; *Credidit* Noë *Deo, & reputatum est ei ad justitiam.*

Sciendum tamen, tam in hac fide Noë, quàm in illa Abrahæ, contineri fidem Dei remuneratoris, de qua dicitur in eodem loco : quod credere oportet Deum esse, & inquirentibus se esse remuneratorem. Ac rursus in fide Dei remuneratoris rectè inclusam intelligi fidem mediatoris; quemadmodum illic ostendetur. Unde hac ratione dici potest, tacitam esse Apostoli mentem, quod Abraham & Noë per fidem mediatoris justi fuerunt declarati, justitiæque profectum & incrementum adepti. Ex quo consequenter intelligendum relinquatur, iisdem primam quoque justificationem ex fide mediatoris Christi contigisse. Nam si progressus justitiæ ex fide est, ubi tamen opera inveniuntur : quantò magis initium justificationis, quod opera prævenit, ex fide erit ? Pertinent huc & cæterorum antiquorum exempla, quos per fidem Deo placuisse, ac justitiæ testimonium consecutos fuisse, longo ordine Paulus eodem loco recenset: non utique loquens de fide mediatoris, sed de fide dictorum & promissorum Dei in genere, in qua tamen contineretur fides de Deo, quòd inquirentibus se remunerator sit : proinde & fides mediatoris, ea ratione & sensu qui suo loco declarabitur : uti dictum est de fide Noë & Abraham.

4. EI AUTEM QUI OPERATUR, MERCES NON IMPUTATUR SECUNDUM GRATIAM, SED SECUNDUM DEBITUM. In eo quod dixit fidem Abrahæ fuisse ei reputatam ad justitiam, sonat gratia: quia fides promissorum Dei gratiæ innititur. Quo argumento nunc docet Abraham non ex operibus justificatum fuisse. Pugnat enim, ex operibus & gratiâ, secundùm illud infrà cap. 11. *Si gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia.* Porrò sumptio generalis est de quolibet operario, qui opere suo mercedem acquirit, ut arando, texendo, ædificando ; quemadmodum rectè exponunt Augustinus in propositionibus hujus loci, & Græci tractatores : ut *sensus sit:* Operi respondet merces, videlicet ex conventione ; merces autem non æstimatur ut gratuita, sed ut debita. Nam merces significat id quod pro opere debetur. Hinc colligendum relinquit : quòd si Abraham ex operibus justificatus fuit, non igitur gratis justificatum fuisse. Cujus quidem consequentis falsitatem, ex scriptura jam allata ostendit per ea quæ sequuntur. Quidam extremam partem sententiæ supplent hoc modo : *Sed secundum debitum* rependitur. Negant enim convenienter dici ; merces imputatur secundum debitum, eo quòd imputatio importet aliquid gratuitum. Verum si bene consideretur significatio verbi imputari, Græcè λογίζεσθαι, prout superius à nobis exposita est, facilè intelligetur, non incongruam neque abusivam esse hanc locutionem. Significatur enim mercedem vera æstimatione judicari debitam & non gratuitam.

Quid merces.

5. EI VERO QUI NON OPERATUR, CREDENTI AUTEM IN EUM QUI JUSTIFICAT IMPIUM, REPUTATUR FIDES EJUS AD JUSTITIAM. *Credenti autem in eum.* Erat & hoc participium πιστεύοντι, sicuti præcedens μὴ ἐργαζομένῳ, *non operanti*, resolvendum in verbum, hoc modo : *Ei verò qui non operatur, sed credit in eum*, &c. Hîc manifestè jam Apostolus opponit operantem credenti. Unde liquet eum etiam in superiobus intellexisse operantem, non illum qui credit, aut ex fide operatur ; sed qui operatur non credens in eum qui justificat hominem, id est, ju-

Quem operantem credenti Paulus opponat.

ſtitiam ab eo non exſpectans. Quare fides ad id genus operum non pertinet, ſed iis opponitur. Nam qui credit in eum, qui juſtificat impium, ſi credit ut oportet, etiam ipſam fidem, quæ juſtificationis initium eſt, ſe credit habere ex ipſius juſtificantis beneficio. *Impium* vocat peccatorem in genere. Sunt enim eadem ferè in ſcripturis, maximè in diſputatione Paulina de juſtificatione, quatuor iſta ἁμαρτωλὸς, ἀσεβὴς, ἄδικος, ἄνομος, id eſt, peccator, impius, injuſtus, iniquus.

Eadem Paulo, peccator, impius, injuſtus, iniquus. Nota contra ſectarios, quo ſenſu fides ad juſtitiam reputetur.

Porrò fides qua quis credit in eum qui peccatorem juſtificat, & ab eo juſtitiam per Chriſtum exſpectat, reputari dicitur ad juſtitiam; non quia Dei benignitate pro juſtitia reputatur, cùm non ſit juſtitia, quemadmodum ſectarij volunt, ſuam ex hoc loco malè intellecto juſtitiam conſtruentes, quam vocant imputativam. Eſſet enim hæc falſa reputatio. Nec vero quia reputatur pro juſtitiæ perfectione, quam erat habiturus homo ſi non peccaſſet; quod ſentit Hugo Victorinus *quæſt.* 101. ſiquidem nec ea reputatio veritati reſponderet: ſed juxta ſupradicta, quia fides vera juſtitia eſt, ſaltem ſecundum inchoationem. Nam ejuſmodi fides à peccatore concepta, initium eſt juſtitiæ & renovationis ejus, & quidem tale quod ipſam juſtitiam apprehendat, & ex quo velut ſemine tota juſtitia progerminet.

In homine autem juſto eadem fides ſimpliciter juſtitia eſt, ſicut & cætera bona juſtorũ opera: quomodo etiam illa fides Abrahæ qua divinis promiſſis credebat, ſimpliciter juſtitia erat, nimirum actualis, ab habituali & inhærente juſtitia procedens. Erat enim opus juſtitiæ Deo gratiſſimum. Nam & opera juſtitiæ paſſim in ſacris litteris juſtitia vocantur. Sic autem Deus ipſam fidem reputat ad juſtitiam, ut nihil ſine ea ad juſtitiam reputet: ſed cætera per eam & propter eam. Fidem verò intellige ſperantem, diligentem, invocantem, obedientem, ut alibi declaratum. Unde Auguſtinus tract. 29. in Joannem cum adduceret hanc Apoſtoli ſententiam *Credenti in eum qui juſtificat impium*, &c. *Quid eſt*, inquit, *credere in eum; Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari.* Denique addit eam intelligi fidem quæ per dilectionẽ operatur.

Dicitur autem Deus impium juſtificare, non ſola remiſſione peccatorum: quæ doctrina eſt hæreticorum; ſed donis gratuitis & gratificantibus mentem ejus renovando, quorum primum eſt ipſa fides. Unde quamvis abſolutè nemo juſtus aut juſtificatus dici debeat; priuſquàm acceperit peccatorum remiſſionem & ſpiritum adoptionis filiorum Dei: tamen inchoatione quadam talis interdum quis dicitur cum primũ credit, ea videlicet fide de qua nunc agitur. Ita Auguſtinus enarrans. Pſal. 110. *Juſtitiam*, inquit, *homo non operatur niſi juſtificatus. Credens autem in eum qui juſtificat impium, à fide incipit* (operari juſtitiam) *ut bona opera non præcedentia quod meruit, ſed conſequentia quod accepit oſtendant.* Hæc ille. Nam quod de confeſſione peccatorum, quæ fidei comes eſt, ſubjungit: *Nondum quidem opus eſt juſtitiæ, ſed delicti improbatio:* non negat eam opus eſſe juſtitiæ inchoatæ, ſed juſtitiæ ſimpliciter: quam non habet is cui nondum ſunt dimiſſa peccata. Alioqui peccatorum confeſſionem inter opera bona & ſalutaria numerandam eſſe, idem Auguſtinus teſtatur *tract. 12, ſuper Joannem*, his verbis: *Cùm ceperit tibi diſplicere quod feciſti, inde incipiunt bona opera tua, quia accuſas mala opera tua. Initium operum bonorum confeſſio eſt operum malorum*, Hæc ibi.

A fide juſtificationis initium.

Secundum propositum gratiæ Dei. Hæc clauſula non eſt in textu Græco, neque Syriaco: ſed neque in omnibus reperitur Latinis: tametſi commentator Amb. Pelagius & Sedulus legunt & exponunt. Ex quo conſtat vetuſtam eſſe hanc lectionem. Verùm ſive Paulus, ſive quis alius aſſcripſerit; addita eſt, ut evidentior eſſet antitheſis iſtius partis, *Et qui non operatur, credenti autem*, &c. cum præcedenti, in qua dictum erat mercedem operanti non imputari ſecundum gratiam. Nam *ſenſus* eſt fidem reputari ad juſtitiã, & ex ea juſtificari hominem, non quod hic juſtificandi modus ad primam naturæ pertineat inſtitutionem: ſed quia Deus gratioſo decreto ſic ab æterno ordinavit; quo & ipſam fidem gratis dare conſtituit. Hac enim ratione dictum eſt cap. præcedenti, gratis & per fidem nos juſtificari.

6. Sicut et David dicit beatitudinem hominis cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. Aliud adducit ex Pſalmis teſtimonium; non quo probet ex fide juſtificari hominem, quod ſuperiori teſtimonio fecit: ſed quo doceat ſine operibus, id eſt, ſine ullo operum merito juſtitiam homini provenire, & proinde gratis. Simul autem inſinuat ſe verſari in quæſtione apud philoſophos graviſſima & celeberrima de beatitudine hominis. Nam omnis ſcriptura juſtum vocat beatum, videlicet ea beatitudine quæ haberi poteſt in hac vita, & quæ gradus eſt ad perfectam beatitudinem, ac ſemen illius. Pro beatitudine tam hîc quàm paulò poſt in Græco eſt μακαρισμὸς, id eſt, beatificatio: quo vocabulo ipſa juſtificatio ſignificatur. *Et ſenſus eſt*: Simili modo etiam David in Pſal. 31. dicit & pronunciat hominem beatificari ſeu juſtificari; cui Deus imputat juſtitiam, id eſt, quem Deus ſuo judicio juſtum reputat abſque merito operum ejus: dum ſcilicet nullam facit operum mentionem, ſed tantùm peccatorum præcedentium, & gratuitæ eorum remiſſionis. Ait enim:

Quæstio de beatitudine hominis apud Philoſophos famoſiſſima.

7. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Idem utroque membro ſignificatur more ſcripturæ. Sic Pſalm. 84. *Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum.* Et Nehem. 4. *Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur.* Igitur operta ſeu tecta Deo dicuntur peccata, non quod permaneant, & tamen Deo diſſimulante non imputentur ad pœnam, uti contendunt Lutherani: id enim juſtitia Dei nullo modo patitur: ſed quia verè remiſſa ſunt ac deleta: ut jam neque ſint actu neque reatu. Nam actum peccati ipſe pſalmiſta excludit; mox adjiciens: *Nec eſt in ſpiritu ejus dolus.* Hoc enim dicitur propter veram & ſinceram hominis à peccato ad Deum converſionem. Quocirca non eſt conſequens ex hoc loco, beatitudinem, id eſt, juſtitiã hominis conſiſtere in ſola remiſſione peccatorum: cùm alibi idem pſalmiſta beatos vocet, qui ambulant in lege Domini: quique cuſtodiunt judicium & faciunt juſtitiam, Pſal. 1. & 118. & 105. imò & Chriſtus dicat ſuis diſcipulis: *Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea*, Joan. 13. & Apoſtolus Jacobus cap. 1. de factore operis, *Hic beatus in facto ſuo erit.* Itaque nomine remiſſionis peccatorum, tota hominis renovatio comprehenſa debet intelligi.

Observa contra ſectarios, quo ſenſu tecta Deo dicuntur peccata.

8. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Multi codices habent futurum, *imputabit.* Quæ lectio cum Hebræo convenit. In Græco ſubjunctivus eſt λογίσηται, id eſt imputaverit: tametſi ad ſenſum non refert quid horum legatur. Generalis enim ſententia eſt, pertinens ad omne tempus. Dicitur autem Deus peccatum imputare: quia cùm delet ac remittit homini peccatum, non jam eum ampliùs habet pro peccatore: quippe qui peccato remiſſo jam peccator eſſe deſierit. Quare nec hic verſus, cujus ſenſus convenit cum præcedenti, quicquam adjuvat illam ſectariorum imputativam juſtitiam. Nec ſanè in eam competit nomen beatitudinis. Nam quomodo beatus, qui adhuc eſt in peccatis ſuis? Nihilo magis quàm ſi ſanum dicas ac reputes eum qui morbo manet implicitus.

Observa hunc locum contra juſtitiam imputativam à ſectariis aſſertam. Item impugnantes ſatisfactiones pœnitentium.

Ex his iiſdem Pſalmi verſibus impugnant hæretici ſatisfactiones pœnitentium. Si enim, inquiunt, tecta

ſunt Deo juſtificati hominis peccata ; & non imputat ei Dominus peccatum: nihil igitur eis pro peccato reſtat in Dei judicio ſolvendum. Sed falluntur. Neque enim ita dicitur Deus tegere & non imputare peccatum quod remittit, ac ſi nulla reſtet pœna quæ ſolvatur: cùm ab ipſo Davide qui hæc ſcripſit, non leves exactæ fuerint pœnæ temporales ob commiſſum adulterium & homicidium, etiam poſtquàm audivit à Propheta : *Tranſtulit Dominus peccatum tuum.* 2. Reg. 2. De qua re vide quæ ſcribit Auguſt. *lib. 22. contra Fauſtum. cap.* 67. & in inchoata expoſitione hujus epiſtolæ ad illud, *gratia vobis & pax*; itemque in enarratione Pſal. 50. ubi de Davide inter alia dicit: *Agnoſcens culpam ſuam amplexus eſt pœnam ſuam.*

Verùm tegere peccatum & non imputare dicitur Deus, quia non aſpicit nec imputat illud ad eam pœnam quæ peccato propriè reſpondet, id eſt, ad ſupplicium mortis æternæ, de qua infrà cap. 6. *Stipendia peccati mors.* Nam quod ad temporales attinet pœnas, de Deo ſcriptum eſt: *Flagellat omnem filium quem recipit.* Heb. 11.

9. BEATITUDO ERGO HÆC IN CIRCUMCISIONE TANTUM MANET, AN ETIAM IN PRÆPUTIO ? Reflectit ſermonem ad principale ſuum inſtitutum, id eſt, ut doceat Dei juſtitiam ex fide tam Gentilibus quàm Judæis eſſe propoſitam. Hæ duæ voces *tantum manet*, nec in Græcis habentur codicibus, nec in Syriacis: ſed nec in omnibus Latinis : quorum tamen plures adverbio, pauciores verbo carent. Addita videntur ſive ab interprete, ſive ab alio quopiam, ad explendam ſententiam alioqui imperfectam. Græci commentatores ſubaudiunt verbum *venit* aut *devenit* : atque hoc ſupplevit Eraſmus. Nam in Græco ſunt quarti caſus, *in circumciſionem*, *in præputium*, ut ſit ſenſus : Hæc beatificatio ſeu juſtificatio de qua David loquitur, tantùmne contingit Judæis circumciſis ? an etiam pervenit ad Gentiles non circumciſos ? Ad hanc quæſtionem explicandam rurſus conſiderat locum ſcripturæ de Abraham, ita ſubjungens :

DICIMUS ENIM QUIA REPUTATA EST ABRAHÆ FIDES AD JUSTITIAM. *Dicimus*, id eſt, jam paulo ante diximus ipſis verbis Scripturæ : *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Vel *dicimus*, id eſt, hîc jam repetimus Abrahæ fidem reputatam ei fuiſſe ad juſtitiam. Repetit autem, ut reſponſionem paret interrogationi quam fecit.

10. QUOMODO ERGO REPUTATA EST ? IN CIRCUMCISIONE AN IN PRÆPUTIO ? Illud *quomodo* ad qualitatem ſeu conditionem perſonæ referendum. Senſus enim eſt ; Qualis & quo in ſtatu erat Abraham, quando ei fides ad juſtitiam reputata eſt ? Num Circumciſus jam erat, an adhuc præputiatus ? Quem ſenſum Græca manifeſtè volunt, quæ ſic ad verbum *in circumciſione exſiſtente*, ſcilicet Abraham, *an in præputio ?* Sequitur reſponſio.

Abraham ante circumciſionem juſtus.

NON IN CIRCUMCISIONE, SED IN PREPUTIO. Hoc eſt : nondum circumciſo, ſed adhuc habenti præputium. Id ex hiſtoria Geneſis perſpicuum eſt, quæ circumciſionem ejus poſteà factam deſcribit. *cap.* 17.

11. ET SIGNUM ACCEPIT CIRCUMCISIONIS SIGNACULUM JUSTITIÆ FIDEI, QUÆ EST IN PRÆPUTIO. His jam verbis continetur reſponſio ad illam interrogationem capitis præcedentis : *Quæ utilitas circumciſionis ?* Græca nonnulla habent περιτομὴν *circumciſionem*, accuſandi caſu : Sed id ſenſum non variat. *Quæ eſt in præputio.* Verbum in Græco non exprimitur: ac potius ſupplendum: *quæ fuerat in præputio.* Poſtulat enim hoc Pauli ſententia. Quæritur autem quo reſpiciat relativum *quæ* : num ad juſtitiam fidei, an ad fidem. Eſt enim id ambiguum tam in Græco quàm in Latino. Sanè videtur potiùs ad juſtitiam fidei referendum. Nam dicere vult Apoſtolus circumciſionem in Abrahamo fuiſſe ſignaculum ejus juſtitiæ quam prius acceperat ex fide. Quippe ſenſus hujuſmodi eſt : Abraham jam antè juſtificatus per fidem, poſteà accepit ſignum circumciſionis, id eſt, ipſam circumciſionem, quæ pro ſigno data fuit illi & ejus poſteritati. Accepit, inquam, circumciſionem, quæ eſſet ſignaculum, id eſt ſigillum ejus juſtitiæ quam perceperat ex fide, tunc quando adhuc erat in præputio, id eſt nondum circumciſus.

Quæres, cujus rei ſignum fuerit circumciſio. Reſpondeo ſignum fuiſſe principaliter inſtitutum ad ſignificandum fœdus, quod pepigit Deus cum Abraham & ejus poſteritate ; quemadmodum patet ex hiſtoria *Geneſ.* 17. Conſequenter autem & ſecundario ſignum fuiſſe, quo diſcernerentur Abrahæ poſteri à cæteris Gentilibus : tametſi, ut hîc dicitur, in ipſo Abraham etiam ſigillum juſtitiæ fuit, ejus ſcilicet quæ præceſſit. Nam Græca dicto σφραγὶς quam interpres vertit *ſignaculum*, propriè ſignificat ſigillum quo aliquid obſignatur. Quæ quidem obſignatio fieri ſolet ob duas cauſas, vel ut clauſum ſit & ſecretum id quod obſignatur, vel ut ratum ſit ac firmum.

Quo ſenſu circumciſio ſignaculum juſtitiæ in Abraham.

Itaque vel ſignificat Apoſtolus circumciſione velut ſigillo clauſam & occultam olim fuiſſe juſtitiam fidei, tempore Evangelij revelandam, juxta illud cap. 1. *Juſtitia Dei in eo revelatur ex fide*, & illud cap. 3. *Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt.* Quæ eſt Origenis expoſito.

Vel ſentit circumciſionem Abrahæ datam ut ſigillum, quo præcedens ejus juſtitia comprobaretur, ratificaretur, certaque ac firma redderetur. Hoc ferè modo Chryſoſtomus, aliique Græci, conſentientibus etiam Latinis exponunt : idque magis ad ſenſum Apoſtoli, qui loquitur hîc non de juſtitia fidei in genere, ſed de juſtitia Abrahæ quæ per circumciſionem ejus non fuit occultata, ſed potiùs declarata ſimul & confirmata. Nam propterea Deus pactum inire dignatus fuit cum Abraham, dato ei ſigno circumciſionis, quoniam Deo jam ante placuerat per juſtitiam. Neque verò hîc agitur de circumciſione, ut erat actus quidam moralis obedientiæ in Abraham circumcidente ſe : ſed ut erat ſignum & obſervatio quædam externa, divinam habens inſtitutionem : quomodo Judæi de circumciſione loquebantur, utilitatem ejus ac neceſſitatem prædicantes.

Circumciſio an gratiam contulerit.

Igitur ex hoc loco, ſicut & ex Epiſtola ad Galatas, rectè docetur circumciſionem, quatenus ad obſervationes veteris populi pertinebat, perinde ut veteris legis ſacramenta, gratiam non contuliſſe. Vult enim Apoſtolus juſtitiam nec Abrahæ, proinde nec ejus poſteritati, id eſt, Judæis contigiſſe ex circumciſione; ſed quibus contigit eam habuiſſe ex fide, ſicut Abraham.

Cæterum an circumciſio ut ex fide ſuſcepta, vim habuerit juſtificandi, ſicut novæ legis ſacramenta, diſputatur problematicè *in 4. ſent. diſt. 1.* Neque pars negativa ex eo ſtatui poſſe videtur quòd ut hîc dicitur, Abraham non fuerit adeptus juſtitiam ex circumciſione. Hoc enim ideò, quia jam antè juſtus erat. Quod etiam in baptiſmo novæ legis ſacramento poteſt accidere ; quemadmodum de Cornelio centurione docet Auguſtinus lib. 4. contra Don. cap. 24. *Sicut*, inquit, *in Abraham præceſſit fidei juſtitia, & acceſſit circumciſio ſignaculum juſtitiæ fidei, ita in Cornelio præceſſit ſanctificatio ſpiritualis in dono Spiritus ſancti, & acceſſit ſacramentum regenerationis in lavacro baptiſmi.* Sic ille.

Verumtamen objicere poſſet Judæus & dicere. Etſi Abraham non fuerit juſtificatus ex circumciſione, nos tamen ex circumciſione juſtificamur. Ac rurſum: Etſi prima juſtificatio non contingit. Abrahæ in circumciſione, ſecunda tamen contingit; quemadmodum Cornelio & cuicumque Chriſtiano ante baptiſmum juſtificato, per baptiſmum accedit augmentum juſtitiæ. Jam enim ex ſuperioribus patet non

solùm de prima justificatione Paulum agere, cùm docet hominem ex fide justificari, non ex operibus legis; sed de tota hominis justitia differere.

Propter hujusmodi argumenta dissoluenda, necnon propter alia quæ ab aliis adferuntur, admodum probabile fit, signum circumcisionis ex divina institutione nihil ad justitiam valuisse; sed nudum fuisse signum fœderis quod Deus iniit cum Abraham, ejusque posteritate. Quæ significatio sola in Genesi est expressa. Sic enim ille cui primo data est circumcisio, nihil ex ea consecutus est justitiæ; consequens apparet nec cæteros ex ea justificari potuisse: præsertim cùm nec usquam alibi Scriptura tale quid inveniatur circumcisioni tribuere. Estque ea sententia Chrysostomi & Græcorum qui post eum scripserunt: imò & patrum quorumdam antiquiorum, ut Irenæi, Justini, Tertulliani, Cypriani, atque aliorum, quorum testimonia citata videre est ab iis qui de hac quæstione ex professo disputant. Nec facilè quemquam reperias Augustino priorem, qui in signaculo circumcisionis virtutem agnoscat animas à peccato mundandi: tametsi hæc opinio post Augustinum, eoque ut apparet authore, multùm apud Latinos fuerit recepta.

UT SIT PATER OMNIUM CREDENTIUM PER PRÆPUTIUM. *Ut sit*, ut esset. *Per præputium*, id est, manente præputio: quamvis habeant præputium. Sic usus est præpositione ἀϛ cap. 2. *qui per litteram & circumcisionem prævaricator legis es.*

UT REPUTETUR ET ILLIS AD JUSTITIAM. Græcè, *ut reputetur & illis justitia.* Quod convenit cum eo quod diximus in Hebræo legi: *reputavit illud ei justitiam.* Itaque subauditur fides. Et sensus est: Idcircò justificatum fuisse Abraham cùm adhuc esset in præputio, ut exemplo fidei suæ quæ ei reputata fuit ad justitiam, pater esset omnium eorum qui crediturierant, etsi præputium habentes & in eo manentes, id est Gentilium: ut nimirum etiam illis sua fides reputaretur justitia, id est, ad justitiam; dum scilicet ex fide justificantur.

12. ET SIT PATER CIRCUMCISIONIS. *Et sit*, & esset; tametsi verbum in Græco non repetitur.

NON IIS TANTUM QUI SUNT EX CIRCUMCISIONE, SED ET IIS QUI SECTANTUR VESTIGIA FIDEI, QUÆ EST IN PRÆPUTIO PATRIS NOSTRI ABRAHÆ. Græcè: *iis qui non ex circumcisione solùm; sed & incedunt vestigiis fidei quæ* (fuit) *in præputio patris*, &c. Ex quo satis apparet hanc partem ad solos Judæos carne circumcisos, fideles tamen pertinere: sicut præcedens tantùm pertinebat ad Gentiles credentes, etsi carne incircumcisos. Ult enim ostendere Paulus Abraham esse patrem omnium credentium, Gentilium æquè ac Judæorum. *Sensus* igitur hujus posterioris partis est; Ideò Abraham, cùm justificatus esset in preputio, tamen adhuc accepisse justitiæ signaculum circumcisionem, ut esset pater circumcisionis, id est, Judæorum, sive ipsis Judæis: iis inquam qui non tantùm carne circumcisi sunt, tamquam hoc eis sufficiat ut filij sint Abrahæ; verùm etiam fidem habent, qua sectentur vestigia, hoc est, exempla fidei quæ fuit in præputio patris nostri Abrahæ, id est, quæ fuit in Abraham etiam ante circumcisionem, quando adhuc erat præputiatus. Ut hic sensus etiam vulgatæ lectioni sit accommodus, transponenda est vocula, *tantum*, necnon conjunctio &, ut ita legas: *Non iis qui tantùm sunt ex circumcisione, sed iis qui &*, id est etiam *sectantur vestigia fidei*, &c.

Abraham pater omnium credentium.

13. NON ENIM PER LEGEM PROMISSIO ABRAHÆ AUT SEMINI EJUS, UT HÆRES ESSET MUNDI; SED PER JUSTITIAM FIDEI, *Ut hæres esset mundi*, Græcè τὸ κληρονόμον αὐτὸν εἶναι τοῦ κόσμου id est, *hæredem eum esse mundi.* Est enim expressio promissionis Abrahæ factæ. Alio nunc ac novo utitur argumento Paulus ad probandum id quod instituit, ex fide justitiam omnibus esse propositam, Gentilibus æquè ac Judæis. Poterat enim Judæus dicere: Si non ex circumcisione justitia est; saltem ex lege. Docet igitur Apostolus id quod præcedenti capite docuit, ex lege non esse justitiam. Sed ut dixi, novo id agit argumento, sumpto nimirum ex promissione benedictionis omnium Gentium Abrahæ facta multò ante legem latam. Quo etiam utitur in Epistola ad Galatas cap. 3.

Porrò supplendum est hoc loco verbum, facta est, aut fiet; contigit, aut continget. Nam si promissio propriè accipitur, ea olim facta fuisse significatur: Si verò impropriè pro re promissa, quomodo frequenter accipitur in sacris litteris, ut Galat. 3. & aliquoties in epistola ad Hebræos, tum significatur futura. Qui promissionem hoc posteriori modo accipiunt, ita partem hanc exponunt: Res Abrahæ promissa, scilicet ipsum & semen ejus fore mundi hæredem, non est exhibenda per legem, sed per justitiam fidei.

Verùm melius se habet, ut propriè promissio sumatur; atque hic sit *sensus*: Non enim per legem obtinuit Abraham de semine suo illam à Deo promissionem, qua promisit eum fore heredem mundi. Siquidem illa ei facta est, ut in Epistola ad Galatas dicitur, annis quadringentis & triginta ante legem: Sed eam accepit per justitiam ex fide partam, quæ fuit in ejus præputio; de qua justitia dictum, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.*

Ut hujus argumenti vis appareat, supponendum est Abrahæ non fuisse factam promissionem cum aliqua conditione, sed absolutè: ut constat ex Scripturis quæ promissionem ei factam commemorant. Propter quod & lex tanto tempore post data fuit: nec ipsi, sed ejus posteris. Unde intelligitur prorsus gratuita promissio. Quod ergo Deus sine conditione promisit, sine lege donat & implet; quemadmodum docet Prosper lib. 1. de vocat. Gent. cap. 9. Hinc & filij Novi Testamenti, filij promissionis vocantur; infrà cap. 9. & Gal. 4.

Promissio Abrahæ facta, absoluta fuit & gratuita.

Quidam Apostoli verba sic ordinanda putant; Non enim promissio Abrahæ aut semini ejus, ut per legem hæres esset mundi, sed per justitiam fidei. Verùm hac metathesi particulæ *per legem* non opus esse, satis patet ex utroque sensu jam dato. Cæterum videtur Apostolus cùm dixit, *Abrahæ aut semini ejus*, alludere voluisse ad duas promissiones, quarum prior est Gen. 12. *In te benedicentur universæ cognationes terræ*; posterior, *Gen. 22. Benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ.* Quarum tamen eadem est sententia, scilicet Abraham ratione seminis sui, id est, Christi ex eo nascituri (sicut ipse Paulus interpretatur ad Galat. 3.) futurum totius mundi hæredem seu possessorem; id est, Christi regnum per omnes Gentes propagandum esse, & per hoc eas omnes in ipso benedicendas. Nam Christum mundi hæredem etiam psalmista canit in persona Dei patris dicens: *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ*, Psal. 1. De quo rursus Apostolus. Heb. 1. *Quem constittit hæredem universorum.*

14. SI ENIM QUI EX LEGE, HÆREDES SUNT; EXINANITA EST FIDES, ABOLITA EST PROMISSIO. *Exinanita est.* Græcè κεκένωται inanis & irrita facta est. Idem verbum legitur. 1. Cor. 1. ubi nos habemus, *ut non evacuetur crux Christi.* Ratiocinatur Apostolus ad absurdum deductione. Quod argumentum duobus modis explicari potest, prout illud *qui ex lege* bifariam intelligitur. *Prior explicatio est*: Si enim soli qui ex lege sunt, id est, Judæi quibus lex data est, hæredes sunt, id est, pertinentes ad hæreditatem Abrahæ promissam, ut ipsi volunt; igitur inanis redditur fides, quæ præcessit legem; & consequenter irrita fit promissio Abrahæ facta, quæ & ipsa legem præcessit. Juxta hunc sensum nota relativam oppositionem inter hæredes & hæredem quem priùs dixerat. Hæredem enim vocat activè & propriè, eum qui percipit aut percepturus est hæreditatem: hæredes verò passi-

vè, qui ſunt ipſa poſſeſſio hereditaria, id eſt, populus Chriſto in hæreditatem promiſſus.

Altera expoſitio ſecundùm quam particula *qui ex lege* ſumitur ut illa Gal. 3. *qui ex operibus legis*, aut certè formaliter, quatenus ex lege, eſt hujuſmodi: Sed illi demum hæredes ſunt promiſſionis Abrahæ factæ; & promiſſæ benedictionis participes, qui ex lege ſunt ut juſtificante, id eſt, ex lege juſtitiam ſibi parant: ſequitur abſurdum, nempe fidem, ſive ipſius Abrahæ credentis promiſſioni, ſive potius noſtram qua per Chriſtum juſtitiam expectamus, eſſe rem inanem, adeoque promiſſionem Abrahæ factam abolitam eſſe & irritam; non ſolum quòd hac ratione effectus, id eſt, res promiſſa à lege pendeat: non à promiſſione; verùm quod omnino fruſtretur effectu, ut quem nemo per legem conſequi poſſit; propterea quòd lex ad juſtitiam & ſui obſervationẽ neminem perducat.

Hunc ſenſum eſſe germaniorem probat illa ſententia ſimilis Gal. 3. *Si ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione.* Deinde & oſtendit ratio ſubjuncta de lege iram operante. Quod autem nonnulli fidem hîc interpretantur ipſius Dei, id eſt, veracitatem in præſtandis promiſſis; ut eadem ſint exinaniri fidem, & aboleri ejus promiſſionem, fitque poſteriùs explicatio prioris, aliis non probatur, ac meritò. Nam huic parti, *exinanita eſt fides*, ſtatim poſt opponit illam, *ideo ex fide*; ubi fidem hominis in Deum intelligi, non eſt dubium.

15. LEX ENIM IRAM operatur. Probatio eſt ab effectu & eventu legis (ait Thomas) qui eſt iram operari; tamquam dicat Apoſtolus: Adeò ex lege non obtinetur hæreditas ſeu benedictio, ut lex potiùs iram operetur, id eſt, pœnam augeat & maledictionem adferat. Hoc autẽ lex non per ſe facit & ex ſua inſtitutione; ſed ex occaſione: ſicut docetur infra c. 7. quomodo & Chriſtus dicitur poſitus in ruinam multorum, Luc. 2. & Apoſtoli quibuſdam erant odor mortis in mortem, 2. Cor. 2. videlicet per occaſionem. Sic igitur & lex iram operatur, idque triplici ratione.

Lex iram operatur, & quo ſenſu.

Primùm, quia ſi lex non eſſet, nec eſſet tranſgreſſio legis. Unde docet Auguſtinus Epiſt. 88. pejorem eſſe qui legem habet cum mala voluntate, quàm ſi legem non haberet. Nam cæteris paribus graviùs peccant ſcientes quàm ignorantes, Luc. 12. & Jac. 4. *Secundo*, quia legis occaſione augetur in homine concupiſcentia, dum ex inclinatione naturæ corruptæ magis ſemper nititur in vetitum, fitque ei dulcius quod prohibetur. Pluribus id declarat Apoſtolus *infrà cap. 7.* Ac de eo vide Sanctum Auguſtinum de ſpiritu & litera cap. 4. *Tertiò*, quia facilè ſibi promittit homo legis acceptæ impletionem, atque ex ea juſtitiam, non cogitans de neceſſario Dei auxilio: quemadmodum illi qui lege audita dicebant: *Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes*, Exod. 24. Deinde in ſe confidit, ac ſibi placet tamquam juſtus, dum legem aliquatenus, ac vel opere vel ſpecie externa, Phariſæorum more, obſervat: itaque per hoc redditur ſuperbus & hypocrita. Rationis hujus meminit Auguſtin, *3. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 7.* Et hi quidem effectus ſunt legis à fide & gratia ſeparatæ, ſicut de ea nunc Apoſtolus diſputat.

Quocirca malè contendunt ſectarii hîc oſtendere, quod nemo etiam juſtificatus legem impleat. Quæ eorum doctrina & ſcripturis apertiſſimè adverſatur, & in Chriſtum ejuſve gratiam, quæ data eſt ut lex impleatur, vehementer injurioſa eſt. Cæterum Apoſtolus hoc loco primum modum præcipuè conſideravit: ut patet ex eo quod ſequitur.

UBI ENIM NON EST LEX; NEC PRÆVARICATIO. Græcè παράβασις *tranſgreſſio*. Cajetanus ita ſupplet: *nec prævaricatio imputatur ad pœnam*, haud rectè. Nam quî fieri poteſt, ut prævaricatio ad pœnam non imputetur? Dicitur quidem ſequenti capite; *Peccatum non imputabatur, cùm lex non eſſet*: Sed hoc ſenſu. Non imputabatur ad prævaricationem. Non enim idem eſt peccatum & prævaricatio. Quare non aliud hìc ſupplendum, quam quod in priori membro expreſſum eſt; Ubi non eſt lex, nec eſt prævaricatio, ſive tranſgreſſio, id eſt, ubi lex, non eſt, locum non habet tranſgreſſio, quemadmodum & contrà: ubi lex, ibi tranſgreſſio. Hoc enim Apoſtolus intelligendum relinquit, quo probet quod dixit; *Lex iram operatur.* Tranſgreſſionem autem vocat, quùm ſciens quis peccat: ut contingit maximè, dum peccatur adverſus legem verbo aut ſcripto diſertè poſitam, ut ignorari non poſſit. Siquidem lex naturalis obſcurata erat: ideoque nec attendebatur.

Non omne peccatum prævaricatio.

Unde Gentiles qui eam ſolam Dei legem habebant, id eſt, naturalem, ſine lege eſſe, & ſine lege peccare, atque etiam ſine lege puniri, Apoſtolo dicuntur Rom. 2. & 1. Cor. 9. Quare nec prævaricatores cenſebantur, eodem Apoſtolo dicente, cap. 5. *quod non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.* Nam & Adam legem habuit ſibi datam à Deo præcipiente, *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas*, Gen. 2. In quo præcepto rationem legis fuiſſe qui negant, ſatis ex hoc loco redarguuntur.

16. IDEO EX FIDE, UT SECUNDUM GRATIAM FIRMA SIT PROMISSIO OMNI SEMINI. Quidam codices *ut* repetunt, hoc modo: *ut ſecundùm gratiam, ut firma ſit promiſſio*, &c. Quod Græcis conſentaneum eſt, quæ ita ſonant; *ut ſecundum gratiam, ad hoc ut firma ſit promiſſio.* Annuit & Syrus paraphraſtes. Procedit argumentatio Pauli à diviſione, hoc modo: Aut per legem implenda eſt promiſſio Abrahæ facta, aut per fidem: atqui per legem non impleri jam oſtenſum eſt: Reſtat igitur ut ex fide & per fidem impleatur. Quod conſequens hîc ampliùs jam confirmat ex duobus omninò ſtatuendis & agnoſcendis in Dei promiſſione; quæ ſunt gratia & uniuerſalis atque omnimoda firmitas. Ideò, inquit, ex fide; ut promiſſio agnoſcatur gratuita & indebita; Et rurſum, ut promiſſio firmetur ac rata ſit ſuper univerſum ſemen Abrahæ, id eſt, tam ad Gentiles quàm ad Judæos extenſa; ut qui omnes in ſemine Abrahæ computantur. Nam ſi ex lege promiſſio firmanda erat; ea pars ſeminis Abrahæ, cui lex non eſt data, à promiſſa benedictione excluderetur.

Quæ in Dei promiſſione agnoſcenda.

Notandum tamen has duas rationes ita accipi poſſe, ut prior ad poſteriorem referatur: id quod Græca lectio videtur exigere. Tum ſenſus erit: Ideò promiſſionem ex fide implendam, ut ſecundùm gratiam implenda agnoſcatur: & ideò ſecundùm gratiam, ut firma ſit ſuper univerſum ſemen Abrahæ. Conſiderarunt hunc ordinem Theophylactus & Oecumenius.

NON EI QUI EX LEGE EST SOLUM; SED ET QUI EX FIDE EST ABRAHÆ. *Qui* potiùs *quod* utroque loco. Nam refertur ad ſemen. Quod enim dixit, omni ſemini, id eſt, toti ſemini, explicat per diſtributionem. *Et ſenſus eſt:* Firmam & ratam effici promiſſionem: non tantùm ei ſemini quod ex lege eſt, id eſt, Judæis, quibus lex data fuit: ſed & ei quod ex fide eſt Abrahæ, id eſt, Gentilibus, qui licet ſecundùm carnem non ſint progeniti ex Abraham, neque legem acceperint, ſunt tamen Abrahæ ſemen per imitationem fidei. Oecumenius extremam dictionem *Abrahæ*, jungit cum *ſemime*, ubi dictum eſt *omni ſemini*, & facit hyperbaton. Quod non eſt improbabile: ut illud *ex fide* ſit abſolutum, ſicut illud *ex lege*.

Notandum quoque eam partem *qui ex lege*, non hîc eodem modo ſumi quo ſuprà cum dixit: *Si enim qui ex lege, hæredes ſunt*, ſecundùm probabiliorem illius loci expoſitionem. Nec mirum. Nam & ſub lege eſſe non uno modo ſemper apud Paulum accipitur, ut patet expendenti loca 1. Cor. 9. Gal. 4. & 5. & hujus epiſtolæ cap. 6. Hìc ergo dicuntur, *qui ex lege*,

id eſt, qui legem acceperunt, ut anitheſis conſtet: quomodo paſſim *qui ex circumciſione*, id eſt, circumciſi. Illud etiam, *qui ex fide*, exponendum cum excluſione prioris partis *qui ex lege*. Quod liquet ex ſenſu dato, q. d. qui quamvis non ſint ex lege, ſunt tamen ex fide, ſicut illi.

Qui ex lege, bifariam dicuntur.

QUI PATER EST OMNIUM NOSTRUM. *Pater* per fidem, *omnium noſtrûm*, id eſt, non ſolùm Judæorum, ſed & Gentilium. Unde ſacerdos ad altare omnium delium nomine loquens, Abraham Patriarcham noſtrum vocat. Sequitur probatio.

17. (SICUT SCRIPTUM EST, QUIA PATREM MULTARUM GENTIUM POSUI TE) Id eſt, conſtitui te, videlicet præordinatione ac propoſito certiſſimo. Hoc quidem ad literam de carnali poſteritate dictum eſt, quemadmodum ſatis apparet inſpicienti locum Scripturæ Geneſ. 17. atque etiam de ea impletum eſt. Nam & carnalis Abrahæ poſteritas longè ſeſe extra Gentem Iſraëliticam protulit, ut ad Iſmaëlitas ſive Agarenos, qui ſe Saracenos appellant: item ad Madianitas, & alios quos enumerat ſcriptura Geneſ. 25. Denique & ad Idumæos.

Abraham multarum Gentium pater ſenſu literali & myſtico.

Minimè tamen dubium, quin myſtico & ſublimiori ſenſu pertineat ea promiſſio ad ſemen ſpirituale, quod futurum erat multò numeroſius ſemine carnali, id eſt, ad poulos fideles, quorum Abraham pater erat exemplo fidei.

Verumtamen & illud ſciendum, promiſſionem, paternitatis ſpiritualis multarum Gentium, Abrahæ facta, ex ordinatione divina non fuiſſe præſtandam, niſi interveniente generatione carnali, qua futurum erat & Chriſtus (in quo benenedicendæ erant omnes gentes) ex eo ſecundùm carnem naſceretur. Itaque generatio carnalis Abrahæ promiſſa, ſubſervivit implendæ promiſſioni paternitatis ac ſeminis ſpiritualis.

ANTE DEUM CUI CREDIDIT. Quidam codices, *credidiſti*. Sed tertiam perſonâ ex Græcis & melioribus Latinis reſtituêre correctores Romani, ſuffragantibus item Græcorum commentariis: tametſi commentator Ambroſ. *credidiſti* legit & exponit. Neque enim hæc pars annectenda eſt teſtimonio proximè citato ex Geneſi. Nam illic tale nihil additur. Sed referenda ad illud; *Qui pater eſt omnium noſtrûm*: ut citatio media, parenthetica ſit.

Eſt autem ſecundùm Latinos hic ſenſus: Abrabam eſſe patrem omnium noſtrûm, non paternitate carnali, quæ eſt coram hominibus, ſed ſpirituali, quæ eſt coram Deo, cui crediderat. Dicitur hæc paternitas eſſe coram Deo, quia fundata eſt in fide, quæ hominem Deo commendat. Græci verò ſic exponunt: Qui pater eſt omnium noſtrûm ad exemplum Dei: vel inſtar Dei (his enim modis vertunt Græcorum interpretes) cui credidit: ut ſicut Deus eſt omnium pater creatione, ſic Abraham fieret omnium pater exemplo fidei. Non enim in Græco eſt adverbium ἔμπροσθεν aut ἐνώπιον, id eſt, antè, coram, in conſpectu: quibus in hac ſignificatione paſſim utitur ſcriptura Græca, κατέναντι, id eſt, ex adverſo, è regione; quod legitur Marci 11. & 12. & Luc. 19. quomodo quod pingitur, è regione ſui exẽplaris ſtatuitur. Quãvis & in priore ſignificatione reperitur interdum.

QUI VIVIFICAT MORTUOS, ET VOCAT EA QUÆ NON SUNT TAMQUAM EA QUÆ SUNT. Prius membrum hujus partis plerique referunt ad miraculum rei geſtæ, quando Deus ad generandum vivificavit emortuum corpus Abrahæ & conjungis ejus. Qua de re ſermo eſt paulò inferiùs. Alii utrumque membrum referunt ad eoſdem, ſcilicet Gentiles. Putant enim Paulum hac parte velle oſtendere, quomodo Abraham factus ſit pater etiam Gentilium, & quomodo Gentiles facti ejus filii.

Itaque ſecundùm eos ſenſus eſt: Qui Deus homines ſpiritualiter mortuos, id eſt, nihil vitæ ſpiritualis habentes vivificat per fidem: quique nos filios Abrahæ vocat & facit filios Abrahæ per eamdem fidem. Huic expoſitioni coaptant ſcripturas Matth. 4. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Coloſſ. 2. *Et vos cùm eſſetis mortui in delictis & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo.* Et hujus epiſtolæ cap. 9, ex Oſee Propheta: *Vocabo non plebem meam, plebem meam*, Hoc enim quid aliud eſt quàm vocare *ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt*, ſive ut alii vertunt, *tamquam ſint?* quod ad verbum eſt in Græco; vocare *non entia tamquam entia.*

Gratus quidem hic ſenſus propter allegoriam: non tamen videtur à Paulo ſpectatus. Adjicit enim hanc partem, non qua ſignificet quid fecerit aut facturus ſit Deus: ſed ut duobus velut epithetis (ſunt enim in Græco participia Deo cohærentia) declaret Deum omnia poſſe; ſimul innuens etiam hoc ipſum de Deo Abraham credidiſſe. Nam mortuos ad vitam revocare, & ex nihilo res producere, quod eſt vocare non entia tamquam entia, nonniſi infinitæ virtutis, id eſt, divinæ ſunt opera.

Nobiſcum ſentit in hac expoſitione Fr. Toletus: qui etiam ſubtiliter obſervat, in priori membro Paulum reſpicere ad fidem Abrahæ, quando juſſus eſt immolare filium ſuum Iſaac: videlicet *arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus*, ut de eo dicitur Hebr. 11. in ſecundo autem membro ad fidem prioris temporis, quando credidit ſibi filium ex Sara naſciturum. De qua fide continuò ſubjungit: *Qui contra ſpem in ſpem credidit.* Quod ad ſyntaxin attinet hujus loci, ſcias ex Græco textum ſic ordinandum: *Ante Deum, qui credidit, vivificantem mortuos & vocantem*, &c. non autem ſic: *Ante Deum, qui credidit vivificanti mortuos & vocanti*, &c. licet utraque ſtructura ſenſum ferè eumdem pariat. Hanc porrò ſententiam illuſtrant, quæ jam deinceps de Abraham in ejus fidei commendationem directè dicuntur.

QUI CONTRA SPEM IN SPEM CREDIDIT. Græcè; *qui præter ſpem in ſpe* vel *ſub ſpe credidit.* Sed & apud Latinos Pelagium, Primaſium & Hugonem legitur auferendi caſu, *in ſpe*; ut veriſimile ſit ita vertiſſe noſtrum interpretem; qui etiam illud rectè, *contra ſpem.* Nam eam vim habet Græcum παρὰ, tùm hîc tum paſſim alibi: quemadmodum & Latinum *præter.* Ita nimirum illud accipiendum ad Galatas 1. *præterquam quod evangelizamus vobis*: & iterùm, *præter id quod accepiſtis*, quemadmodum eo loco pleniùs oſtendemus. *Senſus eſt.* Qui præter ſpem, id eſt, cùm prius non ſperaret, ſed magis deſperaret ſibi ſobolem ex Sara, vel potiùs præter ſpem naturæ; id eſt, contra quam ex natura ſperari potuit, quia res erat naturaliter impoſſibilis; credidit divinæ promiſſioni, ſpemque certam ex ea concepit. Credidit, inquam, quod ſequitur.

UT FIERET PATER MULTARUM GENTIUM. Id eſt, ſe futurum patrem multarum gentium. Quidam ad ſpem referunt hoc ſenſu: Credidit ſperans ſe fore patrem multarum gentium. Sed prior conſtructio textui magis congruere videtur: eamque vult etiam Syriaca tranſlatio.

SECUNDUM QUOD DICTUM EST EI: SIC ERIT SEMEN TUUM. In Græco non additur *ei*, ſed tamen intelligitur. Poteſt & ſic verti: *ſecundùm quod dictum fuerat*: ſcilicet multò antè. Nam illud, *ſic erit ſemen tuum*, non legitur dictum Geneſ. 15. Verumtamen Abraham intelligebat, uti debuit, primam illam promiſſionem præcipuè in Iſaac, ſibi poſteà ex Sara promiſſo, complendam eſſe.

Hic ſequitur in multis libris, *ſicut ſtellæ cœli & arena maris.* Sed non eſt in Græco nec Syriaco: nec legitur apud veteres interpretes. Latini quoque meliores codices, quos meritò ſecuti ſunt epanorthotæ Romani, non habent: ut dubium non ſit additum eſſe à quopiam, qui orationem incompletam voluerit

absolvere : tametsi nec in Genesi à Deo promittente quicquam adjungitur. Tantùm præcesserat illud Dei ad Abraham ; *Suspice cœlum, numera stellas si potes.* Tum sequitur, *sic erit semen tuum,* scilicet, sicut stellæ innumerabiles.

19. ET NON INFIRMATUS EST FIDE. In Græco continua est oratio cum parte sequenti *& non infirmatus fide non consideravit*, &c. id est, nullam passus infirmitatem aut vacillationem fidei circa promissionem divinam.

NEC CONSIDERAVIT CORPUS SUUM MORTUUM. Græcè, *jam emortuum* ; id est, præ senio jam effœtum & impotens ad generandum.

CUM JAM FERE CENTUM ESSET ANNORUM. Dictio *jam* huc translata ex parte proximè præcedenti. Quod & volunt codices meliores mss. & signat castigatio Lovanienſis. Dicit autem ferè centum annorum, id est, uno minùs. Habebat enim annos nonaginta novem.

ET EMORTUAM VULVAM SARÆ. Græcè *& mortificationem* seu *mortalitatem matricis Saræ.* Sensum tamen optimè reddidit interpres, approbante Erasmo. Ad hujus loci pleniorem intellectum tres explicandæ sunt quæstiones : Quarum.

Quo sensu corpus Abrahæ emortuum,

Prima est, quomodo dicat Apostolus Abrahæ corpus emortuum fuisse, cùm is adhuc posteà ex Cethura conjuge, quam Sarâ mortuâ duxit, filios procrearit. Ad hanc quæstionem respondet Augustinus *lib. 16. de civit. cap. 8. & quæst. 35. super Genesim* : emortuum fuisse ejus corpus respectu Saræ vetulæ, quod ea naturaliter suscitare sobolem non potuerit : non autem respectu ejus, quæ esset ætate adhuc vigente, qualis erat Cethura. Verùm hæc responsio non videtur satisfacere. Nam eo pacto etiam vir juvenis diceretur habere corpus emortuum, quoniam vetulam imprægnare non possit.

Quare potiùs cum aliis plerisque dicendum, Abraham illo tempore fuisse præ senio simpliciter impotentem ad generandum. Sed divino miraculo redditam ei virtutem generandi, qua deinceps non solùm ex Sara per simile miraculum jam fœcunda, verùm ex quacumque muliere ad concipiendum apta, posset filios suscipere. Quæ responsio Scripturis etiam valde consentanea est. Nam præter hunc locum, ubi expressè tam de Abraham quàm de Sara dicitur, quod corpus habuerint emortuum (ut eodem sensu necesse sit de utroque intelligi) etiam scriptura Genesis ita loquitur, ut satis declaret in utroque divinam virtutem aliquid supra naturam operatam fuisse. Refert enim cap. 17. Abraham audita Dei promissione dixisse : *Putàsne centenario nascetur filius ; & Sara nonagenaria pariet ?* Deinde cap. 18. *Erant*, inquit scriptura, *ambo senes, provectæque ætatis.* Quæ utique est aperta significatio impedimenti in utroque conjuge : ut proinde Chrysostomus homilia 40. super Genes. de eis dicat : quod *nihil à lapidibus differebant, quantum ad generationem attinet.* Sed & Apostolus ad Heb. 11. cùm dixisset : *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit.* De Abraham ita subjungit. *Propter quod & ab uno orti sunt, & hoc emortuo, tamquam sidera cœli*, &c.

Satis igitur ex his liquet Scripturam non solùm in Sara ponere miraculum, verùm etiam in Abraham : Et in illa quidem duplex, quod & sterilis & vetula concipere potuerit : in illo autem simplex, quòd senex cùm esset, ideoque ob frigiditatem seminis ad generandum ineptus sobolem suscitare potuerit, non solùm ex Sara, verùm etiam, ut dictum est, ex aliis feminis, videlicet in eo perseverante gignendi virtute semel reddita : quomodo fœcunditas semel data permansit in Anna matre Samuelis, ut & alios post illum filios gigneret, secundùm id quod ipsa cecinit : *Donec sterilis peperit plurimos*, 1. Reg. 2.

Secunda quæstio. Cùm Scriptura testetur Abraham post annum ætatis centesimum adhuc vixisse septuaginta quinq; annos, *Genes. 25.* quî verisimile est eum centenarium adeò fuisse senem, ut ad generandum esset, quemadmodum dictum est, simpliciter ineptus? Nam hodie certè qui vivere possunt annos nonaginta (ut sumamus tempus quasi dimidium ætatis Abrahæ) nequaquam ad gignendum prolem inepti censentur anno suæ ætatis quinquagesimo : Et tamen in his eadem est ætatis proportio. Hæc difficultas movit Augustinum, cur minùs probaret præcedentis quæstionis eam solutionem, quam dedimus, quamque fatetur ab aliis adferri solitam.

Quidam respondent : quemadmodum nunc aliis alii citiùs senescunt ac decrepiti fiunt, ut generare non possint : ita nunc Abrahæ contigisse vel ex naturæ defectu, vel quòd laboribus essent ei vires exhaustæ. Non placet hæc responsio : quia Scriptura tam in Genesi quàm hoc loco gignendi impotentiam simpliciter rejicit in ætatem, eo quòd centum esset annorum : tamquam ea ætas illo tempore, saltem ut plurimùm, inepta fuerit generationi. Responsio.

Proinde aliter respondendum existimo : patres illos antiqui temporis post mediam ætatem longam vixisse senectutem, ita ut ætas deficiens longè diuturnior in illis esset quàm acrescens. Exemplo sit Isaac, qui vixit annos centum octoginta *Gen. 35.* Cui tamen ætatis anno, juxta peritorum supputationem, centesimo vigesimo aut circiter, præ senectute caligaverunt oculi, sic ut videre non posset : quando & filiis suis, tamquam non diu victurus, benedixit *Gen. 27.* Et tamen annos adhuc supervixit sexaginta : ut appareat totum tempus senectutis ejus fuisse non multò minùs centum annorum ; ac proinde majus tota reliqua ætate. Id autem & in aliis similiter se habuisse, argumento est, quod Gen. 11. quidam leguntur genuisse filios anno suæ ætatis tricesimo, quorum alii ducentis, alii trecentis, alii quadringentis annis vixerunt. Alia responsio melior.

Ex quo intelligas quàm breve fuerit illis tempus ætatis crescentis, cõparatione reliqui temporis vitæ : Deo nimirum sic ordinante, causasque naturales dirigente (neque enim arbitror in ea re miraculum ponendum) ut diu superstites essent divinorum operum testes ad rudem adhuc & raram posteritatem ; simul ut eam artibus & legibus ad vitam politicam Deique cultum spectantibus sufficienter institueret ; donec humano genere satis multiplicato, necessitas ejusmodi cessaret.

Tertia quæstio est de eo quod negat Apostolus Abraham considerasse corpus suum emortuũ & emortuam vulvam Saræ ; cùm scriptura jam antè citata testetur ipsum audita promissione filii ex Sara, risisse, atq; dixisse in corde : *Putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet ?* Quæ verba sunt benè considerantis horum utrumque, etiam cum quadam, ut apparet, diffidentia seu fidei infirmitate.

Respondet Cajetanus Abraham ab initio non percepisse revelationem esse assertivam, ideóq; secum in animo contulisse impedimenta naturæ tam in se quàm in Sara, non dubitando de promissione, sed percontando sensum divinorum verborum, an verè ad significandum hoc quod sonabant, dicta essent.

Sed hæc responsio non videtur bona. Nam Pauli doctrina est hoc loco & *Heb. 11.* Abraham statim & incunctanter audita Dei promissione, plenã ei fidem adhibuisse. Idem liquet ex aliis promissionibus Abrahæ factis, *Gen. 12. 13. 15.* quas ille statim ut audivit, recepit : Nec non ex præceptis ipsi datis à Deo tametsi duris & arduis *Gen. 12. 21. & 22.* quibus ille confestim paruit ; ut non minùs obedientia ejus quàm fides in Scripturis commendetur. Accedit quòd verba promissionis de qua nunc agitur, nullam habebant obscuritatẽ ; ut proinde sensum eorum percontari Abraham minimè debuerit ; sicut nec in aliis fecerat.

Dicendum

Responsio verior.

Dicendum igitur Abraham ex sententia Pauli, non considerasse suam & uxoris senectutem & gignendi impotentiam, sic ut propterea diffideret, aut assensum ac fidem differret adhibere divinæ promissioni: Sed quemadmodum cap. 15. Genesis posteaquàm dictum esset de eo, quod *credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam*: narratur quæsivisse modum adimplendæ promissionis divinæ dicens: *Unde scire possum*, &c. Sicut & B.virgo Maria audito nuncio partus dominici, modum quisivit dicens: *Quomodo fiet istud?* ita cap. 17. post auditam & firma fide susceptam Dei promissionem, non utique dubitando, nec (ut vult Cajetanus) sensum verborum, quæ plana utique & perspicua erant, percontando, sed potiùs rei promissæ magnitudinem admirando, dixit: *Numquid centenario nascetur filius?* ac si diceret: Numquid rem tantam & à sæculis inauditam facturus es mea causa?

Respondent ad hunc modum Ambrosius *libro 1. de Abraham cap. 4. & libro 2. cap. 11.* & August. *libro 10. de civit. Dei cap. 26. & 31.* Nam & illud quod objici poterat, Abraham audita promissione, velut desperantem de filio qui ex Sara promittebatur, dixisse Deo: *Utinam Ismael vivat coram te*, existimandum est non ulla diffidentia dictum, sed ex humilitate qua se indignum reputabat tam grandi miraculo quod promittebatur; quasi diceret: Multum ac satis mihi præstiteris, si factam olim promissionem adimpleas in Ismaële. Constat enim Abraham se valdè humiliasse coram Deo, ut Gen. 18.

Non desunt, fateor, inter Patres, qui videantur aliquid incredulitatis seu dubitationis in prædictis verbis sancto Patriarchæ ascribere, ut Basilius *homil. de patientia.* Chrysost. *homil.* 40. *in Genesim*, & Hieron. *lib. 1. dial. contra Pelag. capite 10. & libro* 3. *cap.* 5. Sed illi sententiæ resistunt non solùm Ambrosius & Augustinus, quos jam citavimus, verùm & omnes hujus commentatores, ac præcipuus inter eos ipse Chrysostomus, cujus verba mox referam. Denique manifestè contradicit illi suscipioni hic ipse locus Paulinus. Unde adhuc sequitur.

In Abraham nulla fidei vacillatio.

20. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia. Græcè, *ad promissionem autem Dei non hæsitavit incredulitate.* Sed & commentator Ambros. non *etiam*, sed *verò* legit, ut Græca particula δὲ sumatur adversativè. Pro verbo *hæsitavit*, quod in Græco est διεκρίθη, quidam malunt *disceptavit*, aut *disquisivit*. Ac posset videri hic sensus: Quamvis Abraham audita promissione quæsiverit, ac quasi disceptaverit dicens Deo: *Putásne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* non tamen id fecit ex incredulitate, sed ex admiratione, sicut jam dictum est. Verùm optime redditum à nostro interprete: *hæsitavit*: quamvis hæsitatio non sine disceptatione fieri soleat. Sic enim & Erasmus vertit & alii. Vide quæ de Græci verbi significatione annotamus infrà ad illud cap. 14. *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est*, ac rursus ad illud Jacobi 1. *Postulet in fide nihil hæsitans.* Ergo quod additum est, *incredulitate* non est restringentis, sed declarantis. Nam hæsitatio seu dubitatio de Dei promissis esse non potest sine incredulitate.

Sensus igitur est: Nulla laboravit incredulitate, ut ad promissionem Dei auditam hæsitaret. Expendit hæc Apostoli verba Chrysostomus, ita loquens: *Non dixit illum non incredulum fuisse, sed non hæsitavisse, hoc est, ne animo quidem suspenso, ancipiti ac dubio fuisse.* En apertam Chrysostomi de fide Abrahæ sententiam. Quare quod in expositione Geneseos aliter sensisse visus est, id puta eum hîc tacitè retractasse.

Repromissio, repromittere.

Quosdam offendunt hæ voces tamquam parùm Latinæ, *repromissio* & *repromittere*, quibus noster interpres pro simplici promissione passim utitur. Sed interpretem satis defendit usus vulgaris horum vocabulorum apud veteres Ecclesiæ scriptores, etiam præcipuos, ut Hieronymum & Augustinum: quandoquidem & Suetonius invenitur repromittendi vocabulum alicubi sic usurpasse.

Sed confortatus est fide. Id est, firma ac robusta fide susceptit Dei promissionem. Pars hæc adversativa est ejus quod suprà dixit: *Et non infirmatus est fide.*

Dans gloriam Deo. Gloriam Deo tribuit Abraham credens ac profitens eum omnipotentem, & in promissis veracem. Per hæc enim laudatur & glorificatur Deus. *Hoc adversus illos positum est* (ait Augustinus in expositione propositionis 25.) *qui gloriam suam de operibus legis coram hominibus quærebant.*

21. Plenissime sciens, quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere. *Plenissimè sciens*, Græcè πληροφορηθείς, id est, *plenitudinem consecutus*, videlicet persuasionis seu fidei. Tale quid enim intelligendum postulat subjecta materia: cùm alias etiam ad alia referatur Græcum verbum πληροφορεῖσθαι, quemadmodum latiùs ostendemus infrà ad illud cap. 14. *Unusquisque in suo sensu abundet.* Erasmus vertit, *certa persuasione concepta.*

Quod sequitur *quæcumq; promisit*, Græcè est ὃ ἐπήγγελται quod promisit, ut legunt Amb. commentator & Primasius, quemadmodum & vertunt neoterici quidam. Quod enim Erasmi versio habet, *qui promiserat*, probari non potest, nisi fortè in ejus codice (quod non puto) scriptum fuerit, ὃς ἐπήγγελται. Verùm scito Græcum verbum esse præteritum passivum, ut proinde vertendum videatur, *quod promissum est*: ut etiam Erasmus admonet in annotationibus. Nam in activa significatione apud authores haud temerè reperias, nec quidem in sacris literis. Siquidem activa promissio ferè semper exprimitur aoristo verbi medii ἐπηγγείλατο *promisit*. Legitur autem idem verbum quod hoc loco, in epist. ad Galat, 3. & ad Heb. 12. Sed illis quoque locis expositionem passivam convenire docebimus, cùm illuc usque perventum erit: tametsi hîc ad sensum non interest, activé exponas an passivè.

Sensus enim Apostoli est: Plena ac certissima fide persuasum habens, Deum sua promissa seu quæcumque promisit, præstare posse. Nominat autem potentiam Dei, non veracitatem: quia suppositа fide potentiæ non erat difficile credere Deum facturum, quod promiserat. Longè enim facilius creditur veracem esse Deum, quàm omnipotentem.

Sed quæres, quid magnum, si credidit Deum omnipotentem; cùm id credant omnes Christiani, boni & mali? Quæstio est apud Hugonem numero 111. ejusdemque hæc responsio: *Tunc illud credere magnum erat, quando penè universus orbis in cultura dæmonum errabat; nec adhuc fides unius Dei prædicata fuerat, aut scripturis manifestè declarata, sicut modò.* Sic ille. Cui tamen responsioni etiam hoc addimus: laudari in Abrahamo fidem omnipotentiæ Dei, non qualemcumque, sed promptam, devotam & obedientem, qualis in paucis reperitur.

Quæstio. Responsio.

22. Ideo et reputatum est illi ad justitiam; scilicet eadem ratione qua & priùs fides promissionis ei reputata fuerat ad justitiam. Genes. 15. Hinc manifestum est ea locutione non significari primam justificationem: Quoties enim credidit Abraham Deo, toties ei fides ad justitiam reputata est. Nam ut suprà dictum est, etiam obedientia per quam multò pòst in tentatione inventus est fidelis, reputata est ei ad justitiam, attestante Scriptura. 1. Machab. 2. & Jac. 2.

23. Non est autem scriptum tantum propter ipsum. Græcè: *Non scriptum est autem propter ipsum solum.* Ut dicto *solum* Græcè μόνον, tam nomen adhærens pronomini *ipsum*, quàm adverbium esse possit.

Quia reputatum est illi ad justitiam. In Græco non additur *ad justitiam.* Sunt & Latini codi-

ces qui non habeant. Sensus tamen postulat ut intelligatur, videlicet repetendum ex parte præcedenti; quemadmodum & in eo quod mox sequitur.

24. SED ET PROPTER NOS, id est, nostræ doctrinæ causa. *Quæcumque enim scripta sunt*, ait infrà cap. 15. *ad nostram doctrinam scripta sunt*. Cujusmodi sunt maximè facta sanctorum Patriarcharum.

QUIBUS REPUTABITUR CREDENTIBUS IN EUM QUI SUSCITAVIT JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM A MORTUIS. *Reputabitur*, subaudi ad justitiam. *Christum* non est additum in Græco. *A mortuis*, sive *è mortuis*: Hebraismus est. Syriacè *de inter mortuos*, id est, è statu vel numero mortuorum, à morte. *Sensus periodi*: Quòd scriptura dicit Abraham Deo credidisse, idque ei reputatum fuisse ad justitiam; non tantum scriptum est propter ipsius laudem, ut ejus justitia celebraretur apud posteros; verùm etiam nostri causa, id est, ut in Abraham haberemus formam quamdam nostræ justificationis, atque sciremus etiam nobis credentibus ipsum credere, hoc est, fidem nostram ad justitiam reputatum iri. Jam quæ sit vis collectionis Paulinæ: fides reputata fuit Abrahæ ad justitiam, ergo & nobis ad justitiam reputatur: cum utriusque fidei non sit idem objectum, satis explicatum arbitror superiùs ad scripturam ex Genes. citatam; *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.*

A mortuis: Hebraismus.

Illud adhuc quæri potest, quomodo ex eadem Pauli collectione non sit consequens, fidem peccatoris credentis in eum qui justificat impium, esse simpliciter justitiam, si simpliciter justitia fuit fides Abrahæ Deo credentis: in qua, sicuti dictum est, forma quædam fuit nostræ justificationis.

Fides peccatoris quatenus justitia.

Resp. similitudinem constare salva proprietate utriusque justificationis, secundæ videlicet & primæ. Nam fides qua justificatur is qui jam justus erat, ut Abraham, à Spiritu sancto procedit inhabitante, ideóque simpliciter est justitia. Quod non perinde dici potest de fide peccatoris, in eum qui justificat impium credentis. Non enim proficiscitur ea fides ab inhabitante spiritu, sed tantum movente: donec ille sic credens, ipsa fide eum promovente, gratiam adoptionis assecutus fuerit. Esse tamen ejusmodi fidem inchoativè justitiam ejusque partem, secundùm ea quæ dicta sunt capite superiori, non est cur ambigatur.

Postremò quæres, cur Apostolus solam hîc exprimat fidem resurrectionis Christi. Resp. vel quia in hoc articulo tacitè continetur etiam fides incarnationis & mortis: nemo enim resuscitatur ad vitam, nisi mortuus; & nemo moritur: nisi natus; vel quia resurrectio Christi credita spem nostram, quam in Christo habemus, maximè erigit & confirmat.

25. QUI TRADITUS EST PROPTER DELICTA NOSTRA. *Traditus* in mortem, idque à Patre, de quo infrà cap. 8. *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Propter delicta* sive peccata *nostra* abolenda.

ET RESURREXIT PROPTER JUSTIFICATIONEM NOSTRAM. *Resurrexit*, Græcè ἠγέρθη *suscitatus est*. Tum in eo variant Græca, quòd alia legunt δικαίωσιν *justificationem*, alia δικαιοσύνην *justitiam*: tametsi res eodem recidit, ut ex sensu patebit. Quem ut assequamur.

Illud primò sciendum est: omne meritum Christi salvatoris in passione ejus & morte completum fuisse, & proinde sua resurrectione eum nihil meruisse; uti nec ascensione in cœlum, ac cæteris quæ egit post passionem & mortem. Quæ doctrina est omnium Theologorum. Quocirca hac parte significari non potest Christum resurgendo meruisse nostram justificationem, sicut patiendo meruit delictorum nostrorum remissionem. Videndum ergo quo sensu dicatur resurrexisse propter justificationem nostram: & omninò quis totius pericopes sensus sit. Laborant enim in eo reddendo interpretes.

Omne meritum Christi, morte ejus completum.

Quo sensu Christus propter justificationem resurrexerit, variè exponitur.

Ac primùm illud recipi nullo modo potest quod Pseudambrosius in hunc locum commentatur: Dicit enim eos qui ante Domini passionem baptizati fuerunt, solam accepisse remissionem peccatorum (*quorum zelo*, inquit *satanas occidit Salvatorem*) post resurrectionem verò tam eos qui priùs, quàm qui postea baptizati sunt, omnes justificatos esse per datam formam fidei Trinitatis: Et id Paulum existimat hoc loco significare voluisse. Sed hoc commentario velut parùm sano repudiato, alios audiamus.

S. Thomas dicit mortem & resurrectionem Christi hîc considerari, non ut meriti rationem habent, id enim resurrectioni non competere: sed ut salutares nobis fuerunt per modum cujusdam efficientiæ, sicuti fuerunt & cæteræ omnes actiones ejus & passiones, utpote ex virtute divinitatis provenientes, cujus humanitas ipsius erat instrumentum. *Sed quoniam*, inquit, *effectus aliquo modo similitudinem habet suæ causæ; mortem Christi, per quam in eo exstincta est mortalis vita, dicit Apostolus esse causam exstinctionis peccatorum nostrorum: resurrectionem autem ejus, qua rediit ad novam vitam gloriæ, dicit esse causam justificationis nostræ, per quam redimus ad novitatem justitiæ.* Sic ille. Verùm huic expositioni videtur obstare, quod à Paulo non nominantur actiones humanitatis Christi, sed actiones Patris, *traditus est, suscitatus est*, scilicet à patre.

Aliorum expositio est; mortem & resurrectionem Christi hîc considerari tantùm ut causam exemplarem. Sic enim loquuntur: tamquam Christus moriens exemplum nobis dederit, ut nos quoque moriamur peccatis: resurgens verò exemplum dederit, ut & nos à morte peccati resurgamus ad novitatem vitæ. Equidem typum seu figuram dicere malim quàm exemplar. Nam Christus ipse non est mortuus vitæ peccati, neque resurrexit in vitam justitiæ: sed ejus mors & resurrectio corporalis fuit typus ac figura nostræ mortis & resurrectionis spiritualis: mortis quidem qua peccatis morimur, resurrectionis autem qua resuscitamur ad justitiam: quemadmodum id pluribus exhortando declarat Apostolus *infrà c. 6.* Rectè verò dixeris Christi resurrectionem esse causam exemplarem nostræ resurrectionis, qua corporaliter resurgemus ad vitam immortalem. Quo sensu accipiendum quod de eo canit ecclesia in præfatione paschali: *qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit.* Qua etiam ratione primitiæ dormientium Christus vocatur 1. Cor. 15.

Christi resurrectio typus potiùs quàm exemplar nostræ justificationis.

Verumtamen & huic jam dictæ expositioni (quamvis eam suppeditent Augustinus *ser. 141. de tempore*, & Thomas 3. *quæst. 56. art. 2.*) non parùm obsistit, quod Paulus non dixit, mortuus est: sed *traditus est*: nec addidit, ut nos moriamur peccato, sed simpliciter dixit, *propter delicta nostra.*

Porrò Cajetanus sic interpretatur: Qui traditus est morti propter delicta nostra delenda, resurrexit autem propter justificationem nostram, id est, resurrexit ut crederemus, & credentes justificaremur: quia nisi homo ille mortuus resurrexisset à morte ad vitam immortalem, mundus in eum non crederet. Sed quia resurrexit, credidit mundus, & per hoc pervenit ad mundum justificatio. Sensus hic etiam Sasboldo & Pererio probatur: potestque ad ejus confirmationem adduci quod scribit Petrus 1. epist. 1. *Qui regeneravit nos in spem vivã per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* Et infrà: *Qui suscitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides vestra & spes esset in Deo.*

Est & alia expositio quam huc adfert F. Toletus, ac legitimam censet: ideò videlicet dictum, resurrexisse Christum propter justificationem nostram, quia quamvis in morte Christi precium esset persolutum pro redemptione generis humani, tamen applicatio precii ad hominum justificationem generaliter non erat futura (Deo nimirum sic ordinante) nisi post resurrectionem Christi, missis in mundum

Apoſtolis annunciatoribus ſalutis : & idcircò Chriſtum tam citò reſurrexiſſe, ne remedii ſalutaris applicatio dilata, multorum hominum damnationis eſſet occaſio. Probabilis eſt hæc expoſitio, quemadmodum & proximè præcedens.

Authoris ſententia.

Mihi tamen ſimplicius ac magis germanum videtur, ſi ſingula membra ſuum proprium habeant ſenſum accommodatum conſuetudini ſermonis Apoſtolici : ut traditus in mortem Chriſtus dicatur propter peccata noſtra, id eſt, ut ſua morte pœnam peccatis noſtris debitam aboleret : reſurrexiſſe verò propter juſtitiam noſtram, id eſt, ut ſua reſurrectione typum quemdam nobis præferret reſurgendi ad juſtitiam ſeu vitæ novitatem, ſecundùm ea quæ dicuntur infrà *cap.* 6. vel certè, ut nobis reconciliatis ipſe jam redivivus & immortalis juſtificationem noſtram, qua ſcilicet mens noſtra renovetur de die in diem, & quæ inde ſequitur, ſalutem apud Deum promoveret, ſecundùm id quod dicitur capite ſequenti : *Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius.* Ubi poſtremò & illud obſerva contra ſectarios juſtitiam noſtram in ſola remiſſione peccatorum conſtituentes : Apoſtolum diſertè diſtinguere hæc duo, delectionem peccatorum & juſtitiam, id eſt, vitæ novitatem velut juſtificationis noſtræ partem præcipuam.

Nota contra Sectarios ſolam remiſſionem peccati non eſſe noſtram juſtitiam.

CAPUT QUINTUM.

Eph. 2. *d.* 18. 1. JUſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum : 2. per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei, 3. Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus : ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur. 4. patientia autem probationem, probatio verò ſpem : *Jac.* 1. *a.* 3. 5. ſpes autem non confundit : quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. 6. *Hib.* 9. *d* 14. Ut quid enim Chriſtus, cùm adhuc infirmi eſſemus, ſecundùm tempus pro impiis mortuus eſt ? Vix enim pro juſto quis *1. Pet.* 3. *c.* 8. moritur : nam pro bono forſitan quis audeat mori. 8. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus, 9 Chriſtus pro nobis mortuus eſt : multò igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum. 10. Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus : multò magis reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius. 11. Non ſolùm autem : ſed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus. 12. Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. 13. Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet. 14. Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. 15. Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt : multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit. 16. Et non ſicut per unum peccatum, ita & donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. 17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum : multò magis abundantiam gratiæ & donationis & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum. 18. Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem : ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ. 19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi : ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi. 20. Lex autem ſubintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia. 21. Ut ſicut regnavit peccatum in mortem : ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

SUMMARIUM.

JUſtificatorum ornamenta commemorat. Dei eximiam erga nos charitatem prædicat : ac docet, ſicut peccatum & mors per unum hominem in omnes tranſierunt : ita gratiam & vitam ex uno homine in multos derivari.

JUSTIFICATI ERGO EX FIDE PACEM HABEAMUS AD DEUM PER DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM. *Ad Deum*, id eſt, erga Deum, cum Deo. Poſtquàm oſtendit Apoſtolus ex fide, non ex lege eſſe juſtitiam, tranſit nunc ad declaranda bona quædam, ſeu fructus, ornamenta & decora, quæ gratiam juſtificationis conſequuntur ; nonnulli excellentias appellant. Ea bona ſunt pax hominis cum Deo ; adoptio filiorum Dei ; in tribulationibus non frangi animo, ſed exultare, atque de his omnibus gloriari, non in ſeipſo nec in alio, ſed in Deo. Quæ bona Cajetanus diligenter enumeravit ac diſtinxit. Pro verbo *habeamus* in pleriſque Græcis codicibus eſt ἔχωμεν habemus. Et ita Tertullianum legiſſe, arguunt hæc ejus verba lib. 5. adverſus Marcionem cap. 13. *Monet* (Paulus) *juſtificatos ex fide Chriſti, non ex lege, pacem habere.* Quod & à viro doctiſſimo Jacobo Pamelio in ſuis ad eum locum ſcholiis obſervatum eſt. Nec obſcurè pro ea lectione facit commentarius Ambroſio aſcriptus. Addo me quoque in quodam mss. Latino legiſſe *habemus*.

At verò commentarii Græcorum, Origenis, Chryſoſtomi, ac cæterorum pro noſtra vulgata faciunt lectione : tametſi perpauci ſunt hodie Græci codices quibus legatur ἔχωμεν. Nullus certè à R. Stephano annotatus eſt. Utraque lectio bonum recipit ſenſum, noſtra quidem hujuſmodi : Cùm jam ſimus ex fide juſtificati, ne peccemus ampliùs ; ſed pacem conſervemus cum Deo, permanentes in juſtitia ſemel accepta. Vel ſecundùm alios ; pacem habeamus, id eſt, ſimus tranquillo & pacato animo, & à terroribus quibus concuti ſolet mala conſcientia, libero, utpotè jam Deo reconciliati.

Juxta alteram lectionem hîc *ſenſus eſt* : Ex fide jam juſtificati, illud beneficii imprimis conſecuti ſumus, quòd cùm Deo pacem habemus, id eſt, quòd Deo ſumus reconciliati, quodque eum nunc habemus placatum, quem propter peccata noſtra habebamus offenſum. Qui ſenſus cùm ſit planus & apertus, & textui maximè conſentaneus (nondum enim exhortationi, ſed doctrinæ adhuc intendit Apoſtolus (apparet Græcorum codicum lectionem eſſe veriorem : præſertim cùm huic ſenſui aptiſſimè congruat illa clauſula, *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, videlicet tamquam mediatorem & pacificatorem noſtrum, cumque etiam verba ſubſequentia, *habemus, ſtamus, gloriamur* ejuſdem ſint modi indicativi.

Detorquent hunc locum ſectarii ad ſtabiliendam eam quam ab unoquoque credente exigunt, reconciliationis ac ſalutis ſuæ certitudinem infallibilem : Sed id faciunt imperitè. Nam pax reconciliationem ſignificat, non autem ejus certam notitiam. Itaque pacem habere poteſt cum Deo, qui tamen propter occultas latebras ſui cordis non omnino certus ſit, quòd eam habeat. Nec aliud affirmat Paulus, quàm juſtificatos hanc pacem habere.

Nota contra Sectarios, non exigendam ab homine certam notitiam ſalutis & reconciliationis.

2. PER QUEM ET HABEMUS ACCESSUM PER FIDEM IN GRATIAM ISTAM. *Habemus acceſſum.* Græcè προσαγωγὴν ἔσχηκμεν, id eſt, *aditum* ſeu *admiſſionem habere nobis contigit.* Senſus Apoſtoli : Cujus opera ac merito admiſſi & adducti ſumus per fidem ad hanc gratiam, id eſt, beneficium juſtificationis. Utitur eadem voce προσαγωγὴ ſcribens ad Eph. 3.

Porrò notandum, etſi fides ſit initium & pars quædam noſtræ juſtificationis ; rectè tamen & convenienter dici, quòd per fidem habemus acceſſum & ingreſſum ad gratiam juſtificationis : quomodo per oſtium ingredimur domum ; quamvis ipſum oſtium pars domus ſit. *Senſus enim eſt* : fide velut initio juſtificationis, eò nos ulteriùs adduci, ut cæteris donis accedentibus ſimpliciter juſti ſimus, ac Deo accepti ad vitam æternam ; quemadmodum intrando per oſtium eò quis promovetur, ut ſit intra domum, in aula aut in conclavi.

Quo ſenſu per fidem acceſſus ad juſtitiam.

IN QUA STAMUS ET GLORIAMUR IN SPE GLORIÆ

FILIORUM DEI. Dubium tam in Græco quàm in Latino, num ad fidem illud *in qua* referendum sit, an ad gratiam. Si ad fidem, sensus erit: per quam stamus, quomodo nonnulli verterunt. Ita dictum 2. Cor. 1. *Nam fide statis.* Verumtamen contextus magis exigit ut ad gratiam referatur: In qua gratia, inquit, stamus, id est, manemus, persistimus: in qua, id est, de qua etiam gloriamur, sub spe & certa exspectatione futuræ gloriæ, quæ præparata est; & per hanc gratiam præstanda filiis Dei adoptivis.

Quidam hanc partem *& gloriamur in spe*, &c. retrahentes à præcedenti, sic exponunt: & gloriamur de spe futuræ gloriæ, id est, de ea re sperata; sicut mox sequitur, *gloriamur in tribulationibus*, id est, de tribulationibus. At minùs rectè. Nam quod benè animadvertit Toletus, in Græco diversæ sunt præpositiones ἐν & ὅτι, quarum prior servit significando gloriationis objecto seu materiæ, non posterior. Unde & in parte sequenti, *Gloriamur in tribulationibus*, non est ὅτι & ἐν. Sciendum quoque est genitivum *filiorum* non esse in Græco, nec in Syriaco, neque à Græcis tractatoribus exponi. Sed & commentator Amb. & Cyprianus *lib. de exhort. martirij cap. 9.* prætermittunt. Sic enim habet Cyprianus: *Gloriamur in spe claritatis Dei.* Cujus tamen lectionis sensus à priori non variat. Nam gloria Dei filiis ejus adoptivis communicatur.

3. NON SOLUM AUTEM. Ellipsis Paulo frequens; pro eo quod diceret; Nec id solùm. Non solùm, inquit, gloriamur de eo quod dixi, id est, de gratia ista.

Locus moralis ad cõmendandã patientiam.

SED ET GLORIAMUR IN TRIBULATIONIBUS. Id est, de afflictionibus, pressuris ac persecutionibus quas propter hanc gratiam, id est, quia Christiani sumus, patimur. Gloriamur, inquam, de iis secundùm spiritum, tanquam de magno bono: licet infirma caro doleat. Sic Apostoli Act. 5. *ibant gaudentes à conspectu cõcilii, quòd digni habiti essent pro nomine Iesu cõtumeliam pati.* Hinc & Jacobus admonet c. 1. dicens: *Omne gaudium existimate, cùm in tentationes*, id est, tribulationes, *varias incideritis.* Nã tribulationes summoperè confirmant spẽ electorũ, quam habent de gloria futuri sæculi. Probat hoc Paulus subjũcta gradatione.

SCIENTES QUOD TRIBULATIO PATIENTIAM OPERATUR;

4. PATIENTIA AUTEM PROBATIONEM, PROBATIO VERO SPEM. In hoc loco eloquentiam Pauli sapientiæ comitem miniméque affectatam, observavit Augustinus *lib. 4. de doct. Christ. cap. 7.* Partem hanc Tertullianus in Scorpiaco cap. 13. ita reddit: *Certi quòd pressura tolerantiam perficit, tolerantia verò probationem*, &c. Hilarius quoque locum hunc citans, perficit, pro *operatur*, legit in enarratione Psal. 138. Siquidem in Græco compositum est verbum κατεργάζεται, quod intendere videtur significatum simplicis. Verùm constat usurpari sæpè pro simplici, ut observare est hujus epistolæ c. 7. & alibi. Quocirca noster interpres benè reddidit, *operatur.* Erasmus & alii, *parit, gignit. Tribulatio patientiam operatur*, quia nobis proficit ad patientiam. Est enim nobis materies & occasio patientiæ exercendæ, atque etiam augendæ. Patientia probationem operatur, quia reddit eum qui affligitur, probatum & exploratum, ut cognoscat quanti Deum & cœlestia faciat, simulque eum magis ac magis repurgat ab affectibus vitiosis. Unde passim in Psalmis & alibi dicuntur justi velut aurum à Deo probari per tolerantiam afflictionum. Probatio verò spem gignit, excitando eum & augendo. Qui enim jam expertus est se nullis adversis à justitia & veritate fidei dimotum esse, etiam si variè tentatus sit; mirum in modum erigitur animo in spem gloriæ cœlestis.

Observa cõtra sectarios spem niti

Ex hoc loco discе contra sectarios spem nostram & fiduciam non ita niti solis divinis promissionibus, ut non etiam fatendum sit eam inniti testimonio bonorum operum, quæ Deus dederit. Unde idem Apostolus 2. Cor. 1. *Gloria nostra*, inquit, *hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Movere potest lectorem, quòd secundum membrum hujus gradationis Apostolus Jacobus, cap. 1. invertere videtur. Dicit enim: *Scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur.* Sed quomodo non pugnent hæc duo, quia breviter dici non potest, in ejus loci commentario declarabitur,

& promissione divina, & bonis operibus.

5. SPES AUTEM NON CONFUNDIT. Græcè καταισχύνει, id est, *pudefacit, pudore afficit:* quod vulgatus interpres more sui sæculi, etsi parùm Latinè, passim vocat confundere. *Sensus*: Spes verò ad eum modum excitata & aucta, sperantem non pudefaciet, non fallet, non frustrabitur ille spe sua. Nam præter hoc quòd spes ex parte Dei promittentis cujus verbo nititur, prorsus est infallibilis; etiam pignora quæ jam prærogavit, mirificè fiduciam excitant in homine consequendæ hæreditatis. Quam rem urget Apostolus hoc loco. In Scripturis frustratio spei vocatur confusio, id est, pudefactio; quia qui frustrantur exspectatione, solent pudefieri ac rubore suffundi.

Quæ spes non confundat: & quo sensu.

Porrò quamvis sermonem hîc esse constet de spe justificatorum: tamen & spes hominis adhuc peccatoris, dum Evangelio credens expectat vitam æternam ex operibus bonis, quæ per Dei gratiam se facturum sperat, non eum confundet. Sed confundet, & frustrabit seipsum, si bona opera negligat exercere: cùm alioqui teneat certissimam Christi promissionem, *Hoc fac, & vives.* Luc. 10. Verùm potiori ratione spes justorum præsertim electorum, in quorum maximè persona Paulus loquitur, non confundit. De qua Ecclesiasticus cap. 2. *Nullus speravit in Domino & confusus est.* Nam sequitur: *Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est?* Denique spem charitate firmatam intelligi, docet probatio sequens.

QUIA CHARITAS DEI DIFFUSA EST IN CORDIBUS NOSTRIS PER SPIRITUM SANCTUM QUI DATUS EST NOBIS. *Diffusa est.* Græcè ἐκκέχυται *effusa est.* Cyprianus legit *infusa*, sensu non diverso. Potest autem intelligi vel charitas Dei erga nos, vel ea qua nos Deum diligimus, id est, vel Dei diligentis, vel Dei dilecti. Nam utroque modo charitas Dei in Scripturis accipitur.

Charitas Dei bifariã accipitur in scripturis.

Priori quidem modo, hujus epistolæ c. 8. juxta meliorem intellectũ: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Et iterùm: *Nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei.* Item 2. Cor. 5. *Charitas Christi urget nos.* Et manifestiùs in fine ejusdem epistolæ, *Charitas Dei sit cum omnibus vobis.* Item Ephes. 3. *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi*, & 1. Joan. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniã ille animã suam pro nobis posuit*, & iterùm cap. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum*, &c.

Posterioris exempla sunt Lucæ 11. *Præteritis judicium & charitatem Dei.* Joan. 5. *Dilectionem Dei non habetis in vobis.* 2. Thess. 3. *Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei.* 1. Joan. 3. *Qui viderit fratrẽ suũ necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* & c. 5. *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Et in eadem epistola sæpiùs.

Jam priori modo si charitas Dei hîc accipiatur, *sensus* & connexio erit hujusmodi; Quod dixi spem nos non confundere, patet utique ex charitate, quam Deus nobis copiosè exhibuit, effundendo in nos Spiritum sanctum, tamquam pignus hæreditatis promissæ, per multiplicia dona quæ nobis impertivit. Nam ex acceptis confirmamur de futuris. Hunc sensum probabilem faciunt quæ sequuntur de Dei & Christi erga nos dilectione; ubi etiam apertè charitas Dei qua nos diligit, nominatur illis verbis: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis.*

Si posteriori modo accipiatur, erit hic *sensus*: Spes nostra non fallit nos, quia charitas quæ præstat ut Deum diligamus, & diligendo bona promissa assequamur, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum

talis & glorioſa ; tamquam dicat Apoſtolus : Si nos inimicos reconciliavit Patri Chriſtus patiens & moriens : quantò magis reconciliatos ſalvabit vivens & regnans ? Porrò tota hæc Apoſtoli argumentatio eò potiſſimùm tendit, ut doceat ſpem electorum qui jam juſtificati & probati ſint, non confundere.

11. NON SOLUM AUTEM. Quidam ſupplent ex eo quod longiùs anteceſſit, *gloriamur in tribulationibus;* alij de proximo verbum *ſalvi erimus*: alij participium *reconciliati ;* quod tertium maximè congruit ſequentibus, ut patebit.

SED ET GLORIAMUR IN DEO PER DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM, PER QUEM NUNC RECONCILIATIONEM ACCEPIMUS. *Gloriamur* Græcè καυχώμενοι *gloriantes*, ut participium participio reſpondeat : non ſolùm reconciliati, ſed & gloriantes. *Senſus* enim eſt: Quantò magis ſalvi erimus, qui non ſolùm (quod jam dixi) reconciliati ſumus Deo, ut peccata noſtra non puniat ; ſed etiam gloriamur in Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cujus beneficio ac merito nunc reconciliationē accepimus; gloriamur, inquam, in Deo, vel ut patre, cujus filij facti ſumus adoptione per gratiam reconciliationis ; vel ut omnis noſtræ juſtitiæ, reconciliationis & renovationis authore. Sic enim in Deo gloriandum eſſe paſſim docet & hortatur Apoſtolus.

12. PROPTEREA SICUT PER UNUM HOMINEM PECCATUM IN HUNC MUNDUM INTRAVIT. Græcè & Syriacè *in mundum intravit*. Pergit oſtendere magnitudinem charitatis Chriſti erga homines. Id nunc facit repetens rem ipſam ab altiori principio, nempe ex eo quòd humanum genus in peccatum & mortem tranſgreſſione primi parentis delapſum fuit : unde factum ut Chriſto indigeret reparatore ad juſtitiam & vitam. Igitur hîc jam nobis aperit & exponit originalem cauſam corruptionis humani generis. Illud *propterea*, Græcè διὰ τοῦτο *propter hoc*, vim habere videtur voculæ cauſalis, ac ſi diceret : Nam ſicut per unum hominem &c. ut ſit confirmatio ejus quod proximè dixit : *Per quem*, Chriſtum, *reconciliationem accepimus*. Id enim probat : quia ſicut per Adam ſumus in peccatum lapſi, ita per Chriſtum ad juſtitiam reducti.

Porrò ſententiam hanc adjunctis verbis ſequentibus in ſeipſa completam eſſe, quidam volunt ; reddentes eam ad hunc modum : ſicut per unum hominē peccatum intravit in mundum; ſic & per peccatum mors, &c. ut ſit comparatio ingreſſus peccati per unum hominem cum ingreſſu mortis per peccatum. Qualis eſt locutio quùm dicimus in oratione dominica: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra*, id eſt, ſic & in terra. Suggerit hanc complementi rationem Eraſmus, & probat Gaignæus.

Aliter Stapulenſis. Vult enim particulam & ſecundo loco ſuperfluam eſſe, dicitque in nonnullis Græcis non haberi. Proinde ſic vertit : *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors : ita in omnes homines mors pertranſiit.*

Verùm ea Græci cujuſpiam exemplaris lectio nec à R. Stephano eſt annotata, nec alium legi qui meminerit. Deinde nec mihi probabiles ſunt hæ conſtructiones : quia neutra comparatio facit ad præſens inſtitutum. Nam ut dictum eſt, & ex ſequentibus patet, intendit Apoſtolus comparare primum hominem cum ſecundo, id eſt, Adam cum Chriſto, ſcilicet ea comparatione quæ fit per antitheſim, ut ſi dicas: Sicut Adam nocuit humano generi, ita Chriſtus profuit.

Quapropter alij cenſent orationem eſſe inabſolutam, ut qui deſit altera pars comparationis, hoc aut ſimili modo ſupplenda : Sicut per unum hominem peccatum, & per peccatum mors intravit in mundum; ſic per unum hominem, videlicet Chriſtum, juſtitia, & per juſtitiam vita in mundum intravit.

At verò Cajetanus negat textum eſſe mancum ſed ſententiam hanc totam dicit eſſe ſuſpenſam, ita ut alterum membrū comparationis intercedente longo hyperbato, differatur uſque ad eum locum : *Igitur ſicut per unius delictum*, &c. Illic enim priori membro de Adam reſumpto, redditur alterum de Chriſto. Quamquam id ante Cajetanum etiam Auguſtinus obſervavit & admonuit in *expoſitione propoſitionis*. 29.

Quod ad intellectum præſentis loci attinet, Pelagius in ſuo commentario, & ſequaces ejus, quo originale peccatum excluderent, interpretati ſunt peccatum in mundum intraſſe per unum hominem forma & exemplo ; quia primum hominem peccantem poſteri ejus peccando ſecuti ſunt, & exemplum ejus velut formā propoſitam imitati. Idipſum ſatis apertè docet Theodoritus in commen. hujus loci, ita demum ſubjungens: *Non enim propter primi parentis peccatum, ſed propter ſuum unuſquiſque decretum ſuſcipit.* Quod & repetit in dialogo 3. qui dicitur impatibilis. Ac nimis temerè etiam Eraſmus in ejuſmodi ſenſum propendet, tam in paraphraſi quàm in annotationibus, Origenem, ut apparet authorem ſecutus. Quamvis enim Origenes in ſuo cōmentario varius eſt & lubricus, potiſſimum tamen immoratur in explicanda & exaggeranda peccati imitatione, & de ea accuſat omnes antiqui ſæculi juſtos, ab Abel uſque ad Abraham.

Hæreſis Pelagij negantis originale peccatum.

Verùm S. Auguſtinus adverſus Pelagios diſputans contendit ac multis rationibus oſtendit, hunc locum non recipere aliam interpretationem, quàm de ingreſſu peccati per propagationem ; nec niſi abſurdè de imitatione poſſe accipi. *Primum.* quia Paulus primum hominem opponit Chriſto: Sic enim per primum hominem peccatum, ſicut per Chriſtum juſtitia. Non eſt autem per Chriſtum juſtitia propter ſolam imitationem : Nam & antiqui qui Chriſtum præceſſerunt, ideòque eum imitari non potuerunt, juſtificati ſunt per Chriſtum : & juſtitia Chriſti contingit etiam parvulos, qui omninò non poſſunt imitari. Quare nec per primum hominem peccatum propter imitationem. Sed ſicut Chriſtus occulta inſpiratione gratiæ nos juſtos facit ; ita & Adam occulta tabificatione naturæ nos conſtituit peccatores.

Commentarius de imitatione refellitur.

Quod ſi de imitatione ſermo erat Apoſtolo, non Chriſtum, ſed Abel vel Enoch vel alium quempiam ex antiquis juſtis potius Adamo debuiſſe opponere ; quem ſcilicet omnium ſæculorum homines juſtè vivendo poſſent imitari. Quamquam imitari non dicitur, quiſquis agit aliquid, quale alius prior fecit: Nam propriè nullus imitatur quod non cognovit, etiamſi id alius prior fecerit. Sed imitari dicitur ille ; qui factum alterius cognitum, ſibi pro exemplo ſtatuit & proponit, ut ſimile faciat. Atqui plurimi ſunt & fuerunt graviſſimi peccatores, qui de peccato primi hominis nihil audierunt ; Qui proinde etſi peccando ſimiles ei fiant, non tamen ab eo peccandi formam & exemplum accipiunt, quomodo Pelagius loquitur. Unde nec eum imitari dicendi ſunt; niſi fortè quadam imperfecta ratione : quatenus ille peccando præceſſit, iſti ſecuti ſunt.

Verùm ſi de hujuſmodi imitatione hic ſermo eſſet ; potius dicendum erat per diabolum peccatum intraſſe in mundum, quia ille omnium primus peccavit. *Ab initio enim diabolus peccat* 1. Joan. 3. ac de eo ſcriptum eſt, *Imitantur illum qui ſunt ex parte ejus.* Sap. 2. *Deinde*, ſicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, ita & mors: atqui ingreſſus mortis intelligi non poteſt per imitationem : ergo nec ingreſſus peccati. *Poſtremò* ſi imitationem Apoſtolus intelligeret; non diceret in conſequentibus : *Judicium ex uno in condemnationem*, ſed ex multis : quomodo dixit, *Gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.* Has ferè rationes adverſus iſtum Pelagij de imitatione commentarium adducit Auguſtinus variis locis ; *ut libro 1. de baptiſ. parvul. cap. 8. 9. 10. libro 4. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 4. ſerm. 14. de verbis Apoſt.*

& epiſtola 89. ad Hilar. nec non aliis à venerabili Beda diligenter collectis.

Ex quibus ſimul efficitur non niſi de propagatione peccati poſſe locum hunc intelligi, quemadmodum Auguſtinus concludit. Ac ne dubitemus veram hanc eſſe interpretationem, jam Auguſtini tempore definitum eſt à patribus concilii Milevitani can. 2. non aliter intelligendum eſſe quod dicit Apoſtolus, *Per unum hominum*, &c. quam de peccati originalis traductione; *quemadmodum*, inquiunt, *Eccleſia catholica ubique diffuſa ſemper intellexit.* Quem canonem iiſdem verbis repetivit ſynodus Tridentina *ſeſſ. 5. can. 4.*

Commentarius de propagatione peccati probatus ac definitus ab Eccleſia.

Nunc igitur ad explicationem verborum Apoſtoli veniamus. Ubi primùm refellendi ſunt, qui unum hominem in his verbis non Adam intellexerunt, ſed Hevam; quod hæc prior illo, atque omnium hominum prima peccaverit. Ita namque ſentiunt Pſeudambroſius & Pelagius. Sed manifeſtis argumentis redarguuntur. *Primùm*, quia Paulus in ſequentibus exponit quem unum hominem dixerit, Adamum ſemel & iterùm ſuo nomine exprimens. *Deinde*, quia Pauli intentio eſt, hunc hominem de quo loquitur, per antitheſim comparare cum Chriſto, id eſt, primum hominem cum ſecundo. Id enim facit tam hoc capite in iis quæ ſequuntur, quàm *in 1. Epiſt. ad Cor. 15.* Hoc autem in Evam minimè quadrat. *Adde* quod etſi in ſententiis generalibus ſæpè maſculinum genus complectatur fœmininum: tamen neque lex grammatica permittit, neque mos habet Scripturæ, ut fœmina, ſi de ea ſingulariter ſermo ſit, ſignificetur genere maſculino.

Per unum hominem non Heva ſed Adam ſignificatur.

Quæſtio.

Sed jam quæritur quomodo dicat Apoſtolus per unum hominem, id eſt, Adamum; cùm etiam per Hevam quæ prior peccavit, peccatum & mors ingreſſa fuerint in mundum. Hæc enim multorum Patrum ſententia eſt, eadèmque Scripturis conſona, ut Eccleſiaſtici 25. *A muliere initium factum eſt peccati; & per illam omnes morimur.* Et Pſal. 50. *In peccatis concepit me mater mea.* Unde & propter corruptionem naturæ filii Evæ vocamur.

Peccatum originale etiam per mulierem.

Reſponſio.

Reſpondetur id nihil obſtare: quominùs *per unum hominem* verè dictum ſit. Nam vir in generatione principalior eſt: & quamvis mulieris ad generandum egeat conſortio, cum ea tamen eſt una caro: ſicut ſcriptum eſt, *Erunt duo in carne una*, Gen. 2. Sic quippe & de poſteris Abrahæ dicit Apoſtolus Heb. 11. *Propter quod & ab uno*, ſcilicet, Abraham, *orti ſunt.* Quo tamen loco conſtat Saram, *quæ virtutem in conceptione ſeminis accepit*, non excludi. Cum ergo dicitur, *per unum hominem*, etſi Heva nec ſignificatur nec comprehenditur, non tamen excluditur. Significatur enim unus homo, ut eſt principium generationis; quod eſſe non potuit abſque muliere. Qua de re S. Auguſtinus in altero opere cõtra Julianum citante Beda: *Ideò per unum hominem*, inquit, *peccatum intravit in mundum, quia per ſemen generationis intravit, quod à viro incipiens concipit fœmina. Quo more naſci noluit, qui ſolus ſine peccato eſt natus ex fœmina.* Vide eumdem Aug. *lib. 1. de baptiſmo parvul. cap. 18.* & Hugonẽ *quæſt.* 132.

Sed nunc ſenſum Apoſtoli dicamus. *Sicut*, inquit, *per unum hominem*, ſcilicet Adamum qui erat totius humani generis parens ac principium à Deo conſtitutus, *peccatum in mundum*, id eſt, in univerſum genus humanum, *intravit* propagatione; quia nimirum ille unus & primus homo, prævaricando Dei mandatum, totam ſuam poſteritatem peccato reddidit obnoxiam, atque in ſe tamquam in radice vitiavit.

Mundi nomine quid ſignificetur.

Mundum exponimus univerſum genus humanum, id eſt, omnes homines ex Adam carnaliter propagatos. Sic enim Apoſtolus ſeipſum exponit, quum ſtatim ſubjicit; *Et ita in omnes homines mors pertranſiit.* Eadem eſt interpretatio B. Auguſtini in *Enchiridio cap. 26.* & aliis locis innumeris: denique omnium Patrum orthodoxorum. Quod enim Origenes mundum interpretatur locum in quo habitant homines, vel terrenam hanc & corporalem vitam, minùs quadrat cum ſententia Pauli.

Peccatum accipitur generaliter, ſed propriè tamen; ut ſignificet id omne quod veram culpæ rationem habet, ſive ſit actuale, ſive habituale, ſive quid aliud: ſed hîc verificatio fit de peccato quod propagatur, id eſt, de peccato originali. Hoc autem non eſt ipſa actualis Adæ tranſgreſſio, quæ non niſi in illo eſſe potuit, & in eo deleta fuit per pœnitentiam; ſed peccatum in quo & cum quo ſinguli ejus poſteri naſcuntur. Quod etſi *Adæ peccatum* ſit, id eſt, ejus voluntate factum, ideóque & *origine unum*: *propagatione* tamen *tranſfuſum omnibus ineſt, unicuique proprium*; quemadmodum loquitur ac definit Tridentina ſynodus *can. 3.* Unde & Auguſtinus libro 1. retract. cap. 13. *Illud*, inquit, *quod in parvulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non utantur libero arbitrio voluntatis, non abſurdè vocatur etiam voluntarium: quia ex primi hominis mala voluntate contractum, factum eſt quodam modo hereditarium.* Hæc Auguſtinus.

Peccatum originale quodnam ſit.

Utrùm autem illud peccatum ſit concupiſcentia cum quo naſcimur, ut ſentit paſſim Auguſtinus, & eum ſecutus Petrus Lombardus, aliique docti; an originalis juſtitiæ privatio, ut vult Anſelmus, quem multi ſequuntur ſcholaſtici; an verò quid aliud, diſputatur à Theologis, & à nobis diſputatum eſt *in 2. lib. ſent. diſt. 30.* Certè Tridentina ſynodus etſi quæſtionem hanc non definiverit; in eo tamen quod docet *can. 5.* concupiſcentiam in renatis non eſſe peccatum, facit intelligi eam in non renatis eſſe peccatum, nec aliud quàm originale.

An concupiſcentia, an orig. juſtitiæ privatio.

Jam quòd hoc loco peccati nomine, neque pœna peccati, neque reatus peccati, id eſt, obligatio ad pœnam ex peccato orta, ut quidam putarunt, ſed verum peccatum intelligatur; certò liquet, vel ex ipſis Apoſtoli verbis, quibus diſtinguit peccatum & mortem, quæ pœna peccati eſt; ipſúmque peccatum juſtitiæ Chriſti opponit: *Deinde* ex Arauſicani concilij *can. 2.* cujus verba repetit ſynodus Tridentina *ſeſſ. 5. can. 2.* quo definitur Adam ſua tranſgreſſione non tantùm mortem & pœnas corporis in humanum genus transfudiſſe, ſed & peccatum quod mors eſt animæ. Ac *poſtremò* ex ejuſdem *ſeſſ. can. 5.* quo aſſeritur ac definitur, baptiſmate tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet. Hinc enim manifeſtè ſequitur peccatum originale, quodcumque demùm illud ſit, priuſquam baptiſmate tollatur, veram & propriam peccati rationem habere. Quam eamdem doctrinam multis locis apud S. Auguſtinum explicatam reperies.

Veram habet peccati rationem.

Et per peccatum mors. Scilicet intravit in mundum. Mortem corporis, intelligit: non quidem primi hominis, ut nonnulli volunt, ſed mortem corporis in genere, cujus cauſa fuit in primo homine; quemadmodum & de peccato dictum eſt. Dicitur enim mors' in mundum intraſſe per peccatum, quia peccato in mundum introducto ſimul & mors introducta eſt in mundum, id eſt, in genus humanum, infligente eam juſto judice Deo, qui dixerat: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2.

Nota locum de effectu maliſque peccati.

Mors peccati originalis pœna.

Quidam mortem exponunt mortalitatem, id eſt, moriendi neceſſitatem. Sed nulla eſt hujus expoſitionis neceſſitas, cùm ſimpliciter ipſa mors poſſit intelligi, ut & in ſequentibus uſque ad finem hujus capitis. Sub ea tamen & mortalitas & aliæ communes corporis miſeriæ ſimul comprehenduntur. Sicut enim Adam per peccatum non ſolùm ſecundùm animam, ſed etiam ſecundùm corpus in deterius mutatus eſt; ita in omnes poſteros eamdem utramque corruptionem tranſmiſit. Quod totum contra Pelagianos jam olim definitum exſtat in concilio Arauſicano *can. 1. & 2.* & pridem repetitum in concilio Trid. *ſeſſ. 5. can. 1. & 2.*

Contraria Pelagij ſententia damnata.

De Pelagij ſententia docet ipſius commentarius:

ſanctum qui nobis in ſanctificationem datus eſt: ac ſi dicat; Qui jam dedit nobis charitatem per quam mereamur bona promiſſa; certiſſimè etiam daturus eſt in charitate perſeverantibus, id eſt, electis ſuis, ipſa bona quæ promiſit.

Prior expoſitio eſt apud Chryſoſtomum & Theophylactum: quos ſequuntur Cajetanus & F. Toletus.

Poſteriorem tradit imprimis Auguſtinus cùm alibi, tum apertiſſimè lib. de ſpiritu & littera cap. 32. ita ſcribens: *Charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris; non qua nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos: ſicut dicitur juſtitia Dei, qua nos juſti ejus munere efficimur, & Domini ſalus qua nos ſalvos facit.* Hanc eãdem expoſitionẽ videre eſt apud Primaſium & Hervæum, alioſque Latinos: à quibus nec Theodoritus diſſentit, dum charitatem hanc interpretatur Spiritus ſancti gratiam, quam per baptiſmum accepimus.

Porrò alij utrámque expoſitionem in medium adferunt: primùm Origenes (cujus verba Sedulius quoque in ſua collectanea compegit) tametſi is priorem expoſitionem potiùs probare videtur. Deinde gloſſa ordinaria, P. Lombardus, ac B. Pererius: qui quidem ſingulari opinione cenſet utrumque ſenſum eſſe literalem hujus loci. Nonnulli verò ambiguè loquuntur, nec mentem ſatis explicant, ut commentator Amb. Primaſius & Oecumenius.

At demùm poſteriori intellectui favere videtur id quod in ſynodo Tridentin. *ſeſſ. 6. cap. 7.* dicitur, per Spiritum ſanctum diffundi charitatem in cordibus eorum qui juſtificantur, atque ipſis inhærere: quodque Theologi ex hoc loco Scripturæ, tam contra magiſtrum Sententiarum, quàm contra noſtri temporis hæreticos imputativæ juſtitiæ aſſertores, ſtatuunt habitum charitatis creatæ & inhærentis: quamvis & juxta alteram expoſitionem idipſum, ſaltem ex conſequenti ſtatui poteſt, ut oſtendit Cajetanus, & ante eum Origenes. Nam charitatis Dei in cordibus noſtris effuſio, ſecundùm effectus divinæ erga nos charitatis intelligi debet, id eſt, ſecundùm dona Spiritus ſancti nobis collata ac nobis inhærentia; quemadmodum ipſe Paulus exponit, quùm addit: *per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.*

Obſerva contra Sectarios ex hoc loco confirmari ſententiam orthodoxam de habitu charitatis inhærentis.

Charitas eſt habitus cordibus noſtris inhærens.

Unde fit conſequens in nobis eſſe & cordibus noſtris inhærere charitatem reciprocam erga Deum. Nã præcipuè dari nobis dicitur Spiritus ſanctus propter donum charitatis; quod & cæteris Spiritus ſancti chariſmatis excellentius eſt, ac maximè neceſſarium. 1. Cor. 13. Huc facit locus ſimilis apud Joan. Apoſtolum 1. epiſtolæ 3. ubi ſic ait: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij & nominemur & ſimus. Dedit*, id eſt, præſtitit, exhibuit; ut Dei charitas intelligatur qua nobis dedit eſſe filios Dei, quod non ſumus, niſi per donum charitatis erga Deũ reciprocæ.

Utraque charitatis Dei acceptio probabilis hoc loco.

Quæ cùm ita ſint: non exiſtimo pro ſenſu poſteriore contentioſiùs certandum eſſe. Satis ſit utrumque probabilem haberi. Cæterùm adverte non eſſe dictum accuſativo caſu, *diffuſa* vel *effuſa eſt* in corda noſtra, ſed in cordibus noſtris ablativo caſu, qui Græcis eſt dativus, ſicut in Pſam. 44. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Plus enim hoc caſu ſignificatum eſt quàm ſi accuſativo diceretur. Significatur enim, ut Grammaticè loquar, motus in loco, quo fiat ut charitas ſeſe fundat atque dilatet in cordibus hominum. Unde ait 2. Cor. 6. *Cor noſtrum dilatatum eſt.*

6. UT QUID ENIM CHRISTUS, CUM ADHUC INFIRMI ESSEMUS, SECUNDUM TEMPUS PRO IMPIIS MORTUUS EST? Græca ſine interrogatione legunt hoc modo: ἔτι γὰρ Χριστὸς ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν. *Adhuc enim Chriſtus exiſtentibus nobis infirmis*, Sed ordo eſt: Nam Chriſtus cùm adhuc nos infirmi eſſemus. Suſpicio eſt interpretem pro ἔτι legiſſe εἰς τί, id eſt, *ad aliquid* vel potius ἵνα τί, quod multis locis tam in pſalmis quàm in novo Teſtamento voculatim reddit, *ut quid.* Ac nihilominus ἔτι ab eo lectum fuiſſe ſaltem poſteriore loco, arguit ipſa verſio: *cùm adhuc*, &c. Cæterùm ſive interrogatione pericopen hanc legas, quomodo veteres Latinos legiſſe conſtat, ſive particula interrogationis remota, confirmatio eſt ſupradictorum effectuum & ornamentorum ex eo quòd pro nobis adhuc impiis mortuus fuit Chriſtus, ac ſi dicat: quantò magis jam ad ſe converſis & reconciliatis & amicis ſua beneficia cumulabit? Hoc enim argumentum inculcat in ſequentibus.

Illa pars, *ſecundùm tempus*, quamvis ad id quod præcedit, referatur à nonnullis, rectiùs tamen ſequentibus jungitur. Quod facit Hieronimus in epiſtola ad Algaſiam quæſtione 7. ubi locum hunc pertractat. Theophylactus item & Oecumnius in commentariis. Rectiùs inquam, quia Græcè non eſt χεῖρος, ſed καιρὸς, quæ vox ſignificat tempus opportunum ad aliquid agendum. Jam verò Scripturæ teſtantur non uno loco, Chriſtum definito, completo, & ut Hieronymus interpretatur, opportuno tempore veniſſe in carnem, & mortuum eſſe.

Senſus igitur eſt; Chriſti tantam erga nos fuiſſe charitatem, ut pro nobis quando adhuc eramus infirmi: hoc eſt, variis peccatorum languoribus detenti, & proinde etiam impij, id eſt injuſti & peccatores; mori non dubitaverit tempore à Patre conſtituto. Eſt autem hæc probatio conſequentiæ præcedentis, quæ talis erat: Tanta eſt Dei charitas erga nos, ut dederit nobis Spiritum ſanctum, quo ex inimicis facti ſumus amici; igitur non fruſtabit nos ſpe promiſſionis æternæ gloriæ. Sequelam probat, quia ſi cùm adhuc peccatores eſſemus, adeò nos dilexit Chriſtus, ut pro nobis mortem oppeteret: quantò magis nobis jam juſtificatis & amicis præſtabit cætera quæ promiſit? Hæc argumentatio ſtatim ab ipſo Paulo pluribus verbis explicatur.

Infirmitatis in Scripturis multiplex acceptio.

Quoniam autem infirmitatis vocabulum Græcè ἀσθένεια in epiſtolis Paulinis frequens eſt, & variæ ſignificationis; opere præcium putavi, & hoc loco opportunum, ſi de ea re paucis lectorem inſtruxero. Propriè quidem ſignificat ea vox adverſam corporis valetudinem, ut 1. Cor. 11. *Sunt inter vos multi infirmi.*

Verumtamen ad alios tum corporis tum animi, tum aliarum quoque rerum defectus multipliciter in Scripturis transfertur. Corporis quidem, ut quoties pro mortalitate & corruptibilitate ſumitur, velut 1. Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, ſurgent in virtute,* & 2. Cor. ultimo, *Crucifixus eſt Chriſtus ex infirmitate.* Item pro utilitate & contemptu, ut 2. Cor. 10. *Præſentia corporis infirma.*

Item pro afflictione & miſeria, quibus homines vulgò contemptibiles & viles effici ſolent. Sic Paulus afflictiones ſuas & perſecutiones in eadem epiſtola cap. 11. & 12. identidem infirmitates vocat. Et ſimili quadam ratione plagæ Ægyptiæ dictæ ſunt *infirmitates* Deut. 7. Quò pertinet & illud Eccleſiaſtæ 5. *Eſt & alia infirmitas peſſima*, id eſt, miſeria.

Quùm verò ad animum refertur, ſæpè quidem dolorem Hebræis ſignificat, propterea quòd animus dolore langueſcat, velut morbo, ut Hoſee 4. *Lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea*, id eſt, dolebit. Et Amos cap. 6. *Nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph*, Hebraicè, *non infirmabantur*, id eſt, non dolebant. Item Michææ 4. *Dole & ſatage filia Sion*, Hebraicè, *infirmare*, & 1. Machab. 1. *Juvenes & virgines infirmati ſunt*, id eſt doluerunt.

Aliàs autem præcipuum humanæ naturæ defectum ſeu corruptionem ſignificat, id eſt, peccatum, ut Pſ. 6. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum*, id eſt, peccator. Hæc ſignificatio præſentis eſt loci. Nam quos infirmos vocet ea parte, *cùm adhuc infirmus eſſemus*, mox repetendo declarat, ubi ait: *cùm adhuc peccatores eſſemus.* Nec alios indicare voluit Dominus ea ſententia qua dixit: *Non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus.*

Huic affine est cùm significat peccandi pronitatem, ut Math. 26. *Spiritus promptus est, caro infirma*, & apud Paulum in his sententiis priori loco: *Factus sum infirmis infirmus*, 1. Cor. 9. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2. Cor. 11. Sic ferè infirmitas Heb. 5. & 7. ubi eam Levitico sacerdoti asscribit, & cap. 4. ubi Christus describitur pontifex qui compati possit infirmitatibus nostris.

Peculiariter autem infirmi quibusdam locis Apostolo dicuntur Christiani, qui in fide nondum satis erant instructi & roborati, ut exempli gratia, qui cibis immolatitiis aut lege vetitis coinquinari se putabant. Loca sunt hujus *epist. c. 14. & 15. & 1. Cor. 8. & 9.*

Dicitur & ille infirmari, qui infirmis sese accommodat, ut in posteriori membro duarum sententiarum, quas paulò antè citavi. Denique transfertur ad res inanimatas, ut cùm legalia vocat Apostolus infirma & egena elementa, Gal. 4. Alibi hereditas & vitis infirmata dicitur, id est, afflicta & attenuata: Ps. 67. & Isaiæ 24. Sed hæc sufficiant. Nunc ad textum Apostoli redeamus.

7. VIX ENIM PRO JUSTO QUIS MORITUR. Collatione quod dixit amplificat. *Moritur*, Græcè ἀποθανεῖται *morietur*, id est, mori paratus sit. Hieronymus in epistola ad Algasiam, justum abstractivè justitiam, seu rem justam interpretatur: verùm simplicior & germanior Apostoli sensus est quem alij reddunt. Vix reperiri aliquem inter mortales, qui pro justo homine liberando velit se dare in mortem. Nam inter personas collationem facit, justum scilicet & impios.

Justus & bonus, an idem Apostolo.

NAM PRO BONO FORSITAN QUIS AUDEAT MORI. Græcè *quis etiam audet mori*. Inter justum & bonum distinguit commentator Amb. quod bonus natura quis dicatur, justus exercitio. Meliùs illi qui justum intelligunt reddentem cuique quod suum est; bonum verò qui beneficus sit, ac benè de multis meritus. Nam homines beneficiis affecti citiùs vitam exponunt periculo pro benefactoribus, quàm pro aliis quantumlibet justis. Itaque sensus hic probabilis est. Ac nisi discrimen aliquod indicare vellet Apostolus inter justum & bonum, quorsum mutaret vocabulum? Plerique tamen, fateor, non distinguunt, & sensum hunc faciunt; Dico vix reperiri qui pro justo moriatur; non simpliciter nego reperiri; quia forsitam reperiatur aliquis qui id faciat, id est, pro justo & bono homine etiam mori audeat, sustineat, in animum inducat. Sic enim verbum *audeat*, exponendum. Ostendit hic locus, salvo ordine charitatis aliũ pro alio rectè vitam impendere temporalem.

Hic locus à Marcione & Ario perversè expositus.

Obiter admoneo locum hunc ab antiquis hæreticis Marcione & Ario pravè intellectum fuisse, quemadmodum refert Hieronymus in epistola memorata. Nam Marcion justum intelligebat Deum legis & prophetarum, bonum verò Deum Evangeliorum & Apostolorum: & pro justo quidem dicebat vel nullos vel paucos oppetivisse mortem; pro bono autem Deo ejusque filio Christo innumerabiles martyres exstitisse. Arius verò justum referebat ad Christum qui constitutus est à Deo judex vivorum & mortuorum: bonum autem ad Deum patrem; de quo filius ipse confitetur: *Nemo bonus nisi unus Deus.* Quo nimirum commento significare volebat filium non esse bonum æquè ut patrem, sed participatione tantùm bonitatis paternæ. Verùm hæc ut hæretica sunt & impia; ita ab instituto & contextu sermonis Apostolici prorsus aliena, ut in iis refellendis non sit hærendum.

8. COMMENDAT AUTEM CHARITATEM SUAM DEUS IN NOBIS. Græcè *in nos*, id est, erga nos.

QUONIAM CUM ADHUC PECCATORES ESSEMUS, SECUNDUM TEMPUS CHRISTUS PRO NOBIS MORTUUS EST. Malè quidam codices *si* interposito legunt: *Quoniam si cum adhuc*, &c. tametsi ita legitur apud Cyprianum epistola 52. sed citantem hæc verba revulsa à superioribus, ut opus illi fuerit addere *si*, quemadmodum & Hilario enarranti Psalmum 55. Illud quoque *secundum tempus* huc ingestum videtur è loco superiore simili. Nam Græca, Syriaca, Latina potiora veteres concordantiæ non habent; ut nec Cyprianus nec Hilarius. Sed & Irenæus *lib. 3. adversus hæreses cap. 18. &* August. *lib. 4. de Trinit. cap. 1.* ac rursum *lib. 13. cap. 10.* versum hunc absque ea particula citant.

Est autem totius periodi sensus: Magna quidem charitas apud homines æstimatur, si quod rarissimum est, pro justo aut bono quis oppetat mortem. At Deus suam erga nos charitatem commendat ac testatam facit, atque humana charitate longè majorem ostendit in eo, quòd pro nobis injustis & peccatoribus Christum filium suum mori voluit. Utrùm hinc sequatur majoris esse meriti dilectionem inimicorum quàm amicorum; videat studiosus apud comment. magistri Sentent. lib. 3. dist. 30.

Utrùm majoris meriti dilectio inimicorum, quàm amicorum.

Porrò notandum est particulam *adhuc*, tam hoc loco quàm superiùs, ubi ait, *cùm adhuc infirmi essemus*, pertinere potiùs ad significandum statum cujusque hominis, quo remedium mortis Christi sit ei necessarium, quam ad certum aliquod tempus. Ut enim homines non uno tempore existunt, ita nec uno tempore sunt aut fuerunt infirmi & peccatores. Similis ratio de adverbio *nunc* in sequentibus.

9. MULTO IGITUR MAGIS NUNC JUSTIFICATI IN SANGUINE IPSIUS, SALVI ERIMUS AB IRA PER IPSUM. Salvi erimus, Græcè σωθησόμεθα, *salvabimur*. Hilarius legit *liberabimur*, in expositione Psalmi 2. Collectio est à minori. Si enim mortuus est Christus ut nos peccatores justificaret; ergo multò magis postquàm per ejus sanguinem, id est, passionem qua suum sanguinem profudit, justificati sumus, per ipsius ejusdem merita servabimur in extremo judicio ab ira divina, id est, vindicta & punitione in impios exercenda. De hac enim ira Dei jam suprà locutus *est cap. 1. 2. 3. &* 4. Quare sectarij dum ex hoc loco docere conantur homini per Christi sanguinem justificato nullam ampliùs restare luendam pœnam temporalem, nec in hoc sæculo, nec in futuro; planè detorquent Apostoli verba in alienum & parvum sensum. Porrò sequelam hanc confirmat periodus sequens.

Nota contra sectarios, malè hunc locum torqueri in sensum pravum.

10. SI ENIM CUM INIMICI ESSEMUS, RECONCILIATI SUMUS DEO PER MORTEM FILII EJUS; MULTO MAGIS RECONCILIATI, SALVI ERIMUS IN VITA IPSIUS. Salvi erimus, Græcè σωθησόμεθα, ut in parte præcedenti. Si enim, inquit, per mortem filij sui nos inimicos suos sibi reconciliavit; quantò magis in vita ejusdem filij sui nos jam reconciliatos & amicos salvaturus est? Extensio est superioris argumenti, duplicata antitheti, videlicet inter inimicos & reconciliatos, id est, amicos; & inter mortem filij Dei & vitam ejus.

Quæres, quomodo dicat Deo reconciliatos, quos semper & ab æterno dilexit? Responsio: Quia cùm priùs propter peccata essemus obnoxij iræ ejus, id est, digni in quos justam vindictam damnationis exerceret: per gratiam justificationis ab illo reatu liberavit, ac dignos fecit sui regni consortio. Hæc enim mutatio tota in nobis est, non in illo, qui immutabiliter ab æterno suis electis præparat ea gratiæ suæ beneficia quæ conferat eis in tempore.

Quæstio. Responsio.

Porrò quod dicit, *in vita ipsius*, alij aliter exponunt. Mihi sensus videtur: filio ipsius jam vivente, nec ampliùs morituro. Vel quod eodem redit: per filium ipsius jam viventem, &c. præsertim cùm ad dexteram ipsius sedens etiam interpellet pro nobis, ut dicitur infrà capit. 8. Quamvis enim illud *in vita* possit etiam verti *per vitam*, ut fecit Erasmus; diversis tamen præsuppositionibus usus est Apostolus dicendo, *per mortem*, & *in vita*; quia in priori precium significatur & meritum redimentis: in posteriori status ejusdem feliciter regnantis, ad quem per suam passionem & mortem evectus est, id est, vita immor-

ubi ne mortem corporis ex peccato ortam fateri cogatur, locum hunc de morte animæ vult intelligi, quam quiſque dum peccat incurrit. Sentit enim primum hominem ab initio mortalem factum fuiſſe, ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, ut loquitur, errorem illum condemnans, Milevitanum concilium *can.* 1. Etenim mortem corporis hîc intelligi debere contextus Apoſtolicus planiſſimè evincit. Idipſum oſtendit locus ſimilis. 1. Cor. 15. *Per hominem mors: per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Denique probat illa comminatio primo parenti facta de ligno vetito, Gen. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris,* videlicet ea morte, de qua poſteaquàm peccaverat, ei dicitur cap. 3. *Pulvis es & in pulverem reverteris.*

ET ITA IN OMNES HOMINES MORS PERTRANSIIT. Tamquam dicat: Et hæc eſt cauſa, (quia nimirum primus parens peccatum & mortem introduxit) quòd in omne genus humanum mors pervaſerit. Notandum eſt apud commentatorem Amb. & Sedulium tantummodò legi: *Sic & in omnes homines pertranſiit*, ut vel *mors* vel *peccatum* vel utrumque ſubaudiri poſſit. Eadem lectio eſt Auguſtini paſſim: quam & vidimus in M. S. codice pervetuſto monaſterii Laudenſis. Et quamvis Pelagius legiſſe videatur, *mors pertranſiit*, quemadmodum & Primaſius Pelagiani ſenſus hoc in loco corrector: alii tamen Pelagiani, quorum in codicibus dictio *mors* non exſtabat, ſubintelligi volebant non peccatum ſed mortem; ut refert Auguſtinus *lib.* 4. *contra duas epiſt. Pelag. c.* 4. ſimul inſinuans utrumque ſubintelligi poſſe. Quod & repetit in ſecundo opere ſcripto contra Julianum, citante Beda. Quamquam neceſſe non eſt etiam peccatum hîc intelligi: cùm peccati in omnes homines tranſitum tam præcedentia quàm ſequentia Apoſtoli verba, manifeſtè declarent. Sanè Græci codices & commentatores vulgatæ noſtræ lectionis conſtanter volunt.

An omnes morituri.

An autem hæc pars aliquam admittat exceptionem, in iis ſaltem quos extremi judicii dies occupabit viventes, quæri poſſet. Sed de eo vide ſuis locis, *ut* 1. *Cor.* 15. 2. *Cor.* 5. *&* 1. *Theſſ.* 4. Illud conſtat, mortalitatem & mortis debitum ad omnes omninò pertinere, quos Adam traxit in culpam.

IN QUO OMNES PECCAVERUNT. *In quo*, id eſt, in Adam, ut communiter intellexerunt Latini & Græci interpretes. Senſus autem eſt: In quo Adamo peccante omnes conſtituti ſunt peccatores. Sic enim ſeipſum Paulus exponere videtur, cùm infrà dicit, quòd *per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Non poteſt illud *in quo*, Græcè ἐφ' ᾧ referri ad peccatum, ut ſenſus ſit, in quo primi hominis peccato omnes peccaverunt; Qui ſenſus aliquando placuit Auguſtino. Repugnat enim genus apud Græcos; Nam ἁμαρτία fœminini generis eſt. Quod & Auguſtinus poſteà animadvertit, & ſententiam correxit *lib.* 4. *contra duas epiſt. Pelag. cap.* 4.

Quid ſit, omnes in Adam peccaſſe.

Dicitur autem omnes peccaſſe in Adam, tamquam in principio & radice totius generis, quoniam in lumbis ejus erant, quando ille peccabat. Unde S. Auguſtinus, *In quo*, inquit, *omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt.* Dicit hoc *libro* 1. *de baptiſ. parv. cap.* 10. & repetit *lib.* 3. *cap.* 7. Idem *lib.* 2. *de nupt. & conc. cap.* 5. *& in epiſt.* 106. *ad Paul.* Id verò ſic intellige: quia tunc quando ille propria voluntate peccavit, in quo tamquam in principio generis omnes erant, cauſa data eſt, per quam deinceps univerſum genus inficeretur, & ſinguli conſtituerentur peccatores, videlicet à ſuo quiſque peccato quod ex illa origine contraheret; quomodo ſi pater attaminatus lepra filios gignat leproſos, dicentur filii facti leproſi in patre; licet unuſquiſq; ſuam ex illo contrahat lepram: tametſi comparationem hanc non per omnia reſpondere, ſatis ex antedictis intelligi poteſt.

Porrò locum hunc Eraſmus ita vertit; *quatenus omnes peccaverunt*, quod & interpres Chryſoſtomi ſecutus eſt. Quæ verſio ita demum tolerari poteſt, ſi id non de actualibus peccatis per quæ homines primum hominem peccatorem imitari dicantur (qui commentarius jam antè excluſus eſt & reprobatus) ſed de originali peccato ſingulorum intelligatur: ut ſit ſenſus, mortem pervaſiſſe in omnes, ob eam rationem quia & peccatum in omnes tranſiit.

Aliorũ verſio examinatur.

Qui ſenſus Cajetano placuit: nec à Saſboldo rejicitur. Sciendum tamen nullos vetuſtos interpretes nec Latinos nec Græcos particulam illam *in quo*, per *quatenus* exponere: ſolum inter Latinos ſi demas Pelagium, ſicut ex ſupradictis ſatis apparet, haud longè recedentem. Pelagii hæc verba ſunt: *In quo omnes peccaverunt, hoc eſt, in eo quod omnes peccaverunt, exemplo Adæ peccant.*

Photius quidem Græcus ſimiliter interpretatus eſt, Oecumenio verba ejus referente. Ex quo Joannes Gaignæus eadem Græca deprompſit, & in hæc Latina convertit: *In hoc*, inquit, *ipſi Adam commorimur, quod ipſi compeccamus: & ille quidem initium dedit, nos verò inde ſumpta occaſione non modò malum non ſumus averſati, ſed adjutores etiam illi fuimus.* Ita Photius, à Gaignæo plus ſatis hac in parte laudatus: cùm ſit author recentior, idemque gravi ſchiſmate fuerit ab eccleſia Romana diviſus. Certè Oecumenius ſuis verbis ac ſenſu Apoſtolum ita exponit: *In quo Adam, vel per quem Adam, omnes peccaverunt.* Quod convenit cum expoſitione priùs allata. Nec minùs aperta ſunt verba Theophylacti: *In quo, id eſt, in Adam.* Qui duo authores etiam Chryſoſtomum, quem libenter ſequuntur (quamvis alioqui paulò obſcuriùs locutum) in eumdem ſenſum accepiſſe videntur.

Photius ſchiſmaticus.

Nec verò pro verſione Eraſmiana adeò multùm facit præpoſitio Græca, quam in hac phraſi qua dicitur ἐφ' ᾧ, cenſent eſſe cauſalem: ut ſit idem quod *quatenus, in quantum, qua ratione.* Cõſtat enim Apoſtolum Paulum *in epiſtolis*, & Lucam *in Actis* indifferenter uti interdum trib. hiſce præpoſitionibus ὅτι, ἐν & εἰς, pro una Latinâ præpoſitione *in*. Quod & aliàs annotavimus. Quamquam etiam hîc cauſa ſignificatur cum dicitur, *in quo* Adam. Certè paulo poſt, ubi nos legimus, *in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, Græcè eſt ὅτι τῷ ὁμοιώματι, *in ſimilitudine*, ſicut hîc, *in quo*; licèt aliàs dicere ſoleat ἐν ὁμοιώματι, ut ſuprà cap. 1. & infrà cap. 8. & ad Philip. 2. Sic Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti*, Græcè ὅτι τῷ ὀνόματι, quod paſſim dicitur ἐν τῷ ὀνόματι, & interdum εἰς τὸ ὄνομα, ut Matth. 10. & 28. Sic etiam Heb. 9. *in cibis & potibus*, ac rurſum: *Teſtamentum in mortuis confirmatum eſt.* Utrobique Græcè ὅτι. Quæ loca nec Eraſmus aliter vertit.

Jam etiam hîc quæri poteſt, utrum ſine exceptione verum ſit Apoſtoli dictum, *In quo omnes peccaverunt.* Ad quod breviter reſpondeo: Si ſcripturam ſacram, ſi totam eccleſiaſticæ traditionis antiquitatem conſulimus, nihil invenire quominus univerſè verum ſit, omnes omninò homines qui communi lege generationis, id eſt, per concubitum maris & fœminæ, & proinde ſecundùm concupiſcentiam carnalem ex Adam orti ſunt aut orituri, in Adam peccaſſe. Solum Chriſtum Deum & hominem, qui non ſic natus eſt, ſed nova ac ſingulari per virginem nativitate venit in mundum, ut quod in Adam cecidit, in ſuis electis ipſe erigeret ac reſtauraret, immunem ab illius contagio fuiſſe. Sic enim ille primus homo, quemadmodùm ait Auguſtinus Enchiridii cap. 26. *ſtirpem ſuam, quam peccando in ſe tamquã in radice viciaverat, pœna mortis & dãnatione obſtrinxit; ut quicquid prolis ex illo & ſimul damnata per quam peccaverat conjuge, per carnalẽ concupiſcentiam naſceretur, traheret originale peccatũ.* Unde ſcribit idem Auguſt. lib. 1. de nup. & concup.

cap. 12. propterea *Christum, qui sine peccato futurus erat, sine carnis concupiscentia concipi voluisse, ut hinc etiam doceret omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati: quandoquidem sola quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.*

Cùm autem hæc & plurima alia apud Augustinum, aliosq; sanctos Patres exstent testimonia, quibus non solùm exceptionem nullam faciant in hac quam tractamus, Apostoli Pauli sententia, verùm etiam exceptionem omnem apertis verbis excludant atque removeant; mihi certè, cui propositum est Sanctorum inhærere sensibus & doctrinis, exceptionem aliquam in ea facere, religio est: utcumque alii quidam, quos non indicamus, aliter hac de re sapiant.

Omnium actualium peccatorum fons & fomes in nobis originale peccatum.

13. USQUE AD LEGEM ENIM PECCATUM ERAT IN MUNDO. De peccato generaliter loquitur, ut etiam actualia comprehendat: quorum omnium fons & fomes est originale peccatum, sive ea sint transgressionis, sive non. Quocirca non est hîc sollicitus ut hoc peccatum ab actualibus secernat, à quibus utique in adultis separatum esse non potest. Igitur nunc ostendit Apostolus, postea quàm peccatum semel ingressus est in mundum, semper in mundo fuisse & regnasse, etiam ante legem, videlicet eam quæ data est per Moysen.

Nam qui legem hîc intelligunt naturalem, ut Origenes, & si quis alius, aberrant à mente Pauli. Planè enim liquet ex sequentibus, eum loqui de lege scripta atque Mosaïca: nec admittendum Origenis supplementum; usque ad legem peccatum fuisse mortuum in mundo, id est, usque ad ætatem ratione utentem, qua lex naturalis incipit innotescere, peccatum in pueris mortuum esse, sic ut eis imputari non possit. Audax enim & violenta est hæc additio. Quare de lege Mosaïca, quæ omnium ferè expositio est, Apostolum loqui non dubitemus.

Augustinus quidem sic exponit, *usque ad legem*, id est, etiam lege lata peccatum permansit. Neque enim lex profligare potuit peccatum è mundo; ut propterea alio remedio fuerit opus, quo peccatum tolleretur. Juxta quem sensum tacitè hîc indicatur necessitas petendæ & exspectandæ justitiæ à Christo.

Alii verò sic: Non solùm tempore legis, quando manifestata est transgressio, verùm etiam ab initio usque ad tempus quo lex data est, peccatum erat in mundo. Hic sensus simplicior est, & ad scopum Apostoli superiùs indicatum accommodatior. Denique ei probè respondet quod sequitur.

PECCATUM AUTEM NON IMPUTABATUR, CUM LEX NON ESSET: vel, ut habent codices MSS. non pauci, iidemque Græcis consentientes: *Peccatum autem non imputatur, cùm lex non est.* Connexio talis est: Erat quidem etiam ante legem peccatum in mundo; sed non imputabatur: quia ubi lex non est, peccatum non imputatur. Negat Apostolus sine lege peccatum imputari, non simpliciter; sic enim ante legem justi fuissent omnes, juxta illud: *Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum*; sed imputari ad transgressionem; quia sicut dictum est cap. superiori: *Vbi non est lex, nec prævaricatio.* Quo etiam loco expositum est, quid transgressionis seu prævaricationis nomine significetur. Negat, inquam, peccatum, ubi lex non est, imputari ad transgressionem. Cujus rei argumentum est, quod filii Israël, quamvis & in Ægypto & in deserto ante datam legem frequenter & graviter peccaverint, partim idola colendo, quod Scriptura testatur. *Ezech.* 23. & *Jos.* 24. partim murmurando contra Deum & Moysen: non tamen puniri leguntur aliqua pœna seu plaga manifesta. At verò statim post legem & legis comminationes publicatas, cùm primùm & quoties peccabant, ut in cultu vituli, aliisque modis; mox eos ultio divina consecuta est; secundùm illud capitis superioris. *Lex iram operatur.*

Peccata ante legem datâ non imputata.

Sed *quæres*: si non imputabatur peccatum ante legem, quomodo tam graviter à Deo punitum legitur, ut nunc mundum diluvio deleret, nunc Pentapolim incendio subverteret; Cain vagus & profugus esset super terram, Chanaan servituti fratrum subjectus, Her & Onan à Domino percussi? *Responsio* patet ex dictis. Nam puniti fuerunt hi omnes, non ob transgressionem legis alicujus à Deo positæ (neque enim data erat lex) sed propter violata jura naturæ peccatis tam magnis tamque manifestis, ut ultionem provocarent ejus qui author est naturæ. Responsio.

Porrò quidam sic interpretantur hanc partem; Ubi lex non est, peccatum non agnosci, nec reputari peccatum, scilicet à peccante, *Per legem enim cognitio peccati*, suprà cap. 3. Sed non videtur hic esse sensus Pauli, qui imputationem semper intelligit eam, quæ fit ab alio, ut patet imprimis ex capite præcedenti, deinde ex aliis locis, ut 2. Tim. 4. *Omnes me dereliquerunt, non illis imputetur.* Et ad Phile. *Si aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa.*

Jam quod nonnulli partem hanc ita supplent: Peccatum non imputabatur ad mortem, quando lex non erat: primùm mihi recedere videntur à consueta significatione verbi imputare in Scripturis, de qua *capite superiore*: quia peccatum vera æstimatione non est mors, licet mortem mereatur. Deinde constat non omnem pœnam transgressorum legis Mosaïcæ esse mortem: quibus tamen omnibus suum peccatum ex mente Pauli imputari dicitur, videlicet ad transgressionem, propter quam subjiciuntur pœnis à lege constitutis.

14. SED REGNAVIT MORS AB ADAM USQUE AD MOYSEN. Quamvis, inquit, ante legem peccatum non imputabatur, erat tamen in mundo & propter hoc mors ob peccatum invecta regnavit, id est, grassata est, tyrannidem exercuit in genus humanum, etiam toto eo tempore quod legem datam antecessit. Id enim est *Ab Adam usque ad Moysen.* Nam per peccatum mors, sive illud imputetur, sive non.

ETIAM IN EOS QUI NON PECCAVERUNT IN SIMILITUDINEM PRÆVARICATIONIS ADÆ. Græcè *in similitudine*, & ita scriptum habebatur in codice Laudensi. Sensus tamen idem est; ad similitudinem. Admonet Augustinus libro 1. de baptismo parvulorum cap. 11. & in epistola 89. ad Hilarium, quosdam Latinos codices absque negatione legere, *qui peccaverunt.* Atque eam lectionem interpretatur Ambros. commentator, ac veram esse contendit, asseverans Græcos codices in quibus negatio legitur apposita, vitiatos esse.

Sed & Origenes affirmantem lectionem multis verbis exponit; tametsi ad extremum fatetur, sive ipse, sive Ruffinus ejus interpres, in quibusdam exemplaribus negationem haberi. Quæ negativa lectio sine dubio verior & sincerior est. Nam affirmativæ reclamat particula copulans *etiam.* Quis enim sensus: *etiam in eos qui peccaverunt?* quasi potiùs regnare mors debuerit in eos qui non peccaverunt. Et tamen particulam *etiam* legit Origenes; licet & hanc supprimant Latini codices de quibus Augustinus, & inter hos Ambrosianus.

Verùm non ob aliud erasa fuit negatio, quàm quòd non intelligeretur quomodo mors regnaverit in eos qui non peccaverunt, maximè quia dictum erat paulò antè, in Adam omnes peccasse. Certè testatur Augustinus codices Græcos aut omnes aut penè omnes negationem habere. Chrysostomum quoque & cæteros expositores Græcos negationem legisse, docent eorum commentarii. Legit & Cyrillus *lib. 1. & 12. super Joan.* & his omnibus antiquior Irenæus *lib. 3. contra hæreses cap.* 20.

Quod ad Latinos attinet, negationem constanter legit Hieronymus, ut libro 3. dialogi contra Pelagianos sub finem, & in epitaphio Nepotiani, & in epistola ad Paulam super obitu Blesillæ. Denique Latini

commentatores, excepto pſeudambroſio de quo diximus, & Sedulio: qui tamen etiam negativæ lectionis meminit, eandémque exponit. Hodiè quidem in omnibus tam Latinis (quod Hieronymianæ correctioni acceptum refero) quàm Græcis habetur negatio, ſuffragante etiam textu Syriaco.

Quid peccare in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.

Porrò ea lectio duobus modis exponi poteſt. Aut enim *ſenſus* eſt mortem regnaſſe, non in eos tantùm qui propria voluntate peccaverunt, primo parenti qui præceptum Dei ſua voluntate tranſgreſſus eſt, ea in re ſimiles facti; verùm etiam infantes, qui non peccaverunt propriæ voluntatis actu, ſed tantùm ex Adam naſcendo peccatum contraxerunt. Hæc Auguſtini expoſitio eſt locis memoratis: Item Hieronymi *lib. dialogi* contra Pelagianos, & Latinorum poſteriorum.

Aut *ſenſus* eſt mortem regnaſſe etiam ante legem datam, & proinde in eos etiam qui non erant prævaricati legem aliquam ſibi à Deo poſitam; ſicut Adam fecerat, prævaricando præceptum ſibi datum à Deo: ſed ſolùm peccaverant in legem naturæ. Hic ſenſus quem Græcorum commentarij ſuggerunt (quem etiã adfert & probare videtur Auguſtinus propoſitione 29.) cum præcedentibus optimè quadrat, & omninò germanus apparet.

Ac ſanè videri poteſt Apoſtolus alluſiſſe ad locum Hoſee 6. qui ſic habet: *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum*, id eſt, non ex ignorantia peccaverunt, ut legem non habentes; ſed ſicut Adam prævaricatus eſt expreſſum pactum quod cum eo ſtatui in paradiſo; ſic & iſti legem quam eis per Moyſen dedi, tranſgreſſi ſunt colendo falſos Deos. Igitur ad eum modum dicit Apoſtolus mortem regnaſſe in eos qui legem non habebant, & per hoc non ſunt prævaricati inſtar Adæ; quomodo dixerat cap. 2. *Qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*; ut ſint eadem peccare ſine lege, & peccare non in ſimilitudinem prævaricationis Adæ; quemadmodum & è diverſo eadem ſunt peccare in legẽ, & peccare in ſimilitudinem prævaricationis Adæ. Non poſſe autem intelligi eos qui ſimpliciter non peccaverunt ullo modo manifeſtum eſt, quia jam dixerat: *In quo omnes peccaverunt*. Et in ſuperioribus: *Cauſati ſumus omnes ſub peccato eſſe*. Item; *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei*.

Unde improbabilis fit ea conſtructio hujus loci, quam adfert Chryſoſtomus, ita inquiens: *Quomodo regnavit? Ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam*. Cujus & Auguſtinus meminit propoſitione ſuprà dicta: etſi non probet. Si enim hæc pars per hyperbaton (ut aiunt quibus hæc ſententia probatur) ad verbum *regnavit* referatur, abſolutè ponetur illud, *in eos qui non peccaverunt*. Quod pugnat cum dictis; ut taceam de ſermone parùm cõmodo. Non enim aptè dicitur, mortem regnare ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam; ſicut homines ad eam ſimilitudinem peccare. Nam quod urgent Græcam præpoſitionem ἐπὶ qua dicunt cauſam denotari: jam aliâs docuimus has præpoſitiones ἐν & ἐπὶ promiſcuè ſubinde in ſcripturis uſurpari.

Qui est forma futuri. Qui Adam eſt forma, Græcè τύπος futuri, id eſt figuram gerit ejus qui venturus erat, ſcilicet Chriſti, quem alibi vocat noviſſimum Adam. 1. Corinth. 15. Sentit Apoſtolus Adam fuiſſe typum & figuram Chriſti per comparationem à contrario, ut Auguſtinus loquitur. Sunt enim Adam & Chriſtus velut duo principia mutuò oppoſita reſpectu hominum. Per Adam enim peccatum & mors intravit in mundum; per Chriſtum juſtitia & vita. Quæ res paulò pòſt pluribus declaratur. Poterat alioqui illud, τὸ μέλλοντος *futuri*, neutro genere accipi, id eſt, ejus quod futurum eſt: ſed ſenſu nihil ad præſens inſtitutum faciente.

Adam forma Chriſti, quo ſenſu.

Porrò commentarius Pelagij hoc loco totus Pelagianus eſt, omnia ad imitationem referens. Verba ejus ſunt: *Forma Chriſti Adam factus eſt. Sicut enim Adam primus mandatum Dei prævaricans, exemplum eſt legem Dei prævaricare volentibus: ſic & Chriſtus voluntatem Patris complens, exemplum eſt imitari eum cupientibus*. Sed hunc ſenſum, quem & in ſequentibus inculcat, ſatis ſuprà expugnavimus. Quoniam autem *hæc forma non ex omni parte conformis eſt*, ut ait Auguſtinus in 2. opere contra Julianum, ideò ſequitur.

15. Sed non sicut delictum, ita et donum. Subaudi verbum eſt, vel ſe habet, aut quid ejuſmodi. Oſtendit in comparatione jam dicta diſſimilitudinem eſſe, quod non omninò ſimiliter procedant hæc duo, peccatum Adæ, & dõnum ſeu gratia Chriſti, de quo ſuprà dixerat: *Per quem nunc reconciliationem accepimus*. Non ſimiliter, inquam, è contrario comparata, id eſt, peccatum Adæ in malum, & gratia Chriſti in bonum: quum hæc illo ſit multò potentior & efficacior.

Delictum hîc & in ſequentibus vocat quod ſuperiùs peccatum. Non enim diſtinguit in hac præſenti diſputatione inter ἁμαρτίαν peccatum, & παράπτωμα delictum. Quod vel inde patet. Nam infrà cùm dixiſſet legem ſubintraſſe ut abundaret τὸ παράπτωμα: idipſum ita reſumit: Ubi autem abundavit ἡ ἁμαρτία. Quod manifeſtum eſt argumentum promiſcuæ uſurpationis harum vocum. Quare ex hac voce παράπτωμα non benè colligit quidam, hîc non ſignificari delictum ſive peccatum Adæ, ſed delictum ſeu caſum totius generis. Nam certè peccatum unius Adæ ſignificari, palàm oſtendit quod ſequitur.

Delictum & peccatum Apoſtolo eadem.

Si enim unius delicto multi mortui sunt; multò magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu-Christi in plures abundavit. Probatio eſt dictæ diſſimilitudinis: quam proſequitur uſque ad illud: *Igitur ſicut per unius delictum*, &c. Docet autem donationem Chriſti cum noxa Adami comparatam præcellere, ſive conſiderentur chariſmata quæ dantur, ſive peccata quæ condonantur. Priorem modum hîc attendit, poſteriorem parte proximè ſequenti: ac poſtremò utràmque differentiam conjungit. Quæ analyſis eſt Auguſtini expoſitione propoſitionis 29. Quamquam aliis placet tertio loco repeti tantùm & explicari id quod primo dixit. *In gratia unius hominis*, Græcè *in gratia quæ eſt*, ſive *fuit*, *unius hominis*. Item, *in plures*, Græcè *in multos*; quemadmodum reliqua parte capitis eamdem vocem conſtanter vertit interpres: ut ne quem moveat hæc mutatio multorum in plures; quaſi plures per Chriſtum ſint ſalvati, quàm in Adam mortui; quum res contrario modo potiùs ſeſe habeat.

Plus valet gratia Chriſti in bonum, quàm delictum Adæ in malum.

Abutebantur autem hac lectione Pelagiani, dicentes ideò de gratia Chriſti Paulum dixiſſe quod in *plures abundavit*, quia protenditur etiam ad parvulos, qui peccatum Adæ imitari non potuerunt. Qua de re Auguſtinus hujus noſtræ lectionis ignarus, ita ſcribit in opere 2. contra Julianum verbis à Beda citatis: *Quod dixiſti, vigilanter inculcaſſe Apoſtolum: multò magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundabit; volens intelligi ideò plures dictos, quia pervenit gratia ejus ad parvulos, ad quos imitatio primi hominis non pertinet: aut mendoſus codex tibi mentitus eſt, aut ipſe mentiris, aut ab aliquo falſo ſive fallente, aut oblivione deceptus es. Non enim ait Apoſtolus, plures ſed multos. Græcum attende codicem, & invenies* πολλοὺς, *non* πλείους. *Dixit ergo multò magis abundaſſe gratiam in multos, non in magis multos, hoc eſt, non in plures, ſicut jam oſtendimus*. Hæc Auguſtinus.

Patet igitur Apoſtolum non hîc multitudinem eorum qui gratiæ Chriſti participes fiunt, urgere, ſed copiam beneficiorum Chriſti, quæ ſignificatur in eo quod dicit, *multò magis*.

Eſt igitur ſenſus: Nam per unius quidem hominis delictum ſeu tranſgreſſionem multi, id eſt, omnes ex eo propagati, mortem incurrunt: verùm multò magis

per gratiam unius hominis Jesu Christi, id est, propter ejus merita, Deus in multos, scilicet omnes electos, vel omnes ad Christum pertinentes, gratiæ suæ dona largiter effundit. Siquidem Adam suo delicto mortem invexit: at Christus per suam gratiam multa & magna Spiritus sancti dona, atque ipsam immortalitatem hominibus conciliat: adeóque plus gratiæ nobis restituit, quàm in Adam perdidimus, videlicet justitiæ perseverantiam & vitam æternam. Hæc enim Adam in paradiso non habuit.

Rursus ex hoc loco statuitur peccatum propagationis contra Pelagianos. Nam ut annotavit Augustinus, phrasis Scripturæ sacræ non patitur, ut dicamus Adam esse mortuum delicto diaboli, licet illud imitatus sit: sicut hîc unius Adæ delicto multi mortui dicuntur. Quare non de imitatione id intelligendum, sed de propagatione.

Quæstio. Responsio.

Sed *quæres* cur multos dixerit in priori parte, cùm dicere posset omnes. *Respondeo*, vel ideò quia de præterito loquebatur, ἀπέθανον *mortui fuerunt*; vel potiùs ut conformitas esset prioris membri cum posteriore. Sic infrà, utrósque nunc omnes dicit, nunc multos. Vide ibi commentarium.

16. ET NON SICUT PER UNUM PECCATUM, ITA ET DONUM. Græcè. *Et non sicut per unum qui peccavit, donum*, seu *donatio*. Consentiunt Latina quædam MSS. nec non textus Ambr. antiquioris editionis: quæ non *peccatum* legunt, *sed peccantem*: ut verisimile sit interpretem Latinum hoc modo vertisse. Est enim in Græco participium præteriti temporis, quo Latini carent. Augustinus quoque *lib. 1. de baptis. parv. cap. 12.* & *epist. 89.* & *propos.* 29. legit *peccantem*. Quibus locis etsi varient exemplaria, tamen etiam apud Bedam in collect. ex Augustini *libro de bapt. parv. peccantem* legitur. Ipse verò Beda textum Apostoli referens nunc *peccatorem*, nunc *peccantem* legit.

Porrò Syrus quidem hoc modo vertit: *Et non sicut delictum unius, ita donum*. Sed id fecit ut paraphrastes. Est igitur imperfectus sermo, maximè ut Græcè à Paulo scriptus; quem hoc modo supplere & exponere liceat: Neque enim sicut per unum hominem qui peccavit, mors venit in mundum; ita & donum Christi sese habet: ac si dicat; Non sicut ex unius hominis una transgressione mors introducta est; ita Christi gratia ab uno tantùm peccato, ejusque pœna liberat. Hunc sensum declarant verba sequentia.

NAM JUDICIUM QUIDEM EX UNO IN CONDEMNATIONEM, GRATIA AUTEM EX MULTIS DELICTIS IN JUSTIFICATIONEM. In Græco vocum alluso est, κρίμα, κατακείμα quæ Latinè reddi non potest. Illud, *ex uno*, vel intellige, delicto ut vult Augustinus, eò quòd sequatur, *ex multis delictis*, vel ex uno peccante. Hoc enim præcesserat. Quamquam sensus eodem recidit. Nam si intelligas, ex uno peccante, formaliter id accipiendum erit, id est, in quantum peccavit. *Condemnationem* verò, mortis dicit; quam in superioribus expressit: de qua etiam mox seipsum exponit.

Igitur *sensus est*: Nam judicium quidem Dei ex uno primi hominis peccato, vel quia unus ille homo peccavit, processit ad condemnationem mortis. Gratia verò Dei non ex uno delicto, sed ex multis eductos ac liberatos, justitia donat: quia non tantum remittit unum illud Adæ peccatum, sive ab eo commissum, sive ex eo contractum, quod singulis inest; sed insuper remittit multa peccata à posteris Adæ mala ipsorum voluntate superaddita. Hanc porrò dissimilitudinem comparationis inter Adam & Christum ampliùs adhuc illustrat Apostolus sequentibus verbis.

17. SI ENIM UNIUS DELICTO MORS REGNAVIT PER UNUM. Malè quidam codices, *Si enim in unius delicto*, scilicet addita præpositione *in*, quæ nec in Græcis est, nec in omnibus Latinis, & sensum impedit magis quàm adjuvat.

MULTO MAGIS ABUNDANTIAM GRATIÆ ET DONATIONIS ET JUSTITIÆ ACCIPIENTES, IN VITA REGNABUNT PER UNUM JESUM CHRISTUM. *Et donationis & justitiæ.* Græcè, *& doni justitiæ*, sine media conjunctione, nisi quòd in paucis legitur, *& donum justitiæ.* Cæterùm Augustinus tantùm legit *abundantiam gratiæ & justitiæ*, lib. 1. de baptismo parvulorum cap. 13. & sic à Beda citatur in collectaneis. Ita quoque legitur apud Irenæum lib. 3. cap. cap. 18.

Sensus periodi: Si per unum hominem, quatenus nimirum unus ille deliquit, & eo contagio posteros infecit, mors pervasit humanum genus; multò magis qui per Christum acceperint exuberantiam donorum quibus à peccatis justificati atque in justitia provecti fuerint, in æterna vita regnabunt per eundem unum hominem primo homini oppositum, scilicet Jesum Christum. Repetitio est prioris differentiæ: nisi quòd hîc jam expressiùs morti vitam opponit, eam scilicet quæ justitiæ per Christum acceptæ merces sit futura.

Ubi notandum est, cùm dixisset, *mors regnavit per unum*, non tamen eum è diverso dixisse, vitam regnaturam per unum Jesum Christum: sed dixit ipsos justificatos in vita regnaturos: tum quia jucundiùs sonat si dicantur ipsi homines regnaturi; quod quidem regnum etiam Scriptura justis promittit, Matth. 15. & alibi; tum quia sic loquendo voluit quamdam etiam dissimilitudinem innuere inter mortem & vitam, sicut fecerat inter delictum & donum. Nam mors ita regnat, ut perdat eos super quibus regnat: Vita autem sic regnabit in nobis, ut reges faciat, id est, cælestis regni cum Christo consortes.

Quatuor vocabula promiscuè usurpata ab Apostolo.

Observa lector Apostolum hoc capite ferè indifferenter & promiscuè usurpare quatuor vocabula Græca, χάρις, χάρισμα, δώρεα, δώρημα. Quorum primum noster interpres vertit *gratiam*: secundum nunc *donum*, nunc *gratiam*; tertium nunc *donum*, nunc *donationem*: quartum verò *donum*. Quibus vocabulis pro rei quæ dicitur exigentia, modò significatur beneficentia Dei, modò actus donandi, modò res ipsa donata. Quod perspiciet qui singula suis locis expendet.

18. IGITUR SICUT PER UNIUS DELICTUM IN OMNES HOMINES IN CONDEMNATIONEM. Redit ad comparationem Adæ & Christi, indicatam illa parte: *qui est forma futuri*: eamque recolligit ex jam dictis. Ac simul supplet quod imperfectum reliquerat, ubi dixit: *Propterea sicut per unum hominem*, &c. addendo quod sequitur.

SIC ET PER UNIUS JUSTITIAM IN OMNES HOMINES IN JUSTIFICATIONEM VITÆ. *Per unius justitiam*, Græcè *per unius justificationem*, & ita vertit paulò antè Græcam vocem δικαίωμα Verùm tam hìc quàm illic rectè intelligitur justitia. Sic Apoc 19. *Byssinum justificationes sunt sanctorum*, id est, justitiæ, justa opera. Diversum verbale est in eo quod sequitur, *in justificationem vitæ*. Græcè δικαίωσιν.

Sensus hujus loci est: Jam ex iis quæ de Adam & Christo diximus, liquet, quod sicut per unius Adæ inobedientiam malum seu peccatum propagatum est in omnes homines ex illo genitos, trahens eos ad condemnationem mortis; ita & per unius Christi justitiam, id est, justas ac sanctas ejus actiones, ac nominatim obedientiam, qua patri obedivit usque ad mortem, bonum seu gratia pervenit, & quasi propagatur in omnes homines, qui sunt ex parte Christi, ad efficiendam in eis justitiam qua perducantur ad vitam æternam: ac si dixisset, ad justificationem vitalem seu vivificam. Dixi, nominatim obedientiam, quia hanc nominat in parte sequenti.

Universalis signi varia expositio.

Porrò signum universale *omnes* in utroque membro positum, non omnes eodem modo exponunt. Pelagius quidem neutro loco vult universaliter accipi. *Nunquid*, inquit, *iniquus Deus qui infert iram? Absit. Quomodo potest unius delicto Adæ omnes homines condemnare, cùm nec unius Christi justitia omnes homines justificati sint? Omnes autem dicens, non generaliter dicit:*

dicit: ſed uniuſcujuſque partis ſignificat multitudinem. Hæc ille hæretico ſenſu, quo negat peccatũ originale.

Quidam neotericus univerſalitatem poſteriore loco ſic reſtringit; *in omnes homines, ſi velint*, quaſi non & ipſum velle ſit opus gratiæ Chriſti, Paulo atteſtante Philip. 2. *Deus eſt qui operatur in vobis velle.* Proinde reſtrictio hujuſmodi; quam nec apud alium quemquam legi, prorsùs improbanda eſt.

Alius quidam vir doctus, utrobiq; abſolutam univerſalitatem intelligit: Sed juſtificationem vitæ interpretatur reſurrectionem ad vitam, quæ communis erit etiam malis; allegans alterum Pauli locum, velut ejuſdem cum iſto ſententiæ, ex 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur.* Sed iſtorum verborum veram intelligentiam ſuo loco trademus: Huic certè loco ſenſus ille nonniſi violentè coaptari poteſt. Etenim juſtificatio nuſquam in Scripturis, imò nec extrà, ad hunc modum accipitur: ne quidem ſi addas, vitæ.

Rurſus alii, ut univerſalitatem ſervent eamdem in utroque membro, poſterius ſic exponunt; per unius juſtitiam omnes homines juſtificari quantum ad ſufficientiam attinet. Sed & hoc præter mentem Apoſtoli: qui comparat delictum Adæ cum juſtitia Chriſti quantum ad effectus utriuſque, non quantùm ad cauſarum ſufficientiam.

Quòd ſi cui minùs placet expoſitio ſigni univerſalis, quam dedimus; poterit dicere, per *omnes homines* in utroque membro intelligi genus humanum, non tamen eadem amplitudine acceptum, ſed juxta rem ſubjectam; In priori quidem membro planè generaliter, quoniam ibi ſermo eſt de parente totius generis, per quem mors in omnes invecta ſine exceptione: In poſteriori autem ſecundùm modum loquendi quo ſæpè utitur Scriptura, dicens omnes homines, quum vult intelligi paſſim multos, ut Luc 6. *Væ vobis cùm benedixerint vobis omnes homines.* Act. 22. *Eris teſtis illius ad omnes homines.* Coloſſ. 1. *Corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem.* Et Tit. 2. *Apparuit gratia Dei ſalvatoris noſtri omnibus hominibus*, id eſt, generi humano. Quod alias ſimili locutione, ſignificatur nomine mundi, vel totius mundi, ut Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum*, & hujus epiſtolæ cap. 1. *Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.*

Sic igitur hîc ſenſus probabilis: Sicut per unius delictum in genus humanum condẽnatio mortis, ſic per unius juſtitiam in genus humanum juſtificatio vitæ. Sed humanum genus diſtingue quemadmodum dixi.

19. SICUT ENIM PER INOBEDIENTIAM UNIUS HOMINIS PECCATORES CONSTITUTI SUNT MULTI. Græca variant in perſona; κατεστάθημεν, *conſtituti ſumus*, alia, κατεστάθησαν, conſtituti ſunt; quod magis convenit cum tota ſerie ſermonis Apoſtoli.

ITA ET PER UNIUS OBEDITIONEM JUSTI CONSTITUENTUR MULTI Idem aliis verbis inculcat, velut doctrinam maximi momenti. Differentia tamen eſt inter hanc ſententiam & ſuperiorem, quod in illa præcipuè conſiderantur effectus, mors & vita; in hac verò peccatum & juſtitia, peccatum ut cauſa mortis, juſtitia ut cauſa vitæ. Deinde quia hæc interpretatio quædam eſt ſuperioris, ut admonet Theophylactus. Nam peccatum Adæ interpretatur Apoſtolus inobedientiam, & juſtitiam Chriſti obedientiam. Unde rectè ab eo ſumitur hæc ſententia tamquam probatio & declaratio quædam ejus quod præceſſit.

Nec te moveat, quòd nunc multos vocat quos priùs omnes dixerat: nec fallat commentarius Theodoriti dicentis: ideò Paulum uſum vocabulo *multi* etiam in priori parte, quod & in Adæ poſteris inveniantur aliqui, qui à majoribus peccatis alieni fuerint, ut Abel, Enoch, Noë, Melchiſedec & patriarchæ, aliique in lege clari & inſignes; quaſi dicat hos non comprehendi ſententia Apoſtoli, quia non fuerunt primæ tranſgreſſionis imitatores. Quæ erronea eſt expoſitio, & refellitur, quia non ſolùm dicit Apoſtolus multos conſtitutos eſſe peccatores, ſed & ſuprà dixit multos eſſe mortuos, cùm conſtet mortem ad omnes pertinere. Multos ergo dicit; quos ante dixit omnes: tum quia omnes homines reverà multi ſunt, tum quia non omnes abſolutè per Chriſtum juſtificantur, ſed omnes ſecundùm ſenſum modò dictum.

Nota etiam Apoſtolum id quod priùs peccatum & juſtitiam dixerat, nunc inobedientiam & obedientiam vocare: Ex quo intelligitur de actuali peccato Adæ, deq; actuali juſtitia Chriſti Paulum fuiſſe locutum. Vocatur autem Adæ peccatum inobedientia, non quod ex contemptu præcepti divini proceſſerit, ſed uſurpato nomine inobedientiæ pro tranſgreſſione: quia nimirum peccatur contra legem poſitivam atque expreſſam, qualis erat illa: *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Adæ peccatum cur inobedientia vocetur.

Senſus eſt. Sicut per unius primi hominis inobedientiam, id eſt, tranſgreſſionem, multi, id eſt, omnes ex eo geniti, conſtituti ſunt peccatores, ut pote ex illa tranſgreſſione infecti peccato, à quo verè peccatores dicantur & ſint: ita & per unius Chriſti obedientiam, qua obedivit Patri uſque ad mortem crucis, juſtificabuntur multi, nimirum quotquot per fidem ex eo renaſcentur.

Rurſum hic locus manifeſtus eſt pro peccato originali.

Tum ex eo oſtenditur contra ſectarios juſtitiam noſtram eſſe internam, ſicut peccatum noſtrum internum eſt & inhærens. Si enim verè & propriè peccatores conſtituuntur per prævaricationem Adæ, quod fatentur adverſarii, non autem verè & propriè juſti cõſtituimur per obedientiam Chriſti, ſed imputativè tantùm, ut iidem volunt: neq; conſiſtet hæc comparatio quam facit Apoſtolus; & multò minus Chriſti juſtitia nobis contulerit, quàm abſtulit injuſtitia Adæ. Nam in illo veram & inhærentem amiſimus juſtitiam, in Chriſto recuperamus imputativam, id eſt, falſam. Loquitur enim Apoſtolus de juſtitia quam nunc per fidem accipimus, non de ea juſtitiæ perfectione, quam ſperamus in vita futura. Juſtitia noſtra interna & inhærens, quemadmodum & peccatum.

20. LEX AUTEM SUBINTRAVIT, UT ABUNDARET DELICTUM. Ne per legem exiſtimetur aboleri potuiſſe peccatum introductum per Adam, oſtendit legem adeò non valuiſſe ad tollendum peccatum, & juſtificandos homines, ut ea ſuperveniente facti fuerint etiam deteriores; Quod ipſum tamen profecerit ad majorem gratiæ Chriſti commendationem. *Subintravit* Græcè παρεισῆλθεν. Quod alii vertunt; *obiter intravit, ſubiit.* Alibi in malam partem hoc verbum accipitur, ut Gal. 2. *Qui ſubintroirent explorare libertatem noſtram.*

Verùm hîc non aliud ſignificatur quàm poſt ingreſſum peccati in mundum, interim dum gratia peccati ſanatrix expectatur, legem ſubingreſſam fuiſſe. Particula *ut* à pleriſque ſic exponitur, ut non finalem cauſam denotet, ſed eventum; quomodo frequenter alibi ſumitur.

Ita ſenſus eſt: Lex prohibens peccatum, medio tempore inter Adam & Chriſtum ſubingreſſa eſt; Unde tamen non aliud conſecutum, quam ut peccatum magis etiam abundaret: tum quia lex hominem conſtituit prævaricatorem; Nam *Vbi non eſt lex, nec prævaricatio*, ut dictum eſt ſuperiori capite; tum quia *virtus peccati lex* 1. Cor. 15. Nam occaſione legis, ubi non adeſt gratia, magis inardeſcit concupiſcentia. Quam utramque rationem adfert Auguſtinus *propoſ.* 30. Occaſionẽ legis homines facti deteriores.

Alii tamen cauſam finalem ſignificari putant, ſed hoc ſenſu; quia lex ſubintravit, atque adeò data eſt à Deo, ad permittendam abundantiam peccatorum: ut dum legis occaſione, ſicuti dictum eſt, augetur

peccatum præſertim in opere externo & manifeſto ; ſuperbus animus agnoſcere cogatur ſe peccatorem, & legem ſibi nequaquam ſufficere ad juſtitiam. Juxta quem ſenſum, nobis certè probabiliorem (quem etiam S. Thomas probat, & bene declarat) convenit hæc ſententia cum illa Galat. 3. *Lex propter tranſgreſſionem poſita eſt, donec veniret ſemen*, &c. ſecundùm ejus intellectum potiorem, quem videbis eo loco pluribus à nobis explicatum.

UBI AUTEM ABUNDAVIT DELICTUM, SUPERABUNDAVIT GRATIA. *Delictum*, Græcè *peccatum*. Superabundavit autem gratia, non in omnibus, ſed in electis. Non enim dicit *ubicumque*, ſed *ubi* indefinitivè, ut annotat Hugo. Nam quod ad reprobos attinet, in iis lex alium effectum ſive eventum non habet quàm abundantiam peccati. Quibuſdam placet *ubi* poſitum eſſe pro adverbio temporis, id eſt, *poſtquam*. Quod probarem, ſi liqueret Græcum ὅπου aliquando ſumi in ea ſignificatione, perinde ut Latinum *ubi*.

Obſerva ex hoc loco quàm ſit immenſa Dei miſericordia.

Senſus: Ubi peccata occaſione legis inundarunt, & homines convicti ſunt ſuarum tranſgreſſionum ; ibi redundavit gratia, id eſt, benignitas & miſericordia Dei peccata remittens, & dona gratificantia tribuens. Nam quantò major iniquitas peccantis, tantò major gratia remittentis : & quantò majorem peccatorem quis fuiſſe ſe agnoſcit, tantò majorem gratiam ſibi confitetur impenſam; quemadmodum docemur exemplo peccatricis evangelicæ *Luc. 7.* & ipſius Apoſtoli Pauli 1. *Timoth.* 1. Dicitur autem de peccato, *abundavit*, de gratia verò *ſuperabundavit*, quia gratia peccatis etiam multùm abundantibus prævaluit ac potentior fuit,

21. UT SICUT REGNAVIT PECCATUM IN MORTEM : ITA ET GRATIA REGNET PER JUSTITIAM IN VITAM ÆTERNAM, PER JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM. *In mortem*, Græcè & Syriacè *in morte*: Quod & in quibuſdam eſt Latinis. Illud quoque *Dominum noſtrum* plerique Græci codices non addunt, tametſi Syrus additum habet.

Senſus eſt : Ut ſicut regnavit, id eſt, longè latéque dominium ſuum exercuit peccatum in morte ſive per mortem, videlicet pertrahens homines ad mortem ; ita etiam gratia & miſericordia Dei latè dominetur, adducens juſtitiam, & per eam perducens homines ad vitam æternam, idque per meritum redemptoris ac Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Mortem intelligit eamdem quàm in ſuperioribus, nempe mortem corporis. Unde non dicit nos per Chriſtum eximi à morte, ſcilicet ut eam non patiamur, ſed per Chriſtum nobis vitam conferri, quâ nimirũ mors illa deſtruatur per reſurrectionẽ. Quod non eſt futurum in reprobis, ut quibus reſurrectio non erit ad vitam, 2. *Mach.* 7. ſed mortis in æternum continuatio. Neque enim exiſtimamus impiorum reſurrectionem ad Chriſti beneficia pertinere, ſed referendam ad conſequentiam juſti judicii Dei, quod exigit ut non ſolùm animæ, ſed ipſi homines qui peccaverunt, in ſuis etiam corporibus ſupplicium recipiant damnationis æternæ : non quòd naturalis erat futura reſurrectio (nam nec animarum infuſio naturalis eſt, nec tamen per Chriſtum) ſed quia hominis peccantis ad Deum per juſtam pœnam ordinatio fieri non poterat, niſi exiſteret homo qui pœnam ſubiret.

Impiorum reſurrectio non pertinet ad beneficia gratiæ Chriſti.

Huic autem doctrinæ quomodo contrarium non ſit quod Apoſtolus dicit 1. Cor. 15. *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum*, &c. videbis in ejus loci commentario.

Poſtremò ; notanda proſopopœia quædam in eo quod peccatum & gratiã regnare dicit : quemadmodum & in ſuperioribus mortem : Mortem quidem, Græcè θάνατον, ut regem: peccatum verò & gratiam, Græcè, χαρὰν ἡ χάριν, ut reginas. Qua figura rurſus utitur ſequenti capite, in peccato & juſtitia. Facit enim ad ſplendorem & vehementiam orationis.

CAPUT VI.

QUid ergo dicemus? permanebimus in peccato ut gratia abundet? 2. Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? 3. An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? 4. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem : ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. 5. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus: ſimul & reſurrectionis erimus. 6. Hoc ſcientes, quia verus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultrà non ſerviamus peccato. 7. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato 8. Si autem mortui ſumus cum Chriſto : credimus quia, ſimul etiam vivemus cum Chriſto: 9. Scientes quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. 10. Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel : quod autem vivit, vivit Deo. 11 Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. 12. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. 13. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes: & membra veſtra arma Juſtitiæ Deo. 14. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia. 15. Quid ergo? peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit. 16. Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam ? 17. Gratias autem Deo quòd fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinę, in quam traditi eſtis. 18. Liberati autem à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ. 19. Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ : ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. 20. Cùm enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. 21. Quæ ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis ? Nam finis illorum mors eſt. 22. Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. 23. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Gal. 3. b. 17. Col. 2. b. 12. Eph. 4. c. 23.

Ioan. 8. d. 34. 1. Pet. 2. d. 9.

SUMMARIUM.

OStendit non ideò peccandum adhuc eſſe, ut gratia abundet : ſed ad ſimilitudinem mortis & reſurrectionis Chriſti nos peccato mortuos vivere debere juſtitiæ; ut cujus ſervi jam facti ſumus, à peccati ſervitute liberati; doceturq; quàm diſpar utriuſque ſervitutis ſit exitus.

QUID ERGO DICEMUS? PERMANEBIMUS IN PECCATO, UT GRATIA ABUNDET? ABSIT. Quoniam dixerat gratiam ſuperabundare, ubi abundavit peccatum ; ne quis propterea putaret immorandum eſſe peccatis, & peccata peccatis cumulanda ; quò ſcilicet ampliùs abundaret atque commendaretur Dei gratia : repellit hujuſmodi perverſam cogitationem Apoſtolus, dum de ea quæſtionem ſibi faciens, reſpondet : *Abſit*. Nam ut perabſurdum eſt ideò velle ægrotare, ut habeat medicina quod ſanet : ita ſummæ dementiæ eſt, velle adhuc peccare, ut gratia Dei ſemper habeat, quod remittat. Imò ſicut durante morbo non habetur ſanitas, nec apparet ars medici ; ita manente peccato non habetur juſtitia, nec oſtenditur virtus gratiæ Dei. Quare ut gratia commendetur, à peccatis recedendum eſt, non in illis manendum.

Obſerva ad mores, non abutendum Dei miſericordiâ ad licentiam peccandi.

QUI ENIM MORTUI SUMUS PECCATO, QUOMODO ADHUC VIVEMUS IN ILLO? In Græco non eſt, *enim*, & abſque eo citat Tertullianus *lib. de pudicitia cap.* 17. Rectè tamen intelligitur. Eſt enim hæc probatio datæ reſponſionis argumento à contrariis, ac ſi dicat : Nam qui peccato benè mortui ſumus, ei

profectò non ampliùs vivere debemus. *Peccato* dativus eſt, non ablativus, ut ad Gal. 2. *Legi mortuus ſum.*

Ut enim phraſes ſunt Apoſtolicæ, vivere peccato, legi, juſtitiæ, Deo; quibus ſignificatur ſervitus & obſequium quod his impenditur, aut cõmercium quod cum iis habetur: ita & iſtæ è contrario; mori ſeu mortuum eſſe peccato, ac cæteris, id eſt, ab horum ſervitute & obſequia penitus eſſe liberum, & à commercio alienum. Sic & Petrus loquitur 1. epiſt. 2. *ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus.* Ac rurſum Paulus Epheſ. 2. *Cùm eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris*, & Coloſſ. 2. *Cùm mortui eſſetis delictis & præputio carnis veſtræ*, Quæ duo loca huic præſenti ſimilia eſſe, quamvis alii ſecus exponant, oſtendemus, quùm illuc uſque pervenerimus.

Mortui peccato qui dicantur.

Mortuos igitur peccato vocat eos qui reſpectu peccati mortui ſunt, id eſt, qui à peccati ſervitute liberi; quibuſque cum peccato non plus eſt negocii aut commercii, quàm mortuis eſſe ſolet cum viventibus. Aut certè (quod eodem recidit) mortui peccato dicimur, dum neq; nos in peccato vivimus, ei ſerviendo, neq; peccatum vivit in nobis, regnando. Unde ait: *quomodo adhuc vivemus in illo?* ſcilicet deſideriis ejus obſequendo. B. Auguſtinus lib. de ſpir. & lit. c. 6. partem hanc ſic exponit: *Cum id præſtiterit gratia ut mortui peccato, quid aliud faciemus ſi vivemus in eo; niſi ut gratiæ ſimus ingrati?* Idem epiſt. 47. ad Valentinum hanc Apoſtoli ſententiam ita commendat, ut affirmet *nihil potuiſſe dici brevius & melius.*

Porrò dicit Apoſtolus peccatum ſingulari numero, quia reſpicit ad fomitem peccati quem contraximus ex tranſgreſſione primi parentis: atque hoc peccatum conſiderat ut dominum ac imperatorem in homine tunc regnantem, quando pravis ejus motibus ac deſideriis obtemperat. Quæ conſideratio patebit ampliùs in conſequentibus.

An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Argumentationem præcedentem totam confirmat ex baptiſmi cærimonia atque effectu. In Græco ſunt accuſativi, *in Jeſum Chriſtum in mortem* Atq; ita legit Tertull. *in lib. de reſurr. carnis cap.* 47. Sed & vetuſti quidam Bibliorum codices habent, *in mortem.* Ut autem intelligatur quid ſit baptizari in Chriſtum, conferendus eſt hic locus cum illo Galat. 3. *Quicumque in Chriſto* (Græcè *in Chriſtum*) *baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Quæ utique verba vim & efficaciam baptiſmi ſignificant.

Baptizari in Chriſtum quid ſit.

Itaque *ſenſus hujus loci eſt*: Scire debetis quod quicumq; per baptiſmũ Chriſto nomen dedimus & myſtico ejus corpori ſumus inſiti, baptizati ſumus in ſimilitudinem ſeu configurationem mortis ejus: quatenus ſcilicet in nobis quando baptizabamur, impletum eſt & ſignificatione & effectu quod Chriſti morte figurabatur. Nam mors & paſſio Chriſti non ſolùm cauſa fuit noſtræ juſtificationis, verùm etiam ejuſdem typus ac figuralis quædam repræſentatio. Significabat enim mortem & interitum veteris hominis in nobis, quomodo Chriſtus in ſeipſo mortuus fuit vitæ.

Mors & paſſio Chriſti non ſolùm cauſa, ſed & typus noſtræ juſtificationis.

Rurſus ex hoc loco colligit Aug. *Ench. cap.* 52. parvulos in peccato naſci. Nam ſi Paulo teſte quicumque baptizantur in Chriſto, in ejus morte baptizantur, & proinde peccato moriuntur (id enim probandum ſuſcepit) neceſſe eſt & parvulos habere peccatum cui moriantur, dum in morte Chriſti baptizantur.

Porrò non ſolùm mors Chriſti, & crucifixio de qua paulò pòſt: ſed & ſepultura & reſurrectio & aſcenſio in cœlum adumbrarunt ea quæ in noſtra aguntur juſtificatione. Id quod Paulus cum alibi, ut ad *Galt* 2. 5. *& 6. & ad Col.* 2. *&* 3. tum maximè in hoc capite nos docet. Qua de re ſic Auguſtinus ejuſdem lib. cap. 35. *Quicquid geſtum eſt*, inquit, *in cruce Chriſti, in ſepultura, in reſurrectione tertio die, in aſcenſione in cœlum, & in ſedere ad dexteram Patris: ita geſtum eſt, ut his rebus non myſticè tantum dictis, ſed etiam geſtis, configuraretur vita Chriſtiana quæ hìc geritur.* Quod & inde per ſingula declarat.

Jam verò ſimile myſterium etiam in baptiſmi cærimonia ſtatuit Apoſtolus. Nam immerſio Chriſti ſepulturam nobis repræſentat; adeòq; & mortem. Sepulchrum namq; mortis ſymbolũ eſt, nec enim ſepeliuntur niſi mortui. Quæ autem immerſionem ſequitur emerſio, ſimilitudinem habet reſurrectionis. Igitur in baptiſmo configuramur non tantùm morti Chriſti, quod jam dixit, verùm etiam ſepulturæ & reſurrectioni; Quod utrumque conſequenter dicturus eſt.

In baptiſmo typus noſtræ juſtificationis.

4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. *Enim* Græcè *ergo:* Sicque legit Tertull. *in lib. de pudicitia*, & Aug. *de ſpir. & lit.* Senſus: Per baptiſmi cærimoniam ſumus unà cum Chriſto ſepulti; quatenus immerſio quæ fit in baptiſmo, ſignificat & exprimit, ut dictum eſt, Chriſti ſepulturam: Sepulti, inquam, ſumus in mortem veteris hominis & peccati; ſicut Chriſtus in ſepulchro jacens mortuus erat carne mortali.

Ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris. *Surrexit à mortuis.* Græcè ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν, *ſuſcitatus eſt ex mortuis*, id eſt, à morte. De qua phraſi dictum eſt aliàs.

Ita et nos in novitate vitæ ambulemus. *Ita & nos*, intellige velut ex aqua baptiſmatis emerſi, atq; ea mundificati, noviq; homines facti. Significatur cauſa finalis myſticæ, quam dixit, ſepulturæ noſtræ. Et ſenſus eſt: ideò per baptiſmum nos Chriſto conſepultos eſſe in mortem peccati, id eſt, mortuos eſſe peccato, ut deinceps à peccati conſuetudine prorſus alieni, exerceamus opera novæ vitæ (hoc enim eſt in novitate vitæ ambulare) quemadmodum Chriſtus reſuſcitatus eſt à morte ad novam & immortalem vitam, idque per gloriam, id eſt, glorioſam operationem Patris ſui; quia nimirum in Chriſti reſurrectione Deus qui eam operatus eſt glorificatur. Sic enim multi hanc partem interpretantur: cùm alioqui poſſit intelligi cauſa formalis, quam indicat verſio Syriaca *in gloriam patris*: ut ipſa nova & glorioſa vita ad quam à patre reſuſcitatus eſt Chriſtus, ipſo orante, *pater glorifica filium tuum.* Joan. 17. vocetur gloria patris.

Qui ſenſus haud immeritò placuit Cajetano. Nam hoc pacto plenior & aptior erit collatio, quam inter nos & Chriſtum attendit Apoſtolus.

Commentator Amb. legit *per virtutem Dei*: Quod ſenſum habet perſpicuum, ſed ab originali diſſonat.

Ambulare, in ſcripturis morale vocabulum, & quid ſignificet.

Porrò ambulare paſſim in Scripturis morale vocabulum eſt; quo metaphoricè ſignificatur idem quod converſari, vivere, actiones exercere alias poſt alias, ſumiturq; non tantum in bono, ſed etiam in malo, ut Joan. 8. *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Nec propriè profectum indicat, ne quidem dum in bono accipitur; ſed continuationem quamdam actionum. Nam & Chriſto in diebus carnis ſuæ competebat ſecundùm hunc ſenſum ambulare: de quo Joan. 1. ep. 2. *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Qamquam nos viatores ita debemus in lege Domini, & in novitate vitæ ambulare, ut proficiamus de die in diem.

5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. Confirmatio eſt ejus quod proximè præceſſit. *Complantati*, Græcè σύμφυτοι non participium eſt, ſed nomen: quaſi dicas, *conſiticii* vel *inſiticii*. Porrò dativus τῷ ὁμοιώματι poſſet etiam reddi per ablativum modi, *ſimilitudine*; pro quo Syrus vertit *in ſimilitudine*. Verùm Paulus modum ſignificare volens hoc vocabulo, ſemper addere ſolet præpoſitionem ἐν aut ὅτι, ut ſuprà *cap. 1. &* 5. & infrà *cap. 8. & Philip. 2.* Quod cùm hìc factum non ſit, optimè redditum puto à noſtro interprete dativum *ſimilitudini*; maximè quòd eum caſum exigat dictio σύμφυτοι. Nam

quod Eraſmus ſupplet hoc modo, *Si enim inſiticij facti ſumus illi*, id eſt, Chriſto *per ſimilitudinem mortis ejus*, coactum mihi videtur. Nec ſolet Paulus hujuſmodi relativum reticere ac ſupplendum relinquere.

Poſterius membrum in Græco ſic habet: *ſed & reſurrectionis erimus*: atque ita citat Tertullianus. Ubi *ſed* per utique, ſanè, igitur, exponendum eſt. Interpres vulgatus pro αλλα legit ἅμα vocem ſimilem. Hæc eadem pars ex priori membro ita ſuppleatur: Sed & reſurrectionis erimus ſimilitudini complãtati.

Senſus igitur hujus periodi eſt: Nam ſi more ſurculorum qui arbori inſeruntur, ut inde ſuccum trahant, inſiti ſumus morti Chriſti, cujus ſimilitudinem geſſimus in baptiſmo; & per hoc ejuſdem mortis effecti participes, eò quòd mortui ſumus peccatis: profectò etiam reſurrectionis Chriſti participes effici debemus, tamquam & huic inſiti, cujus æquè in baptiſmo ſimilitudinem geſſimus. Nam ſicut immerſione, quæ fit in baptiſmo configuramur Chriſto mortuo & ſepulto; ita viciſſim emerſione configuramur Chriſto reſurgenti. Quòd ſi autem reſurrectionis Chriſti participes eſſe debemus; igitur in novitate vitæ, quam Chriſti reſurrectio ſignificat, ambulandum nobis eſt.

6. HOC SCIENTES QUIA VETUS HOMO NOSTER SIMUL CRUCIFIXUS EST. Significantiùs in Græco συνεσταυρώθη, *concrucifixus eſt*: tãquam dicat eidem cruci ſimul affixum, videlicet cum Chriſto. Nunc enim ex ipſa Chriſti crucifixione argumentatur non eſſe manendum in peccatis. Per illam enim figuraliter repræſentata eſt crucifixio & mortificatio veteris hominis in nobis.

Chriſti crucifixio quid myſticè ſignificet.

Senſus: Cùm & hoc ſciamus, veterem hominem noſtrum unà cum Chriſto (ſcilicet in typo ſeu repræſentatione) cruci affixum & mortificatum eſſe. Veterem hominem vocat vetuſtatem & corruptionem peccati in homine, quam ex veteri Adam contraxit: vel potiùs ipſum hominem, in quantum hujuſmodi vetuſtate affectus eſt. Opponitur autem homini novo. Quem utrúmque meminit ac notis ſuis deſcribit Apoſtolus Eph. 4.

Vetus homo quis intelligatur.

Putat Auguſtinus *propoſ.* 32. Paulum hìc reſpicere ad illud Deut. 21. *Maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno*. Nam veteris hominis, id eſt, peccatoris ac maledicti ſimilitudinẽ geſſit Chriſtus propter nos affixus cruci. Unde & factus pro nobis dicitur *peccatum* 2. Cor. 5. & *maledictum*, Gal. 3. Hic igitur vetus noſter homo ſimul cum Chriſto crucifixus eſt & mortificatus, non ut ſtatim vetuſtas omnis tollatur; quod non contingit in hac vita: ſed, quemadmodum ſequitur.

UT DESTRUATUR CORPUS PECCATI. *Deſtruitur*, καταργῆται, *aboleatur* vel *aboleretur*. Pro quo legunt Tertul. & Auguſt. *evacuaretur*. Corpus peccati vocat ipſum veterem hominem, cujus membra alibi enumerat, dicens: *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam*, &c. Col. 3. Ubi ſatis ſignificat eadem hæc eſſe membra veteris hominis ac terreni; nempe in eo quod dicit, *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram*, id eſt, mẽbra hominis veſtri terreni.

Locus moralis ad cõmendandũ homini Chriſtiano ſtudiũ mortificationis.

Deſtruitur ergo & aboletur in nobis corpus peccati, quando membra ejus mortificamus, id eſt, quando deſideriis peccati non conſentimus, ſed reſiſtimus, eaque in nobis expugnamus & occidimus.

Sunt qui corpus peccati interpretentur corpus noſtrum quatenus peccato ſubditum eſt, quam carnem peccati vocat Apoſtolus infrà *cap.* 8. Atque hanc expoſitionem latè proſequitur Origenes, liberum tamen lectori faciens, ut vel iſtam, vel priorem eligat. Nobis quidem prior huic loco magis accommodata videtur.

Quod verò neoterici quidam corpus pro robore poſitum exiſtimant: ac deſtrui corpus peccati dicunt, quùm robur & virtus peccati enervatur: id à cõſueto Pauli ſermone conſtat eſſe alienum. Porrò quamvis, ut dixi, perfecta deſtructio corporis peccati non hujus ſit vitæ, ſed futuræ: nunc tamen interim ita deſtruendum eſt, ut ſaltem fiat quod ſequitur.

ET ULTRA NON SERVIAMUS PECCATO. Legendum, *ut ultrà non ſerviamus*. In hanc enim lectionem omnes ferè noſtri codices, & commentatores conſpirant: Eademque eſt apud Auguſtinum. Nec Græca diverſam admittunt. Servit peccato, qui ſub peccati dominio eſt. Nam peccatum fingit ut perſonam dominantem, quæ ſubjectis ſervis imperet. Sed id expreſſiùs in ſequentibus.

Servire peccato quis dicatur.

7. QUI ENIM MORTUUS EST, JUSTIFICATUS EST A PECCATO. Ineſt his verbis tacita argumentatio ab effectu ſeu proprietate mortis, ad hunc modum explicanda: Mortuus homo nihil agit vitale, ſed abſolutus eſt ab officiis vitæ, qua priùs vivebat. Nam mors abolet omnes vitæ actiones. Sic igitur & nos, quoniam conformati morti Chriſti in cruce, mortui ſumus peccato ſeu vitæ veteri; juſtificati ſumus, id eſt, abſoluti prorſus à peccato, ut ei nullam deinceps ſervitutem debeamus, tamquam nihil ampliùs habentes cum eo negocii ſive commercii.

Quod ait *juſtificatus eſt*, ſumpta phraſis à judiciis forenſibus, ubi qui abſolvebatur, juſtificari dicebatur, hoc eſt, liberari, ſive à crimine ſibi impoſito, ſive à domino volente eum ſibi vendicare ſervum. Jam ex hac quoque Paulina ſententia colligit Auguſt. *Ench.* 42. & 43. parvulos ante baptiſmũ habere peccatum: quoniam & ipſi Chriſto commortui ſunt in baptiſmo.

8. SI AUTEM MORTUI SUMUS CUM CHRISTO CREDIMUS QUIA SIMUL ETIAM VIVEMUS CUM CHRISTO. Græcè, *credimus quia & convivemus ei*. Chryſ. aliíque multi dictum hoc accipiunt de vita gloriæ, quam expectamus per reſurrectionem; ut ſimile ſit illi quod ait 2. Timoth. 2. *Si commortui ſumus, & convivemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus*.

At certè contextus hic exigit, ut intelligatur de vita per novitatem Chriſto reſurgenti confirmata quæ eſt vita gratiæ; ut *ſit ſenſus*: Si mortui ſumus peccato, quomodo Chriſtus mortuus eſt carne: confidimus, ſicut ille reſuſcitatus à morte vivit novam vitam; ita nos quoque novam, id eſt, à vetuſtate peccati repurgatam vitam deinceps acturos. Et quia confidimus, ad hoc ipſum anniti debemus. Senſum hunc præter alia, tam ſuperiora quàm ſequentia, manifeſtè vult illa concluſio quam paulò poſt infert; *Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato: viventes autem Deo in Chriſto*, &c.

9. SCIENTES QUOD CHRISTUS RESURGENS EX MORTUIS JAM NON MORITUR. *Reſurgens* Græcè *ſuſcitatus, jam non moritur*. Græcè, non ampliùs moritur.

MORS ILLI ULTRA NON DOMINABITUR. Græcè, *mors ei non ampliùs dominatur*, verbo ſcilicet præſentis temporis; quemadmodum & citat Tertullianus. Atque ita ſcriptum legimus in pervetuſto codice monaſterii Laudenſis. Docere vult Apoſtolus non modò recedendum eſſe à peccatis, ſed in novitate vitæ continuò perſeverandum. Scimus, inquit, Chriſtum reſurrexiſſe ad vitam immortalem, ita ut non ſit ampliùs moriturus, neque (quod idem eſt) mors ei prævalitura.

Mors Chriſto ſemel dominata non ampliùs dominabitur.

Semel quidem mors Chriſto dominata fuit, non tamen jure ſuo quod in eum haberet; ſed ipſius voluntate, ac libera poteſtate, de qua ait Joan. 10. *Ego pono animam meam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam*. Origenes mortem interpretatur diabolum: quod non recipimus. Nam diabolum aliquando fuiſſe dominatum Chriſto, neſcio an ferant aures piæ. Et ut ferant aliquo ſenſu, tamen huic loco non convenit, ubi de morte, non de principe mortis eſt ſermo. Rectiùs apud Origenẽ Ruffinus, dum ex hoc loco Pauli redarguit eos qui Chriſtum in futuris ſæculis iterùm atq; iterùm eadẽ vel ſimilia paſſurum aſſerebãt, id eſt, ſæpè moriturũ. Quod propter ipſum Origenẽ eo dogmate infamẽ, à Ruffino additum fuiſſe non eſt dubiũ.

Origenis dogma ex hoc loco refutatum.

10. QUOD ENIM MORTUUS EST PECCATO, MORTUUS EST SEMEL. Vocem *peccato* quidam cum verbo præcedente construunt: sed alii rectiùs cum sequente. Quod & indicant emendatiores codices, commate posito antè *peccato*, ut Missale Romanum & Biblia Louvanienſis castigationis. Hanc quippe constructionem postulat alterum membrum huic antithetum. *Quod autem vivit*, &c.

Sensus: Quod enim mortuus fuit Christus, id semel dumtaxat fieri oportuit, factumque est, videlicet ad destructionem peccati: simul ut mors nostra qua peccato morimur, in ejus morte repræsentaretur. Ad quod utrúmque una ejus mors satis superque valebat. Sic Heb. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et cap. 10. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

QUOD AUTEM VIVIT, VIVIT DEO. Id est, Quod autem vivit jam excitatus à morte, vivit vitam gloriosam & immortalem Deoque dignam, qui immortalis est. Aut juxta Chrysostomum, *vivit Deo*, id est, Dei virtute præstante vitam immortalem. Sed priori sensui meliùs respondet quod sequitur.

11. ITA ET VOS EXISTIMATE, VOS MORTUOS QUIDEM ESSE PECCATO, VIVENTES AUTEM DEO IN CHRISTO JESU DOMINO NOSTRO. *Vos* secundo loco ἑαυτοὺς *vos ipsos*. Pro verbo *existimate* quod Græcè est λογίζεσθε, Ruffinus mavult *cogitate*, id est, animo reputate. Nam exhortatoria conclusio est, qua ad institutum applicat Apostolus ea quæ dixit de morte & vita Christi. Ita, inquit, & vos cogitate de vobis ipsis, nempe vos semel mortuos esse peccato in baptismo: de cætero autem viventes esse ac vivere oportere Deo, id est, vitam vivere Deo congruam, quam nulla mors peccati ulteriùs sequatur: idque per Christum.

Locus moralis de vita regenerationi seu professioni in baptismo factæ congrua sectanda.

Liquet ex jam dictis aliter Christum, aliter nos mortuos esse peccato. Nos enim mortui peccato dicimur, quia non ampliùs in peccato vivimus, sed vita peccati derelicta per justitiam vivimus Deo. Christus autem mortuus peccato, id est, corpore mortuus ad tollendum peccatum.

Aliter Christus, aliter nos peccato mortui.

Est autem in Græco discrimen sermonis observandum. Nam Christus verbaliter & in præterito ἀπέθανεν, id est, *mortuus fuit* peccato: nos autem nominaliter, νεκροὶ, id est, *mortui* peccato dicimur; scilicet morte præsente & in nobis permanente; cum in Christo post paululum morti vita successerit.

12. NON ERGO REGNET PECCATUM IN NOSTRO MORTALI CORPORE, UT OBEDIATIS CONCUPISCENTIIS EJUS. Hoc loco tertius incipit tomus hujus epistolæ secundum Theodoritum. Est enim hîc quidam transitus à doctrina ad morum informationem; quæ tamen ipsa multum etiam doctrinæ continet.

Ut autem hæc & quæ sequuntur usque ad finem capitis, meliùs intelligantur, observanda est (de quo & superiùs admonui) personarum fictio quædam in peccato & justitia. Fingit enim eas ut reginas seu dominas) nam utrúmque in Græco fœmininum est) singulas suum habentes regnum ac dominium, alterum alteri contrarium: humanum verò genus regno peccati subditum, per Christi gratiam paulatim ex ea servitute liberari ac transferri in regnum justitiæ. Sic autem liberatos hortatur, ne sese rursus per spontaneam obedientiam in priorem peccati servitutem redigi sinant. Quæ res ex sequentibus fiet manifestior.

Duo contraria regna, peccati & justitiæ.

Quod nos habemus *ut obediatis concupiscentiis ejus*, ita legitur in Græco, εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτῆ, id est, *ad obediendum ei in concupiscentiis ejus*, ut *ei* ad ἁμαρτίαν peccatum, & *ejus* ad σῶμα corpus referatur. Jam enim dixi peccatum hîc considerari ut dominam ac reginam, cui servitus & obedientia præstetur. Unde quod in Græcis nonnullis pro αὐτῇ legitur αὐτῷ, mendosum existimo. At posteriore loco rectè se habet αὐτῆ. Passim enim in epistolis Apostolicis audimus desideria carnis; quam notare voluit dicens *in vestro mortali corpore*. Quamquam secundùm rem concupiscentiæ corporis eædem sunt concupiscentiæ peccati; quatenus peccatum eas in corpore excitat. Tertull. locum hunc Pauli adducens *lib. de resurr. carnis cap. 47.* legit ut Græci, *ad obaudiendum illi*, non addens tamen partem sequentem, *in concupiscentiis ejus*; fortè quia non totũ citare voluit.

Peccatum intelligit Apostolus ipsam habitualem concupiscentiam, quæ est fomes peccati: de qua quidnam sit, & in qua animæ facultate resideat, disputari solet in 2. *lib. Sent. dist.* 30. & nos aliquid dicturi sumus ad illud capitis sequentis; *concupiscentiam nesciebam*, & rursus ad ea verba Gal. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum.*

Peccati nomine concupiscentia significatur.

Vocatur autem à Paulo *peccatum* hoc capite & duobus sequentibus, non quod verè & propriè in renatis peccatum sit, uti contendunt hujus temporis hæretici: sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: quemadmodum ex S. Augustini doctrina declarat synodus Tridentina *sess. 5. can. 5.* Loca apud August. sunt *lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 13. serm. 43. de verbis Dom. & serm. 6. de verbis Apost.* & alibi.

Concupiscentia manens in renatis cur peccatum vocetur.

Potior tamen hujus appellationis ratio, quamque præcipuè & interdum solam urget Augustinus, ea est; concupiscentiam ideò vocari peccatum, quia ad peccatum inclinat atque sollicitat. Nam mors ac cæteræ pœnalitates, licet etiam sint ex peccato primæ transgressionis, quia tamen ad peccatum non inclinant, non solent peccata vocari in Scripturis.

Porro non dicit Apostolus: non sit, sed *non regnet peccatum*, &c. quia quamdiu sumus in hoc mortali corpore est in nobis peccatum, neque durante hac vita exstirpari potest: unde & habitare in nobis dicitur, capite sequente. Sed hoc agere possumus & debemus, ut non regnet in corpore nostro, id est, non dominetur nobis, juxta id quod orat psalmistes: *& non dominetur mei omnis injustitia*, Psalm. 118. Quod fit quando ei ad peccatum sollicitanti non consentimus, & ut Apostolus loquitur, non obedimus obsequendo concupiscentiis seu pravis motibus quos excitat in carne nostra. Ita locum hunc declarat August. in *exposit. Psal. 50. & serm. 12. de verbis Apost.* & alias sæpè.

Concupiscentia durante hac vita exstirpati non potest.

Hinc etiam patet cur addiderit *mortali*, scilicet, ad significandum vitium hoc, quod peccatum vocat, propriam ac fixam habere sedem in corpore nostro mortali, nec nisi per mortem hujus corporis futurum ut ab eo malo liberemur. Propter quod ait in fine capitis sequentis: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Quidam peccati nomine non concupiscentiam hoc loco, sed peccatum in genere malunt intelligi, idemque propriè dictum. Nam fieri non potest, ut dum sumus in mortali corpore, careamus peccato: Possumus autem facere cum Dei graria, ut peccatum in nobis non regnet. Verùm hi non videntur satis advertisse ad verba Concilii Tridentini loco jam indicato, quibus dicitur Apostolum ipsam concupiscentiam aliquando appellare peccatum. Ubi procul dubio respicitur ad *cap. 6. & 8. hujus ad Romanos epistolæ*: quæ etiam ad marginem illic annotari solent.

13. SED NEQUE EXHIBEATIS MEMBRA VESTRA ARMA INIQUITATIS PECCATO. *Sed* redundare videtur. Nam Græcè tantùm est, *neque exhibete membra*, &c. Tertullianus quoque citans hunc locum non addit: & ad sensum non facit. Tantúm enim explicat Apostolus quod proximè dixerat. Neq; inquit, exhibete, sistite, in obsequium date mẽbra corporis vestri peccato, id est, fomiti, ut sint instrumenta ac velut arma quibus peccato militetis, injustitiæ opera ad quæ suo imperio movet ac impellit, exercentes. Perstat enim Apostolus in metaphora dominii & obsequii. Cui probè servit Græcum verbũ παριστάνετε, benè & significanter ab interprete nostro redditum *exhibete*, tam hîc quàm in parte sequenti: minùs autem benè ab Erasmo, *accommodate*. Est enim hoc verbum ad id expri-

mendum quod vult Apoſtolus parùm commodum. Quod & ipſe Eraſmus intelligens poſteà *verſ.* 19. *hujus cap.* ac rurſum initio *cap.* 10. pro eodem Græco verbo reponit Latinum præbere, id eſt exhibere.

SED EXHIBETE VOS DEO TAMQUAM EX MORTUIS VIVENTES. *Vos* Græcè ἑαυτοὺς, voſmetipſos. Sed, inquit, exhibete, ſiſtite ac date voſipſos totos quanti eſtis, in obſequium Deo: ſicut facere convenit eos qui peccato mortui jam vivunt cum Chriſto, ſimilitudini reſurrectionis ejus conformati.

ET MEMBRA VESTRA ARMA JUSTITIÆ DEO, ſcilicet exhibete. Senſus: Et ideò membra veſtra exhibete Deo, velut arma quibus ei militetis, ad exercenda juſtitiæ opera quæ vobis imperat. Nondum hîc juſtitiam ut dominam opponit peccato, ſed Deum: ut oſtendat non aliud eſſe juſtitiæ regnum, aliud Dei; nec aliud juſtitiæ militare, aliud Deo. Cæterùm in ſequentibus apertè comparantur peccatum & juſtitia tamquam dominæ, ſuos utraque ſervos ſuis obſequiis addictos habentes.

14. PECCATUM ENIM VOBIS NON DOMINABITUR. Quidâ præceptivè exponunt: *non dominabitur*, id eſt, non dominetur; idiotiſmo Hebraïco: ut ſit repetitio præcepti, quo ſuprà dixit; *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore*. Alii intelligunt enunciativè dictum, idque rectiùs. Occurrit enim Paulus objectioni, qua dicere quis poſſet, peccatum eſſe dominam, quæ ſua tyrannide premat ac ſibi ſervire cogat homines, poſteaquàm ſemel in mundum intravit; ideoque non poſſe nos facere quæ Paulus præcipit. Reſpondet autem fideles ab ea peccati tyrannide liberatos eſſe per Chriſti gratiam, ut jam & deinceps peccatum eis non dominetur: ac proinde merito ſe ab eis exigere tamquam rem facilem, ut de cætero membra ſua exhibeant arma, non peccato ſed Deo. Probat hunc ſenſum quod ſequitur.

NON ENIM SUB LEGE ESTIS, SED SUB GRATIA. Legem intelligit Moſaïcam, ut paſſim in hac epiſtola, præſertim capite ſequenti: ſed eam ſolam & puram, ut loquuntur, id eſt, ſine gratia & fide. Nam diſtinguitur contra gratiam. Igitur ſub lege eſſe dicuntur, qui legis Moſaicæ ſervitute premuntur, gratiâ Dei, quam non agnoſcunt, ad eam implendam non adjuti. Sic enim & alibi phraſim hanc, eſſe ſub lege, Paulus uſurpat, maximè *in epiſt. ad Gal. cap.* 3. 4. *&* 5. Sub gratia autem eſſe dicuntur, qui ex fide per gratiam Chriſti, juſtitiam percipiunt aut exſpectant: ſive legis Moſaïcæ præceptis aſtricti ſint, ſive non.

Qui ſub lege eſſe dicantur.

Qui ſub gratia.

Nam juſti veteris teſtamenti, quamvis legis ſervandæ debitores, quia tamen non ex lege, ſed ex fide venturi Meſſiæ, juſtitiam ſperabant, non ſub lege (prout Apoſtolus utitur hac phraſi) ſed ſub gratia dicendi ſunt fuiſſe. Unde etiam intelligitur, poſt legem abrogatam nullos jam eſſe ſub lege, niſi propria & errante conſcientia: velut Judæos, qui lege Moſaïca, tamquam adhuc vigeat, teneri ſe credunt. Sic enim & Galatæ quos objurgat Paulus, eſſe volebant ſub lege, *Gal.* 4. Senſus igitur Apoſtoli & probatio hæc eſt: Non eſtis ſub lege, quippe jam abolita: ſed ab ea tranſlati ad gratiam Chriſti, cui eſtis incorporati per baptiſmum: igitur eſtis à peccati dominio liberi. Sequela valet à cauſa ad effectum.

Juſti veteris teſtamenti non erant ſub lege, ſed ſub gratia.

15. QUID ERGO? PECCABIMUS QUONIAM NON SUMUS SUB LEGE, SED SUB GRATIA? Hanc ſibi quæſtionem facit ex eo quod proximè dixerat, *non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*. Nam ſi ſub lege non ſumus, liberum nobis relictum videtur ut peccemus, id eſt, ea agamus quæ lex prohibet, ut pote legis vinculo non aſtrictis. Ac rurſum; etſi ſub gratia ſimus, adhuc tamen peccandum erit, ut gratia & miſericordia Dei in remiſſione peccatorum ampliùs commendetur. Qua poſteriori parte coincidit hæc occupatio cum ea quæ erat initio hujus capitis.

ABSIT. Res, inquit, planè abſurda eſt, nec ullo modo conſequens ex dictis: cùm potiùs ex iis benè intellectis diverſum ſequatur, ſcilicet, non eſſe peccandum.

16. NESCITIS QUONIAM CUI EXHIBETIS VOS SERVOS AD OBEDIENDUM. Græcè *vos ipſos ſervos ad obedientiam*, quam mox obeditionem vocat interpres.

SERVI ESTIS EJUS CUI OBEDITIS, SIVE PECCATI AD MORTEM, SIVE OBEDITIONIS AD JUSTITIAM? Objectionem contrario refellit argumento: ex quo tamen etiam objectionis ſolutio poſſit accipi. Vis argumenti hæc eſt: Cui quis ſe exhibet ac tradit ab obediendum, ſervus illius efficitur; atqui per gratiam voſmetipſos tradidiſtis in obedientiam Evangelii; igitur hujus eſtis ſervi; & proinde non ampliùs peccare, ſed operibus juſtitiæ quæ præſcribit Evangelium, incumbere debetis.

Propoſitionem argumentationis iſta pars tota continet, obſcura quidem, ſed quam ita clariorem reddere licebit: An neſcitis quod cuicumque vos ipſos addicitis obediendo voluntati & imperio ejus, ſervi illius efficimini: ſive peccati, quod hominem ſibi ſervientem trahit ad mortem; ſive Evangelii, aut (ſecundùm alios) fidei, cujus obedientia præſtat juſtitiam? Nam in Evangelio *juſtitia Dei revelatur ex fide in fidem, ſicut ſcripum eſt, Juſtus autem ex fide vivit*, ſuprà cap. 1. Ubi etiam fides Evangelii per obedientiam deſcribitur, quemadmodum & alibi. Porro mortem intelligit æternam, de qua infrà, *Stipendia peccati mors*. Conſonant huic loco Scripturæ, Joan. 8. *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. Et 2. Petri 2. *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.*

Duplex ſervitus, peccati & Evangelii ſeu fidei.

17. GRATIAS AUTEM DEO QUOD FUISTIS SERVI PECCATI. *Gratias*, Græcè χαρις *gratia*: ſed ſenſum facit eumdem.

OBEDISTIS AUTEM EX CORDE IN EAM FORMAM DOCTRINÆ IN QUAM TRADITI ESTIS. His verbis aſſumptio continetur præcedentis argumentationis. *In quam* lego ex correctione Romana, pro eo quod paſſim legebatur, *in qua*. Correctionem probant non modo Græca & Syra exemplaria, verum etiam ex Latinis meliora poſt Amb. Aquinatem & Lyranum: nec non veteres concordantiæ. Apud Pelagium autem ſic legitur: *in ea forma doctrinæ in quam traditi eſtis*. Quod à Græca lectione non eſt alienum. Sic enim habet ad verbum: *obediſtis autem in corde in quam traditi eſtis formam doctrinæ*.

Quod ita conſtruitur & explicatur: Obediſtis in ea forma, vel ſecundùm eam formam doctrinæ, *in quam traditi eſtis*, id eſt, traducti ſive tranſlati per Evangelii prædicationem. Quod nonnulli per hypallagen exponunt: *in quam traditi eſtis*, id eſt quæ tradita eſt vobis. Verùm ſuperior propoſitio magis exigit, ut ſignificetur quod ipſi ſua voluntate & ſpontanea obedientia ſe tradiderint Evangelio; cujus proinde ſervi ſint facti.

Porrò non agit gratias Deo pro ſervitute peccati, quam aliquando paſſi ſint; tamquam illud eſſet Dei beneficium: Sed phraſis eſt Hebraïca, *ſenſum* hunc habens: Gratia Deo habenda, quòd cum fueritis ſervi peccati, nunc è converſo obedieritis ex corde, id eſt, toto animo voſmetipſos compoſueritis ad formam evangelicæ doctrinæ, cui contraditi eſtis. Similes ſunt locutiones, Iſaiæ 12. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, converſus eſt furor tuus, & conſolatus es me*, & Luc. 15. *Manducemus & epulemur: quia hic filius mortuus erat, & revixit: perierat & inventus eſt.* Jam ſi gratiæ Deo ſunt agendæ pro eo quòd ex corde obediunt homines Evangelio: igitur obedientia voluntatis humanæ & opus & donum Dei eſt, *ut ne quis glorietur*, Eph. 2.

Obedire Evangelio, donum Dei eſt.

LIBERATI AUTEM A PECCATO, SERVI FACTI ESTIS JUSTITIÆ. Dativi caſus eſt *juſtitiæ*. Sic enim habetur in Græco ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ, ac ſi dicat, mancipati eſtis juſtitiæ. Cohæret hæc pars cum præ-

cedente, tamquam explicatio ejus quod dixit, *fuiſtis ſervi peccati.* Nam *ſenſus* eſt: Gratias, inquam Deo, quod liberati à peccati dominio, *ſervi facti eſtis juſtitiæ*, nempe per hoc quod Evangelio obediviſtis, ac ſi dicat; à probroſa ſervitute, cujuſmodi maximè eſt ſervitus peccati, tranſlati ad honorabilem ſervitutem, ſcilicet juſtitiæ qua Deo ſervitur. Idcircò cavendum vobis ſummopere eſt, ne iterum peccando in priorem ſervitutem recidatis.

19. HUMANUM DICO, PROPTER INFIRMITATEM CARNIS VESTRÆ. Suadet ab æquo & facili. Rem, inquit, non difficilem, ſed humanis viribus accommodam & humano judicio valdè æquam & rationabilem vobis propono, & à vobis exigo: idque propter infirmitatem carnis veſtræ; quaſi dicat, nolo vos onerare graviore præcepto. Quamvis enim ſpiritus promptus ſit, caro tamen infirma eſt.

Quid nomine carnis intelligatur.

Nomine carnis intelligi poteſt vel ipſe homo quatenus carnalis eſt, ad malum pronus, & ad bonum infirmus: quomodo dictum eſt Geneſis 6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Vel innata homini concupiſcentia, reddens eum carnalem & infirmum; tametſi prior intellectus magis placet.

Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam quæſt. 10. phraſim hanc, *humanum dico*, refert inter eas, quæ Paulo ut homini Tarſenſi, & lingua Cilicum utenti, fuere peculiares; quemadmodum & illam 1. Cor. 4. *ab humano die.* Simili ratione tentationem humanam nominat ejuſdem epiſtolæ cap. 10. Porrò humanum illud quod dicit, jam ſequitur.

SICUT ENIM EXHIBUISTIS MEMBRA VESTRA SERVIRE IMMUNDITIÆ ET INIQUITATI, AD INIQUITATEM: ITA NUNC EXHIBETE MEMBRA VESTRA SERVIRE JUSTITIÆ, IN SANCTIFICATIONEM. *Ita nunc.* Græcè, *ita & nunc.* Notandum quoque pro verbo *ſervire* utrobique in Græco eſſe nomen neutrum δοῦλα, id eſt, *ſerva*, ſive ut Tertullianus duobus locis antè citatis legit, *famula*, videlicet adjectivum ſubſtantivi τὰ μέλη *membra*, ut ſervitus hæc ipſis membris tribuatur. Deinde eadem utrobique præpoſitio eſt εἰς, *ad iniquitatem*, *ad ſanctificationem.*

Senſus; Cum meritò deberetis multò majus ſtudium impendere ſervituti juſtitiæ, quàm hactenus impendiſtis ſervituti peccati; & ad id poſſem vos exhortari, utendo verbis ejuſmodi quibus Baruch alloquitur Judæos cap. 4. dicens: *Sicut fuit ſenſus veſter ut erraretis à Deo, decies tantùm iterùm converſi requiretis eum*: attamen dimittens exhortationem meam ad veſtram infirmitatem, hoc ſolùm à vobis requiro, ut ſicut membra veſtra aliquando præbuiſtis immunditiæ, & in univerſum injuſtitiæ ſerva, ad opera injuſtitiæ patranda: ita nunc pari ſaltem ſtudio præbeatis membra veſtra ſerva juſtitiæ ad ſanctificationem veſtram, id eſt, ut vitam agatis ſanctam & puram, nominatim ab iis peccatis quæ ad genus immunditiæ ſpectant. Huic enim peccatorum generi ſanctitatem præcipuè opponunt Apoſtolicæ litteræ, ut 1. Teſſ. 4. & alibi.

Quid liberum eſſe juſtitiæ.

20. CUM ENIM SERVI ESSETIS PECCATI, LIBERI FUISTIS JUSTITIÆ. *Eſſetis*, *fuiſtis*, utrúmque Græcè ἦτε *eratis.* Et *juſtitiæ* rurſus dativi caſus eſt τῇ δικαιοσύνῃ. *Senſus*: Quando eratis ſervi peccati, liberi eratis à præclara & unicè exoptanda ſervitute juſtitiæ; liberi, inquam, in quantum non ſerviabatis juſtitiæ.

Quidam ſic: *Liberi fuiſtis juſtitiæ*, id eſt, credebatis vos non eſſe obligatos juſtitiæ: ſecundùm illud quod dicitur impiæ civitati Jerem. 2. *A ſæculo confregiſti jugum meum; dixiſti, non ſerviam*, id eſt, libera ſum. Verùm prior expoſitio menti Paulinæ magis congruit. Sentit enim liberos fuiſſe juſtitiæ, non opinione ſed facto, tametſi non jure.

21. QUEM ERGO FRUCTUM HABUISTIS TUNC IN ILLIS, IN QUIBUS NUNC ERUBESCITIS? *In illis*, Græcè non eſt: ſed nec in omnibus Latinis. Quamquam Græca exigunt hujuſmodi ſupplementum, *in illis* aut *ex illis.* Exhortationem confirmat Apoſtolus ab effectu & exitu utriuſque ſervitutis. Ac primùm oſtendit nullum verum fructum ex peccatis percipi; quia fructus propriè in bono intelligitur. Cùm autem dicit *in quibus*, id eſt, de quibus *nunc erubeſcitis*, inſinuat effectum quemdam, qui impropriè fructus dici queat, ex peccatis conſequi; ſed malum & fugiendum, nimirùm pudorem & erubeſcentiam; qua parte ſimul innuit ſe loqui potiſſimum de peccatis immunditiæ. De his enim maximè ſolent homines erubeſcere.

Fructus propriè tantùm intelligitur in bono.

NAM FINIS ILLORUM MORS EST. *Eſt* additum ab interprete. Senſus: Adeò nullus ex peccatis fructus percipitur, ut etiam mors inde tandem conſequatur. Mortem intelligit eam quæ vitæ æternæ opponitur: Hanc enim mors ex adverſa parte collocat. Mors autem illa quamvis ſit totius hominis, tamen initium habet à morte corporali, eamque complectitur.

22. NUNC VERO LIBERATI A PECCATO. Id eſt à dominio peccati, cui ſerviabatis.

SERVI AUTEM FACTI DEO. Id eſt, mancipati Deo, nempe per hoc quod addixiſtis vos operibus juſtitiæ quæ Deus præcepit. Quos priùs dixit ſervos factos juſtitiæ; nunc, quo ſervitutem illam impenſiùs commendet, Deo ſervos eſſe factos affirmat.

HABETIS FRUCTUM VESTRUM IN SANCTIFICATIONEM. Hoc eſt, ipſam ſanctificationem ſive ſanctimoniam, vitæque munditiam, velut fructum ex illa ſervitute capitis. Si fructus eſt ſanctitas, utique vera, licet imperfecta, non igitur imputativè ſolum & ſancti & juſti ſumus. Loquitur enim de fructu quem in hac vita percipimus: Nam de futura ſequitur.

FINEM VERO VITAM ÆTERNAM. Ad hanc enim perducit tamdem juſtitiæ ſervitus; & ad eam ut cauſam finalem ordinatur.

Circa totum hunc locum in quo tam peccati quàm juſtitiæ ſervitus identidem nominatur, ſciendum ex eo quòd peccator dicitur ſervus peccati, ſicut & Dominus ait Joan. 8. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, & Petrus de quibuſdam. 2. epiſtolæ 2. *Cum ipſi ſint ſervi corruptionis*, id eſt, peccati; nequaquam conſequens eſſe quod hæretici volunt, hominem peccatorem neceſſariò peccare & non liberè; quemadmodum nec ex eo quòd juſtus vocatur ſervus juſtitiæ, ſequitur hominem juſtum neceſſariò benè operari: quaſi nomen ſervi neceſſitatem importet actionibus quas aliquis ut ſervus facit. Quod falſum eſſe conſtat.

Obſerva contra ſectarios ſervitutem peccati & juſtitiæ non adferre neceſſitatem voluntati.

Nam ſive in bonam partem ſive in malam, ſervitutis nomen huc tranſlatum eſt, non ad ſignificandam actionum neceſſitatem, ſed ipſius hominis ad actiones hujus aut illius generis addictionem, & ut ita dicam, appropriationem: uti ſuperiùs expoſitum eſt. Significatur enim alios quidem peccato dominanti addictos eſſe, ejuſque velut imperio regi & deſideriis agi; alios verò juſtitiæ dominanti addictos ſervire, ejuſque juſſis obtemperare. Eſt enim, ut antè dixi, fictio perſonarum in peccato & juſtitia, dum vel hujus vel illius ſervi dicuntur homines, quod eis perinde ut dominis ſervire videantur.

Imò verò quia Apoſtolus hanc ſervitutem in obedientia conſtituit ut ex ejus verbis eſt manifeſtum; obedientia autem propriè non eſt niſi liberæ voluntatis; planè ex hoc loco diverſum ſequitur, videlicet tam peccatores quàm juſtos liberum habere arbitrium ad eas actiones, in quibus vel peccato vel juſtitiæ ſerviunt. Illud interim diſcrimen agnoſcendum inter ſervos peccati & ſervos juſtitiæ, quòd hi ſolis arbitrij viribus deflectere poſſint ad peccatum, illi non niſi gratia Dei adjuti à ſervitute peccati ſeſe expedire, & ad juſtitiam transferre queant; quemadmodum docet Aug. *lib. 1. cont. duas epiſt. Pelag. cap. 2.*

23. STIPENDIA ENIM PECCATI MORS. Declarat

quod dixit de fine & exitu utriuſque ſervitutis. *Senſus* hujus partis : Merces quam peccatum ſervis ſuis rependit, mors eſt. Adhuc enim durat metaphora ſervitutis & militiæ. Nam conſiderat Apoſtolus peccatum ut dominum ac imperatorem, qui non ſolùm ſervis ac militibus ſuis imperet, verùm etiam ſtipendia ſolvat : eamque ob cauſam uſus eſt ſtipendij nomine. Sic Theophylactus & alii. Atque huic intellectui probè reſpondet alterum ſententiæ membrum, *Gratia Dei*, &c. Eſt autem Græcè pro ſtipendiis ὀψώνια, quæ vox propriè ſignificat cibarium ac vulgare ſtipendium gregariis militibus pro mercede dari ſolitum. Itaque vocabulo ipſo Paulus inſinuat, cujuſmodi ſtipendium conveniat iis perſolvi, qui ſub peccati ſignis militant.

Cur mercedem peccati vocet Apoſtolus ſtipendia.

GRATIA AUTEM DEI, VITA ÆTERNA IN CHRISTI JESU DOMINO NOSTRO. *Gratia*, Græcè χάρισμα, id eſt, donum gratuitum ; & ſenſus eſt : Donum quod Deus ſervis ſuis largitur, eſt vita æterna accipienda per Jeſu Chriſti Domini noſtri merita.

Quæritur, cur non dixerit, ſtipendium aut merces juſtitiæ vita æterna : ſicut dixerat, *ſtipendium peccati mors*. Id enim poſtulare videbatur conſequentia ſermonis. *Reſpondet* hæreticus meritum omne juſtificatis detrahens, hanc eſſe cauſam : quia vita æterna tantùm eſt gratia Dei, non etiam merces bonorum operum.

Obſerva contra ſectarios, quomodo vita æterna, quamvis bonorum operum merces ſit, attamen gratia vocetur.

Verùm B. Auguſtinus multis locis aliter & catholicè reſpondet : vitam æternam quamvis pro bonis operibus juſto Dei judicio reddendam (ſicut ait ipſe Paulus, coronam juſtitiæ eam appellans, *Quam reddet mihi*, inquit, *in illa die juſtus judex*, 2. Timoth. 4.) gratiam tamen eſſe, id eſt, gratuitum Dei munus, quoniam ipſa bona opera pro quibus vita æterna redditur, gratia ſunt, id eſt, gratis data : eodem Apoſtolo teſtificante, quod ſumus *creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*, Eph. 2. Ad hanc igitur gratiam commendandam maluiſſe Paulum loqui ad hunc modum, ut vitam æternam diceret gratiam Dei, quam ſtipendium juſtitiæ : quod alioqui verè dicere poterat.

Ita docet Auguſt. *in epiſt. 105. ad Sixtum : lib. de gratia & lib. arb. cap. 6. & tribus ſeq. de correp. & gra. cap. 13. & Ench. cap. 107.* Quo poſtremo loco ſic ait : *Ipſam vitam æternam, quæ certè merces eſt bonorum operum, gratiam Dei appellat Apoſtolus : Stipendium enim, inquit, peccati mors : Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Stipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur : ideò dixit : Stipendium peccati mors ; ut mortem peccati non immeritò illatam, ſed debitam demonſtraret. Gratia verò niſi gratis ſit, gratia non eſt. Intelligendum eſt igitur etiam ipſa hominis bona merita eſſe Dei munera : quibus cum vita æterna redditur, quid niſi gratia pro gratia redditur?*

Hæc Auguſtini reſponſio, quam probant omnes orthodoxi, plenior erit & abſolutior, ſi dicamus, idcircò vitam æternam vocari gratiam, quòd prædeſtinatio qua ad ſalutem & vitam æternam præordinati ſumus, prorſus gratuita ſit, & ab omni præviſione meritorum independens. Cùm enim prædeſtinatio Dei reſpiciat & vitam æternam, & opera bona ; illam ut finem, hæc ut media ad finem ; ſitque finis intentione primus, utique conſequens eſt, prædeſtinationem ad vitam, ordine rationis priorem eſſe prædeſtinatione ad opera, quibus vitam mereamur : quemadmodum pluribus oſtendimus *in 1. ſent. diſt. 40.*

Prædeſtinatio hominis ad vitam æternam gratuita.

Sed & hanc rationem ad Auguſtini reſponſionem ampliùs ſtabiliendam adjungimus ; quia Deus gratuitò dignatus eſt vitam æternam conſtituere mercedem ac præmium bonis operibus. Non enim iis hæc meriti ratio competit ex ipſorum natura, ſed ex Dei beneplacito quo ita ſtatuit ac promiſit. Quamquam etiam idcircò non debuit Apoſtolus dicere ; ſtipendium juſtitiæ vita æterna ; quia Græcum vocabulum ὀψώνια non quadrabat in excellentiſſimum illud præmium juſtitiæ, quod eſt vita æterna.

Bona opera vitam merentur æternam, non ſua natura ſed ex Dei promiſſione.

Quò pleniùs autem reſpondeatur adverſariis, ſciendum eſt χαρίσματα, Græcis interdum id ſignificare quod Latini donativum appellant, id eſt, munus quod à principe militibus ob rem fortiter ac felicitet geſtam donatur. Et ita accipi hoc loco valde probabile eſt. Verſatur enim Apoſtolus, ut dictum eſt, in metaphora militiæ. Certè Tertull. *in lib. de reſurr. carnis cap. 47. donativum* tranſtulit, appoſitè nimirum & Romanè. Erat enim illa Romanorum imperatorum conſuetudo, donativa largiri militibus. Igitur in eodem Græco nomine quo Paulus uſus eſt, habemus & largitionem gratuitam, & laborum militarium remunerationem. Ex quo propterea confirmari poſſe videtur, quod Theologi communi conſenſu tenent ; Deum omnibus ſuis electis præmia redditurum ſupra condignum.

Vita donativum Apoſtolo vocatur.

Deus electis ſuis præmia reddit ſupra condignum.

CAPUT VII.

1. AN ignorantis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominabitur, quanto tempore vivit ? 2. Nam
1. *Cor. 7. g. 39.* quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi : ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri. 3. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro : ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro. 4. Itaque fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti : ut ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificemus Deo. 5. Cùm enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti 6. Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ. 7. Quid ergo dicemus ? Lex peccatum eſt. Abſit. Sed peccatum non cognovi, niſi per legem : nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret : Non concupiſces. 8. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. 9. Ego autem vivebam ſine lege aliquando. Sed cum veniſſet mandatum, peccatum revixit. 10. Ego autem mortuus ſum : & inventum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. 11. Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. 12. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum & juſtum, & bonum. 13. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors ? Abſit. Sed peccatum, ut appareat peccatum per bonum operatum eſt mihi mortem : ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum 14. Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt : ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato. 15. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago : ſed quod odi malum, illud facio. 16. Si autem quod nolo illud facio : conſentio legi, quoniam bona eſt. 17. Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.
Exod. 20. c. 17. Deut. 5. c. 16.
1. *Tim. 1. b. 8.* 18. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi : perficere autem bonum, non invenio. 19. Non enim quod volo bonum, hoc facio : ſed quod nolo malum, hoc ago. 20. Si autem quod nolo, illud facio : jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum 21. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet : 22. Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem. 23. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. 24. Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? 25. Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati.

SUMMARIUM.

DOcet fideles per Chriſtum legi mortuos eſſe, ut Deo fructificent : qui quando ſub lege erant, morti fructificabant, non vitio legis quæ bona eſt, ſed peccati, quod per legem cognitum ejuſdem occaſione magis excrevit. Nunc quoque propter malum in ſe reliquum, ſe non ea quæ vult agere : ſed mente quidem ſervire legi Dei, carne autem legi peccati.

1. AN IGNORATIS FRATRES (SCIENTIBUS ENIM LEGEM LOQUOR) QUIA LEX IN HOMINE DOMINABITUR QUANTO TEMPORE VIVIT? Superiori ca-

pite docuit Apoſtolus liberatos eſſe fideles à ſervitute peccati : quoniam & ipſi peccato mortui erant in baptiſmo, & peccatum ipſis mortuum. Nunc oſtendit liberatos eſſe à ſervitute legis, juxta quod dixerat: *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Oſtendit autem conſimili argumento: quia lex ipſis mortua eſt, & ipſi viciſſim legi mortui. Quoniam verò ſoli Judæi ſub lege fuerant, idcircò peculiariter eos hîc alloquitur: quod ſignificant interpoſita verba; *Scientibus enim legem loquor.* Ubi legem nonnulli vel Evangelium, vel naturæ legem interpretantur; ſed præter mentem Apoſtoli : quem conſtat de lege Judæis propria loqui, vel ex hoc ipſo, quia dicit, *ſcientibus legem loquor*, id eſt, legis ac Scripturarum peritis. Eſt enim valde probabile in hac parentheſi legem extendi ad omnes libros veteris inſtrumenti, quemadmodum & ſuprà cap. 3. cum ait : *Quæcumque lex loquitur, iis qui in lege ſunt loquitur.* Cur id probabile ſit, ex ſequentibus intelligetur.

Legis nomine tota veteris inſtrumenti ſcriptura comprehenditur.

Porrò Græcè non eſt *in homine dominatur*, ſed *dominatur hominis*, ſive *homini*, quomodo legunt commentator Ambroſ. & Hilarius in enarratione pſalmi 131. Et ſecundùm hoc textus noſter interpretandus eſt. Verbum *vivit* non ad hominem, ſed ad legem referendum videtur. Ad hoc enim invitat ſubjuncta declaratio, in qua lex viro comparatur, quo vivente mulier ei manet ſubjuncta. Quo argumento Origenes docet ad legem referri oportere. Cum quo poſt commentatorem Ambroſ. ferè ſentiunt recentiores. Et ita vertit Eraſmus: *Lex tantiſper dominabitur homini, quoad ea vixerit.*

Alii tamen, ut Theophylactus, Oecumenius, (de Chryſoſtomo non liquet) Aquinas, Cajetanus, atque etiam Auguſt. *quæſt. 66. lib. 83. quæſt.* ad hominem referre malunt propter ea quæ poſteà ſequuntur: ubi non legem mortuam dicit Apoſtolus; ſed homines qui legi priùs erant ſubjecti, legi mortificatos dicit per Chriſtum. Verùm ad hoc reſponderi poteſt Apoſtolum ex eo quod homines legi mortificatos dicit, intelligendum relinquere, legem ipſam illis mortuam eſſe, quæ priùs ipſis vivebat, quando eos tenebat ſubjectos. Sic enim etiam capite præcedenti modò dicit nos mortuos eſſe peccato, modò veterem hominem noſtrum crucifixum eſſe, ut deſtruatur corpus peccati. Id autem quid eſt aliud quàm peccatum nobis eſſe mortuum ? Ita ad Galat. c. 6. in una ſententia: *Mundus*, inquit, *mihi crucifixus eſt, & ego mundo.* His accedit quòd & in conjugio, ex quo ſumit Apoſtolus comparationem, ita ſe res habet, ut alterutro mortuo ſolvatur lex conjugii.

Rectè igitur Cajetanus admonet parùm aut nihil referre ad ſenſum & ſcopum Apoſtoli, ſive ad legem, ſive ad hominem verbum *vivit* referatur. Nobis tamen ad legem referri probabilius eſt ob rationem ſupradictam, ut ſit ſenſus: Lex dominatur & poteſtatem ſuam exercet in hominem, quamdiu ipſa vivit ac viget; non autem poſtquàm mortua & extincta fuerit.

Quæſtio. Sed cur dicit ſe loqui ſcientibus legem, quùm nec ii quibus lex data non fuit, ignorent legem homini dominari, dum vel ipſa, vel homo legi ſubditus, vivit?

Reſponſio. Reſpondeo meliùs id noſſe qui legem acceperunt, & ejus jugum experti ſunt. Neque tamen ad hoc ſolùm reſpicit Apoſtolus: ſed ſimul ad id quod ſequitur de lege conjugii. Id enim adfert tamquam notum Judæis ex lege ſibi tradita.

2. NAM QUÆ SUB VIRO EST MULIER, VIVENTE VIRO ALLIGATA EST LEGI. Quod dixit, exemplo declarat legis conjugalis; à qua deinde comparationem ſumit ad docendum quod hîc principaliter inſtituit, fideles eſſe liberos à ſervitute legis. Comparat autem legem viro; & homines legi ſubjectos, mulieri virum habenti; idque ſatis appoſitè. Quamvis enim lex Latinis ſit fœminei generis, Græcis tamen eſt maſculinũ, νόμος. *Sub viro*, Græcè ὑπανδρος, quaſi dicat *ſubviralis.* Eraſmus, *viro obnoxia*, ſcilicet per conjugium: prout dictum eſt ei Geneſ. 3. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Eadem Græca voce utuntur interpretes LXX. Num. 5. & Prov. 6.

Porrò ſciendum in Græco non haberi *vivente viro*, quòd per genitivos exprimi deberet, ſed τῷ ζῶντι ἀνδρὶ *viventi viro*; eumque dativum regi à verbo *alligata eſt.* Ita quoque Tertullianus lib. de monogamia cap. 13. *viventi viro vincta eſt.* Unde conſequenter pro dativo *legi* reddendum eſſet ablativo *lege*, id eſt, per legem; quomodo vertit Eraſmus: ut *ſenſus* ſit, mulierem per legem conjugii alligatam eſſe viro viventi, id eſt, quamdiu vivit: tametſi poteſt etiam utrobique dativus retineri per appoſitionem hoc modo : Viventi viro alligata eſt legi, id eſt, tamquam legi. Nam, ut dixi, comparat Apoſtolus legem viro, & vir eſt quaſi lex mulieris : quia ſecundùm præcepta Apoſtolica mulier debet eſſe viro ſubdita, eique obedire. Qua ratione dici ſolet principem eſſe legem populi animatam. Verùm quia Scriptura nuſquam ipſum hominem vocat legem, magis placet prior ſenſus: cui benè etiam aptatur illud 1. Cor. 7. *Mulier alligata eſt lege:* ut ex Græco verti poteſt. Aſtipulatur autem utriuſque loci verſio Syriaca, *per legem.*

Vir lex mulieris.

Sed jam quæritur ubinam lex doceat quod hîc apud ſcientes legem, velut ex lege, Paulus allegat, mulierem viro cui nupſit, alligatam eſſe, quoad ille vixerit. Nam certè Moyſes *Deut.* 24. viro poteſtatem facit dato libello repudii dimittere uxorem, ſi propter aliquam fœditatem diſplicuerit. Quod huic ſententiæ Paulinæ videri poteſt contrarium. Quidam adferunt illud Jeremiæ 3. *Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum; numquid revertetur ad eam ultrà ? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa ?*

Quæſtio.

Mihi veriſimilius eſt Paulum reſpicere ad legem conjugii inſtitutam in Paradiſo, Gen. 2. qua dictum eſt, *Relinquet homo patrem ſuum & matrem; & adhærebit uxori ſuæ : & erunt duo in carne una.* Similiter enim 1. Cor. 14. dicens de mulieribus : *Non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit :* reſpicit ad id quod legi conjugii poſt peccatum acceſſit, Gen. 3. Quod autem illis verbis, *relinquet homo*, &c. ſignificatum ſit conjugium ſolvi non poſſe, docet Chriſtus Matth. 19. dum ex iis infert : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Reſponſio.

Id verò quod de lege repudii Moyſes ſtatuit, oſtendit permittentis fuiſſe, non approbantis : permittentis, inquam, ob duritiam cordis eorum quibus illa lex data fuit; ſalva nihilominus lege primordiali; quam Deus ſemper valere voluit. Quod quidem ipſe Moyſes in Deuteronomio, & poſt eum Jeremias ſatis innuunt; quùm mulierem dimiſſam & alteri nuptam dicunt pollutam eſſe & abominabilem factam coram Domino. Hoc ipſum igitur & Paulus ſignificat, dum præfatus ſe loqui ſcientibus legem, affirmat mulierem viro ſuo dum vivit alligatam manere.

Nota locum contra Sectarios de indiſſolubilitate matrimonii.

Cùm autem lex illa conjugii non Moſaica ſit, ſed ab initio data; atque à Chriſto confirmata : rectè ex hoc loco, quo Paulus eam explicat, docent Theologi inſolubile eſſe vinculum matrimonii, vita utriuſq; conjugis durante. Quod tamen utrum aliquam habeat exceptionem, diſputatur ad *diſt. 33. lib. 4. ſent.* Neq; id negat Apoſtolus : ſed ab eo quod ordinarium eſt in lege matrimonii, comparationem aſſumit. Neque hîc attinebat exceptionis alicujus meminiſſe, præſertim cùm rari ſint & privilegiarii caſus; ut dum infidelis cum conjuge converſa cohabitare non ſuſtinet abſque injuria Chriſti; & dum incõſummato adhuc matrimonio alter ingreditur religionem. Quarum exceptionum priorem ipſe Paulus oſtendit 1. *Cor.* 7. poſteriorem habemus ex Apoſtolica traditione.

Conjugii vinculum inſolubile. An aliquo caſu ſolubile.

Quanquam ſatis apparet Apoſtolum hîc loqui, quemadmodum & Moyſen in Geneſi, de matrimo-

nio consummato, in quo duo facti sunt una caro: tum quia mulierem vocat ὕπανδρον, in qua voce significatio quædam est concubitus; tum verò quoniam in eo quod sequitur, *si fuerit cum alio viro*, concubitus sine dubio significatur: Unde consequenter intelligi datur, eam anteà, pari sensu, cum priori viro fuisse.

SI AUTTM MORTUUS FUERIT VIR EJUS, SOLUTA EST A LEGE VIRI. Relativum *ejus*, quod nec in Græco est, nec apud Hilarium, supplevit interpres. *Soluta* est, Græcè κατήργηται: pro quo Tertullianus & Hilarius, *evacuata est*. Et ita noster interpres alibi sæpè vertit, nominatim in locutione simili Galat. 5. *Evacuati estis à Christo*. Quamquam hoc loco rectè, *soluta est*, ut alii, *liberata est*. Significatur autem Græca voce jus abolitum & antiquatum.

Legem viri rursus intellige legem conjugii, qua sub viri potestate mulier tenebatur, & à qua liberatur per viri mortem. Potest etiam verti, *à lege viro*, id est, à viro qui lex est mulieris, sicuti dictum est in parte præcedenti. Sed is sermo durior est, & ut dicebam, Scripturis insolitus.

3. IGITUR VIVENTE VIRO VOCABITUR ADULTERA, SI FUERIT CUM ALIO VIRO. Græcè: *si fuerit viro alteri*, id est, si copulato fuerit alii viro. Est enim Hebraïsmus, quem etiam August. observavit in locutionibus de Levitico cap. 22. *Filia sacerdotis si fuerit viro alienigenæ. Vocabitur*, non quomodocumque, sed accusata apud judicem. Tale quid enim insinuat vox Græca χρηματίσει. Rectè autem hoc loco vertit interpres *vivente viro*; quod superiùs non potuit. Sunt enim hîc genitivi, qui Græcis absolutè ponuntur, quomodo Latinis ablativi.

SI AUTEM MORTUUS FUERIT VIR EJUS, LIBERATA EST A LEGE VIRI. Relativum *ejus* rursum ab interprete suppletum. Nec Græca habent *liberata est à lege viri*, nec Hilarius addit *viri*: Sed Græcè tantùm, *libera est à lege*, scilicet ea qua viro erat alligata atque subjecta; quam suprà vocavit legem viri.

UT NON SIT ADULTERA, SI FUERIT CUM ALIO VIRO. Græcè *si fuerit viro alteri*, ut suprà. Sensus, ac proinde non erit adultera, nec ut talis accusabitur aut judicabitur, etiamsi conjuncta fuerit alii viro.

4. ITAQUE FRATRES MEI, ET VOS MORTIFICATI ESTIS LEGI PER CORPUS CHRISTI. Exemplum quod de muliere & viro adduxerat, applicat instituto. Sicut, inquit, viro mortuo lex conjugii, vel etiam vir ipse nihil ampliùs habet juris in mulierem; ita lex Moysi, cui vos Judæi (nam Judæos alloquitur, ut dictum est) iidemque in Christo fratres mei, jam mortui estis; quæque proinde vicissim vobis est mortua; nihil ampliùs in vos juris habet.

Hoc quod dicit Apostolus *mortificati estis legi*, nonnulli restringunt ad legem cæremonialem: ut sit sensus, fideles esse liberatos ab observatione cæremoniarum quas lex Mosaïca præscribit, idque per corpus Christi, id est, per mortem ejus secundùm corpus, in qua & per quam lex illa vim obligandi perdidit.

Sed Apostolum non id solùm velle, perspicuum est; quia de lege non aliter hîc loquitur quàm capite superiori, ubi dixit: *Non enim sub lege estis, sed sub gratia*: Quod universè dictum est de lege veteri per Moysen data. Deinde & ea quæ hîc proximè sequuntur, palàm ostendunt non de cæremoniis legis Apostolum agere, sed de lege simpliciter, & quidem præcipuè de lege decalogi. Nam ex ea depromit illud; *Non concupisces*.

Legis à gratia distinctæ officia.

Igitur sensus est, fideles legi mortuos esse, proindeque legi non ampliùs subjectos; ac consequenter in iis jam locum non habere ea legis officia quæ illi propria sunt ut à gratia distinguitur, id est, minari, accusare, terrere, damnare & punire. Mortuos, inquam, per corpus Christi, scilicet, ut quidam exponunt, oblatum & mortuum in cruce; ut sensus sit, per crucem & mortem Christi, quam in corpore suo sustinuit; quomodo dicit Eph. 2. Christum solvisse *inimicitias in carne sua*, id est, per carnem suam cruci affixam & in cruce mortuam. Vel potiùs & textui congruentiùs; *per corpus Christi*, id est, per hoc quod sunt incorporati Christo, tamquam conjuncti alteri viro, & cum eo facti una caro. Nam sequitur.

UT SITIS ALTERIUS. Græcè *ut sitis alteri*, sive quomodo legit Tertullianus, *ut efficiamini alteri*. Quæ phrasis jam antè exposita est. Nam allusio est ad conjugium, à quo comparationem desumsit in superioribus. Et quidem in editione Complutensi sic expressè legitur hoc loco, ἀνδρὶ ἑτέρῳ, *viro alteri*. Et in codice Laudensi, *ut sitis alterius viri*.

QUI EX MORTUIS RESURREXIT. Græcè: *ei qui ex mortuis suscitatus est*. Nam articulus additus emphasim facit. Quam sic expressit Hilarii citatio: *ut & ipsi sitis alterius, hujus qui à mortuis resurrexit*. Sensus: Quo fit ut loco veteris legis jam alium virum habeatis, eique conjuncti sitis, cujus deinceps arbitrio regamini; scilicet ejus qui à morte resurrexit: ad cujus formam etiam vos oporteat in novitate vitæ ambulare, *tamquam ex mortuis viventes*, ut dictum est cap. præcedenti. Unde & hîc addit.

UT FRUCTIFICEMUS DEO. Mutat personam (quod Apostolicæ modestiæ est) ut etiam seipsum in hac exhortatione comprehendat; maximè quia generalis est exhortatio pertinens ad omnes ex Judæis fideles. Est autem & hîc ad conjugium allusio. Debent enim uxores fructificare viris suis, non alienis, id est, filios (qui fructus ventris in Scriptura vocantur) ex suis viris conceptos edere. Dicit ergo *ut fructificemus Deo*, id est, ut Christo tamquam viro nostro cui conjuncti sumus, ex semine gratiæ ejus fœcundati, bonorum operum fructus proferamus. Alii sic exponunt: ut proferamus opera bona, quibus Deo servitur. Sed prior sensus pleniùs explicat allegoriam conjugii.

Fructificare Deo quid sit.

Quæritur Hugo Victorinus quæst. 167. quomodo non ex hac comparatione à lege conjugii sumpta sit consequens, Davidem ac cæteros justos veteris Testamenti, reos adulterii fuisse, quòd *lege vivente, id est, statum habente*, junxerit se cum alio viro, videlicet *Christo, in quem credebant, & à quo justificari quærebant*.

Quæstio.

Responsio.

Responsionis hæc sententia est, eos quamvis Christo venturo sese per fidem conjunxerint, non tamen à statu legis veteris ad statum legis Evangelicæ transiviisse. Manebant enim subjecti legi Mosaïcæ, eamque servabant multò sinceriùs ac meliùs, quàm qui propriè filii erant veteris Testamenti: Neque verò adhuc advenerat novus legislator, cujus instituta prioribus dimissis amplecterentur. *Sed si*, inquit Hugo, *sacramentis legalibus contemptis, jam sacramenta novi Testamenti introducere præsumerent; tunc adulteri viderentur*.

Justos veteris testamēti non fuisse sub lege.

Addo ad hanc responsionem, justos illos sensu Pauli non fuisse sub lege. Non enim fuerunt sub lege minante & premente, id est, secundùm propria legis officia, quibus à gratia distinguitur, ut dictum est: quomodo sub lege fuerant quos hîc alloquitur Apostolus. Vide quæ diximus ad illud cap. præcedentis: *Non enim sub lege estis, sed sub gratia*. Sanè quùm hîc dicit in persona eorum qui mortificati sunt legi per corpus Christi; *ut fructificemus Deo*: significat è diverso, eos qui sub lege erant, non fructificasse Deo. Non igitur justi fuerunt aliquando sub lege. Porrò non dicit eos qui sub lege erant, legi fructificasse, quod consequenter dicendum videbatur; eò quod legem haberent pro viro: sed cui fructificarint, docet verbis consequentibus.

5. CUM ENIM ESSEMUS IN CARNE, PASSIONES PECCATORUM QUÆ PER LEGEM ERANT, OPERABANTUR IN MEMBRIS NOSTRIS, UT FRUCTIFICARENT MORTI. Græcè *ad fructificandū morti*. Quod refertur ad membra nostra, ideſt, nos ipsos sicut di-

Paſſiones peccatorum quæ dicãtur.

xerat, *ut fructificemus Deo*. Paſſiones peccatorum vocat motus ſeu commotiones ad peccandum, deſideria peccãdi. Eraſmus vertit affectus peccatorum. Quamquam Græcè non eſt πάθη, quemadmodum primo capite, ſed παθήματα; quod tamen hîc eamdem ferè habet ſignificationem; quemadmodum & Gal. 5. ubi nos legimus: *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis*, quod Græcè eſt σὺν τοῖς παθήμασι. Jam quod addit *quæ per legem erant*, aut *ſunt* (nam Græcè tantùm eſt τὰ διὰ τοῦ νόμου, *quæ per legem*) non ad peccata, ſed ad paſſiones referendum eſſe conſtat ex Græco jam citato.

Operari paſſivè ſumptum.

Verbum *operabantur*, quod interpres dedit, paſſivè accipiendum; ſicut & alibi interdũ, ut 2. Theſſ. 2. *myſteriũ jam operatur iniquitatis*, & Gal. 5. *Fides quæ per charitatem operatur*. Eſt enim Græcè, ἐνηργεῖτο, à præſenti ἐνεργοῦμαι, quod etſi genere medium ſit, ſemper tamen accipitur paſſivè. Quod latiùs oſtendemus ad memoratam ſententiam epiſtolæ ad Gal. Certè etiam Tertullianus paſſivè reddidit, *paſſiones delictorum, quæ per legem efficiebantur in membris noſtris*. Nec malè vertit Eraſmus, *vigebant*, quomodo dicimus vigere juſtitiam & diſciplinam, quùm bene exercetur.

Eſt igitur hic ſenſus periodi: Dico, *ut fructificemus Deo*; quia quando eramus in carne, id eſt, in ſtatu veteris & carnalis hominis, cujuſmodi ſunt omnes qui ſub lege ſunt, paſſiones peccatorum, id eſt, motus, affectiones ac deſideria peccandi, quæ ſunt & excitantur per legem, exercebantur, & ipſo opere complebantur in membris noſtris: itaque per ea fructificabamus non Deo, ſed morti; id eſt, fructus edebamus mortiferos, qui ſunt ipſa peccata; quia finis & ſtipendium peccati mors. Eſſe in carne quid ſit Apoſtolo, amplius patebit ex capite proximo ubi dicit: *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*.

Quid ſit fructificare morti.

Dicuntur autem paſſiones peccatorum eſſe & excitari per legem: quomodo Venus dicitur excitari vino, ſcilicet ut ab occaſione. Nam ut paulò pòſt dicitur, *ſine lege peccatum mortuum erat. Sed cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit*. Quocirca mentem Apoſtoli non ſatis explicant qui partem iſtam ſupplent hoc modo: *quæ per legem oſtenduntur*; quemadmodum habet textus commentatoris Amb. Plùs enim quàm oſtenſionem ſignificari patet etiam ex aliis quæ ſequuntur hoc capite.

Quæſtio.

Sed cur non dixit, ut fructificarent legi, ſicut dixerat, *ut fructificemus Deo*: cùm verſaretur in antitheſi

Reſponſio.

legis & Chriſti? Reſpondeo peccata non debuiſſe dici fructus legis, quia legi contrariantur, & à lege puniuntur.

Rectè autem fructus mortis dicuntur, quatenus promovent regnum mortis, & faciunt homines mortis filios juxta phraſim Hebraïcam, id eſt, morti deſtinatos, ac morte dignos. Quamquam hic effectus etiam legi velut cauſæ occaſionali tribuitur, ſicut infrà dicitur: *Et inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem*. Denique mors ipſa, legis comminantis effectus eſt.

Quod verò ad fructus bonos ac vitales attinet: legi fructificare eos non poterant, propter ipſius legis infœcunditatem: quoniam ab ea non ſuſcipiebant ſemen gratiæ, ex quo ſolo genus hoc fructuum concipi gignique poteſt. Origenes hoc loco legem interpretatur peccati fomitem, id eſt, concupiſcentiam, quæ & infrà lex peccati vocatur. Verùm textus manifeſtè repugnat. Nam ſtatim ſibi Paulus objicit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognovi niſi per legem*, &c. Quod utique conſtat de lege Moſaïca dici.

6. NUNC AUTEM SOLUTI SUMUS A LEGE MORTIS, IN QUA DETINEBAMUR. *Soluti ſumus*: Græcè *evacuati ſumus*, ut legit Tertullianus. Sed de Græca voce jam ſuprà diximus. Pro genitivo *mortis* in Græco participium eſt ἀποθανόντες, *mortui*. Eamque lectionem Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, cæterique Græci interpretantur, & Syrus quoque expreſſit. Nam quod Gaignæus affirmat Chryſoſtomum legere ἀπὸ τοῦ νόμου ἀποθανόντος, *à lege mortua*; credo fuiſſe uſum mendoſo exemplari. Refragatur enim ipſius Chryſoſtomi commentarius. Unde ejus interpres benè ex Græco vertit: *mortui ei* (ſcilicet legi) *in qua detinebamur*. Quãquam non nego eam lectionem, *à lege mortua* ſatis etiam congruere cum præcedentibus. Sicut enim legem vivere ſuperiùs dixit; ita nunc mortua poteſt intelligi.

Verùm quia poſtmodùm ad nos mortem retulit dicens: *Et vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti*: magis apparet eum in hoc ſermone perſiſtere, quadam repetitione dicendo nos mortuos legi qua priùs detinebamur. Suſpicatur Cajetanus in noſtris codicibus literam eſſe corruptam, putatque interpretem vertiſſe, *morientes*, non *mortis*. Quod nobis non eſt probabile. Nuſquam enim vulgatus interpres ἀποθανόντες vertit morientes, ſed ubiq; mortuos. Nec etiam erat cauſa cur Aoriſtum redderet participio præſentis temporis, cùm præteriti participium non deeſſet. Apud Primaſium quidem in textu legitur *morientes*, ſed vitiosè. Nam authoris expoſitio palàm arguit eum legiſſe *à lege mortis*, quemadmodum legit etiam Ambr. commentator.

Hanc porrò lectionem ſunt qui exiſtiment à Græcis quibuſdam codicibus manaſſe, propterea quòd apud Origenem ejus fiat mentio. Sic enim legitur: *Scio & in aliis exemplaribus ſcriptum, A lege mortis in qua detinebamur. Sed hoc, id eſt, mortui, & verius eſt & rectius*. Verũ hæc Ruffini Latini interpretis eſſe verba crediderim, qui pro more habuit adjicere & ſupplere quæ vellet, in Origene interpretando; Sanè inter Græcas voces ἀποθανόντες & θανάτῳ non eſt ea affinitas quæ inter Latinas *mortis* & *mortui*, ut ab obſcitante ſcriba proclive fuerit alterã in alteram commutari. Quare cùm lectio apud Græcos communiſſima ſit ἀποθανόντος; mirum ſi pro θανάτῳ, vel, ſi mavis τῷ θανάτῳ, tamquam ſinceriore, ſubrepere potuerit. Græcis ſuffragatur Latinorum ferè antiquiſſimus Tertullianus juxta priores editiones, in qubus legebatur: *evacuati ſumus à lege mortui, in qua tenebamur*.

Lex vetus quo ſenſu lex mortis.

Verumtamen ex authoribus memoratis, Ambroſio, Ruffino, Primaſio, patet etiam Latinæ lectionis antiquitas. Occaſio mutatæ lectionis eſſe potuit, tum ex cap. ſequenti, ubi lex mortis nominatur; tametſi alia ſignificatione, ut ibi videbitur: tum quia obſcurum erat & non intelligebatur; *ſoluti ſumus à lege mortui*. Utraque lectio bonum habet ſenſum. Juxtà Latinam vetus lex appellatur lex mortis, quia per peccatum operatur mortem, ſcilicet æternam de qua dixerat; paſſiones peccatorum fructificaſſe morti. Ita congruit cum eo quod dicit 2. Corinth. 3. *Litera occidit*. Nam quod commentator Ambroſ. legem mortis interpretari videtur ita dictam, quia lex illa reos temporaliter puniebat, vel etiam mortificabat; id Paulinæ intentioni minùs eſt conſentaneum.

Juxta Græcam lectionem ſenſus Apoſtoli eſt: Nunc autem per gratiam Chriſti liberati ſumus à jure legis, utpote mortui ipſi legi, in cujus ſervitute detinebamur. Origenes qui etiam in hac parte legem intelligi vult carnis & vitiorum, quam infrà vocat Apoſtolus legem membrorum, non eſt audiendus.

ITA UT SERVIAMUS IN NOVITATE SPIRITUS, ET NON IN VETUSTATE LITERÆ. Ac ſi dicat: liberati ſumus à lege, ejuſque ſervitute, non ut licenter peccemus, ſed ut malam ſervitutem commutemus in bonam. Præſtat enim ea liberatio, ut ſervitus quam operibus exhibemus, jam ſit & conſiſtat in novitate vitæ, quam facit Spiritus ſanctus: non autem, ut priùs, in vetuſtate vitæ, quam litera, id eſt, lex ſcripta adeò non aufert, ut etiam per occaſionem augeat.

Novitas vitæ vera juſtitia eſt, quæ declaratur bonis operibus, vetuſtas, injuſtitia, quam oſtendunt

Novitas vitæ juſtitia: vetuſtas, injuſtitia.

opera mala. Quidam vetuſtatem literæ interpretantur circumciſionem, cæteraſque legis antiquæ cærimonias. Sed hi Pauli mentem non aſſequuntur. Non enim hîc agit de ceſſatione legalium, ſed diſtinguit ſtatum legis & ſtatum gratiæ. Quod manifeſtum eſt ex tota hujus capitis doctrina, adeóque ex ſcopo ipſius epiſtolæ.

7. QUID ERGO DICEMUS? LEX PECCATUM EST? Quædam Græca ὅτι ὁ νόμος ἁμαρτία; *quod lex peccatum ſit?* Locum hunc uſque ad finem capitis tractat Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam quæſt. 8. Unde nonnulla etiam huc adducemus. Infert Apoſtolus hanc ſuam interrogationem ex ſuperioribus: maximè ex eo quod dixerat, *paſſiones peccatorum quæ per legem erant.*

Senſus eſt: Ergone lex præcipit peccatum? obligat, inducit, impellit ad peccatum? Quicquid enim per ſe cauſa peccati eſt, idipſum quodammodo peccatum eſt, quia reprehenſione dignum. Qua ratione etiam ipſa concupiſcentia, quoniam ſuapte natura ad peccatum ſollicitat, peccatum ab Apoſtolo vocatur hoc capite & ſuperiori.

ABSIT. Ac ſi dicat. Res minimè concedenda. Lex enim à Deo eſt, ideóque per ſe bona; ut paulò poſt apertiùs exponetur. Reſpondet autem illationi Paulus, primùm declarando falſitatem ejus quod inferebatur, idque ex officio legis, quod eſt monſtrare peccatum, non autem præcipere aut promovere: Deinde conſequentiam argumenti ſolvendo, Legis officium indicat quod ſequitur.

SED PECCATUM NON COGNOVI NISI PER LEGEM. Hæc & quæ ſequuntur dicit Paulus in ſua & aliorum perſona, qui ſub lege fuerant: docetque quales fuiſſent ante perceptam legis cognitionem, & quales facti poſtquàm ea acceſſit. Loquitur enim in præterito uſque ad illud, *Scimus enim quod lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum*, &c. ubi tempus mutat: an verò etiam perſonam, illic videbimus. Hîc igitur ante oculos ponit duos ſtatus hominis; alterum ante legem, quando latuit peccatum; alterum ſub lege, quando patefactum fuit, ſed adeò non ſanatum, ut magis etiam auctum fuerit, non quidem vitio legis, ſed hominis concupiſcentiæ morbo laborantis.

Poteſt autem hæc Pauli doctrina accommodari etiam ad eos qui ſub lege Moſaïca non fuerunt, ſed quocumque modo divinæ legis notitiam acceperunt: ut ſub lege generatim eſſe intelligantur, quicumque noverunt Dei præcepta, nec pœnas ignorant tranſgreſſoribus paratas, ſed vires non habent quibus impleant quæ præcepta ſunt. Juxta quem ſenſum vix eſt quiſquam adultus ad gratiam Novi Teſtamenti pertinens, qui non aliquando ſine lege, ac deinde ſub lege vixerit, ut ſic ad gratiã Chriſti perveniret: quemadmodum docet Auguſtinus *lib. 21. de civ. Dei cap. 16.*

Peccatũ eſt quod fit cõtra legem.

Sed ad textum Apoſtoli veniamus. Quod ait: *peccatum non cognovi* (Græcè οὐκ ἔγνων, præteriti temporis) *niſi per legem*, idem eſt cùm eo quod ſuprà dixit cap. 3. *per legem cognitio peccati.* Nam ſicut peccatum nullo modo cognoſcitur niſi per legem in genere (peccatum enim definitur quod fit contra legem) ita perfectè non cognoſcitur peccatum, niſi per legem ſcriptam ſeu poſitivam, quæ data ſit à Deo: qua nimirum illud imprimis oſtenditur, peccatum eſſe offenſam Dei; deinde pœnâ mortis propoſitâ, aliiſque comminationibus additis, ipſius peccati gravitas innoteſcit; denique monſtratur multa eſſe peccata quæ non putabantur: ac nominatim ipſam concupiſcentiam, etiamſi non erumpat in actum exteriorem: de qua ſtatim exemplum ſubjicit.

Quidam *ſed* per *imò* exponunt, ſicut aliquoties accipitur 2. Cor. 7. ut ſenſus ſit: Uſque adeò lex peccatum non eſt, ut me à peccato avocet, docens quid ſit peccatum & proinde fugiendum. Verùm ſequentibus magis congruit, ut hæc ſit nuda legis excuſatio.

NAM CONCUPISCENTIAM NESCIEBAM, NISI LEX DICERET; NON CONCUPISCES. Græcè: *nam & concupiſcentiam neſciebam.* Quod etiam ſic verti poteſt: *Nam & concupiſcentiam non noviſſem, niſi lex dixiſſet, Non concupiſces.* Adeò verum eſt, inquit, legem oſtendere peccatum, ut etiam me docuerit quod plerique neſciunt, latentem in corde concupiſcentiam eſſe peccatum. Quandoquidem & ex Judæis multi, ſenſum legis corrumpentes, non reputabant ſe peccare niſi per opera externa. Supplendum igitur: concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum.

Quidam ſuſpicantur Apoſtolum hîc reſpicere non ad extremam partem decalogi, qua prohibetur concupiſcentia uxoris & rei alienæ, ſed ad præceptum primo homini datum in Paradiſo, Geneſ. 2. *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas:* Eſtque ea ſententia Methodii martyris in libro de reſurrectione adverſus Origeniſtas, Epiphanio citante *in hæreſi Origeniſtarum, num.* 64. Sed eam rejiciunt Hieronymus, Chryſoſtomus & alii: nec immeritò. Nam in illo præcepto nulla concupiſcentiæ mentio. Nec verò per illud in primis hominibus ſuſcitari potuit concupiſcentia, quæ nondum inerat; ideoque tranquilliſſimè & obedientiſſimè prohibitionem illam audierunt: tametſi poſteà quàm per ſuperbiam peccarunt, cœperunt etiam niti in vetitum; videlicet harmonia primævæ juſtitiæ jam ſoluta.

Porrò Origenes contendit intelligendam hîc eſſe legem naturalem, quæ intra nos loquitur, & dicit, *Non concupiſces.* Quam dicit à nobis ignorari, quamdiu per ætatem non novimus inter bonum & malum diſcernere: quùm autem advenerit ratio, tunc & illam in nobis locum invenire.

Verùm de lege ſcripta Paulum agere, & quidem de lege decalogi quæ per Moyſen data fuit, jam ſuprà ſatis oſtendimus; idque ſanè evincit ſeries totius diſputationis: tametſi poſſunt quæ de lege ſcripta Paulus hoc loco differit, aliquatenus ad legem naturalem accommodari.

Jam quòd Apoſtolus haud aliunde quàm ex decalogo præceptum hoc adducat, ex ipſis verbis manifeſtum eſt, quæ non alibi quàm in decalogo ſcribuntur. Nam & apud LXX. interpretes tam *Exod.* 20. quàm *Deut.* 5. idem ipſum vocabulum eſt quod hoc loco, ἐπιθυμήσεις.

Ex quibus denique liquet Apoſtolum tota ſua diſputatione qua contendit renatos non eſſe ſub lege, potiſſimùm agere de lege morali: ex qua videlicet hoc præceptum deprompſit. Ubi tamen notandum; ſicut generale præceptum eſt diligendi, ad quod cætera omnia præcepta revocantur: ita ex Apoſtoli ſententia generalem eſſe prohibitionem non concupiſcendi, ad quam cæteræ omnes prohibitiones reducendæ ſint. Quod ergo ſpecialiter in decalogo dicitur de non concupiſcendis rebus proximi, id Apoſtolus generale facit, abbreviatè & abſolutè dicendo, *Non cupiſces: tamquam hæc eſſet vox legis* (ait Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera cap. 4.) *ab omni peccato prohibentis. Neque enim ullum peccatum niſi concupiſcendo committitur.* Atque id eſt quod Hugo dicit quæſt. 174. in ſpeciali generale intelligi.

Generale præceptum, non concupiſces.

Quam eamdem exiſtimo mentem eſſe S. Hieronymi ſcribentis ad Algaſiam: dum negat quidem eam ſignificari concupiſcentiam, quæ prohibetur illo decalogi mandato, *Non concupiſces rem proximi tui:* ſed generaliùs eam vult patere, ſubjiciens hæc verba; *Nos autem per concupiſcentiam omnes perturbationes animæ ſignificatas putamus, quibus mœremus & gaudemus, timemus & concupiſcimus*, & quæ ſequuntur.

Igitur ea ſignificata eſt hoc loco concupiſcentia, de qua dicit idem Apoſtolus ad Galat. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Quo quidem loco concupiſcentiam per omne genus vitiorum vagari, perſpicuum eſt ex enumeratione operum carnis ibidem ſubjuncta. Non enim ſola carnalia quæ vocantur peccata, catalogus ille

ille complectitur; verùm etiam ſpiritualia, ut inimicitias, contentiones, æmulationes, ſectas, id eſt, hæreſes.

Hinc igitur apparet eos Apoſtoli mentem non eſſe aſſecutos, qui concupiſcentiam hanc vel intra novi ac decimi præceptorum decalogi prohibitionem concludunt; vel ad appetitum ſenſitivum reſtringunt, & eamdem cum ſenſualitate faciunt; quum ſit deordinatio quædam, & prava inclinatio totius appetitus humani. Quod & Jacobus Apoſtolus apertè ſignificavit hac generali ſententia qua dixit cap. 1. *Unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Non enim illic ad ſola reſpicit carnalia peccata, aut ad ea ad ſola quæ duobus ultimis decalogi præceptis prohibentur; ſed agit de tentationibus peccatorum in genere: comprehenſis utique etiam illis de quibus cap. 4. dum gravi increpatione dicit, *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentis veſtris?*

Concupiſcentia eſt deordinatio totius appetitus humani.

Hanc porrò generalem concupiſcentiæ ſignificationem perſpicuè declarant etiam ſubjuncta Apoſtoli Pauli verba; quibus jam ſolvit argumenti ſuperioris conſequentiam, interpretans ea quæ duriùs in legem dicta videbantur.

8. OCCASIONE AUTEM ACCEPTA PECCATUM PER MANDATUM OPERATUM EST IN ME OMNEM CONCUPISCENTIAM. Eam partem per mandatum, alii conſtruunt cum præcedentibus, hoc modo; Peccatum occaſione per mandatum accepta operatum eſt in me, &c. Alii cum verbo ſequente: per mandatum operatum eſt in me. Quæ conſtructio probabilior eſt. Non enim negare vult Apoſtolus peccatum agere ſuum negotium per mandatum, videlicet operando per illud omnem in homine concupiſcentiam, eumque ſeducendo & occidendo; Nam apertè dicit infrà, *& per illud occidit*: ſed pro mandati ſeù legis excuſatione, docet quomodo peccatum per mandatum ea faciat; nempe ut propoſitio *per* non cauſam, ſed occaſionem denotet. Alioquin & jam antè dixit, paſſiones peccatorum eſſe per legem; & infrà dicit peccatum eſſe ſupra modum peccans per mandatum

Legis excuſatio.

Itaque reſponſio Pauli qua legem excuſat, conſiſtit in illis duobus vocabulis *occaſione accepta*, quibus exponit quomodo per legem exſiſtant paſſiones peccatorum, ſive, quod nunc aliis verbis repetit, quomodo peccatum per mandatum operetur in nobis omnem concupiſcentiam: denique quomodo (quod infrà dicet) per illud nos ſeducat & occidat.

Porrò nomine peccati non diabolus ſignificatur, ut poſt Methodium vult commentator Ambr. hîc & in ſequentibus: à qua ſententia nec abhorrent Origenes & Theophylactus: ſed illud peccatum intelligitur de quo dixit in capite ſuperiore: Non ergo regnet peccpeccatum in veſtro mortali corpore, & de quo plura hoc capite; ſcilicet habitualis concupiſcentia, fons & fomes peccatorum.

Eſt igitur hic ſenſus: Concupiſcentiæ vitium in me latens, occaſione mandati illius, *Non concupiſces*, per illud ipſum excitavit & produxit in me omne genus pravorum deſideriorum, ac ſi dicat. Multò latiùs graſſari cœpit quàm antè, tamquam ipſa prohibitione laceſſitum: quemadmodum de filiis Iſraël legitur Judicum 2. quòd *audientes mandata Dei, omnia fecere contraria.* Nam, ut alibi dicit Apoſtolus: *virtus peccati lex*, 1. Cor. 15. Vehementiùs enim inardeſcit concupiſcentiæ flamma, dum lege premitur. Et notum eſt illud poëtæ, *Nitimur in vetitum ſemper.* Cujus cauſa eſt, ut cenſet Hugo, naturalis amor libertatis, quæ reſtringi videtur & minui per legem; cui proinde natura corrupta reſiſtens, in contrarium nititur.

Concupiſcentia lege compreſſa vehementiùs inardeſcit. Hujus rei cauſa.

Quamquam, quod nonnulli Hebraïſmum hîc faciunt, omnem concupiſcentiam interpretantes concupiſcentiam auctam & conſummatam, non puto neceſſarium. Nam augmentum ejus & magnitudo ſatis intelligitur ex eo quòd latiùs ſeſe proferat. Deinde augmentum illud ad habitum pertinet, de quo infrà, *ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.* Hîc autem ſermo eſt de actibus ab illo peccato velut habituali principio profectis.

Quidam pro verbo *operatum eſt*, malunt ſubſtitui *perfeci*, quod putant ſignificari Græco verbo κατειργάσατο. Verùm ex ſequentibus conſtabit non plus ſignificari quàm quod reddidit noſter interpres; pro quo Eraſmus, *genuit*: tametſi hic ſermo eſt de concupiſcentiæ motibus non qualibuſcumque, ſed perductis uſque ad conſenſum voluntatis.

SINE LEGE ENIM PECCATUM MORTUUM ERAT. Auguſtinus in expoſitione prop. *hujus epiſt. & quæſt.* 1. *ad Simpl.* legit *mortuus eſt.* Neque enim in Græco verbum exprimitur, tametſi rectiùs ſuppletur *erat*, ut & ab Eraſmo factum. Nam ſequitur eodem tempore: *Ego autem vivebam*, &c. Pelagius hunc locum exponens, ita ſcribit: *Si cum lex non eſſet, peccatum mortuum eſt, inſaniunt qui de Adam per traducem aſſerunt venire peccatum.* Sic ille, detorquens Apoſtoli verba ad ſuam hereſim, qua negat originale peccatum. Nec enim id ex iis verbis ullo modo conſequens eſt: præſertim cùm non infantium perſonam hîc aſſumat Apoſtolus, ut vult Pelagius, ſed adultorum.

Dicit ergo peccatum ſine lege mortuum fuiſſe, non ſimpliciter quaſi non eſſet; ſed velut mortuum, idque hac duplici ratione: quia non cognoſcitur niſi per legem, ut paulò antè dictum eſt; & quia vires ſuas non exerebat, quemadmodum poſteà lege ſuperveniente. Conſopitum quippe erat donec à lege excitaretur. Unde nec neceſſe eſt, ut anteà vixerit quod hoc ſenſu mortuum dicitur.

Quo ſenſu peccatum ſine lege mortuum.

9. EGO AUTEM VIVEBAM SINE LEGE ALIQUANDO. *Vivebam*, id eſt, videbar vivere vita juſtitiæ; latente videlicet peccato: quia cùm ſine legis eſſem cognitione, peccatum etiam ipſum non cognoſcebam; ideoque nec legem prævaricabar. Memineris Apoſtolum quodammodo transferre ad ſingulos ſtatum univerſum generis humani: ut ſicut humanum genus primò caruit lege, poſteà legem accepit, ſaltem in uno populo Judaïco, ac tamdem vocatum eſt ad gratiam: ſic intelligatur res ſeſe habere in ſingulis, quorum hîc perſonam Paulus aſſumit, ut antè dictum eſt. Quod quidam non advertentes coactè ſatis interpretantur Paulum loqui ſecundùm illud tempus quo lex Moyſi nondum erat data.

SED CUM VENISSET MANDATUM, PECCATUM REVIXIT. Senſus eſt: Poſtquam verò mandatum illud legis, *Non concupiſces*, in notitiam meam veniſſet, revixit in me peccatum. Quod intellige factum duobus modis, quibus è contrario diximus peccatum ſine lege mortuum eſſe: ſcilicet per cognitionem ipſius quam lex præſtat, & conſequenter per malorum deſideriorum exuberantiam: quæ occaſionem habet ex lege.

Peccatum quo ſenſu revixerit

Cajetanus mandatum intelligit datum in Paradiſo. Sed quomodo per illud mandatum revixerit peccatum, cùm nec latens peccati fomes tunc eſſet in homine, non poteſt ab eo commodè ſecundùm ſcripturam explicari.

Quæres, ſi revixit peccatum, quando vixerit anteà? Reſpondet Auguſtinus *quæſt.* 1. *ad Simp. & lib. contra duas epiſt. Pelag. cap.* 9. vixiſſe in primo homine peccante. Quamquam ſimpliciter intelligi poteſt, *revixit*, id eſt, excitatum eſt: & ut idem Auguſtinus exponit *prop.* 38. *apparere cœpit.*

10. EGO AUTEM MORTUUS SUM. Vel, *mortuus fui.* Verbaliter enim hoc accipiendum. Nam Græcè eſt ἀπέθανον. Exponitur autem dupliciter. Uno modo: Poſtquàm revixit peccatum, ego mortuus ſum morte animæ, cui vita juſtitiæ opponitur; non tamen quomodocumque mortuus, quia etiam ſine lege vivens, revera mortuus eram; ſed morte manifeſtaria, pro-

pter manifestam legis prævaricationem ; ut jam nec apparenter viverem.

Aliter & melius : *Mortuus fui* , id est , manifestè factus obnoxius morti æternæ , propter manifestam , ut dictum est , legis transgressionem. Nam mortem æternam intelligi quæ transgressionis est pœna, planè suadent quæ sub finem capitis superioris dicta sunt huic loco consentanea ; *Finis illorum mors est* , &, *stipendia peccati mors* , & quod hîc paulò ante dictum de passionibus peccatorum , *Vt fructificarent morti.* Quæ quidem mortis acceptio totum hunc Apostoli contextum reddit intellectu planiorem.

ET INVENTUM EST MIHI MANDATUM, QUOD ERAT AD VITAM, HOC ESSE AD MORTEM. *Quod erat ad vitam* , Græcè *quod ad vitam* , ut possit intelligi erat, aut est , aut institutum est , aut quid simile. Ordo verborum & *sensus est* : Et sic reipsa comperi legem seu legis mandatum illud de quo suprà , quod à Deo datum fuit & per se ordinatum ut hominem perduceret ad vitam & salutem, juxta illud Levit 18. *Quæ faciens homo vivet in eis* ; hoc ipsum mihi cedere ad mortem : quia morti æternæ me palam reddidit obnoxium. Alii de vita justitiæ & morte peccati interpretantur; sed minùs probabiliter, ut dixi. Jam quomodo mandatum fuerit ad mortem , ne rursùs ipsum mandatum accusare videatur , repetita superiore excusatione declarat, ut sequitur.

Lex ad vitam data, quomodo facta ad mortem.

11. NAM PECCATUM OCCASIONE ACCEPTA PER MANDATUM SEDUXIT ME ET PER ILLUD OCCIDIT. *seduxit* Græcè ἐξηπάτησε, *decepit*. Et sensus est: Peccatum , id est , fomes ille peccati, per mandatum quo utebatur tamquam occasione (magis enim allubescunt vetita) decepit me & aberrare fecit; non quòd anteà justus essem , sed quia longiùs me abduxit à via justitiæ : simul & per illud occidit , vel morte spirituali , videlicet prævaricatorem me faciens qui priùs vivere videbar ; vel potiùs occidit , id est , reatui mortis æternæ subjecit. Ubi rursus intellige , ut per occasionem. Nam illud occasione accepta , etiam huc referendum est.

Nec mirum si peccatum occidit per mandatum , quando & ipsum mandatum occidere dicitur ; quia cùm sanare non possit , mortem suis transgressoribus comminatur & irrogat. Ita namq; dictum est 2. Cor. 3. *Litera occidit*. Qui peccati nomine diabolum intelligunt, & hæc à Paulo dicta volunt in persona protoplasti ; vel ex eo redarguuntur , quòd Scriptura non Adam , sed Hevam testatur à diabolo deceptam fuisse , Gen. 3. 2. Cor. 11. & 1. Tim. 2.

12. ITAQUE LEX QUIDEM , ET MANDATUM SANCTUM ET JUSTUM ET BONUM. Meritò sive lex sive mandatum hæc epitheta sibi vendicat: quia non præcipit nisi quod sanctum & justum & bonum est ; nec prohibet, nisi his contraria. Proinde non accidit vitio legis aut mandati , quòd homo lege accepta fiat deterior ; sed ipsius hominis vitio , qui carnalis est ; ut paulò pòst ab ipso Apostolo pleniùs explicabitur.

Lex & mandatum quomodo differant.

Inter legem & mandatum hoc videtur interesse , quòd lex sit comprehensio mandatorum alicujus legislatoris , ut lex Moysi, lex Christi; mandatum verò unaquæque pars legis qua quippiam præcipitur aut prohibetur : ut in re præsenti , decalogus est lex complectens decem mandata ; mandatum verò, *Non concupisces* , aut certè quodlibet in lege expressum. Unde sermo Apostoli suppleri potest hoc modo : Lex quidem sancta , & unumquodque mandatum ejus sanctum &c. Tertullianus adversus Marcionem lib. 5. capite 13. sic allegat : *Lex sancta , & præceptum ejus justum & bonum.*

Sanctum, justũ & bonum quomodo distinguantur.

Porrò tria hæc epitheta legis ac mandati sanctum , justum, bonum, ita distinguit S.Thomas tam in *commentario*, quàm 1. 2. *quæst.* 99. *art.* 4. ut sanctum dicatur mandatum quoad cærimonialia , justum quoad judicialia, bonum quoad moralia. Verùm Apostolus propriè respicit ad legem moralem. Deinde absolutè præmisit *lex quidem sancta.*

Quare videtur hæc tria ferè pro eodem habere : licet ita distingui possint, ut sanctum dicatur quodque mandatum, id est, purum & mundum : justum , quia præcipit unicuique reddi quod suum est:bonum, quia si servetur, vitam præstat homini. Sic 1. Tim.1. *Bona est lex, si quis ea legitimè utatur.*

13. QUOD ERGO BONUM EST , MIHI FACTUM EST MORS? Intellige causaliter. Græcè: *Ergo bonum mihi factum est mors ?* ut etiam ita reddi possit : *Quod ergo bonum erat, mihi factum est mors?* Sensus: Num igitur mandatum , quod est aut erat per se bonum, mihi factum est mortiferum,id est, causa mortis?scilicet ejus quæ est pœna transgressionis , ut dictum est suprà.

ABSIT. Indicat absurditatem tam consequentis quàm consequentiæ. Nam & per se absurdum est legem Dei propriè causam esse mortis; & pessimè colligitur hoc ex eo quòd *peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit.* Discernenda est enim causa ab occasione , quæ non est propriè causa; similiter usus rei discernendus ab abusu. Veram igitur causam nunc subjicit.

Lex occasio mortis,non causa.

SED PECCATUM, UT APPAREAT PECCATUM , PER BONUM OPERATUM EST MIHI MORTEM. Locum hunc aliter Latini distingunt, aliter Græci. Secundùm Latinos sensus est: Sed peccatum, ut quantum sit malum evidenter appareat,occasione mandati quod in se bonum est, operatum est in me mortem; id est , rem bonam vertit in meam perniciem;quod est argumentum insignis malitiæ.Sic præter alios exponit Augustinus ser. 11. de verbis Apostoli.

Græci distinguunt & exponunt hoc pacto : *Sed peccatum*, supple ex interrogatione præcedenti, *mihi factum est mors :* quia nimirum per se tale est, ut mortis reum me faciat,dum suis motibus ad peccandum sollicitans , etiam occasione legis in apertam transgressionem me impellit. Deinde sequitur , *ut appareret peccatum per bonum mihi operans mortem.* Quod duobus modis exponi potest.

Peccatum causa mortis.

Primùm quidem , si participium κατεργαζόμενον *operans* , juxta Græcam consuetudinem loco verbi infinitivi positum intelligatur. Quod secuti Erasmus & Hentenius ita verterunt : *ut appareret peccatum per id quod erat bonum , mihi gignere mortem.* Cujus sensus est : Atque ita jam manifestè peccatum per id quod bonum est , parit mihi mortem ; ut pote per apertam, ut dictum est , legis prævaricationem me reddens æternæ morti obnoxium.

Aliter hoc modo : Sed peccatum mihi factum est mors nimirum (ut appareat quale quantumq; sit malum) per bonum operando mihi mortem , id est , per legem. Qui sensus clarior est,magisq; consonat Græcorum commentariis.Cæterùm distinctio Latinorum ægrè consistit cum Græca lectione. Quamlibet ex his tribus expositionem sequaris, particula *ut* accipienda est , ut non causam finalem , sed eventum denotet : quemadmodum & in eo quod sequitur.

UT FIAT SUPRA MODUM PECCANS PECCATUM PER MANDATUM. *Vt fiat*;vel *ut fieret. Supra modum*, Græcè καθ' ὑπερβολὴν, *secundùm excessum* , id est , excellenter , majorem in modum : Pro participio *peccans* in Græco nomen est ἁμαρτωλὸς, id, est, peccator seu peccatrix. Nam ejus substantivum ἁμαρτία , fœmininum est ; velut si Latinè diceretur,peccatrix peccantia,sive ut Tertullianus loquitur , delinquentia. B. Augustinus passim legit *peccator peccatum* , ut in expositione propositionis 40.quæst.1.ad Simplicianum,& quæst. 66 inter 83. Item serm. 6. de verbis Apostoli cap. 4. & lib.13.de civitate Dei cap.5. idque juxta fidem veterum exemplarium ; nisi quod indoctus scriba alicubi conjunctionem putaverit interponendam, *peccator ac peccatum* ; aliàs , *peccator aut peccatum.*

Hieronymus quidem ad Algaſiam ſcribens, legit *peccans peccatum*: ſed participium nominaliter exponit dum ait: *Atq; ita factum eſt, ut peccatũ, quod priuſquàm haberem intelligẽtiam, abſq; peccato erat, per prævaricationẽ mãdati incipiat mihi eſſe peccãtius peccatũ.*

Denique Ruffinus in commentario Origenis ita tranſtulit, *peccator peccatum*, hæc addens de ſuo: *Quod autẽ diximus, peccatum peccator, maluimus vitium ſermonis recipere, quàm ſenſum Apoſtoli nõ integrè exprimere: quia in Latino ſermone anguſtavit nos nomẽ peccati quod neutro genere declinatur, in Græco verò fœminino eſt: & ideò peccatorem ipſum nos appellavimus. Nam ibi peccatrix appellari poteſt.* Hæc ille.

Loquitur autem Apoſtolus de peccato velut de perſona quapiam, non hîc modò, verùm etiam in ſuperioribus, dum ei tribuit operari, mortuum eſſe, reviviſcere, ſeducere & occidere. Quare & peccare, ſeu peccatorem eſſe, ſimili tropo, & quidem valde appoſitè ei tribuitur.

Peccatum peccans ſive peccator, quo ſenſu.

Senſus: Adeóque illud ipſum peccatum in me latens, occaſione mandati factum eſt tamquam ingens peccator; dum in me operatur omnem concupiſcentiam, & in apertam prævaricationem impellit, inſuper & occidit. Videtur Aug. *ſerm. 6. de verbis Apoſt.* partem hanc cauſaliter exponere. Sic enim ait: *Quid eſt ſupra modũ? Ut addatur prævaricatio. Data eſt ergo lex illa ut inveniretur infirmitas. Parum eſt hoc, non ſolùm ut inveniretur, ſed etiã ut augeretur; & vel ſic medicus quæreretur.* Verùm quod dicit; *ut augeretur*, de permiſſione hujuſmodi augmenti accipiendum eſt. Hanc enim Deus intendit per legẽ, ut alibi diximus.

14. SCIMUS ENIM QUIA LEX SPIRITUALIS EST. Perſpicuum eſt, inquit, non eſſe culpam legis, dum ea accepta pejor quis efficitur. Scimus enim quicumq; rectè ſapimus legem ſpiritualem eſſe, quia præcipit ea quæ obſervata ſpiritualem & juſtũ reddunt hominẽ.

Lex ſpiritualis unde dicatur.

Dicitur autem tam lex quàm homo ſpiritualis, vel à ſpiritu hominis, id eſt, mente, cui carnem opponit inferiùs, dicens: Ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati: Vel potiùs à Spiritu ſancto, cui paſſim carnem opponit, ut Gal. 5. Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem: & alibi, ſicut ſuis locis videbitur. Quomodo autem cum hac Apoſtoli ſententia non pugnet, quod *Heb. 7.* legem Moſaïcam vocat legem mandati carnalis, id eo loco exponemus.

Quæſtio, an Paulus hæc in ſua dicat perſona, opinio negativa.

EGO AUTEM CARNALIS SUM. Ab hoc loco uſq; ad finẽ capitis, utrùm in perſona hominis ſub lege conſtituti, an ſub gratia, loquitur Apoſtolus, non parva quæſtio eſt. Auguſt. quidem *qu. 66. lib. 83. qq. & in propoſ. expoſitis hujus epiſt.* nec non *qu. 1. ad Simplician.* interpretatur de homine ſub lege conſtituto, in quo adhuc regnat peccatum, quiq; luctatur quidem cum peccato, ſed carnis infirmitate victus ſuccũbit.

Eadem eſt expoſitio Græcorum, Origenis & Chryſoſtomi, quos ſecuti ſunt Theodoritus, Theophylactus, & Oecumenius. Item Baſilii in regulis brevioribus, interrogatione decima ſexta. Latinorum autem Pſeudambroſii & Sedulii. Item Pelagii tam in commentario, in quo ſenſum hunc diligenter inculcat: quàm lib. 3. de libero arbitrio, ubi referente Auguſtino libro de gratia Chriſti cap. 39. ſcribit omnes eccleſiaſticos viros aſſerere, Paulum hæc in peccatoris & ſub lege adhuc poſiti perſona dixiſſe.

Placuit hic ſenſus Lyrano & Carthuſiano; eumdemque ut probabiliorem amplectitur ac defendit inter neotericos Fr. Toletus, tum in commentario, tum in peculiari tractatu. Pro his authoribus facere imprimis videtur, quod dicit Apoſtolus ſe carnalem eſſe, & ſub peccato venumdatum; deinde quod in conſequentibus affirmat, non quod bonum eſt, ſed quod malum, ſe agere; quod denique captivum ſe teneri dicit in lege peccati. Quæ certè in hominem ſub gratia conſtitutum non videntur competere.

Verùm idem Auguſt. in ſcriptis ſuis poſterioribus, priori ſententia retractata, de homine juſto & ſub gratia conſtituto totum hunc locum exponit & exponendum docet; poſteaquàm videlicet Pelagianorum diſputationibus excitatus, contextum & ſcopum Apoſtoli diligentiùs conſideravit, *lectis* etiam, ut ait, *quibuſdam divinorum tractatoribus eloquiorum.* Loca ſunt *lib. 1, retract. cap. 23. & 26.* & *lib. 2. cap. 1.* Item *lib. 3. contra Julian. cap. ult. & lib. 6. cap. 23.* Quo poſtremo loco oſtendit etiam alios eccleſiæ doctores hoc modo Paulum intellexiſſe, nominatim Hilarium, Gregorium Nazianzenum, & Ambroſium: quorum verba jam antè recitaverat, *lib. 2. cap. 3. 4. & 5.*

Opinio affirmativa verior.

Jam in hanc ſententiam plura qui volet, legat eumdem Aug. *ſerm. 5. de verbis* Apoſt. & *ſer. 43.* de temp. Item *lib. de contin. cap. 8. lib. 1. de nupt. & concup.* cap. 27. & ſequentibus, & in libro de prædeſtinatione ſanctorum cap. 4. & quæ ex Auguſtino Beda collegit ad hunc locum.

Quomodo autem omnia quæ deinceps uſque ad finem capitis dicuntur, rectiſſimè Paulo accommodentur, præter loca nunc citata, prolixè docet idem Auguſtinus *lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. cap. 8. 10. & 11.*

Sed & Hieron. quamvis aliquando propenſior fuerit in priorem ſententiam, ut in *epiſt.* ad *Algaſ.* & in *comment. prophetæ Habacuc cap. 1.* nec non in *commẽt. Danielis cap. 3.* ad illa verba trium puerorum; *Peccavimus, iniquè egimus*: aliàs tamen, ut in epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis, diſertè affirmat Paulum hæc de ſe ſcribere, quando jam corpus ſuum caſtigaverat & in ſervitutem redegerat. Et quidem in ea ſententia Hieronymum permanſiſſe veriſimile eſt. Nam multo pòſt, exorta Pelagianorum hæreſi, *in l. 2. dialogi adverſus eos ſcripti cap. 1.* cum Pelagio diſputans, ex profeſſo docet Apoſtolum hæc dicere in ſua & juſtorum perſona.

Idipſum planè cum ſupradictis & antè eos ſenſit Methodius martyr, qui apud Epiphanium in *hæreſi 64.* quæ eſt Origeniſtarum, primùm verbis Procli cujuſdam quæ cõmemorat, deinde & ſuis, admodum diſertè & copiosè ſenſum hunc Pauli proſequitur.

Ex quibus facilè intelligas falſum eſſe quod dicebat Pelagius, omnes eccleſiaſticos ſcriptores de loci hujus intellectu ſecum ſentire.

Quod autem ad poſteriores attinet Latinos, Auguſtini ſententiæ ſuffragantur Proſper *lib. contra Collat. cap. 8.* Greg. *moral. lib. 19. cap. 5. & lib. 29. cap. 15. nec non expoſit. in lib. 1. Reg. lib. 5. c. 1.* Hugo Victorinus *in quæſtion. hujus loci.* Hervæus in *comment.* Lombardus item & Aquinas, quorũ quidem uterq; priorem etiam ſenſum adferunt, ſed hunc poſteriorem illi præferre non dubitant: addita docta ejus explicatione. His addo Cajetanum, Joan. Haſſelanum, ejuſq; diſcipulum Saſboldum, & ex poſtremis inter alios Benedictum Pererium, qui collectis Auguſtini variis locis & rationibus hunc ſenſum priori longè docet anteponendũ. Prætereo ſcholaſticos Doctores, qui pleriq; hîc Auguſtinum ſequuntur: & alios nonnullos, qui miſcent utrumque commentarium, etſi in Auguſtini partem proniores, ut Primaſium & Haimonem.

Igitur iſtorum quos dixi ſententia eſt, Apoſtolum hîc & deinceps loqui in ſua ipſius perſona, & omnium eorum, qui quantumvis ſentiant in ſe legem quãdam repugnantem legi mentis ſuæ, id eſt, concupiſcentiæ fomitem, cujus motibus incitantur ad ea quæ divinæ legi contraria ſunt: jam renati tamen & ſub gratia conſtituti, mente ac voluntate conquieſcũt in lege Dei. Qui ſanè commentarius admodum conſentaneus eſt textui & ſcopo Pauli: qui docere vult hominem in Chriſto renatum non ampliùs obnoxium eſſe damnationi, quamvis adhuc carne ſerviat legi peccati; dum tamen ipſa mente ſerviat legi Dei, & non ſecundùm carnem ambulet: ut dicitur in fine hujus capitis, & initio ſequentis.

Probatur rationibus affirmativa reſponſio.

Jam pro hoc intellectu primum facit in contextu mutatio temporis. Cùm enim in præcedentibus ab eo loco, *Sed peccatum non cognovi*, de se in præterito locutus fuisset Apostolus, ut qui aliquando fuerat sub lege: nunc de se eodem secundùm præsens tempus loquitur dicens, *Ego autem carnalis sum*, & quæ sequuntur usque ad finem capitis: alioqui certè dicturus; ego autem carnalis fui, & cætera, si ista secundùm idem tempus eumdemque statum quo superiora, de se dicta vellet intelligi. Quamvis igitur personam non mutet; tempore tamen mutato, simul etiam indicat mutationem in eodem homine, qui sub lege & per legem transgressor factus, posteà ad statum gratiæ translatus, adhuc tamen experitur in se pugnam quotidianam carnis adversus spiritum rebellantis. Hoc argumentum à mutatione temporis sumptum magis adhuc probabile fiet ex iis quæ dicuntur infrà versu 17. & 20. ut ibi videbitis.

Confirmant deinde sensum hunc ipsa Apostoli verba quibus utitur in sequentibus: *Non quod volo, hoc ago: sed quod odi, illud facio.* &, *Non ego operor illud.* Item. *Consentio, condelector legi Dei.* Deniq; illud quod ex præcedentibus concludit, & simili cum illis schemate dictum est: *Igitur ego ipse mente servio legi Dei.* Nam qua fronte dicet hæc Judæus, aut dicentem quis ferat; si prædicans non furandum, nec mœchandum, furatur tamen & mœchatur, & cætera facit quæ lege prohibentur? Quare ad personam hominis sub lege constituti, & adhuc in regno peccati versantis, hæc omnia pertinere, nullo modo verisimile est.

Accedit ejusdem Apostoli locus ad Galat. 5. ubi de carne & spiritu loquens, haud dubiè ad renatos, sic ait: *Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Quæ verba cum persimilia sint iis quæ hîc leguntur; *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*; &, *Non enim quod volo, hoc ago*; &, *Velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio*, satis profectò ostendunt, etiam hunc locum ad personam hominis renati ac spiritualis esse referendum, cui cum carne bellum est intestinum atque continuum.

Quæ verò pro diversa sententia facere videbantur, quo sensu dicta sint, ex consequentibus elucescet, maximè ex illa conclusione, qua, clarè distinguendo, dicit Apostolus se mente servire legi Dei, carne autem legi peccati. Quæ distinctio pro commentario est ad cætera quæ hîc obscuriùs dicta videntur.

Paulus quo sensu se carnalē vocet.

Quod ergo dicit, *Ego autem carnalis sum*, intellige non mente, sed carne adhuc concupiscente contra spiritum. Quod non est absolutè carnalem esse, sed secundum aliquid, quatenus scilicet homo per gratiam renovatus, adhuc fomitem peccati circumfert, assiduè commoventem in ipso peccandi desideria. Qui autem hoc tantùmmodo carnalis est, is simpliciter est spiritualis; utpote legi quæ spiritualis est, consentiens, & proinde Deo, qui legem dedit.

Porrò connectuntur hæc cum superioribus. Nam docere vult Apostolus: etsi jam in Christo renati non ampliùs simus sub lege; cujus occasione peccatum in nobis operabatur omnem concupiscentiam: peccatum tamen illud non ita penitus in nobis exstinctum esse,

Peccato originali remisso, remanet in homine fomes peccati ad exercitium.

quin remaneat concupiscentiæ fomes; occulta peccādi desideria identidem in nobis excitās. *Quæ* tamen, *cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non* valeat: ut loquuntur patres Concilii Tridentini sess. 5. cap. 5. Id enim est quod hîc ad extremum infert Apostolus: *nihil* esse *nunc damnationis iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.*

VENUMDATUS SUB PECCATO. Græcè *sub peccatum*, id est, ut quidam exponunt, ad peccatum faciendum; ut alii meliùs in servitutem peccati tamquam domini. Nam hujusmodi sensum postulare videtur præpositio Græca cum accusativo. Cæterùm Hebraïca phrasis est, venumdatum esse sub peccatum, quia nimirum significatur quis totus addictus obsequio & servituti peccati. Nam simili locutione 3. Reg. 21. legitur Achab rex Israël fuisse *venumdatus ut faceret malum*; ut si dicas, in servitutem venditus ad faciendum malum, tamquam proprium opus cui à domino suo velut servus addictus esset. Idem quoque de quibusdam apostatis Judæis dicitur 1. *Machab.* 1.

Quid venumdatum esse sub peccato.

Verùm quod simpliciter de illis dixit Scriptura, hoc Paulus de se & quolibet justo non simpliciter dictum vult intelligi, sed ut antè dixi, secundùm aliquid, id est, secundùm carnem; ut sensus sit: Carne adhuc servus sum peccati, quomodo dicit in fine capitis se carne servire legi peccati. Quo etiam sensu sancta Ecclesia, B. Gregorio authore, in persona omnium fidelium orat dicens; *Ut nos unigeniti tui nova per carnē nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet.* Quam Ecclesiæ orationem opponimus iis, quibus absurdum videtur in persona justi hominis dici, quod carnalis sit & venumdatus sub peccato.

Quo sensu Paulus venumdatus sub peccato.

Multi venditum sub peccato hominem interpretantur, in primo parente: qui se & omne genus suum vendiderit diabolo in servitutem peccati; idque præcio exiguæ voluptatis quam ex peccato percepit. Sed prior sensus magis est germanus.

15. QUOD ENIM OPEROR NON INTELLIGO. Græcè *non cognosco*, id est, non approbo, non consentio: quin potiùs improbo, dissentio, repugno. Ad effectum enim, non ad intellectum hoc referendum est: ut patet ex sequentibus, ubi sunt hæc vocabula, velle, nolle, odisse. Nam quod ad intellectus seu rationis judicium attinet, etiam mali sæpè faciunt quæ non approbant. Unde illud cujusdam apud poëtam; *Video meliora proboque: deteriora sequor.* Est autem nota phrasis Scripturæ, cognoscere pro approbare. Igitur hîc incipit Apostolus aperire qua in persona loquatur, scilicet ejus qui pravis concupiscentiæ motibus, quos in se sentit, consensum non adhibet.

Cognoscere pro approbare, frequēs in scripturis.

Cohæret autem hæc pars cum ea quæ proximè præcedit, hoc modo; Carnalem me esse & venditum sub peccato, quamvis jam renatus sum, inde constat, quia multa operor quæ non approbo; perinde ut servi emptitii, qui multa operantur inviti ac nolentes. Operor autem non mente; sic enim ea cognoscerem, id est, approbarem; sed carne excitante in me motus ac desideria peccandi. Nec malè dicit Apostolus se operari istiusmodi motus, quamvis eos invitus patiatur, quia motus & appetitiones partis inferioris reverà sunt operationes hominis tamquam suppositi, licet non subjectæ imperio mentis ac rationis. Hinc Aug. ser. 43. de verbis Domini, loquens de concupiscentiæ motibus involuntariis; *Ipsum*, inquit, *concupiscere facere est.* Igitur homo renovatus mente, talia non solùm invitus patitur, sed etiam invitus agit. Unde adhuc sequitur.

NON ENIM QUOD VOLO BONUM HOC AGO, SED QUOD ODI MALUM ILLUD FACIO. Ita multi codices Latini. Sed eorum magis sinceram puto lectionem, qui *bonum* & *malum* omittunt. *Non enim quod volo, hoc ago, sed quod odi illud facio.* Neq; enim plus est in Græcis aut Syriacis, ut nec in Latinis probatioribus, quibus Laudensem codicem annumero. Suffragantur & veteres; Ambrosiaster, Hieronymus in epistola ad Ctesipontem, Augustinus ser. 12. de verbis Apostoli, & aliis locis antè citatis; & ex eo Beda in collectaneis.

Huc asscribendi *bonum* & *malum*, occasio fuit ex simili sententia paulò pòst sequente. *Ago* & *facio*, Græcè πράσσω & ποιῶ idem prorsus Apostolo significant. Quod inde patet, quia in altera sententia quam dixi, quæque hujus repetitio est, ea transponit.

Est autem *sensus*: Non enim perficio id quod mente volo, scilicet bonum: sed carne operor id quod mente odi, scilicet malum. Nam volo non concupiscere, ne quidem carne, id est, non sentire motus concu-

piſcentiæ:ſed id non præſto,non aſſequor.*Facere ergo ſe dixit* id quod oderat, ait ex Auguſtino Primaſius, *non affectu conſentiendi & implendi, ſed ipſo motu concupiſcendi.* Senſus hic ex ſequẽtibus ampliùs patefiet.

16. SI AUTEM QUOD NOLO, ILLUD FACIO, CONSENTIO LEGI, QUONIAM BONA EST. Sive *quod bona ſit*. Si, inquit, quod mente non volo ſed odi,illud ago, videlicet carne concupiſcendo, jam conſentio legi, verbi gratia, dicenti:Non concupiſces, tamquam bonæ: quia voluntas mea qua nolo quod facio,legi conſentanea eſt, quæ vult me hoc nolle. Itaque conſentio legi, non ſolùm intellectu judicans quod bona ſit; verùm etiam voluntate me ei conformans. Quod utique eſt hominis juſti ac mente renovati. Idque ampliùs oſtendit ſequens pericope.

17. NUNC AUTEM JAM NON EGO OPEROR ILLUD; SED QUOD HABITAT IN ME PECCATUM. Græcè,*Nunc autem non amplius ego*, &c. Hoc certè homo ſub lege conſtitutus & adhuc dominio peccati ſubjectus dicere non poteſt. Talis enim non ſolùm carne,ſed etiam mente ac voluntate; & proinde ſimpliciter operatur malum;ut benè obſervavit Auguſt. *lib.1.de nuptiis & concupiſcent. cap.29.* Quò prætereà facit, quod, ut dixi,ſecundùm Græcam lectionem,à qua Latina verſio ſenſu non diſcrepat, dicitur: *Nunc non amplius.*

Exponit autem Apoſtolus quod dixerat, *illud facio*: ne fortè malè intelligatur. Et ſenſus eſt: Quoniam renovatus per gratiã legi conſentio;nũc non ampliùs ego operor malum, ſicut faciebam conſtitutus ſub lege;ſed peccatum in me habitans illud operatur,id eſt, concupiſcentia mihi inſita, & ſedem in me fixam habens, pravos motus in me excitat non conſentiente. Ea cur peccatum vocetur in renatis,expoſitum eſt ad illud capitis præcedentis: *Non ergo regnet peccatum*, &c. Rectè verò nunc dicit ſe non operari motus illos concupiſcentiæ; quia non operatur ut homo, id eſt, ex imperio vel conſenſu rationis. Unde ipſe homo, quatenus homo, patitur eos, non operatur.

Peccatum habitans in homine quid ſit.

Notanda metaphora inhabitationis frequens in ſacris literis,qua ſignificatur quippiam ita jugiter adeſſe aut ineſſe alicui, ut fixum in eo domicilium collocaſſe videatur. Quod maximè competit in fomitem hunc peccati; quem durante hac vita mortali penitus extirpari impoſſibile eſt.

18. SCIO ENIM QUIA NON HABITAT IN ME, HOC EST, IN CARNE MEA, BONUM. Hæc quoque ſententia ſuperiorum expoſitio eſt, ubi dixerat ſe carnalem eſſe & venumdatum ſub peccato; & malum facere quod non vult, ſed odit. Nam dicens *in me, hoc eſt, in carne mea*, declarat ſe ea omnia dixiſſe de ſe ſecundùm carnem, & non abſolutè.

Senſus:Novi per experientiam,in me quatenus caro ſum, id eſt, carnalis, non habitare bonum,ſed malum.

Quod ergo Paulus alibi nos & membra noſtra vocat templa Spiritus ſancti,ut 1. *Cor.3.& 6.& 2.Cor.6.* non eſt huic loco contrarium: quemadmodum benè oſtendit Auguſtinus *lib. 1. de nupt. & concup. cap. 31.* Nam in carne noſtra, id eſt, in nobis ipſis ſecundùm corruptionem carnalem, de qua Dominus Joan. 3. *Quod natum eſt ex carne,caro eſt*,non habitat,imò nec invenitur bonum: Invenitur autem & habitat bonum in corpore noſtro; quatenus membra corporis ad bona augenda moventur à mente renovata per inhabitantem Spiritum ſanctum: ſicut & præcepit capite ſuperiori; *Exhibete membra veſtra arma juſtitiæ Deo.*

Caro pro homine quatenus carnalis eſt.

Interim obſerva carnis acceptionem Apoſtolis uſitatam,qua ſumitur pro toto homine, quatenus vetus eſt & carnalis: id eſt, ſecundùm illud quod traxit ex ex vetere & carnali Adam, corruptus ex corrupto. Quæ corruptio non in ſola carne eſt, ut ab anima diſtinguitur (licet in carne maximè appareat propter rebellionẽ membrorũ) verùm etiam ac potiſſimùm in ipſa anima. Cujus utique ſunt ea vitia quæ carni non competunt,& quæ ſpiritualia vocari ſolent, carnalibus oppoſita: veluti ſuperbia, invidia,contentiones & his ſimilia, quæ cuncta inter opera carnis enumerare non dubitavit Apoſtolus Gal. 5.

NAM VELLE ADJACET MIHI, PERFICERE AUTEM BONUM NON INVENIO. Verbum *invenio* non erat additum in codicibus Græcis quos vidit Auguſtinus, ut ipſe teſtatur lib. 3. contra Julianum cap. ultimo: ubi locum hunc accuratè tractat. Cæterùm in aliis omnibus legitur. Ac videtur etiam Syrus interpres legiſſe, quia vertit *impotens ſum*. Si ſcriptum non fuit *invenio*, repetendum erit ex priori membro, *adjacet mihi*: quod tantumdem valet.

Senſus:Nam etſi velle bonum etiam perfectè mihi adſit jam ſanato & renovato per gratiam(quod enim ad mentem attinet, volo omninò non concupiſcere, ne carne quidem)attamen propter malum illud habitans in carne mea, non invenio, non aſſequor, ut totum bonum quod volo faciam ſive perficiam; quia permanet in me carne concupiſcere, & facere quod nolo. Non eſt tamen hîc urgendum vocabulum *perficere*. Nam in Græco eſt κατεργάζεσθαι, idem verbum cum eo quod ipſe interpres & jam antè aliquoties, & rurſum paulò poſt vertit *operari*. Quare & hoc loco ſic verti potuit. Senſus tamen eſt ille quem dedi.

Si quis verò ad hunc modum exponat: Velle bonum adeſt mihi ex meipſo; perficere autem bonum ex meipſo non habeo, ſed ex gratia Dei: ſenſum is reddet Pelagianum; quod fecit Joannes Caſſianus *collat. 13.cap.9.* refutatus à S.Proſpero *cap.8. ejus libri* quem adverſus eum ſcripſit: idque ex evidenti teſtimonio ejuſdem Apoſtoli, dicentis ad Philip. 2. *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere.*

Refellitur Pelagiana expoſitio hujus loci.

Sed quæres, ſi Deus operatur in nobis etiam perficere: quomodo Paulus & quilibet juſtus perficere bonum non invenit? Reſpondeo verbum *perficere* ſivé *operari* aliò atque aliò referri in diverſis Apoſtoli ſententiis. Nam hoc quidem loco refertur ad totum bonum quod juſtus vult. Non enim totum illud perficit, quamdiu in eo caro concupiſcit adverſus ſpiritum: uti jam expoſitum eſt. In eo autem quod *ad Philippenſes* dictum eſt,refertur *perficere* non ad totum bonum quod volumus; ſed ad bona opera quæ fiunt à nobis in hac vita. Nam non ſolùm ut ea velimus, ſed etiam ut faciamus, Deus in nobis operatur.

Quæſtio.

Reſponſio.

19. NON ENIM QUOD VOLO BONUM, HOC FACIO; SED QUOD NOLO MALUM, HOC AGO. Repetit iiſdem penè verbis quod jam antè dixerat, ſenſu prorſus eodem; repetit autem ad probandum quod dixit *perficere bonum non invenio*. Obiter admoneo,loco verbi *nolo* ſemper in Græco eſſe ὐ θέλω *non volo*: quomodo ſibi vertendum putavit Eraſmus.

Atqui, meo judicio, rectiùs vulgatus interpres reddidit, *nolo*; quo ſignificaret voluntatem averſantem & in contrarium nitentem. Id enim poſtulat res de qua agitur. Unde & priùs dixit *odi*, pro quo poſteà *nolo*. De Græca autem lectione non mirum: quia quod Latini dicunt, *nolo* aut *nolle*, id Græci, quòd hujuſmodi compoſita dictione careant, aliter exprimere non poſſunt, quàm duabus dictionibus, negatione & verbo.

Verbum nolo quam vim habeat.

20. SI AUTEM QUOD NOLO, ILLUD FACIO, JAM NON EGO OPEROR ILLUD, SED QUOD HABITAT IN ME PECCATUM. Hujus quoque partis intelligentia patet ex dictis. Cæterùm in Græco ſic legitur, *Si autem quod nolo ego, hoc facio, non ampliùs ego operor illud*, &c.Ubi præter illud, *non ampliùs*, de quo ſuprà, notanda eſt emphaſis in pronomine *ego* ſtudiosè expreſſo, etiam in prima parte ſententiæ. Per hoc enim innuere voluit Apoſtolus ſe facere ſecundùm carnem, quod tamen ipſe homo mentis deliberatione nolit; ideoq; ſe hominẽ rationali ac deliberata actione illud nõ agere.

21. INVENIO IGITUR LEGEM VOLENTI MIHI FACERE BONUM, QUONIAM MIHI MALUM ADJACET. *Quoniam* pro *quòd*, Nec enim cauſaliter hîc acci-

pitur ὅτι, sed διὰ τοῦτο: ut sæpè alibi. Sententia sic ordinanda & exponenda est : Igitur invenio ac deprehendo in me legem seu inclinationem quamdam, qua scilicet malum mihi adjacet, & faciendum tamquam lege quadam ingeritur, in me, inquam, volente facere quod bonum est.

Alii aliter ordinant & exponunt, sed obscurè & violentè; dum legem intelligunt in bonam partem.

Erasmi versio reprehensa.

Erasmus in annotationibus quatuor adfert expositiones, unam Origenis, duas Theophylacti, quartam suam ipsius, quam & versione exprimit non ferenda: *Reperio igitur per legem*, &c. Nec verò aliter expedire se potest, nisi Paulum faciat balbutientem; prorsus immeritò.

Nam hoc quod dixi, sensum habet planum & perspicuum: nec modò consequentem ex verbis proximè antegressis, *quod habitat in me peccatum*, & cæteris quæ præcedunt, verùm etiam quàm maximè congruentem cum iis quæ mox adjiciet hoc capite, & initio sequentis, de lege peccati & membrorum. Ea enim lex est ipsum in nobis habitans peccatum, id est, concupiscentia.

Denique hujus sententiæ explicatio est totum quod sequitur, usque ad illud *Infelix ego homo*, ut statim patebit. Jure igitur hunc sensum amplexus est Fr. Toletus post octo alias aliorum expositiones ordine recensitas & improbatas : licèt non in persona hominis justi, sed peccatoris sub lege constituti (quod non probamus) hoc à Paulo dictum velit : ut & cætera hujus loci.

Vocabuli legis extensio.

Vocabulum *legis* in his sententiis, catachresi quadam extenditur ad id omne quod est motivum & incitamentum operis sive boni sive mali; quomodo lex propriè dicta promissis & minis incitat & impellit ad ea facienda quæ præcipiuntur. Sic igitur concupiscentia, quæ fomes peccati est, eadem etiam lex vocatur, lex inquam peccati, quatenus nimirum ad peccandū sollicitat incitatque. Non dissimili ratione mores & studia atque exempla majorum seu bona seu mala, sunt quædam præcepta minorum; quod minores soleant pro lege & regula sequi, quæ facta noverint & frequentata à majoribus. Quomodo dictum est. Ezech. 20. *In præceptis patrum vestrorum nolite incidere*. Dicuntur item præcepta philosophorum, grammaticorum, medicorum, id est, regulæ quædam & principia scientifica agendi, loquendi, vivendi, &c.

Concupiscētia lex peccati, quo sensu.

22. CONDELECTOR ENIM LEGI DEI SECUNDUM INTERIOREM HOMINEM. Deinceps explicat partē præcedentē. Et hîc quidem illud declarat quod dixit, *volēti mihi facere bonum*. Sensus est: Delectat me lex Dei, utpote lex sancta, justa & bona; delectat me, inquā, non quavis parte mei, sed secundùm hominem interiorem, id est, secundùm mentem seu partem intellectivam, quæ jam per Christi gratiam sanata est.

Interior homo quis Paulo dicatur.

Interiorem hominem interpretor mentem, non autem hominem novum aut renovatum. Non enim Apostolo idem est homo interior & novus: ut nec idem homo exterior & vetus. Nam & in peccatoribus est interior homo, sed nondum renovatus. In justis autem interior homo cum novo homine coincidit. Justus igitur condelectatur legi Dei secundum interiorem hominem, non injustus. De horum distinctione vide etiam Hugonem Victorinum *quæst.* 158. & 159. Et nos ampliùs aliquid dicturi sumus ad illud 2. Corinth. 4. *Licet is qui foris est, noster homo corrumpitur, tamen is qui intùs est, renovatur de die in diem*. Hominis exterioris hoc in loco non fit aperta mentio; sed ex parte quadam significatur per illud quod sequitur, *in membris meis*.

23. VIDEO AUTEM ALIAM LEGEM IN MEMBRIS MEIS. Declarat illud: *Invenio legem, quoniā mihi malum adjacet*. Sensus: Sed experior aliam legem in membris meis, id est, in corpore meo, & in toto homine exteriore, qui durante hac vita non renovatur, sed corrumpitur, 2. Cor. 4. Ideò autem dicit in membris; quia in membris quibusdam, quæ pudor nominari vetat, maximè percipitur & apparet rebellio, quam excitat lex ista peccati de qua sermo est. August. *ser.* 43. *de temp. cap.* 8. legem hanc membrorum suis quibusdam nominibus denotat, vocans eam *legem fœdam, legem miseram, vulnus, tabem, languorem*.

Lex membrorum quæ dicatur.

Legis membrorum nomina apud Augustinū.

REPUGNANTEM LEGI MENTIS MEÆ. *Repugnantem*, Græcè ἀντιστρατευόμενον *rebellantem*, ac si dicat: quæ lex bellum movet adversus legem mentis meæ, id est, adversus legem Dei, in qua secundùm mētem condelector. Est enim eadem lex Dei & lex mentis : sicut è diverso eadem est lex peccati & membrorum.

Eadem lex Dei & lex mentis. Eadem quoque lex peccati & membrorū. Concupiscentia legi divinæ contraria.

Ex his verbis rectè colligitur concupiscentiam, etiam quæ in renatis est, repugnare & contrariam esse legi Dei : quia ad instar legis ad ea quæ legi divinæ contraria sunt, impellit. Unde & alibi dicit Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum: & spiritus adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non*, &c. Gal. 5.

Obs. contra sectarios, concupiscētiam renatorum, mortuque ejus involūtarios nec peccata esse, nec lege Dei prohiberi.

Verùm hinc porrò consequens non est, eamdem ipsam concupiscentiam, aut motus ejus involuntarios lege Dei prohiberi, & proinde vera esse peccata, quod volunt hæretici: quamvis ut aïunt, à Deo propter Christum non imputentur ad peccata. Non est, inquam, id consequens. Nam præcepta & prohibitiones non fiunt nisi voluntati. Quare quod in nobis involuntarium prorsus est, sub prohibitionem legis cadere non potest. Unde nec Paulus dicit eos peccare, qui quod nolunt, quodque oderunt faciunt, etsi peccatum eis non imputetur: sed simpliciter eos jam in Christo renatos, à peccato simul & damnatione liberat, quum docet nihil iis esse damnationis, quia nihil sit peccati; ut qui jam non secundùm carnem ambulent: quemadmodum dicitur initio capitis sequentis.

ET CAPTIVANTEM ME IN LEGE PECCATI QUÆ EST IN MEMBRIS MEIS. *In lege peccati*, Græcè *legi peccati*: tametsi quidam Græci codices habent ut Latini, *in lege*. Verùm nec Syriacus textus additam habet præpositionem. Est autem in utraque lectione Hebraïsmus, qualis ibi, *Pluit Dominus à Domino*, Gen. 19. & utriusque idem sensus: Subjicientem me sibi in servitutem; intellige, ut suprà, secundùm carnem, &, ut Augustinus ait; *motione, non consensione*. Idem enim est cum eo quod in principio dixit, *venumdatus sub peccato*. Vocat autem legem peccati concupiscentiam, ut antè dixi, quia fomes est & incitamentum ad peccandum.

24. INFELIX EGO HOMO: QUIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HUJUS? Exclamatio est gementis sub jugo ac servitute peccati secundùm carnem, & ad libertatem anhelantis. *Infelix*, Græcè ταλαίπωρος *miser*. *Liberabit*, ῥύσεται, *eripiet*. Corpus mortis vocat corpus mortale, id est, morti destinatum per corruptionem quam ex peccato contraxit: sicut vir mortis Hebræa phrasi quis dicitur propter admissum scelus quod dignum sit morte, ut 3. Reg. 2.

Corpus mortis quod dicatur.

Potest autem ex Græco verti, & quidem sensu commodiore. *De corpore mortis isto*, id est, ex hoc corpore mortali: ut demonstratio sit corporis, non mortis. Cur autem dicat, de hoc corpore mortis, cùm tamen hactenus non de morte sed de peccato fuerit locutus; ea ratione est, quia durante hac mortalitate manet in corpore lex & servitus peccati jam dicta. Optat autem ita liberari & eripi de mortali hoc corpore, ut idem aliquando recipiat immortale, atque ab omni corruptione & servitute peccati liberum, videlicet per resurrectionem.

Christiani quo sensu beati simul & infelices. Loc. mor. Deminuen-

Animadverte lector, cum omnis scriptura Evangelica & Apostolica Christianum hominem beatum pronunciet vel ob justitiam præsentem, qua Deo gratus est atque amicus, vel ob spem gloriæ futuræ; Paulum tamen Apostolum se & omnes justos infelices &

do vitæ præſentis amore, ex conſid. miſeriæ, & ſervitutis, &c.

miſeros clamare, non tam propter corporis mortalitatem & ærumnas forinſecus irruentes, quàm propter legem peccati in membris ſævientem. Ita non pugnat in hoc ſtatu corruptionis, eumdem hominem & beatum eſſe & miſerum diverſa ratione.

25. GRATIA DEI PER JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM. In hac parte varietas eſt lectionis. Latini quidem veteres omnes tam in commentariis quàm extrà, legunt *Gratia Dei*; ſolum Hieronymum ſi excipies, de quo dicemus infrà. Hujus autem lectionis ſententia clara eſt, qua ſe conſolatur Apoſtolus, ac ſibi ipſi reſpondet dicens: Gratia Dei, id eſt, gratuita Dei bonitas per Chriſtum liberabit me de hac corruptione. Eamdem lectionem agnoſcunt ex Græcis Irenæus lib. 3. cap. 22. & Origenes in hujus loci com. ſi non fallunt eorum interpretes. Porrò Græci codices plerique ſic habent: εὐχαριστῶ τῷ θεῷ. *Gratias ago per Jeſum*, &c. Atque eam lectionem exponunt Chryſoſt. ac cæteri Græci Chryſoſtomo poſteriores. Annuit & Syriaca verſio.

Senſus hujus Græcæ lectionis à nobis ita reddi poteſt: Gratias ago Deo per Jeſum Chriſtum: vel ſic potiùs; Gratias ago Deo, qui per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum me vocavit in ſpem certam liberationis è corpore hoc mortali. Quem ſenſum reſolvere potueris in hanc planam reſponſionem redditam interrogationi: Quis me liberabit, &c. Deus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum liberabit me ex hoc mortali corpore: de quo beneficio promiſſo & præparato gratias illi ago. A ſenſu dictæ lectionis non eſt diverſum quod quidam Græci codices legunt: χάρις δὲ τῷ θεῷ. *Gratia autem Deo.* Subauditur enim, ſit, aut habenda eſt.

Atque his alludere fortaſſe videntur exemplaria Latina non pauca, quæ ſcribunt, *Gratia autem Dei*: niſi quod alia antiquitate & integritate præſtantiora tantùm *gratia Dei* legunt: quemadmodum & hodiè paſſim in omnibus impreſſis habetur. Cui lectioni vicinior eſt illa tertia Græcorum χάρις τοῦ θεοῦ *gratia Deo*, cujus Valla meminit. Et hoc modo noſtrum tranſtuliſſe, id eſt, gratia Deo; ſcribarum autem inſcitia paulatim o in i mutatum fuiſſe, quidam non abs re ſuſpicantur. Nam & ita legit Hieronym. *quæſt. 3. ad Algaſ.* ac pro eo poſteà repetit, *gratias ago Deo.* Quæ ſi vera eſt ſuſpicio, jam ſenſu prorſus conveniet Latina verſio cum Græcis. De tota hac varietate vide notationes Fr. Lucæ Brugenſis.

IGITUR EGO IPSE MENTE SERVIO LEGI DEI; CARNE AUTEM LEGI PECCATI. Colligit in ſummam, ſimulque declarat ea quæ dixit ab illo loco, *Ego autẽ carnalis ſum.* Declarat autem diſtinctione tum ſui, id eſt, mentis & carnis, tum legum contrariarum, quæ ſunt lex Dei & lex peccati: quarum alteri mente, alteri carne ſervire ſe dicit. *Ego ipſe* Græcè αὐτὸς ἐγὼ *ipſe ego.* Quod à Paulo emphaticè dictum eſt, ad deſignandum ſemetipſum: Ne quis eum ſub aliena perſona hactenus fuiſſe locutum ſuſpicaretur: quemadmodum id pluribus oſtendit Jo. Caſſian. *collat.* 23. *cap.* 16. & ex eo B. Pererius *diſput.* 20. & 21. Adfert Caſſianus ſimilia loca, in quibus ſeipſum ſpecialiter & cum emphaſi ſignat idem Apoſtolus, ut 2. Cor. 10. *Ipſe ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti* & cap. 12. *Ipſe ego non gravavi vos,* & in hac ad Romanos epiſt. cap. 19. *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Ipſe ego, Paulina phraſis, quã vim habeat.

Porrò quidam hanc emphaſim referunt ad ipſum Paulum ut hominem, ex judicio rationis agentem; ac ſi dicat: Ego quatenus homo ſum, eligens & agens ratione deliberata. Verùm id non apparet. Nam ad hoc ſignificandum addidit mente. Deinde, quia illud *ego ipſe* tam pertinet ad poſterius membrum quàm ad prius. Atqui emphaſim ſic expoſitam, in poſteriori membro veritatem non habere perſpicuum eſt.

Cæterùm Eraſmus vertit, *idem ego*, quod & Hentenius ſecutus eſt: ac ſi dicat Apoſtolus; Ego unus idemque mente quidem ſervio legi Dei, carne autem legi peccati. Nam & alibi ſic loquitur interpres, ut Jacobi 3. *Ex ipſo* (id eſt eodem) ore *procedit benedictio & maledictio*, & Heb. 13. *Jeſus Chriſtus heri & hodie ipſe* (id eſt idem) *& in ſæcula.* Sed ſciendum hîc in Græco non apponi articulum, ὁ αὐτὸς, ut ſolet, dum ſignificatur idem; quemadmodum in locis citatis atque alibi videre eſt: ſed nudè ſcribit αὐτὸς ἐγώ; ſicut in aliis locis quæ Caſſianus annotavit.

Itaque maneat quod priùs dictum eſt, idcircò Paulum dixiſſe *ipſe ego*, ut oſtenderet ad ſuam ipſius perſonam hæc quæ ſcribit pertinere, quaſi dicat: Interim verò dum adhuc deteneor in hoc mortali corpore, dumque plena liberatio mea ad quam ſuſpiro, differtur, ipſe ego Paulus mente ſaltem & ratione ſervio legi Dei, licèt carne adhuc ſerviam legi peccati. *Hac* igitur *concluſione*, ait Auguſtinus ſerm. 6. de verbis Apoſtoli, *demonſtravit Apoſtolus ad hoc ſe dixiſſe quæ ſuprà dixerat, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum: quia non mente operabatur conſentiendo, ſed carne concupiſcendo.*

CAPUT VIII.

1. NIhil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant. 2. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati & mortis: 3. Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, 4. ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum. 5. Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt. 6. Nam prudentia carnis, mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita & pax. 7. quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt. 8. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. 9. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. 10. Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus verò vivit propter juſtificationem. 11. Quòd ſi ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. 12. Ergo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. 13. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. 14. Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei. 15. Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) 16. Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei. 17. Si autem filii, & hæredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut conglorificemur. 18. Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 19. Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat. 20. Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe: 21. quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. 22. Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc. 23. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes; & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exſpectantes, redemptionem corporis noſtri. 24. Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? 25. Si autem quod non videmus, ſperamus: per patientiam expectamus. 26. Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 27. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis. 28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. 29. Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit. 31. Quid ergo dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contra nos? 32. Qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? 33. Quis accuſabit adverſus electos

2. *Tim.* 1. *b.* 7. *Gal.* 4. *a.* 5.

Dei? Deus qui justificat, 34. quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 35. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? 36. (sicut scriptum est. Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus
Plal. 43. d. 22. sicut oves occisionis.) 37. Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. 38. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, 39 neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

SUMMARIUM.

DOcet iis qui sunt in Christo, nihil damnationis esse reliquum: ut qui damnato per Christum peccato, spiritu Dei agantur, sintque filii Dei, spem certam habentes gloriæ futuræ: etsi interim adhuc corpore mortales. Deinde magnitudinem charitatis Dei erga suos electos describit: negans eos ulla vi posse à Dei charitate separari.

NIHIL ERGO NUNC DAMNATIONIS EST IIS QUI SUNT IN CHRISTO JESU. *Nihil damnationis*, Græcè *nulla damnatio.* Alteram hanc conclusionem infert Apostolus ex iis quæ differuit capite superiori ab illo loco, *Quod enim operor, non intelligo*, usque ad finem, & præcipuè ex illis sententiis: *Non quod volo ago, sed quod odi. Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem. Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Ex iis enim sequitur involuntarios esse concupiscentiæ motus in renatis ac justis; quibus proinde ad pœnam imputari non possint. Ipsum verò peccatum originis supponitur esse remissum in baptismo, ex illis quæ dicta sunt cap. 6. Quod declarat synodus Tridentina sess. 5. canone 5. ubi definiens per gratiam baptismi *tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet*, hanc subjicit probationem: *quia nihil damnationis iis qui verè consepulti sunt Christo per baptisma in mortem.* Idque etiam hîc significatum est cùm dicitur: *ii qui sunt in Christo Jesu*, id est, insiti Christo, & in eo renati per baptismum. Et utique ad fideles baptizatos scribitur hæc epistola.

Damnationis nomine quid significetur.

Damnationis nomine vel pœna pro peccato inflicta aut infligenda intelligitur, ut passim in Scripturis; vel secundùm quosdam, metonymicè ipsum peccatum damnatione, id est, pœna dignum; quomodo putant etiam accipi 1. Tim. 5. cum dicitur: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Sed de illius Scripturæ sensu, ubi non κατακριμα legitur, sed κριμα, id est, *judicium*, videbimus suo loco.

Renati à peccato & damnatione prorsus liberi.

Hîc verò utrumque sensum conjungere libebit, hoc modo: Qui sunt Christo insiti per baptismum, & in eo regenerati, quamvis adhuc carne serviant legi peccati, jam nullum ampliùs habent peccatum quantulumcumque, neque propter peccatum ulli pœnæ ampliùs sunt obnoxii; cujus nimirum pœnæ debitum eos remoretur ab ingressu regni cœlestis; ut exponit synodus Tridentina. Quod totum intellige, quantum attinet ad malum illud in carne habitans, id est, concupiscentiam, ejusque motus, de quibus dictum est suprà. Siquidem concupiscentiæ reatus baptismo deletus est: motus verò sunt involuntarii. Ideóque deinceps nihil illis damnationis est, nisi ex propria actione, proprioque consensu. Quod significat pars subjuncta.

QUI NON SECUNDUM CARNEM AMBULANT. Ambulare quid metaphoricè significet in Scripturis, dixi superiùs ad illud cap. 6. *In novitate vitæ ambulemus.* Igitur ambulare secundùm carnem, est vivere secundùm carnem. Hoc autem quid sit, docet Augustinus *lib. 14. de civit. Dei cap. 2.* ostendens non eos solos philosophos, qui carnis voluptates sectati sunt, ut Epicuræos, secundùm carnem vixisse; verùm etiam Stoïcos, qui summum bonum hominis in animo posuerunt, etiamsi quàm maximè sibi à voluptatibus corporeis temperassent. Non enim liberi fuerunt à cæteris vitiis quæ inter opera carnis enumerat Apostolus *ad Gal. 5.* cujusmodi sunt idolorum servitus, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, &c.

Quid ambulare secundùm carnē.

Carnem igitur Apostolus intelligit carnalem concupiscentiam spiritui adversantem, quæ per omne genus vitiorum spargitur; ac negat quicquam damnationis reliquum esse baptizatis, qui secundùm carnem non vivunt, id est, concupiscentiæ motibus seu desideriis non obsequuntur. Alioqui inquantum quis iis obsequitur aut consentit, in tantum fit reus damnationis, id est, pœnæ vel temporalis vel æternæ. In Græco additur *sed secundùm spiritum.* Quod tamen neque in Syriaco textu legitur, neque apud veteres Latinos: nec in omnibus est Græcis. Unde adjectivum videri potest, ex eo quod paulò pòst dicitur: *Qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* Pro sensu totius loci præsentis consule hæc Augustini loca; *lib. 2. de peccator. meritis cap. 27. lib. 2. contra Julian. cap. 10. lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianor. cap. 13. & concione 3. super Psalmum 118.* Ratio sublatæ damnationis sequitur.

Lex spiritus vitæ gratia Christi.

2. LEX ENIM SPIRITUS VITÆ IN CHRISTO JESU LIBERAVIT ME A LEGE PECCATI ET MORTIS. Legem spiritus vocat gratiam Christi, quia lex Dei per Spiritum sanctum scribitur in cordibus nostris. Qui vitæ, id est, vivificus dicitur (est enim genitivus epitheti loco) quia vitam tribuit, qua Deo vivimus, & in æternum victuri sumus. Alii utrumque genitivum ad legem referunt, ac si dictum fuisset, lex spiritus & vitæ: quomodo mox ex adverso nominatur lex peccati & mortis. Et in hunc sensum Theophylactus exponit, & alii nonnulli. Verùm si hoc vellet Apostolus, certè copulam addidisset, ut fecit in altera parte. Circa quam tamen notandum, quod in Græco est ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας, καὶ τοῦ θανάτου tribus modis verti posse: à lege peccati & mortis; vel, à lege, peccato & morte: vel à lege peccati & morte.

Quæ lex peccati & mortis.

Verumtamen harum versionum prima, quæ nostri est interpretis & omnium ferè aliorum, maximè probabilis est. Hac enim parte duo crimina superiori capite remota à lege decalogi, transfert in fomitem, quem paulò antè vocavit legem membrorum, atque adeò legem peccati. Nam de lege decalogi sunt illa capitis superioris: *Lex ergo peccatum est? Absit*, &, *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit.* Quod utrumque nunc attribuit fomiti, id est, concupiscentiæ; legi spiritus vitæ eam opponens, ac legem peccati & mortis appellans. Est enim illa lex peccati, quia ad peccatum movet incitatque, velut lex quædam, ut antè explicatum est: & lex mortis, quia per se ducit ad mortem. Nam *stipendia peccati mors*, suprà cap. 6. Rursùm lex est peccati & mortis, quia *concupiscentia parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem*, Jac. 1. Illud, *in Christo Jesu*, quidam referunt ad vitam, ut significetur vita danda per Christum. Quo sensu dictum erat in fine cap. 6. *Gratia Dei vita æterna in Christo Jesu.* Alii ad subsequens verbum, *liberavit*, sensu, ut apparet, commodiore; quomodo dictum est paulò antè. *Gratia Dei (liberabit me) per Jesum Christum.*

Mortis nomine omnis peccati pœnæ comprehenduntur.

Quod autem dicit: *liberavit me à lege peccati & mortis*, hunc sensum habet: Quamvis adhuc carne sim captivus sub lege peccati, eique serviam; attamen meipsum, scilicet ut hominem, à mēte ac ratione æstimandum, gratia Christi jam liberavit à lege peccati; sic ut ea neq; mihi dominetur ampliùs, quia pravis ejus motibus non consentio; neque mortis reum me teneat, quia reatus ejus baptismo solutus est. Mortis nomine, quo mors æterna intelligitur, reliquæ etiam peccati pœnæ comprehenduntur: ut

ſibi reſpondeant mors & damnatio. Hinc enim inferendum eſt juxta ſenſum prædictum, nihil eſſe damnationis iis qui ſunt in Chriſto Jeſu. Nam in eorum perſona de ſe loquitur Apoſtolus hæc verba, quemadmodum multa capitis præcedentis.

3. NAM QUOD IMPOSSIBILE ERAT LEGI, IN QUO INFIRMABATUR PER CARNEM. Prior pars ſic habet in Græco τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, id eſt, *Nam impoſſibile legis*. Pro quo Tertull. lib. de reſurrectione carnis cap. 46. Quod enim invalidum erat legis. Sed & apud commentatorem Amb. genitivus eſt *legis*. Eraſmus hunc locum paraphraſticè ita reddidit: *Etenim quod lex præſtare non poterat ea parte qua imbecillis erat per carnem.*

Mens Apoſtoli hoc loco eſt, etſi verbis obſcurioribus expreſſa, id nobis præſtitum per gratiam, quod lex præſtare non potuit: Ubi legem intelligit Moſaïcam, de qua dixerat cap. 7. *Lex quidem ſancta.* Ac ne legem incuſare videatur, culpam rejicit, ut ſuperiori capite, in carnem, id eſt, concupiſcentiam, quæ fomes eſt peccati. Nam quia peccando carnalis factus eſt homo, & per hoc ad bonum quod lex præſcribit, infirmus; ideò gratia Chriſti indiget ut legem impleat.

Legis infirmitas. Gratiæ Chriſti neceſſitas.

Senſus: Nam quod lex præſtare non potuit, non quidem ſuo vitio, ſed *in quo*, id eſt, quatenus ſeu qua ratione *infirmabatur*, hoc eſt, imbecillis & impos erat *per carnem*, id eſt, quia homines corrupti ſunt & carnales ex peccato primi parentis; ita ut, etſi quædam bona quæ lege præcipiuntur, per naturæ vires agere poſſint; totam tamen legem implere nequeant. Pendet ſententia, verbis ſequentibus complenda: tametſi putat Toletus ſenſus complementum hac parte contineri. Sic enim exponit; *Impoſſibile legis*, id eſt, impoſſibilitas implenda legis ex eo procedebat, quoniam lex infirma erat per carnem ſeu propter carnẽ.

Verùm ad hunc ſenſum aptare verba quæ ſunt in Græco, non ita facile eſt. Quare priorem expoſitionem, quæ multorum eſt, retinendam cenſeo. Particulam *in quo*, Græcè ἐν ᾧ, cauſaliter exponimus: ſic enim & alibi accipitur, ut Heb. 2. *In quo paſſus eſt ipſe tẽtatus, potẽs eſt & eis qui tentãtur auxiliari.* Et quidem hæc ſignificatio præſenti loco maximè congruit.

DEUS FILIUM SUUM MITTENS. Græcè *Deus ſuo ipſius filio miſſo*, quem infrà vocat proprium filium.

IN SIMILITUDINEM CARNIS PECCATI. Græcè ἐν ὁμοιώματι, *in ſimilitudine*, quemadmodum & citat Hilarius lib. 10. de Trinitate. Subaudiendum verbum, præſtitit, aut aliquid ſimile: præſtitit (inquam) per ſuam gratiam ex merito Chriſti filii ſui, quod lex per carnem infirma non potuit. Ita plerique.

Toletus verò non vult ſubaudiri verbum, ſed duplicem hîc introducit Hebraïſmum: alterum ut ſuppleatur *ideò*, alterum quo participium ſit poſitum pro verbo, *mittens* pro *miſit*. Cujus utriuſque apud Hebræos idiotiſmi profert exempla. Vult igitur hunc eſſe contextum: *impoſſibile legis* erat ex carne. Ideò *miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum.* Mihi, quod antè dixi, partem præcedentem ex iſta pendere, probabilius eſt. Deinde ſi participium hîc poſuit pro verbo, cur non idem fecit in verbo *damnavit*, partis ſequentis & conjunctæ, quùm conjunctio copulet ſimilia?

Satius fortaſsè fuerit agnoſcere pleonaſmum in vocula &; quod ea etiam alibi interdum redundet apud Paulum; ut planus ſermo ſit: Deus miſſo filio ſuo in ſimilitudine carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne: atque ita contulit nobis quod lex non potuit, legis ſcilicet impletionem.

Notat Auguſtinus *ſer. 6. & 31. de verb. Apoſt.* Paulum non dicere filium Dei miſſum eſſe in ſimilitudine carnis (hoc quippe dogma Manichæorum eſt, Chriſtum non veram carnem, ſed ſpeciem ac ſimilitudinem carnis tantum aſſumſiſſe) ſed *in ſimilitudine carnis peccati*, id eſt, habentem ſpeciem carnis peccato obnoxiæ; nempe in eo quia mortalis natus eſt, ac miſerias & mortem paſſus, quæ debentur peccatoribus. Unde & per æneum ſerpentem à Moyſe erectum *Num.* 21. præfiguratus eſt: ut qui videretur habere venenum peccati, revera tamen non haberet. Eadem obſervatio eſt Græcorum interpretum. Hinc porrò colligit idem Auguſt. *ſerm. 31. ſuprà citato cap.* 6. omnem reliquam carnem eſſe, carnem peccati. *Non enim*, inquit, *pro magno commendaretur in Chriſto ſimilitudo carnis peccati, niſi omnis cætera caro eſſet caro peccati.* Utitur eadem collectione Fulgent. *lib. de incarn. & gratia Chriſti, cap. 6.*

Chriſtus venit in ſimilitudine carnis peccati: non, ut omnes aliiincar peccati.

ET DE PECCATO DAMNAVIT PECCATUM IN CARNE. Hæc pars difficultatem habet, & variè exponitur. Quidam illud *& de peccato* præcedentibus adjungunt. Sciendum enim id quod in Græco eſt περὶ ἁμαρτίας, etiam verti poſſe (quomodo Ruffinus in Origene) *pro peccato*, ſive (quomodo Syrus tranſtulit) *propter peccatum*, ſcilicet abolendum. Sic enim & Petrus loquitur 1. epiſt. 3. *Chriſtus ſemel pro peccatis mortuus eſt.* Græcè περὶ ἁμαρτιῶν. Senſum igitur hunc faciunt: Quod lege erat impoſſibile, Deus miſſo filio ſuo in ſimilitudine carnis peccatricis, idque propter peccatum expugnandum & abolendum; damnavit peccatum in carne ejuſdem filii ſui. Juxta quem ſenſum in tota periodo neque ſupplendum erit verbum, ut ſuprà fecimus, neque conjunctio & redundare videbitur.

Hujus expoſitionis meminerunt Theophylactus & Oecumenius, non admodum tamen probantes: quemadmodum nec mihi probatur. Nam cauſa filii à patre miſſi, quam intendit Apoſtolus, ea eſt quam clarè exprimit verbis ſequentibus: *Ut juſtificatio legis impleretur in nobis*: quod nimirum præſtare, legi fuerat impoſſibile; ut proinde pars illa περὶ ἁμαρτίας ad cauſam miſſionis indicandam nihil conferat.

Minus adhuc placet illud cujuſdam gloſſema, carnem peccati & de peccato interpretantis carnẽ peccatricem, quæ eadem ex peccatoribus orta ſit; ac ſi dicat Apoſtolus filiũ Dei ſimilem factũ hominibus peccatoribus, qui iidem ex peccatoribus nati ſunt. Non placet, inquam; quia præpoſitio περὶ non admittit hujuſmodi interpretationem. Et omninò probabilius eſt, ad ſequentia referendam eſſe partem illam, *& de peccato.* Ubi tamen etiam varietas exſiſtit.

Deus quò ſenſu de peccato damnavit peccatũ.

Apud Auguſtin. tres inveniuntur expoſitiones; quarum prima eſt, peccati nomine ſimilitudinem carnis peccati ſignificari: quoniam inquit, *rerum ſimilitudines ſolent earum rerum nominibus nuncupari, quarum ſimiles ſunt.* Secunda, Chriſtum ipſum intelligi, qui peccatum dicatur, quia ſacrificium fuit pro peccatis oblatum, ſicut dicitur 2. Corinth. 5. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Nam ſacrificia pro peccatis, peccata appellabantur in lege. Tertia peccatum intelligi Judæorum. De quo damnavit Deus peccatum, ait Auguſtinus, quia de peccato eorum qui eum crucifixerunt, factum eſt ut ſanguinem ſuum in remiſſionem funderet peccatorum. Has tres expoſitiones adfert Auguſtinus *lib. 3. contra 2. Epiſt. Pelag. cap. 6.* primam & ſecundam *ſerm. 48. de verbis Domini*; primam ſolam, *quæſt. 66. inter 83.* Mediam ſolam *ſerm. 6. de verbis Apoſt.*

Ad tertiam verò propè accedunt & aliorũ quædam expoſitiones; ut illa Leonis ſerm. 18. de paſſione Domini. *De peccato damnavit peccatum, id eſt opus diaboli, de opere diaboli ſolvit.* Sentit enim (ut in ſequentibus explicat) Chriſtum diſſolviſſe peccatum, ex eo quòd diabolus ipſum invaſit in quo nullum fuit peccatum. Item Hervæi in commentario, ubi peccatum interpretatur mortem Chriſti per metonymiam: quia peccati, id eſt, ſceleris Judæorum effectus fuit. Et Pauli Burgenſis, peccatum exponentis paſſionem Chriſti, quæ magnum fuit peccatum ex parte Judæo-

rum eam inferentium : ſed ex parte Chriſti patientis, condemnatio fuit & deſtructio peccati.

Verùm hujuſmodi expoſitionibus, quæ Latinorum ſunt, rurſus haud facilè poteſt accommodari Græcum περὶ. Quo fit ut nec ullam earum tradant Græci interpretes. Jam nec opus erat addere *in carne*; ſi peccatum priori loco ſumatur pro ſimilitudine carnis peccati, id eſt, pro carne Chriſti, ut habebat dictarum expoſitionum prima.

Græcorum expoſitio melior.

Porrò Græcorum Chryſoſtomi, Theodoreti & aliorum communis expoſitio eſt iſta: *De peccato damnavit peccatum*, hoc eſt: peccati condemnavit peccatum; ipſumque ſceleris reum peregit; quod non ſolùm fuiſſet *ſupra modum peccans*, augendo prævaricationes in humano genere: ut dictum eſt capite ſuperiori: verùm prætereà manum miſiſſet in Chriſtum innocentem, & tamquam peccatorem egiſſet in mortem; ut eam ob cauſam meritiſſimè condemnandum fuerit atque è medio tollendum. Nam licèt Deus ſolo nutu voluntatis abolere potuiſſet peccatum: convenientius tamen ei viſum fuit, ſi hac juſtitiæ via procederet ad deſtruendum regnum peccati. Hæc autem de peccato per proſopœiam dicuntur, velut de tyranno quopiam & injuſto dominatore: Quo ſchemate etiam in ſuperioribus de peccato loquens, uſus eſt Apoſtolus. Sic igitur dicit Deum damnaſſe peccatum de peccato, ſicut Dominus ait Joan. 16. *Cum venerit ille* (*Paracletus*) *arguet mundum de peccato*, Græcè περὶ ἁμαρτίας. Nec abhorret Latinus ſermo: velut cum dicimus aliquem accuſatum aut condemnatum de ſacrilegio vel homicidio.

Deus juſtitia uſus in deſtruendo regno peccati.

Hæc Græcorum expoſitio ita placet, ut eam cæteris anteponendam cum F. Toleto cenſeam. Condemnavit autem & deſtruxit peccatum Deus *in carne*, id eſt, per carnem filii ſui ſuſpenſam & mortificatam in cruce: non quòd omninò jam exſtinxerit, adhuc enim habitat peccatum in carne renatorum, excitans prava deſideria: Sed quia dominium ejus abſtulit, & reatum ſolvit; tandem ipſum prorſus aboliturus, quando eos liberabit de corpore mortis hujus.

4. UT JUSTIFICATIO LEGIS IMPLERETUR IN NOBIS. Id eſt, ut nos legem impleremus, idque faciendo juſti eſſemus: quia *factores legis juſtificabuntur*; ſupra cap. 2. Hoc nimirum eſt quod dixit eſſe impoſſibile legi: & cujus gratia miſit Deus filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati. *Juſtificatio*, Græcè δικαίωμα pro juſtitia ponitur: quemadmodum & Græcè ſuprà cap. 5. v. 8. in illis verbis, *per unius juſtitiam*. Apud Auguſtinum quoque *juſtitia* legitur, in expoſitione propoſitionum hujus loci. Igitur juſtificatio legis eſt juſtitia quam præcipit lex Dei; quamque exercendo, legem Dei implemus.

Solis naturæ viribus legē decalogi ſervari non poſſe.

Ex hoc loco manifeſtè refelluntur qui putant ex ſolis naturæ viribus totam legem naturæ ſeu decalogi ab homine præſtari poſſe in hac naturæ corruptione: quando ne quidem ſcriptæ legis adminiculo id poteſt corrupta natura: quemadmodum hîc docetur.

Juſtificatus per gratiam Chriſti legē implet.

Non minùs hîc Apoſtoli locus facit adverſus hæreticos, qui negant ab homine per Chriſti gratiam juſtificato legem impleri. Nam ſi non impletur; fruſtrà miſſus eſt è cœlo in terram filius Dei: quem utique ad hoc miſſum teſtatur Apoſtolus, *ut juſtificatio legis impleretur in nobis*. Si quæras in quibus nobis; docet te id quod ſequitur.

QUI NON SECUNDUM CARNEM AMBULAMUS, SED SECUNDUM SPIRITUM. Senſus: Quod fit (nempe ut legem impleamus, & per hoc damnationi non ſimus obnoxii) dum non carnis deſideria ſequimur, ſed inſtinctum Spiritus ſancti.

5. QUI ENIM SECUNDUM CARNEM SUNT, QUÆ CARNIS SUNT, SAPIUNT. Probat id quod in præcedenti parte ex ſuperioribus intelligi voluit; nempe eos qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed ſecundùm ſpiritum, evaſuros damnationem; alioquin non evaſuros, etiamſi per baptiſmum Chriſto inſiti fuerint. Vim probationis inferiùs explicabo. Sunt autem eadem Apoſtolo, ſecundùm carnem ambulare, & ſecundùm carnem eſſe. Item ſecundùm ſpiritum ambulare, & ſecundùm ſpiritum eſſe. Nam illic homines carnales ſignificantur, hîc ſpirituales: niſi quod eſſe, habitum importare videatur; ambulare, converſationem quæ in actibus conſiſtit.

Quid ſapere ea quæ carnis ſunt.

Itaque ſenſus hujus partis eſt: Homines carnales ſapiunt, curant, cogitant opera carnis, iiſque afficiuntur & ſtudent, ac toti ſunt in illis. Tale quid enim ſignificat verbum Græcum φρονεῖν, quod interpres vertit, *ſapiunt*. Rurſus ea quæ carnis ſunt, id eſt, opera carnis, intellige ad quæ concupiſcentia carnalis inclinat, id eſt, peccata cujuſcumque generis. Nam omnia ſpiritui contraria ſunt; de quo ſequitur.

QUI VERO SECUNDUM SPIRITUM SUNT, QUÆ SUNT SPIRITUS SENTIUNT. Interpres de ſuo addidit, *ſentiunt*. Nam in Græco verbum non exprimitur, ſed intelligitur ex membro ſuperiori *ſapiunt* vel *ſentiunt*. Idem enim ſignificatur, ut ſit *ſenſus*: Homines ſpirituales curant & intenti ſunt in ea opera quæ conſentanea ſunt Spiritui ſancto, & quæ fructus ſpiritus appellantur, Gal. 5. Ex quo etiam loco probabile fit, ſpiritum in hac antitheſi carnis & ſpiritus intelligi (quemadmodum expoſui) Spiritum ſanctum, id eſt, Spiritum Dei, non hominis: ſicut & B. Thomas interpretatur; idque ſequentia nos certiùs docebunt.

Quid ſapere ea quæ ſpiritus ſunt.

6. Nam prudentia carnis, mors eſt. Prudentia Græcè φρόνημα verbale nomen ab eo verbo quod jam vertit, *ſapiunt* & *ſentiunt*. Eraſmus *affectum* tranſtulit hìc & in ſequentibus. Tertullianus ſenſum, lib. de reſurrectione carnis cap. 46. Nonnulli cogitationem. Mihi ſignificantius videtur prudentiæ vocabulum, quod & apud veteres legitur, hunc Apoſtoli locum citantes, ut Hieronym. *in lib. contra Jovin. c. 22.* & Auguſt. *contra Fort. diſp. 2.* Nec malè Tertullianus *in exhortat ad caſtit. c. 10.* pro verbali verbum poſuit: *Nam ſapere ſecundùm carnem mors eſt.* Et deinceps: *Secundùm ſpiritum verò ſapere vita.*

Carnis prudentia mors. Prudentia carnis vitiū generale.

Senſus enim eſt: Sapere, curare, providere ea quæ carnis ſunt, mortem adfert, mortem meretur, utique æternam, de qua dixit cap. 6. Nam *finis illorum* operum *mors eſt*: & iterùm, *Stipendia peccati mors*. Igitur carnis prudentia mors vocatur ab effectu, quia mortifera eſt.

Nota ſermonem hîc non eſſe de prudentia carnis, ut eſt ſpeciale peccatum, de quo Thomas 2. 2. *quæſt. 55. art. 1. & 2.* ſed ut per omne genus vitiorum diffunditur: quemadmodum ex antedictis eſt manifeſtum. Nam & prudentia ſpiritus, quam illi ſtatim opponit, generalis eſt virtus, omnis generis bonorum operum procuratrix.

Prudentia ſpiritus generalis. Prudentia ſpiritus vita, & pax.

PRUDENTIA AUTEM SPIRITUS, VITA ET PAX. Id eſt: Sapere & curare ea quæ ſunt Spiritus ſancti concupiſcentis adverſus carnem, parit nobis vitam æternam; juxta illud loci jam citati: *Finem verò vitam æternam*. Item parit nobis pacem, id eſt, omnium bonorum proventum & tranquillam poſſeſſionem, ſecundùm illud cap. 2. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum*. Parit autem quia meretur, ſicut de prudentia carnis dictum eſt.

Pulchrè verò & accommodatè Apoſtolus prudentiæ carnis mortem, & prudentiæ ſpiritus vitam aſſcribit. Nam caro, etiam propriè ſumpta, mortalitatis argumentum eſt; ſpiritus autem, vitæ principium.

Nunc argumentationem quæ in prædictis Apoſtoli verbis continetur, explicemus. Inſtituit autem probare, ut antè dixi, eos qui ſecundùm ſpiritum ambulant, nihil habere damnationis & proinde victuros: eos verò qui ſecundùm carnem ambulant, obnoxios eſſe damnationi mortis: utrúmque probat proprio ſyllogiſmo: poſterius quidem hoc modo. Prudentia carnis mors eſt; at qui ſecundum carnem ambulant,

Syllogiſmi in Paulina diſputatione explicantur.

ſapiunt quæ carnis ſunt; ergo morientur. Prius autem iſto modo: Prudentia ſpiritus vita eſt & pax; at qui ſecundùm ſpiritum ambulant, ſapiunt ea quæ ſunt ſpiritus; ergo vitam conſequentur & pacem. Utrumque ſyllogiſmum formâ dialecticâ propoſitum vide apud B. Thomam in commentario. Obſcuritatem in contextu Paulino facit cauſalis ſermo: *Nam prudentia carnis*, &c. Non enim apparet quidnam probet.

Sed facilè tollitur obſcuritas, ſi *nam* per *atqui* interpreteris; aut certè in duabus ſententiis præcedentibus ſuppleas illationem, hoc pacto, *Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt, ideóque morientur. Qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt: & proinde vivent.* Tum enim aptiſſimè ſequitur utriuſque probatio. *Nam prudentia carnis mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita.* Cæterùm prudentiam carnis mortem eſſe, confirmat per id quod ſequitur.

7. QUONIAM SAPIENTIA CARNIS INIMICA EST DEO. Græcè, *Propterea quòd prudentia carnis inimicitia eſt in Deum.* Idem enim in Græco vocabulum φρόνημα repetitur, quod interpres ſuprà vertit prudentiam, nunc ſapientiam. Et quidem Hieronymus adverſus Jovinianum loco ſuprà citato, legit ſemel & iterùm: *Prudentia carnis inimicitia eſt in Deum*; ut eſt in Græco. Tertull. etiam *lib. de reſurrect. carnis* inimicitiam legit. Accedit his textus Syriacus: imò & veteres noſtræ concordantiæ, quæ ſic habent, *inimicitia eſt in Deum.* Similis ſententia apud Jacobum cap. 4. *Neſcitis quia amicitia hujus mundi, inimica eſt Dei?* Græcè, *inimicitia Dei.*

Porrò ſenſus hujus loci apertus eſt; prudentiam carnis eſſe inimicam Deo, vel inimicitiam adverſus Deum; quia per eam homo conſtituitur Deo inimicus, utpote voluntati ac legi ejus contrarius: ut docet ætiologia ſubjuncta.

LEGI ENIM DEI NON EST SUBJECTA. Græcè οὐχ ὑποτάσσεται, *non ſubjicitur.* Quomodo etiam apud Hieronymum legitur, & in Latinis quibuſdam MSS. Figura ſermonis eſt Hebræis familiaris, qua minus dicitur, & plus intelligitur. Nam non tantùm non ſubjicitur legi Dei prudentia carnis, ſed etiam repugnat, & propterea eſt inimicitia in ipſum legiſlatorem Deum.

Prudentia carnis non poteſt ſubjici legi Dei.

Nec enim poteſt, Subaudi, ſubjici legi Dei: veluti ſi dicas; vitium virtus eſſe non poteſt, nec inclinare ad ea quæ ſunt virtutis. Id enim naturæ ejus omninò contrarium eſt. Hinc Apoſtolus intelligendum relinquit, homines quamdiu ſapiunt ea quæ carnis ſunt, Deo ſubjici non poſſe. Quod & ſignificat verbis ſequentibus.

In carne eſſe qui dicātur.

8. QUI AUTEM IN CARNE SUNT, DEO PLACERE NON POSSUNT. In carne eſſe id vocat quod ſuprà ſecundùm carnem eſſe; cùm alibi in carne eſſe, vivere, ambulare, ſit vivere vita hac mortali, ut 2. Cor. 10. Gal. 2. & Philip. 1. Senſus: Qui carni ſubditi ſunt, ſapiendo ea quæ ſunt carnis, id eſt, homines carnales, dum tales ſunt, Deo placere non poſſunt: quia per illam carnis prudentiam Deo conſtituuntur inimici. Sic è diverſo Joannes 1. *epiſt.* 3. eum qui natus eſt ex Deo, negat poſſe peccare. Particulam δὲ *autem*, quidam per οὖν, *igitur*, interpretantur; Igitur qui in carne ſunt, &c. Poteſt enim hæc pars, ut dixi, velut concluſio ex ſuperioribus inferri.

Obſerva ad mores, non debere nos carnis deſideria ſequi, & Deo placere, velimus.

9. VOS AUTEM IN CARNE NON ESTIS, SED IN SPIRITU. Baptizatos alloquitur, & ſenſus eſt: Vos jam baptizati & per Spiritum ſanctum renati, non eſtis ſubditi carni, ut ſapiatis ea quæ carnis ſunt, & ſecundùm carnem ambuletis: ſed eſtis ſubditi ſpiritui, ut ſapiatis ea quæ ſpiritus ſunt, & ſecundùm ſpiritum ambuletis. Sicut enim *quod natũ eſt ex carne, caro eſt: ita quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*, Joan. 3. Rectè dicimur (ait Leo ſer. 1. de reſurrect. Dom.) in carne non eſſe, *ſi carnales nobis non dominentur affectus: & meritò ejus rei deponimus nuncupationem, cujus non ſequimur voluntatem.*

SI TAMEN SPIRITUS DEI HABITAT IN VOBIS. Habitat Spiritus ſanctus in homine per fidem vivam & charitate formatam, & per opera inde procedentia. Nec ſolùm in anima, verùm etiam in corpore hominis juſti habitare dicitur. Nam & membra noſtra templum ſunt Spiritus ſancti, 1. Cor. 6. nempe quatenus animæ imperio quo reguntur, ad pia opera moventur. Quod nos habemus; *Si tamen*, Græcè eſt εἴπερ. Pro quo etiam Hieronymus *adverſus Jovin.* legit ut nos, *ſi tamen.* Quamquam alii ex Græco vertere malunt, *ſiquidem* vel *quandoquidem ſpiritus Dei habitat in vobis*; ut ſermo ſit non dubitantis; ſed ratiocinantis cum affirmatione, quaſi dicat; Quandoquidem jam ſpiritus Dei in vobis habitat, propterea in ſpiritu eſtis. Atque ſenſum hunc tradit Theophylactus.

Non ſolùm animæ renatorum, ed & corpora ſunt templa Spiritus ſancti.

Sed ſciendum eſt etiam infrà cùm dicitur: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, haberi eamdem dictionem εἴπερ: ubi conditionalem eſſe ſermonem, ſatis res ipſa loquitur. Et hujuſmodi ſenſus etiam huic loco optimè quadrat. Nam etſi de Romanis, id eſt, Eccleſia Romanorum non dubitabat Apoſtolus, an Spiritus Dei in illis habitaret, quos initio ſalutavit dilectos Dei, vocatos ſanctos, & quibus ſcribit cap. 15. *Certus ſum de vobis, quia pleni eſtis dilectione:* meritò tamen de quibuſdam illorum dubitare poterat. Unde ſubjungit.

SI QUIS AUTEM SPIRITUM CHRISTI NON HABET, HIC NON EST EJUS. Id eſt: ſi quis veſtrûm non habet inhabitantem ſpiritum Chriſti, aut non agitur ſpiritu Chriſti; videlicet ambulando ſecundùm ſpiritum, & ſapiendo ea quæ ſpiritus ſunt, hic ad Chriſtum non pertinet; intellige, tamquam vivum ejus membrum, & palmes fructuoſus in vite; & quia non ſic ad Chriſtum pertinet, ideò tandem abſcindetur. Inſinuat Apoſtolus Chriſti divinitatem, in eo quod eũdem ſpiritum modò Dei, modò Chriſti ſpiritum nominat.

10. SI AUTEM CHRISTUS IN VOBIS EST. Scilicet per ſpiritum ſuum: Id eſt (ut manifeſtior ſit antitheſis cum parte præcedente) ſi quis ſpiritum Chriſti habet.

CORPUS QUIDEM MORTUUM EST PROPTER PECCATUM. *Eſt*, additum fuit ab interprete. *Senſus*: Corpus quidem morti obnoxium eſt, ac mortis neceſſitati ſubditum, idque merito peccati. Nam *per peccatum mors intravit in mundum*, ſuprà cap. 5. Mortuum corpus vocat, quod paulò pòſt mortale: Sed ideò dicit mortuum, quia non tantùm tale eſt, ut mori poſſit; ſed quòd corruptionem in ſe habeat, qua perpetuò & inevitabiliter tendat ad mortem. Unde & corpus mortis ipſum appellavit ſuperiori cap. Quò pertinet etiam illud vulgatum, *Naſcentes morimur.*

Corpus noſtrum cur mortuum dicatur.

Ex eo quod dicit, *propter peccatum*, rectè docent Theologi mortem & miſerias hujus vitæ etiam in hominibus juſtis eſſe pœnas peccati originalis: ut quod perfectè quidem remiſſum eſt in baptiſmo quoad culpam & pœnam futuri ſæculi, qua ſcilicet homo retardetur ab ingreſſu regni cœleſtis: non tamen quantum ad pœnalitates hujus ſæculi. De qua re diſputatur in 4. *ſent. diſt.* 4. Senſus quem huc ſecundo loco adfert Hugo Victorinus, corpus mortuum, id eſt, mortale eſſe propter peccatum vitandum, quia prodeſt nobis ad humilitatem conſervandam iſta mortalitas & infirmitas, etſi verus, non tamen hujus eſt loci.

Mors & miſeria hujus vitæ etiam in juſtis pœnæ ſunt peccati originalis.

SPIRITUS VERO VIVIT PROPTER JUSTIFICATIONEM. Græcè δικαιοσύνην juſtitiam, quemadmodum & Auguſtinus legit locis infrà notandis. Et Tertullian. *lib. de reſur. carnis, cap.* 46. nec non *lib.* 5. *contra Marcionem c.* 14. & alii ſtatim nominandi. Porrò Joan. Henteni us dum vertit, *ſecundùm juſtitiam*, ut & in parte præcedenti, *ſecundùm peccatum*, Oecumenio

authori ſuo quem interpretatur, ſeſe accommodat. Is enim ἐν per σὺν exponit, Chryſoſtomum & Photium ſecutus; ut ſenſus ſit, in iis quos Chriſtus inhabitat, corpus mortuum eſſe, quantum ad peccatum attinet, quia ſcilicet ei cum peccato nihil ampliùs eſt commercii; ſpiritum autem vivere ſeu vitam eſſe, quoad operationem juſtitiæ. Verùm illa acceptio præpoſitionis ἐν, Attica eſt, Apoſtolis inſolita.

Juxta noſtram verſionem ſenſus eſt: Si Chriſtus in vobis eſt; tunc etſi corpus veſtrum mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus tamen veſter ſive mens veſtra vivit vita gratiæ per juſtitiam, quam in ea efficit Chriſti ſpiritus in vobis habitans. Similis eſt ſententia 2. Cor. 4. *Licet is qui foris eſt noſter homo corrumpitur, tamen is qui intus eſt, renovatur de die in diem.* Quem enim ibi vocat hominem interiorem, hîc vocat ſpiritum.

Spiritus vita, quis & quo ſenſu.

Cæterum in Græcis codicibus atque Syriacis, pro *vivit* legitur vita. Cui lectioni inter Latinos ſuffragantur commentator Ambroſ. Tertullianus utroque loco jam citato, Hilarius *lib. 8. de Trinit.* & Auguſt. *paſſim, ut lib. 1. de peccat. meritis cap. 6. in expoſit. quarumdam propoſitionum hujus Epiſtol. contra Fauſtum lib. 24, cap. 2. in expoſitione Pſalmi. 75. & lib. 4. de Trinit. cap. 3.* Sic & in Irenæo legitur, *lib. 5. cap. 10.* nec non in antiquis concordantiis. Jam qui hoc modo legunt, ferè ſpiritum intelligunt non hominis, ſed Dei, hoc ſenſu: Si Chriſtus in vobis eſt, igitur ſpiritus ejus vita veſtra eſt, id eſt, vitam vobis tribuit, ac vivere vos facit per juſtitiam quam in vobis efficit: ut congruat hic locus cum illo Gal. 2. *vivo jam non ego; ſed vivit in me Chriſtus.*

Alii tamen, inter quos Cajetanus, imò & Oecumenius Græcus, etiam hac lectione retenta malunt intelligi ſpiritum hominis propter antitheſim corporis & ſpiritus, quam hîc facit Apoſtolus; & propter illud quod mox ſequitur: *Vivificabit & mortalia corpora veſtra.* Videtur enim hoc velle: Quamvis corpus noſtrum adhuc ſit in morte & corruptione, ſpiritum tamen noſtrum gratia Chriſti jam renovatum vivere per juſtitiam; adeóque ejuſdem Chriſti beneficio ſperandam nobis ipſorum etiam corporum immortalitatem per reſurrectionem à mortuis.

Dicitur autem ſpiritus hominis eſſe vita propter juſtitiam; quia non tantum ipſe per juſtitiam vivit; ſed etiam hominem cujus eſt ſpiritus, per eamdem juſtitiam vivere facit, tamquam ipſius hominis vita quædam ſpiritualis. Notandum autem in Græco facilem eſſe commutationem inter hæc duo vocabula, ζῇ & ζωὴ, *vivit* & *vita*: ut nonnulla ſuſpicio ſit jam olim in Græcos codices ex hujuſmodi mutatione diverſam lectionem irrepſiſſe. Nihil tamen affirmo, præſertim quia tam codices quàm interpretes Græci conſentiunt, Latinis etiam multis ſuffragantibus. Nec mireris verbum ἐστὶ *eſt* omiſſum eſſe: quando nec in priori membro expreſſum erat.

11. QUOD SI SPIRITUS EJUS QUI SUSCITAVIT JESUM A MORTUIS, HABITAT IN VOBIS. Totum illud *ſpiritus ejus qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis*, periphraſis eſt ſpiritus Dei. Qua cur utatur Apoſtolus, ſequentia declarabunt. Quod ſequitur *habitat in vobis*, intelli ge per juſtitiam, idque perſeveranter.

QUI SUSCITAVIT JESUM CHRISTUM A MORTUIS, VIVIFICABIT ET MORTALIA CORPORA VESTRA. *Jeſum*, hoc loco Græca non legunt, ſed tantummodò *Chriſtum*, ut in priori parte *Jeſum*. *Mortalia* Syriacè mortua: ut intelligas idem eſſe hoc loco mortale, quod ſuprà, *mortuum*. Hæc pars ad Deum, non ad ſpiritum Dei refertur, ut ex Græco patet. Vivificabit autem Deus mortalia corpora noſtra, reſuſcitando ea ad vitam immortalem & beatam, exemplo Chriſti capitis & primogenitimortuorum.

Dico beatam: Nam ad vitam immortalem & miſeram (quam tamen vitæ & immortalitatis nomine vix uſquam dignantur Scripturæ) reſuſcitabuntur reproborum corpora. Verum illa qualiſcumque eorum vivificatio non aſcribitur meritis Chriſti; neque reſurrectionis illorum exemplar eſt reſurrectio Chriſti. Quod ſatis ſignificat clauſula ſubjuncta.

Reſurrectio Chriſti non eſt exemplar reſurrectionis malorum.

PROPTER INHABITANTEM SPIRITUM EJUS IN VOBIS. Rectiùs *ſpiritum ſuum*, vel ut in Græco, *ſuum ſpiritum*: ut ad Deum Patrem ſpiritus referatur, juxta id quod præceſſit: *Quod ſi ſpiritus ejus qui ſuſcitavit*, &c. Hanc rationem vivificationis corporum conſtat in reprobis locum non habere. Innuit Apoſtolus hac parte, quod jam antè dixi, Spiritum ſanctum non ſolùm in mentibus hominum juſtorum habitare, verùm etiam in corporibus: ut quæ propterea quòd templa fuerint Spiritus ſancti, digna habeantur honore beatæ & glorioſæ reſurrectionis.

Non ſolùm in mentibus juſtorum, ſed etiam in corporibus habitat Spiritus ſanctus.

In Græco codice Complutenſi & alio quodam per Robertum Stephanũ annotato, legitur διὰ τὸ ἐνοικοῦν-τος, *per inhabitantem ſuum ſpiritum in vobis*. Eſt & apud Ambroſium tractatus quidam brevis de Spiritu ſancto, in quo legitur *per inhabitantem ſpiritum*, &c. ac ne mendum ſuſpiceris, ſtudiosè urgetur præpoſitio *per*. Eadem lectio eſt Auguſtini propoſitione 51. ſanè non abjicienda. Nam verum & bonum ſenſum efficit: tametſi prioris lectionis ſenſum arbitror eſſe magis accommodum huic loco.

12. ERGO FRATRES DEBITORES SUMUS NON CARNI, UT SECUNDUM CARNEM VIVAMUS. *Debitores ſumus*, id eſt, ſervitutem debemus qui Chriſto jam inſiti ſumus, & Chriſtiani facti per baptiſmum: quia peculiari ratione fratres vos appello. *Non carni*. De carne loquitur ut alibi de peccato; quadam fictione perſonæ dominium & regnum carni affingens. Exponit autem illam ſervitutem, cùm addit: *ut ſecundum carnem vivamus*; id eſt, ut deſideriis ac voluntati carnis obſequamur. Hoc enim eſſet carni ſervire. Relinquit autem ex adverſo ſubintelligendum; ſed ſpiritui, ſcilicet debitores ſumus, ut ſecundùm ſpiritum vivamus. Deinde cohortationem ſuam confirmat antithetis; hinc pœna, inde præmio propoſito, dum ait.

13. SI ENIM SECUNDUM CARNEM VIXERITIS, MORIEMINI. Videlicet morte æterna, nequaquam futuri participes beatæ reſurrectionis, eò quòd Spiritum ſanctum non habueritis in vobis habitãtem. *Moriemini*, Græcè μέλλετε ἀποθνήσκειν, *futurũ eſt ut moriamini*, quomodo legit Tertullianus in lib. de reſurrectione carnis. Minùs rectè *incipietis mori*. Quod ex alia verſione legit Cyprianus, *in libr. de zelo & livore.*

SI AUTEM SPIRITU FACTA CARNIS MORTIFICAVERITIS, VIVETIS. *Spiritu*, id eſt, per Spiritum ſanctum, de quo ſtatim ſubjungit: *Quicumque ſpiritu Dei aguntur*. Inde enim benè probat Auguſtinus Spiritum ſanctum, hîc intelligi, non autem ſpiritum hominis: ſerm. 43. de verb. Dom. cap. 7. *Facta Carnis*, Græcè, τὰς πράξεις τοῦ σώματος, actiones corporis. Annuit & Syrus interpres. Sed ſenſus idẽ eſt. Nam actiones corporis hîc dicit, non omnes eas quæ per corpus exercentur: quùm ſuprà cap. 6. præceperit dicens: *Exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*: ſed quas alibi vocat opera carnis, ut Gal. 5. Quibus item reſpondent deſideria ſeu concupiſcentiæ corporis, id eſt, carnis, ſuprà cap. 6.

Facta corporis ſeu carnis quæ dicantur

Porrò carnis opera per Spiritum ſanctum mortificamus, quando ipſo in nobis & nobiſcum operante pravis deſideriis ad ejuſmodi opera incitantibus non conſentimus, ſed reſiſtimus. Sic enim in ſuis initiis atque in primo germine carnis opera velut eliduntur ac necantur. *Vivetis* vita æterna, non ſolùm animarum, ſed etiam corporum: ad quam vitam propter inhabitantem ſpiritum ſuum in vobis, Deus ad exemplum filii ſui vos reſuſcitabit.

Loc. Moral. de carnis deſideriis mortificandis.

Admonet Theophyl. obſervandum non monere Paulum, ut corpus mortificemus: id enim homicidium foret; ſed opera corporis eaque prava. Nam quod

quod ad substantiam corporis attinet, idem Apostolus Eph. 5. sic ait: *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam.* Quod obiter nota propter nonnullos qui immoderatas suscipiunt corporis afflictiones, per quas deinde redduntur inutiles ad officia pietatis exercenda.

14. QUICUMQUE ENIM SPIRITU DEI AGUNTUR, II SUNT FILII DEI. Sensus: Nam quicumque per baptismum renati deinceps spiritu Dei aguntur, mortificantes opera carnis, & exercentes opera spiritus; ii sunt filii Dei per adoptionem, quibus à Deo promissa atque parata est hereditas vitæ æternæ. Probat enim quod dixit, *vivetis.* Aguntur quidem etiam boni catechumeni spiritu Dei; nec tamen adhuc filii Dei sunt, quia nondum renati. Supponit autem Apostolus eos ad quos scribit, esse renatos per baptismum. Sed docet id non satis esse, ut sint filii Dei, nisi deinceps etiam agantur spiritu Dei.

Boni catechumeni nondum filii Dei.

Porrò verbum *aguntur* neque coactionem voluntatis significat, neque ut hæretici volunt, necessitatem, sed inclinationem passivam, qua nimirum voluntas efficaciter agitur & inclinatur; quæ tamen non excludat libertatem voluntatis, qua homo etiam ipse agat, & ut ita dicam, se ipsum agat, & quidem liberè, ad ea opera ad quæ agitur & inclinatur à spiritu Dei: videlicet ipso eodem spiritu totum hoc ut agat agente. Unde August. *serm.* 13. *de verbis Apost. c.* 11. falsum hujus loci intellectum removens: *Dicit mihi aliquis*; inquit, *ergo agimur & non agimus. Respondeo: Imò & agis & ageris: Et tunc binè agis, si à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adjutor est. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.* Et mox: *Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.* Idem serm. 43. de verbis Domini cap. 7. *Agis*, inquit, *si agaris: & benè agis, si à bono agaris.* Hæc ille. Cæterùm adjuvari nos à spiritu Dei docet Apostolus infrà hoc cap. vers. 26.

Homo sic agitur à spiritu Dei, ut ipse etiam agat.

15. NON ENIM ACCEPISTIS SPIRITUM SERVITUTIS ITERUM IN TIMORE. Ostendit renatos per Christum, esse filios Dei & proinde (quod posteà colligit) hæredes vitæ æternæ. Id, inquam, ostendit ex eo quia per spiritum quem acceperunt, Deum invocant ut patrem. *In timore*, Græcè εἰς φόβον, ad timorem. Augustinus lib. de spiritu & litera cap. 32. *in timorem* legit. Igitur spiritum servitutis in timore, vel ad timorem, idem Aug. in expositione propos. 52. eum spiritum intelligit, *qui habebat mortis imperium, id est, diabolum*, ut dicitur Heb. 2. Sub quo (sicut ibidem sequitur) *timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti* veteris Testamenti filii. Probat autem hunc intellectum; quia spiritui servitutis opponit Apostolus spiritum adoptionis, dum continuò subjungit; *sed accepistis spiritum adoptionis.* Qui cùm intelligatur Spiritus sanctus, non poterit spiritus servitutis illi contrarius intelligi, nisi spiritus malus, id est, diabolus.

Spiritus servitutis in timore quis dicatur.

Verùm sanè magis consonum est historiæ sacræ, ad quam respicit Paulus, ut intelligatur spiritus Dei: sic tamen ut juxta Scripturæ consuetudinem spiritus accipiatur metonymicè pro dono cujus author est spiritus. Nam Exod. 20. dicit Moyses ad populum audita lege perterritum ac pavore concussum: *Ut probaret vos, venit Deus, & ut terror illius esset in vobis.* Et Deus ad Moysen Deut. 5. *Quis det talem eos habere mentem ut timeant me?* Quis autem det, nisi Deus?

Verior sententia.

Rectiùs igitur idem ipse Augustinus *serm.* 13. *de verbis Apost.* & alii post eum, per spiritum servitutis in timore, spiritum timoris accipiunt, id est, timorem divinitus incussum, quo Deus ut justus peccatorum vindex ita timetur, ut eo timore correpti homines abstineant ab externo opere peccati, quod lege Dei prohibitum esse sciunt. Nam & hic timor etsi filios Dei non faciat, numerandus tamen est inter dona Dei; imò & (si ita appellare voles) Spiritus sancti; non quidem sanctificantis hominem (est enim effectus legis ac Testamenti veteris, non Novi) sed tamen cohibentis, ne in apertam prorumpat legis transgressionem.

Timor servilis donum Dei: & quo sensu.

Porrò servitutis spiritus timor ille vocatur, id est, timor servilis: vel quia à servitute peccati hominem non liberat, sed in ea relinquit, uti nonnullis videtur; vel potiùs, & sequenti parti congruentiùs, quia sic facit hominem abstinere ab exteriori & manifesta legis transgressione, ut tamen latentem in animo peccandi cupiditatem non sanet. Spiritus ergo servitutis, id est, servorum, seu qualis convenit servis. Nam eo modo jussis parere, & à vetitis abstinere, servorum est; qui tantùm ad oculum dominis parent, & imperata faciunt. Atque hoc vocamus serviliter & non liberaliter servire. Non tamen hujus illiberalis servitutis author est Spiritus sanctus; sed timoris, conjunctam habentis hujusmodi servitutem. Quod significat Apostolus dicens, *ad timorem*; scilicet ut effectum & donum spiritus. Unde magis propriè spiritum timoris, quàm spiritum servitutis hoc Dei donum appellaveris; tametsi timorem servilem esse Dei donum, absolutè dici potest; quomodo fidem informem esse Dei donum, absolutè concedunt & docent Theologi: nempe qua fides, non autem quatenus informis est.

Ex his autem solvitur argumentum, quo movebatur Augustinus, ut spiritum servitutis in timore, diabolum intelligeret. Nam inter dona potest esse quædam antithesis, ut inter timorem & amorem: quorum tamen unus idemque Spiritus sit author & dator, ut Hugo Victorinus annotavit, & agnoscit ipse August. *in serm. supra citato.* Quo autem sensu servitutis spiritus dicatur, cùm non sit author servitutis jam ostendimus. An verò spiritus iste servitutis in timore, sit idem cum spiritu timoris, de quo loquitur Apostolus 2. *Tim.* 1. eo loco expendemus.

Jam quod hìc addit, *iterùm*, respicit haud dubiè, sicut ante dixi, ad legislationem factam in monte Sinai, quando ingens timor & terror populo immissus est. Exod. 19. & 20. cujus rursum meminit Heb. 12. *Sensus igitur est*: Non enim vos renati per Christum in baptismo accepistis donum timoris servilis, quod acceperant, quibus olim lex data est per Moysen. Fortè etiam dicens *iterùm* attendit patres eorum ad quos scribit, id est, Judæorum. Scribitur enim hæc epistola, sicut initio dictum est, ad Romanos fideles promiscuè, tam Judæos quàm Gentiles.

Timor servilis peccatoribus utilis, imò necessarius ad justificationem.

Sciendum porrò, timorem hujusmodi peccatoribus utilem esse quidem, imò necessarium ut justificentur. *Lex* enim *pædagogus ad Christum*, Gal. 3. Et, *qui sine timore est, non poterit justificari.* Eccles. 1. Quocirca S. Basilius hunc timorem nunc pædagogum, nunc παιδαγωγικὸν, id est, introductorium esse dicit ad pietatem: illud in *comm. Isaiæ 1. hoc in enarr. Psalm.* 32. Sed & B. August. pædagogum ad castum timorem vocat, concione 25. *super Psal.* 118. & saluberrimum appellat in *lib. de catech. rud. cap.* 5. & quomodo ad charitatem introducendam necessarius sit, similitudine fetæ linum introducentis declarat, *tract. 9. super 1. epist. Joan.* Verumtamen quia timor iste per se nec ad justitiam perducere potest, nec charitatem quæ filiorum est, introducere, propterea novo spiritu opus est, de quo sequitur.

SED ACCEPISTIS SPIRITUM ADOPTIONIS FILIORUM. Adoptio filiorum Græcis uno vocabulo compositio dicitur υἱοθεσία, quam alii simpliciter vertunt adoptionem; quod adoptio ferè non sit nisi filiorum. *Sensus est*: Sed accepistis Spiritum S. infundentem cordibus vestris charitatem. Vel (quia suprà diximus spiritum sumi pro dono spiritus) accepistis per Spiritum S. gratiam adoptionis, id est, charitatem, quæ vos constituit adoptivos Dei filios.

Notanda anthitheſis inter vocabula, *ſervitutis* & *filiorum*. Et quia in priori parte expreſſum fuit donum timoris, quod erat ſervorum; idcircò in hac parte intelligendum eſt donum charitatis, quod filiorum proprium eſt.

IN QUO CLAMAMUS: ABBA; PATER, *In quo*, id eſt, per quem ſpiritum in nobis operantem. Significatur enim cauſa movens & efficiens. Unde Gal. 4. dicitur ipſe ſpiritus miſſus *in corda noſtra* clamare *Abba, pater*. Dum igitur modò nos clamare dicimur, modò ipſe ſpiritus; oſtenditur cooperatio gratiæ & liberi arbitrii, ſic tamen ut à gratia liberum arbitrium moveatur, non contrà. Nos enim quod clamamus, à ſpiritu accipimus; non ille à nobis. Clamor orationem ſignificat profectam ex magno cordis affectu: ut in pſalmis & alibi. Ita Dominus ad Moyſen orantem Exodi 14. *Quid clamas ad me?*

Clamor in Scripturis orationem vehementẽ ſignificat.

Clamamus autem per ſpiritum, *Abba, pater*: quia filiorum Dei eſt Deum patrem vocare, idque Chriſti filii Dei naturalis exemplo, qui toties in Evangelio, vel orans vel docens, Deum patrem ſuum appellat: Deinde & Chriſti præcepto, qui nos docuit ſic orare: *Pater noſter qui es in cælis*, Matth. 6. Quæ quidem orandi formula non legitur à quoquam juſtorum ante Chriſti adventum uſurpata, ſcilicet ut Deum orans, patrem appellaret, dicendo, Pater meus, aut Pater noſter; ſed reſervata fuit tempori manifeſtandæ gratiæ. Nec enim hoc facere quiſquam auſus fuit, antequàm Chriſtus naturalis Dei filius dignatus nos habere fratres, id juberet. Inde eſt quod Sacerdos orationem Dominicam in perſona totius populi recitaturus, ita præfatur: Præceptis ſalutaribus moniti audemus dicere, Pater noſter, &c. Nam, ut ait Leo ſerm. 6. de nativitate Domini: *Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet patrem.*

Deum vocare patrem ſuum, reſervatum tempori gratiæ.

Juſti etiam ante Chriſti adventum filii Dei adoptivi.

Non igitur exiſtimandum eſt, ut ex hoc loco Pauli perperam ſuſpicati ſunt quidam, ante Chriſti adventum nullos fuiſſe Dei filios adoptivos. Fuerunt enim proculdubio filii Dei ſecundùm adoptionem, quotquot verè juſti fuerunt. Sed, ut dixi, fiducia nondum illis erat data per Chriſtum, qua Deum orando patrem ſuum vocarent. Unde nec ſcriptura veteris Teſtamenti vocat eos expreſsè filios Dei, niſi fortè ſecundùm aliam quamdam ſignificationem. Paulus verò non negat anterioris ſæculi juſtos Dei filios fuiſſe; ſed tempus legis diſtinguit à tempore gratiæ, quo ſpiritus adoptionis copiosè effuſus eſt in genus humanum.

Ex dictis ſatis intelligitur nomen Patris ut hîc accipitur, non eſſe proprium primæ perſonæ in Deo, ſed toti Trinitati commune. Nam Deus non dicitur pater filiorum quos adoptavit, à relatione qua refertur ad filium ſuum naturalem (ſic enim ſolius ſecundæ perſonæ pater eſt) ſed ab ea qua nos reſpicit ut adoptator noſter, & vitæ ſpiritualis, id eſt, juſtitiæ per regenerationem nobis author. Quæ paternitas utique toti Trinitati communis eſt.

Abba pater quare dictũ.

Porrò conjunxit Apoſtolus duo vocabula rem eamdem ſignificantia, *Abba*; *pater*: quorum illud Hebraïcum eſt, ſeu potius ex Hebræo Chaldaïcum & Syriacum, אבא: hoc Græcum, πατηρ. Idem fecit ad Gal. ſcribens *cap.* 4. Marcus quoque Evangelii ſui *cap.* 14. teſtatur Chriſtum orantem dixiſſe, *Abba, pater*. Id verò Origenes & commentator Ambroſ. quibus ſuffragantur Laurentius & Stapulenſis, interpretativè dictum volunt, Abba, quod eſt pater. Nam in Græco, pater, non vocativi caſus eſt, ſed nominativi cum articulo, ὁ πατηρ.

Verùm id non convincit. Frequens enim eſt in precationibus, & maximè in pſalmis, nominativum pro vocativo poni. Sic & Eccleſia Chriſtum orat, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*. Certè apud Matth. *cap.* 11. & apud Lucam *cap.* 10. ubi Chriſtus patrem allo-quens deſcribitur, priùs vocandi caſu, deinde nominandi cum articulo, nomen patris in Græco legimus. Tale eſt quod in pſalmis ὁ θεὸς paſſim vocativè ſumitur, ſæpè etiam duplicatum, ut Pſalm. 21. 42. 62. Quod ſi Græcum Hebræo hîc adjeciſſet loco expoſitionis, interpoſuiſſet ὁ ἐστι, *quod eſt*, vel ſimile quid, ut fit alibi velut Marci 7. *Epheta; quod eſt, adaperire.*

Alii proinde dicunt eſſe conduplicationem Hebraïcam, qua ſignificetur vehemens affectus orantium filiorum Dei. Sed cum in oratione quam nobis Dominus præſcripſit, non habeatur iſta conduplicatio: ſoleatque ea ad emphaſim fieri, repetito prorſus eodem vocabulo, ut, *Domine Domine*, *Jeruſalem Jeruſalem*; quod hîc non fit (non enim ait Abba Abba, vel pater pater, ſed *Abba, pater,*) idcircò magis veriſimile nobis eſt, quod Auguſtinus dicit Apoſtolum conjunxiſſe vocem Hebræam cum Græca, propter Judæos & Gentiles; ad ſignificandam videlicet utriuſque populi in uno angulari lapide Chriſto conjunctionem, tamquam pariter vocatorum ad filiorum Dei adoptionem: præſertim cùm ad Romanos fideles, quorum alii Judæi erant, alii Gentiles, hanc epiſtolam ſcriberet. Unde eſt & illud, *Judæo primùm & Græco*, cap. 1. & 2. hujus epiſtolæ. Ita docet Auguſt. *lib. de ſpiritu & litera cap.* 32. *& ſerm.* 13. *de verbis Apoſt.* Competitque eadem ratio in locum ad Gal. 4. Quin & Marcum tale quid ea congeminatione ſpectaſſe crediderim, non quòd Chriſtus Hebraïcè & Græcè locutus fuerit orans patrem; ut vult author commentarii Hieronymo aſcripti in Marcum: quamvis & Auguſt. ita ſentire videtur *lib. 3. de conſenſ. Evang. cap.* 4. Sed Evangeliſtam de ſuo addidiſſe, ὁ πατηρ, *ad intimandum* lectori *ſacramentum eccleſiæ ex Judæis & Gentibus colligendæ*: ut ibidem loquitur Auguſt.

Ratio probabilior.

16. IPSE ENIM SPIRITUS TESTIMONIUM REDDIT SPIRITUI NOSTRO QUOD SUMUS FILII DEI. Docet non temerè nec arroganter nos qui per Chriſtum renati ſumus facere, Deum appellando patrem: cùm id faciamus freti teſtimonio Spiritus S. Quamquam in Græco non additur particula cauſalis, enim, ut nec in Syriaco; nec in textu commentatoris Ambr. Quibus & MSS. codices Latini non pauci conſentiunt. Porrò Græca ſic habent: αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ, &c. Ubi primùm admoneo non rectè Eraſmum & alios quoſdam eum ſecutos vertere maluiſſe *idem ſpiritus*, pro eo quod noſter dixit, *ipſe ſpiritus*. Non enim Græcè eſt τὸ αὐτὸ idem, ſed αὐτὸ Nam ſequens τὸ præpoſitivus articulus eſt vocabuli πνεῦμα. Sic & infrà verſu 26. *Sed ipſe ſpiritus poſtulat.* Ubi & Eraſmus vertit, *ipſe ſpiritus*, quod Græcè eſt αὐτὸ τὸ πνεῦμα. Vide quæ dicta ad illud cap. ſuperioris, *Igitur ego ipſe mente*, &c. Fateor tamen in ſenſu non eſſe magnum diſcrimen.

Quod ſequitur συμμαρτυρεῖ, propriè ſonat *conteſtificatur*, ut ad verbum ita vertas: *Ipſe ſpiritus conteſtificatur ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei.* Quibus verbis ambiguum eſt, utrum ſignificetur ſpiritum reddere teſtimonium ſpiritui noſtro, id eſt, nobis; quod expreſſit vulgata verſio: an verò, juxta aliorum quorumdam verſionem, ſpiritum teſtari unà cum ſpiritu noſtro: Quod & Græca potiùs velle videntur: ut ſenſus ſit, teſtimonium ſpiritus noſtri confirmari teſtimonio ſpiritus divini.

Prior quidem ſenſus magis receptus eſt, Latinis præſertim: juxta quem verbum compoſitum συμμαρτυρεῖ poſitum intelligi debet pro ſimplici μαρτυρεῖ *teſtatur*. Sic enim accipi videtur idem vocabulum ſuprà cap. 2. ubi nos legimus: *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*: & rurſus initio cap. ſequentis, *Teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea.*

Attamen aliis placet accipiendum Græcum verbum propriè, ut ſignificetur adjũctio teſtimonii cum altero. Nam & *cap. 2. & 9.* nihil vetat ſic accipi. Nec

alibi facilè reperias compoſitum illud Græcum uſurpari pro ſimplici, ut non aliqua conjunctio teſtimonii ſignificetur, ſi non cum alio teſtimonio, ſaltem cum ſententia ſeu dicto cujuſcumque, quod more Scripturæ teſtimonium appellatur: ut hoc pacto quiſquis aliquid affirmat, teſtari dicatur. Ita verbum hoc acceperunt Chryſoſtomus ac cæteri poſt eum Græci: Latini quoque recentiores, Eraſmus, Cajetanus, Toletus. Eſtque eadem ratio de verbo συνεμμαρτυρεῖ, quo Paulus utitur Hebr. 2.

Teſtimonium quo ſpiritus teſtificatur nos eſſe filios Dei, quod ſit, & quomodo accipiendum.

Jam pro hoc ſenſu notanda ſunt verba præcedentia, quibus dicitur: *In quo clamamus, abba, pater.* Qui enim in oratione Deum invocat patrem, conſequenter ſe vocat & affirmat Dei filium, idque facit corde ſeu ſpiritu. *Miſit* enim *Deus ſpiritum filii ſui in corda* noſtra *clamantem, Abba, pater.* Gal. 4. Quoniam igitur & ſpiritus noſter clamat Abba pater, atque idipſum in corde ſeu ſpiritu noſtro clamat Spiritus ſanctus, ideò dicit Apoſtolus Spiritum S. conteſtificari ſpiritui noſtro, id eſt, unà cum eo teſtari, illo ipſo clamore, quem in ſpiritu noſtro excitat, *quòd ſumus filii Dei.* Hoc ergo Spiritus ſancti teſtimonium, eodem Chryſoſtomo exponente, clamor ille eſt, quo renati dicunt Deo, *Abba pater.* Sicut enim *nemo poteſt dicere Dominus Jeſus niſi in Spiritu ſancto*, Corinth. 12. ita nemo poteſt dicere Deo, Abba pater, niſi in Spiritu ſancto.

Verum ſive ſenſus Pauli ſit Spiritum ſanctum teſtari ſpiritui noſtro, ſive unà cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei; quoniam tamen hoc Spiritus ſancti teſtimonium non poteſt non eſſe veriſſimum atque certiſſimum, conſequens videri poteſt, certa & indubitata fide credere nos debere, quod ſimus filii Dei, & proinde à peccatis juſtificati. Hoc enim argumentum ex iſto loco ſumptum, vel præcipuum eſt, quo ad ſtabiliendam fidem, quam vocant ſpecialem, nituntur hujus temporis hæretici.

Obſervà hujus loci germanam explicationem contra fidem Sectariorum ſpecialem.

Cui quidem eorum objectioni ferè à catholicis reſpondetur, Spiritum ſanctum duobus modis aliquid hominibus teſtari: *uno modo* expreſſè, directè, & ſine ulla obſcuritate. Quomodo teſtificatus eſt per Chriſtum dicentem paralytico & peccatrici: *Remittuntur tibi peccata tua*, Luc. 5. & 7. & per prophetam David, *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. Atque hoc teſtimonium homini certum & infallibile eſſe. *Alio modo* teſtificari obſcurè & obliquè, ſcilicet per quædam indicia, quæ tantum probabilem faciant homini conjecturam. Cujuſmodi teſtimonium adoptionis eſt in baptizatis aut per ſacerdotem abſolutis, bonæ voluntatis conſcientia, ut quæ eos jam non reprehendat de ullo damnabili peccato aut affectu peccandi: tum fiducia ad Deum inde nata; ſecundùm illud Joan. 1. epiſt. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos; fiduciam habemus ad Deum.* Item ſtudium honoris Dei tanquam patris: animus propenſus ad juvandum proximos, in iis maximè quæ ſunt æternæ ſalutis; libenter audire & cogitare de rebus ad Deum & vitam quæ in Deo eſt pertinentibus.

Judicia ſeu conjecturæ quibus ſe quis agnoſcat filium Dei.

Prætereà tranquillitas & ſerenitas animi cum interna conſolatione, quæ baptiſmum & reconciliationis ſacramentum ſincero corde ſuſceptum conſequi ſolent; uti de baptizato confirmat Auguſt. *lib. 9. confeſſ. cap. 4. & 6.* Et de reconciliatis, ſynodus Trid. *ſeſſ. 14. cap. 3.* Denique clamor, id eſt, oratio devota ad Deum, qua patrem eum fiducialiter appellant, filios ejus ſe per ea quæ jam dicta ſunt, agnoſcentes. Igitur ſicut per hujuſmodi conjecturas non omninò certa fit homini teſtificatio; nec ita prorſus certò, ſed probabiliter, ex tali teſtimonio novit ipſe homo ſe eſſe filium Dei: eóque ſanè probabilius, certiuſque, quo plures, probabiliores ac certiores fuerint conjecturæ: quarum tamen nulla ſit infallibilis. Hæc catholicorum reſponſio bona eſt.

Replicatio

Obſtrepit tamen adverſarius & replicat dicens, utrumque vobis certiſſimum eſſe debere, & quod Spiritus ſancti teſtimonium quodcumque & qualecumque verum ſit, ut pote divinum, & quòd Spiritus ſanctus nobis teſtificetur quòd ſumus filii Dei. Nam hoc nobis eodem ſpiritu dictante, Paulus Apoſtolus affirmat.

adverſarii, & ad eam reſponſio.

Reſpondeo, Paulum non dicere quod Spiritus S. teſtimonium hoc reddat ſpiritui meo vel tuo, ſed ſpiritui noſtro; aut certè nobis unà cum ſpiritu noſtro, juxta Græcorum expoſitionem. Loquitur autem in perſona juſtorum; id eſt eorum qui verè ſunt filii Dei; quibus ſpiritus S. perhibet teſtimonium, non tamen cuique de ſe planè certum, ſed tantum probabile, quod ſint filii Dei. Probabile, inquam, ex indicio & conjecturis ſupradictis. Itaque teſtimonium adoptionis divinæ quod juſti in ſe ſentiunt, teſtimonium eſt Spiritus S. & proinde veriſſimum: Quod autem alii qui non ſunt juſti, ſed eſſe ſe putant, in ſe percipiunt, non eſt à Spiritu ſancto, ſed à fallaci conjectura; ideoque & ipſum falſum.

Illud tamen ex Apoſtoli conſtat affirmatione, Spiritum ſanctum perhibere juſtis teſtimonium quòd ſint filii Dei. Nam ſenſus Apoſtoli eſt: Spiritum ſanctum teſtificari nobis non omnibus qui baptizati & fideles ſumus, ſed juſtis, quod filii Dei ſimus. At, ut dixi, ipſis juſtis ſingulis teſtimonium illud Spiritus S. non eſt pro certo cognitum: quia non poſſunt illud certò diſcernere à conjecturis fallacibus. Quo fit ut nec quiſque eorum de ſe certus ſit ſe eſſe juſtum & Dei filium. Quàm ſit autem à Pauli ſententia alienum, quod ex hoc loco ſectarii colligunt, vel unus ille locus apertè probat, ubi dicit: *Sed neque me ipſum judico; nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum*, 1. Cor. 14. Nam ſi per hoc teſtimonium Spiritus S. Paulus ipſe de ſe certus non erat, ut judicare ſeipſum poſſet, & dicere ſe juſtificatum eſſe; quantò minùs quilibet alius?

Nemo certus in hac vita ſe eſſe juſtum & Dei filium.

17. SI AUTEM FILII, ET HEREDES. Certa collectio. Nam hereditas filiis debetur, non ſervis: Et ad hoc adoptatur quis in filium, ut ſit heres. Dicitur autem heres is, cui jus competit ad hereditatem percipiendam. Porrò hereditatem hîc intellige non patrimonii terreni ſed cæleſtis; nec eam qua filii ſuccedant patri mortuo, ut inter mortales; ſed qua accedant & ſocientur patri ſemper victuro, videlicet regni, bonorumque ejus omnium, abſque ejus detrimento futuri conſortes. Nam hereditas iſta principaliter Deus ipſe eſt, cui dicitur: *Dominus pars hereditatis meæ*, pſ. 15.

Hereditas filiorum Dei quæ ſit.

Ex hoc loco nequaquam conſequens eſt, ut adverſarii ratiocinantur, juſtos bonis ſuis operibus non mereri vitam æternam: quod nimirum eam ut filii hereditario jure ſint accepturi. Nam optimè conſtant hæc duo: Percipere vitam æternam jure hereditario, & percipere ex meritis; præſertim ſi jus hereditarium tantùm ex adoptione quis habeat. Quemadmodum enim filius, etſi patris heres, obedire tamen debet præceptis patris, alioqui jure exheredandus; atque ea obedientia nihilominus hereditatem meretur (unde de filio juſſis paternis obſequente, maximè ſi fuerit adoptatus, dici ſolet: Ille dignum ſe præſtat hereditate.) Sic & nos filii Dei per adoptionem facti, eoque jure Dei heredes, præcepta tamen ejus, ut filii, ſervare debemus, & ea obſervatione per ipſius gratiam nos hereditate dignos reddere; alioqui jus illud amiſſuri. Igitur qui ſumus adoptionis filii, & hoc titulo heredes; dum præcepta patris ſervamus, veluti novo titulo ad priorem accedente, ſine quo tamen prior retineri non poſſit, hereditatem paternam nobis debitam facimus.

Obſerva contra Sectarios, quod vita æterna hereditas ſimul ſit, & merces.

Etenim ita congruentiſſimè & æquiſſimè divinitus ordinatum eſt, ut hæreditatem illam cæleſtem adoptivi filii non conſequantur, niſi in eo quòd renati ſint & filii Dei facti, ſtudio bonorum operum, quibus & patri obediant, & hereditatem prome-

reantur, perſeverent. Quamvis enim eſſe poſſit ea filiatio in homine, qui opera nondum habeat: retineri tamen & conſervari ſine illis non poteſt, atteſtante Joanne Apoſtolo 1. ep. 3. *Qui facit juſtitiam, juſtus eſt.* Et iterum: *Qui viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo.* Quod & Paulus ſignificat in eo quod hîc ſtatim ſubjicit: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, uti mox videbimus.

Obſerva contra ſectarios, Quomodo debitum cum gratia non pugnet.

Illud interim obſerva in doctrina Apoſtoli, vitam æternam, quam alibi gratiam vocat, jure adoptionis acquiri: ut intelligat adverſarius, jure debitum cum gratia non pugnare; quando & ipſum jus quo quid debetur, ex gratia habetur. Ita nos dicimus merita non pugnare cum gratia, cùm & ipſa merita ex fonte gratiæ promanent.

HEREDES QUIDEM DEI, COHEREDES AUTEM CHRISTI. Dei quidem heredes tamquam patris, Chriſti autem coheredes tamquam fratris noſtri. Nam Chriſtus naturalis Dei filius, ſecundùm naturam humanam ad eamdem hereditatem regni cæleſtis pervenit:

Dignitas baptizatorum multiplex.

Imò conſtitutus eſt à Deo heres univerſorum, Heb. 1. Interim vide quantis titulis amplificet Apoſtolus dignitatem baptizatorum, quòd ſint filii Dei, quod heredes Dei, quòd coheredes & proinde fratres Chriſti.

SI TAMEN COMPATIMUR, UT ET CONGLORIFICAMUR. Clarius, *Si tamen cum eo patimur, ut & cum eo glorificemur*, ac ſi dicat: Hereditatis hujus & gloriæ cæleſtis quam Chriſtus jam poſſidet, ita demum cum illo conſortes & participes erimus, ſi cum illo atque ejus exemplo, vitæ præſentis adverſitates patienti & forti animo feramus. Nam ut ait S. Leo ſer. 9. de quadrag. *Certa atque ſecura eſt exſpectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ paſſionis.* Hic verò etiam meritum ſignificari, ſatis liquet. Sicut enim Chriſtus quamvis & filius eſſet & heres, merito ſuæ paſſionis ad gloriam pervenit: ita ſentit Apoſtolus, etiam nos, etſi jam filios & heredes, merito patientiæ, qua Chriſto compatimur, gloriæ ejus conſortium adipiſci. Porrò ne quem terreat præſcripta conditio, *ſi tamen compatimur*; oſtendit verbis ſequentibus quàm parum exigatur pro re maxima.

18. EXISTIMO ENIM, QUOD NON SUNT CONDIGNÆ PASSIONES HUJUS TEMPORIS AD FUTURAM GLORIAM QUÆ REVELABITUR IN NOBIS. *Enim* per autem quidam exponunt: quod non eſt neceſſe. Nam ſuaſio eſt ad patiendum, à magnitudine præmii. *Exiſtimo* Græcè λογίζομαι, id eſt, reputo, ratione colligo: nimirum ex collatione paſſionum hujus vitæ cum gloria futura. *Non ſunt condignæ*, Græcè *non ſunt dignæ*: ne quis extra textum Pauli ponderet vocabulum *condignæ*. Eraſmus vertit, *non ſunt pares*. Nec offendat quod quidam veteres legunt, *indignæ ſunt*, ut Ambroſius *lib. 1. de interpellatione Job. cap. 1.* & Auguſtinus *quæſt. 67. inter. 83. & lib. 5. de civit. Dei cap. 18.* Nam idem hoc eſt quod *impares ſunt*: minores ſunt, ut ipſe Ambroſius exponit epiſtola. 22.

Loc. Moral. De tolerandis patienter adverſis ob magnitudinem futuræ gloriæ.

Jam quod ſequitur, *ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, ita eſt in Græco: *ad futuram gloriam revelari in nos*. Sed *futuram* cõſtruendum cum *revelari*, ut ſenſus ſit: ad gloriam ſuo tempore revelandam ſeu manifeſtandam erga vel circa nos, videlicet in adventu Chriſti ad judicium. Tertullian. in *Scorpiaco cap. 13. & lib. de reſurr. carnis cap. 40.* periodum hanc ita expreſſit: *Reputo enim paſſiones hujus temporis non eſſe dignas ad gloriam, quæ in nos habeat revelari.*

Obſerva hunc locum contra Sectarios, meritum bonorum operum hinc oppugnant hæretici.

Porrò etiam ex hoc loco meritum bonorum operum oppugnant hæretici. Nam meritum cum mercede comparatum æqualitatem ſeu condignitatẽ quamdam poſtulat. Verùm quid hîc velit Apoſtolus, facile eſt intelligere ex alio loco qui eſt 2. Cor. 4. ubi ſic ait: *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternũ gloriæ pondus operatur in nobis.* Igitur ſecundùm Apoſtolum non ſunt condignæ ſive pares ſive comparabiles hujus ſæculi paſſiones ad gloriam futuri ſæculi; quatenus ille leves ſunt & momentaneæ, cum gloriâ, quæ ſupra modum magna eſt & æterna, comparatæ: Quæ tamen ea gloria dignæ ſunt, eamque promerentur; quatenus illam velut conſtitutam & promiſſam à Deo mercedem nobis operantur & pariunt; quomodo modicum aurum valet equum aut bovem, ex inſtitutione & pacto hominum: cùm ſit alioqui & quantitate & naturæ præſtantia multò minus. Certè negare non poſſunt adverſarii, quin peccata mereantur pœnam ignis æterni; cùm tamen hujus ſæculi voluptates quibus peccatur, nequaquam pares ſunt illi pœnæ vel magnitudine vel diuturnitate.

Bona juſtorum opera vitam æternam merentur ex Dei promiſſione.

Itaque dicimus, etſi paſſiones hujus ſæculi, ſi magnitudo earum & duratio ſpectetur, non reſpondeant gloriæ futuræ; virtute tamen & valore (qui in Dei promiſſione fundatur) reſpondere: quomodo ex inſtitutione & pacto quodam naturæ, ſemen arbori reſpondet; eamque virtute continet. Illud quoque conſidera, non dicere Apoſtolum, noſtras bonas actiones non eſſe dignas futura gloria: ſed hujus ſæculi paſſiones non eſſe dignas ſeu condignas ad futurã gloriam. Confert enim, uti dictum eſt, intenſionem ac moram acerbitatis præſentium afflictionum cum intenſione ac mora gaudii gloriæ futuræ; Inter quæ certè nulla eſt comparatio. Tale eſt & illud de juſtis, Sapientiæ. 3. *In paucis vexati, in multis benè diſponentur.*

Aliæ expoſitiones minus probatæ.

Quidam ſic exponunt Apoſtolum: *Non ſunt condignæ*, ſi in ſe ſpectantur, & ex operis natura, nimirum ſecluſa promiſſione. Nobis prior expoſitio magis probatur. Abſolutè enim loquitur Apoſtolus de paſſionibus Sanctorum: & ſenſum ejus declaravimus ex aliis ipſius verbis. Unde nec Hugo Victorinus mentẽ Apoſtoli videtur aſſecutus, quum ſenſum eſſe vult; opera ſanctorum *ad tam excellentem gloriam promerendã non* eſſe *condigna: quia Deus ex ſuâ gratiâ ſuperaddet plus quàm meruerunt.* Nam etſi Deus non plus ſuperadderet, id eſt, non ſuprà condignum opera ſanctorum remuneraret; verum tamen maneret ex mente Pauli, ſatis explicata, non eſſe condignas ſeu pares hujus temporis paſſiones ad gloriam futuram.

19. NAM EXSPECTATIO CREATURÆ, REVELATIONEM FILIORUM DEI EXSPECTAT. Quò magis commendet gloriæ futuræ magnitudinem, proſopopœia quadam utitur: fingens creaturam, id eſt, mundum velut perſonam magno deſiderio exſpectantem, dum ea gloria in nobis Dei filiis manifeſtetur, ut & ipſa gloriæ particeps fiat. Qua re ſimul innuit quod alibi apertiùs docet, omnia eſſe & fieri propter electos; *ut 2. Cor. 3. & 2. Tim. 2.*

Creatura quid hoc loco.

Cajetanus quidem creaturam hoc loco ſolam intelligit humanam, id eſt, homines; & (quod poſteà dicitur) omnem creaturam exponit omnes nationes hominum: Quomodo dictum eſt: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. 16. Qui ſenſus etiam apud Auguſtinum eſt, tum in expoſitione præſentis loci, tum alibi; ut *conc. 12. ſuper pſalm. 118. lib. contra Priſcill. & Origeniſtas ad Oroſium ſcripto, cap. 8. & quæſt. 67. inter. 83.* Denique & apud Hugonem *quæſt. 204.*

Verùm hujuſmodi ſenſus contextui Paulino parum commodè poteſt aptari. Certè Paulus in hac eadem *epiſt. cap. 1.* creaturam generaliter accepit ſemel & iterùm. Imò & hoc ipſo capite generaliter eam intelligit cùm dicit: *Neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Græca vox ἀποκαραδοκία, pro qua in noſtra verſione eſt, *exſpectatio*, non ſimpliciter exſpectationem ſignificat, ſed vehementem, anxiam, & ut Eraſmus vertit, ſollicitam exſpectationem (Hilarius *lib. 12. de Trin.* longinquam exſpectationem legit) imò potiùs obſervationem &

Ἀποκαραδοκία quid ſignificet.

ſpeculationem; dum velut exſerto capite quis obſervat; quod ſpeculatorum eſt. Non enim reſpondet verbo hìc poſito ἀπεκδέχεται, *exſpectat*, ſicut in Latino; ſed derivatum eſt à verbo ἀποκαραδοκεῖν: quod non à corde, ut putant nonnulli, ſed à capite dicitur; ac ſi dicas, ipſo capite ſpectare, quod eſt proſpectare. Conſonat & Syriacum verbum, quod interpretantur, oculos intendere, & quaſi in ſpecula exſpectare.

Senſus igitur eſt: Tota hæc creatura quæ hominum uſibus ſubſervit, attentiſſima obſervatione tempus illud exſpectat, quo gloria filiorum Dei manifeſtabitur, id eſt, quo filii Dei glorioſi apparebunt. *Nunc enim nondum apparuit quid erimus*, 1. Joan. 3. Ratio enim ſollicitæ exſpectationis ſequitur.

Creatura vanitati ſubjecta, quo ſenſu.

20. VANITATI ENIM CREATURA SUBJECTA EST. Vanitatem intelligit non eam ſolùm, quæ conſiſtit in inſtabilitate & mutabilitate rerum hujus mundi, de qua dicit Eccleſiaſt. *Omnia vanitas*; ſcilicet ob viciſſitudines generationum & corruptionum, quæ varias conſequuntur alterationes: ſed eam quoque comprehendit qua mundus in deteriorem ſtatum commutatus eſt: quæ nimirum invecta eſt mundo per peccatum hominis, cui dictum eſt: *Terra maledicta in opere tuo*, Geneſis 3.

Ad quam vanitatem hoc quoque pertinet, quod creatura quæ in uſum hominum venit, magna parte permiſſa eſt poteſtati principis hujus mundi. Propter quod & multæ creaturæ conſuetudine fidelium benedicuntur, & juxta Apoſtolum 1. *Tim.* 4. ſanctificantur *per verbum Dei & orationem*: ut poteſtas diaboli per eas nocere parati, cohibeatur. De qua vanitate etiam Prudentius hunc locum interpretatur in Hamartigenia, dicens *omnem creaturam ſubjectam vanis non ſponte laboribus, perjuro ſervire latroni*, id eſt, diabolo. Id expreſſiùs alibi docet Apoſtolus, ad Eph. 2. & 6. Quam ob cauſam diabolus & *princeps mundi hujus* vocatur Joan. 14. & 16. & *Deus hujus ſæculi* 2. Corinth. 4.

Non volens. Græcè οὐχ ἑκοῦσα, *Non ultronea, non lubens*. Tertull. *invitè*. Alii, *non ſponte*.

SED PROPTER EUM QUI SUBJECIT EAM IN SPE. *Eam* non in Græco, ſed intelligitur. *In ſpe*, Græcè ἐπ' ἐλπίδι; quod alii vertunt *ſub ſpe*: ſenſu tamen eodem. Perſiſtit Apoſtolus in proſopopœia creaturæ: quam dicit vanitati ſubjectam eſſe, non libenter nec ſponte ſua, id eſt, non ex inclinatione ſuæ naturæ; cùm unaquæque res naturaliter ſuam appetat perfectionem, corruptionem autem & defectum fugiat: ſed ex ordinatione, velutique præcepto Dei, qui illam, hominis culpa ſic exigente, ſubjecit huic vanitati: non in perpetuum tamen, ſed ad tempus, facta ei ſpe liberationis, de qua ſequitur.

21. QUIA ET IPSA CREATURA LIBERABITUR A SERVITUTE CORRUPTIONIS. Hæret cum eo quod proximè dixit, *in ſpe*: & (*quia*) pro *quòd*, poſitum, Græcè ὅτι; ut ſit ſenſus: Subjecit eam vanitati cum hac ſpe, quod ipſa quoque aliquando vindicabitur à ſervitute corruptionis & mutabilitatis jam dictæ: cui nunc interim ſubjacere cogitur. Hieronymus exponens prophetam Habacuc cap. 3. hanc creaturæ ſervitutem & liberationem extendit ad corpora cœleſtia, ſolem & lunam, adducens illud Iſaiæ 30. *Erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptempliciter*. Quæ eadem Ambroſii ſententia eſt in *epiſt.* 21. & 22. Chryſoſt. *in comment.* Et nota eſt Theologorum doctrina, in reſurrectione hominum futuram renovationem totius creaturæ: quam ſignificat Scriptura 2. *Petri.* 3. *Apoc.* 21. & *Iſaiæ* 65. novos & cælos & novam terram promittens.

An ad corpora cæleſtia ſervitus & liberatio extendatur.

Verùm id hoc loco ſignificari non arbitror. Non enim illa corpora vanitati ſubjecta dicimus. Quod verò Ambroſius ibidem etiam ad angelos hominum cuſtodes hanc ſervitutem ſimul & liberationem extendere videtur: niſi benignè interpreteris, recipi non poteſt. Sed de hujuſmodi commentario paulò poſt plura.

IN LIBERTATEM GLORIÆ FILIORUM DEI. Præpoſitio *in*, Græcè εἰς, variè exponitur. Chryſoſtomus interpretatur *in libertatem*, id eſt, propter libertatem. Mundus enim propter hominem eſt, ſed alius mundi ſtatus convenit peccatoribus, alius Dei filiis jam glorificatis. Alii ſic exponunt: in imitationem & exemplum libertatis.

Mundus propter hominem conditus.

Alii verò ad tempus referunt, hoc ſenſu: Creatura liberabitur à ſervitute corruptionis tunc quando filii Dei ſuam aſſequentur perfectam & glorioſam libertatem. Qui ſenſus optimè quadrat contextui. Poteſt etiam hac pars conſtrui cum illa particula præcedente *in ſpe*, ut tamen etiam tempus ſignificetur: ac ſi dicat Apoſtolus, Deus creaturam vanitati ſubjecit, facta ei ſpe liberationis in illud tempus quando filii Dei quibus ſubſervit, ſuam libertatem conſequentur. At nihilominus verba intermedia declarant objectum hujus ſpei, id eſt, rem ipſam ſperatam, ſicut ea expoſuimus.

22. SCIMUS ENIM QUOD OMNIS CREATURA INGEMISCIT, ET PARTURIT USQUE ADHUC. Amplificatio eſt deſiderii jam dicti. *Ingemiſcit & parturit*, Græcè συστενάζει καὶ συνωδίνει, id eſt, *congemiſcit & compartu-rit*, ut legit S. Ambroſius *lib. 1. de fide cap. 6.* Quamquam ὠδίνειν non propriè ſignificat parturire, ſed dolere in partu, partus doloribus teneri. Igitur hìc metaphora eſt à muliere parturiente. Nam quod quidam ſuſpicantur hîc olim variaſſe Græcos codices, eò quòd in Origenis commentario aliqua varietatis fiat mentio, quodque Latini variè legant hoc verbum, *parturit, comparturit, dolet, condolet*; arbitror inanem eſſe conjecturam, cùm hæc varietas tantùm ſit interpretum, qui Græcè aliter & aliter Latinè reddiderunt. Nam συνωδίνειν, ut dixi, ſignificat condolere more parturientis.

Quod autem in Origenis commentario de variantibus exemplaribus legitur, Ruffini interpretis additamentum eſt, de Latinis exemplaribus loquentis, ut & alibi ſolet. Certè in Græco non alia varietas reperitur, niſi quod textus Oecumenii ſcholiis inſertus, addit illi verbo genitivum τῆς κτίσεως, ut dicat Apoſtolus omnem creaturam congemiſcere unà cum filiis, quemadmodum Hentenius interpretatur. Sed alienum id puto; cùm nec ipſe Oecumenius attingat in commentario.

Omnẽ creaturam congemiſcere bifariam exponitur.

Porrò duobus modis hæc pars exponitur. Quidam enim ſubaudiunt pronomen nobis: Omnis creatura nobis congemiſcit, vel nobiſcum ingemiſcit & parturit. Sicut enim nobiſcum ſubjecta eſt creatura vanitati corruptionis, & nobiſcum liberationem exſpectat; ita etiam unà nobiſcum ingemiſcere & parturire dicitur, id eſt, in modum parturientis dolere, cum exſpectatione illius temporis, quo ſimul nobiſcum libertatis & gloriæ particeps fiat.

Aliis magis placet, compoſitis illis verbis ſignificari gemitum & dolorem communem inter ſe partium creaturæ, propterea quòd de nobis ſtatim ſequatur: *Sed & nos ipſi intra nos geminus*. Cùm enim creatura hoc loco collectivum ſit nomen, ſicut mundus, populus, eique etiam addatur ſignum collectivum, omnis, id eſt, tota: appoſitè ei tribuuntur, ſine relatione ad aliud, verba compoſita ex propoſitione σὺν: quomodo Latinè dicitur, convenit multitudo, concurrit turba. Quod addit Apoſtolus *uſque adhuc*, vel *uſque nunc*, Græcè ἄχρι τοῦ νῦν, ſic intellige: ad hoc uſque tempus & deinceps, donec ſcilicet reveletur gloria filiorum Dei.

Falſus hujus loci intellectus refellitur.

Refert Auguſtinus *quæſt.* 67. *inter.* 83. quoſdam hæreticos ex his Apoſtoli verbis multa impia & inepta de cæleſtibus ſpiritibus tradidiſſe; ac illud inter cætera qnod omnes Angeli, ſublimeſque virtutes in dolore & gemitibus ſint, antequàm nos penitus li-

beremur. Eam verò Origenis doctrinam fuisse, non dubium est, legenti commentarium ejus in loco, & ea quæ scribit *lib. 1. de principiis cap. 7. & 8.* Tale quid etiam Pelagius innuit in suo commentario. Cæterùm quid Augustinus ad hunc Apostoli locum respondeat, quia rem fusiùs tractat, inde repetat studiosus.

Plana brevisque responsio est, Apostolum non de omni prorsus creatura loqui, sed de ea quæ in ministerium hominum facta est, id est, corporea; ac præcipuè de mundo hoc inferiori, qui sedes est corruptionum & corruptivarum mutationum. Si enim creatura ab Apostolo dicitur ad discrimen hominum, tamquam res quædam vilior & imperfectior. (Unde & mox ait: *Non solùm autem illa, sed & nos,*) quantò magis ad discrimen angelorum, quorum excellentior est quàm hominum natura! Nec tamen illa ipsa creatura ingemiscere & parturire dicitur, nisi impropriè, propter naturale desiderium suæ perfectionis: vel certè per prosopopœiam, ut jam antè expositum est. Sanè quamvis aliquod desiderium nostræ liberationis, & sui per eam majoris gaudii futuri, possit etiam angelis tribui, quod facit Erasmus in sua paraphrasi, quosdam veteres secutus, reverà tamen locus hic angelis convenire non potest, maximè propter illud: *Vanitati creatura subjecta est*; quod nec putavimus ad cælestia corpora referendum.

23. NON SOLUM AUTEM ILLA, SED ET NOS IPSI PRIMITIAS SPIRITUS HABENTES; ET IPSI INTRA NOS GEMIMUS. Græcè, *Non solùm autem, sed & ipsi primitias spiritus habètes, & nos ipsi in nobis ipsis gemimus*, Phrasis Apostolo Paulo peculiaris, eclipticum illud; *non solùm autem*, ut suprà cap. 5. *Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* Et infrà cap. 9. *Non solùm autem, sed & Rebecca*, &c. Quod secundò dicit, *& ipsi* vel *nos ipsi*; repetitio est ad majorem affectus expressionem. Quamvis & sic verti potest, *Sed & ipsi qui primitias spiritus habent*, id est, *nos ipsi in nobis ipsi gemimus*, ut copula sumatur expositivè.

Qui primitias spiritus habentes.

Quæ tamen expositio est adhuc obscura. Neque enim liquet quos intelligat, dicens *nos ipsi.* Chrysostomus ac cæteri ferè Græci interpretatur dictum in persona omnium regeneratorum, quos aïunt primitias spiritus habere, quia principium aliquod, gustumque Spiritus sancti, velut pignus acceperunt in donis sibi collatis: interim exspectantes & anhelantes ad plenitudinem illam sibi repositam in futurum. De iisdem intellexerunt commentator Ambros. & August. *lib. 2. de peccator. meritis cap. 7. & 8.*

Verùm quia primitiarum nomine significari solent in sacris literis ea quæ præstantiora sunt in aliquo genere (qua ratione Christus vocatur *primitiæ dormientium*, 1. Cor. 15. & electi *primitiæ ex hominibus*, Apoc. 14.) idcircò videri potest primitias spiritus intelligi debere præstantiora & abundantiora Spiritus sancti dona.

Quamobrem alii sentiunt Paulum hîc loqui in persona Apostolorum (quorum ipse unus) & aliorum primorum fidelium, in quos copiosiùs ac per varia charismata fuit effusa gratia Spiritus sancti: ut hîc sit sensus: Non solùm autem hoc fit quod dixi, vel: Non solùm creatura gemit & dolet unà cum regeneratis: sed & peculiariter nos Apostoli, primique fideles, etsi magnam spiritus abundantiam perceperimus, ut videri possimus jam pleni & beati, quibus non restet quod desideretur: attamen etiam nos ipsi gravati corpore mortis hujus, intra nos ipsos gemimus.

Adfert hunc sensum Sedulius; eumque diligenter & doctè prosequitur Aquinas: cujus hoc loco commentarius propter alia quædam lectu dignus est. Sequuntur item Cajetanus & alii quidam recentiores. Utrumque verò sensum explicant Origenes & Hervæus.

Mihi sanè contextum verborum Pauli propiùs intuenti non fit probabile, quicquam hîc propriè dici in persona Apostolorum, ut nec usquam in tota hac epistola. Nam & in præcedentibus hujus loci, & in his quæ proximè sequuntur, ac deinceps usque ad finem capitis, personam regeneratorum, saltem electorum in genere Paulus in se suscipit. Quare & hanc partem de iisdem convenit intelligi, juxta sensum priori loco datum.

Quæ dicãtur primitiæ.

Nec ei obstat proprietas vocabuli primitiarum. Dicuntur enim primitiæ, Græcè ἀπαρχὴ primi fructus ex aliqua re, sive sint reliquis præstantiores sive non. Nam ut sint præstantiores, ad rationem primitiarum non pertinet. Qualescumque enim essent, eo nomine erant optabiles, & offerendæ Deo secundùm legem, quòd primi fructus essent: quemadmodum & primogenita hominum & pecorum, non quia meliora, sed quia prima, jubebantur offerri. Comparantur ergo primitiæ seu primordia spiritus hoc loco ad integrum plenumque proventum, id est, ad eam spiritus abundantiam quam accepturi sumus in futuro sæculo.

Quocirca non malè Theodoritus primitias pignus & arrabonem interpretatur: quomodo Paulus ipse loquitur interdum, ubi Spiritus sancti dona quæ dantur in hoc sæculo, nunc pignus spiritus, nunc pignus hereditatis appellat, *ut 2. Corinth. 1. & 5. & Ephes. 1.* Qui postremus locus cum isto satis convenit, ut illic invenies annotatum. Quamquam alia ratione pignus, alia primitias hæc dona vocari, cuivis docto facile est intelligere. Porrò quòd apud Amb. commentatorem & Primasium pro primitiis legitur *receptaculum*, nescio quid secutus sit interpres qui ita vertit; nisi fortè non ἀπαρχὴν sed ἀποδοχὴν, legerit in Græco.

ADOPTIONEM FILIORUM DEI EXSPECTANTES. *Dei* nec est in Græco, nec in Syriaco. Multi quoque Latini codices manuscripti non habent. Augustinus in expositione prop. tantum legit; *adoptionem exspectantes*: tametsi non de alia adoptione quam ea qua in Dei filios adoptamur, Apostolum loqui constat. Cæterum textus Amb. com. hoc locò defectuosus est. Nam adoptione prætermissa tantùm legit, *ingemiscimus, exspectantes redemptionem corporis nostri.* Nec ampliùs ipse commentator exponit. Eadem videtur lectio fuisse Pelagii & Sedulii, quia nec ipsi in commentariis adoptionem attingunt. Legunt tamen & exponunt omnes Græci.

Hanc igitur adoptionem filiorum adhuc exspectare dicuntur qui tamen jam per baptismum in Dei filios adoptati sunt; quia qui jus hereditatis nunc habent, possessionem ejus exspectant: ut in vocabulo adoptionis metonymia sit: qua causa pro effectu ponitur, adoptio pro hereditate: aut certè Hebraïsmus, qualis cum accipitur spes pro re sperata, aut promissio pro re promissa. Sic adoptio pro re ad quam adoptio facta est. Hinc Theophyl. duplicem facit adoptionem, unam hujus sæculi imperfectam, alteram futuri sæculi perfectam & consummatam: quomodo secundùm scripturas duplex est regeneratio, una qua renascimur ad gratiam per baptismum, *Joan. 3. & Tit. 3.* altera qua renovamur ad gloriam per resurrectionem, de qua Dominus ait Matthæi 19. *In regeneratione cùm sederit filius hominis*, &c. Unde sequitur appositivè.

Duplex adoptio, quemadmodum duplex regeneratio.

REDEMPTIONEM CORPORIS NOSTRI. Redemptionem corporis dicit, quia beata resurrectio corpora nostra nobis restituet, non qualia nunc habemus, sed libera ab omni corruptione mortalitatis & concupiscentiæ. Quam quidem liberationem vocat *redemptionem*, Græcè ἀπολύτρωσιν: quia libertas illa precio sanguinis Christi nobis comparatur. Solam verò nominat corporis redemptionem, quia animæ electorum quibus nihil restat purgandum, etiam antè corporum resurrectionem sua fruuntur, eaque perfecta

Cur solam nominet redemptionẽ corporis.

beatitudine. S. Ambroſius in epiſt. 22. redemptionem corporis intelligit Eccleſiæ.

Verùm Scriptura non ſolet Eccleſiam appellare corpus noſtrum, ſed corpus Chriſti, *ut* 1. *Cor.* 12. *Epheſ.* 1, 4. *&* 5. *&* *Coloſſ.* 1. Videtur autem Apoſtolus reſpicere ad id quod dixit ſuperiori cap. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ut hîc ſignificetur redemptio ſeu liberatio illic optata. Itaque nonnulli redemptionem corporis interpretantur, id eſt, à corpore, ſcilicet hoc mortali.

Qui quidem ſenſus eodem redit. Exſpectatur enim liberatio à corpore mortis, ut recipiatur corpus immortale. Neſcio tamen an ea phraſis exemplum habeat in Scriptura ſacra: niſi quòd Hebr. 9. legimus redemptionem prævaricationum, id eſt, à prævaricationibus ſive pœnis quæ pro illis debentur. Alioqui ſicut hominis & animæ redemptio ea ſemper intelligitur, qua homo vel anima redimitur: & corporum redemptionem intelligi convenit, qua corpora redimuntur, ut priùs expoſitum eſt.

24. SPE ENIM SALVI FACTI SUMUS. Manifeſtum eſt hanc ætiologiam ac cætera quæ ſequuntur, non ad ſolos Apoſtolos pertinere, ſed ad omnes regeneratos. *Salvi facti ſumus.* Græcè ἐσώθημεν. *Salvati ſumus*, ut habet verſio. Reponit Eraſmus, *ſervati ſumus*. Sed id cur non placeat, intelliges ex iis quæ dicturi ſumus ad illud Philip. 3. *Vnde etiam ſalvatorem exſpectamus*, &c. Senſus eſt: Nondum reipſa, ſed ſpe ſola ſalvi & beati facti ſumus: & ideò adhuc gemimus, exſpectantes corporum noſtrorum redemptionem, & cum ea perfectum beatitudinis ſtatum. Salutem intelligit conſummatam. Nam de ſalute inchoata, quæ hujus eſt ſæculi, dicit Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſalvati*. Et Tit. 3. *Secundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.*

Salvum facere meliùs dicitur quàm ſervare.

SPES AUTEM QUÆ VIDETUR, NON EST SPES. Senſus: Nulla eſt ſpes rei præſentis, quæ jam habetur & poſſidetur; ſed ſpes tantùm eſt rei futuræ, id eſt, nondum acceptæ: ſicut fides rei non viſæ: Ut ſimili ratione dici queat: fides quæ videtur non eſt fides. Sequitur probatio.

Obſerva contra Sectarios fidem ſpecialem ex hoc loco deſtrui.

NAM QUOD VIDET QUIS, QUID SPERAT? Græcè, *quid etiam ſperat?* Ambroſius in epiſt. 22. *quid & ſperat?* Id eſt? cur adhuc ſperat? ac ſi dicat; Re quæ ſperabatur, obtenta, nulla jam reſtat cauſa ſperandi.

Hîc obiter nota contra hæreticos, qui ex teſtimonio Spiritus ſancti de quo ſuperiùs, fidem ſuam ſpecialem aſtruere conabantur, eam ex hoc loco manifeſtè deſtrui. Siquidem homo peccator & pœnitens imprimis ſperare jubetur remiſſionem peccatorum & adoptionem Dei per Chriſtum. Non ergo credere debet ſe eam habere: quia, ſicut hîc docet Apoſtolus, res habita non ſperatur: præſertim, ſi exigunt ſectarii, certò tibi perſuadeas te eam habere. Porrò ſperare non poteſt ſine fide ea quæ ad ſalutem requiritur: Ergo fides illa non eſt de venia peccatorum & adoptione jam accepta; ſed pœnitentibus parata, & accipienda per ſacramenta à Chriſto domino ad hoc inſtituta.

25. SI AUTEM QUOD NON VIDEMUS SPERAMUS, PER PATIENTIAM EXSPECTAMUS. Concludit ex dictis: Si, inquit, ſperamus ſalutem, ſpes autem eorum eſt quæ nondum habentur; ergo cum patientia ſervitutis ac miſeriæ præſentis exſpectare debemus adoptionem ac libertatem gloriæ filiorum Dei. Græca vox ὑπομονὴ patientiam ſeu ſuſtinentiam ſignificat cum ſpe boni futuri, & ita paſſim uſurpatur in ſcripturis Apoſtolicis.

26. SIMILITER AUTEM ET SPIRITUS ADJUVAT INFIRMITATEM NOSTRAM. *Similiter*, Græcè ὡσαύτως, *itidem*, *conſimiliter*, ut vertit Eraſmus. Adjuvat, Græcè συναντιλαμβάνεται, *ſublevat*. Quo verbo Lucas uſus eſt Evangelii cap. 10. *Dic illi ut me adjuvet*, *ſublevet*. *Infirmitatem noſtram*, Græcè *infirmitates noſtras*: tametſi in nonnullis etiam Græcis exſtat numerus ſingularis. Atqui ſenſus idem eſt; *Infirmitatem noſtram*, *ſive infirmitates noſtras*, id eſt, nos vehementer infirmos: ut qui non ſolùm gravamur pondere mortalitatis noſtræ; ſed præterea laboramus vitio ignorantiæ & concupiſcentiæ carnis; quæ nos reddunt ad bonum valdè tardos & imbecilles.

Jam cur dicat Apoſtolus *ſimiliter*, aut *conſimiliter*, cùm nihil præcedat huic ſimile quod ſpiritus facere dicitur; haud ſatis liquet. Quidam referunt ad id quod proximè præceſſit; hoc modo: Spes in adverſis nos adjuvat & patientes reddit. Similiter & ſpiritus. Origenes exiſtimat Apoſtolum reſpicere ad gemitus, quorum in ſuperioribus mentio facta eſt: Dixit enim omnem creaturam ingemiſcere. Dixit & eos gemere qui primitias ſpiritus habent. Nunc addit, ipſum etiam ſpiritum, qui adjutor noſter eſt, non ſine gemitibus, & quidem inenarrabilibus, nos adjuvare: ſenſu videlicet inferiùs declarando. Congrueret quidem hæc Origenis ſpeculatio parti ſequenti, ubi ſpiritus poſtulare pro nobis dicitur cum gemitibus, ſi illic additum fuiſſet, *ſimiliter*: ſed huic parti, quæ ſpiritui tantum attribuit adjuvare noſtram infirmitatem, videtur aliena.

S. Thomas refert ad illud ſuperius: *Vivificabit & mortalia corpora propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis.* Et comparationem ſic explicat: *Dictum eſt quod per Spiritum ſanctũ vivificabuntur noſtra mortalia corpora, quando auferetur à nobis noſtra infirmitas: Similiter autem & in ſtatu hujus vitæ, in quo adhuc infirmitati ſubjicimur, ſpiritus adjuvat infirmitatem noſtrã.* Sic ille.

Alii generaliter comparationem referunt ad beneficia ſpiritus antè dicta: quæ ſunt vivificare mortalia corpora noſtra; facere nos Dei filios; & teſtimonium reddere ſpiritui noſtro, quòd ſimus filii Dei: quibus nunc addit, ſpiritum adjuvare infirmitatem noſtram.

Mihi probabilius eſt ad ſolum iſtud poſtremum de teſtimonio, Paulum hîc reſpicere, cum alluſione verborum συμμαρτυρεῖ, & συναντιλαμβάνεται: tamquam dicat: ſicut ſpiritus conteſtificatur ſpiritui noſtro, quòd ſimus filii Dei: ſic etiam nos infirmos idem ſpiritus coadjuvat; ut quæ non videmus, per patientiam exſpectemus. Sanè non alium hoc loco ſpiritum ſignificari quàm Spiritum ſanctum, id eſt, tertiam in Trinitate perſonam, communis eſt interpretum tam Græcorum quàm Latinorum ſententia. Nam, quod dicunt Lyranus & Carthuſianus, intelligi poſſe ſpiritum angelicum, cujus eſt ex munere ſibi divinitus injuncto noſtram adjuvare infirmitatem, dæmones coercendo, & ea quæ ſalutaria ſunt ſuggerendo, noſtraſque Deò orationes vehementiſſimis affectibus offerre, pius quidem hic ſenſus eſt, ſed loco non congruens. Porrò Spiritus ſanctus adjuvat, non partem oneris ſuſtinendo, ſed eo modo qui paulò poſt exponetur.

NAM QUID ORÉMUS, SICUT OPORTET, NESCIMUS. *Nam quid oremus*, Græcè: γὰρ τὶ προσευξόμεθα. Quod ita commodè vertas: *Hoc ipſum enim quid oraturi ſimus.* Quod addit, *ſicut opertet*, ad verbum *oremus* referendum potiùs, quàm quod nonnullis placet ad verbum *neſcimus*; ut duo ſignificentur, quæ dicit nos neſcire: quid orando petamus, & quomodo petamus. Eſt igitur hæc declaratio magnæ infirmitatis noſtræ: q. d. Adeò ſumus infirmi, ut non ſolùm egeamus auxilio ſpiritus ad ea quæ ſcimus agenda vel toleranda; verùm plerumque neſciamus quidem quid nobis expediat, & proinde quid à Deo petere debeamus: Deinde nec ſciamus, quomodo petere oporteat ea ipſa quæ rectè alioqui petuntur. Quædam enim abſolutè petenda ſunt, quædam conditionaliter: interdum quoque peccatur in eo quod vehementiùs petantur minora bona, quàm majora, magiſque neceſſaria: quod accidit ex inordinato rerum quæ deſiderantur amore.

Nota. Ut bona ſit oratio voluntas orantis divinæ eſt conformanda: Deus enim optimè novit quid nobis expediat. Multiplex ignorantia noſtra de iis quæ petenda ſunt à Deo.

Tractans hunc locum Auguſtinus *epiſt. 121. de orando Deo c. 14,* docet hanc Apoſtoli ſententiam potiſſimè locum habere in afflictionibus ac tentationibus, quæ poſſunt & prodeſſe & nocere: quo fiat ut ignoremus utrum nobis expediat eas adimi, an relinqui: quomodo Paulus ipſe neſcivit quid oraret ſicut oportet quando ter Dominum rogavit ut auferretur à ſe ſtimulus carnis. Unde tamdem audivit; *Sufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur. 2.* Corinth. 12. Idipſum Theophylactus docet exemplo Moyſi & Jeremiæ, quorum petitiones quaſdam à Deo repulſas legimus, *Deut. 3. & Jerem.* 14. Eſtque generalis ſententia S. Thomæ in expoſitione orationis Dominicæ opuſc. 7. dicentis: *Scire quid ſit petendum, difficillimum eſt: cum ſit difficillimum ſcire quid ſit deſiderandum.*

Scire quid ſit petendum difficile eſt.

Nec malè tamen fideles auferri & averti à ſe petunt etiam publicis ſupplicationibus, adverſa quæcumque temporalia, licet plerique magis Deum quæramus & colamus in adverſis quàm in proſperis: Nam ut ait Auguſtinus loco memorato, *quia dura, quia moleſta, quia contra ſenſum noſtræ infirmitatis ſunt, univerſali humana voluntate ut à nobis hæc auferantur oramus. Sed hoc devotionis debemus Domino Deo noſtro, ut ſi ea non abſtulerit, non ideò nos ab eo negligi exiſtimemus, ſed potiùs pia patientia malorum bona ſperemus ampliora. Sic enim virtus in infirmitate perficitur.* Hæc ille.

SED IPSE SPIRITUS POSTULAT PRO NOBIS, GEMITIBUS INENARRABILIBUS. *Poſtulat*, Græcè *intercedit*. Annotat autem Oecumenius Græca voce ſignificari vehementem magnoque ſtudio factam ſupplicationem. Non enim ſimpliciter eſt ὑπερεντυγχάνει *intercedit*, quod infrà ſemel & iterùm hoc capite legitur; ſed addita propoſitione ſignificante exceſſum, ὑπερεντυγχάνει, quaſi dicat *ſuperintercedit*: niſi malis ea præpoſitione tantùm ſignificari, *pro*, quia ſequitur ὑπὲρ ἡμῶν, *pro nobis*; quomodo repetita præpoſitione dicimus aliquem egredi è domo, deſcendere de monte.

Quis ſpiritus poſtulans pro nobis.

Quod nobis eſt veriſimilius. Spiritum hoc loco Chryſoſtomus ejuſque ſequaces interpretantur vel ſpiritū hominis, quatenus gratiam orationis à Spiritu S. accepit, vel ipſum orationis donum hominibus à Spiritu S. infuſum, quod frequens ſit in Scripturis Spiritus S. dona ſpiritus nomine ſignificari. Nam & ſpiritum precum legimus apud Zachariam cap. 12. Cenſent igitur inter alia dona quæ Spiritus S. in Eccleſia primitiva fidelibus diſtribuit, etiam fuiſſe peculiare donum orationis ſeu precationis, quo quidam inſtructi pro univerſo populo, qui alioqui ſæpè per ignorantiam inutilia poſtularet, precabantur; quorum in locum poſteà ſucceſſerit diaconus pro populo ſupplicans; quamquam hoc in aliis pleriſque eccleſiis epiſcopi & preſbyteri facere conſueverunt.

Ab horum ſententia non diſſonat S. Ambroſius, *qui lib. 3. de Spiritu S. cap. 12.* ſpiritum hîc interpretatur gratiam ſpiritualem. Hos authores ne ipſum Spiritum S. intelligant, ea ratio movet, ne conſequens ex hoc loco videatur ſecundùm hæreſim Macedonii Spiritum ſanctum eſſe creaturam ac Deo minorem, utpote orantem & ſupplicantem Deo pro nobis.

Sed cùm in ſuperiori ſententia qua dictum eſt ſpiritum adjuvare infirmitatem noſtram, iidem etiam ſcriptores Spiritum ſanctum intellexerint; hîc verò Paulus adjutorium illud ſpiritus exponat & declaret, idque non ſine emphaſi, dicens, *ipſe ſpiritus*: certè non alius quàm idem Spiritus ſanctus intelligi poterit. Et ita quidem intellexerunt commentatores Latini, & inter Græcos Origenes, necnon Auguſt. *in epiſt. 108. & 121. & lib. 1. & 2. contra Maximum*: plureſque alii. Secundùm hos Spiritus ſanctus poſtulare ſeu intercedere pro nobis dicitur: eò quòd efficaci ſua in nobis operatione nos orantes ac poſtulantes faciat. Quod dum agit, quodammodo pro nobis intercedit.

Poſtulat pro nobis Spiritus ſanctus, & quo ſenſu.

Similis locus eſt Gal. 4. *Miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem Abba pater.* Nec diſſimile illud Matth. 10. *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Hìc etiam illa referri poſſunt, 1. Timoth. 2, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, id eſt, voluntatem hujuſmodi piis hominibus inſpirat. Et quod in perſona Sapientiæ divinæ dicitur Eccleſiaſtici 24. *In habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi*; hoc eſt, In tabernaculo ſancto ſacerdotes coram Deo miniſtrare feci. Loquitur enim ad hunc modum frequenter Scriptura: ne dubitemus Deum in nobis omnia bona operari.

Hìc etiam intelligitur illam particulam *pro nobis*, non ſic accipi, quemadmodum infrà verſ. 34. ubi de Chriſto dicitur, *qui etiam interpellat pro nobis*, & quomodo eam accipimus in litaniis ſanctorum dicentes, *Orate pro nobis*: ſed hoc ſenſu; pro nobis, id eſt, defectum noſtrum ſupplens & adjuvans, dum facit nos poſtulare: ut ita dictum ſit *pro nobis*, quomodo dicit Dominus ad diſcipulos: *Non vos eſtis qui loquimini.*

Porrò locum iſtum nequidem apparenter favere Macedonio, ſi totus inſpiciatur, ex eo liquet, quia ſpiritum dicit poſtulare gemitibus inenarrabilibus. Quod ſi propriè ſumatur, conſequens erit non modò creaturam eſſe Spiritum ſanctum, ſed creaturam paſſibilem ac miſeriæ ſubjectam, & adhuc beatitudine carentem: *quod*, inquit Thomas, *nullus unquam hæreticus dixit.* Unde & Eunomianis & Arianis ſic illudit Ambroſius loco jam citato: *Niſi fortè gemitus vos ſancti Spiritus audire potuiſtis.*

Dicet aliquis: ſi poſtulat Spiritus ſanctus pro nobis, quia poſtulare nos facit; igitur & Pater pro nobis poſtulat: ſiquidem & ille poſtulare nos facit; cùm ea operatio ſit toti Trinitati communis. At ut dicatur Pater pro nobis poſtulare, piæ aures non ſuſtinent. Objectioni reſpondetur.

Reſpondeo: Sicuti Pater non dicitur mitti (licet ea operatio ad quam perſona aliqua divina mittitur, ut exempli gratia, ſanctificatio hominis, ſit toti Trinitati communis) propterea quòd neceſſe ſit perſonam quæ mittitur, à mittente procedere, ut à qua cum operatione ſimul accipit & naturam: Ita de hac poſtulatione dicendum; quæ quamvis ſignificet effectum in hominibus, quem etiam Pater, imò tota Trinitas poſtulare rectè dicitur: ſed ea tantùm perſona quæ accipit ab alia quod faciat homines poſtulantes. Etenim ut mitti, ſic & poſtulare, reſpicit alterum à quo vel accipitur aliquid vel exſpectatur. Quod in Patrem competere non poteſt.

An Spiritus ſanctus advocatus noſter.

An autem ſimili ratione Spiritus ſanctus dici poſſit advocatus noſter, quatenus ſcilicet infundendo cordibus noſtris ſua dona, Patri tamquam priori à quo eſſe accipit, gratos nos efficit, quæri poteſt. Ita quidem ſentiunt Auguſt. *tract. 74. in Joan.* & Gregorius *homilia 30. ſuper Evangel.* Verùm re benè expenſa non apparet Spiritum ſanctum in Scripturis advocatum appellari. Nam paracletus à Chriſto dictus eſt potiùs à dono conſolationis, quàm propter officium patrocinandi. Quod facilè patebit ea loca, in quibus paracletus dicitur, *ut Joan. 14. & 15.* accuratè conſideranti.

Cæterùm Filius Dei ſecundùm naturam aſſumptam propriè advocatus noſter eſt: ideóque propriè pro nobis poſtulat & interpellat: uti dictum eſt. Præter hæc meminiſſe oportet, Scripturam de Deo ſæpè loqui anthropopathicè. Qua ratione Paulus affectum quodammodo maternum hîc attribuit Spiritui ſancto, tamquam nos intimè diligenti, dicens eum poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Nam & ſpiritus in Hebræo fœminei generis eſt רוּחַ *ſaahh*. Quæ tamen ſermonis improprietas explicanda eſt ut diximus; quia nimirum nos inhabitans Spiritus S. gemitus inenarrabiles in nobis excitat. Et quid mi-

rum ſi nunc Spiritui ſancto gemitum aſſcribit Apoſtolus vel anthropopathicè vel metonymicè : cùm paulò antè toti creaturæ gemitum aſſcripſerit metaphoricè ?

Gemitus inenarrabiles qui dicantur.

Dicuntur autem gemitus inenarrabiles, ſive ineffabiles; vel quia procedunt à deſiderio rei ineffabilis, id eſt, cæleſtis gloriæ, vel quoniam ipſi motus cordis, ut proficiſcuntur à Spiritu ſancto, ſatis enarrari non poſſunt (quæ duæ rationes ſunt apud Aquinatem) vel ſecundùm alios, quia propter cordis noſtri tenebras ipſis nobis inſcrutabile eſt (& conſequenter ineffabile) quinam ſint gemitus & orationes noſtræ Deo placitæ ad exaudiendum, ac proinde à Spiritu ſancto procedentes. Nos enim *quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*: ut dictum eſt ſuprà. Quæ poſtrema ratio congruit etiam ſequentibus. Dicens enim ſcrutatorem cordium ſcire, quia ſecundùm Deum poſtulat ſpiritus pro ſanctis; utique ſignificat & nobis corda noſtra eſſe inſcrutabilia; & ideò nos neſcire num & quatenus poſtulationes noſtræ ſint ſecundùm Deum & à Spiritu ſancto.

27. QUI AUTEM SCRUTATUR CORDA, SCIT QUID DESIDERET SPIRITUS. Græcè οἶδε τὶ τὸ φρόνημα τὸ πνεύματος, *novit quis ſit ſenſus ſpiritus*. In nonnullis codicibus, οἶδε τὸ φρόνημα, *novit ſenſum ſpiritus*, φρόνημα vocabulum idem quod ſuprà vertit interpres *prudentiam, ſapientiam, ſenſum*. Auguſtinus in epiſtola de orando Deo, legit, *Quid ſpiritus ſapiat*. Quamvis, inquit Apoſtolus, Spiritus ſancti in nobis gemitus ſint nobis ineffabiles; Deus tamen cordium ſcrutator, optimè novit ſenſum, affectum, deſiderium Spiritus ſui ſancti gementis in nobis: & ita novit, ut etiam approbet & exaudiat. Alludere videtur ad ſcripturam Jerem. 17. ubi utrumque dicitur: inſcrutabile eſſe cor hominum, ſcilicet ipſis hominibus, & Deum eſſe cordium ſcrutatorem.

QUIA SECUNDUM DEUM POSTULAT PRO SANCTIS. *Poſtulat*, Græcè ἐντυγχάνει, *intercedit*, quod inferiùs ubi Chriſto tribuitur, vertit *interpellat*. Partem illam *pro ſanctis* nonnulli de rebus exponunt hoc modo: pro rebus ſanctis & ſalutaribus à Deo impetrandis. Sed potius eſt ut ad perſonas referatur: & quidem eo intellectu quo ſumus interpretati particulam *pro nobis* in verſu ſuperiore. Porrò vocula ὅτι, *quia*, non cauſaliter accipitur, ſed declarativè: ut ſenſus ſit, Deum noſſe cogitationem ſpiritus, nempe quod ſecundùm Deum poſtulet pro ſanctis, id eſt, ipſos ſanctos, Deique filios, ac Deum diligentes (ſic enim mox ipſe exponit) petere faciat ea quæ Deo probantur & placita ſunt ad exaudiendum. Id igitur nunc dicit *ſecundùm Deum*, quod ſuprà dixerat, *ſicut oportet*, quodque Joannes dicit in epiſtola, *ſecundùm voluntatem ejus*, ſcilicet Dei.

Spiritus nihil poſtulat pro ſanctis quod non cõſequatur.

Ex quibus etiam illud conſequitur, de quo movet Hugo quæſtionem: Spiritum nihil poſtulare pro ſanctis, quod non obtineat. Nam ſi ſecundùm Deum poſtulat, & ſicut oportet: utique conſequitur in ſanctis, quod poſtulat pro ſanctis, juxta Domini promiſſionem: *Petite & dabitur vobis*. &, *Omnis qui petit accipit*, Matth. 7. Quam & Joannes repetit 1. epiſt. 3. his verbis, *Quicquid petierimus accipiemus ab eo*. Et cap. 5. *Quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos*. Ubi loquitur Joannes de petitione quæ fit pro fratre peccante: ne quis promiſſionem de iis tantùm rebus interpretetur, quæ ad perſonam petentis propriè pertinent. Et alioqui conſequens videretur Spiritum ſanctum poſtulantem aliquando non exaudiri. Quod abſurdè ſonat. Jam nec iſte locus contra divinitatem Spiritus ſancti quicquam facit, tamquam ſpiritus diverſus ſit à Deo qui corda ſcrutatur, & ſecundùm quem poſtulat. Nam & *ſpiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*, teſte eodem Apoſtolo 1. Corinth. 2. Sed quoniam hoc loco Spiritum ſanctum poſtulantem inducit quaſi conſtitutum ex parte noſtra, ideò non ei aſſcribit, ut alibi ſæpè, quæ Dei ſunt.

28. SCIMUS AUTEM QUONIAM DILIGENTIBUS DEUM OMNIA COOPERANTUR IN BONUM. *Scimus*, ait gloſſa, *nos majores & doctiores, quorum authoritati credendum eſt*. Locum hunc Apoſtoli uſque ad finem cap. adducit Auguſt. *lib. de doct. Chriſt. cap.* 20. ut eo exemplo doceat non defuiſſe Paulo eloquentiam, qua poſſet non ſolùm de parvis ſubmiſſe, & de modicis temperatè; verùm etiam de magnis granditer dicere. Nam tota hac oratione rem magnam agit, ſcilicet *ut* (quemadmodum ibidem Auguſtinus loquitur) *hujus mundi perſecutiones charitate vincantur, ſpe certa in adjutorio Dei*.

Eloquentia Pauli.

Pro verbo *cooperantur* Græcè eſt συνεργεῖ ſingularis numeri: Quod tamen etiam pluraliter verti poteſt, propter ſuppoſitum πάντα neutri generis, ut fecit noſter interpres. Numero ſingulari legiſſe Auguſtinum, (licet alicubi mutata fuerit à ſcribis lectio ad vulgatam verſionem) apertè conſtat ex duobus locis, ut de *grat. & lib. arbit, cap. 17. & de correp. & gratia cap. 9.* quæ numerum pluralem non recipiunt. Sic & Proſper legit *ſent.* 158. Eamque lectionem amplectitur Cajetanus. Apud hos ſuppoſitum verbi *cooperatur* eſt *Deus*. Idque, poſita hac lectione, tam ex præcedentibus quàm ex iis quæ ſequuntur, benè Cajetanus probat: quum alioqui videri cuipiam poſſit de ſpiritu dictum eſſe, *cooperatur*: tamquam ſenſus ſit, Spiritum ſanctum facere, ut diligentibus Deum omnia cedant in bonum.

Verùm, ſive Deus ſive Spiritus ſanctus cooperari dicatur; incommodum habet ea conſtructio. Nam (ut taceam quod eam Græca vix admittant) potiùs dicendum erat Deum aut Spiritum ſanctum diligentibus ipſum omnia operari in bonum, quàm cooperari; cùm multa ſint hominibus in bonum cedentia, ad quæ ipſi nihil cooperentur, ea maximè de quibus hîc agitur.

Maneat ergo vulgata lectio *cooperantur*: cui favent imprimis Græcorum commentarii: deinde etiam Latinorum textus & commentarii, ut Pelagii, Primaſii, Sedulii & omnium ſequentium: & ante eos Ambroſiaſtri, qui legit: *omnia procedunt in bonum*. Eraſmus & Chryſoſtomi interpres verterunt; *omnia ſimul adjumento ſunt*. Verùm optimè ſe habet *omnia cooperantur*, id eſt, ſimul operantur; ſimul inquam, inter ſe, non ſimul cum diligentibus Deum, ſed ad eorum utilitatem & ſalutem. Eſt enim dativus commodi; q. d. Omnia concurrunt & conſpirant, pariterque cedunt in bonum eorum qui Deum diligunt. Hujuſmodi relationem reciprocam etiam ſuprà ſignificatam oſtendimus, ubi dixit omnem creaturam congemiſcere & comparturire.

Omnia cooperãtur electis in bonũ, & quo ſenſu.

Porrò *omnia* dicit quæcumque eis forinſecus accidunt, tam adverſa quàm proſpera. *Omnia*, ait Theophylactus, *quantumvis ardua videantur & aſpera*. Nam de paſſionibus hujus temporis, & de patientia in iis exhibenda, locutus fuerat Apoſtolus in ſuperioribus. Unde hanc ſubjicit ſententiam, ne deſpondeant animum, ſi minùs exauditæ videantur preces quas in afflictionibus ad Deum fundunt: ſed exiſtiment, ſi Deum diligunt, omnia, etiam adverſa ſibi proventura ad ſalutem, videlicet Spiritu ſancto cauſam eorum agente, & ſecundùm Deum poſtulante pro ſanctis.

Peccata quomodo cedãt electis in bonũ, etiam iis qui ad minorẽ gratiã reſurgũt.

Non ineptè tamen etiam ad alia quæcumque, & ad ipſa peccata, ſententiam hanc extendunt gloſſographus & alii multi poſt Auguſtinum. Cujus in lib. de corrept. & gr. cap. 9. hæc ſunt verba: *Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum* (ſic enim Auguſtinum legere jam diximus) *uſque adeò prorſus omnia, ut etiam ſi quis eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonũ: quia humiliores redeunt atque doctiores*. Hæc ille, de prædeſtinatis loquẽs. Sic

& Bernardus in enarratione pſalm. 90. ſer. 2. ubi citans hunc locum ita ſubjungit: *Nonne cooperatur nobis ille caſus in bonum, unde & humiliores efficimur & cautiores?*

Exemplo ſunt Petrus & Paulus Apoſtolorum præcipui: quorum alter, quum ſeſe arroganter omnibus antepoſuiſſet, dicens: *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor*, Matth. 26. poſt lapſum converſus & interrogatus à Domino; *Diligis me plus his?* nihil auſus præſumere, tantùm repondit: *Tu ſcis Domine, quia amo te*, Joan. 21. Alter verò cùm ſupra cæteros eccleſiæ perſecutor fuiſſet, *Gal.* 1. & 1. *Timoth.* 1. poſteà vocatus à Domino, & plus omnibus laborans, minimum Apoſtolorum, adeoque omnium ſanctorum, ſe nominat, 1. *Cor.* 15. & *Epheſ.* 3.

Jam quomodo peccata præterita cooperentur in bonum etiam illi, qui per pœnitentiam reſurgit ad minorem gratiam, oſtendit S. Thomas 3. part. quæſt. 89. art. 2. ad 1. Quoniam, inquit, *tantò ſtabiliùs in gratia permanet, quantò eſt cautior & humilior.* Addo, omnibus electis omnia quæcumque fecerint peccata, cedere in bonum: quia de omnibus illis Dei beneficio tandem liberati, æternùm Deo gratias agent.

Similiter autem è diverſo dici poteſt, reprobis omnia cooperari in malum; non ſolùm adverſa & proſpera, verùm etiam bona opera quæ fecerunt: dum videlicet de iis ſuperbiunt, ſicque eorum occaſione pejores effecti graviùs etiam puniuntur. Deinde omnia ſua bona cedunt eis in malum, quia de iis ſua culpa amiſſis æternum dolebunt: & quidem eò magis quò plura fuerint & majora bona quibus exciderint. Porrò *diligentibus Deum* intellige eo modo quo Deus diligendus eſt, ſcilicet ex toto corde. Nec tamen abſoluta ſententia eſt, niſi addatur hoc quod ſequitur.

Reprobis omnia cooperantur in malum, etiã bona quæ fecerunt.

IIS, QUI SECUNDUM PROPOSITUM VOCATI SUNT SANCTI. In Græco & Syriaco non eſt additum, *ſancti*, ut nec legitur apud commentatorem Amb. neque à Pelagio, Primaſio, Sedulio exponitur: licet in horum textum irrepſerit. Sed nec Auguſtinus agnoſcit, tractans hanc Scripturam *propoſ.* 55. & duobus locis infrà citandis. *Vocati* in Græco non participium eſt, ſed nomen verbale, κλητοῖς, de quo diximus ſub initium epiſtolæ. *Propoſitum* quidam intellexerunt ipſorum hominum qui vocantur, id eſt, bonam eorum voluntatem à Deo præviſam.

Ita non ſolùm commentator Amb. & Theodoritus atque alii qui prædeſtinationem ex meritis præviſis aſſeruerunt: verùm etiam Chryſ. quem tamen non ideò ſuſpiceris idem cum illis de prædeſtinatione ſentire. Nam intelligit quidem bonum propoſitum hominis, non tamen negans illud ipſum eſſe gratiæ prævenientis effectum (quod alibi ſatis ab eo declaratur) ſed humanæ voluntatis cum gratia vocante cooperationem hîc ſignificatam exiſtimat. Alii verò, ut Origenes, Theophyl. Oecumenius, & inter Latinos Sedulius miſcent propoſitum Dei cum propoſito hominis.

Vocatio ſecundũ propoſitũ Dei, non hominũ. Propoſitum Dei, quid ſit.

Atqui verus & certus ſenſus eſt, quo propoſitum Dei, non hominum, intelligitur: Dei, inquam, propoſitum, id eſt, voluntas prævia, prædeſtinatio, ac decretum æternum. Syrè præordinatio: ut ſecundùm propoſitum vocati ſeu vocaticii dicantur, qui non ex ullis ſuis meritis, ſed ſolo Dei conſilio ac beneplacito, eligentis ab æterno quos voluit, ad ſalutem vocantur. Quæ periphraſis eſt prædeſtinatorum. De hac vocatione quæ fit ſecundùm propoſitum Dei, ſic Auguſt. lib. 1. retr. cap. 23. *Non enim omnium*, inquit, *qui vocantur, talis eſt vocatio, ſed tantum electorum.* Comprobatur hic intellectus ex aliis locis, ubi de vocatione noſtra loquens Apoſtolus, Dei propoſitum expreſſit; velut infrà cap. proximo: *ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret.* Item Epheſ. 1. *Prædeſtinati ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Et 2. Tim. 1. *Qui vocavit nos non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam*: vel ut Græcè, *ſecundùm proprium propoſitum.* Qui poſtremus locus non ſolùm confirmat hanc noſtram expoſitionem, verùm etiam propoſitum hominum manifeſtè excludit.

Hunc commentarium tradit, & eo quo dixi modo adverſus Pelagianos aſtruit Auguſt. *lib. 2. contra 2. epiſt. Pelag. cap. 10. & de corr. & gr. c. 7.* Auguſtino ſubſcribunt Primaſius, Hervæus, Aquinas, Liranus, Cajetanus, ac cæteri recentiores. Denique conſtat hic Apoſtoli ſenſus ex iis quæ ſequuntur germanè intellectis: quibus utique *exponit*, ut ait Auguſtinus, *quid ſit, ſecundùm propoſitum.*

29. NAM QUOS PRÆSCIVIT, ET PRÆDESTINAVIT CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII SUI. *Fieri* non eſt in Græco, nec Auguſtino legitur. Rectè tamen additum ab interprete, explendæ ſententiæ cauſa. Qui prædeſtinationem Dei ſtatuunt ex operibus præviſis, aut omninò ex aliqua conditione voluntatis humanæ ſuſpendunt, argumentum petere ſolent ex hoc loco, videlicet urgentes id quod dicit Apoſtolus, *quos præſcivit*, nempe ut aïunt, benè victuros, aut bonis naturalibus benè uſuros, aut oblatæ tali vel tali gratiæ præbituros aſſenſum. Et huc ſpectare putant commentatorem Ambroſ. cum ait: *Iſtos quos præſcivit futuros ſibi devotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda.* Sed hæc verba, & ſi quæ ſimilia apud alios leguntur, quamvis Apoſtoli mentem non explicent, rectè tamen ſic accipi poſſunt, ut ſignificetur ad vitam æternam tamquam mercedem ac præmium homines eligi à Deo propter merita prævisa; quæ tamen eadem ſint illis gratuitò præparata.

Prædeſtinatio non gratuita malè ex hoc loco ſtatuitur.

Sunt alii qui partem illam *quos præſcivit*, ſuppleant ex præcedentibus hoc modo: Quos præſcivit vocatos ſeu vocaticios ſecundùm propoſitum, eos prædeſtinavit, &c. Sic Oecumenius & nonnulli recentiores.

Alii inter quos Hervæus & Cajetanus, ſupplent ex ſequentibus: Quos præſcivit conformes futuros imagini filii ſui, eos & prædeſtinavit conformes huic imagini fieri. Memorati commentatores verbum *præſcivit*, ad nudum referunt intellectum, ut præſcire non aliud ſit, quàm noſſe quippiam priúſquàm ſit aut fiat.

Præſcire quid hoc loco ſignificet.

Alii verò plus in eo verbo conſiderant, ut nimirum ea voce prænotio ſignificetur non ſola nec qualiſcumque, ſed cum voluntate bona atque benigna, quam εὐδοκίαν Græci vocant, noſtri beneplacitum, conjuncta. Quod ſanè ſcripturis Apoſtolicis multò magis eſt conſentaneum. Nam quemadmodum ſimplex verbum (ſcire) ſeu (noſſe) juxta phraſim Hebraïcam ſæpenumerò in Scripturis ad effectum ſeu voluntatem refertur, ut ſit idem quod approbare, diligere, curare, aut certè ſic agnoſcere ut approbes, diligas & cures; unde & ſcita pro decretis apud Latinos: Rurſus quemadmodum neſcire ſumitur pro eo quod eſt improbare, odiſſe, non curare, pro ſuo non agnoſcere: Sic & compoſitum verbum præſcire ſignificat prædiligere, id eſt, antè diligere, in bonum præordinare; & præſcientia prædilectionem ac præordinationem in bonũ; maximè ubi de electis agitur.

Scientia & præſcientia approbationis.

Exempla verbi ſimplicis affirmati & negati paſſim obvia ſunt, ut Pſalm. 1. *Novit Dominus viam juſtorum.* Joan. 10. *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* 2. Timoth. 2. *Cognovit Dominus qui ſunt ejus.* Matth. 7. *Numquam novi vos*, & 25. *Neſcio vos.* Nec deſunt exempla verbi præſcire in hac ſignificatione. Nam & infrà cap. 11. dicit Apoſtolus: *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſcivit*, id eſt, ab æterno dilexit, ac ſuam eſſe voluit; ſicut & Toletus exponit; licet hic aliter. Eodemque ſenſu Petrus præſcientiam accepit. 1. epiſt. 1. *Electis advenis*, inquit, *ſecundùm præſcientiam Dei patris*, id eſt, ſecundùm benignam ejus præordinationem. Quo

eodem capite etiam Chriſtum vocat præcognitum ante mundi conſtitutionem, id eſt, benigna Dei voluntate ab æterno præordinatum. Neque enim Chriſti prædeſtinatio poteſt ullo modo fingi ex meritis præviſis, niſi ſecundùm hæreſim Neſtorianam. Simile & illud Jeremiæ 1. *Priuſquàm te formarem in utero novi te.* Porrò huic intellectui admodum convenit abſolutus ſermo. Non enim dicit Apoſtolus: quos præſcivit benè victuros, aut aliquid tale: ſed abſolutè, *quos præſciuit*, ſicut & cap. 11. *quam præſcivit.* Qui ſermo ſenſum relinquit imperfectum; niſi prænotionem exponas prædilectionem.

Omitto dicere quomodo verbum *præſcivit* interpretetur Ambroſius Catharinus. Nam de ejus in totum hunc Apoſtoli locum commentario opportunius aliquid infrà dicturi ſumus. Illud addo: ſenſum quem dedimus, facilè colligi ex parte præcedenti. Quod enim ibi dixit *propoſitum*, hîc repetit verbo *præſcivit*: ac ſi dicat: Nam quos novit in propoſito ac beneplacito ſuo æterno, eos prædeſtinavit, & cætera. *Prædeſtinavit*, Græcè προώρισε, quod latinè dicas, *præterminavit*, ſeu *prædeterminavit*, id eſt, *præfinivit* ſeu *prædefinivit*, ut alii verterunt. Derivatur enim hoc verbum ἀπὸ τοῦ ὅρου: quæ vox propriè terminum ſignificat.

Senſus igitur hujus loci eſt. Prædeſtinatorum ſalutem nullis adverſitatibus neque tentationibus impediri poſſe, idque certò nobis conſtare ex charitate Dei, qua eos ab æterno dilexit: qua etiam facturus ſit, ut omninò ea bona ad quæ prædilecti ſunt ac præordinati, conſequantur. Nam, inquit, quos præſcivit, id eſt, ab æterno prædilexit, & amicos habere voluit; eoſdem prædeſtinavit conformes ac ſimiles fieri Chriſto filio ipſius, id eſt, certo fixóque decreto jam olim & ab æterno ſtatuit ad hoc tam eximium bonum eos aliquando perducere.

Hoc ferè modo præſcientiam iſtam interpretantur Rickelius, Saſboldus, Pererius & aliis neoterici: imò & vetuſtiſſimus Origenes, multa diſſerens in hanc ſententiam; licet alia quædam ſubjungat non probanda. De hujuſmodi præſcientia Dei legatur Auguſt. *lib. de dono perſev. cap. 18.*

Hic locus deſtruit prædeſtinationem ex meritis.

Juxta hanc igitur acceptionem verbi *præſcivit*, adeò nihil adjuvat hic locus prædeſtinationem ex meritis, ut etiam deſtruat. Rectè tamen *præſcire*, etiam hoc modo intellectum ponitur veluti præcedens ipſum prædeſtinare. Nam dilectio, quæ vocabulo præſcientiæ ſignificatur, ſecundùm rationem prior eſt prædeſtinatione: quemadmodum benè docet S. Thomas *1. p. q. 23. ar. 4.* Sed etſi præſcire ſolum actum intellectus hîc ſignificaret; non tamen ex eo ſtatui poſſet prædeſtinatio ex meritorum præſcientia. Nam ſenſus adhuc eſſet ſanus & catholicus, quem alii reddunt, hujuſmodi: Quos Deus prævidit futuros conformes filio ſuo per novitatem vitæ, eoſdem ad illam conformitatem ab æterno prædeſtinavit, ut ſcilicet non ex merito ſuo, ſed ex Dei propoſito tales fierent, quales præviſi ſunt, Non enim dicit Apoſtolus, quia præſcivit, ſed *quos præſcivit.* Nec dubium, quin Deus vel maximè prænoſcat ea quæ ipſe facturus eſt: atteſtante Jacobo Apoſtolo cùm de gentium converſione loqueretur, act. 15. *Notum à ſæculo eſt Domino opus ſuum.* Ita David de punitione peccatoris, quam utique Deus facit, Pſal. 36. *Dominus proſpicit quod veniet dies ejus.* Verùm prior ſenſus haud dubiè melior eſt, & omninò retinendus.

Conformitas imaginis filii Dei quæ dicatur.

Porrò conformitatem imaginis filii Dei, ad quam prædeſtinatos dicit, ſimilitudinem intelligit noſtram cum Chriſto Dei filio; non qualemcumque qualis etiam in hac vita per mentis renovationem & inchoatam adoptionem habetur, utquidam intellexerunt: ſed quam in fine ſæculi exſpectamus, id eſt, adoptionem filiorum Dei conſummatam: de qua ſuprà dixerat, *exſpectantes adoptionem*: quæ nimirum conſiſtit in glorificatione totius hominis: ut, ſicut dicit 1. Cor. 15. *qualis cæleſtis*, id eſt, Chriſtus jam glorificatus, *tales* ſint *& cæleſtes*, videlicet omnes ejus electi. Sic enim eam conformitatem idem Apoſtolus exponit alibi ut Philip. 3. *Qui reformabit*, ait de Chriſto, *corpus humilitatis noſtræ configuratū corpori claritatis ſuæ.* Et Coloſſ. 3. *Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Sic & Joan. 1. ep. 3. dicens: *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus.* Et Eccleſia in oratione qua ſic Deum precatur: *Vt in illius inveniamur forma, in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia.*

Confirmatur hic ſenſus ex ſequentibus, ubi prædeſtinationis effectus perducit Apoſtolus uſque ad hanc quam dixi conformitatem, id eſt, glorificationem noſtram, dicendo: *Quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.*

Cæterum phraſis illa, qua dicimur futuri conformes imaginis filii Dei, non ſignificat filium Dei eſſe imaginem, cui nos conformandi ſimus: ut appoſitivè dictum ſit, *imaginis filii*: quomodo multi intellexerunt. Neque Spiritum ſanctum eſſe imaginem filii: Qui ſenſus eſt Græcorum quorumdam, ut Athanaſii in una & altera epiſtola ad Serapionem, & Baſilii *lib. 5. adverſus Eunom.*

Homines glorificati erunt imago filii Dei.

Sed ſenſus eſt, nos ita conformandos filio Dei, ut ſimus ejus quædam imago. Sic enim etiam 1. Cor. 15. portaturi dicimur imaginem cæleſtis, id eſt, Chriſtum in nobis repræſentaturi tamquam ejus imago. Quod futurum eſt in beata reſurrectione, de qua Paulus ibi diſſerit. Ex quo loco etiam Thomas hunc ſenſum probat in commentario.

UT SIT IPSE PRIMOGENITUS IN MULTIS FRATRIBUS. Significat illam conformitatem de qua locutus eſt, redundare in gloriam Chriſti. Nam ex ea conſequitur quædam dignitas & prærogativa Chriſti, ut ſit primogenitus inter multos fratres: dum videlicet qui per naturam eſt unigenitus Dei filius, Deo nos in filios adoptante ac naturali ipſius filio per gratiam & gloriam conformante, multos fratres acquirit gloriæ ſuæ cæleſtis coheredes; inter quos omnes ipſe primatum teneat tamquam primogenitus. Etenim Chriſtus Dei filius, genitus quidem eſt ut Deus, ſed primogenitus ut homo Deus; ſcilicet per gratiam unionis, non per gratiam adoptionis, quàm à Chriſto penitus removemus: damnantes eorum ſententiam, utpote jam olim à Patribus damnatam, qui ex hoc loco & aliis ſimilibus oſtendere nitebantur, Chriſtum ſecundùm naturam aſſumptam eſſe Dei filium adoptivum.

Gratia adoptionis à Chriſto alienа.

Quidam interpretantur: *ut ſit*, id eſt, ut oſtendatur & agnoſcatur *primogenitus in multis fratribus.* Quem ſenſum non rejicimus. Nam adoptio noſtra tota refertur in gloriam Chriſti, etiam ut homo eſt; In qua natura dictum eſt eum eſſe inter multos fratres primogenitum. Verùm ut nihil eſt, quod ad hanc intelligentiam nos cogat: ita prior ſenſus (quem tradunt Aquinas & plerique alii) ſimplicior eſt.

30. QUOS AUTEM PRÆDESTINAVIT, HOS ET VOCAVIT. Gradatione quadam proſequitur effectus divinæ prædeſtinationis præcipuos, qui ſunt vocatio, juſtificatio & glorificatio. Dico præcipuos, quia ſunt & alii prædeſtinationis effectus, iique varii, de quibus egimus in *comment. 1. Sent. diſt. 40.* Senſus hujus partis eſt. Quoſcumque Deus ab æterno prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, hos & vocat in tempore, ea ſcilicet vocatione de qua paulò antè dixit, *qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt.* Qualis & illa de qua Angelus Apoc 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.* Hæc enim vocatio ſemper efficax eſt, & electorum propria. Intelligitur autem hoc loco vocatio vel ad fidem, vel generatim ad juſtitiam & ſanctitatem vitæ, & omninò ad ſalutem; juxta diverſum intellectum ejus quod ſequitur.

Quæ vocatio ſemper efficax.

ET QUOS VOCAVIT, HOS ET JUSTIFICAVI. Hoc

eſt: Quoſcumque prædeſtinatos vocat, ſive quod idem eſt, quoſcumque ſecundùm propoſitum vocat ad fidem Chriſti, faciens eos credentes, eoſdem etiam juſtificat remiſſione peccatorum ac mentis renovatione. Vel ſic potiùs; Quoſcumque prædeſtinatos vocat ad fidem & juſtitiam & ſalutem, quæ quidem vocatio fit per miniſterium prædicationis Evangelicæ; eos non inaniter vocat, quomodo multi vocantur qui non veniunt; ſed eoſdem ipſe etiam juſtificat, donans fidem, pœnitentiam, remiſſionem peccatorum, ſanctam converſationem, & in ea perſeverantiam. Hæc enim omnia juſtificationis nomine rectè comprehenduntur.

Duplex vocatio.

Utrovis autem modo exponas, non adverſatur hic locus ſententiæ Salvatoris, *multi vocati, pauci electi.* Matth. 20. & 22. Loquitur enim Paulus de vocatione ſecundùm propoſitum ſeu prædeſtinationem, ut dictum eſt: Chriſtus verò de vocatione promiſcua, qua multi etiam reprobi vocantur, nunquam venturi.

QUOS AUTEM JUSTIFICAVIT, ILLOS ET GLORIFICAVIT. In multis codicibus mss. pro *glorificavit* legitur, *magnificavit.* Ita quoque legunt Liranus, Aquinas, Hervæus, Lombardus, & author gloſſæ ordinariæ, & Rupertus in Apoc. 21. Et his omnibus antiquior comment. Ambroſ. Eſtque veriſimile veterem interpretem ita vertiſſe, qui pro eodem habuerit glorificare & magnificare: quemadmodum & Mat. 5. vetus tranſlatio habebat: *& magnificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Sic enim citat eum locum Leo Papa ſerm. 8. de Epiphania Domini. Tale eſt quod Cyprianus, ubi nos habemus hoc cap. *Si tamen compatimur ut & conglorificemur*, legit *conmagnificemur*, lib. 3. teſtimoniorum cap. 16. & alibi. Quin adhuc in vulgata verſione legitur Matth. 15. *& magnificabant Deum Iſraël.* item Luc. 4. *Et magnificabatur ab omnibus*, & alibi. Hæc ut alia ſuſpicor ab Hieronymo fuiſſe correcta, ſed correctionem non in omnibus codicibus obtinuiſſe. Sanè Græcum δοξάζειν non aliud eſt quàm glorificare, nec diverſa eſt verbi Syri ſignificatio.

Glorificatio quæ hoc loco intelligatur.

Senſus Apoſtoli: Quoſcumque autem prædeſtinatos, ſive ſecundùm propoſitum vocatos juſtificat, eoſdem etiam ſuo tempore glorificabit, facturus eos conformes filio ſuo glorificato. Chryſoſt. & Theophyl. glorificationem intelligunt in hoc ſæculo per filiorum adoptionem & donorum largitiones; moti fortaſſe verbo præteriti temporis quaſi jam factum eſſe aut fieri oporteret, quod hîc dicitur. Verùm ea quæ dicta ſunt in ſuperioribus de noſtra conglorificatione cum Chriſto, de futura gloria in nobis revelanda, de libertate gloriæ filiorum Dei, & alia hujuſmodi, ſatis evincunt etiam hunc locum non aliter accipi oportere, quàm de gloria futuri ſæculi.

Uſus eſt autem Apoſtolus in tota hac deductione verbis præteriti temporis, vel ob certitudinem infallibilem effectuum à divina prædeſtinatione manantium; quæ certitudo demonſtratur in ſequentibus; tametſi jam glorificati rectè etiam intelligi poſſunt in capite Chriſto, veluti membra ad ejus conformitatem certiſſimè provehenda; *Spe enim ſalvi facti ſumus*, ſupra verſu 24. Vel certè ſecundùm alios quia verbum *prædeſtinavit*, ex quo cætera continuo orationis filo contexuit, præteriti temporis erat.

Ambroſii Catharini commentarius, & doctrina de duabus claſſibus ſalvandorum exponitur.

Hic jam mihi monendus es lector, ne te fallat Ambroſ. Catharini commentarius quo ſuperiora ab eo loco, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, & quæ ſequuntur uſque ad finem capitis, multò aliter exponit, quàm quiſquam ante eum orthodoxus interpres tradidit: adeoque præter doctrinam à ſanctis Patribus acceptam. Facit enim duos ordines ſeu claſſes eorum qui ſalvi fiunt. Quarum in priore ſeu præſtantiore collocat eos quos propriè vocari vult in Scripturis electos ac prædeſtinatos, itemque oves ac fratres Chriſti: Quod Deus eximia quadam amoris prærogativa eos præ cæteris dilexerit atque elegerit, & ad ſalutem æterno ſuo decreto eodemque immobili deſtinarit: quos etiam ſolos Chriſtus Dominus ovium ſuarum & fratrum loco habeat: velut beatam Mariam Virginem, Apoſtolos, prophetas, & alios ſanctos inſigniores: quos dicit tot & tantis gratiæ muneribus à Deo cumulari, tantiſque ad ſalutem præſidiis inſtrui, ut ſalva (etiam arbitrii libertate) nullatenus excidere queant.

In altera claſſe reliquam ponit ſalvandorum multitudinem: quos non fixo & immobili decreto, ſed ſub conditione, ſi gratiæ Dei cooperentur, dicit ordinatos à Deo ad ſalutem: dato videlicet ad eam conſequendam auxilio ſufficiente, licet non illo ſuperabundante. Qui proinde excidere poſſint per liberum arbitrium, permanſuri tamen ejuſdem liberi arbitrii cum Dei gratia, cooperatione. Et hanc claſſem reprobis facit communem, ut quibus æquè gratia detur ad ſalutem ſufficiens, tametſi non ea uſuris, aut certè non uſuris perſeveranter.

Atque genus hoc ſalvandorum dicit ordinari ad vitam æternam ex operum prævisione: priores autem illos non ex operibus, ſed ex ſola & gratuita Dei bonitate.

De iis igitur ſolis interpretatur, quæcumque hoc loco de vocatis ſecundùm propoſitum, præſcitis, prædeſtinatis & electis à Paulo dicuntur. Illos enim ſolos vult eſſe vocatos ſecundùm propoſitum, id eſt, immobile Dei decretum; Solos à Deo præſcitos, id eſt, præ aliis ſcitos ſeu cognitos approbationis notitia; Solos quoque prædeſtinatos, hoc eſt, præ aliis deſtinatos ad conformitatem imaginis filii Dei: Sed & ſolos electos, electione videlicet eximia, qua non ſolum præ reprobis, ſed & præ reliquis ſalvandis electi ſint à Deo. His aptat & cætera; quod à Deo potentiùs vocati, copioſiùs juſtificati, ſplendidiùs glorificati; quòd eos accuſare & condemnare nemo præſumat: quod à Dei charitate eos ſeperare nemo poſſit, eò quòd immobiliter prædeſtinati ſint ad gloriam, Quibus denique tanta adſit de futura gloria & præſenti gratia certitudo, ut unuſquiſque eorum de ſeipſo fidentiſſimè dicere poſſit: *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei quæ eſt in Chriſto.*

Hæc illius authoris doctrina eſt, partim *in hujus & ſeq. cap. comment.* deinde etiam *in Epheſ. 5. & 1. Timoth. 2.* partim verò in opuſculis quibuſdam de prædeſtinationis argumento conſcriptis ab eo tradita. Quam quidem pluribus refellere non hujus eſt loci: nec admodum opus. Fecimus id quantum res tulit, *in comment. ad. 1. ſent. diſt. 40.* Fecit ante nos Dominicus Sotus in *Comment. hujus epiſt.* Sed & alii doctiſſimi Theologi, inter quos B. Pererius *in præſens caput. diſput. 25.* commentum illud Catharini rejiciunt, explodunt & damnant tamquam novum, abſurdum, ſacriſque Scripturis evidenter contrarium, & ut quidam eorum haud immeritò cenſent, hæreticum.

Catharini doctrina Scripturis evidenter contraria; ideóque paſſim à Theologis exploſa tamquam erronea.

Nam ut ſcripturas prætermittam, quæ plurimæ ſunt huic abſurdiſſimæ novitati reclamantes, quid à communi ſenſu fidelium, doctorum pariter & indoctorum, magis alienum, quidve à publicis eccleſiæ precibus magis diſſonum, quàm ut multos aut aliquos fieri ſalvos; qui non fuerint à Deo ad ſalutem electi & prædeſtinati, nec ſcripti in libro vitæ, nec inter oves & fratres Chriſti aliquando numerati? Unius huc aſcribam beati Fulgentii verba, ex ejus libro de fide ad Petrum diaconum cap. 35. quæ ſic habent: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnes quos vaſa miſericordiæ gratuitâ bonitate Deus fecit, ante conſtitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædeſtinatos à Deo, neque perire poſſe aliquem eorum, quos Deus prædeſtinavit ad regnum cælorum: nec quemquam eorum quos non prædeſtinavit ad vitam, ulla poſſe ratione ſalvari.* Sic ille.

31. QUID ERGO DICEMUS AD HÆC? Poſt enumerata breviter electionis noſtræ beneficia, deinceps certitudinem eorum confirmat, oſtendens ea fruſtrari & irrita fieri ullo modo poſſe. Id verò agit crebris erotematis, quibus orationem intendit; miro artificio, ſi cui perito lubeat animum advertere. Nam ſingulæ interrogationes peculiarem vim argumenti ſecum adferunt.

Senſus hujus partis eſt: Cùm tanta ſit Dei pro ſuis electis cura, tamque certa providentia, ut quoſcumque prædeſtinavit ad gloriam, eos vocando & juſtificando, tandem omnino ad illam perducat: quid dicturi ſumus inter paſſiones & adverſitates hujus ſæculi conſtituti, niſi hoc quod ſequitur. *Si Deus pro nobis*, &c. Quidam ſic exponunt: *Quid dicemus ad hæc?* Id eſt adverſus hæc? quaſi dicat, Nihil. Quod etſi Græcus ſermo non refugiat (nam præpoſitio πρός accuſativo juncta ſervit interdum contrarietati) non tamen is ſenſus huic loco facilè poteſt aptari. Nam electis quorum perſonam hîc agit Paulus, non convenit dicere: quid dicemus adverſus iſta?

SI DEUS PRO NOBIS, QUIS CONTRA NOS? Id eſt, Si Deus ſtat pro nobis, volens omninò implere in nobis æternum ſuum propoſitum juſtificationis & glorificationis noſtræ: cùm nemo ſit Deo potentior, quis vel hominum vel dæmonum ita contra nos inſurgat, ut ſalutem noſtram impediat? Nullus profectò. Nam ſi electi ſumus, oves Chriſti ſumus, de quibus ipſe Joannis 10. *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Ac iterùm: *Et nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Dicitur ergo hoc in perſona electorum ſeu prædeſtinatorum, de quibus jam locutus fuerat. Quorum in perſona etiam ſequentia dicuntur. Quatenus ergo quiſque fidelium confidere poteſt ac debet, ſe eſſe è numero electorum; ea ratione ſententiam hanc cum iis quæ ſequuntur, poteſt ac debet ſibimet applicare.

Quiſque fidelis confidere debet ſe eſſe è numero electorũ.

32. QUI ETIAM PROPRIO FILIO NON PEPERCIT. Græca non addunt *etiam*. Porrò emphaſim habet, quod ait *proprio filio*, id eſt, ei filio quem non habet cum aliis communem, quos vel adoptione, vel temporali quapiã dignatione filios ſuos appellat in Scripturis: ſed quem proprium habet naturalem, & verum, ut Joannes loquitur 1. ep. 5. *Et ſimus in vero filio ejus.* Qua ratione etiam è diverſo Deus Chriſti Domini proprius pater vocatur Joan. 5. *Non ſolùm*, inquit, *ſolvebat ſabbatum, ſed & patrem proprium*, Græcè ἴδιον, *dicebat eum.* Urget utrumque locum B. Ambroſius, ut doceat inter Patrem & Filium in divinis eſſe connaturalitatem: de Filio *lib. 1. de fide cap. 7.* de Patre *lib. 2. cap. 4.* Dicitur autem Pater Filio non peperciſſe, non quòd in eo puniendum aliquid eſſet, abſit: ſed quatenus eum licet innocentiſſimum, pro nobis in mortem dedit. Id enim ſequitur.

Proprius filius & proprius pater in divinis reciprocantur.

SED PRO NOBIS OMNIBUS TRADIDIT ILLUM. *Pro nobis omnibus*, ſcilicet electis. Jam enim cõſtat in electorum perſona Paulum hæc dicere. Quo autem ſenſu dici poſſit etiam pro non electis traditus in mortem Chriſtus diſputant Theologi *in 3. ſent. diſt. 19.* & benè definiunt pro omnibus traditum, quia paſſio ejus & mors ſufficiens erat omnibus omninò redimendis: pro non omnibus, quia redemptionis proprietas penes ſolos eſt electos. Vide Proſperum *in reſp. ad primã object. Vincentianam, & ad nonum* cap. Gallorum.

An Chriſtus pro non electis traditus in mortem.

Illud etiam quæri ſolet, quo ſenſu Pater Filium tradidiſſe dicatur in mortem: de quo Theologi *in 3. ſent. diſt. 20.* Breviter autem dicimus hoc ſenſu: quia quem ab æterno decrevit ac voluit pro noſtra ſalute paſſurum & moriturum eſſe, eumdem in tempore per manus impiorum pati ac mori fecit.

Quo ſenſu pater filium tradiderit in mortem.

QUOMODO NON ETIAM CUM ILLO OMNIA NOBIS DONAVIT? Græcè χαρίσεται, *donabit*, in futuro: quemadmodum & in Ambroſii commentario legitur. Annuit & Syriaca verſio, *dabit*. Ac ſanè ſi præteritum legimus, id per futurum exponendum erit; aut intelligenda donatio in propoſito & voluntate. Colligit autem Apoſtolus argumento à majori, Deum certiſſimè largiturum nobis, id eſt, electis, bona jam enumerata, gratiæ ſcilicet & gloriæ. Qui enim filio ſuo, quo nihil habet carius, non pepercit, ſed pro ſalute noſtra impendit, tradens eum *pro nobis omnibus* in mortem, certè nec cætera dona ad ſalutem neceſſaria, nec ipſam denique ſalutem & gloriam eſt negaturus. De electis interpretatur Aug. *lib. 22. de civ. Dei, cap. 24. & alibi.* Quamquam id per ſe clarum eſt, ex eo maximè quod ſequitur.

33. QUIS ACCUSABIT ADVERSUS ELECTOS DEI? DEUS QUI JUSTIFICAT:

34. QUIS EST QUI CONDEMNET? CHRISTUS JESUS, QUI MORTUUS EST; IMO QUI RESURREXIT, QUI EST AD DEXTERAM DEI; QUI ETIAM INTERPELLAT PRO NOBIS. Græca & Syra nomen *Jeſu* non addunt. Et in duobus colis ſequentibus æquè ut in tertio copulantem voculam interponunt: *imò qui & reſurrexit, qui & eſt ad dexteram Dei.* Quod & in Latinis quibuſdam codicibus viſitur, & apud commentatorem Ambroſ.

Porrò hujus loci triplex apud interpretes invenitur expoſitio, juxta triplicem quam admittit pronunciationem. Una pronunciatio eſt, ſecundùm quam illa pericope, *Deus qui juſtificat*, ſine interrogatione lecta, rationem contineat reſponſionis negativæ ad interrogationem præcedentem: & illa, *Chriſtus Jeſus qui mortuus eſt*, &c. ſimiliter ſe habeat ad interrogationem, quæ proximè præceſſit: in hunc videlicet ſenſum; Quis accuſabit adverſus electos Dei? Nemo: cum Deus ſit qui juſtificat. Quis verò eſt qui eos condemnet? Nemo, quandoquidem Chriſtus eſt qui pro eis mortuus ſit, & reſurrexit, & cætera.

Triplex hujus loci expoſitio juxta triplicẽ pronunciationem.

Secunda pronunciatio ſingulas quatuor pericopas legit interrogativè, hoc ſenſu: *Quis accuſabit adverſus electos Dei?* Num Deus accuſabit qui juſtificat? q. d. non. Et quis erit qui eos condemnet? Num Chriſtus condemnabit, qui pro eis mortuus eſt, &c.? q. d. minimè.

Tertia pronunciatio perinde ut prima ſecundam pericopen & quartam legit ſine interrogatione, ſed ſecundam à prima abſtractam tertiæ applicat; quartam verò applicandam relinquit erotemati ſequenti; *Quis ergo ſeparabit*, &c. quemadmodum ibi videtur. Hujus pronunciationis ſenſus eſt: *Quis accuſabit adverſus electos Dei?* Cùm enim Deus ſit qui juſtificat, quis auſit condemnare?

Juxta primam pronunciationem locum hunc exponunt Origenes & Liranus, ſupplentes verbum *eſt* in iis partibus quas ſine interrogatione proferunt; videlicet, Deus eſt qui juſtificat, Chriſtus Jeſus eſt qui mortuus eſt, &c. quod & obſervandum in tertia pronunciatione.

Secunda placuit Auguſtino *lib. 3. de doct. Chriſt. c. 3.* eandemque volunt in ſuis commentariis Ambroſius & Primaſius.

Tertiam reddunt Chryſoſtomus cum ſuis ſequacibus, idem Theodoretus & Aquinas. Tum neoterici, Dominicus, Adamus, & Eraſmus tam *in annotationibus, quam in paraphraſi.* Quæ expoſitio reperitur etiam apud Gregorium *lib. 7. regiſtri, epiſt. 53.* Sed & editio Romana pronunciationem hanc notis ſuis commonſtrat. Atque ea nobis quoque cum expoſitione ei reſpondente, præ duabus aliis probatur; vel idcircò, quod prorſus apparet Apoſtolum alluſiſſe ad locum *Iſa. 50.* ubi in Chriſti perſona, qui caput electorum eſt, dicitur: *Juxta eſt qui juſtificat me; Quis contradicet mihi?* Et iterum: *Ecce Dominus Deus auxiliator meus, Quis eſt qui condemnet me?* Quæ ſententiæ planè exigunt pronunciationem ſimilem cum ea quam tertio loco diximus. Tale eſt etiam illud Pſalm. 26. *Dominus illuminatio mea & ſalus mea;*

quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

Quare totus hic locus sic explicetur; Quis accusationem instituet objectis criminibus adversus eos quos Deus elegit, volens omninò salvare? q. d. Nullus id fecerit nisi frustrà; Nam electio Dei frustrari non potest. *Deus* est *qui justificat*, id est, à peccatis & ab intentata adversarii actione electos suos absolvit; atque adeò ex impiis justos facit. Deo autem absolvente & justificante, *quis est qui condemnet*, id est, damnationis sententiam in eos ferat? q. d. nemo, nisi frustra. *Christus Jesus* Dei filius, is est qui Patre ipso tradente *mortuus est propter delicta nostra*, nec tamen in morte remansit. Unde sequitur, *imò qui* etiam *resurrexit* a mortuis, *propter justificationem nostram*, certa spe resurgendi nobis quoque relicta. *Qui est ad dexteram Dei*; id est, qui etiam causa nostri consedit ad dexteram Dei Patris in cœlis: tum ut nobis spem certam regnandi secum ostenderet; tum propter id quod sequitur, *qui etiam interpellat pro nobis* apud Patrem, tamquam perpetuus advocatus & patronus noster. Nam, ut dicitur Hebr. 9. *Jesus introivit in cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.*

Electio Dei non potest frustrari.

Monet Cajetanus, illud extremum *pro nobis*, referendum esse ad singula membra præcedentia, *mortuus est, resurrexit*, &c. Quod & fecimus in data expositione. Quamquam alii ad solam referunt interpellationem.

Cæterùm nonnulli rursus post hanc sententiam *Christus Jesus*, &c. putant repetendum illud: *Quis est qui condemnet?* Quod non est necesse. Nam ejus loco aliud continuò subnectitur, consimili sensu ac tenore sermonis; uti mox videbimus.

Dicitur autem Christus esse vel sedere ad dexteram Dei Patris, non situ corporali quem nefas est asscribere Deo, qua Deus est: sed hoc sensu, quia Christus secundùm naturam humanam quâ ascendit in cœlum, summam inter omnes creaturas obtinet & quietus possidet potestatem & gloriam in regno Patris, velut secundus à Patre: qui alioqui secundum naturam divinam est per omnia æqualis. Sumpta est autem metaphora à magnis principibus, qui primo ac medio loco sibi servato, proximos sibi & à dextris collocant eos quibus secundam à se potestatem aut dignitatem in regno concesserint. Unde filii Zebedæi secundum & tertium à Christo locum potestatis & gloriæ in regno ejus ambientes dicebant: *Da nobis ut unus ad dexteram tuam & alter ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua*, Marc. 10. Sed hac de re sermo nobis redibit, idemque plenior, quum ventum erit ad loca similia Apostoli, *Ephes. 1. & Heb. 1.* Tantùm illud adjicio; cum ait: *ad dexteram Dei*, satis enim significare, quod hæc Christo sessio competat ipsi ut homini, ac secundùm hominis naturam.

Christus ad dexterā Dei sedet secundum naturā humanam, & quo sensu.

Jam quod dicitur Christus ad dexteram Dei collacatus adhuc interpellare sive intercedere pro nobis, non ita accipiendum, ac si in cœlo supplicem se Patri prosternat, uti fecit in diebus mortalitatis & humilitatiæ suæ: quemadmodum satis imperitè docet Origenes. *Hom. 7. Super Leviticum:* addens id eum facere non sine lacrymis & mœrore quo de malis nostris afficitur. Quem sensum sana fides omninò respuit. Neque verò sinit Pater filium suum jam in gloriam assumptum ampliùs humiliari quoquo modo nostri causa.

Quo sensu Christus adhuc pro nobis interpellet.

Sed interpellat pro nobis Christus, quomodo post veteres interpretes & Gregor. *lib. 22. c. moral. 13.* doctè & breviter id explicat Thomas *in commentario*: quatenus humanitatem pro nobis assumptam, & mysteria in ea celebrata conspectui paterno repræsentat, utique cum desiderio nostræ salutis. Neque enim negandum est, quod ob invidiam interceſſionis sanctorum negant hæretici quidam nostræ ætatis, Christum in cœlo verè & propriè Patrem suum pro nobis orare. Nam dicta repræsentatio cum salutis nostræ desiderio conjuncta, non consistit absque oratione saltem interiore. Quamquam nec vetat quin etiam voce exprimat illud desiderium, sed verbis convenientissimis. Tantum humilitas illa supplicandi Christo jam glorificato indigna, ab ejus oratione removenda est, uti removent Greg. Nazianz. *orat. 4. de Theol.* & Rupertus *lib. 9. de divinis officis cap. 3.* Verùm hac de re amplius aliquid dicturi sumus, ubi perventum erit ad locum similem. *Heb. 7.*

35. QUIS ERGO SEPARABIT NOS A CHARITATE CHRISTI? *Ergo* non habetur in Græco, Syriaco, Ambrosiano textu, ut nec apud Augustinum: nec quidem in omnibus exemplaribus Latinis. *Christi*, Græcè *Dei*. Sicque legerunt Origenes, Theophylactus & Oecumenius: tametsi Chrysostomum constat legisse *Christi*. Nam studiosè id observat, Apostolum dixisse *Christi*, non *Dei*. Tertull. quoque *Christi* legit in Scorpiaco cap. 13. Sic & cæteri Latini. Facitque pro ea lectione, quod proximè præcedit: *Christus Jesus qui mortuus est*, &c. Sensus: cùm Christus hæc omnia fecerit & faciat pro nobis; quis jam non separare & abstrahere poterit ab ejus dilectione; sive qua nos eum diligimus, sive qua nos ipse diligit, qui tot & tanta pro nobis fecit.

Charitas Dei dupliciter intelligi potest: & utra acceptio aptior

Quod si cum Græcis legamus *à charitate Dei*, sensus erit: Cùm tanta sit Dei charitas erga nos, ut hæc omnia fecerit, ac Filium suum pro nobis facere voluerit: quis ab ea charitate nos separare poterit, hoc est, efficere ut Deus nos quorum gratia tam multa fecit, amare desinat? Hic sensus, quo intelligitur charitas seu Dei seu Christi erga nos, à Cajetano, Toleto, aliisque doctis interpretibus traditur: estque valdè probabilis. Expendit enim Paulus magnitudinem divini erga nos amoris ex beneficiis nobis impensis; quo probet quod instituerat, nihil absistere posse, quò minùs certissimè perventuri simus ad salutem. Sicut & paulò pòst, ubi ait: *propter eum qui dilexit nos.*

Alter verò sensus quo intelligitur charitas nostra erga Deum, eget supplemento hujusmodi: Quis nos separabit finaliter à charitate Dei? Nam ad tempus sæpè contingit electos excidere charitate qua Deum diligunt. Adde quòd minus commodus sermo est, quo separari quis dicitur à charitate sive amore quo alium diligit; quum potiùs dicendus esset illum aliquando à se dilectum à suo amore separare ac removere. Denique nec omnes electi diligunt Deum; Multi enim nondum sunt; Multi adhuc mali sunt: Omnes tamen diliguntur à Deo. Loquitur autem Apostolus, ut ex præcedenti sententia liquet, in persona electorum, non autem solorum aut omnium justorum, ut nec omnium fidelium.

Observa contra sectarios, malè ex hoc loco statui fidem specialem.

Unde ex hoc loco minimè consequens est (quod sectarii volunt) unumquemque fidelium certum ac securum esse de sua in bono perseverantia. Porrò sub masculino *quis*, etiam neutrum, quid, id est, quæ res intelligi debet. Nam rerum est enumeratio sequens: tametsi res illæ ejusmodi sunt quæ ab hominibus inferantur.

TRIBULATIO? AN ANGUSTIA? AN FAMES? AN NUDITAS? AN PERICULUM? AN PERSECUTIO? AN GLADIUS? In Græco & Syriaco *persecutio* ponitur tertio loco, quæ in Latinis sexto, non omnibus tamen. Conveniunt enim cum Græcis commentator Ambr. Lombardus, Aquinas, & Liranus, imò & Cyprianus *lib. 3. testimon. cap. 18.* & alibi. Apud Primasium quarto loco collocatur *persecutio*. Apud Carthusianum quinto. Tertullian. eam omninò prætermittit. *Tribulatio* sive afflictio potissimum intelligitur in corpore & rebus externis, *angustia* in animo; vel certè in rebus dubiis & perplexis, ubi consilium humanum deficit. Cætera clara sunt.

36. SICUT SCRIPTUM EST. Supple electos pati & passuros esse. Locus est in *Psalm. 43.* Qui quidem

Psalmus vel à Davide, vel quod ex toto ejus argumento magis apparet, tempore dispersionis populi Judaïci ad deos falsos non declinantis, à quopiam viro Dei conscriptus, & piis Dei cultoribus ad precandum & canendum traditus, seu sensu tamen altiore propheticus est, & ad persecutionem ecclesiæ primitivæ referendus.

QUIA PROPTER TE MORTIFICAMUR TOTA DIE. Vox electorum ad Deum. *Quia* ad sensum redundat. *Propter te*, Græcè ἕνεκα σοῦ, *causa tui*. Sensus: propter confessionem tui nominis, & quia tui sumus cultores, assiduè tradimur in mortem, quotidianis objicimur periculis.

ÆSTIMATI SUMUS SICUT OVES OCCISIONIS. Græcè σφαγῆς, *mactationis*; quod & Hebraïca vox in Psalmo posita significat, & Syriaca hoc loco. Sensus: Reputati sumus & tractamur ab infidelibus & persecutoribus nostris, haud secus atque oves mactationi destinatæ. Ita pro libito & absque commiseratione n osad mortem & supplicia trahunt. Hæc, ut dixi, maximè competunt in fideles primitivæ Ecclesiæ.

Nota ad mores, quod pati apud Electos sit vincere.

37. SED IN HIS OMNIBUS SUPERAMUS. Græcè ὑπερνικῶμεν, *supervincimus*: quomodo legunt Tertullian., *in Scorpiaco*; Cyprian. *lib. 3. testim. & epist. 26.* Idem Augustin. *lib. 22. de civ. Dei cap. & de doct. Chr. lib. 4. c. 20. & alibi.* Nam & Græci commentatores annotant ea voce plus aliquid quàm simplicem victoriam significari. Est autem singulare genus victoriæ electis proprium, non resistendo, sed patiendo & moriendo vincere persecutorem: idque Christi Salvatoris exemplo. Potest etiam eo verbo significata intelligi victoriæ facilitas, q.d. Adeò nihil istorum quæ dicta sunt, à charitate Christi nos separat; ut è contrario iis omnibus longè ac facilè superiores simus: quia nimirum qui in nobis pugnat, longè fortissimus est: de quo sequitur.

PROPTER EUM QUI DILEXIT NOS. Græcè διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, *per eum qui dilexit nos*. Quomodo legit Augustinus locis jam citatis, & Prosper *lib. 2. de vocat gentium cap. 15.* Quod & Syrus interpres Hebraïsmo expressit: *per manum ejus qui dilexit nos.* At verò commentator Ambros. legit & exponit *propter eum*, id est, pro ejus amore. Tertull. & Cyprian. *pro eo;* quod idem est. Sed & reliqui interpretes Latini *propter eum* legunt. At ferè expositionem duplicant: propter amorem ejus, & propter auxilium. Quod posterius magis genuinum est, ut sensus sit: Excellentem & facilem illam victoriam adipiscimur, non nostra virtute, sed per auxilium sive Dei, sive Christi, qui nos dilexit. Nam in duobus exemplaribus Græcis à R. Stephano annotatis additum erat χριστοῦ, Christi.

Verbum πέπεισμαι duobus modis à Paulo usurpatum.

38. CERTUS SUM ENIM. *Certus sum*, Græcè πέπεισμαι, id est, *persuasum habeo*, sicuti reddit Tertull. Cæterùm commentator Ambr. & Hieron. *in epist. ad Algas. quæst. 9.* legunt confido. Verùm sciendum est Paulum hoc verbo uti in suis epistolis ad significandam fixam & certam animi persuasionem de re quapiam: certam dico, sive morali dumtaxat certitudine, cui falsum subesse contingat; sive ea certitudine, quæ fallere nequeat: ut proinde non malè noster interpres eam vocem passim exponat *certus sum*: licet aliquando vertat *confido*.

Prioris modi certitudo significatur istis locis, Philip. 1. *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit*, & cætera, 2. Timoth. 1. *Certus sum quod & in te*, videlicet fides habitet non ficta. Hebr. 6. *Confidimus de vobis meliora, & viciniora saluti.* Et cap. 13. *Confidimus quia bonam conscientiam habemus.* Neque enim de his Apostolus habebat certitudinem infallibilem. Denique hujus epistolæ, cap. 15. *Certus sum de vobis, quia pleni estis dilectione.*

Posterioris modi certitudo significata est 2. Tim. 1. in illis verbis: *Certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Hoc enim fide tenebat. Et in hac epistola cap. 14. *Scio & confido, quia nihil commune per ipsum.* Nam & hoc fidei certitudine tenebat, ut ibi videbitur. Sic & Lucas accepisse videtur Evangelii sui cap. 20. ubi nos legimus: *Certi sunt enim Joannem Prophetam esse.* Id enim plebs Judæorum certissimè persuasum habebat. Nec mirum, quando etiam activum verbum πείθω, *suadeo* sic usurpatur à Paulo, ut certam & indubitatam exigat fidem ab iis quibus se suadere dicit: ut Galat. 1. *Modò enim hominibus suadeo, an Deo?* Et Act. 26. ubi dicenti Agrippæ regi, *In modico suades me Christianum fieri*, respondet: *Opto apud Deum & in modico & in magno.* Quin & aliis verbis quæ vel opinionem vel existimationem qualemcumque Græcis significant, cujusmodi sunt δοκεῖν & λογίζεσθαι; Paulus utitur etiam in rebus certissimè cognitis, ut 1. Cor 4. & 7. *Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit*, &c. *Puto quod & ego spiritum Dei habeam.* Item Philip. 3 *Ego me non arbitror comprehendisse.* Et hujus Epistolæ cap. 3. *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Et hoc capite, *Existimo quod non sunt condignæ passiones*, &c.

Quæ certitudo hoc loco significata.

Porrò de certitudine prioris modi locum hunc accepisse videntur Græci tractatores, dum eum de vehemente fiducia interpretantur. Atqui S. Augustinus certitudinem posterioris modi intellexit in expositione propositionis 58. Verba ejus sunt: *Quod autem ait, Certus sum enim, & non dixit opinor: plena fide tenuit, quod nec mors ulla, nec vitæ temporalis promissa, nec cætera subsequentia possunt credentem à charitate Dei detorquere.* Sic ille. Quæ ferè est & aliorum Latinorum expositio.

Observa contra sectarios, non facere hunc locum pro fide speciali.

Neque tamen propterea quicquam facit hæc Pauli sententia pro fide speciali hæreticorum. Nam ut planissimè liquet ex superioribus, loquitur ille in persona, non singulorum fidelium, sed electorum in genere: nempe de quibus dixerat, *Quis accusabit adversus electos Dei?* Verumtamen unusquisque fidelis electorum numero sese adjungere potest ac debet exemplo Pauli; idque tantò majori fiducia, quantò plura majora percipit in se signa electionis. Igitur verus sensus est, *Certus sum*, id est, certa fide persuasum mihi habeo. Et ut Hieronymus expressit in commentario Gal. 1. *Sio quia neque mors*, &c.

QUIA NEQUE MORS, NEQUE VITA. Hoc Græci interpretes ad æternam mortem & vitam referunt: *Etiamsi*, inquit Chrysostomus, *æternam mortem minaretur quis, aut vitam infinitam promitteret, ut à Christo separarer, non acquiescerem.* Quod intelligendum est κατ' ἀδύνατον; tum quia vita æterna non est sine Christo, tum quia nullus electorum adversarius aut æternam vitam promittere, aut æternam mortem comminari potest efficaciter; etiamsi vitam æternam intelligas sine Christo.

Verùm Apostolus non loquitur de re impossibili, sed de tentationibus quæ solent electis obvenire. Quare rectiùs alii mortem & vitam temporalem intelligunt hoc sensu: Neque mors à persecutore intantata, neque vita promissa.

NEQUE ANGELI, NEQUE PRINCIPATUS, NEQUE VIRTUTES. Quidam codices pro virtutibus *potestates* legunt, ex alia nimirum translatione Græci vocabuli δυναμεις: quemadmodum & apud Augustinum legitur *lib. de Patientia cap. 18.* Quamquam rectiùs se habet *virtutes*. Nam quas in angelis potestates Theologi vocant, Græcis ἐξουσιαι dicuntur, ut Ephes. 1. Quod autem in nonnullis utrumque legitur, *neque potestates, neque virtutes*, scribis imputandum, qui quæ in diversis codicibus singula legerant, conjunxerunt. Hac parte spiritus adversarii, id est dæmones significantur, quibus omne studium est Christi fideles abstrahere à salute.

Tametsi quidam ad bonos etiam angelos extendunt per hypothesim, si vellent abstrahere : quomodo *Gal.* 1. dicit anathema angelo de cœlo, si quid annunciet præter id quod ipse Paulus evangelizaverat. Verùm tentationes impossibiles ab hoc loco jam antè exclusimus.

Ex omnibus ordinibus aliquos angelos cecidisse, probabile.

Porrò sub his tribus Angelorum ordinibus cæteros omnes (nam ex omnibus ordinibus aliquos cecidisse Theologorum sententia perquam probabilis est apud magistrum *in 2. sent. dist. 6.*) comprehensos intellige, q. d. Apostolus, nullam prorsus dæmonum vim & potentiam electis prævalere posse. Quomodo autem se differant angeli, principatus, & virtutes, petendum ex iis quæ disputantur eodem secundo lib. sent. dist. 9.

NEQUE INSTANTIA, NEQUE FUTURA. *Instantia*, id est, præsentia, quomodo vertit interpres 1. Cor. 3. Sicque legit August. *loco prius citat.* Intelligit autem tam bona quibus allici solent homines, quàm mala quibus terreri. Præteritorum non meminit, quod illa non impellant animum, nisi quatenus adhuc similia vel sperantur vel timentur.

NEQUE FORTITUDO. Hæc pars nec in Græco est, nec in Syriaco : nec apud commentatorem Ambr. Sed nec habet hoc membrum cui respondeat, uti cætera ferè hujus sententiæ. Quare virisimile est adjecticium esse, videlicet ex eo quod dictum est; *neque virtutes*; quod in quibusdam codicibus legitur & olim legebatur singulariter, *neque virtus*, in aliis; *neque fortitudo*. Quorum illud est apud Augustin. *loco memorato*, ac præterea *lib. de morib. eccles. cap.* 11. *lib.* 4. *de doct. Christ. cap.* 20. *& in exposit. propos.* quam nunc tractamus. Istud apud Hieron. *quæst. 9. ad Alg. & in com. Gal.* 1. Nostri tamen interpretantur fortitudinem principum hujuj sæculi. De tota hac varietate lectionis consule notationes Franciscí Lucæ.

Altitudinis & profundi variæ interpretationes.

39. NEQUE ALTITUDO, NEQUE PROFUNDUM. *Profundum* βάθος, id est profunditas. Quidam exponunt; Nihil sublime neque abjectum in hoc sæculo. Sic enim Oecumenius. *Neque admodum gloriosa, neque valde humilia.* Alii sic : Nihil eorum quæ in cœlo sunt sursum, aut in terra deorsum. Theodoritus ad ea quæ futuri sunt sæculi, refert utrumque : profundum intelligens gehennam, altitudinem regnum. Sed jam diximus Apostolum ea nominare quibus solent electi in hac vita tentari, vt à Christo separentur. Magis placet expositio sancti Thomæ : Neque altitudo ex qua quis minaretur præcipitium, sicut factum est Christo, Luc. 4. Neque profundum in quo aliquis minaretur demersionem. Tale profundum alibi legimus, ut Psalm. 68. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*, & 2. Corinth. 11. *Nocte & die in profundo maris fui.* Addit tamen Aquinas etiam alias expositiones.

NEQUE CREATURA ALIA. Græcè, *Nec ulla creatura alia.* Universali clausula quicquid aliud dici posset, includit.

POTERIT NOS SEPARARE A CHARITATE DEI. Charitatem Dei intellige, vel eam qua nos Deum diligimus. Et tunc supplendum erit, finaliter, aut quid simile, vel potius eam qua nos Deus diligit; idque eo sensu quem superius dedimus, exponentes illud, *Quis ergo nos separabit à charitate Christi?* Significatur enim vis charitatis illius qua Deus electos suos complectitur, ad præstandum efficaciter ea quæ vult eis donare, & ad removenda contraria.

Vis charitatis divinæ erga suos electos.

Summa igitur est, tam potentem & efficacem, tamque certam & immutabilem esse Dei dilectionem, qua nos ad salutem vult provehere, ut nulla prorsus creatura nos ab ea divellere possit, faciendo ut ille nos desinat amare, aut certè ut illius amor suo frustretur effectu, id est, nostra salute. Hinc exsurgit certissimum dogma; neminem electorum posse perire.

Nemo electorum perire potest.

QUÆ EST IN CHRISTO JESU DOMINO NOSTRO. Id est, per Jesum Christum tanquam mediatorem & propiciatorem nostrum : qui nobis illam Dei charitatem merito suæ passionis & mortis conciliavit : eademque morte nos redemit. Qua ratione Dominus noster vocatur.

CAPUT IX.

Act 9. *a.* 2. 1. *Cor.* 15. *b.* 9. 1. VEritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto : 2. Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. 3. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. 4. Qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa : 5. Quorum patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen. 6. Non autem quòd exciderit verbum Dei, non enim omnes qui ex Israël sunt, ij sunt Israelitæ : 7. Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij; sed in Isaac vocabitur tibi semen : 8. Id est, filii non qui carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. 9. Promissionis enim verbum hoc est. Secundum hoc tempus veniam; & erit Saræ filius, 10. Non solùm autem illa : sed & Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri. 11. Cùm enim nondum nati fuissent, ut aliquid boni egissent, aut mali : (ut secundùm electionem propositum Dei maneret) 12. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei. 13. Quia major serviet minori sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. 14. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. 15. Moysi enim dicit : Miserebor cujus misereor : & misericordiam præstabo cujus miserebor. 16. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. 17. Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum exicitavi te, ut ostendam in te virtutem meam & ut annuncietur nomen meum in universa terra. 18. Ergo cujus vult miseretur, & quem vult, indurat. 19. Dicit itaque mihi : Quid adhuc quæritur? voluntati enim ejus quis resistit? 20. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit : Quid me fecisti sic? 21. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? 22. Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum. 23. Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. 24. Quos & vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiamex Gentibus, 25. Sicut in Osee dicit. Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam : & non misericordiam consecutam, misericordim consecutam. 26. Et erit : In loco ubi dictum est eis : Non plebs mea vos : ibi vocabuntur filij Dei vivi. 27. Isaias autem clamat pro Israël : Si fuerit numerus filiorum Israël tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. 28. Verbum enim consummans, & abbrevians in æquitate : quia verbum breviatum faciet Dominus super terram : 29. & sicut prædixit Isaias : Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus. 30. Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam : justitiam autem, quæ ex fide est. 31. Israel verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. 32. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus : offenderunt enim in lapidem offensionis. 33. sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur.

Exod 9. *d.* 16. *Sap.* 15. 7. *Psa.* 45. 9. *Jer.* 18. *a.* 6. *Isa.* 2. *d.* 23. 1. *Pet.* 2. *b.* 10. *Ose.* 1. *b.* 10. *Isa.* 10. *c.* 22. *Isa.* 1. *c.* 9 *Isa.* 8. *c.* 14. *& 28. d.* 26. 1. *Pet.* 2. *a.* 7.

SUMMARIUM.

Docet promissiones Judæorum patribus factas ob illorum ruinam non frustrari : sed impleri in spirituali Israële. Deum pro sua voluntate, & non ex operibus, alios eligere ad ostensionem suæ bonitatis, alios reprobare ad manifestationem justitiæ. Quo proinde referendum, quod gentes electæ sint ad fidem, Judæis reprobatis.

VERITATEM DICO IN CHRISTO, NON MENTIOR. Hactenus de electis, eorumque dignitate quam apud Deum habent disseruit Apostolus; nullo adhuc indicato discrimine Gentium & Judæorum. Nunc verò propius ad detegendum profundum Dei consilium accedens, de rejectione Judæorum & vocatione Gentium agere incipit : eaque occasione mox altissimam ingreditur disputationem

de cauſis electionis ac reprobationis divinæ. Quare non incommodè novi, id eſt quarti tomi hujus epiſtolæ initium hic facit Theodoritus. Porrò ne quicquam Apoſtolus odio ſuæ gentis quam infenſam habebat, dicere videatur, ideoque doctrina quam tradere inſtituit, ſuſpecta cuipiam habeatur; præfatione Judæorum animos præmollit, utens verbis ad teſtificandum ſui erga illos amoris magnitudinem vehementer accommodatis; idque non ſine juramento: mox & ea ordine commemoraturus, quæ ad illius gentis prærogativam ſpectarent. *Veritatem*, inquit, *dico in Chriſto, non mentior*, id eſt: Ne quis mentiri me ſuſpicetur, rem veram ſincerè & ex animo loquor: idque per Chriſtum, ſeu Chriſto teſte. Juramentum enim hic agnoſcunt interpretes: ut & in ſequentibus.

TESTIMONIUM MIHI PERHIBENTE CONSCIENTIA MEA. Græcè *συμμαρτυρούσης μοι*, &c. id eſt *conteſtificante, ſimul atteſtante mihi conſcientia mea.* Idem compoſitum verbum ſuprà cap. 2. & 8. *Senſus*: Ad id quod dico, teſtem mihi adduco & allego conſcientiam meam.

In Spiritu ſancto; id eſt per Spiritum ſanctum, ut ejuſdem conſcientiæ meæ teſtem: quomodo hoc intellexit Hieron. *in epiſt. ad Algaſ. quæſt. 9. & ad Hedibiam, quæſt. 10.* Porrò Græci Theophylactus & Oecumenius obſervant Apoſtolum tres adducere teſtes eorum quæ dicturus eſt: Chriſtum, ſuam ipſius conſcientiam, & Spiritum ſanctum: ut triplici teſtimonio, ac duplici juramento verba ſua confirmet: tametſi poteſt hoc, *in Spiritu ſancto*, ſic accipi, ut ea parte ſignificet Apoſtolus, conſcientiam ſuam quam teſtem adhibet, non errare, videlicet informatam & certificatam à Spiritu ſancto; quemadmodum id S. Thomas interpretatur. Hic locus, ut & alij ſimiles, oſtendunt ob juſtam neceſſitatem licitè & ſanctè Chriſtianum hominem jurare poſſe.

Juramentum licitum exemplo Pauli.

2. QUONIAM TRISTITIA MIHI MAGNA EST, ET CONTINUUS DOLOR CORDI MEO. *Quoniam* pro *quòd*. Exponit enim eam rem ſuper qua juramentum præmiſit, id eſt, triſtitiam ac dolorem ſuum de fratribus; ut conſequenter intelligas amorem erga eos. *Continuus*, Græcè *inceſſabilis*, & ὀδυνὼν non vulgarem ſignificat dolorem, ſed qualis eſt parturientium. Eraſmus *cruciatum* vertit. Cauſam doloris hic non addit. Hugo putat eam eſſe, *quòd priùs cum errantibus errans perſequebatur Eccleſiam.* Quidam alius cauſam ponit in eo quod ſequitur, *Optabam enim*, &c. quaſi diceret Apoſtolus: Tanti doloris & triſtitiæ meæ cauſa eſt, quod aliquando tam graviter in Chriſtum peccaverim, optans ab eo anathema eſſe pro fratribus meis Judæis. Sed hæc nihil ad contextum: poſterius etiam ineptum eſt. Vera doloris cauſa licet hîc non exprimatur, ſatis tamen intelligitur ex ſequentibus, ſcil. rejectio & cœcitas populi Judaici. Igitur hic dolor ex ingenti amore fratrum, id eſt, Judæorum naſcebatur. Quod declarant verba ſequentia.

Ἀνάθεμα & ἀνάθημα ſignificatione differunt.

3. OPTABAM ENIM EGO IPSE ANATHEMA ESSE A CHRISTO PRO FRATRIBUS MEIS. Notandum in Græco legi ἀνάθεμα, non ἀνάθημα. Quamvis enim hæc duo deriventur ab eodem verbo Græco ἀνατιθέναι, ſignificatione tamen diverſa ſunt, pro varia ſignificatione verbi. Interdum n. ſignificat reponere ſive ſeparare: Unde dicitur ἀνάθεμα, ſeparatio, & id quod ſeparatur. Interdum atttollere, ſuſpendere. Hinc ἀνάθημα, ſuſpenſio, & id quod ſuſpenſum eſt. Qua ratione donaria quæ templis conſecrabantur, ἀναθήματα Græcis dicta ſunt, ut pote ſuſpenſa in alto ex parietibus & columnis templorum. Quamquam & ad alias res Deo conſecratas, vel uſui miniſtrorum ejus deputatas, hoc vocabulum extenditur, non ſolùm apud profanos authores, verùm etiam apud Interpretes LXX. ut videre eſt Levit. ult. ubi in hac ſignificatione tertiò repetitur.

Hæc admonenda duxi, propter nonnullos etſi magnos authores, qui anathema hoc loco accipiunt in poſteriori ſignificatione, dicuntque Paulum hic optare, ut ſicut anathemata templis dicata amplius in uſus hominum non veniunt, ita ipſe à conſortio Chriſti & eccleſiæ fiat alienus. Sed hoc eſt voces & eorum ſignificata confundere. Nam ἀνάθεμα quod hic legitur, ſeparationem, ut dixi, propriè ſignificat. Uſurpatur autem in ſacris litteris pro re ſeparanda ab uſu hominum, non tamquam ſacra, ſed tamquam exſecrabili, quæ prorſus exterminanda ſit. Sed de hoc paulò pòſt plenius.

Quo ſenſu Paulus optarit eſſe anathema à Chriſto pro fratribus.

Nunc illud quærendum, quo pacto ſanctus Apoſtolus dicat optaſſe ſe ut eſſet anathema à Chriſto pro fratribus, cum nemini licitum ſit ullo caſu velle ſuam ſeparationem à Deo; nec ordo charitatis patiatur ut quis ſuam ſalutem poſtponat ſaluti aliorum. Cajetanus & alii quidam referunt hanc optationem ad tempus quo Paulus adhuc erat in Judaïſmo. Neque enim dicit opto, ſed *optabam*, ut ſit ſenſus: Ego aliquando in incredulitate & cœcitate mea volui me perdere pro fratribus meis; tunc ſcilicet quando Jeſu-Chriſti nomen omni ſtudio perſequebar, optans potiùs tamquam anathema ab eo ſeparari, quam Judaïſmum, quem cum fratribus tenebam, relinquere.

Sed improbabilis eſt hic ſenſus: tum quia Saulus Jeſum Nazarenum perſequens Chriſtum eum eſſe negabat, ideoque verè non optabat à Chriſto ſeparationem; quomodo verè & propriè non dicitur optare miſeriam, qui expetit carnis voluptates, licet miſeros reddant homines. Deinde quia præſentem affectum erga Judæos benè probaret Paulus ex affectu quem olim erga eos habuiſſet: ut qui dicere poſſent eum cum religione etiam affectum mutaſſe.

Proinde rectiùs alii hæc verba referunt ad tempus quo jam Chriſtianus erat, Judaïſmo derelicto. Verùm hi quoque variant. Nonnulli enim ſic intelligunt. Aliquando præ vehementia amoris, inordinati tamen, ut pote minus adhuc inſtitutus in doctrina Chriſtiana, optabam ipſe ſeparari & alienus eſſe à Chriſto Jeſu & ſalute quæ per Chriſtum eſt, dummodo fratres mei Judæi ſalvi fierent.

At certè non eſt veriſimile Paulum ex quo credidit in Chriſtum, ita malè inſtitutum fuiſſe, ut putaret ſe abſolutè poſſe tale quid optare pro aliorum ſalute: tametſi optationem hujuſmodi licitam & laudabilem cenſet Hugo Victorinus: Quod nobis non videtur: quia mea ſeparatio ſeu alienatio à Chriſto, non eſt, nec eſſe poteſt ordinabile medium ad ſalutem aliorum: ideoque nec ad eum finem optabilis eſt.

Porrò S. Hieronym. *in epiſt. ad Algaſiam quæſt. 9. & in comment. ſuper Zachar.* 14. anathema interpretatur eum qui per mortem corporalem ſeparatur ab hominum conſortio: quomodo & Chriſtus dicitur factus maledictum, quia ignominioſa morte corporis affectus eſt. Itaque ſentit Apoſtolum dicere quod optaverit ſanguinem ſuum fundere & animam ponere pro ſalute fratrum; quod quidem maximæ charitatis indicium eſt, dicente Domino: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, Joan. 15.

Sed huic intellectui reſiſtit addita particula *à Chriſto*. Qui enim martyrium ſubit pro fratribus, non fit anathema à Chriſto, ſed magis ei conjungitur, juxta illud ejuſdem Apoſtoli; *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, Philip. *Deinde* non diceret *optabam*, ſed opto; præſertim quia non tam præteritum affectum quam præſentem declarare volebat, & ardor ſubeundi martyrii pro fratribus, non in eo refrixerat, quando hæc ſcribebat, ſed cum charitate magis in dies auctus fuerat. *Denique* nihil ſingulare juxta hunc ſenſum diceret Paulus, qui pro omnium ſalute mortem ſubire erat paratiſſimus. Quo argumento Chryſoſtomus eam expoſitionem oppugnat. Alii alios ſenſus huc

adferunt, quos videre est apud Toletum.

Sententia maximè probabilis.

Nobis maximè probatur eorum expositio, qui hunc sensum faciunt; Optarem ego ipse, si liceret, & si fieri posset, esse anathema à Christo, id est, separatus & alienus à Christo, pro fratribus meis Judæis. Hæc ipsius Chrysostomi sententia est; quam Theophylactus, & Photij verbis Oecumenius satis clarè explicant: quæ & aliis multis probatur. Secundùm quos verbum *optabam*, quod Græcè est ηὐχόμην, non ad præteritum tempus refertur: sed positum est pro *optarim*, ut sit potentiale verbum. Sic enim apud Græcos interdum sumitur præteritum imperfectum etiam non addita consueta vocula ἄν, quam hîc subintelligunt authores memorati. Neque enim hîc commodè addi potuit: non quidem ante verbum initio sententiæ, cum sit postpositiva particula, sicut γὰρ *enim*, neque post verbum ob concursum alterius similis particulæ; si quidem durè sonat ηὐχόμην ἂν γάρ. Idcircò omitti debuit. Non dissimilis est usus præteriti imperfecti, 2. Cor. 11. ὄφελον ἀνείχεσθε, *utinam sustinebatis*, pro *sustineretis*. Sic & Latini interdum; ut Augustinus tract. 50. super Joannem: *Quando Lazaro inferebatis necem; numquid Domino auferebatis potestatem?* pro *inferretis, auferretis*.

Quid apud Paulum anathema.

Jam ut clarius fiat quid apud Paulum sit anathema, non hoc tantum loco, sed & alibi (nam & aliàs usurpat, ut 1. *Corinth.* 12. & 16. & *Gal.* 1. significatione non mutata) sciendum id à LXX. interpretibus, & consequenter ab Apostolis, dictum esse anathema, quod Hebræi vocant חרמה hharma; quod & Hieronymus in sua versione semel & iterum Græca voce exposuit, dicens, *horma id est anathema*, ut Num. 21. & Judicium 1. Descendit autem à radice חרם hharam, id est, *occidit, delevit, exterminavit*. Igitur Hebræis harmah dicebatur, vel homo vel res quæpiam, quæ cum exsecratione ita funditus delebatur, ut quoad fieri posset, nihil ejus reliquum maneret: quomodo jussu Dei destructa & deleta fuit civitas Jericho, *Josue 6.* & aliæ quædam urbes Chabes Chananæorum à filiis Israël cum voto hujusmodi exterminationis expugnatæ, *Num.* 21. Id igitur LXX. vocarunt anathema. Unde apud eosdem verbum ἀναθεματίζει, anathematizare, id est, rem aut personam anathema facere, disperdere, penitus abolere, ut eodem loco *Num.* & 4. *Reg.* 19. Item 1. Maccab. 5. ubi res explicatur his verbis: *Et anathematizavit eos, & incendit turres eorum igni cum omnibus qui in eis erant.*

Quid esse anathema à Christo.

Dixi quid sit anathema, si nihil addatur: nam cùm additur aliquid hujusmodi, à populo, ab ecclesia, *à Christo*, strictè exponendum est secundùm determinationem additam. Unde sicut à populo vel ab ecclesia quis fit anathema, quando ab ea velut membrum emortuum separatur, ut nihilo magis cum ea commune quid habeat, quàm si in rerum natura non esset: ita anathema à Christo Paulus eum intelligit, qui à Christi consortio & adoptione & gloria, ac cæteris de quibus egerat cap. superiori, rejectus est, tamquam ad Christum ampliùs omninò non pertinens.

Nota ad mores. Exemplum magnæ charitatis erga proximum in Apost. qui propriæ salutis jactura salutem Judæorum redimere paratus erat.

Itaque sensus Apostoli est: Quamvis tanta cum Christo & in Christo bona exspectemus, quanta dudum commemoravi; tamen ipse equidem optarem, si per legem & justitiam Dei liceret, omnibus illis privari, ut fratres mei Judæi eadem illa consequantur. Quæ profectò verba sunt immensi amoris erga fratres, eosque sibi inimicos.

Ab hoc sensu minimùm recedunt, qui dicunt Apostolum hyperbolico sermone voluisse significare magnitudinem sui amoris erga fratres Judæos. Quam sententiam præ cæteris probat Carthusianus, & satis commodè explicat.

QUI SUNT COGNATI MEI SECUNDUM CARNEM. In Græco casus non mutatur: *cognatis meis*, &c. Expositio est ejus quod dixit *pro fratribus meis*. Nam Græco nomine συγγενεῖς significantur qui sunt ejusdem generis. Unde & sequitur.

Israëlitarum nomen honorabile.

4. QUI SUNT ISRAELITÆ. Nomen Israëlitarum honorificum erat, videlicet patronymicum ab Israël, nomine divinitus impositio patriarchæ ipsorum Jacob. Pergit deinde & alia commemorare spectantia ad illius populi dignitatem.

Quæ adoptio Judaïci populi.

QUORUM ADOPTIO EST FILIORUM. Cùm in Græco sit una composita dictio υἱοθεσία, id est, filiorum adoptio, rectiùs verbum *est* (quod in Græco non legitur, sed intelligitur (si præponas, dicendo: *Quorum est adoptio filiorum*, vel simpliciter *quorum est adoptio*. Siquidem adoptio ferè non est nisi filiorum. Cyprianus nudè legit, *quorum adoptio*: lib. 2. testim. cap. 6. Item August. *lib. contra Faustum cap. 3.*

Et sensus est: Quos Deus velut in filios adoptavit. Non tamen eam intelligit adoptionem, de qua locutus est cap. superiori, quæque novi testamenti filiis propria est. Dicuntur enim hæc de Judæis reprobis, quorum cœcitatem luget Paulus: Sed adoptionem significat, qua filios Israël, præteritis aliis gentibus, sibi in peculium Deus elegerat. Unde populum illum ut filium habuit ac fovit, multis ac præclaris in eum collocatis beneficiis: Imò filium suum nominavit, ut Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israël*; & iterùm *Dimitte filium meum, ut serviat mihi*, & Matth. 15. *Non est bonum sumere panem filiorum.*

Verùm hæc adoptio figura tantum erat & umbra quædam adoptionis illius excellentis in nova lege præstandæ per Christum naturalem Dei filium, *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Quamvis & in hac adoptione, secundùm promissiones patribus factas primo loco populus ille à Deo honoratus est; nam utique primitiæ fidelium ex illo populo fuerunt: Sed ut dixi, ea adoptio non est hujus loci.

Gloria populi Judaïci.

ET GLORIA. Supple ex præcedenti parte; quorum est gloria, scilicet præ cæteris gentibus: *Non* enim *fecit taliter omni nationi*, Psalm. 147. idque sive legem spectes à Deo datam; unde sequitur in eodem Psalmi versiculo, *& judicia sua non manifestavit eis*: sive admiranda Dei opera per Moysen & alios in illo populo exhibita, sive prophetias, sive promissiones, sive protectionem singularem. Qua de re Psalm. 125. *Tunc dicent inter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis.* Hæc igitur omnia populum illum inter omnes gentes reddiderunt valde glorioſum & celebrem.

Sunt qui gloriam interpretentur arcam testamenti, quæ gloria Domini, & absolutè gloria dicebatur, quod Dei personam in populo habitantem repræsentaret. Unde 1. *Reg.* 4. quùm capta esset arca Domini, dictum est, *Translata est gloria ab Israël.* Sed hic sensus contractior est, & vel hac ratione minus acceptabilis, quòd jam inde à tempore transmigrationis Babylonicæ, desiisset esse in illo populo arca Domini, 2. *Machab.* 2. Neque enim ulla historia prodit eam restitutam aliquando fuisse.

Testamentorum nomine quid significetur.

ET TESTAMENTUM. Græcè & Syriacè *Testamenta*, plurali numero: quemadmodum & legunt Hieron. *quæst. 9. ad Algas.* & August. *lib.* 12. *contra Faustum c.* 3. Item commentatores Ambrosiaster, Sedulius, Primasius, Hervæus. Meminit etiam Haimo & exponit: eamdemque lectionem exhibent codices quidam pervetusti. *Testamenta*, id est, pacta, fœdera. Quæ multi Hieronymum & Augustinum locis citatis secuti, interpretantur duo Testamenta, vetus & novum: de quibus *Jerem.* 31. maximè quod ea Paulus ipse expressè ferit *Gal.* 4. & repetat *Heb.* 8. Quæ eadem significata putant in Epistola ad Ephes. cap. 2. quum eos vocat *hospites Testamentorum.*

Sed quia novum Testamentum non pertinet ad populum carnalem Judæorum de quo hîc sermo est, sed ad spirituale semen Abrahæ; propterea verisimilius est intelligi pacta particularia cum patribus eorum inita, sub generali nomine veteris Testamen-

ti comprehenſa : velut de terra promiſſionis ; ac terrena proſperitate, & adverſus hoſtes victoria, de ſacerdotio, de regno. Quæ omnia Græco vocabulo ab interpretibus LXX. uſurpato, διαθήκαι, id eſt, *teſtamenta* vocantur. De cujus tamen ſignificatione & uſu quem habet in ſcripturis ; opportunior erit dicendi locus in *expoſitione Epiſt. ad Hebr cap. 9.*

Sunt qui Teſtamenta exponant hoc loco duas tabulas Teſtamenti, in quibus decalogi præcepta digito Dei ſcripta fuerunt. Verùm Scriptura nuſquam tabulas illas teſtamenta ſeu fœdera vocat, ſed tantùm tabulas teſtamenti ſeu fœderis, ſeu pacti ; eo quod lex in illis ſcripta, pacto interveniente data eſſet à Deo. Deinde tabulæ legis ſatis continentur in quod ſequitur.

Legiſlatio totam legem Moſaïcam complectitur.

ET LEGISLATIO. Hoc eſt, quibus lex à Deo lata fuit. Grandis enim & ſingularis prærogativa, legem habere non ab homine, ſed à Deo latam, & per hoc Deum ipſum habere legiſlatorem. Intelligit autem univerſam legem quæ per Moyſen data eſt, non partem ejus aliquam, uti viſum eſt nonnullis, qui de ſola lege judiciali partem hanc interpretantur ; ea ratione moti quod lex decalogi ſignificata fuerit per teſtamenta (quem commentarium jam improbavimus) lex autem cæremonialis ſignificetur parte ſequenti. Quod nec ipſum verum eſt. Aliud enim eſt lex aliqua ; aliud & quidem amplius, res ipſa lege præcepta ; cujuſmodi eſt quod ſequitur.

Veri Dei cultus olim in ſolo populo Judaïco.

ET OBSEQUIUM. Græcè λατρεία ; id eſt, cultus ſacer ac divinus lege ceremoniali præſcriptus Nam Deus in illo populo cultum ſuum cum ſacrificiis ac cæteris cæremoniis inſtituit atque conſtituit. Quod non fecit in ulla alia gente. Hieronymus in Epiſtola ad Algaſiam *cultum* legit : Cyprianus *famulatum*. Noſter *obſequium* vertere ſolet, ut infrà cap. 12. *Rationabile obſequium veſtrum*. Et Joan. 16. *Arbitratur obſequium ſe præſtare Deo*. Quamquam & alias voces Græcas alibi vertit in *obſequium*, ut διακονίαν, id eſt *miniſterium*, infrà cap. 15. & ὑπακοὴν, *obedientiam*, 2. Cor. 10. & λειτουργίαν Philip. 2. ſemel & iterùm ; ubi nunc oblationem, nunc miniſterium publicum ſignificat. Ita quatuor Græcas voces, eaſque diverſæ ſignificationis, reddidit interpres vulgatus uno vocabulo obſequii.

Obſequium variè acceptum in vulgata verſione.

ET PROMISSA. Græcè ἐπαγγελίαι, *promiſſiones*. Et ſenſus : quibus ſeu cui populo factæ ſunt à Deo promiſſiones. Magnum enim eſt habere Deum promiſſorem. *Sed quæritur*, quæ promiſſiones ? Quidam eas cum teſtamentis confundunt. Verùm probabilius eſt ea diſtingui, ut teſtamenta ſeu pacta ſint quæ ſolemnibus verbis & ſtipulatione fiunt ; qualia legunt *Gen.* 15. & 17. *Exod.* 24. 4. *Reg.* 11. & 23. & *Jerem.* 24. Promiſſiones verò quæ nihil tale adjunctum habent : cujuſmodi multæ paſſim occurrunt.

Promiſſiones à teſtamentis diſtinguntur.

5. QUORUM PATRES. Subaudi, ſunt, id eſt, qui primogenitores habent ſanctos Patriarchas Abraham, Iſaac & Jacob. Hos enim per antonomaſiam patres nuncupat Scriptura.

ET EX QUIBUS EST CHRISTUS SECUNDUM CARNEM. *Et* particula malè ſublata à quibuſdam. Legitur enim in Græcis & in Latinis ferè omnibus, nec non apud veteres ſcriptores & interpretes, Irenæum *lib.* 3. *cap.* 18. Hilarium *de Trin. lib.* 8. Hieron. ſcribentem *ad Algaſiam*. Auguſtin. *lib.* 2. *de Trinit. cap.* 13. commentatorem Ambr. & cæteros. Proinde non eſt ſenſus : ex quibus patribus ; ſed, ex quibus Iſraëlitis ortus eſt Chriſtus *ſecundùm carnem*. Græcè τὸ κατὰ σάρκα *quantum ad carnem attinet*.

Chriſtus ex Judæis ortus.

Sentit populum Judaïcum præter alia jam commemorata, ſic à Deo fuiſſe honoratum, ut ex eo Meſſiam, id eſt, Chriſtum promiſſum incarnari & naſci voluerit. Qua ratione & Simeon ille juſtus Chriſtum vocat gloriam plebis ſuæ Iſraël *Luc.* 2. Hujus porrò beneficii magnitudinem auget in immenſum perſonæ Chriſti dignitas ; de qua ſequitur.

QUI EST SUPER OMNIA DEUS BENEDICTUS IN SECULA. AMEN. *Super omnia* Græcè ἐπὶ πάντων, quod verti etiam poteſt *in omnibus*, ut fecit Eraſmus ; aut *per omnia*, ut citat Tertulianus adverſus Praxeam cap. 15. Quamquam idem cap. 13. ejuſdem libri legit *ſuper omnia* : quemadmodum & Novatianus *lib. de Trinit. cap.* 13. & 30. & Ambroſius *lib.* 1. *de Spiritu ſancto cap.* 3. Item Hilarius & Hieronymus antè citati, ſuffragante etiam Syriaca verſione. Quod procul dubio rectiùs ſe habet. Atque eo modo vertit ipſe Eraſmus *Epheſ.* 4. ubi præpoſitionibus hæc tria diſtinguuntur, *ſuper omnia, per omnia* & *in omnibus*. Potuit etiam verti, *ſuper omnes* : ſicut ibidem à vulgato interprete redditum eſt, quemadmodum & hic locus legitur apud Auguſtinum *prop.* 59. & ab Irenæo citatur *lib.* 3. *cap.* 18.

Chriſtus ſuper omnia Deus benedictus.

Sed ut generalius, ita melius eſt, *ſuper omnia* : ſive referatur ad Deum, ſive ad benedictum : id eſt, ſive intelligatur Deus ſuper omnia, ſicut Hilarius accepit ; ſive benedictus ſuper omnia. Quod utrumque in eamdem ſententiam redit. Nam ſolus ille qui eſt ſuper omnia Deus, ſuper omnia benedictus eſt, & contra. Itaque locus hic, ut obſervant omnes ferè orthodoxi commentatores, apertiſſimè deſtruit hæreſim Arianam, quæ filium etſi Deum negare non audeat, Patre tamen minorem facit ſecundùm naturam ab eo acceptam. *Benedictus in ſæcula*, id eſt, laudibus celebrandus in omnem æternitatem, ſive, ut Tertulianus, *in omne ævum*. Addit, *Amen*, pro confirmatione rei tantæ quam dixerat. De qua voce Hebræa, vide quæ diximus ſuprà cap. 1.

Obſerva hunc locum contra hæreſim Arianam.

6. NON AUTEM QUOD EXCIDERIT VERBUM DEI. Græcè οὐχ οἷον δὲ ὅτι, id ita ſonat, *non quale autem quod*, &c. poteſtque ſic exponi : Quod dixi me vehementer dolere conditionem fratrum meorum Iſraëlitarum velut reprobatorum à Deo, non tale eſt ut exiſtimem aut dicere velim, propter eorum incredulitatem & reprobationem excidiſſe verbum Dei.

Quidam putant hoc modo vertendum : *Fieri tamen non poteſt ut exciderit* &c. Quibus non aſſentior. Non enim hic legitur οἷονπερ, quod Græcis uſurpatur pro poſſibili ; ſed ſimpliciter οἷον, quod eum uſum non habet niſi petrarum : nec uſquam, ut arbitror, in ſacris litteris. Alii rectius, *Non autem velut exciderit*. Quod probat Eraſmus in annotationibus.

Noſter interpres videtur οἷον accepiſſe tamquam expletivum, & ornatus aut euphoniæ tantùm gratia additum, cujus proinde in transferendo rationem non habuerit. Quod & ab aliis quibuſdam factum video, ut planus *ſenſus ſit* : Non hæc eò dicuntur à me, quòd ſentiam excidiſſe verbum Dei, id eſt, irritas factas eſſe Dei promiſſiones & pacta. Non tamen hîc reſpicit ad promiſſiones & pacta de quibus ſuperiùs, pertinentia ad carnalem Iſraël : ſed promiſſiones ſignificat novi Teſtamenti implendas in Iſraële ſpirituali & in ſpirituali ſemine Abrahæ, per Iſaac promiſſionis filium præfigurato : ſicuti conſequenter declarat.

NON ENIM OMNES QUI EX ISRAEL SUNT, II SUNT ISRAELITÆ. Græcè : *Non enim omnes qui ex Iſraël, hi Iſraël*. Supplendum autem verbum *ſunt*, tam in fine quàm in medio. Et ſenſus eſt : Non enim omnes qui ex Iſraël Patriarcha ſecundùm carnem orti ſunt, ii ſunt Iſraël ſive Iſraëlitæ, de quibus Scriptura loquitur in illis promiſſionibus, quæ pertinent ad novum Teſtamentum. Hoc eſt, promiſſiones Iſraëli factæ non ſpectant ad omnes carnaliter ex Iſraële progenitos.

Iſraelitæ.

7. NEQUE QUI SEMEN SUNT ABRAHÆ OMNES FILII. In Græco & Syriaco non *qui*, ſed *quia* legitur, aſtipulantibus etiam vetuſtis commentatoribus Latinis, Amb. Primaſio & Sedulio, deinde Hervæo

denique mss. codicibus permultis ; ut facilè mihi persuadeam ita fuisse scriptum ab interprete.

Filij Abrahæ.

Sensu : Nec ideò quia secundùm carnem nati sunt ex Abraham, censendi sunt omnes ejus filii secundùm mentem Scripturæ loquentis de filiis Abraham, ubi de promissionibus agitur. Hac enim ratione etiam Ismael & Esau cum universa sua posteritate, censerentur inter filios Abrahæ, & promissionum deberent esse participes. Quod utique tu Judæe non admiseris. Quidam illud, *omnes filii*, supplent, non Abrahæ, sed Dei ; eò quod mox sequatur : *non qui filii carnis, hi filii Dei*. Verum id non arguit sensum, sed sensus consequentiam. Nam Apostolo omnes filii Abrahæ etiam filii Dei sunt.

SED IN ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN. Subaudi dictum est ad Abraham, scilicet Gen. 21. Quidam *in Isaac* exponunt, *per Isaac*, ut significetur semen ex Isaac propagandum. Alii ipsum Isaac intelligunt vocari semen, sermone transitivo : sed res eodem redit.

Semen Abrahæ.

Nam sensus est : Solum genus Isaac filii tui (à quo genere ipse Isaac non excluditur) erit & vocabitur semen tuum, in quo complebo promissiones tibi pro semine tuo factas. Hoc autem exponit secundùm allegoriam verbis sequentibus.

8. ID EST : NON QUI FILII CARNIS, HI FILII DEI, SED QUI FILII SUNT PROMISSIONIS, ÆSTIMANTUR IN SEMINE. Græcè, εἰς σπέρμα, *in semen*, quemadmodum & Ambr. legit. Sensus est: Illa Dei promissio ad Abraham facta, qua sic discrevit inter ejus filios, ut Ismaele posthabito atque rejecto, solam posteritatem Isaac vellet vocari semen ejus ; dicendo, *In Isaac tibi semen vocabitur* : allegoricè nobis significat non habendos esse filios Dei, nec reputandos pro vero semine Abrahæ eos omnes aut solos, qui secundùm carnem ex Abraham orti sunt, sed *qui filii sunt promissionis*, id est, qui regenerati sunt secundum spiritum per gratiam fidei, idque juxta promissionem divinam Abrahæ factam, qua dictum est : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Genes. 22. sive illi carnaliter ex Abraham fuerint progeniti, sive non. Fundatur hæc allegoria in eo quod idem Apostolus dicit ad Galat. 4. Ismaël *secundùm carnem natus* fuit, Isaac *secundum spiritum*, id est, ille sola virtute naturali, iste verò non sine prævio miraculo naturæ facultatem excedente ex matre sterili divinitus fœcundata, videlicet juxta promissionem de qua sequitur.

Filij promissionis.

9. PROMISSIONIS ENIM VERBUM HOC EST. Dictum ac secundò repetium ad Abraham, *Genes.* 18.

SECUNDUM HOC TEMPUS VENIAM, ET ERIT SARÆ FILIUS. Verba sunt angeli in persona Dei loquentis ad Abraham, sumpta verò ex versione LXX. interpretum. Hebræa paulò obscuriora sunt, eumdem tamen sensum volunt, istum videlicet : Hoc eodem tempore post annum revolutum, quando reversus veniam ad te, Sara conjux tua, quamquam sterilis & vetula, filium habebit.

10. NON SOLUM AUTEM ILLA, SED ET REBECCA EX UNO CONCUBITU HABENS ISAAC PATRIS NOSTRI. Græcè ad verbum, *Non solum autem, sed & Rebecca ex uno concubitum habens Isaac patris nostri*, seu potiùs, *Isaac patre nostro*. Ad quem modum vertisse nostrum interpretem satis est verisimile. Nam quod ad priorem partem attinet, solet eam sicut in Græco est reddere, nullo addito, *Non solùm autem* : ut suprà cap. 5. semel & iterùm ac rursum 2. Cor. 8. Sic & mss. quædam habent hoc loco, & concordantiæ. Quamquam & hîc potuit addidisse de suo pronomen *illa*, sicut fecit in capite proximè præcedenti : *Non solùm autem illa, sed & nos ipsi*, &c. Nec prætermittendum quod in quibusdam mss. pro *illa* legitur illi, dativo casu, videlicet Saræ. Hoc enim præcessit.

Jam quod ad reliqua spectat ; non pauci codices, suffragantibus iterùm concordantiis, pro genitivis ablativos habent, *patre nostro*. Cæterùm proclive fuit librariis, ut *concubitum* mutarent in *concubitu* propter casum præcedentem *ex uno*. Certè ex Græco propter diversitatem casus simul & generis, omnino verti non potest, *ex uno concubitu habens*. Sic enim legitur, ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχοντα ; quod propriè vertas, *ex uno cubile* sive *torum habens*. Est enim eadem dictio quæ infrà cap. 13. *non in cubilibus* : & Heb, 13. *torus immaculatus*. Sed hîc per tropum accipitur pro concubitu vel conceptu.

Significatio Græci vocabuli κοίτη.

Est autem tota oratio imperfecta, quia verbo caret : ideoque supplenda. Quidam supplent & exponunt hoc modo : Non solùm autem in duobus filiis Abrahæ, quorum alter ex promissione natus est, alter secundùm carnem, exhibita nobis est figura eorum qui futuri essent filii Dei, & qui ab ea dignitate extranei ; verùm etiam Rebecca ex uno Isaac patre nostro conceptis duobus filiis, ejusdem rei typum ac significationem mysticam nobis exhibuit.

Alii suppleri putant textui congruentiùs, ad hunc modum : Non solùm Abrahæ dictum est quod pertineat ad mysterium electionis ac reprobationis divinæ, videlicet illud, *in Isaac vocabitur tibi semen*, id est, in filio promissionis : Verùm etiam Rebecca duos filios ex Isaac patre nostro conceptos adhuc utero gestans, accepit divinum responsum ; quo idem mysterium significaretur : Nam, ut sequitur, *dictum est ei : quia major serviet minori*. Indicant hoc modo supplendam Pauli sententiam Irenæus *lib.* 4. *c.* 38. & August. *in epist.* 105. *ad Sixtum*.

Porrò non meminit hîc promissionis Apostolus, sicut in exemplo superiori : Nam Rebeccæ filios promissio non discernebat, ut pote ex eodem patre qui filius fuerat promissionis, ac matre sterili, genitos, eodemque partu effusos ; ut si promissio præcessisset eorum conceptum (quæ nulla legitur in Genesi) fuisset utrique communis. Sed urget indiscretam æqualitatem duorum quoad originem ; quorum tamen alter dilectus sit à Deo, alter odio habitus : ut hac ratione commendet gratiam electionis ac prædestinationis divinæ. Quod enim ad prius exemplum attinet, excipere potuissent Judæi, meritò rejectum fuisse Ismaëlem, quòd ex ancilla natus esset. Tale quid autem de Esau dicere non poterant ; ut qui totam originem, ut dixi, cum fratre suo Jacob habuerit communem ; nisi quòd ipse prior natus fuerit ; ut hac ratione præferendus fratri potiùs videretur. Historia est. *Genes.* 25.

11. CUM ENIM NONDUM NATI FUISSENT, AUT ALIQUID BONI EGISSENT AUT MALI. Quod hujus loco legitur apud Augustinũ in expositione propositionum : *Nondum enim nascentium neque agentium aliquid boni aut mali*, interpretis inscitia est, quo tunc usus fuit Augustinus. Debuit enim genitivos, qui in Græco sunt aoristi absolutè positi, reddere, quomodo noster vertit. Non dissimilis lapsus cap. 2. *cogitationum accusantium aut etiam defendentium*. Quæ verò ibidem *proposit.* 60. *& duabus seq.* ab Augustino dicuntur de electione hominum, non quidem ex operibus, sed tamen ex fide prævisa, tamquam fides ipsa sub electionis beneficio non comprehendatur : quoniam ab authore non solùm *in retract. lib.* 1. *cap.* 23. verùm multis etiam aliis in locis correctum est, ostendunt ipsam etiam fidem esse donum Dei : non est quòd talia nos hîc remorentur ; præsertim cùm facile sit ea ex hoc ipso loco refellere. Dicens enim Apostolus de pueris ; *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent*, & cætera, manifestè etiam fidem ab eis excludit. Non magis enim credere poterant pueri nondum nati, quàm aliud quicquam boni facere. Et rursum cum ait : *Non ex operibus, sed ex vocante* ; non opera distinguit à fide, sed ea vocationi opponit, ei nimirum quæ est secundùm propositum. Alioqui dicendum erat : non ex operibus, sed ex fide.

Retractat Augustinus erroneam de prædestinatione sententiam.

Porrò ſenſus hujus partis eſt : Cùm nondùm eſſent in lucem editi, licet jam in utero concepti, nec proinde quicquam boni malive egiſſent, adeoque nec per ætatem agere potuiſſent, cujus boni vel mali merito alter eligeretur, ut fieret dominus fratris ſui ; alter reprobaretur, ut fratri ſerviret. Nam quòd colluctati fuiſſe leguntur in utero materno: quia ſine rationis uſu erat illa ſeu lucta ſeu pugna, nec in bonum nec in malum imputari poterat.

Origenis dogma refellitur.

Deſtruit hic locus Origenis dogma, quo docuit animas in cœlo quondam peccaſſe ; eaque cauſa pro modo meritorum, partim globis cœleſtibus alligatas, partim in hæc terrena corpora velut ergaſtula relegatas eſſe.

(Ut secundum electionem propositum Dei maneret.) Ex Græco clariùs: *Ut quod eſt ſecundùm electionem Dei propoſitum, maneret.* Itaque genitivus *Dei* inter *electionem* & *propoſitum* collocatus, ad utrumlibet referri poteſt, tametſi ſenſu non variato. Noſter interpres ad *propoſitum* retulit: quod arbitror convenientius.

Duplex hujus loci expoſitio.

Exponitur autem hæc pars bifariam. *Uno modo*; ut propoſitum, quo ſecundum electionem gratuitam & non ex meritis Deus conſtituerat Jacob honorare, ſubjiciendo fratrem ipſius ſervituti, maneret, hoc eſt, firmum ac ſtabile eſſet. *Altero modo*; ut myſticè ſignificaretur Dei propoſitum, quo aliquos prædeſtinavit ad vitam æternam ex ſola & gratuita ipſius electione, & abſque ullo meritorum reſpectu, firmum eſſet atque immobile.

Hic poſterior ſenſus probabilior eſt, propterea quòd Apoſtolo propoſitum Dei paſſim ſignificet voluntatem Dei prædeſtinantis homines ad vitam æternam. Et juxta hunc ſenſum, iſta parentheſi figuram applicat Apoſtolus ad rem figuratam. Porrò mirum eſt etiam hoc loco Theodoritum (quod capite ſuperiore fecit) referre propoſitum ad homines. Sic enim ſcribit; *Cùm adhuc in utero gererentur, eorum differentiam prædixit. Prædixit autem cum eorum propoſitum præſciviſſet. Non eſt enim injuſta electio, ſed quæ hominum propoſito convenit.* Hæc ille; planè contra mentem & inſtitutum Apoſtoli.

Propoſitum non ſignificat præſcientiam.

Sed nec illi rectè, qui propoſitum ad Deum referentes, præſcientiam interpretantur; ut alii ex Græcis intellexiſſe videntur. Nuſquam enim propoſitum præſcientiam ſignificat; & hoc, ſi vellet Apoſtolus, non diceret propoſitum Dei ſecundùm electionem, ſed electionem ſecundùm ejus propoſitum, id eſt, præſcientiam. Orationem huc uſque ſuſpenſam abſoluit quod ſequitur.

12. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei ;

13. Quia major serviet minori. Oraculum integrum ſic habet: *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur: populuſque populum ſuperabit, & major ſerviet minori.* Ubi de populis apparet dictum eſſe, *major ſerviet minori.* Quod tamen Apoſtolus rectè de fratribus dictum aſſumit, quatenus in illis, ut oraculum ſignificat, erant duo populi.

Quomodo impletum, Major ſerviet minori.

Senſus : Non propter ulla bona opera Jacob, aut mala opera Eſaü, quæ, ut jam dictum eſt, nulla adhuc erant; ſed ex ſolo arbitrio Dei vocantis & eligentis Jacob præ Eſaü, dictum Rebeccæ Dominum conſulenti, quod major ſerviturus eſſet minori; & conſequenter minor, id eſt, Jacob dominium habiturus in majorem Eſaü. Quod quidem completum eſt non in ipſorum perſonis, ſed, ut oraculi verba declarant in populis qui ex illis orti ſunt. Completum, inquam, tempore Davidis, qui Idumæos, id eſt, populum ex Eſaü genitum, ſibi ac populo Iſraëlitico fecit tributarios, 2. *Reg.* 8. Spiritualiter autem impletur in electis ac reprobis, quia quicquid à reprobis aut circa reprobos agitur, id totum ſervit ac proficit ſaluti & felicitati electorum. Omnia enim propter electos, 2. *Timotth.* 2. Qua de re locus eſt inſignis apud Auguſtinum *in epiſt.* 157. ad Optatum Epiſcopatum ſcripta.

Objectio diluitur.

Sed adverſus Apoſtoli probationem objiciet aliquis: Rectè quidem eum oſtendere, quod non ex operibus ſeu meritis præcedentibus dictum ſit, *quia major ſerviet minori*; eò quòd nondum nati nihil boni aut mali agere potuerint: non tamen abſolutè, quòd non ex operibus. Potuit enim id dictum eſſe propter opera futura, & à Deo prævisa. Laborat in hac objectione ſolvenda Toletus, difficultatem agnoſcens; nec omnino ſatisfacit. Equidem puto reſponderi poſſe, Paulum non intendere hanc conſequentiam: Dictum eſt *cum nondum nati eſſent*, ergo *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt*, &c. ſed tantum illud adferre pro ſigno iſtius; ut non tam ſit argumentatio, quàm divinæ mentis interpretatio; quaſi diceret: Idcircò Deus hujuſmodi reſponſum dare voluit matri, quùm pueri nondum nati eſſent, ut per hoc ſignificaret electionem alterius præ altero non eſſe ex operibus, ſed ex vocante.

Alia verborum Apoſtoli diſtinctio.

Quamquam ſciendum, verba Apoſtoli poſſe etiam aliter diſtingui; ut illud, *non ex operibus, ſed ex vocante*, pertineat ad præcedentem parentheſim, velut explicatio particulæ *ſecundùm electionem*, hoc nimirum ſenſu: ut propoſitum Dei quod eſt ſecundùm ipſius electionem, id eſt, non ex meritis, ſed ex vocante, firmum maneret: deinde ſequatur, *Dictum eſt ei*, &c. Quæ diſtinctio, quod & objectionem allatam diſſipet, & majorem lucem adferat toti ſententiæ, mihi non improbatur.

Cæterùm mentio fit in oraculo majoris & minoris fratris; ut dum minor majori præfertur, ampliùs per hoc commendetur gratia divinæ electionis: quùm alioqui major natu potiùs videretur attribuendus fuiſſe principatus & dominium in alterum.

Dei conſilium in electione & reprobatione hominum.

Atque ita ſanè frequenter ſeſe res habet in electione ac reprobatione divina, ut qui donis naturalibus & humano ſtudio cæteris antecellunt, velut olim philoſophi Gentiles, à Deo reprobati ſint; aſſumptis iis quibus natura & humana exercitatio minus contulit. Quod & Apoſtolus docet 1. Cor. 1. illis præſertim verbis: *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes*, &c. Sapienter eam rem in commendando gratiæ Dei beneficio attenderunt Patres, ut Auguſtinus *lib.* 1. *de peccat. mer. & remiſſ. cap.* 22. *& in fine lib.* 1. *ad Simp.* & Proſper. *lib.* 1. *de vocat. gent. cap.* 17. & in carmine *de ingrati cap.* 17. & 18.

Sicut scriptum est : Jacob dilexi ; Esau autem odio habui. Senſus eſt: Deum eo reſponſo quo dixit, *major ſerviet minori*, ſignificaſſe id quod multò pòſt ex ejus perſona ſcriptum eſt à Propheta Malachia capite primo, *Nonne*, inquit, *frater erat Eſau Jacob*; *& dilexi Jacob, Eſau autem odio habui?* quaſi dicat, etſi fratres eſſent germani ac gemini, eoque nomine pares, niſi quod Eſau ratione primogenituræ præponendus videretur: ego tamen *Jacob dilexi*, id eſt, volui ei in ſua poſteritate benefacere : Eſau autem odio habui, id eſt, poſthabui ac rejeci, nolens ſingularia in ejus poſteritatem beneficia conferre. Hic ſenſus eſt litteralis verborum Prophetæ. Quod liquet ex verbis ibidem ſequentibus, quibus proſequitur de Eſau : *Et poſui montes ejus in ſolitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deſerti*, , &c.

Neque electio hominum, neque reprobatio ex meritis.

Jam hinc colligendum relinquit Apoſtolus, argumento à figura ad rem in figura ac myſterio ſignificatam, neque electionem hominum ad æternam ſalutem, neque reprobationem eſſe ex ullis operum meritis; ſed Deum ex ſolo ſuæ voluntatis arbitrio, alios eligere ad ſalutem, alios autem reprobare; non quòd Deus aliquos damnare velit immerito : ſed quia ſicut totus effectus prædeſtinationis non cadit ſub merito, ita nec totus effectus reprobationis. Quod enim Deus

aliquos permittit cadere in peccatum, cujus merito posteà damnationem incurrant (quæ quidem permissio primus est reprobationis effectus) non potest esse ex eorum merito; quandoquidem primi peccati permissionem nullum antecedit peccatum, quo illam mereri possent.

Quis primus reprobationis effectus.

Ac sanè de electione seu prædestinatione quòd non sit ex meritis, clarum est ex Apostoli Pauli doctrina, variis in locis: præcipuè verò ex iis quæ disserit *hoc capite*: sicut ex sequentibus ampliùs patebit.

Utrum Apostolus in hac disputatione supponat massam corruptam.

De reprobatione verò non perinde omnes consentiunt. Quidam enim dicunt Apostolum in præsenti doctrina supponere massam humani generis infectam peccato originali: quam cùm totam Deus ob illius peccati meritum reprobare potuisset, ad solam referunt Dei voluntatem, quòd ex ea alios præ aliis gratuita sua bonitate seperandos, atque ad salutem perducendos elegerit, ut proinde electio quidem istorum non sit ex merito, cæterorum autem reprobatio sit ex merito peccati, quo tota massa ponitur infecta. Nec alio sensu fatentur aliquos reprobari sine meritis, quam quia nulla ratio est ex parte hominum, cur alij præ aliis reprobentur, atque in massa perditionis relinquantur; eò quòd peccatum sit omnibus commune. Pro qua doctrina adducunt authoritatem B. Augustini *libro* 1. *ad Simpl. quæst.* 2. *enchiridii* 98. *epist.* 105. atque alibi, docentis reprobationem Dei propterea non esse injustam, quia neminem reprobat nisi ex merito peccati.

Probatur reprobationem non esse ex meritis.

Verùm si diligenter expendantur ea quæ de electione & reprobatione tradit Apostolus *hoc cap.* prorsus apparebit ex ejus sententia, tam reprobationem quàm electionem absolutè non ex ullis esse prævisis meritis. Primùm enim in eo quod dicit, *cùm nihil egissent aut boni aut mali*, tam excludit actionem malam Esaü odio habiti, quàm actionem bonam Jacob dilecti: & consequenter excludendum relinquit tam malum meritum reprobationis, quam bonum meritum electionis. Nam alioqui tantummodo dicendum erat, *cùm nihil egissent boni*, si nempe solius vel dilectionis Jacob, vel electionis nostræ meritum excludere voluisset. Unde etiam liquet Apostolum non supponere in hac sua disputatione massam corruptam peccato. Hæc enim suppositio pugnat cum verbis Apostoli jam dictis.

Sed nec eam admittunt, aut reprobationem ex meritis intelligi sinunt, quæ deinceps sequuntur. Nam quæstioni quam statim sibi movet: *Numquid iniquitas apud Deum*? non respondet ideó non esse iniquitatem, quia tota massa peccato vatiata est, & omnes digni damnatione; ut gratiæ sit, inde quosdam eripere salvandos; justitiæ, cæteros omnes in ea relinquere damnandos: Sed ita respondet, ut tam horum reprobationem, quàm illorum electionem referat in solam Dei voluntatem; eo tandem dicto curiosum interrogatorem compescens. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo?*

Jam illud maximè, quod pro comparatione adfert de figulo, ex eadem massa luti faciente aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam, massæ corruptæ hypothesim excludit. Hîc enim profectò nihil in massa supponitur, nisi quòd sit indifferens & formabilis ad utrumque; qualem utique esse oportet, ut voluntati & usui serviat hominis figuli. Verùm hæc res tota plenius in sequentibus explicabitur.

Authores qui doceant reprobationem non esse ex meritis.

In hanc porrò sententiam acceperunt & interpretati sunt præsentem Apostoli de electione & reprobatione doctrinam Petrus Lombardus *lib.* 1. *sent. dist.* 41 §. *a & d.* nec non in *comm. hujus loci.* Hugo Victorinus *in hanc epist. quæst.* 233. & 235. S. Thomas *in comment. lect.* 3. & 4. *atque alibi.* Cajetanus tam in *comm. hujus loci*, quàm *primæ partis S. Thomæ quæst.* 23. Liranus in *hunc locum.* F. Titelmanus *in argum. hujus ad Rom. epist.* Pererius quoque *in disp.* 12. *hujus cap.* Denique scholastici doctores in Magistrum scribentes, adeò multi, ut fateatur Thomas Argentinensis, quamvis diversæ opinionis assertor, hanc sententiam esse communem, sicut eam quæ prædestinationem ex meritis negat.

Sed & Dominicus Sotus *in retractationibus* quas subjunxit operi suo in 4. *sent.* in hanc sententiam ut probabiliorem inclinatur, retractans quod in hujus loci commentario secus scripserat. Porrò Cor. Jansenius tractans illa verba Ecclesiastici 41. *Si nati fueritis, in maledictione nascemini*; sententiam hanc habuit ita certam, ut errorem vocet *eorum qui propter prævisa impiorum mala merita, asseruerunt quosdam à Deo reprobari.* Cæteros hujus sententiæ suffragatores, ne sim prolixior, omitto recensere, quorum complures citavimus ad *dist.* 41. *lib.* 1. *sent.* ubi quæstionem hanc de merito reprobationis satis operosè, Deo juvante, tractavimus. Inde & cætera ad hujus doctrinæ explicationem pertinentia petat qui volet: atque illud inter alia, quomodo sententia S. Augustini reipsa ab hac doctrina non discrepet, ut qui reprobationem non accipiat eodem prorsus modo, quo S. Thomas & alij Theologi jam allegati: qui tamen alioqui suam doctrinam ex Augustini scriptis, post Scripturam sacram, potissimùm stabiliunt.

S. Augustini sententia secundum rem à sententia S. Thomæ & aliorum haud diversa.

Dicet aliquis, reprobationem à Paulo vocari odium Dei: injustum autem videri si Deus aliquem odio habeat, nullis exsistentibus aut prævisis ejus meritis. *Responsio.* Paulus ipsam hominum reprobationem non vocat odium Dei, sed docere eam significatam per odium Dei, de quo scriptum est; *Esau odio habui.* Ex quo sequitur quidem, reprobationem divinam non malè vocari odium Dei, sicut eam Augustinus, Thomas, & alij interdum vocant; sed hoc nomen ex mente Apostoli jam declarata, debet exponi sensu negato non affirmato. Nam *in quantum* Deus *quibusdam non vult hoc bonum quod est vita æterna, dicitur eos odio habere*, ait Thomas 1. *parte quæst.* 23. *art.* 3. *ad* 1. Quod tamen non ita accipiendum, ac si odium tantùm significet negationem alicujus actus in Deo; sed sic intellige, Deum positivè nolle eis dare bonum memoratum, hoc est, velle non dare, ut negotio sit objecti, non actus.

Reprobatio cur odium Dei vocetur.

Alij dicunt, reprobationem rectè vocari odium Dei etiam affirmato sensu; non propter primum effectum, sed propter posteriores, maximè postremum, qui est æterna damnatio. Sed ea significatio odii non convenit huic loco. Sic enim odium esset ex operibus: quod de odio quo Deus odisse dicitur Esau (in quo fuit typus reproborum) negat hac disputatione Apostolus. Maneat igitur ea significatio odii quam diximus. Siquidem & alibi in Scripturis, odisse accipitur pro eo quod est posthabere, negligere, non curare, præ alio contemnere, ut Judic. 14. *Odisti me & non diligis.* Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Joan. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Et apud hunc Apostolum Ephes. 5. *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam.* Eamdem odii acceptiouem esse puto in illis verbis Matth. 6. *Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget.*

Odii significatio in Scripturis.

Alius quidam objicit, meritum odii seu reprobationis divinæ memoratis Prophetæ vel Apostoli verbis ab Esau nequaquam removeri: cùm idem Apostolus scribens ad *Hebræos* 12. reprobationem Esau disertè in mala ejus opera referat: *Ne quis*, inquit, *profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva. Scitote enim quoniam & posteà cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est.* Sed facilis est responsio, reprobatum dici eo loco, id est, rejectum & neglectum à patre Isaac, cùm ab eo benedictionem instantissimè flagitaret. Hoc enim ei accidit in pœnam præcedentis peccati, quia scilicet tam profanus fuisset,

Alia objectio refellitur.

ut pulmenti pretio venderet ſua primogenita. Hic verò negat eum Apoſtolus ex operibus odio habitum, id eſt, reprobatum à Deo; quia ut permitteretur incidere in peccata quibus tamdem mereretur à paterna benedictione excludi, nullum erat ejus meritum, haud magis quàm fratris ejus Jacob meritum fuit ullum, ut ſimile quid pateretur. Et ita ſanè in eo quod per typum ſignificatur, res ſe habet. Damnationem merentur reprobi peccatis præcedentibus: Qui tamen ſecundùm Apoſtolum reprobati ſunt non ex operibus, quia quòd permittantur cadere in peccata pro quibus damnantur, non eſt ex merito.

Utrum Eſau ſit de numero reproborum.

Notandum obiter, impertinens eſſe huic loco, an Eſau ſit reprobatus ea reprobatione de qua diſſerit Apoſtolus: atque adeò non videri improbabile, quod poſt depoſitum fraternum odium, de quo *Gen. 33.* in vera religione à parentibus accepta defunctus ſalutem adeptus ſit. Quod enim hîc dicitur Eſau odio habitus à Deo; id ex mente Prophetæ, de odio ſeu rejectione quoad prærogativam temporalis ac terrenæ felicitatis eſſe intelligendum, & non tam in ipſius Eſau perſona, quàm in ejus poſteritate completum fuiſſe, jam ſuperiùs oſtendimus.

Auguſtini de electione & reprobatione doctrina à quibuſdam oppugnata.

Non hîc omittam paucis adjicere, quemadmodum ſententia B. Auguſtini, diſcretionem electorum & reproborum ad ſolum Dei beneplacitum referentis, ut primùm per Eccleſias fuit divulgata, multos etiam catholicos offenderit ac turbarit, & à quibuſdam etiam oppugnata fuerit; non ſolùm ut dura & inhumana, verùm etiam ut pietati inimica: quòd per eam cura & ſtudium, vel à peccatis reſurgendi, vel in bono proficiendi videretur fidelibus ademptum. Qua de re exſtant epiſtolæ, quas ad ipſum Auguſtinum dederunt è Gallia duo Epiſcopi, Proſper Regienſis & Hilarius Arelatenſis.

Eam inſectatur Ambroſ. Catharinus.

Sed & noſtro ſæculo non defuerunt qui memoratam Auguſtini doctrinam ſcriptis carperent, nonnulli palàm etiam inſectarentur: quorum ferè princeps Ambroſius Catharinus *in hujus loci comm.* viginti quinque adverſus eam argumentis pugnat. Verùm ut benè de Catharino reſpondet B. Pererius in *ultima hujus cap. diſp.* ejus adverſus Auguſtinum objectiones non ſunt novæ, nec recenter ſive ab ipſo ſive ab aliis hujus temporis hominibus inventæ: ſed eædem cum illis quæ vivente etiam tum Auguſtino à Maſſilienſibus, aliiſque Gallis adverſus ipſum allatæ fuerunt.

Auguſtini doctrina adverſus contradictores ad ipſo defenſa, & à Proſpero propugnata.

Quæ tamen nihil eum moverunt, quò minùs ſententiam ſuam conſtanter tueretur, & perſeveranter teneret uſque ad mortem; neque ſcandala, ſi qua inde naſci videbantur, curanda putaret; optimè perſuaſus ſcandalorum metu non eſſe dimittendam ſanæ doctrinæ veritatem. Satis id docent duo ejus libri, *de prædeſt. ſanct. & de dono perſever. ad Proſperum & Hilarium* reſcripti: quibus etiam omnia Maſſilienſium argumenta, quæ in illorum epiſtolis continebantur, refellit.

Eamdem conſtanter tenuit S. Thomas.

Cujus deinde cauſam poſt ejus obitum B. Proſper ſuſcepit ac defendit: atque ad cætera, ſi qua nova ab adverſariis argumenta proferebantur, cum applauſu & approbatione ſanctorum Eccleſiæ Pontificum, variis opuſculis doctè reſpondit. *Beatus quoque Thomas*: ait Pererius, *iſtiuſmodi objectionibus & offenſionibus & ſcandalis nihil perturbatus aut motus eſt: nec ab Auguſtini ſententia deduci potuit.* Quin ipſemet Apoſtolus, qui tantopere cavebat, ne cui ſcandalum daret, hanc tamen doctrinam prædeſtinationis & reprobationis hominum, licet videret offenſioni & ſcandalo fore multis veritatis & divinæ Scripturæ ignaris, affirmativè & apertè tradere voluit iis ſententiis, quas deinceps audiemus.

14. QUID ERGO DICEMUS? NUMQUID INIQUITAS APUD DEUM? ABSIT. *Iniquitas*, Græcè ἀδικία, *injuſtitia*. Quæſtionem ex dictis ſibi facit Apoſtolus. Nam ſi Deus ſine prævisis operum meritis alios eligit, alios reprobat, injuſtus eſſe videtur; tum quia de æqualibus non æqualiter diſponit; tum quia reprobat aliquos immeritos. Atqui iniuſtitiam aſſcribere Deo impium eſt. Totam hanc objectionem repellit Apoſtolus teſtimonio Scripturæ ſubjuncto: ac directè quidem in electione Dei probat nihil eſſe injuſtitiæ; cæterùm ex conſequenti idem relinquit intelligendum de reprobatione; ut infrà videbimus.

15. MOYSI ENIM DICIT. Electionem, inquit, planè gratuitam & indebitam oſtendunt verba Dei ad Moyſen *Exod. 33.* Si autem indebita eſt electio; nulla igitur injuſtitia eſt apud Deum, quod non omnes eligat; quum in gratuitis atque indebitis locum habere non poſſit acceptio perſonarum, aut omninò iniqua diſtributio. Verba hæc ſunt.

In gratuitis locum non habet iniqua diſtributio.

MISEREBOR CUJUS MISEREOR; ET MISERICORDIAM PRÆSTABO CUJUS MISEREBOR. Græca pleniùs habent: *Miſerebor cujuſcumque miſereor, & miſerabor, quemcumque miſeror.* Leguntur hæc totidem verbis apud LXX. à quibus ea Paulus accepit. Nam in Hæbræo omnia futuri temporis ſunt verba. Sententiam verò Hieronymus interpres ita reddidit; *Miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Quæ verſio nobis eſt loco commentarii. Significat enim, Deum miſereri quibuſcumque voluerit, eligendo eos ad ſalutem ex ſolo beneplacito ſuæ voluntatis.

Utroque autem membro prorſus idem ſignificatur; ne quis fruſtrà laboret in quærendo diſcrimine inter verbum priori & poſteriori loco poſitum in quacumque lingua; quod facit Cajetanus, priori loco intelligens miſericordiam conferentem bona gratuita, poſteriori auferentem mala. Sed hoc fruſtra & ſine fundamento. Nec ſibi conſtat: quum in Exodum ſcribens, prius verbum exponat de interiore miſerationis affectu; poſterius de opere exteriori. Nobis dicere ſufficiat eſſe repetitionem inculcantis rem eamdem, pro majore ejus confirmatione. Quod in ſcripturis Phopheticis eſt frequens.

Inſignis Dei proprietas, gratuitum eſſe benefactorem.

Notandum eſt autem, Deum hæc verba dicentem ad Moyſen, exprimere voluiſſe ſuam quamdam inſignem proprietatem: quòd nimirum gratuitus ſit benefactor, qui nulla lege ad præſtanda beneficia ſit adſtrictus, ſed ea pro arbitrio tribuat quibus voluerit. Proinde, qui in hac parte exponenda miſcent prævisionem operum; ut commentator Ambr. & Pelagius, & ſi qui alii, facientes hunc ſenſum; Miſerebor ejus, quem dignum fore mea miſericordia prævidero, utpote ſecuturum meam vocationem, eique aſſenſurum: ii Paulum non ſolùm præter ipſius mentem & ſcopum, ſed etiam contra ſenſum verborum, quem liquidò præferunt, interpretantur.

Curſus metaphoricè quid ſignificet.

16. IGITUR NON VOLENTIS NEQUE CURRENTIS, SED MISERENTIS EST DEI. Velle ſignificat actum internum. In vocabulo curſus metaphora eſt, qua ſignificatur exterior actio ſeu converſatio, cum ſtudio & ſedulitate conjuncta. Unde ait 1. Cor. 9. *Sic curro non quaſi in incertum.* Et Gal. 3. *Benè currebatis.*

Porrò hujus loci variæ ſunt expoſitiones apud veteres: Una, qua dictum hoc accipitur ex perſona adverſarii, velut rem abſurdam inferentis ex Apoſtoli diſputatione; tamquam inde ſequatur inanem eſſe omnem noſtrum conatum, ſi Deus miſeretur cujuſcumque voluerit. Qua ratione etiam ſequentia uſque ad illud, *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* exiſtimant æquè dicta eſſe à Paulo, non in ſua, ſed contradicentis perſona. Ita Chryſoſtomus & apud Oecumenium Photius in hujus loci commentario: ac rurſum Chryſoſt. *hom. 12. in epiſt. ad Heb.* Item Hieron. *quæſt. 10. ad Hedibiam.* Meminit etiam Auguſt. *lib. de prædeſt. ſanct. cap. 7.* Verùm poſt exortam hæreſim Pelagii, cui patrocinari videbatur ejuſmodi interpretatio (nam ipſe Pelagius eam ſuis commentariis inſeruit) merito rejecta eſt & improba; præſertim cùm neque contextui verborùm Apoſtoli, niſi

admodum violentè, possit adaptari; nec scopo serviat Apostolicæ disputationis, sed magis repugnet.

Est igitur alter commentarius, quo accipiuntur quidem hæc verba dicta ex persona Apostoli, sed cum conclusione intellecta in duobus prioribus membris; hoc modo: Quod quis bonum velit & operetur, non est volentis tantùm, neque currentis tantùm, scilicet hominis, sed etiam Dei miserentis. Hunc quoque sensum adducit Chrysost. *locis memoratis*, ac post eum Oecum. Indicat etiam Hieron. *lib. 1. dial. adv. Pelag. cap. 2.* & clarè expressit Greg. Nazian. oratione 31. his verbis: *non volentis, id est, non solùm volentis, nec currentis solùm, sed etiam miserentis Dei.* Similiter ante hos Origenes *lib. 3. de principiis cap. 1.*

Qui sensus etsi verus sit, non tamen huic loco convenit. Non enim explicat ullo modo id quod Apostolus intendit. Nam simili supplemento converti posset sermo: Non est miserentis Dei, sed volentis & currentis hominis; quia nimirum opus bonum non solius est Dei, sed etiam humanæ voluntatis. Quo inter alia argumento justè rejicit hanc expositionem Aug. *compluribus locis. ut lib. 1. ad Simpl. quæst 2. ench. 32. lib. de grat. & lib. arb. cap. 7. & in epist. 107. ad Vit.* Eadem ratione etiam B. Thomas istum commentarium refellit, quod sermonem conversum, non est miserentis Dei, sed volentis & currentis, aures piæ non ferant.

Augustini expositio melior duabus præcedentibus.

Adfert autem Augustinus citatis jam locis hanc tertiam expositionem: Non est volentis ut velit, neque currentis ut currat; sed miserentis Dei, qui dat homini ipsum velle & currere, quasi dicat; Nec velle, nec operari quispiam habet à seipso, sed totum accipit à Deo misericorditer ipsum per gratiam suam prævenient. Quem sensum licet non apertè tradant Nazianz. Chrysost. & Hieron. constat tamen partim ex locis eorum citatis, partim ex aliis, ab hujus expositionis doctrina nequaquam eos recessisse. Quod quidem operosiùs probare, non est præsentis instituti.

Quamvis autem hæc Augustini interpretatio sententiam & doctrinam contineat per omnia catholicam; non tamen omni ex parte congruere videtur instituto & contextui Apostolico. Disputat enim Apostolus de electione divina, quam superiori testimonio Scripturæ rejecerat in solam Dei miserentis voluntatem; atque inde concludit dicens, *Igitur neque volentis*, &c, Quare non de causa boni operis intelligenda est hæc conclusio; sed de ipsa electione hominum ad salutem; quemadmodum bene inter alios intepretatur Cajetanus; ut sit sensus: Quod quis sit electus à Deo, non est ex merito bonæ voluntatis, neque ex merito boni operis seu conversationis præcedentis aut previsæ; sed ex solo ac libero beneplacito Dei miserentis.

Germana hujus loci interpretatio.

Ex qua etiam interpretatione liquet, quàm pravè detorqueant hanc sententiam hæretici contra liberum arbitrium. Non enim causam boni nostri operis, sed meritum divinæ electionis negat Apostolus constituendum in nostra voluntate ac nostro opere. Et alioqui, non solum libertas voluntatis, sed & ipsa voluntas destrueretur hoc argumento; quia dicitur, *non volentis.* Quod nec ipsi volunt adversarii. Interim vide lector quemadmodum sanctus Thomas *in suo comment.* doceat per hanc Apostoli sententiam liberum hominis arbitrium non excludi.

Observa contra Sectarios, libero hominis arbitrio nihil detrahi per hanc Pauli doctrinam.

17. Dicit enim scriptura Pharaoni. Quid hîc jam probare velit Apostolus haud facile apparet. existimant plerique eum quod de electione docuit, idem nunc ex alio Scripturæ testimonio docere de reprobatione; scilicet in Deo nullam posse notari injustitiam, dum aliquos odio habet seu reprobat absque illorum meritis. Sed quonam id docet argumento? Non enim sequitur; In hoc excitavit Deus Pharaonem, ut ostendat in eo virtutem suam, &c. ergo justè eum sine meritis reprobavit. Nam responderi posset, non sine malo suo merito Pharaonem à Deo excitatum fuisse: aut certè, si sine omni merito, non tamen justè factum ostendi ex eo solo, quia ad bonum finem ordinatum est. Nam ad bonos fines aliquando media mala & injusta assumuntur.

Deinde, si hîc probare vellet Apostolus alteram partem doctrinæ; non uteretur conjunctione causali, *dicit enim*, sed copulativa, *dicit etiam.* Id enim exigeret contextus sermonis.

Itaque potiùs dicendum quemadmodum superiùs indicavi, in priori testimonio, *Miserebor cujus misereor, &c.* contineri probationem utriusque, scilicet justæ electionis simul & justæ reprobationis: quamvis tam hæc quàm illa ad nulla respiciat merita ejus qui vel reprobatur vel eligitur. Etenim si nulla est Dei injustitia misericorditer ac gratuitò eligentis aliquos præ aliis, ubi nulla sunt merita, nulla quoque ejusdem erit injustitia alios non eligentis, sed permittere volentis ut in peccata labantur, quorum meritò sint æterna morte puniendi: quod est reprobare: quemadmodum luculentè docet S. Thomas 1. *par. quæst. 23. art. 3.* Consequitur ergo per necessariam illationem reprobatio sine meritis justa ex electione gratuita. Quare liquet ad utramque vindicandam ab injustitia, valere & sufficere scripturam allegatam.

Quid reprobare.

Quorsum ergo, dices, subnectit Apostolus alterum hoc testimonium de Pharaone? *Respondeo*: ut hoc exemplo doceat, quod pro arbitrio, ac sine cujusquam injuria facere Deus potest, non tamen id eum facere, nisi sapientissimè & cum ratione: dum videlicet illud ordinat ad finem manifestandæ suæ potentiæ, suique nominis celebrandi. Itaque tamquam quæreretur, quænam sit ratio cur ita faciat Deus, ex Scriptura rationem adfert. *Dicit enim*, inquit, *Scriptura Pharaoni*, id est, Scriptura narrat dictum esse Pharaoni, scilicet à Deo per Moysen, quando ille pertinaciter negabat se populum Dei dimissurum. Historia est *Exodi. 9.*

Sapientissimè & cum ratione, quamvis non ex meritis, Deus aliquos reprobat.

Quia in hoc ipsum excitavi te. In Hebræo *statui te, stare te feci;* vel ut Hieronymus vertit, *posui te*, pro quo LXX. transtulerunt: *conservatus es usque nunc.* Chaldæus quoque Paraphrastes & Munsterus reddunt, *conservavi te.* Sed & hoc loco commentator Amb. legit, *servavi te*: tametsi fatetur alios codices habere *suscitavi te*: Et quidem phrasis illa, *posui te*, in scripturis idem significare videtur, quod, esse te feci, produxi te in medium, promovi te ad hoc aut illud. Sonat enim destinationem, quæ fit adhibitis mediis aptis & convenientibus ad finem propositum, ut Ps. 17. *Constitues*, seu *pones me in caput gentium.* Joan. 15. *Elegi vos & posui vos ut eatis & fructum afferatis.* Et Paulus 1. Thess. 3. *Scitis quod in hoc positi sumus.* Et cap. 5. *Non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis.* Item Petrus 1. epistolæ 2. *Nec credunt, in quod & positi sunt.* Rursum Deut. 28. *Constituet te Dominus in caput, non in caudam*; quamvis illic in Hebræo est, *dabit te*: sed idem significatur; quemadmodum & Isaiæ 49. *Dedi te in lucem gentium, dedi te in fœdus populi.* Eadem porrò est ratio de verbo excitandi seu suscitandi, ut Deut. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum*, & 28. *Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum.* Judic. 3. *Suscitavit eis salvatorem.* 1. Regum 2. *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem.* Et alibi sæpissimè. Hæc ad phrasim illustrandam adducta sint. Sensum autem Moysi & Pauli sequentia docebunt.

Phrasis illa excitavi seu posui te, & aliæ similes quid significent.

Ut ostendam in te virtutem meam et ut annuntietur nomen meum in universa terra. Sensus totius sententiæ est: *In hoc ipsum*, id est ad eum finem posui & excitavi te, servavi atque promovi, videlicet non solum permittendo, sed multa tam intus quam foris operando, sensibusque objiciendo, quæ tibi futura essent occasio majoris contumaciæ ac duritiæ cordis; ad eum finem, inquam, ut in te sive circa te potentiam meam divinam, per multa stupēda & horrenda

& horrenda ſigna, exercerem & hominibus manifeſtarem: quo per hæc nomen meum celebraretur ubique terrarum.

Quod utique factum eſſe conſtat, in eo maximè, quod filiis Iſraël per mare rubrum traductis, rex Pharao cum toto Ægyptiorum exercitu in eodem mari ſubmerſus & ſuffocatus eſt: ut in eo præclarè locum habuerit illud ſapientis Proverb. 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad diem malum.* Excitationem illam hoc modo interpretatur, & luculentè exponit ex ſententia B. Auguſt. *lib. de grat. & lib. arbit. cap. 20. & 21.* S. Thomas in *hujus loci comment.*

18. ERGO cujus VULT MISERETUR: ET QUEM VULT INDURAT. Concludit ex præcedentibus, ac potiſſimùm ex illa ſententia qua dixit, *miſerebor cujus miſereor*, &c. Nam ex ea planè intellecta, ſicut antè docui, ſequitur utrumque concluſionis membrum; ſcilicet Deum pro ſola ac libera ſua voluntate ſine reſpectu operum, hos quidem eligere, alios autem reprobare, ſive, ut hîc loquitur, indurare.

Induratio-nis vocabulo quid hoc loco ſignifi-cetur.

Notandum enim indurationem hoc loco poni pro tota hominis derelictioñe, comprehenſa etiam prima permiſſione peccati, cujus merito poſteà quis induretur. Siquidem & in priori parte miſericordiam generaliter accipit pro tota congerie effectuum prædeſtinationis, in qua primus gratiæ effectus vel maximè continetur. Sic alibi nomine ſalutis totam hominis reparationem, cujus initium eſt à fide, complectitur, ut ad Tit. 3. *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Quod ſi ſolus ac ſeorſim conſideretur indurationis effectus; non utique ſine merito eſt peccati præceden-

Indurationis effectus ſeorſum cõſideratus, provenit ex merito peccati præce-dentis.

tis. Unde & ipſe Pharao non ſine merito præcedentiũ peccatorum, ac nominatim peccati originalis, fuit à Deo derelictus, & ita derelictus, ut tandem indureſceret in malo. Sed ideò dicit Apoſtolus, *quem vult indurat*; quod induratio ſive Pharaonis, ſive cujuſquam alterius, in prima ſua velut origine, quæ eſt prima derelictio ſeu peccati permiſſio, non aliam habeat cauſam quàm Dei voluntatem.

Interpretatur indurationem hoc modo B. Auguſtinus quæſt. 2. ad Simplicianum, dicens ac ſubinde repetens; Deum obdurare, quia non miſeretur: &, quod dicit Paulus, quem vult indurat, tale eſſe ac ſi diceretur, *cujus non vult non miſeretur.* Quomodo autem Deus etiam juxta poſteriorem reprobationis effectum induret hominem, nec tamen ſit cauſa duritiæ ejus, ut ex hoc loco volunt hæretici; ſatis jam liquet ex iis quæ paulò antè dicta ſunt de Pharaone. Qua de re vide quæ ſcribit Auguſt, *quæſt. 18. ſuper Exod.* & quæ Thomas rurſus *in comment.* Nos quoque de eadem re pleniùs egimus ad *diſt. 40. lib. 1. ſentent.* diſſerentes de effectibus reprobationis.

19. DICIS ITAQUE MIHI. Græcè & Syriacè, *Dices.* Adverſarium facit objicientem ſibi hoc quod ſequitur;

QUID ADHUC QUERITUR. Id eſt, conqueritur, querulatur. Græcè μέμφεται, quod etiam verti poteſt, iraſcitur, ſuccenſet. Falluntur autem qui verbum hoc aut impersonaliter exponunt, ut Faber; aut paſſivè, quemadmodum accipi poſſe putat Laurentius: quamvis uterque veriorem etiam ſententiam non rejicit. Senſus enim planus eſt.

At dices mihi, Si Deus quos vult eligit, & quos vult reprobat; cur non contentus facere pro libito quæ vult, etiam conqueritur de hominibus apud prophetas, & iraſcentis more gravia comminatur, quod ad ipſum non convertantur ut ſalvi fiant?

VOLUNTATI ENIM EJUS QUIS RESISTIT? Id eſt reſiſtere poteſt? Malè quidam ex Græco vertendum putant, *quis reſtitit.* Nam Græcum præteritum, ἀνθέστηκε vim præſentis habet, perinde ut ſimplex ἕστηκε. *Senſus eſt*: Quis poteſt fruſtrare divinam voluntatem, ut non fiat quod voluit? ac ſi dicat, nemo. Scriptum eſt enim, *Omnia quæcumque voluit fecit.* Pſal. 113. & ex Dei perſona, *Omnis voluntas mea fiet*, Iſa. 46. &, *Non reſiſtet mihi homo*, ibidem 47.

Voluntati Dei abſolutæ nihil eſt quod reſiſtat.

Eſt autem ſermo de voluntate Dei abſoluta, quam beneplaciti voluntatem appellant Theologi, quæ & propriè voluntas eſt. Hujuſmodi (inquam) eſt Dei voluntas, qua alios eligit, alios reprobat. Nam voluntati Dei quæ in præceptis & prohibitionibus conſiſtit, & ſigni voluntas dicitur, reſiſtunt omnes qui peccant. Sequitur Apoſtoli reſponſio.

Voluntati Dei præceptivæ reſiſtũt omnes qui peccant.

20. O HOMO TU QUIS ES QUI RESPONDEAS DEO? Græcè, μενοῦνγε ὦ ἄνθρωπε. *Atqui ô homo.* Nec enim ocioſa eſt illa particula ab interprete omiſſa, ſed intendit orationem cum reprehenſione adverſarii. Legitur etiam Lucæ 11. ubi noſter vertit; *Quinimò, beati qui audiunt verbum Dei*, &c.

Rurſum pro eo *qui reſpondeas*, in Græco eſt participium ὁ ἀντικρινόμενος, id eſt, *contra*, ſive *ex adverſo reſpondens*, ac ſi dicat: Tu quis es qui diſputas cum Deo? Hominem te cogita, illum Deum: ita deſines cum illo velle in diſputationem venire, & ejus judicia diſcutere.

Non deficit in ſolvenda quæſtione Paulus; tamquam ſe convertat ad objurgationem, ratione deſtitutus: quod vel ſtultos vel impios quoſdam dixiſſe refert Auguſt. *ench. cap. 99. & quæſt. 68. inter. 83.* Poterat enim reſpondere Deum juſtè queri de peccatoribus, quia propriæ voluntatis electione peccant, cum poſſint non peccare, liberum habentes arbitrium.

Sed ſtudium Apoſtoli fuit non tam ad objectionem reſpondere, quàm ad cauſam objiciendi. Concluſerat enim; *Ergo cujus vult miſeretur & quem vult indurat:* Unde nata erat illa adverſarii objectio, *quid adhuc queritur: Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Reſpondet itaque de voluntate Dei eligente & reprobante, negans ejus rationem ab homine, qui creatura & figmentum Dei eſt, ſcrutandam eſſe: imò ab exemplo figuli oſtendens Deum hoc facere pro libertate ſuæ voluntatis abſque alia ratione; quemadmodum rectè locum hunc Thomas expoſuit.

Voluntatis Dei eligẽtis & reprobãtis ratio nõ eſt quærenda.

Benè notanda in reſponſione Pauli antitheſis inter hominem & Deum; id eſt, inter creaturam & creatorem. Nimis enim abſurdum & improbum eſt, creaturam velle adverſus Deum creatorem ſuum contendere ejuſque facta arguere. Quod utique facere videtur, qui de Deo dicit: *quid adhuc queritur?* Abſurditatem verò oſtendit ex comparatione figmenti & figuli.

NUMQUID DICIT FIGMENTUM EI QUI SE FINXIT. Græcè: *Num dicet figmentum ei qui finxit*, id eſt figulo.

QUID ME FECISTI SIC? *Sic* non ad modum fingendi, ſed ad qualitatem figmenti pertinet, ut verti poſſit: *cur me tale finxiſti?* Numquid, ait Apoſtolus, vas fictile jure poterit expoſtulare cum figulo, cur ipſum tale aut tale fecerit? ac ſi dicat, Minimè. Hoc propriè ad reprobos accommodatur. Nam electi non habent quod querantur aut expoſtulent, ſed unde gratias agant: Reprobi autem videri poſſunt habere rationem aliquam querelæ, ſi ſine meritis reprobantur, non autem ſi ex meritis. Igitur etiam ex hac interrogatione colligitur reprobationem non eſſe ex meritis. Porrò comparationem hanc adducit Apoſtolus imitatus prophetas, Iſaiam *cap. 45.* & Jeremiam *cap. 18.* licet non æquè ad utrumque reſpexerit; ut infrà dicemus.

Reprobi nõ habẽt quod querantur ſi ne meritis reprobati.

21. AN NON HABET POTESTATEM FIGULUS LUTI, EX EADEM MASSA FACERE ALIUD QUIDEM VAS IN HONOREM, ALIUD VERO IN CONTUMELIAM? *Contumeliam*, Græcè ἀτιμίαν, id eſt, *ignominiam*, quæ honori opponitur. Eſt enim alluſio vocum in Græco εἰς τιμὴν, εἰς ἀτιμίαν. Quod Latinè reddas licet, *ad decus, ad dedecus.* Eſt & metaphora, qua honor & ignominia rebus tribuitur inanimitatis. Porrò vas Hebræo

Vas Hebræis pro quovis instrumento.

more capitur pro instrumento, sive sit vas propriè dictum, id est, cavum, & liquoris receptaculum, sive aliud quodlibet. Unde legimus vasa mortis & vasa interfectionis, pro telis mortiferis *Ps.*7. & *Ezech.* 9. & vasa Psalmi pro instrumentis psallendi *Ps.* 70. Ita Paulus vas electionis vocatur. *Act.* 9. id est, organum electum.

Quamquam & Græcum vocabulum σκεῦος latiùs patet quàm ad ea quæ vulgò vasa vocamus. Comprehendit enim utensilia ferè omnis generis. Hinc compositum ejus ἀποσκευὴ, id est, supellex, sarcinæ & impedimenta exercitus, etiam moventia. Sic enim accipitur ea vox apud LXX. interpretes *Exod.* 12. quemadmodum benè declarat Augustinus *quæst.* 47. *super Exod.* Quin & Latino vasorum nomine interdum tota supellex apud Livium significatur. Cæterùm vasa liquoris capacia Græci propriè ἀγγεῖα vocant; cujusmodi sunt ut plurimùm quæ fiunt à figulis. Hæc curiosius fortassè, nisi conducerent etiam ad alias scripturas intelligendas.

Deus figulo comparatus, quod pro arbitrio faciat alia vasa in honorē, alia in contumeliam.

Igitur Apostoli hic *sensus est*: Cum figulus ex luto sua fingens opera liberam habeat potestatem fingendi ex eadem massa luti aliud quidem vas sive opus ad usum honestum, aliud verò ad usum vilem & inhonestum: cur non liberrima sit potestas Deo ut ex eadem massa humani generis alios eligat & faciat vasa ad honorem, alios reprobet, faciatque vasa ad ignominiam? Faciat, inquam, vasa ad honorem per effectus suæ electionis: & vasa ad ignominiam per effectus reprobationis. Ostendit hæc comparatio, quemadmodum in partibus massæ luteæ non est ratio, cur vel ex hac parte fiat vas in honorem, vel ex illa vas in contumeliam; ita in hominibus, velut partibus unius massæ humani generis, non esse rationem cur vel hic eligatur, vel ille reprobetur.

Paulus non supponit in hac disputatione massā corruptam.

Non igitur in hac disputatione supponit Apostolus massam corruptam aut damnatam; licet etiam de ea, secundùm Augustini expositionem, habeat veritatem Apostoli sententia: sed intelligit massam absolutè; qualis erat etiam massa angelorum ex qua alii electi sunt, alii reprobati. Nam scriptura passim adhibens comparationem luti, quod pro suo libito format figulus; de luto loquitur absolutè, nullum ejus vitium supponens, sed solam ejus naturam considerans qua formabile est ad omne opus figulinum.

Unde nec ait Apostolus, figulum ex eadem massa aliud facere vas in honorem, aliud in ignominia massæ relinquere; sed ex eadem massa facere in ignominiam. Neque dixit, figmentum ei qui se finxit non dicere; Cur me reliquisti in massa corrupta? *sed, Cur me fecisti sic?* id est, vas ignominiosum & reprobum. Satis igitur apertè ex hac similitudine, quam sumpsit à figulo & massa lutea, facit intelligi, tam electionem quàm reprobationem ex meritis non esse.

Objectio.

Sed hoc argumentum eludere quidam conantur. Dicunt enim hanc similitudinem à Paulo petitam esse ex Jeremia *cap.* 18. *ubi* commemorato exemplo figuli vas ex luto facientis, atque idipsum dissipantis, ac rursus ex eo fingentis aliud quale voluit, Deum introducit ita loquentem: *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israël.* Qua in re tamen ad merita tam bona quàm mala Deum respicere, docent hæc ejus verba subjuncta... *Repentè loquar adversùm gentem, & adversùs regnum, ut eradicem & destruā & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversùs eam, agam & ego pœnitentiā super malo, quod cogitavi ut facerem ei, & subitò loquar de gente & de regno, ut ædificē & plantem illud,* & quæ sequuntur. Unde consequens esse volunt, etiā Paulum, eadem figuli similitudine utentem, haudquaquam merita hominum excludere voluisse, sed potiùs ea ex altero scripturæ loco intelligenda reliquisse.

Responsio.

Quibus responsum sit, ex eadem re similitudinem accipi posse ad diversa significanda: Nam & Christus & diabolus leoni comparantur in scripturis. Nec verum esse quod ad Jeremiæ locum Paulus propriè respiciat: quin potiùs manifesta est verborum ejus allusio ad locum Isaiæ cap. 45. ubi sic legitur: *væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ. Numquid dicit lutum figulo, Quid facis? & Opus tuum absque manibus est?* Quæ sanè verba significant, ita Deum pro mero suo beneplacito statuere de rebus humanis in utramlibet partem, quomodo figulus ex luto facit opus quodcumque voluerit. Quò pertinet etiam quod sequitur: *Væ qui dicit patri, quid generas? & mulieri, quid parturis?* Quod enim meritum hominis, ut parentes eum talem aut talem gignant? Igitur eò adducuntur hæ comparationes ab Isaia propheta ut per eas ostēdat, Deum filios Israël non pro ipsorum arbitrio, sed pro sua voluntate dispensare, quemadmodum sanctus Hieronymus loquitur, eum locum explanans.

Jeremias verò ex adducta similitudine figuli, tantum id voluit; Deo tam facile esse vel adversa vel prospera gentibus & regnis immittere, quàm facile est figulo opus suum adhuc molle, quassare & reformare. Hic ergo propheta fingendi ac refingendi facilitatem in figulo consideravit; ille quidlibet effingendi, nullo præventam merito, voluntatis libertatem. Quam quidem etiam Ecclesiasticus spectavit quando dixit cap. 33. *Quasi locum figuli in manu ipsius, sic homo in manu illius qui se fecit*: quemadmodum benè docet Jansenius *in ejus loci comment.* Hoc ipsum autem Paulum Apostolum velle in adducta figuli similitudine, tota series disputationis ejus declarat.

22. QUOD SI DEUS VOLENS OSTENDERE IRAM, ET NOTAM FACERE POTENTIAM SUAM. Postquam docuit non aliam esse rationem, cur Deus in particulari hos eligat, illos reprobet, quàm liberrimam ejus voluntatem: nunc rationem adfert cur in generali Deus alios eligere voluerit; alios reprobare; rationem, inquam, non ex eorum prævisis meritis, sed ex causa finali. Ac reprobationis quidem causam assignat manifestationem tam justitiæ quàm potentiæ Dei, qua vindicat peccata, electionis verò causam indicat manifestationem bonitatis ejus ac misericordiæ, qua quibusdam & gratiam largitur & gloriam, ut sic tam in reprobis quàm in electis, Deus secundùm diversa sua opera quæ circa illos exercet, glorificetur: utpote qui omnia finaliter ordinat ac dirigit ad suam gloriam. De hac generali ratione electionis & reprobationis vide quæ scribit B. Thomas doctissimè in hujus loci *comm. & in Summa. part. 1. quæst.* 23. *art.* 5. *ad* 3.

Cur in genere Deus alios eligat, alios reprobet.

Reprobationis causa finalis ostēsio justitiæ Dei: electionis verò, manifestatio bonitatis ejus.

Deus omnia dirigit ad suā gloriam.

Verba Apostoli exponamus. *Quod si*, inquit, *Deus volens ostendere iram*, id est, declarare justitiam suam vindicativam, quæ utique ostenditur per actus punitionis & vindictæ peccatorum. (Hanc enim iram vocat, anthropopathicè de Deo loquens, more scripturæ) *& notam facere potentiam suam*, in puniendis impiis quantumcumque illi magni & potentes fuerint, cujusmodi sunt reges inter homines, ut Pharao: cujus supra meminit; quales item angeli secundum naturam, & maximè supremus angelorum: tametsi hoc quidem loco de solis hominibus Paulus loquitur.

Adjungit autem hanc causam, id est, ostensionem potentiæ divinæ, velut causam finalem reprobationis potius quàm electionis (licet & circa electos suam Deus ostendat potentiam) eò quòd potentia magis declaretur in subactione & punitione malorum, quorum permanet repugnans voluntas; quàm in exaltatione bonorum, quorum tandem omninò perfectus erit cum Dei voluntate consensus.

SUSTINUIT IN MULTA PATIENTIA VASA IRÆ APTA IN INTERITUM. Hujus pericopes singula penè verba egent explicatione, *Sustinuit* Græcè ἤνεγκεν id est, *tulit*: Sed ut Latinum *tulit* duobus modis intelligi potest, *attulit*, id est, adduxit; aut *pertulit*,

id eſt, ſuſtinuit, toleravit: ita & Græcum ἤνεγκε; quadmodum Græci interpretes Theophylactus & Oecumenius annotarunt. Auguſtinus in expoſitione hujus loci & alibi paſſim legit *attulit*.

Atque hoc ſignificatum verbi Græci attendit Syrus paraphraſtes, dum ita reddit hunc locum: *Induxit*, ſive *intulit pro magna longanimitate ſua iram ſuper vaſa ira*. Ubi videmus paraphraſten aliquid addere de ſuo, videlicet *iram*, ut ſenſum perficiat. Idem faciendum ſignificat Oecumenius his verbis: *Quemadmodum in vaſa iræ tulit iram, multa primum uſus longanimitate; ita & in vaſa miſericordiæ tulit benignitatẽ*. Quamquam, etiamſi legamus *attulit*; non opus videtur hujuſmodi ſupplemento. Poteſt enim illa pars, *in interitum*, etſi cohæreat cum participio *aptata*, ſimul etiam referri ad verbum *attulit* ſive *adduxit*; ut ſenſus ſit; Deum ad hoc adduxiſſe vaſa iræ ad quos aptata ſunt, id eſt, ad perditionem. Verumtamen alter ſenſus, ſecundùm quem *tulit* idem eſt quod *pertulit*, *ſuſtinuit*, multò receptior eſt. Nam & noſter interpres, & ille cujus textum ediſſerit Amb. commentator, verterunt *ſuſtinuit*. Sed & Auguſt. *quæſt.* 68. *inter.* 83. legit ex alia quapiam verſione *pertulit*. Græci quoque diſertè in hunc ſenſum exponunt, ut dicatur Deus cum multa patientia toleraſſe vaſa iræ, tantò gravius ea tandem puniturus, quantò diutius toleraverit.

Deus reprobos ſuſtinet cũ patientia.

Qui ſenſus utcumque reſpondet parti præcedenti. Suſtinet enim Deus eos quos ſcit non corrigendos, ut in eis poſteà ſuam iram ac potentiam oſtendat. Sed ſciendum eſt Græcum aoriſtum ἤνεγκε in hac ſignificatione rariùs inveniri. Certè in ſacris literis legiſſe non memini, cum hujus ſignificationis alia paſſim legantur ἀνέχεσθαι, φέρειν, ὑπομένειν. Quocirca prior ſenſus fortè plus habet probabilitatis: præſertim cum & actum divinæ reprobationis expreſſiùs contineat, qui eſt adducere in interitum, videlicet dimittendo, excœcando, obdurando.

Quo ſenſu Deus adducat reprobos in interitũ.

Addit autem, *in multa patientia*, Græcè μακροθυμία id eſt, lenitate, quam longanimitatem interpres vertit *ſuprà cap.* 2. ut oſtendat etiam reprobos benignitate ac patientia Dei plerumque invitari ad pœnitentiam: & proinde reprobationem non obſtare, quominùs converti poſſint. Nam reprobatio nihil ſubtrahit de potentia reprobati, ut ait S. Thomas 1. *parte quæſt. 23. art. 3. ad 3.*

Reprobatio non obſtat, quominùs reprobi converti poſſint.

Alludit autem Apoſtolus ad exemplum ſuperiùs allatum de Pharaone populi Dei oppreſſore, quem non ſtatim Deus occidit, ſed priùs multis ſuorum plagis admonitum, tandem in interitum demerſit. Tacitè quoque videtur innuere hac parte quamdam reprobationis cauſam finalem à præcedentibus diverſam, etſi non æquè principalem. Non ſolùm enim Deus in reprobis puniendis oſtendit juſtitiam ſuam atque potentiam; verùm etiam in iis ad pœnitentiam exſpectandis, licet pœnitentiam non acturis, patientiam ſeu longanimitatem.

Reprobi vaſa iræ, & electi vaſa miſericordiæ, quo ſenſu.

Porrò reprobos vocat Apoſtolus vaſa iræ, & mox electos vaſa miſericordiæ, reſpiciens ad ſuperiorem comparationem figuli & vaſorum ejus; quatenus ſcilicet illos reprobat Deus, ut in iis oſtendat iram ſuam; hos autem eligit, ut in eis oſtendat ſuam miſericordiam. Quod enim Cajetanus & alii nonnulli hûc annotant vaſa iræ & miſericordiæ dici, quod plena ſint iræ vel miſericordiæ divinæ, Deo videlicet iram vel miſericordiam in ea fundente, tamquam in vaſa ſubjecta: legitur quidem aliquid tale etiam apud Auguſt. *ep.* 157. *ad Opt.* arbitror tamen eſſe præter mentem Apoſtoli, cui vas in genere ſignificat inſtrumentum, ut antè dixi. Idque confirmat expoſitio S. Thomæ, qui vaſa iræ interpretatur inſtrumenta juſtitiæ, quibus ſcilicet Deus utitur ad oſtendendam iram, id eſt, juſtitiam vindicativam: & ſimiliter vaſa miſericordiæ, quibus tamquam inſtrumentis utitur Deus ad ſuam miſericordiam manifeſtandam.

Sequitur, *apta in interitum*. *Apta* Græcè *aptata*. Quod & in quibuſdam legitur Latinis MSS. pro quo commentator Amb. *præparata*. Cæterùm Auguſtinus paſſim legit, *quæ perfecta ſunt ad perditionem*. Et quidem Græca vox κατηρτισμένα ſignificat interdum perfecta ac ſuis partibus abſoluta ſive coagmentata, ut quidam vertit. Verùm ea ſignificatio non convenit huic loco. Sentit enim Apoſtolus iræ vaſa parata eſſe ad exitium, ſive apparata, ut vertit Eraſmus.

Quo ſenſu vaſa iræ aptata ad interitum.

Sed quo ſenſu vaſa iræ dicantur aptata, id eſt, præparata ad interitum, *quæritur*; cùm reprobationis divinæ cauſa finalis non ſit interitus & damnatio hominum, ſed declaratio juſtitiæ Dei in eorum damnatione, uti dictum eſt. Græci tractatores dicunt ea præparata eſſe ad interitum, non à Deo, ſed à ſeipſis æternam perditionem ſibi præparantibus per ſua peccata quibus illam merentur. Sic etiam exponunt Aquinas & Cajetanus.

Verùm ſi phraſim hanc Scripturæ expendamus; ſimulque attendamus ad ea quæ præcedunt & ſequuntur, magis videbitur hæc aptatio ſeu præparatio vaſorum iræ in interitum Deo attribui. Nam vaſa non à ſeipſis aptari dicuntur, ſed à figulo. Et jam dixerat Apoſtolus ipſum figulum facere non ſolùm quædam vaſa in honorem, ſed etiam alia in contumeliam. Atque idem de vaſis miſericordiæ ſtatim ſubjicit, Deum ea præparaſſe in gloriam.

Dicitur autem Deus vaſa iræ præparaſſe ad interitum, non quia præparavit eis peccata, quibus interirum mererentur, ſicut præparavit electis bona opera quibus gloriam conſequerentur, eodem Paulo teſte Epheſ. 2. *Creati in operibus bonis quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*. Hunc enim ſenſum hæreticum prudenter excluſit Apoſtolus addendo *in multa patientia*. Nam ſi Deus ipſa peccata hominibus præpararet, non rectè diceretur erga homines peccatores uti multa patientia. Siquidem patientia tametſi metaphoricè Deo attributa, referri debet ad aliquid Deo involitum, quod proinde Deus ipſe nec faciat nec faciendum procuret aut præparet.

Sed præparaſſe dicitur iræ vaſa ad interitum, quia illis ab æterno præparavit, id eſt, præordinavit atque inferre conſtituit interitum; ſicut vaſa miſericordiæ præparavit ad gloriam, uti mox dicetur, quia iis ab æterno præparavit, hoc eſt, præordinavit & dare conſtituit gloriam; eo tamen diſcrimine, quod his etiam merita gloriæ præparavit ab æterno, non item illis merita damnationis.

Præparatio Dei ſignificat æternam ejus præordinationem.

Hunc ſenſum confirmat locus *Matth.* 25. ubi quemadmodum electis dicitur à mundi conſtitutione, id eſt, ab æterno præparatum eſſe regnum, ſic & reprobis præparatus eſſe dicitur ignis æternus, utrumque ſcilicet præparatum à Deo. Itaque præparatio hæc in Scripturis non effectum aliquem voluntatis Dei, ſed ipſam æternam præordinationem ſignificat. Commentator Amb. itidem ad Deum refert hanc præparationem, ſed eam intelligit quæ fit in tempore. Dicit enim voluntate & longanimitate Dei præparari infideles ad pœnam. *Nam*, inquit, *patientia & longanimitas Dei ipſa eſt quæ ſicut malos præparat ad interitum, ita & bonos præparat ad coronam*. Quod intellige per occaſionem. Verùm contextui magis quadrat, quod priùs dixi, præparationem ſignificari quæ eſt ab æterno.

Porrò quamvis Deus reprobos ad interitum præparavit ex ipſorum meritis; illud tamen ex meritis non eſt, ſed ex ſola Dei voluntate, quod eos permittat cadere in peccata, quibus interitum mereantur quæ quidem permiſſio primus eſt, ut antè dixi, reprobationis effectus, à quo cæteri pendent. Quem effectum ſi comprehendamus in eo quod Apoſtolus dicit Deum, ut iram ſuam & potentiam oſtenderet, gaudiſſe vaſa iræ aptata in interitum: erit & hoc intelligendum abſque meritorum reſpectu; quod vo-

lebat comparatio de luto & figulo, quæ proximè ſententiam hanc antecedit.

23. UT OSTENDERET DIVITIAS GLORIÆ SUÆ IN VASA MISERICORDIÆ, QUÆ PRÆPARAVIT IN GLORIAM. Græcè ἵνα γνωρίσῃ, *& ut notas faceret.* Copulantem voculam nonnulli etiam Latinorum addunt, ut commentator Amb. & Aug. *lib. 2. cont. duas epiſt. Pelag. cap. 7. & alibi:* licèt è diverſo nonnulla quoque Græca eam non agnoſcant.

Partem hanc alii aliter ad ſuperiora referunt. Quidam enim exiſtimant, quomodo parte præcedenti aſſignata eſt ratio reprobationis in genere, ſcilicet oſtenſio juſtitiæ & potentiæ divinæ; ita hic ſeorſim, tamquam altero totius ſententiæ membro, adferri rationem electionis, quæ eſt manifeſtatio bonitatis ac miſericordiæ Dei, ex eo quod provehit ad gloriam electos.

Ita ſentiunt Oecumenius, Aquinas & Cajetanus. Secundum quem intellectum hæc pars cum ſupplemento erit explicanda, vel hoc modo; Item ſi Deus ſuſtinuit cum multa patientia vaſa miſericordiæ, ut in eis oſtenderet divitias gloriæ ſuæ, vel iſto modo quem tradit Oecumenius; Et ſi Deus tulit, id eſt, adduxit vaſa miſericordiæ ad ſalutem, ut in eis oſtenderet, &c.

Dei bonitas erga electos manifeſtatur etiam per aliorum reprobationem.

At verò plerique ſenſum ex Apoſtoli verbis obvium ſequentes, intelligunt hac parte aliam adhuc annecti rationem reprobationis in genere; nempe manifeſtationem divinæ bonitatis erga vaſa miſericordiæ. Non enim ſatis appareret hæc Dei miſericordia, neque ſatis ab hominibus æſtimaretur, ſi eſſet omnibus communis, nec ulli permitterentur in peccata cadere, pro meritis in æternum puniendi. Horum quippe comparatione manifeſtatur, ampliuſque commendatur immenſa Dei bonitas erga electos, quemadmodum pulchrè docet Auguſtinus *in ſupradicta ad Opt. epiſt.* hunc ipſum Apoſtoli locum tractans.

Notandum tamen, etiam ſecundum hunc ſenſum indicari hac parte, ſaltem ex conſequenti, rationem electionis jam dictam. Si enim bonitas Dei quam electis exhibet, manifeſtatur ex derelictione & punitione reproborum; quanto magis innoteſcit ex proprio opere, quod eſt electis gratiam & gloriam conferre? Quamquam illud verum, ex comparatione reproborum, tamquam juxtapoſitione contrarii, beneficium electionis amplius illuſtrari. In vocabulo gloriæ priori loco poſito metonymia eſt, qua nominatur effectus pro cauſa. Maximè enim per opera bonitatis & miſericordiæ Deus glorificatur.

Maximè Deus glorificatur per opera bonitatis & miſericordiæ.

Itaque *ſenſus eſt*: Ut notam celebremque redderet opulentam ac ſuperabundantem bonitatem ſuam quam exercet in vaſa miſericordiæ, id eſt, in electos, quibus gloriam & regnũ æternum præparavit. Quædam Græca legunt εἰς δόξαν αὐτοῦ, *ad gloriam ſuam*, id eſt, Dei. Sed veriſimile eſt αὐτοῦ adjectitium eſſe. Nam opponit Apoſtolus vaſis iræ aptatis ad interitum, vaſa miſericordiæ præparata ad gloriam, utique ipſorum; ſicut illa aptata ad ipſorum interitum: tametſi ulterius ad Dei gloriam cedat horum utrumque.

Porrò tota ſententia adhuc pendet: quam quidam abſolvi putant illa interrogatione quæ poſt multos verſus ſequitur, *Quid ergo dicemus?* videlicet omnia media parentheſi claudentes. Sed mihi non videtur, tum propter hyperbaton nimis longum, tum quod illa interrogatio cum iis quæ deinde ſequuntur, parum apte reſpondeat huic initio, *Quod ſi Deus*, &c.

Proinde rectius eſt quod Oecumenius ſuggerit, quodque Sedulius affirmat etiam aliis placuiſſe, ut pendens hæc oratio compleatur repetione ejus quod ſupra dixerat, *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* quaſi dicat: Si Deus ita voluit; nec temere, ſed ſumma ratione, tam ex parte reproborum quam electorum, ſicut jam explicatum eſt: tu quis es qui Deum arguas, aut cum eo diſputes? Alii ſupplent repetendo ex ea ſententia quæ proximè præceſſit, hæc verba: *An non habet poteſtatem.* Quod mihi certè non minus probabile eſt.

24. QUOS ET VOCAVIT NOS. Docet electis non ſolum contingere gloriam ex electione divina, ſed & media procurari ad gloriam, cujuſmodi eſt vocatio ad fidem & gratiam evangelii. Intelligit autem vocationem ſecundum propoſitum; quo epitheto eam ſignificavit cap. præcedenti, dicens: *iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt.* Addit *nos* (licet in Græcis quibuſdam deſideratum) ut in iis ad quos ſcribit, fiduciam excitet electionis, id eſt, ut ſe reputent inter vaſa miſericordiæ. Ne autem dicendo *nos*, videretur de ſolis loqui Judæis ipſe Judæus, addit.

Vocatio ſecundũ propoſitum.

NON SOLUM EX JUDÆIS, SED EX GENTIBUS. Et quidem magis ex gentibus, quam ex Judæis, ut probant ſequentia.

25. SICUT IN OSEE DICIT. Græcè addita conjunctione *ſicut & in Oſee dicit.* Sic etiam mss. quædam Latina, & Auguſtinus in expoſitione propoſitionum.

VOCABO NON PLEBEM MEAM PLEBEM MEAM; ET NON DILECTAM DILECTAM; ET NON MISERICORDIAM CONSECUTAM, MISERICORDIAM CONSECUTAM. Multi codices mss. poſt Hieronymum ſcribentem ſuper *Oſee* 1. ubi totum hunc locum recitat, membrum medium *& non dilectam dilectam*, omittunt; uti nec agnoſcunt in ſuis commentariis Haimo & Hervæus. At Græca exemplaria cum ejuſdem linguæ commentatoribus omnibus, legunt illud quidem, ſed tollunt poſtremum, & non miſericordiam conſecutam, &c. Atque his etiam accedunt commentator Ambr. & Auguſt. hunc locum citans ſub finem *lib. 1. ad Simplic.* & *contra Fauſt. lib. 22. cap. 89.*

Sciendum autem iſtam allegati teſtimonii partem apud ipſum prophetam legi his verbis in fine cap. 2. juxta B. Hieronymi verſionem: *Et miſerebor ejus quæ fuit abſque miſericordia: & dicam non populo meo, populus meus es tu.* Cui lectioni etiam LXX. conſonant tam in exemplaribus quæ hodie exſtant, quam in iis quæ olim: niſi quod nupera Romana editio lectionem exhibet alteram, dumtaxat *cap. 2.* ſed cum annotatione quod in cæteris libris legatur, καὶ ἐλεήσω τὴν οὐκ ἠλεημένην, id eſt, *& miſerebor ejus quæ non fuerat miſericordiam conſecuta.*

Quamvis enim ut teſtatur Hieronymus in *Oſee comment.* quædam exemplaria LXX. interpretum legant, *non dilecta*; veriora tamen cenſet in quibus legitur *non miſericordiam conſecuta*: maximè quod ea reſpondeat Græco verbo ἐλεῖν, *miſereri*, per quod ex eadem trãſlatione in cap. 1. nomen illud *abſque miſericordia*, exponitur. Illud ſatis conſtare exiſtimo, Paulum non utrumque ſcripſiſſe, ſed alterum tantùm; ac ſanè probabilius ἠγαπημένην, *dilectam*, propter conſenſum Græcorum codicum.

Fortaſſis enim alludere voluit ad illud ſuperius, *Jacob dilexi*, ἠγάπησα; tametſi Petrus ad eumdem Oſee locum reſpiciens 1. *ep.* 1. 2. *ſcripſit* οἱ οὐκ ἠλεημένοι, *qui non conſecuti miſericordiam*, videlicet ſecutus verſionem LXX. Quamquam non admodum refert, utrum ex duobus ſcripſerit Paulus, cum utroque vocabulo res eadem ſignificetur. Nam & vox Hebræa רחם richam, quæ eſt apud prophetam, & quam ſolam Syriaca hujus loci habet editio, ſignificat utrumque, & diligere & miſereri.

Jam quod ad ſenſum attinet: quia dixerat Apoſtolus Deum non ex Judæis ſolum, ſed etiam ex Gentibus vocaſſe electos; ut hoc poſterius probet, adducit memoratum prophetæ teſtimonium. Nam populus decem tribuum qui peculiari nomine dicebatur Iſraël, de quo ſecundum literam propheta loquitur, quoniam ad cultum vitulorum deflexerat, typum prætulit gentilis & idololatrici populi; magiſque eum

In populo decẽ tribuũ typus gentiliũ: in duabus tribubus typus Judæorum.

eum poſtea repræſentavit ſua per gentes diſperſione: ſicut è diverſo populus duarum tribuum qui vocabatur Juda, quia permanſit in vero cultu Dei, typum geſſit populi Judaici, ut à gentilitate diſtinctus fuit: quam myſticam utriuſque populi, ſcilicet Iſrael & Judæ ſignificationem attingit etiam Auguſtinus hunc Prophetæ locum tractans *lib. 18. de civit. Dei cap. 28.*

Quomodo Deus vocare quidpiam dicatur.

Porrò dicitur Deus vocare quidpiam non inani nomine, ſed rei præſtatione, dum id facit eſſe quod nominat: quomodo frequenter in Prophetis vocare & nominare ſumuntur. Itaque *ſenſus* eſt; Eos qui non erant populus meus, cultu & religione faciam populum meum; & qui non erant à me dilecti, id eſt, gratiæ donis affecti, faciam dilectos: ita ut vero nomine populus meus, meique dilecti vocari poſſint.

Notandum quippe eſt illud *non dilectam dilectam*, non eſſe adjectivum ſubſtantivi *plebem*, cum in Græco hoc ſit maſculinum, λαὸν *populum:* Sed fœminino genere dixit Apoſtolus, *non dilectam dilectam*, prophetam imitatus, qui nomen illud *Abſque miſericordia* ſeu *Non dilectam*, poſtea commutandum in oppoſitam affirmationem, juſſus fuerat filiæ ſibi natæ imponere; in qua populi priùs non dilecti, poſteà verò diligendi figura exſiſteret.

Errandi occaſionem ſuſtuliſſet interpres, ſi vertiſſet, *Non populum meum populum meum*; præſertim cum vox Græca λαὸς, quæ etiam apud LXX. legitur populum ſignificet potiùs quàm plebem. Rurſus ex ſenſu dato atque ex ipſis teſtimonii verbis liquet, *dilectam* dici hoc loco, non à benevolentia Dei æterna quæ immutabilis eſt, ſed à beneficentia temporali, quæ dilectionis æternæ effectus eſt. Tunc igitur ex non dilecta cœpit dilecta fieri gentilitas, quando gratiæ ſuæ beneficiis cœpit eam Deus prævenire.

26. ET ERIT, IN LOCO UBI DICTUM EST EIS, NON PLEBS MEA VOS; IBI VOCABUNTUR FILII DEI VIVI. Hæc teſtimonii pars ſumpta eſt ex ejuſdem prophetæ cap. 1. & juxta typicam ſignificationem, de quo paulo antè, ſenſum hunc habet: *Et erit*, id eſt, hoc quod dicam, aliquando futurum eſt. *In ipſo loco*, ut in Græcia, Italia, Gallia, & ubicumque morati fuerint dudum à vero Dei cultu alieni, ſic ut vocari poſſint, *Non populus meus*; in eodem, inquam, loco & abſque eo quod locum mutent, verum Dei cultum ſuſcipient, ac per hoc erunt & vocabuntur filii Dei vivi, ſeu viventis, Græcè ζῶντος, id eſt, Dei veri, cujus eſſe vivere eſt,

Urget Apoſtolus hoc teſtimonium de loco, ne fortè dicat Judæus gentiles quidem aliquos ad verum Dei cultum tranſituros eſſe; ſed proſelytorum more, qui Judaiſmo ſuſcepto vel in Judæam migrabant, vel ſtatis temporibus, ſecundùm legem è ſuis locis aſcendebant ad templum quod erat Jeroſolymis. Hoc igitur Apoſtolus docet, quod Chriſtus Joan. 4. dicens ad Samaritanam mulierem: *Veniet hora quando neq; in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis patrem.*

Significatio præpoſitionis ὑπὲρ.

26. ISAIAS AUTEM CLAMAT PRO ISRAEL. Græcè ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ; quod ſignificat, *ſuper Iſrael*. Et ita vertit Eraſmus, tamquam idem quod *de Iſrael*. Conſtat tamen Græcam præpoſitionem genitivo junctam frequentiſſimè *pro* ſignificare, ut capite ſuperiori; *Spiritus poſtulat pro nobis. Si Deus pro nobis*, &c. & hoc capite, *pro fratribus meis*, & alibi paſſim. Quod ſecutus interpres noſter hoc loco vertit *pro Iſrael*. Quamquam etiam interdum ſumitur, ut idem ſignificet quod περὶ *de*; velut hujus epiſtolæ cap. 1. *Gratias ago Deo meo ſuper*, id eſt, *de omnibus vobis*: & ſimiliter *Eph. 1.* & *Philip. 1.* Unde ejus loco, in ſimili ſermone, alibi ponit περὶ, ut 1. Cor. 1. Col. 1. & in utraque ad *Theſſal. cap. 1.* Verum utra ſignificatio conveniat huic loco, & quis clamor hîc ſignificetur, doloris an gratulationis, ſtatim videbitur.

SI FUERIT NUMERUS FILIORUM ISRAEL, TAMQUAM ARENA MARIS; RELIQUIÆ SALVÆ FIENT. Teſtimonium hoc ſumptum ex Iſaiæ cap. 10. tametſi non planè ad verbum, ne quidem juxta verſionem LXX. Simul enim reſpexit Apoſtolus ad locum *Oſee* 1. ubi dicitur, *numerus filiorum Iſrael*, pro eo quod apud Iſaiam eſt, *populus tuus Iſrael*. Eſt enim ſermo prophetæ ad regem Ezechiam: aut, juxta alios, ad ipſum Iſraël.

Dubium eſt autem, utrum Apoſtolus adducens hoc teſtimonium cum ſequentibus, intendat probare vocationem Judæorum, ſicut ſuperiùs ex Oſee probavit vocationem Gentium; an verò ſpectet potiùs ad Judæorum abjectionem. Pro priori ſententia facit quod ſuprà de vocatis loquens dixerat utrumque, *ex Judæis & ex Gentibus*. Quare & de utroque ſubjicienda videbatur probatio. Deinde, quod juxta noſtram verſionem dicit, *pro Iſrael*, quod utique non ad abjectionem pertinet, ſed potiùs ad vocationem.

At verò poſteriorem ſententiam probabiliorem oſtendit concluſio Pauli, quam ſubjicit poſt inducta prophetica teſtimonia. Concludit enim Gentes apprehendiſſe juſtitiam; Judæos autem non apprehendiſſe, ſed impegiſſe in lapidem offenſionis. Quæ concluſio manifeſtè pertinet ad objectionem Judæorum.

Scopus Apoſtoli probare Judæorum reprobationem.

Quare etſi prophetæ locus utrumque doceat, & reprobationem multitudinis & vocationem paucorum ex eodem populo; præcipuus tamen Apoſtoli ſcopus eſt, ex prophetæ verbis oſtendere multitudinis, id eſt, ipſius populi, reprobationem: ut ſic etiam ex indirecto confirmet quod de vocatione Gentium dixerat. Si enim abjiciendus eſt populus Judaicus, ut pauci tantùm ex iis ſalventur; conſequens eſt magnificas illas promiſſiones benedictionis & ſalutis patribus illorum factas, in aliis, hoc eſt, in gentili populo implendas eſſe.

Clamor hoc loco non gratulationis ſed doloris.

Unde & conſequitur in parte præcedenti potiùs vertendum fuiſſe *de Iſraël*, quàm *pro Iſraël*. Sic enim & Græcos expoſitores, Origenem, Chryſoſtomum ac cæteros intellexiſſe eam partem, ſatis apparet ex eorum commentariis: licet interpretes eorum nonnulli inconſideratè verterint, *pro Iſraël*. Conſequitur etiam clamorem intelligi non gratulantis, ſed dolẽtis: quomodo frequenter accipitur apud prophetas. Igitur *clamat Iſaias*, id eſt, magno doloris affectu loquitur.

Nec verò opus erat Paulo, ut id quod dixerat *ex Judæis*, confirmaret alicujus prophetæ teſtimonio; quandoquidem res erat manifeſta. Nam & Apoſtoli & cæteri primi fideles ex Judæis erant; nec Judæorum vocationi Gentes umquam contradixerunt. Sed de Gentium vocatione Judæi quæſtionem movebant, ut in *Actis Apoſt.* videre eſt; quam proinde probari ex Prophetis, operæ prætium erat. Sicut & Jacobus Apoſtolus feciſſe legitur. *Act. 15.*

Senſus igitur prophetiæ eſt: Etſi populus ſecundùm carnem ex Iſraël genitus, juxta promiſſionem Abrahæ factam uſque adeò multiplicetur, ut comparari poſſe videatur cum arena quæ eſt in litore maris; ſolæ tamen ex eo reliquiæ, id eſt, pauciſſimi ſalvi erunt. Ex quo intelligendum relinquit Apoſtolus ipſam multitudinem populi perituram eſſe: quemadmodum dicit infrà cap. 11. *Cæteri verò excæcati ſunt.*

Si cui magis placet verſio, *pro Iſraël*; poterit hunc ſenſum facere: Iſaias hoc ſolum clamat pro Iſraël, reliquias ejus populi ſalvas fore: cætero qui denunciat multitudinem perituram. Proſequitur Apoſtolus.

28. VERBUM ENIM CONSUMMANS ET ABBREVIANS IN ÆQUITATE. *Verbum*, accuſativi caſus, Græcè λόγον. Vitabis ambiguitatem ſi *ſermonem* legas: nonnulli *rationem* malunt. Nam & rationem λογος ſignificat. Sed ſanè huic loco non convenit, multò minùs originali ſcripturæ, ex qua deſumptum eſt hoc teſtimonium. *Conſummans*, Græcè συντελῶν; pro quo Eraſmus, *perficiens*. Sed, ut ex ſenſu patebit, melius noſter vertit, *conſummans*. Quod ſequitur, *& abbrevians in æquitate*, Græcè eſt; *& concidens in juſtitia.*

QUIA VERBUM BREVIATUM FACIET DOMINUS SUPER TERRAM. *Breviatum*, Græcè *conciſum*. Citantur hæc à Paulo ſecundum editionem LXX. niſi quod apud eos pro ὅτι τῆς γῆς, *ſuper terram*, legitur ἐν τῇ οἰκουμένῃ ὅλῃ, id eſt, *in toto orbe terrarum*. Cæterùm exponẽda hæc ſunt ex Hebræo, ubi ſic legimus Hieronymo interprete: *Conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam. Conſummationem enim & abbreviationem* (Hebraicè *abbreviatam*) *Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.*

Verbum quid hoc loco.

Cùm igitur in Hebræo nulla fiat verbi mentio; non eſt hîc vocabulum illud peculiariter expendendum, ut vel de verbo incarnato, vel de verbo legis Moſaicæ, vel de verbo prædicationis evangelicæ, intelligatur: quibus diverſis modis diverſi *verbum* hoc loco interpretati ſunt, de quibus conſule Toleti commentarium: ſed referendum videtur ad verba prophetæ præcedentia, quibus dixerat, ex toto populo reliquias ſalvas fore; *ut hic ſit ſenſus:* Deus erit conſummans & abbrevians verbum in juſtitia, vel cum juſtitia; id eſt, Deus quod locutus eſt faciet, redigens Iſraëlem quem ſalvaturus ſit, ad brevem, acciſum & exiguum numerum, ita ut penè conſumatur. Sed tamen paucos illos faciet juſtitiæ donis affluentes, ſecundùm illud ejuſdem prophetæ cap. 4. *Omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Jeruſalem; ſanctus vocabitur.* Quod impletum fuiſſe conſtat in Apoſtolis ac cæteris primitivæ Eccleſiæ fidelibus, quos apoſtolica ſcriptura paſſim ſanctos appellat.

Quidam ſic; *in æquitate*, id eſt, in negocio conſequendæ juſtitiæ, erunt pauciſſimi.

Rurſus alii; *in juſtitia*, id eſt, juſtè ſeu juſto judicio id facturus eſt Deus. Nam, ut jam antè diximus, non hîc intendit Apoſtolus probare vocationem aliquorum ad juſtitiam & ſalutem; ſed Judaici populi reprobationem, ſalvis dumtaxat reliquiis. Quocirca conſummationem quoque non perfectionem, ſed conſumptionem, cum Vatablo, Forerio & aliis, expoſui: quippe cùm agatur de populi interitu. Cum enim res duobus modis conſummetur, vel dum perficitur, vel dum finitur atque eſſe deſinit: utriuſque acceptionis horum vocabulorum *conſummare* & *conſummatio*, ſatis obvia ſunt exempla in ſacris literis, ut ea huc adducere non ſit neceſſe.

Conſummationis duplex ſignificatio.

Porrò quod nonnulli verbum pro re poſitum interpretantur hoc ſenſu: Deus conſummabit & abbreviabit verbum, id eſt, conſummationem & abbreviationem faciet, idcircò minus placet quod verbum pro re Græcè dici ſoleat ῥῆμα, non λόγος. Quod facilè in libris Græcis utriuſque Teſtamenti, ſtudioſus lector obſervabit.

Jam verò poſterioris membri: *quia verbum breviatum*, &c. eadem cum priore ſententia eſt; niſi quod additur Deum id facturum *ſuper terram*, vel in terra, ſcilicet Iſraelitica, in qua erat populus tam numeroſus: vel juxta LXX. *in univerſa terra*, quia per totum orbem Judæi erant diſperſi. Nec aliud vult quod in Hebræo eſt, *in medio totius terræ*. Nam idem hoc eſt ac ſi dicas, in tota terra, videlicet juxta phraſim ſacræ linguæ peculiarem: de qua vide Hieron. *lib. 5. in Iſaiam cap. 13.*

29. ET SICUT PRÆDIXIT ISAIAS. Eodem pertinet hoc teſtimonium quo ſuperiora. *Prædixit*, Græcè προείρηκεν, quod Eraſmus vertere maluit, *prius dixit*, ut intelligatur eumdem prophetam hæc verba dixiſſe ante illa ſuperiùs citata. Habetur enim hæc ſcriptura cap. 1. Et quidem eo modo Græcum verbum accipitur Galat. 1. *Sicut prædiximus*, id eſt, antè diximus, & *nunc iterùm dico*. Sed nihil vetat prædictionem intelligi conſueto more ſcripturæ, nempe propheticam, qua res dicitur antequam fiat. Neque enim videtur Paulus curaſſe, priuſne an poſterius hæc quam illa ſcripſerit Iſaias.

NISI DOMINUS SABAOTH RELIQUISSET NOBIS SEMEN; SICUT SODOMA FACTI ESSEMUS, ET SICUT GOMORRHA SIMILES FUISSEMUS. Hebræam vocem *ſabaoth* retinuit Apoſtolus ex LXX. qui eam paſſim non tranſlatam reliquerunt, ubi Deo aſſcribitur hoc epithetum: aliâs, ut in pſalmis verterunt, τῶν δυνάμεων, id eſt, *virtutum*. Senſus eſt: Et fiet ſicut idem Iſaias prophetavit, dicens: Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis, id eſt, populo Judaico, ſaltem exiguum ſemen, in quo velut reliquiis, promiſſæ benedictiones implerentur; penitus eſſemus conſumpti & perditi, ſicut Sodomæi & Gomorrhæi, quorum nullæ prorſus exſtant reliquiæ; nec ulla ex parte illarum benedictionum fuiſſemus participes. Hinc quoque apparet, per conſummationem ſuperiùs intelligi conſumptionem.

Deus cur vocetur Dominus Sabaoth, id eſt, exercituum.

Cur autem Deus vocetur Dominus exercituum (ut de ea re breviter aliquid dicamus) hæc ratio eſt: quia infinitam habet angelorum multitudinem ſub imperio ſuo quaſi militantem, & ad omnia quæ juſſerit expeditam. Quo pertinent duodecim legiones angelorum Chriſto ſi vellet, exhibendæ à patre contra vim Judæorum. Generali nomine horum exercituum nonnulli etiam malos angelos comprehendunt. Nam & illi Deo ſerviunt ad ipſius nutum, nolentes volentes. Huc autem allegant quod Propheta Michæas 3. Reg. 22. vidit *Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris.* Namque eam partem exercitus quæ aſſiſtebat ei à ſiniſtris, putant fuiſſe malorum ſpirituum: quorum unus Domino interrogante, *Quis decipiet Achab? egreſſus ſtetit coram Domino, & ait, ego decipiam illum.*

An nomine exercituum Dei, mali angeli comprehendantur.

Mihi ſanè non probatur ad eum exercitum, ſive exercitus (nam utroque numero legitur) quorum Deus ſe Deum ac Dominum vocat, accenſeri ſpiritus nequam. *Quæ enim ſocietas luci ad tenebras*, 2. Corinth. 6. Aut quomodo conflabitur unus exercitus Dei ex angelis bonis & malis, quorum contrarii ſunt fines & ſtudia? Quod ſi angeli mali conſtituunt unum Dei exercitum cum bonis; qui ſunt igitur hoſtes, ad quos debellandos exercitus ille producitur? Serviunt quidem etiam mali angeli Deo, cui dictum eſt; *Omnia ſerviunt tibi*, Pſalm. 118. non tamen ut militiæ ejus aſſcripti, ſed ut ſervi mali, reprobi ac damnati, quibus etiam invitis utitur omnipotentia Dei ad ſuam gloriam & electorum ſalutem. Nam illa quæ verè dicitur militia cœleſtis exercitus, tota ſine fine hymnum gloriæ Deo concinit dicens; *ſanctus, ſanctus, ſanctus*, ut teſtantur verba ſacerdotis ad altare Dei.

Dicitur autem exercitus cœleſtis aſſiſtere Deo à dextris & à ſiniſtris tamquam hinc inde regi propinquus, & ad imperia promptus, ut ſolent milites ſuis ducibus aſſiſtere. Ab his enim ſumpta metaphora eſt. Neque ex illo erat exercitu ſpiritus ille mendax, qui operam offerebat ad decipiendum Achab, ſed *egreſſus* de loco ſuo, quicumque is fuerit, Domino obtulit ſeſe ad opera ſibi placita, mendacium & hominis nocumentum: quomodo Satan ille ſancti Job tentator, filiis Dei coram Domino aſſiſtentibus, adfuiſſe inter eos dicitur, & ſtetiſſe in conſpectu Dei, nequaquam tamen velut unus illorum. *Job. 1. & 2.* Sed de eo ſatis.

Porrò non obſtat expoſitioni utriuſque teſtimonii ex Iſaia allati, quam ex mente Pauli jam dedimus; quod fortè ſecundùm literam uterque locus pertineat ad reliquias Iſraelitici populi ex captivitate congregandas: de quo non contendimus. Nam illa litera adhuc alium ſenſum continet, allegoricum & ſublimiorem, eumdemque à Spiritu ſancto principaliùs intentum.

30. QUID ERGO DICEMUS? Concludit ex dictis, Cum, inquit, talia prædixerint Prophetæ de Gentium vocatione & Judæorum abjectione; quid dicemus? Nempe hoc quod ſequitur,

QUOD GENTES QUÆ NON SECTABANTUR JUSTITIAM, APPREHENDERUNT JUSTITIAM. Hoc eſt: quod Gentes quæ erant ſine cultu & lege unius Dei, ideóque nec juſtitiæ qua quis Deo placeat, aſſequendæ ſtudebant, & ut Syrus loquitur, *non currebant poſt juſtitiam*; aſſecutæ ſunt iuſtitiam, pervenerunt ad juſtitiam, juſtificatæ ſunt.

Gentes ex fide juſtitiam apprehenderunt.

JUSTITIAM AUTEM QUÆ EX FIDE EST. Id eſt: eam (dico) juſtitiam apprehenderunt quæ ex fide eſt, non quæ ex operibus. Simul indicat eos ipſa fide juſtitiam apprehendiſſe. Nam quaſi quæreretur: Quomodo juſtitiam apprehenderunt, quam non ſectabantur: Reſpondet, *ex fide*: non ſolùm quia ex fide juſtitia eſt, ſed etiam quia fide apprehenditur: eo nimirum ſenſu quem expoſuimus ad illud cap. 3. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem.* Eſt autem hæc notatio

Notatio veræ juſtitiæ, ex fide eſt.

veræ juſtitiæ, *quæ ex fide eſt.* Nam in ſuperioribus *cap.* 1. 3. & 4. ſatis docuit non ex operibus ſed ex fide juſtitiam haberi. Ubi etiam patuit, eam præcipuè fidem intelligi qua creditur in Chriſtum propitiatorem, cujus ex meritis tota juſtitia à Deo exſpectanda ſit.

31. ISRAEL VERO SECTANDO LEGEM JUSTITIÆ, IN LEGEM JUSTITIÆ NON PERVENIT. *Sectando* Græcè & Syriacè *ſectans*, quod etiam in Latinis mss. non paucis legitur. *Pervenit* Græcè ἔφθασε, *prævenit*, quemadmodum id vertit noſter interpres 1. *Theſſ.* 2. juxta codices emendatiores. Quamquam & *pervenit* non malè transferas: ut fecit Eraſmus. Neque enim plus quàm perveniendi ſignificationem urgere videntur Græcorum commentarii in ea voce, hoc quidem loco, tametſi Cajetanus diligenter ponderat prævention em.

Senſus: At contra Iſraël, id eſt, populus Judaicus, qui accepta Dei notitia, legem ſibi ab eo datam, qua vera juſtitia præcipitur, ſectabatur, eique ſtudebat implendæ; non pervenit ad eam juſtitiæ legem implendam, vel, non prævenit Gentes in implenda lege juſtitiæ. Quod tamen oportuit, quia legem jam olim à Deo acceperat.

Obſerva Paulum, cùm de Gentibus loquitur, nominare juſtitiam, cùm de Judæis, legem juſtitiæ; quia Judæis lex data erat, non Gentibus. Poterat alioqui ſimpliciter, & ſervata ad verbum antitheſi cum membro præcedenti, dicere, Judæos qui ſectabantur juſtitiam, non apprehendiſſe juſtitiam. Interim, vide lector, an non ſit hypallage, *in legem juſtitiæ*, hoc eſt, in juſtitiam legis, *non pervenit*; ac ſi diceret Iſraël dum ſectatur legem juſtitiæ magiſtram, non tamen aſſecutus eſt juſtitiam quam lex docet. Hujus autem ratio ſequitur.

Judæi legis ſectatores quare juſtitiam non aſſecuti.

32. QUARE? QUIA NON EX FIDE, SED QUASI EX OPERIBUS. In græcis additur νομου, legis; etſi non in omnibus. *Senſus eſt*: ideò non perveniſſe Judæos in legem juſtitiæ, quia non ex fide Chriſti legem juſtitiæ ſectabantur, id eſt, legi implendæ ſtudebant; ſed ad eam nitebantur per opera, ſcilicet, non ex fide profecta, ſed ex ſola legis cognitione. Ratio magis erit perſpicua, ſi legem juſtitiæ interpreteris juſtitiam legis, ſenſu paulò antè indicato.

Dicit autem *quaſi*, vel quoniam ejuſmodi opera videntur ad juſtitiam valere, quùm revera non valeant; vel quia juſtitia, ex ejuſmodi operibus comparata, videtur eſſe juſtitia, & non eſt. Scito non hîc reddi rationem cur reprobati fuerint Judæi, ſed cur non juſtitiam aſſecuti.

OFFENDERUNT ENIM IN LAPIDEM OFFENSIONIS. Cauſam ſubjicit ejus quod dixit *non ex fide*: quia ſcilicet Chriſtum in quem crederent, ut credendo juſtificarentur, propter ejus humilitatem & carnis infirmitatem non agnoverunt, nec receperunt: imò graviter in eum, velut lapidem humi jacentem, offenderunt, malè & indignè eum tractantes. Metaphora ſumpta ab iis qui per viam incedentes, in lapides quos non vident, pedibus impingunt. Lapis offenſionis ſive offendiculi, pro lapide in quem offenditur, Hebraiſmus eſt. Huc pertinet quod prædictum erat à Simeone, Chriſtum poſitum eſſe *in ruinam multorum in Iſraël*, Luc. 2. & quod ipſe Chriſtus dixerat, *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me*, Matt. 11. Verùm Apoſtolus more ſuo rem confirmat teſtimonio ſcripturæ propheticæ.

Judæi offenderunt in lapidem Chriſtum.

33. SICUT SCRIPTUM EST: ECCE PONO IN SION LAPIDEM OFFENSIONIS ET PETRAM SCANDALI. Id eſt, *offendiculi*. Nam σκάνδαλον offendiculum ſignificat. Teſtimonium conflatum ex duobus locis Iſaiæ prophetæ. Nam prior pars, *Ecce pono in Sion lapidem*, habetur in cap. 28. iſtud verò *lapidem offenſionis & petram ſcandali*, legitur cap. 8.

Quæritur quid differant lapis offenſionis & petra ſcandali. Toletus ita diſtinguit, ut lapis offenſionis dicatur parvus quiſpiam lapis, in quem offendunt & impingunt qui per viam ambulant: petra ſcandali, ſaxum magnum ſuper hominem cadens. Nam ut Græca vox πέτρα non quemvis lapidem, ſed rupem ſignificat; ſic & Hebræa צוּר tſur, paſſim pro rupe vel ſaxo majore accipitur. Itaque ſentit Chriſtum dici lapidem offenſionis, quia in humilitate veniens non fuit à Judæis agnitus, ſed repulſus; petram verò ſcandali, quia poſt reſurrectionem & aſſcenſionem in cœlum, petra factus, cecidit ſuper eos & oppreſſit atque contrivit, per Romanos adimens illis locum & gentem: idque ſignificatum videri illis verbis Salvatoris, Matth. 21. & Luc. 28. *Super quem ceciderit* lapis iſte, *conteret eum*. Igitur petram ſcandali interpretatur petram caſus ſeu ruinæ, ſed activa ſignificatione, id eſt, petram cadentem ſeu ruentem.

Lapis offenſionis & petra ſcandali, an differant.

Hanc diſtinctionem, quam alibi non legi, Jo. Lorinus *in comment. ſupe. 1. Pet. 2.* non probat, uti nec ego probare poſſum: primùm quia coacta & inſolita eſt interpretatio, petra ſcandali ſive offenſionis (ut omnes ex Hebræo vertunt) id eſt, petra ruens aut cadens. Nam ubi petra cadens opprimit hominem; ridiculè dixeris petram in hominem offendiſſe. Neque Simeon Luc. 2. de Chriſto dicens: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam*, ſignificare voluit impactionem aut ruinam Chriſti in quoſdam, ſed ruinam quorumdam impingentium in Chriſtum ut lapidem.

Quod verò Dominus in evangelio dicit: *Super quem verò ceciderit*, &c. non explicat cur dicatur petra ſcandali; ſed potiùs docet, quàm ille qui fuerat quibuſdam petra ſcandali, non ſit eis contemnendus; ut qui tamdem eos, poſteaquàm in prægrandem petram excreverit, oppreſſurus ſit, ac penitus contriturus. Quamquam apud Evangeliſtas, ubi id narratur Chriſtum dixiſſe, non πέτρα, ſed tantùm λίθος, in eſt, *lapis* legitur. Denique Petrus Apoſtolus, cùm poſt illa verba de Chriſto dicta *lapis offenſionis & petra ſcandali*, ſubjungit, *his qui offendunt verbo*; ſatis apertè ſignificat una eademque ratione Chriſto utrumque tribui; quia videlicet offendentes in verbum evangelii, offenderunt in Chriſtum quem evangelium annunciabat.

Nec his obſtat ſignificatio vocis Hebraicæ pro qua petram legimus: Magis enim connotat duritiam ac firmitatem, quàm magnitudinem. Unde pro ea nunc ſaxum, nunc ſilicem vertunt. Nec de grandi lapide intelligi poteſt illud Exod. 4. *Tulit illicò Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui.* Sed & hoc conſtat, vocabula vicinæ ſignificationis, ubi verborum copia quæritur, maximè apud Hebræos, uſurpari pro eodem ſignificato. Quare, quæ omnium fere ſententia eſt, in verbis prophetæ dicimus eſſe ejuſdem rei inculcationem prophetis familiarem: ut quemadmodum Græca πρόσκομμα & σκάνδαλον, & quæ ex Hebræo vocabula reſpondent, accipiuntur velut ſynonyma; ſic etiam lapis & petra.

Ejuſdem rei inculcatio prophetis familiaris.

Senſum igitur dicamus allegati à Paulo teſtimonii.

Ecce, inquit Deus, *ego ponam in Sion*, id est, in Judæa, vel in Ecclesia, cujus initium ex Sion, hoc est, ex Jerusalem metropoli Judææ; ponam inquam, *lapidem probatum, angularem, pretiosum*: & eumdem *lapidem offendiculi*: hoc est, Christum ex Judæis nasciturum, atque inter eos conversaturum; in quem ipsi, qui sibi rectè & inoffensè videbantur ambulare, tamquam ex lege justi, graviter impacturi sint & cæsuri; non sine vulnere, videlicet percussi ac læsi, à lapide in quem impegerint. Dico percussi ac læsi, ad exprimendam vim Hebraicæ dictionis priori loco positæ בנף negeph: quam Pagninus percussionem, alii allisionem vertunt. Sensum quem dedi, confirmat locus Petri 1. *epist.* 2. ubi verba Prophetæ pleniùs recitat.

Confundi pro pudefieri frequens apud vulgatum interpretem.

ET OMNIS QUI CREDIT IN EUM, NON CONFUNDETUR. *In eum* Græcè ἐπ' αὐτῷ, *in eo*. Et *confundetur* dixit interpres pro *pudefiet*. Hoc rursum ex eodem 28. capite desumptum est, idque juxta versionem LXX. qui, quod in Hebræo est, *non festinabit*, id est, *non festinet*, quomodo Hieronymus vertit transtulerunt; οὐ μὴ καταισχυνθῇ, *nequaquam pudefiet*; quemadmodum citat & Petrus: tametsi Paulus hîc & sequenti capite scribit simplici negatione, οὐ καταισχυνθήσεται, *non pudefiet*. Addidit autem de suo signum universale, *omnis*; ne quis dubitaret tam ad Gentiles quàm ad Judæos sententiam esse extendendam; sicut eam ipse studiosè extendit capite sequenti.

Igitur hic sensus est: Et omnis, sive Judæus, sive Gentilis, qui crediderit in illum lapidem, id est, Christum; videlicet per ipsum à Deo justitiam & salutem exspectans; *haudquaquam pudefiet*, hoc est, exspectatione sua non frustrabitur: quia sicut credidit, omninò futurum est ei.

Vel juxta textum Hebraicum, *Non festinet*, id est, non sit impatiens moræ, sicut illi qui dicebant, *Ubi est verbum Domini? veniat.* Jerem. 17. &, *Ubi est promissio & adventus ejus?* 2. Pet. 3. sed patienter exspectet, certissimus, ita futurum ut credit, etiamsi res in tempus valde longum differatur. Sic Abacuc. 2. *Si moram fecerit, exspecta eum: quia veniens veniet.* Itaque per metalepsin, quod in Hebræo est *ne festinet*, LXX. verterunt *non pudefiet*. Nam ideò festinant homines ad rem promissam, quia metuunt ne per moram ab ea excludantur atque frustrentur. Frustratos autem pudor consequi solet. Patet igitur utramque lectionem in eumdem sensum convenire.

Sunt qui putent LXX. diversum verbum legisse ab eo quod nunc habetur in Hebræo: id quod Toletus censet non esse improbabile; cum & aliàs interdum id eis acciderit.

Porrò loquuntur Apostolus & Propheta de fide conjuncta cum spe & fiducia. Quod satis insinuat illud, ἐπ' αὐτῷ, *in eo*, vel *super eo*, quod magis ad spem solet accommodari. Deinde intellige credentem obedienter, sicut declaratum est *cap. 1. & 3.* & adhuc in sequentibus declarabitur. Quæ fides hic intelligatur.

Postremò quæres quid hæc Prophetæ sententia ad Judæos reprobatos, qui non erant crediturí? De his enim priùs loquebatur. Resp. subjici testimonium hoc ab Apostolo ad piorum consolationem simul & exhortationem: ac si diceret: Verumtamen *omnis qui credit* &c. Certissima n. consequentia est: si piè & perseveranter credis, te non esse de numero reproborum.

CAPUT X.

1. FRatres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. 2. Testimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam. 3. Ignorantes enim justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. 4. Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti: 5. Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea. 6. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Non dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere: 7 Au quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare. 8. Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus 9. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. 10. Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. 11. Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur. 12. Non enim est distinctio Judæi & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. 13. Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. 14 Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? 15. Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem evangelizantium bona! 16. Sed non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro? 17. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. 18. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum 19. Sed dico: Numquid Israël non cognovit? Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam. 20. Isaias autem audet, & dicit: Inventus sum à non quærentibus me: palàm apparui iis, qui me non interrogabant. 21. Ad Israël autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.

Lev. 18. *a.* 5. *Ezec.* 20. *b.* 11. *Deuter.* 30. *cap* 12. *Deute.* 30. *cap.* 14. *Isa.* 28. *d.* 16. *Joel.* 2. *g.* 22. *Act.* 2. *c.* 21. *Isa.* 52. *b.* 7. *Nah.* 1. *d.* 15. *Isa.* 53. *a.* 1. *Joan.* 12. *f.* 38. *Psa.* 18. *a.* 5. *Deut.* 32. *cap.* 21. *Isa.* 65. *a.* 1. *Isa.* 56. *a.* 2.

SUMMARIUM.

JUDÆI suam quæ ex lege est, justitiam statuere volentes, Dei justitiam quæ ex fide est, & omnibus tam Judæis quàm Gentibus propositam, non sunt assecuti. Fides ex auditu est, cujus in omnem terram prædicatio pervenit: Quam repellentibus Judæis Gentes receperunt.

FRATRES VOLUNTAS, QUIDEM CORDIS MEI ET OBSECRATIO AD DEUM, FIT PRO ILLIS IN SALUTEM. Sicut initio capitis superioris, ubi de reprobatione Judæorum verba facturus erat Apostolus, præfatione usus est, qua suspicionem animi malè affecti in gentem suam, à se removeret; ita nunc quoque postquam de eorum reprobatione quæ dicenda fuerant, exposuit, & Scripturæ sacræ testimoniis confirmavit; subjicit ac renovat suæ erga eos benevolentiæ declarationem, affirmans se illis ex animo benè cupere, ut pro quorum salute Deum instanter oret.

Eudoxia quid significet.

Voluntas, Græcè εὐδοκία, Augustino *bona voluntas*: quomodo vocem hanc etiam vulgatus interpres transtulit Lucæ 2. & alibi sæpè. Erasmus hoc loco *propensam voluntatem* vertit: Nos uno vocabulo *benevolentiam* dicere possumus, *Obsecratio*, δέησις, id est, *deprecatio*. *Ad Deum fit* Græcè ἡ πρὸς τὸν θεὸν, *quæ ad Deum*, subaudi *est* aut *fit*. Quod sequitur *pro illis*. Græcè est ὑπὲρ τοῦ ἰσραὴλ, *pro Israël*, vel *super Israël*; id est, causa Israëlis. Quamquam in nonnullis codicibus legitur, ὑπὲρ αὐτῶν, *pro illis*. Tum sequitur, *est in salutem*.

Itaque particula *pro Israël*, vel *pro illis*, tam parti præcedenti quàm sequenti connecti potest; tametsi meliùs præcedenti; ut sensus sit: Propensa animi mei voluntas & affectio, quam in me sentio erga gentem meam, & deprecatio qua Deum assiduè pro illis oro, spectant ad eorum salutem: Quod certum est argumentum me eis quam optimé velle.

Quæres, quomodo pro illis orare se dicat, quos sciebat à Deo reprobatos. *Respondeo*: orabat non ut omnes salvi fierent, sed ut aliqui ex illis, scilicet ii quos Deus præordinaverat per orationes sanctorum esse salvandos. Neque enim omnes Judæi reprobi erant: Ita capite sequente: *Si quomodo*, inquit, *ad æmulationem provocem carnem meam, & salvos faciam aliquos ex illis.* Paulus quomodo pro Judæis oret, sciens esse reprobatos.

2. TESTIMONIUM ENIM PERHIBEO ILLIS QUOD ÆMULATIONEM DEI HABENT, SED NON SECUNDUM SCIENTIAM. Cum dixit *in ſalutem*; ſignificavit eos à ſalute aberrare, quantumvis zelum Dei habeant. Id hac parte nunc probat. *Æmulationem*, Græcè ζῆλον, quo ſignificatur ſtudium vehemens ad rem aliquam.

Ζῆλος ſignificat ſtudium vehemens.

Senſus eſt; Teſtimonium illis perhibeo, planè affirmo, quod magno zelo ac ſtudio ferantur erga Deũ & legem ejus, voluntatem habentes Deo ſerviendi juxta legis ejus præſcriptum, &, ſicuti paulo ante dictum eſt, legem juſtitiæ ſectantes. Quod eorum ſtudium ſic in genere conſideratum, laudabile eſt. Sed id faciunt non *ſecũdum ſcientiam*, Græcè κατ' ἐπίγνωσιν, *ſecundum cognitionem*. Hoc eſt: Zelus ille ſeu ſtudium non eſt *regulatum*, ut loquitur Cajetanus, *neceſſaria cognitione*. Neſciunt enim quemadmodum Deo ſerviendum ſit; id eſt, qua via ac ratione quærenda juſtitia qua Deo placeatur. Quo fit ut zelum illum, genere ſuo laudabilem, vitient; dum in particulari errantes, perverſa via procedunt ad juſtitiam comparandam, Deoque placendum: velut ſi quis furetur, ut faciat eleemoſynas, exiſtimans id Deo gratum eſſe. De hoc zelo Judæorum etiam Chriſtus ad diſcipulos loquitur dicens: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*, cauſam ſubjungens ignorantiam: *quia non noverunt patrem, neque me*. Joan. 16. Unde & hîc Apoſtolus, probans illud quod dixerat, *non ſecundùm ſcientiam*; ſubjungit.

Judæorum zelus non ſecundum ſcientiam.

3. IGNORANTES ENIM. JUSTITIAM DEI ET SUAM QUÆRENTES STATUERE, JUSTITIÆ DEI NON SUNT SUBJECTI. *Suam* Græcè τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην, *propriam juſtitiam*. Nam & Syrus *juſtitiam* hîc repetit. Dei juſtitiam hoc loco vocat Apoſtolus, vel quam Deus in nobis efficit, ut paſſim exponit Auguſtinus, vel qua quis verè coram Deo juſtus eſt: quibus modis expoſitum eſt ſuprà, cap. 1. & 3.

Quæ juſtitia Dei hoc loco.

Non autem ut ſectarii quidam volunt, qua Deus ipſe juſtus eſt: quaſi de externa & imputativa juſtitia loquatur Apoſtolus. Quem intellectum diſertè excludit idem Auguſt. compluribus locis, ac nominatim in *lib. 3. contra duas epiſt. Pelag. cap. 7. & lib. de grat. & lib. arb. cap. 12. & tract. 26. ſuper Joan.* Quo loco ſic ait, hæc ipſa Pauli verba referens & exponens: *Juſtitia Dei hic dicitur, non qua juſtus eſt Deus; ſed quam dat homini Deus, ut juſtus ſit homo per Deum.*

Externa & imputativa juſtitia excluditur.

Senſus igitur eſt: Ignorantes juſtitiam illam, quæ hominem verè & coram Deo juſtum reddit; quæ profectò non alia eſt quàm cujus Deus in nobis author eſt; & propriam juſtitiam, id eſt, eam quæ habetur propriis viribus ſola legis notitia adjutis, ſtatuere ac tueri conantes; non fuere ſubditi juſtitiæ Dei, nec ejus participes facti; quæ quidem ſola vera juſtitia eſt. Dicit autem *ſubditi*, quia hujus juſtitiæ nemo fuit particeps, niſi per humilitatem fidei ſe Deo ut authori juſtitiæ ſubjiciat.

Porrò nunc aliis verbis id repetit Paulus quod ſuprà dixerat Iſraëlem dum ſectatur legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non perveniſſe; quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus ad eam contendebat. Eſtque notanda antitheſis hoc loco inter juſtitiam Dei, quam alibi juſtitiam fidei vocat, & juſtitiam propriam, quam alibi juſtitiam legis. Sic enim de ſeipſo Paulus ad Philip. 3. *Et inveniar in illo non habens meam juſtitiam quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt juſtitia in fide.*

Antitheſis inter Dei juſtitiã & hominis propriam.

Illud etiam obſerva non dixiſſe Paulum: & propriam juſtitiam ſtatuentes, ſed *ſtatuere quærentes*, quemadmodum & ſuperiùs dixerat, *quaſi ex operibus*; quia ſcilicet hæc propria juſtitia non eſt vera juſtitia quæ ſtatui poſſit.

Pelagianorũ idẽ error cũ Judæis, imo deterior.

Locus hic bene notandus contra Pelagianos, quorum hac in parte fuit idem error cum Judæis ſuam juſtitiam ſtatuere conantibus; imò deterior. Conſtat enim eos aliquando tribuiſſe ſoli naturæ, quod Judæi naturæ non tribuebant, niſi cum auxilio legis à Deo datæ.

4. FINIS ENIM LEGIS CHRISTUS AD JUSTITIAM OMNI CREDENTI. Finem Latini ferè intelligunt cauſam finalem: ut Chriſtus dicatur finis legis Moſaïcæ, quia tam lex ceremonialis ſignificando & prænunciando, quàm lex moralis infirmitatem hominis arguendo, Chriſtum ſalvatorem ut finem & ſcopum ſpectabant. Sic etiam Theodoritus Græcus. At verò cæteri Græci, & inter Latinos Hugo Victorinus atque Hervæus finem interpretantur impletionem, conſummationem, perfectionem, ut vertit Eraſmus; & quod Apoſtolus infrà cap. 13. vocat plenitudinem, cùm ait, *Plenitudo legis eſt dilectio.* Quam interpretationem Græca vox τέλος magis recipit quàm Latina *finis*: quemadmodum è diverſo finis apud Latinos magis quàm τέλος apud Græcos, ſignificationem habet ejus cauſæ cujus gratia quippiam fit.

Chriſtus quo ſenſu finis legis.

Hoc igitur modo ſenſus eſt: Chriſtum eſſe per quem lex impletur, & vera juſtitia acquiritur; quatenus quiſque in eum credit ut propitiatorem, per quem Deus & peccata remittat, & gratiam bene vivendi præſtet. Hunc ſenſum planè exigunt ſuperiora. Reddit enim Apoſtolus rationem ejus quod dixerat, *ignorantes juſtitiam Dei*: docetque hujus ignorantiæ cauſam eſſe, quia Chriſtum, per quem ſolum lex impletur ad juſtitiam, non agnoverunt, ſed in eum ut lapidem offenſionis impegerunt. Similis ſermo eſt Apoſtoli. 1. Tim. 1. *Finis præcepti charitas de corde puro*, &c. quo nimirum ſignificat charitate legem impleri. Vide ejus loci commentarium.

Porrò nihil hic locus facit pro ſectariis docentibus ſolam fidem ſufficere ad juſtitiam, eo quod dicatur, *ad juſtitiam omni credenti*. Nam Apoſtolus dum fidem nominat, etiam cætera vult intelligi, quæ fides monſtrat agenda: vel quod eodem recidit, fidem intelligit bona voluntate formatam.

Obſ. contrà ſectarios. Quod non ſola fides ad juſtitiam ſufficiat.

5. MOYSES ENIM SCRIPSIT, QUONIAM JUSTITIAM QUÆ EX LEGE EST, QUI FECERIT HOMO VIVET IN EA. Scriptura Moyſi ad quam reſpicit, habetur Levit. 18. Græca & Syriaca hujus loci ſic habent: *Moyſes enim ſcribit juſtitiam quæ ex lege, quia qui fecerit ea homo, vivet in eis.* Ita legit Chryſoſt. & cæteri poſt eum Græci commentatores: quibus etiam commentator Amb. accedit. Sed & Haimo Latinus teſtatur in quibuſdam codicibus haberi, *vivet in eis.* Quod utique favet Græcorum lectioni. Atque hoc modo verba Moyſi rurſum Apoſtolus citat Gal. 3.

Cauſa mutatæ lectionis hoc loco fuiſſe videtur, quod illa pluralia *ea* & *eis* non haberent quo referrentur, cum nomen plurale non præceſſerit. Verùm Apoſtolus ipſa Moyſi verba ſecundum LXX. recitans, ut in Levitico habentur, plurale nomen προστάγματα *mandata*, ex eodem loco ſubintelligendum reliquit: ſicut & in *epiſt. ad Galat.* Quamquam ùtrovis modo legatur, ad ſenſum non adeò multùm intereſt.

Quidam ex Græco ſententiam ita reddunt: *Moyſes enim deſcribit juſtitiam quæ eſt ex lege* his verbis: *quod qui fecerit ea homo, vivet per illa.* Eraſmus & alii ſic ordinant: *Moyſes enim ſcribit de juſtitia quæ ex lege eſt, quod homo qui fecerit ea*, ſcilicet mandata legis, *vivet in eis*, vel *per ea*. Quæ ſtructura magis placet: ſequitur enim conſimili ſermone.

6. QUÆ AUTEM EX FIDE EST JUSTITIA, SIC DICIT. Subaudi, de ea. Quæ autem, inquit, ex fide juſtitia eſt, de ea ſic loquitur idem Moyſes Deut. 30. *Ne dixeris in corde tuo*, &c.

Porrò de ſenſu totius ſententiæ major eſt difficultas. Plerique juſtitiam quæ ex lege eſt, intelligunt eam quæ habetur ex ſola legis cognitione, non ex fide & gratia Chriſti: conſiſtit autem in externa qualicumque obſervatione præceptorum legis. Eam verò

Juſtitiã quæ ex lege eſt, quam vocet Apoſtolus.

justitiam qui fecerit homo, vivet in ea, ut aïunt, vita temporali ; quia lex Moysi non minatur ei mortem, sed magis promittit bona temporalia: etiamsi legem servet solo timore pœnæ ; sicut eam servabant carnales Judæi.

Quem intellectum confirmare videtur antithesis quam hic facit Apostolus inter justitiam quæ ex lege est & eam quæ ex fide. Nam & eamdem antithesim observare est in ejusdem Apostoli verbis quæ suprà adduximus *ex epist. ad Phil.* 3. Hoc etiam sensu videtur accipi posse loca Scripturæ *Levit.* 18. *& Ezech.* 20. in quibus dicitur, & subinde repetitur de legibus, præceptis atque judiciis Dei, quòd ea faciens homo vivet in eis. Rursum hunc sensum exposcere videtur alter Apostoli locus qui est ad Gal. 3. ubi similiter ad scripturam Levitici respicere videtur : *Lex*, inquit, *non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis.* Legitur hic sensus apud Augustinum lib. 4. contra duas epist. Pelag. cap. 5.

Aliorũ sententia probabilior.

Verumtamen alii de vera legis observatione, & consequenter de vita æterna locum hunc accipiunt, ut sensus sit : Moyses scripsit de justitia quæ est ex lege observata, eum victurum vera & æterna vita apud Deum, qui fecerit ea quæ lex præcipit. Sed eam justitiam qua legem observet, nemo consequi poterit nisi per fidem in Christum. Hic sensus optimè respondet ei quod præcedit: *Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti.* Qua sententia significatum est, legem quæ justitiam exigit, non nisi per Christum, si in eum credas, impleri seu consummari.

Sensum hunc tradunt Chrys. & eum secuti Theophyl. & Oecumen. Quin & August. *eodem loco citato*, post priorem sensum, etiam hunc adducit, ita scribens: *Aut si altiùs intelligendum est, propter vitam æternam scriptum esse, qui fecerit ea, vivet in illis, &c.* Et infrà: *Verùm ergo dicit lex : Qui fecerit ea, vivet in illis. Sed ut faciat ea, & vivat in eis, non lex quæ hoc imperat, sed fides est necessaria, quæ hoc impetrat.* Idem verò Augustinus in libro de spiritu & litera cap. 29. solùm hunc posteriorem sensum agnoscit & explicat, his post alia verbis : *Opus enim quod qui fecerit, vivet in eo, non fit nisi à justificato. Justificatio autem ex fide impetratur: de qua scriptum est, Ne dixeris in corde tuo*, &c.

Adde quod hunc intellectum planè videtur exigere locus *Deuter.* 30. ubi post expressum præceptum dilectionis Dei ex toto corde & ex tota anima, subditur *ut possis vivere*: ac deinde sequitur illud quod hoc loco Paulus commemorat pro justitia fidei : *Mandatum quod ego præcipio tibi, non supra te est*, &c. Post quæ paucis interpositis, iterùm dicit : *Ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & custodias mandata illius ; & vivas.*

Deũ ex toto corde diligere vera justitia est.

Cùm igitur Deum ex toto corde diligere vera justitia sit, manifestum est de vera justitia Moysen loqui; & consequenter de vita sive æterna sive temporali, ut præmio veræ justitiæ. Siquidem etiam temporalis vita seu longævitas (quum ita Deo visum fuerit) illius præmii portio quædam est. Unde præceptum illud legis: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram*, Exod. 20. repetit cum sua promissione Paulus in novo Testamento, *Ephes.* 6. Atque in universum *pietas* eodem Apostolo teste, *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ*, 1. Tim. 4.

Felicitas etiã temporalis sub merito justitiæ cadit.

Hic accedunt & aliæ scripturæ: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 19. *Hoc fac & vives*, Luc. 10. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, Matth. 5. *Qui vult vitam diligere & dies videre bonos, coërceat linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum*, &c. 1. Pet. 3. Nec quicquam sanè vetat etiam in *Levitico* & apud *Ezechielem* hoc modo justitiam seu legis observationem & vitam accipi. Imò valde probabile nobis est ita accipi oportere. An verò sensum etiam admittat id quod adfertur *ex ep. ad Gal.* discutiendum erit eo loco.

Justitia quæ ex sola lege, falsa justitia est, & in scripturis vituperatur.

Denique verò confirmatur hæc expositio; quia justitiam, quæ ex sola legis est cognitione, cùm sit falsa justitia, nunquam sacri scriptores commendant ; sed passim rejiciunt & vituperant, ut Isaias *cap.* 64. & Paulus tam *hoc loco* quàm ad *Philip. cap.* 3. Ubi notandum obiter, non eum absolutè vituperare justitiam ex lege ; sed suam justitiam ex lege : *meam justitiam quæ ex lege est*; quemadmodum & hîc dicit, *suam quærentes statuere*: quæ sunt veluti determinationes alienantes. Contra verò Moyses & Ezechiel commendant & hortantur ad eam justitiam quam Apostolus hoc loco vocat justitiam ex lege : Non ergo per hanc justitiam intelligit eam, quam præstat solius legis cognitio.

Quomodo differant justitia ex lege & justitia fidei.

Differunt tamen justitia ex lege & justitia fidei, non ut oppositæ justitiæ, sicut paulò antè, justitia sua & justitia Dei, sed ut una justitia diversimodè considerata. Vocatur enim justitia fidei, ratione causæ impetrantis; quia non habetur nisi per fidem Christi. Vocatur autem justitia ex lege, ratione objecti, quia *factores legis justificabuntur* suprà cap. 2. Quod discrimen colligi potest ex illis verbis capitis superioris : *Israël in legem justitiæ non pervenit, quia non ex fide.* Nam inde sequitur, ex fide perveniendum esse in legem justitiæ. Aut certè differunt, secundùm alios, ut justitia inchoata & continuata : quia justitia vera sumit initium à fide, quam nulla præcedunt opera : continuatur autem & augetur ex eadem fide per opera bona lege præcepta.

NE DIXERIS IN CORDE TUO : QUIS ASCENDET IN CÆLUM? ID EST, CHRISTUM DEDUCERE.

7. AUT QUIS DESCENDET IN ABYSSUM? HOC EST CHRISTUM A MORTUIS REVOCARE. Græcè *è mortuis reducere.* Annotant commentatores Theophyl. Oecumen. & alii, Paulum accommodatione quadam sapienter transferre ad Christum, & ad commendandam fidei justitiam, ea quæ Moyses ad literam dixit de mandato legis non longè, id est, ex remotis & inaccessis locis, ut de cœlo vel ultra mare, petendo, sed in promptu posito ; propterea quod ipse illud planis ac disertis verbis coram populo exposuisset. *Nec* enim *est inconveniens*, ait B. Thomas, *si quod Moyses dixit de mandato legis, hoc Apostolus attribuat Christo; quia Christus est verbum Dei, in quo sunt omnia Dei mandata.* Certè etiam alibi nonnunquam sensum accommodatum agnoscere necesse est in scripturis ab Apostolo citatis: quemadmodum suis locis ostendemus. Itaque non est necessarium hoc loco quod quidam operosè faciunt, sensum Apostoli quærere in verbis Moysi, ut ab eo secundùm literam prolata sunt.

Sensus accõmodatus in scripturis.

Est autem hîc Apostoli *sensus* : Moyses de justitia fidei, id est, de justitia per fidem habenda, sic loquitur: Ne dicas apud temetipsum : *Quis ascendet in cœlum?* scilicet ad deducendum inde Christum. Hoc enim dicere, est impossibile reputare quòd Christus descenderit de cœlo, ut carnem assumeret pro nostra salute: quomodo naturaliter impossibile est homini ascendere in cœlum, atque inde aliquid huc adducere. Neque dicas, Quis descendet in profundum? videlicet ad reducendum Christum à mortuis atque ab inferis ad vitam. Nam hoc dicere, est impossibile reputare quod Christus reversus sit ab inferis, atque à mortuis resurrexerit: quomodo naturaliter impossibile est ut quis descendat ad inferos, & inde aliquid huc reducat.

Quid Paulo ascendere in cœlũ, & descendere in abyssum.

Cæli nomen usu Scripturæ sacræ non solos comprehendit orbes cœlestes, ut apud philosophos naturales, verùm etiam elementa inter nos & orbes illos media, quatenus ita sublimia sunt & supra nos posita, ut ad ea naturaliter homines ascendere nequeant. Unde passim legimus nubes cœli, volucres cœli, plu-

Cœli nomẽ in scriptura quid significet.

viam cœli. Sic accipitur in verbis Moyſi hîc citatis; nec aliter hoc loco : licèt verificatio fiat pro cœlo beatorum, in quo peculiari ratione Deus eſſe & habitare dicitur.

Sciendum quoque in Moyſi verbis, ad quæ Paulus reſpicit, non haberi vocabulum abyſſi, ne quidem apud interpretes LXX. ſed hoc modo legi: *Quis è nobis poterit transfretare mare?* Rectè tamen Apoſtolus pro eo dixit: *Quis deſcendet in abyſſum?* quia qui ad mare transfretandum naves intrant, Hebræa phraſi deſcendere in mare dicuntur. Unde David Pſalm. 106. *Qui deſcendũt in mare in navibus.* Et quia maris aquæ profundiſſimæ ſunt, etiam abyſſus in ſcripturis vocantur, velut fundo carentes, ut Exod. 15. *Abyſſi operuerunt eos*, quod paulò pòſt repetit dicens: *Operuit eos mare.* Sed quia nomen abyſſi commune eſt etiam profunditati terræ, ut Pſalm. 70. *De abyſſis terræ iterum reduxiſti me*: idcircò Paulus de reditu ab inferis loquens, abyſſum nominavit. Nam & Jonæ prophetæ projectio in mare, non ſolùm mortem & ſepulturam Chriſti, ſed & ejus ad abyſſum terræ, id eſt, ad inferos deſcenſum præfiguravit.

Abyſſus quid in Scripturis ſignificet.

Porrò ſenſus quem dedimus ſecuti Chryſoſtomum, cui Theophylactus & Oecumenius accedunt, præterquàm quod expeditus eſt, etiam ex ſequentibus accipit probabilitatem, ubi dicitur, *Quia ſi confiteàris in ore tuo*, &c. uti patebit ex commentario.

Obſerva contra quoſdam Hæreticos. De deſcenſu Chriſti ad inferos.

Hic igitur Pauli locus, unus ex iis eſt, quibus illa pars ſymboli Apoſtolici, *deſcendit ad inferos*, à quibuſdam hæreticis rejecta, ab aliis perperam expoſita, ſtabilitur juxta ſenſum obvium ac germanum, & in eccleſia ſemper agnitum & probatum; quo ſignificatum ſit, Chriſtum in cruce mortuum, & corpore poſitum in ſepulchro, ſecundùm animam ad inferos, hoc eſt, ad infera terræ loca, quibus animæ mortuorum incluſæ tenebantur, deſcendiſſe; quaſdam earum inde liberaturum.

Sunt qui Pauli verba ſic exponant: Ne dicas: Quis aſcendet in cœlum? id eſt, nemo aſcendet. Hoc enim eſſet Chriſtum ex alto deducere: id eſt, negare aſcenſionem ejus in cœlum, & ſeſſionem ad dexteram Patris. Neque dicas; Quis deſcendet in profundum, id eſt, nemo deſcendet. Hoc enim eſſet Chriſtum à mortuis & ab inferis reducere; id eſt, negare ejus mortem & ad inferos deſcenſum, & conſequenter reſurrectionem ejus à mortuis.

Verùm hæc expoſitio, quamvis nihilominus quàm ſuperior, Chriſti ad inferos deſcenſum aſtruit; nobis tamen coactior videtur. Nam particula τουτεστι, *id eſt*, ſive *hoc eſt*, non redditioni cauſæ, ſed expoſitioni ſervit: ut in priori ſenſu factum vides. Deinde minus quoque reſpondent huic ſenſui quæ ſtatim ſequuntur. Unde & merito priorem ſenſum, ſecundo loco à ſe allatum Aquinas prætulit.

Obſervabis autem Apoſtolum volentem commendare juſtitiam fidei, primùm removere infidelitatem ei contrariam; qua ſcilicet dubitaret quiſpiam de Chriſti incarnatione aut reſurrectione; ſub quibus cætera de Chriſto myſteria comprehenſa intellige. Deinde verò fidem ipſam exigit dicens.

8 SED QUID DICIT SCRIPTURA? Græcè & Syriacè tantùm legitur, *Sed quid dicit?* ut ſuppleatur *Moyſes* ex ſuperioribus. Sic etiam Latina quædam mss. Et ita citat Auguſt. *lib. de ſpir. & lit. cap. 29.*

Mandatum legis propè in ore & in corde.

PROPE EST VERBUM IN ORE TUO ET IN CORDE TUO. Græcè ἐγγυς σου, *prope te*: quemadmodum & in Deuteronomio legitur. Dixit hoc Moyſes de mandato legis qua vera juſtitia præcipitur; nimirum ſignificans legem ſeu mandatum per diligentem ipſius expoſitionem ſatis inculcatum eſſe populo, ut jam illud & ore recitare, & memoria retinere facilè poſſint. Tantùm opus eſſe bona & prompta voluntate ad illud opere implendum. Paulus verò transfert hoc ipſum ad fidem ſeu verbum fidei qua juſtificatur. Sequitur enim.

HOC EST VERBUM FIDEI, QUOD PRÆDICAMUS. *Hoc eſt*, tale, ejuſmodi eſt. Porrò verbum fidei dicit vel evangelium quo fides in Chriſtum annunciatur, vel fidem ipſam, ac ſi diceret: Fides quam prædicamus ut neceſſariam ad juſtitiam conſequendam, revera eſt ejuſmodi, videlicet prope te, in ore & corde. Quod jam declarat verbis ſequentibus.

9. QUIA SI CONFITEARIS IN ORE TUO DOMINUM JESUM. *Confiteàris* Græcè ὁμολογήσῃς, *confeſſus fueris*, ſicut in parte ſequenti, *credideris*. Nam inquit, ſi ore confeſſus fueris Dominum Jeſum deſcendiſſe de cœlis, & hominem factum. Hæc pars opponitur illi dubitationi; *Quis aſcendet in cœlum* ut Chriſtum deducat.

Quamquam abſolutè poteſt accipi iſta pars, & quidem meliùs, ni fallor, hoc modo: ſi confiteàris ore tuo Jeſum eſſe Dominum. Quomodo dicit 1. Cor. 12. *Nemo poteſt dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu ſancto.* Hunc enim ſenſum expreſſit ea lectio, quam recitant Hilarius lib. 10. de Trinitate, & Auguſtinus in expoſitione hujus loci: *quia ſi confeſſus fueris in ore tuo; quia Dominus eſt Jeſus.* Et utique, ſi Dominus eſt qualem confiteri oportet: igitur de cœlo deſcendit. Ad hoc enim deſcendit, ut hominem redimeret, & ipſo redemptionis jure Dominus ejus eſſet.

ET IN CORDE TUO CREDIDERIS, QUOD DEUS ILLUM SUSCITAVIT A MORTUIS. Opponitur hæc pars alteri dubitationi, *Quis deſcendet in abyſſum*, ut Chriſtum à mortuis revocet?

SALVUS ERIS. Græcè σωθήσῃ, *ſalvaberis*: id eſt, ſalutem conſequeris, velut jam ex fide & confeſſione fidei juſtitiam adeptus, quæ perducit ad ſalutem. Verùm uti ſuperiùs, ita & hîc ſub articulis incarnationis & reſurrectionis Chriſti, reliqua fidei myſteria ſubintelligenda ſunt, & illud imprimis, hominem juſtificari per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.

Quæ fides ſalutem præſtet.

Deinde debet hæc Apoſtoli ſententia accipi ſicut aliæ ſimiles, quibus docet hominem juſtificari per fidem: nempe de fide comitata bona voluntate, qua paratus ſit homo facere, quæ per fidem facienda cognoverit: quale eſt quod hoc ipſo loco requirit, ea quæ corde credimus, etiam ore confitenda eſſe. Unde adhuc ſequitur.

10 CORDE ENIM CREDITUR AD JUSTITIAM: ORE AUTEM CONFESSIO FIT AD SALUTEM. *Ad juſtitiam*, id eſt, ut quis juſtus ſit: *ad ſalutem*, id eſt, ut quis ſalvus ſit. Porrò confeſſionem dicit ejus quod creditur, de qua dixerat: *quia ſi confiteàris*, &c. Nam confeſſio peccatorum, quæ & ipſa proficit ad ſalutem, non eſt hujus loci.

Poſſet quidem fortaſſis in hac bimembri ſententia repetitio ejuſdem intelligi, diverſis verbis facta, more Hebræo, qui in proverbiis & in Pſalmis maximè conſpicitur; quandoquidem & oris confeſſio actus eſt fidei, & juſtitiam ſalus conſequitur: ac proinde etiam dici poſſet: corde creditur ad ſalutem; ſicut infrà dicitur. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Nam & in eo quod proximè præceſſit, confeſſio oris cum fide cordis ita conjungitur, ut utrique ſalutis effectus attribuatur.

Cur fidei juſtitia, confeſſioni ſalus aſcribatur.

Rectè tamen in utroque membro peculiare aliquid ab Apoſtolo ſignificatum intelligimus, dum fidei juſtitiam aſcribit, confeſſioni ſalutem; iſtuc nimirum, quod fides ad juſtitiam conſequendam prorſus eſt neceſſaria: ſed tamen homo per fidem juſtificatus, ad ſalutem vitæ æternæ non perveniet, imò nec ipſam ſalutem inchoatam, quæ in juſtitia conſiſtit, tueri poterit ac retinere; niſi quum res poſtulaverit, fidem quam animo tenet, ore confiteatur. Quod quidem imprimis in baptiſmo faciendum erat, quod fidei eſt ſacramentum.

11. DICIT ENIM SCRIPTURA: OMNIS QUI CREDIT IN ILLUM, NON CONFUNDETUR. *In illum*, Græcè *in eo*, ſcilicet Deo per quod ſignificatur fiducia fidei

conjuncta, qua animus in exſpectatione ſalutis nititur veritati ejus qui promiſit. Jam & hîc ſalus attribuitur fidei. Quod enim ait *non confundetur*, ſive *non pudefiet*, tale eſt ac ſi diceret: ſperatam ſalutem omninò aſſequetur, exſpectatione ſua non fruſtrabitur. Credentem, intelligit obedientem, id eſt, cum voluntate faciendi ea quæ fides Chriſti præſcribit. Sententia deprompta ex *Iſaiæ cap. 28.* & pluribus expoſita *in fine cap. ſup.*

Fides obediens.

12. NON ENIM EST DISTINCTIO JUDÆI ET GRÆCI. Græcè Ιουδαίου τε καὶ Ἕλληνος. Quod rectè vertas, ut Eraſmus fecit, *vel Judæi vel Græci*, ad indifferentiam ſignificandam. Urget Apoſtolus non tam univerſale ſignum *omnis*, quod apud Iſaiam non habetur; quàm ipſius ſententiæ propheticæ indefinitam generalitatem, qua nemo à ſalute excluditur, modò credat, ſive Judæus ille ſit, ſive Græcus, id eſt Gentilis. Species enim nominatiſſima pro toto genere ponitur. Probat autem ampliùs hanc generalitatem verbis ſubjunctis.

NAM IDEM DOMINUS OMNIUM, DIVES IN OMNES QUI INVOCANT ILLUM. *Dives* Græcè participium πλουτῶν, id eſt, dives exſiſtens aut divitiis abundans, eaſque effundens. Activè enim accipitur. *Senſus*: Conſentaneum ſanè eſt, ut neminem credentem & confidentem in ſe, Deus à ſalute repellat, cum ipſe unus idemque ſit omnium Dominus jure creationis; ut proinde æquum ſit eum omnes in ſe ſperantes ſalvare: nec deſit poteſtas, cùm affluat divitiis bonitatis ac miſericordiæ, paratus etiam eas effundere non in Judæos ſolùm, ſed in omnes quicumque ipſum invocant toto orbe terrarum. Nam quòd etiam velit & ita ſtatuerit; ex ipſius promiſſione per prophetam facta Paulus nunc docet.

Deus neminem in ſe confidentem à ſalute repellit.

13. OMNIS ENIM QUICUMQUE INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, SALVUS ERIT. Græcè *ſalvabitur*. Teſtimonium ſumptum ex *Joele cap. 2.* in quo etiam expreſſio eſt univerſalis ſigni. Invocare nomen Domini eſt eum cui Dominus ac Deus nomen eſt, orare pro ſalute obtinenda. Sed invocationem intellige tam hîc quàm in parte præcedenti, procedentem ex fide jam toties commendata: ne repugnet illud Proverb. 1. *Tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Ad hanc igitur invocationem pertinent omnes orationes, quibus à Deo per Chriſtum petuntur ſalutaria bona: velut remiſſio peccatorum, gratia, juſtitia, tentationum victoria, perſeverantia, vita æterna.

Quid invocare nomen Domini.

14. QUOMODO ERGO INVOCABUNT IN QUEM NON CREDIDERUNT? Ex invocatione colligit fidem; ut ſic probet ſuum inſtitutum, quod docebat ex fide juſtitiam eſſe & ſalutem.

Obſerva contra ſectarios, Sanctorum invocationi locum hunc non adverſari.

Locum hunc catholicis objectant hæretici, quo tollant invocationem ſanctorum cum Chriſto regnantium. Nam ſi in ſanctos non credimus, ſed in ſolum Deum; concludi videtur ex hac Apoſtolica ſententia, ſanctos non eſſe invocandos. Sed reſpondetur in hac repetendum eſſe ex præcedenti Prophetico teſtimonio, *nomen Domini*: ut plena ſententia ſit, *Quomodo invocabunt nomen Domini, in quem non crediderunt?* Etenim Dei nomen invocare nemo poteſt ut oportet, niſi in eum credat. Aut, quod eodem recidit, exponendus eſt Apoſtolus ſecundùm materiam ſubjectam, hoc modo. Quomodo invocabunt tamquam authorem ſalutis, eum in quem non credunt? Quo certè modo ſolum Deum invocat eccleſia catholica: quod vel ex ipſis eccleſiaſticis litaniis perſpicuè conſtat.

Non ſolus Deus invocatur.

Porrò nec vocabulum invocandi ſemper in Scripturis ad Deum referri, ſed interdum etiam ad homines, nimirum generali ratione, qua ſignificat opem & auxilium alicujus implorare, patet ex aliis Scripturæ locis, ut Iſa 34. *Regem potius invocabunt*, Oſee 7. *Ægyptum invocabunt, ad Aſſyrios abierunt.* Nec dubium quin etiam apud authores profanos ita generaliter uſurpetur. Hoc igitur modo nos Chriſtiani etiam ſanctos invocamus: quos & credimus nobis per ſuas ad Deum preces opitulari poſſe.

AUT QUOMODO CREDENT EI QUEM NON AUDIERUNT? Græcè: *Quomodo autem credent quem non audierunt?* Fortè vertit interpres: *At quomodo credent.* Occaſione eorum quæ proximè dixerat de ſalute omnibus credentibus & invocantibus promiſſa, ſubjicit & interſerit quædam de generali prædicatione Evangelii per omnes gentes. Si enim beneficium Dei ſtatuentis hominem juſtificare & ſalvum facere per fidem propoſitum eſt omnibus tam Gentilibus quàm Judæis; fidem verò accipere, id eſt, credere non poſſunt niſi audiant; nec audire ſi non ſit qui prædicet: conſequens eſt etiam Gentibus prædicandum eſſe Evangelium; nec offendi debere Judæos ſi Paulus ac cæteri Apoſtoli per ſuam prædicationem generale Dei beneficium etiam ad Gentes propagent.

Non eſt ſine auditu fides.

Senſus huius partis eſt; Quomodo credent in eum de quo non audierunt? ac ſi dicat, id fieri non poſſe; ſaltem juxta modum ordinarium acquirendæ fidei. Nam Deus ſic conſtituit, ut fidei myſteria diſcerent homines ab hominibus per auditum corporalem. Unde Saulum à Domino ad Ananiam, & Cornelium ab Angelo ad Petrum miſſos legimus, de fidei myſteriis inſtruendos, *Act. 9. & 10.* ne facilè ſuſpicaremur quempiam abſque hominum miniſterio per ſolam divinam vel angelicam revelationem edoceri viam ſalutis.

Auditus vicem lectio quatenus ſuppleat.

Cæterùm ſub auditu lectio, quæ viſu fit, comprehenditur. Sicut enim per auditum plurimi; ita per lectionem multi crediderunt. Nam ad hoc ſcripta ſunt evangelia, ut legentes credant. *Hæc ſcripta ſunt*, ait Joannes evangelii ſui cap. 20. *ut credatis, & credentes vitam habeatis.*

Surditas fidē impedit.

Rectè nihilominus ab Auguſtino, cùm de iis loqueretur qui ſurdi naſcuntur ut audire non poſſint, dictum eſt lib. 3. contra Julianum cap. 4. *Quod vitium ipſam impedit fidem.* Nam ſurdus natus literas, quibus lectis fidem concipiat, diſcere non poteſt: quia per auditum debet earum ſignificatio dari & accipi. Conſtat autem Apoſtolo ſermonem eſſe de auditione per ſenſum exteriorem, qua vox percipitur prædicantis. Nam ſequitur.

Prædicatio ad fidem neceſſaria.

QUOMODO AUTEM AUDIENT SINE PRÆDICANTE? Id eſt; Quomodo audient de eo in quem credituri ſint, ſi nemo ſit qui eis annunciet? ac ſi dicat, nec id fieri poſſe.

Non omnibus auxiliū dari ſufficiens ad ſalutem.

Satis oſtendunt hæ duæ interrogationes Apoſtoli, ſicut & iis reſpondentes duæ propoſitiones paulò inferiùs poſitæ, *fides ex auditu*, & *auditus autem per verbum Dei*; non omnibus hominibus à Deo dari ſufficiens auxilium ad ſalutem, ut quidam putant. Conſtat enim plurimos eſſe, atque etiam multò plures olim fuiſſe, præſertim ante Chriſti adventum, quibus de fide ad ſalutem neceſſaria nihil eſſet prædicatum. Quos proinde ſufficiens auxilium habuiſſe quo ſalvi fierent, dici non poteſt: quum teſte Apoſtolo, credere non poſſint homines niſi prædicantem ea quæ credenda ſunt, audiverint.

Deus quibus fidem dare decrevit, prædicatores mittit.

Hinc Auguſt. lib. de correptione & gratia cap. 7. *Quicumque*, inquit, *ab illa originali damnatione divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium.* Unde & Gregorius in Homil. 19. ſuper evangelia, allegoricè tractans illud Luc. 10. *Miſit illos in omnem locum quo erat ipſe venturus*: *Prædicatores*, inquit, *Dominus ſequitur*: *quia prædicatio prævenit, & tunc ad mentis noſtræ habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt; atque per hoc veritas in mente ſuſcipitur.* Hæc ille, ſignificans utique Dominum, quibus decrevit fidem dare, prædicatores, quos audiendo credant, præmittere.

Vide etiam Auguſt. lib. 1. *de pec. mer. & remiſ. cap.* 22. &

22. *& de dono perſev. cap.* 19. Quo loco dicit *pauciſſimis eſſe donatum, ut nullo ſibi homine prædicante, per ipſum Dominum, vel per angelos cælorum, doctrinam ſalutis accipiant.*

15. QUOMODO VERO PRÆDICABUNT NISI MITTANTUR ? Græcè, *niſi miſſi fuerint* ? ſcilicet à Deo, vel Chriſto. Multi quidem prædicant non miſſi, de quibus apud Jeremiam Dominus cap. 29. *Non mittebam eos, & ipſi currebant*; & tales habet plurimos ſæculum hoc noſtrum; ſed licitè ac legitimè nemo prædicat niſi legitimè miſſus.

Legitimè nemo prædicat, niſi legitimè miſſus.

Eſt autem miſſio legitima duplex. *Altera* quidem extraordinaria, quæ fit immediatè à Deo per inſpirationem internam: quomodo miſſus fuit Joannes Baptiſta, & alii Prophetæ; cujuſmodi tamen miſſio ſine certis argumentis non eſt agnoſcenda. *Altera* verò ordinaria, quæ fit authoritate eorum qui in terris gerunt vicem Dei. De qua duplici miſſione conſule S. Thomam in *commentario hujus loci.*

Miſſio legitima duplex.

Notandum eſt, in Græco verbo ἀποσταλῶσι, id eſt, miſſi fuerint, alluſionem eſſe ad nomen Apoſtoli; quod primis Evangelii prædicatoribus à Chriſto miſſis indictum fuit *Lucæ 6.* Significat autem verbum Græcum mitti non quocumque modo; ſed quomodo mitti ſolent principum legati cum mandatis.

Apoſtoli nomen.

SICUT SCRIPTUM EST : QUAM SPECIOSI PEDES EVANGELIZANTIUM PACEM, EVANGELIZANTIUM BONA ? Senſus; De quibus ad prædicandum miſſis ſcriptum eſt à Propheta: Quàm gratus & jucundus eſt adventus eorum, qui hominibus hæc læta annunciant; pacem & reconciliationem cum Deo, & bona præclara atque eximia, ſcilicet ad æternam eorum ſalutem pertinentia. Quod ſignificat pars apud Prophetam ſequens, & à Paulo omiſſa, *prædicantium ſalutem.*

Cohæret hæc citatio teſtimonii Prophetici cum erotemate præcedente: quia niſi mittantur, non erunt veri Evangeliſtæ, de quibus dici queat, *Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium*, &c. Specioſos ſeu pulchros habere pedes Hebræis dicuntur, qui veniunt læta nunciantes: eò quòd eorum adventum (qui pedibus fit) homines libenter videant.

Quid Hebræis ſpecioſos habere pedes.

Sumpſit hoc teſtimonium Apoſtolus ex *Iſaiæ cap.* 52. textum Hebraïcum propriùs quàm LXX. interpretum verſionem, qualis extat, ſecutus. Quod & Hieronymus eum Prophetæ locum enarrans teſtatur, & res ipſa loquitur. Nam Hebræa ad verbum Latinè reddita ſic habent ? *Quàm pulchri ſuper montes pedes evangelizantis, audire facientis pacem, evangelizantis bonum* ! Græca verò ſunt : ὡς ὡραῖοι ἐπὶ τῶν ὀρέων ὡς πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης, ὡς εὐαγγελιζόμενος ἀγαθά; niſi quòd in nonnullis priori loco legitur εὐαγγελιζομένων pluraliter, & poſteriori loco, εὐαγγελιζομένου caſu genitivo.

Sed & Latina verſio apud Hieronymum in commentariis Iſaiæ ſic habet: *Sicut hora ſuper montes, ſic pedes evangelizantis auditum pacis, evangelizantis bona.* Cæterum Leo Caſtrenſis in ejus loci commentario, textum verſionis LXX. virorum truncum & lacerum eſſe contendit; putatque reſtituendum ex Paulo & Hebraïca lectione ad hunc modum : *Sicut hora*, vel *ſicut ver ſuper montes*; *quàm ſpecioſi ſuper montes pedes evangelizantium auditum pacis, evangelizantium bona*! Verùm id non eſt reſtituere textum, ſed diverſas lectiones jungere & confundere. Equidem Leoni in hoc aſſentior, vitium irrepſiſſe jam olim in hunc locum verſionis LXX. ut in multos alios.

LXX. Interpretum lectio reſtituta ad concordiam Hebraicæ veritatis.

Arbitror autem (ut meam adferam conjecturam) ab eis ſcriptum eſſe quomodo Paulus citat, ὡς ὡραῖοι: *quàm pulchri, ſpecioſi, decori*; pro eo quod nunc legitur, & veteres etiam aliqui cum Hieronymo legerunt, reſectis à tergo tribus vocalibus ὡς ὡρα. Quod variè exponunt, *ſicut hora* ſeu *tempus*, ſcilicet opportunum, ut eſt maturitas frugum aut fructuum : aliter, *ſicut pulchritudo* : & ſi leni ſpiritu pronuncies, *ſicut cura & ſolicitudo*, quibus modis Hieronymus. Item *ſicut ver* ſeu *tempus vernum*, quod aliis placet. Hæc enim omnia Græca voce ſignificantur.

Sed quoniam à fonte recedunt, ſuperfluum exiſtimat Hieronymus in iis explicandis hærere. Qui etiam teſtatur, omnes alios interpretes ſimiliter ex Hebræo tranſtuliſſe : id eſt, *quàm ſpecioſi* : quemadmodum & Euſebius legit *lib. 3. demonſt. evang. cap.* 1. non Paulum, ſed Iſaiam teſtem adducens.

Tertull. verò teſtimonium Prophetæ citans *lib. 5. adv. Marc. cap.* 2. legit : *quàm tempeſtivi*; & cap. 5. referens verba Pauli, *quàm maturi pedes*, quoniam & hæc eſt ſignificatio Græcæ vocis ὡραῖοι : licet Hebræo non reſpondeat.

Auguſtinus quoque ex Propheta citat, *quàm ſpecioſi*, lib. 32. contra Fauſtum *cap.* 10. utique non alia verſione tunc uſus, quàm LXX. Denique teſtatur ſcholiaſtes Romanus ad textum Latinum editionis LXX. in nonnullis codicibus haberi ὡς ὡραῖοι.

His addo particulam ὡς ſecundo & tertio loco poſitam in verbis Prophetæ ut leguntur apud LXX. non poſſe, quantum mihi videtur, Latinè reddi per *ſic*, ut habet Latina verſio quæ eſt in commentariis Hieronymi, & verſiones quædam recentiorum.

Non enim ὡς ἀνταποδοτον eſt ſimilitudinis, niſi poëtis : pro quo LXX. & Apoſtoli ſemper dicunt ὅτι. Itaque rectiùs apud Origenem in hujus loci commentario Ruffinus ita reddit : *Tamquam hora in montibus, ut pedes evangelizantium auditum pacis, ut evangelizans bona.*

Sed quia nihil his vocabulis in Hebræo reſpondet, & in quibuſdam codicibus vel altera vel utraque non habetur, adjectitias ſuſpicari licet. Quæ ſi tollantur, habebis LXX. tranſlationem admodum conſentientem cum fonte Hebræo. Porrò ſimile quid etiam apud Naum Prophetam cap. 1. legitur : *Ecce ſuper montes pedes avangelizantis & annunciantis pacem.*

Verùm ipſa Apoſtoli verba non inde, quod ſentit Ambroſiaſter, ſed ex Iſaia deprompta ſunt. Eorum verò, ſi quis requirat, hæc moralis ſignificatio eſt; Pedes, id eſt, affectus eorum qui Evangelium prædicant, pulchros eſſe debere, hoc eſt purgatos à ſordibus terrenarum cupiditatum; ut eorum mores Evangelio reſpondeant, & vita verbo non contradicat.

Nota ad mores. De Puritate morum quæ decet doctores Eccleſiæ.

16. SED NON OMNES OBEDIUNT EVANGELIO. Græcè & Syriacè *obedierunt*. Loquitur enim de Judæis, ut ex ſubjunctis liquet, id eſt de iis quibus primùm prædicari oportuit evangelium. Atqui illis jam dudum per Chriſtum & Apoſtolos prædicatum fuerat.

Itaque ſenſus eſt; At non omnes, imò verò pauci, læta hæc nuncia quæ Evangelii nomine ſignificantur, quamvis audita, fide recipiunt. Quò minùs autem mireris paucos ex illo populo recepiſſe Evangelium; neve ex eo ſuſpiceris Evangelii veritatem labefactari : docet Paulus ſubjunctis verbis, hoc ipſum quod non eſſent credituri, ab eorum Prophetis olim prædictum eſſe.

ISAIAS ENIM DICIT. Utique de Judæis; *cap.* 53. Nam & Joannes evangelii ſui *cap.* 12. de Judæis hoc teſtimonium adducit.

DOMINE QUIS CREDIDIT AUDITUI NOSTRO ? Vel *auditioni noſtræ ? Domine* non eſt in Hebræo, ſed additum ex LXX. quemadmodum & apud Joannem; ut intelligatur eſſe verba Prophetæ ad Deum.

Senſus : Domine, quis eorum fidem adhibuit ſermonibus quos ex nobis audierunt quos eis, ut Prophetæ tui, prænunciavimus ? ac ſic dicat, perpauci. Poteſt etiam intelligi dictum ex perſona Apoſtolorum, qui Judæis annuciarunt quæ ab Iſaia ceteriſque Prophetis fuerant prædicta. Probat hunc ſenſum Origines, quamvis & priorem non reſpuat.

Auditus pro sermone audito.

Auditus pro sermone audito, Hebraismus est : velut Habac. 3. *Domine audivi auditum tuum*, id est, sermonem de te, famam tuam. Et Psalm. 111. de justo, *ab auditione mala non timebit*, id est, malus rumor non eum perterrefaciet, utpote benè sibi consciùm. Quocirca minùs scitè commentator Amb. *auditui nostro*, id est, sermonibus quos ex te audivimus.

17. ERGO FIDES EX AUDITU, AUDITUS AUTEM PER VERBUM CHRISTI. Græcè & Syriacè *per verbum Dei*: nisi quod in nonnullis Græcis habetur ut in Latinis, *per verbum Christi* : quæ lectio etiam apud Origenem exstat : ut verbum Christi dicatur verbum sive sermo de Christo, id est, quo Christus annunciatur. Concludit affirmando quod paulò antè interrogando significaverat.

Unde patet id quod hîc dicitur, cum exclusione intelligendum esse hoc modo ; Ergo fides non est nisi per auditum, saltem ordinariè, ut suprà dictum est. Audiri autem quod credatur non potest, nisi aliquo verbum Dei credendum annunciante. Loquitur Apostolus de fide actuali, de qua dixerat : *quomodo credent ei quem non audierunt* ?

Fides habitualis an & quomodo per auditum.

Quamquam & fides habitualis ex auditu est in adultis. Nàm ut eam acquirant, debent priùs actu per auditum credere. Nullus enim adultus rectè & utiliter baptizatur nisi credat, dicente Domino : *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Marc. ultimo ; & Philippo ad eunuchum cupientem baptizari, *Si credis ex toto corde.* Actor. 8. In parvulis autem baptizatis

Parvuli baptizati postquàm adoleverint, non credunt nisi per auditum.

est quidem fides habitualis sine auditu ; non tamen sine ministerio hominis baptizantis. Sed & ea ipsa fides numquam proficiet in illis ad actum fidei, nisi per auditum. Ut enim posteà actu credant, instructione aliorum & catechismo opus habent. Quòd si parvuli baptizati jamque habitu fideles, postquam adoleverint, credere non possunt actu sine auditu : quantò magis de infidelibus nihil tale suspicandum est; quod sine externo prædicatore Deus illis mysteria salutis revelet ?

18. SED DICO. NUMQUID NON AUDIERUNT ? Clarior erit sermo, si verbum *dico* parenthesi claudas : *Sed (inquam) annon audierunt* ? Auditionem hanc multi Latinorum referunt ad homines in universum, videlicet Gentilibus comprehensis. Jam enim latè propagato Evangelio, multi etiam in Gentibus non poterant excusationem prætendere quod non audivissent. Hanc igitur excusationem dicunt, Apostolum hac interrogatione velle excludere, non ab omnibus omninò hominibns, sed à multis, etiam Gentibus. Et quod ita generaliter loquatur, ostendi putant ex altera interrogatione tamquam hujus adversativa, qua paulò pòst dicit ; *Sed numquid Israël non cognovit ?*

At sanè probabilior est Græcorum commentarius, de Judæis hoc dici ; de quibus & præcedens Isaiæ testimonium allatum fuit. Nam de Judæorum reprobatione à Paulo instituta est disputatio ; in quà de Gentilium incredulitate nulla mentio. Nec diversum probat interrogatio quæ mox sequitur, *Numquid Israël non cognovit* ? Nam aliud Apostolo est audivisse, aliud cognovisse, quemadmodum ibi declarabitur.

ET QUIDEM IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONUS EORUM, ET IN FINES ORBIS TERRÆ VERBA EORUM. *Orbis terræ* Græcè dicitur οἰκουμένη, id est, *habitabilis*, sive ea quæ habitatur. Sed & Hebræa vox atque Syriaca orbem habitabilem propriè significat. Versus sumptus *ex Psalm.* 18. juxta versionem LXX. qui

Cœli enarrant gloriam Dei, quo sensu.

secundùm litteram scriptus est de prædicatione cœli & cœlestium corporum, Dei potentiam, sapientiam & gloriam nobis sua pulchritudine, motu, ordine, effectis annunciantium ; sed mysticè refertur ad Apostolos in universum mundum missos Evangelii prædicandi causa.

Connexio cum superioribus hæc est : Ut sit auditus per verbum Dei, ad fidem necessarius : jam missi sunt sunt prædicatores in totum mundum ab eo qui dixit ; *Euntes docete omnes gentes*, Mar. 28. & , *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ*, Mar. 16. Et, *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ*, Actor. 1. Quod si ita est : quomodo Judæi non audierunt, etiam qui inter Gentes commorantur ?

Non ergo sentit Apostolus omnes omnium sæculorum homines audivisse ; quod constat verum non esse : sed significat, tempore præordinato à Deo prædicatum esse & prædicari evangelium, ut per totum mundum audiatur.

Neque rursum vult suo, id est, Apostolorum tempore permanasse Evangelii prædicationem in omnes populos orbis terrarum ; sed id jam tum magna parte cœptum fieri, & paulatim impleri. Nam nec hodie completum id omninò videtur : tametsi paucæ nunc restant nationes, ad quas sonus Evangelii non aliquando pervenerit, brevi fortassis etiam ad eas penetraturus.

Quo sensu evangelium prædicatum per universum mundum.

At neque hunc sensum reddere possumus, quem video quibusdam neotericis placere ; dicentibus ideò omnes audivisse, quia in omnem terram exivit prædicatio cœli & astrorum ac totius creaturæ, quæ omnibus annunciat creatorem suum, juxta literalem intellectum Psalmi, ex quo verba hæc desumpta sunt.

Manifectum est enim non de illa prædicatione loqui Paulum, sed de verbo & Evangelio Christi redemptoris ac mediatoris ; quod fuit mysterium absconditum à sæculo, neque ex creaturarum contemplatione disci potuit, sed verbo prædicationis evangelicæ debuit annunciari. De quo sanè constat accipi debere locum alterum huic similem, qui est in Epistola ad Cor. 1. *Quod prædicatum est in universa terra quæ sub cœlo est.* Hoc enim de Evangelio dicit, quod jam in plurimas quaquaversum nationes, Apostolorum prædicatione disseminatum erat ; ad plures autem ac remotiores rumore perlatum. Atque hoc sensu fatemur vaticinium Psalmi tempore Pauli impletum fuisse.

Videntur quidem veterum nonnulli ita loqui, tamquam Apostolorum prædicatione in omnes sine exceptione Gentes Evangelii sermo fuerit perlatus ; ut Chrysost. Theophyl. & Euthymius, exponentes illud Matth. 24. *Prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus : & tunc veniet consummatio.*

Verùm Augustini sententia est, ne suo quidem tempore ad omnes Gentes Evangelii notitiam pervenisse : tantùm abesse, ut Apostolorum tempore ad omnes pervenerit. Ita docet *in Epist. 80. ad Hesych.* necnon *lib. de unit. eccles. cap. 15. & lib. de nat. & grat. cap. 2.* ante Augustinum Origenes *tract. 28. super Matth.* Denique in *hujus loci com.* Hervæus, Cajetanus, Sotus, Pererius & alij. Quibus & nos libenter accedimus historiarum evidentia convicti. Quomodo autem illi sententiæ non adversetur hic Pauli locus, jam dictum est.

Nondum ad ad omnes Gentes pervenit Evangelii prædicatio.

19. SED DICO ; NUMQUID ISRAEL NON COGNOVIT ? Distingue ut suprà ; *Sed (inquam) numquid Israël non cognovit* ? Premit hac interrogatione Israëlem, ac peccatum ejus exaggerat, docens non ideò tantùm inexcusabilem esse quia audivit, verùm multò magis, quia etiam cognovit: ac si dicat ; non tantùm audivit, quod toti orbi commune est: sed & cognovit, id est, vidit, propè inspexit, contrectavit quod prædicavimus: ita ut nihil excusationis obtendere queat. Viderunt enim Judæi Christum in carne docentem, & ea omnia facientem ac patientem, quæ de eo prædicta fuerant à Prophetis ; nec tamen eum receperunt. Hoc eorum peccatum commemorat ipse Dominus Joan. 15. *Si non venissem & locutus fuissem eis.*

Israel non solùm audivit, sed & cognovit, quo sensu.

peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo, & quæ ſequuntur ; ubi & illud addit, *Nunc autem & viderunt & oderunt*. Ecce quomodo Iſraël cognovit.

Alii alium huc adferunt ſenſum. Sed quod dixi, convenit tam cum præcedentibus, quàm cum teſtimoniis ſubjunctis, maximè cum poſtremo, quo dicitur: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem*, &c.

PRIMUS MOYSES DICIT. *Primus*: id eſt, prior. Refertur enim ad Iſaiam, ut Moyſe poſteriorem, ex quo mox alterum teſtimonium allaturus eſt. Alii ſic: primus inter cæteros.

EGO AD ÆMULATIONEM VOS ADDUCAM IN NON GENTEM. Græcè: *æmulari vos faciam in non Gente*, ſive *per non Gentem*. Eſt autem in Græco unum verbum παραζηλώσω, id eſt, æmulari faciam, ad æmulationem provocabo. De quo plura ad illud capitis ſequentis, *ut illos æmulentur*.

IN GENTEM INSIPIENTEM IN IRAM VOS MITTAM. Græcè, *in Gente inſipiente*, ſive, *per Gentem inſipientem irritabo vos*. Locus eſt Deut. 32. in cantico Moyſi, ubi verſus integer ſic habet: *Ipſi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus ſuis: & ego provocabo eos in eo qui non eſt populus, & in Gente ſtulta irritabo illos*. Ita Hieron. ex Hebræo. Nec diſſonant LXX. niſi quod pro vanitatibus, ſcripſerunt idola. Mos enim ſcripturæ eſt idola vanitates appellare.

Idola vanitates in ſcripturis.

Paulus in citando teſtimonio tertiam perſonam mutavit in ſecundam: Sed ea mutatio ſenſui nihil detrahit. Non Gentem, infinito nomine, vocat Moyſes Gentem cõtemptibilem & Gentis nomine indignam; utpote, ſicut in altero membro exponit, Gentem inſipientem, id eſt, ſtultam ac ſtolidam, ut quæ pro Deo lapides & ligna coleret. Sic enim & prior pars verſus in Hebræo legitur; *Ipſi zelare fecerunt me in non Deo*, id eſt, colendo id quod non eſt Deus. Simili phraſi dixit Eccleſiaſticus cap. 50. *Tertia non eſt Gens*, ſcilicet, *ſtultus populus qui habitat in Sichimis*.

Gentẽ non Gentem quam vocet ſcriptura.

Judæorum invidia adverſus Gentiles.

Senſus hujus loci eſt: Ergo Gentilem populum, hactenus ob ignorantiam veri Dei meritò contemptibilem, & à vobis contemptum, tantis afficiam beneficiis, ut eorum felicitas ad invidiam & indignationem vos provocet. Ex quo ſequitur quod dixerat, Iſraëlem cognoviſſe bona per evangelium annunciata. Nam invidere ea aliis non poterat, niſi cognoſceret.

Invidere Latinis unde dictum.

Unde & invidere Latinis dicitur tamquam intùs ac propè videre: quod qui invident, ut ait Cicero *lib. 3. Tuſcul. quæſt.* nimis intueantur fortunam alterius. Maximè autem invidere ſolent illi qui felicitatem ſibi præparatam & oblatam atque à ſe neglectam, transferri vident ad alios. Id quod Judæis contigit.

Cæterùm provocare ad invidiam & iram dicitur Deus, non quod horum vitiorum ipſe ſit author, ut hæretici ſentiunt; ſed quia præſtat ea beneficia, ex quibus alii capiunt invidendi & iraſcendi occaſionem. Quod ſi invidia & ira in æmulationem convertantur, ut Judæi Gentilium exemplo & felicitate provocati, in Chriſtum credant (quod intendit Apoſtolus ſequenti capite) is affectus bonus eſt & à Deo.

20. ISAIAS AUTEM AUDET ET DICIT. *Audet*, Græcè ἀποτολμᾷ, pro quo Eraſmus reddit, *poſt hunc audet*, nempe poſt Moyſen, id eſt, ſumpta à Moyſe priore fiduciâ, audet dicere. Nam ἀπὸ *poſt* ſignificat. Verùm rectiùs interpres noſter & alii verbum compoſitum pro ſimplici accipiunt, ut ſolet Græcis accipi ſaltem ut ἀπὸ nihil aliud quàm vim addat verbo quaſi dicat Apoſtolus; Iſaias autem nihil veritus offenſionem ſui populi, tota fiducia audet dicere hoc quod ſequitur, & apud eum habetur cap. 65. Dicit autem non ex ſua, ſed Dei vel Chriſti perſona.

INVENTUS SUM A NON QUÆRENTIBUS ME. (A) voculam addidit interpres. Præteritum pro futuro poſitum more Prophetico, ob rei certitudinem. *Senſus*: Invenient me fide ex auditu concepta, qui me non quærebant, ac de me nihil cogitabant, occupati in cultu falſorum deorum, ſcilicet populus Gentilis.

Quærere Dominum uſu Scripturæ qui dicantur.

Uſu ſcripturæ quærere Deum dicuntur, qui Deum colere volunt & Deo placere, atque in eo bono proficere, quaſi nondum aſſecuti totum quod cupiunt. Unde beati non quærunt Deum, ſed habent & poſſident, ita ut ampliùs habere non poſſint. Nobis autem dum in hac vita ſumus, dicitur: *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus ſemper*. Pſalm. 104.

PALAM APPARUI IIS QUI ME NON INTERROGABANT. Græcè, *manifeſtus factus ſum me non interrogantibus*. Senſus: Conſpicuum me dedi, cognoſcendum me ingeſſi, iis quibus nec in mentem venit, ut de me interrogarent, velut ſi quis carbones fodiendo quærens, in theſaurum incidat. Apoſtolus ſententiam Prophetæ reddidit ordine verborum tranſpoſito: tametſi propiùs acceſſit ad id quod eſt apud LXX. Nam Hebræa ſic habent: *Quæſitus ſum iis qui non interrogaverant: inventus ſum iis qui non quæſierant me*. LXX. verò ſic interpretati ſunt: *Manifeſtus factus ſum me non quærentibus: inventus ſum me non interrogantibus*.

Quæſtio.

Ubi ſcrupulus occurrit, quomodo dicat Deus ſe quæſitum eſſe, & tamen inventum à non quærentibus. Antilogiam hanc apparentem tollere voluit Hieronymus dum ita vertit: *Quæſierunt me qui antè non interrogabant*, ac ſi ſenſus eſſet: Cum antè nulla ipſis eſſet cura me quærendi, aut de me interrogandi; poſteà audita verbi prædicatione, tracti per gratiam meam, quærere me cœperunt.

Solutio ex verſione B. Hieronymi.

Aliorum expoſitiones.

Huc ſpectat etiam illa quorumdam verſio, *Quærere me feci*. Alii loco verbi *quæſitus ſum*, tranſtulerunt *obvius factus ſum*, ut Pagninus: vel *expoſitus ſum*, ut Tremellius, adducens ſimilem locum Pſalmi 111. *Magna opera Domini quæſita*, id eſt, expoſita *omnibus volentibus ea*, ſic ut ea quærere jam non ſit opus.

Quamquam ſimpliciter intelligi ſic poteſt: quæſitus ſum; id eſt, inventus ſum; ut ex priori poſterius ſignificetur per metalepſin. Sic enim ipſe Propheta ſeipſum interpretari videtur membro ſecundo. Atque hæ poſteriores expoſitiones cum eo quod LXX. verterunt, adeóque cum ſenſu Pauli- Gratia non
no magis conveniunt. Oſtendit autem hic locus datur ſecun-
Apoſtoli, quàm verum ſit illud à Patribus adverſus dum merita.
Pelagianos definitum: Gratiam non dari ſecundùm merita.

21. AD ISRAEL AUTEM DICIT. *Ad Iſraël*, Græcè πρὸς τὸν ἰσραήλ, quod Eraſmus vertendum putavit *adverſus Iſraël*. Non enim ad ipſum Iſraël diriguntur verba ſequentia, ſed de eo dicuntur, & contra ipſum faciunt. Sed verius eſt propoſitionem πρὸς loco περὶ, *de* poſitam eſſe; quemadmodum & alibi, ut in epiſtola ad Hebr. 1. *Et ad angelos quidem dicit*; cum de angelis loquatur verſiculus ibi citatus, & ejuſdem epiſtolæ cap. 4. *Ad quem nobis ſermo*, id eſt, de quo.

Sic & illud accipiendum exiſtimo, quod habetur Marc. 12. & Luc. 20. *Cognoverunt quoniam ad eos parabolam hanc dixerit*, id eſt, de eis; quamvis & illic Eraſmus verterit *adverſus eos*, ſive *in eos*: quod non eſt neceſſe: magiſque frequentata eſt in hac ſignificatione præpoſitio κατὰ cum genitivo, quàm πρὸς, ut in hac ipſa epiſtola cap. 8. *Quis contra nos?* Et iterùm: *Quis accuſabit adverſus electos Dei?* Et cap. 11. *Interpellat Deum adverſum Iſraël*, ac rursùm: *Noli gloriari adverſus ramos*.

TOTA DIE EXPANDI MANUS MEAS AD POPULUM NON CREDENTEM ET CONTRADICENTEM. Multi codices addunt *mihi*; ſed benè ſubmotum à

correctoribus Romanis. Nam nec in Græco legitur, nec in Syriaco ; nec apud commentatores, Ambros. Primasium, Sedulium : Multi quoque mss. codices non agnoscunt: Denique nec LXX. scripserunt. Addidit quispiam, quod putaret ad sensum deesse.

Cæterum in Hebræo nec illud est *& contradicentem.* Ex quo patet etiam hanc partem ab Apostolo citari magis ex interpretatione LXX. quam ex Hebræo; tametsi in sensu nullum est dissidium.

Deus ad Judæos manus suas expandit tota die.

Sunt autem hæc verba apud eumdem Prophetam statim post superiora; & hunc habet sensum: Per prædicationem Christi & Apostolorum ejus, & per crebra miracula ab eis facta, continuè velut expansis ad amplectendum manibus præbui me cognoscendum populo Judaïco ; qui tamen persuaderi non potuit ut crederet (id enim significat Græcum vocabulum ἀπειθοῦντα, quasi dicas, *imperswasum*) sed semper contradixit ac restitit evangelicæ prædicationi : ut juxta Simeonis oraculum factus sit illis Christus in signum cui contradicatur, *Luc.* 2.

Rursus ex hoc Prophetæ testimonio manifestè sequitur, quod Apostolus probandum sumpserat, Israëlem cognovisse de Christo : quia non solum audivit de eo, sed etiam vidit prædicantem & mira operantem ; ut proinde sit inexcusabilis quòd non crediderit; secundùm id quod Christus ipse de eis expostulat Joan. 15. dicens: *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, & iterùm : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt & oderunt ; & me & Patrem meum.*

Populus Judaïcus inexcusabilis quod non crediderit.

CAPUT XI.

DIco ergo: Numquid Deus repulit populum suum ? Absit. Nam & ergo Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin: 2. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura : quemadmodum interpellat Deum adversum Israël? 3. Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. 4. Sed quid dicit illi divinum responsum ? Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal. 5. Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. 6. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. 7. Quid ergo ? quod quærebat Israël, hoc non est consecutus : electio autem consecuta est: cæteri vero excæcati sunt : 8. sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum compunctionis : oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. 9. Et David dicit † : Fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis. 10. Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurva. 11. Dico ergo: numquid sic offenderunt ut caderent ? Absit. Sed illorum delictum, salus est Gentibus ut illos æmulentur. 12. Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium, quantò magis plenitudo eorum ? 13. Vobis enim dico Gentibus: Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, 14 si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & salvos faciam aliquos ex illis. 15. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi : quæ assumptio, nisi vita ex mortuis ? 16. Quod si delibatio sancta est, & massa : & si radix sancta, & rami. 17. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis olivæ factus es, 18. noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris : non tu radicem portas, sed radix te. 19. Dices ergo : Fracti sunt rami, ut ego inserar. 20. Benè propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. 21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit : ne fortè nec tibi parcat. 22. Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem : in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. 23. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur : potens est enim Deus iterùm inserere illos. 24. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam: quantò magis ii, qui secundùm naturam inserentur suæ olivæ? 25. Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret, 26. & sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est : Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem à Jacob. 27. Et hoc illis à me testamentum : cum abstulero peccata eorum 28. Secundùm Evangelium quidem, inimici propter vos : secundùm electionem autem, charissimi propter patres. 29. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei. 30. Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum : 31. ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur. 32. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate : ut omnium misereatur. 33. O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei : quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus ! 34. Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit ? 35. Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei ? 36. Quoniam ex ipso, & per ipsum & in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen.

3. Reg. 19. *d.* 10. *3. Reg.* 10. *d.* 18. *Isa.* 6. *e.* 9. *Matth.* 13. *b.* 14. *Joan* 12. *f.* 48. *Act.* 28. *f.* 26. **Psa.* 68 *c.* 23. *Isa.* 59. *d.* 20. *Sap.* 9. *c.* 13. *Isa.* 40. *d.* 13. 1. *Cor.* 2. *d.* 16.

SUMMARIUM.

Israëlitici populi reliquias gratuita Dei electione salvatum iri docet ; cæteris excæcatis, ac in eorum locum Gentibus assumptis ; quas monet adducta similitudine oleastri & olivæ, ne glorientur adversus Judæos : fore enim aliquando, ut & illi misericordiam consequantur. Sapientiæ divinæ profunditatem exclamans admiratur.

DIco ergo : Numquid Deus repulit populum suum ? Absit. Quamvis testimonia Prophetica superiùs allata manifestè denunciarent reprobationem populi Judaïci ; non tamen id suis verbis exprimere voluit Apostolus, ut auribus suæ gentis parceret. Sed quia tam aperta de eorum reprobatione erant Prophetarum verba, simul ut ostendat promissiones divinas eidem populo factas haudquaquam excidisse : committere noluit quin ea de re quæstionem moveret. Quam ita explicat, ut Judæos quam minimè offendat, imò verò etiam consoletur, adductis rationibus quibus doceat in negocio salutis priores esse partes populi Judaïci. Dico, inquit, & quæro occasione testimoniorum quæ ex Moyse & Isaia adduxi : Num igitur Deus repulit populum suum Israëliticum, ut non fiat particeps benedictionis promissæ in Christo ? Absit hoc ; non repulit Deus populum suum omninò atque in totum. Quod probat sequentibus verbis ad incommodum deductione : primùm ex sua ipsius persona.

Judaïci populi partes in negotio salutis priores.

NAM ET EGO ISRAELITA SUM EX SEMINE ABRAHAM, DE TRIBU BENJAMIN. Ac si dicat : Si Deus populum suum penitus abjecisset, fateri deberem me quoque, qui ex illo sum populo, non ut proselytus, sed verè progenitus ex semine Abraham, atque ex illustri tribu Benjamin; rejectitium esse, & alienum à promissione Abrahæ facta: eademque ratio de multis aliis Judæis in Christum credentibus. Unde subdit generali sententia.

2. NON REPULIT DEUS PLEBEM SUAM QUAM PRÆSCIVIT. *Plebem*, Græcè λαὸν, *populum*, ut suprà. Convenit hæc responsio cum illa cap. 9. *Non quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israël, ii sunt Israëlitæ : neque quia semen sunt Abrahæ, omnes filii : sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Nam illud, *quam præscivit*, restrictiva determinatio est, ut sit sensus : Non repulit Deus populum suum Israëliticum quà parte eum præscivit, seu præcognovit ; id est, prædilexit, elegit, ac propriè suum esse populum voluit : in quo beneplacitum est ei ab æterno, secundùm illud Psalm. 149. *Beneplacitum est Domino in populo suo*, ac si clarè dicat Apostolus: quem præordinavit ab æterno ad salutem. Hoc enim Apostolo est præscire, ut ostendimus suprà ad illud cap. 8. *Nam quos præscivit*, &c. Sic & Augustinus interpretatur ac pluribus declarat *lib. de dono persev. c.* 18. Nec secus Aquinas, Liranus, Toletus, & alii.

Quid Apostolo præscire.

Quam ſcripturæ phraſim quidam non attendentes, minùs rectè referunt verbum *præſcivit* ad beneficia quondam illi populo cumulatè exhibita ; velut amoris argumenta.

Pejus autem illi, qui ex hoc vocabulo ſtatuere nituntur electionem ex operum prævisione, contra illud quod paulò pòſt ſequitur : *Si gratia jam non ex operibus* : ut ex ejus declaratione patebit.

An populus Judaicus à Deo repulſus.

Jam etſi major pars Judaici populi repulſa ſit ; noluit tamen Apoſtolus abſolutè fateri, Deum repuliſſe populum ſuum ; tum ut invidiam duri ſermonis declinaret, tum quia Scriptura abſoluto ſermone id negat Pſ. 93. dicens: *Quia non repellet Dominus plebem ſuam, & hereditatem ſuam non derelinquet.* Huc enim Apoſtolum reſpexiſſe, veriſimile eſt : ac ſecundùm literam verba aliorum dicta, ſuo accommodaſſe inſtituto. Leguntur etiam hæc verba, *quoniam non repellet Dominus plebem ſuam* in Pſ. 94. dumtaxat juxta uſum Pſalterii quod Romanum nuncupant. Nam eo loco nec in Hebræo habentur, nec apud LXX. nec in Pſalterio Gallicano ; denique nec in bibliis editionis vulgatæ.

AN NESCITIS IN ELIA QUID DICIT SCRIPTURA ? *in Elia*, id eſt, de Elia, vel in geſtis Eliæ, quæ ſcribuntur 3. Reg. 19. vel potius *in Elia*, id eſt, in perſona Eliæ errantis : non autem ex perſona Spiritus-ſancti. Nam falſum aliquid in verbis Eliæ ſubjunctis continetur.

QUEMADMODUM INTERPELLAT DEUM ADVERSUM ISRAEL? Græca addunt, λέγων *dicēs*. An neſcitis, inquit, quemadmodum Elias zelo Dei commotus ac cum Deo colloquens, quæritur de populo Iſraël decem tribuum, atque adverſus eum poſtulat vel auxilium, vel ultionem, tamquam totus à Dei cultu ad impietatem delapſus eſſet ; his nimirum verbis, iiſque ſecundò repetitis.

3. DOMINE PROPHETAS TUOS OCCIDERUNT, ALTARIA TUA SUFFODERUNT. Græcè *& altaria*. Verba Prophetæ mutato ordine refert Apoſtolus. Quod ad hiſtoriam attinet, Domini Prophetas in regno decem tribuum quotquot reperiri poterant, juſſu Jezabel impiiſſimæ mulieris occiſos fuiſſe, conſtat *ex lib. 3. Reg. 19.* De ſuffoſſis autem altaribus Domini, nihil ibi legitur extra verba Eliæ ; quibus ſine dubio fides habenda eſt.

Altaria Domini ſuffoſſa, quænam intelligantur.

Sed quomodo altaria Domini ſuffoſſa, quum fas non eſſet Domino Deo ſacrificium offerre, niſi in uno loco quem Deus ad hoc delegiſſet? Qui locus utique erat Jeroſolymæ. Veriſimile eſt Eliam loqui de altaribus quæ paſſim in excelſis ſtudio quodam pietatis Deo vero erecta fuerant ; maximè poſtquam decem tribus regum ſuorum tyrannide prohibitæ fuerunt, ne Jeroſolymam aſcenderent ſacrificii cauſa. Quamvis enim id lege vetitum eſſet, ac recte fecerint Ezechias & Joſias reges Juda, etiam ejuſmodi aras evertendo ; tamen impium erat eas ſubvertere odio cultus Dei Iſraël, uti fecerunt Achab & Jezabel cum ſuo populo. Tale erat altare quod inſtauravit Elias in monte Carmeli, 3. Reg. 18. tametſi de his altaribus aliorum aliæ ſunt opiniones ; at minus probabiles ; quas videre licet apud interpretes hiſtoriæ Regum.

ET EGO RELICTUS SUM SOLUS. *Solus* Græcè μόνος, quod LXX. per ſuperlativum expreſſere, μοναώτατος, ac ſi dicas, omnino ſolus. Sic enim exiſtimabat Elias, ignarus quantæ læterent in illo populo cultorum Dei reliquiæ.

Elias quo ſenſu ſe ſolum relictũ quæratur.

Sed quæritur, num dicere velit, ſolus Prophetarum, an ſolus omnium Dei cultorum. Præcedit quidem, *Prophetas tuos occiderunt*, & ipſe cap. 18. dicit: *ego remanſi Propheta Domini ſolus* : ut tantum ad Prophetas etiam hæc ſolitudo referenda videatur. Verum quod ei reſpondetur : *Reliqui mihi ſeptem millia virorum*, &c ſenſum haud dubie exigit generaliorem. Non enim illa ſeptem millia Prophetæ erant. Igitur Eliæ quærimonia videtur eſſe hujuſmodi : Prophetæ tui interfecti ſunt : quibus ſublatis cæteri tui cultores horum magiſterio & cohortatione deſtituti, regia authoritate ad cultum Baal attracti ſunt ; ut proinde ego relictus ſim ſolus. Ita ſuſpicari potuit Elias, quod nullus jam appareret, qui ſe veri Dei cultorem palàm profiteretur.

Ac ne excipias de centum Prophetis quos in ſpeluncis abſconditos paſcebat Abbias diſpenſator regius, 3. *Reg.* 18. poterant illi jam deprehenſi eſſe & occiſi. Si quis tamen cum Lirano ſolum interpretetur pene ſolum, ita ut pauci ſint excepti ; nihil dicet repugnans hiſtoriæ.

Quærere animam alicujus, quid in ſcripturis.

ET QUÆRUNT ANIMAM MEAM. Hebraiſmus, pro eo quod eſt, inſidiantur vitæ meæ, quærunt me ad perdendum. Hoc dicit de Jezabel & ejus conſortibus.

4. SED QUID DICIT ILLI DIVINUM RESPONSUM ? Pro divino reſponſo Græcis una dictio eſt, quæ oraculum ſignificat : ὁ χρηματισμός. Senſus : Quid Deus oraculo reſpondit ei ?

RELIQUI MIHI SEPTEM MILLIA VIRORUM QUI NON CURVAVERUNT GENUA ANTE BAAL. Multi codices præpoſitionem omittunt. Nec enim eſt in Græco : ac videri poteſt aſſumpta ex Latino textu hiſtoriæ Regum. Sic autem habent Græca hoc loco, atque etiam (juxta quoſdam codices) in hiſtoria memorata apud LXX. ἐυκἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ. *Non flexerũt genu Baal.* Ubi notandum eſt articulum fœmineum dativi caſus non referri *ad Baal*. Nam Baal maſculus erat Tyriorum ac Sidoniorum Deus : & articulum maſculinum ei paſſim LXX. præfigunt : & plurale maſculinum habet in Hebræo בעלים Behalim. Sed refertur ad aliquid ſubintellectum, quod Eraſmus eſſe putat εἰκόνι. Vertit enim : *Non flexerunt genu imagini Baal*, id eſt coram idolo Baal, ut reddit in paraphraſi.

Nomine Baal quid hoc loco ſignificetur.

Verùm etſi legamus alicubi imagines Baal, ut 4. *Reg.* 11. ſicut & ſtatuas Baal, *ejuſdem lib. cap. 3.* potiùs tamen ſtatuam, quam LXX. σήλην vocant intelligendam cenſeo, quàm imaginem. Nam ſermo eſt de una quapiam inſigni ſtatua, nimirum ea quæ in templo Baal collocata fuerat, ut omnes eam adorarent : cujus everſio poſtea facta juſſu Jehu regis Iſraël ; 4. Reg. 10. deſcribitur his verbis: *Et ierunt in civitatem templi Baal. & protulerunt ſtatuam de fano Baal, & combuſſerunt & comminuerunt eam.*

Igitur locus præſens ſic videretur accipiendus, ac ſi ſcriptum eſſet : τῇ σήλῃ τοῦ Βάαλ, *ſtatuæ Baal.* Ex quo etiam apparet Baal in Græco genitivum eſſe, non dativum : niſi dicas Baal hic poſitum pro ipſa ſtatua, idque fœmineo articulo ſignificatum. Quod non eſt abſimile vero, cum in Hebræo dativus ſit caſus, לבעל labahal, *ipſi Baal* ; quo tamen nomine ſtatuam ſive idolum ſignificari ſatis declarat expreſſio cultus externi per ſigna corporea, genuflexionem & oſculum. Porrò codices qui vocabulum *Baal ſupprimunt* (nam ejuſmodi quidam exſtant etiam mss.) defectivi ſunt.

Sed nunc ſenſum oraculi dicamus: Ex hoc populo, ait Dominus Deus adverſus quem velut totum impium me interpellas, ſervavi *mihi ipſi* (Græcè ἐμαυτῷ) ſeptem millia virorum præter mulieres & parvulos, qui non adoraverunt ſtatuam Baal, id eſt, cultu Baal non ſunt contaminati. Nam à negatione cultus externi vult intelligi remotum cultum internum. Quidam, non malè, ſeptem millia interpretantur multa millia. Nam ſeptem pro multis, frequens eſt in ſacris literis.

Septem pro multis in ſcriptura frequens.

Rectè quoquè annotant Auguſt. *in lib. de dono perſev. cap. 18.* & Chryſoſt. *in comment.* non dixiſſe Dominum, relicta ſunt, ſed *reliqui mihi* ; videlicet ad commendandum gratiæ ſuæ beneficium, ac ſi dicat : Ego per gratiam meam mihi ipſi eos ſervavi, & ne cade-

Perseverantia Deidonum.

rent, aliis tam multis cadentibus, effeci, id est, perseverantiam dedi. Verbis Domini sic explicatis, optimè quadrat illatio sequens: *Sic ergo & in hoc tempore*, &c.

Septē millia quomodo ad nomen Christianorum pertineant.

Scribit Hieronymus in commentario *Zach. cap. 8.* numerum septem millium ad Christianorum nomen pertinere; quia si supputes Græcis numeris ΕΠΤΑΚΙΣ ΧΕΙΛΙΟΤΣ & ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΤΣ, eumdem numerum summamque reperies: id est, mille nongentos quadraginta unum. Sed observa Hieronymum scribere ΧΕΙΛΙΟΤΣ Aeolicè, pro ΧΙΛΙΟΤΣ; alioqui summa non respondebit, sed quinque minus erunt in vocabulo priore. Cæterùm de hac arithmologica speculatione judicet lector, ut volet.

Vera lectio restituta.

5. SIC ERGO ET IN HOC TEMPORE RELIQUIÆ, SECUNDUM ELECTIONEM GRATIÆ, SALVÆ FACTÆ SUNT. *Salvæ* neque in Græco est neque in Syriaco, nec in omnibus Latinis. Græci quoque commentatores non agnoscunt, nisi quod Origenis commentario videtur Ruffinus eam vocem admiscu sse. Sed nec Augustinus legit, hanc sententiam citans *lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 7. de prædest. sanct. cap. 16.* & *de dono persev. cap. 18.* Denique nec *in tract. 86. in Joan.* juxta fidem antiqui codicis mss. qui in operibus Augustini castigandis ante annos 35. nobis ad manū fuit è bibliotheca monasterii Gemblacensis.

Aliis quidem in locis, tam apud Augustinum quàm apud alios patres Latinos reperitur vocabulum *salvæ*; sed, ut verisimile est, ac benè conjicit F. Lucas *in suis notationibus*, adjectum temerè à scribis, existimantibus sententiam aliter non constare. Quod & hoc loco factum est, præsertim accedente recordatione alterius loci, suprà cap. 9. citati ex Isaia: *Si fuerit numerus filiorum Israël tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Atqui Græca hujus loci non recipiunt additionem vocabuli *salvæ*, cum salvum facere aut salvum fieri Græcè apud Apostolum atque alibi semper dicatur uno verbo; σώζειν salvare, & σώζεσθαι salvari, utroque flexo per modos & tempora. Quod hîc non legitur, nec legi potest, nisi auferas verbum γέγονεν. Itaque meritò Guilliaudus, Sasboldus, & Toletus in textu, quem suis commentariis adjunxerunt, eam partem omiserunt.

Sensui tamen non adeò repugnat ista additio. Nam *sensus est*: Sicut olim Deus per suam gratiam sibi servavit septem millia virorum qui non flecterent genua ante Baal, licet id Eliam prophetam Domini lateret; sic & in hoc præsenti tempore (Græcè ἐν τῷ νῦν καιρῷ) videlicet promulgati Evangelii, per electionem Dei gratuitam ex populo Judaico Christum recipere nolente, de quo Joan. 1. *& sui eum non receperunt*; factæ sunt reliquiæ, id est, reliqui sunt, remanserunt, ac servati sunt multi qui Christum reciperent.

6. SI AUTEM GRATIA, JAM NON EX OPERIBUS. *Gratia*, ablativus est respondens dativo Græco χάριτι, ac subaudiendum ex præcedente sententia, *reliquiæ factæ sunt*. Itaque sensus est: Si per gratiam seu gratuitam Dei electionem servatæ sunt reliquiæ quæ in Christum crederent; non igitur ex operibus, id est, ex aliquo operum merito, id consecutæ sunt, ut tamquam reliquiæ servarentur, aliis pereuntibus. Sic interpretatur Augustinus loco memorato lib. de dono persev. Probat autem Apostolus eam sequelam necessario argumento, cum addit.

ALIOQIN GRATIA JAM NON EST GRATIA. *Alioquin* Græcè ἐπεί, *quandoquidem*, ut vertit Erasmus. Et sensus est: Nam sequeretur gratiam non esse gratiam, & falsò gratiam vocari. Quamquam clariùs idipsum expressit noster interpres per *Alioquin*. Id, inquam, sequeretur; quia repugnant gratuitum & debitum. Gratia namque sonat aliquid indebitum: Meritum autem omne, ut tale, aliquo modo debitum est.

Repugnant gratuitum & debitum.

Cæterùm abutuntur hoc loco sectarii, Calvinus & alii, ad evertenda bonorum operum merita respectu viæ æternæ. Si enim, inquiunt, vita æterna datur ex gratia, & suprà dictum est cap. 6. *Gratia Dei vita æterna*: non ergo comparatur ex operum merito. Sic enim gratia non esset gratia, sed debitum. Quibus respondendum est: Apostolum loqui non de quibuscumque operibus, sed de iis quæ gratiam omnem præveniant, & proinde ad solas naturæ vires referenda sint; quomodo de operibus loquebantur Judæi, suam volentes statuere justitiam, & quomodo posteà Pelagiani docentes gratiam dari secundùm merita.

Objectio sectariorum contra merita bonorum operum.

Responsio.

Quod si de operibus absolutè loquamur, jam certè non pugnat, dari aliquid ex gratia simul & ex operum merito. Possunt enim ipsa opera, quibus aliquid meremur esse gratuitò donata. Atque ita sanè res se habet in promerenda vita æterna. Nam opera quibus eam meremur, à gratia Dei promanant; nec alia sunt nostra bona merita quàm Dei dona; quemadmodum id declarat synodus Tridentina. *sess. 6. cap. 16.* verbis desumptis *ex epist. Cælestini Papæ ad episcopos Galliæ cap. 18.*

Quomodo non repugnet, aliquid dari ex gratia & ex merito.

Non alia sunt nostra bona merita quam Dei dona.

Quantum autem ad totam hominis salvationem attinet, quam electio respicit; nihil boni meriti eam præcedit; sed ipsa electionis gratia omnium bonorum operum ac totius renovationis nostræ causa est. Loquitur autem Apostolus de gratia electionis, ut ex superioribus constat. Unde ex hoc loco rectissimè statuitur prædestinatio merè gratuita.

Electionis gratia causa totius nostræ renovationis. Prædestinatio merè gratuita.

Jam quomodo non sit huic doctrinæ contrarium, quod Apostolus in superioribus hujus epistolæ docuit, justitiam & salutem nostram esse ex fide, quæ utique opus quoddam est; ex iis quæ dicta sunt ad illud cap. 3. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis*, petendum relinquo. Sequuntur in Græco textu hæc verba: *Si verò ex operibus, jam non est gratia. Alioquin opus jam non est opus.* Leguntur hæc eadem in commentariis Græcorum, Theophylacti & Oecumenii, nec non in textu Syriaco.

An autem ea germana sit Apostoli lectio nihil certum, ac meritò dubitatur. Neque enim apud ullum Latinorum ea verba leguntur, neque in ullis sunt Latinis mss. Imò Græci vetustiores, Origen. Chrysost. & Theodor. in *suis comment.* non attingunt, ut satis probabile sit, additamentum esse Græci cujuspiam ad textum. Quod & suspicatur Erasmus haud levi ratione motus. *Nam Paulus*, inquit, *non hîc agit, an opus sit opus: sed gratiam astruit, quam Judæi conabantur expellere.*

Quocirca Cajetano non assentior affirmanti integram hanc sententiam deesse in Latino textu: quum verius existimem simpliciter eam redundare. Sensus autem clarus est ex repugnantia gratiæ & operum, id est, meritorum, de qua jam dictum est.

7. QUID ERGO? supple dicemus. Vel, quid sequitur ex dictis?

QUOD QUÆREBAT ISRAEL, HOC NON EST CONSECUTUS. *Quærebat* Græcè ἐπιζητεῖ, *quærit*: nisi quod unus codex à Roberto notatus legit ἐπεζήτει *quærebat*. Sensus est: Judæi justitiam quam quærebant & sectabantur, & adhuc quærunt, non sunt assecuti; quia non eam quæsierunt nec quærunt quemadmodum oportet. Quærunt enim ex operibus; cum illa solùm habeatur ex gratia. Simili prorsus sententia jam suprà cap. 9. dixerat, quod *Israël sectando legem justitiæ in legem justitiæ non pervenit: quia non ex fide, sed quasi ex operibus.* Et cap. 10. quod *ignorantes justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

ELECTIO AUTEM CONSECUTA EST. Hebraismus *electio* pro electis. Sensus: Sed reliquiæ illius populi, quas per gratiam suam Deus elegit, consecutæ sunt justitiam, videlicet ex fide. Reliquiarum ele-

ctionem intelligi liquet ex præcedentibus. Maluit autem dicere electionem quàm electos, ut vim gratuitæ electionis Dei innueret, à qua totum habent electi quod habent, id est, quicquid in eis esse potest boni meriti.

Vis gratuitæ electionis.

CÆTERI VERO EXCÆCATI SUNT. Græcè ἐπωρώθησαν, *indurati sunt*. Ita vertit interpres Joan. 12. *induravit cor eorum*. De hoc plenius infrà ad illud, *Cæcitas ex parte contigit in Israël*. Exceptis, inquit, reliquiis cæteri Judæi non solùm deserti sunt; verùm etiam sua malitia excæcati, ut clarum lumen veritatis Evangelii non videant, imò & indurati, ut videre nolint. Cui sensui benè quadrat testimonium sequens.

8. SICUT SCRIPTUM EST: DEDIT ILLIS DEUS SPIRITUM COMPUNCTIONIS. Hic locus est apud Isaiam *cap.* 29. juxta versionem LXX. interpretum. Nam ubi nos ex Hebræo legimus, *miscuit vobis Dominus spiritum soporis*, apud LXX. legitur, *Potavit vos Dominus spiritu compunctionis*. Igitur spiritum compunctionis, non ut quidam exponunt spiritum doloris & invidiæ adversus Gentiles in Christum credentes, intelligit Apostolus: sed juxta Græcorum, Chrysostomi, Theophylacti & Oecumenii interpretationem, spiritum stuporis & pertinaciæ; id est, animum in malo constantem & obstinatum, ut inde nequeat dimoveri: quemadmodum quod clavo affixum est, ægrè potest avelli. Tale quid enim vox Græca κατανύξεως significat, pro qua Cyprianus epist. 55. quæ est ad Cornelium, *transpunctionem* legit. Sunt qui vocem istam Græcam idiomate Alexandrino tradant significare altum soporem ac veternum. Confer indicem ad 70. Lat. & Baron. An. 34. §. 107. Convenit autem hæc interpretatio cum eo quod est in Hebræo *spiritum soporis*. Nam & sopor res tenax est, maximè qualem vox Hebræa significat, id est, somnum arctum & vehementem, cujusmodi legitur à Domino immissus in Adam *Gen.* 2. in Abraham *Gen.* 15. in comites Saul 1. *Reg.* 26. His enim locis eadem est dictio Hebraïca תרדמה thardemah, quæ apud Isaiam: licet LXX. non eamdem vocem Græcam ubique reddiderint. Nam in Genesi transtulerunt ἔκστασιν, id est, mentis excessum; in Regum lib. ὕπνος, id est, stuporem; κατανύξιν, ut dixi, id est, compunctionem: quod & in Psalm. 59. legitur, ubi nos habemus; *Potasti nos vino compunctionis*; etsi non ex eadem dictione Hebraïca.

Spiritus cõpunctionis quis dicatur.

Significatur ergo tam soporis quàm compunctionis vocabulo stupor & immobilitas quædam, ut est hominis altissimo somno demersi, ac nihil sentientis; aut rei certo loco penitus affixæ. Dedit autem Deus hunc spiritum Judæis, non immittendo animis eorum pertinaciam, sed gratiam non apponendo, & insuper pro meritis occasiones & offendicula ponendo; quemadmodum hujusmodi scripturas intelligendas esse ostendimus ad illud hujus epist. cap. 1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*. Porrò sensum quem dedimus, confirmant ea quæ sequuntur.

Spiritũ pertinaciæ quo sensu Deus dare dicatur.

OCULOS UT NON VIDEANT, ET AURES UT NON AUDIANT, USQUE IN HODIERNUM DIEM. Connectit testimonium ex diversis locis, & quidem ejusdem prophetæ, juxta sententiam omnium ferè expositorum. Hanc enim partem sumptam esse volunt ex Isaiæ *cap.* 6. quæ tamen ansulam habeat à priori, ubi proximè sequebatur; *claudet oculos vestros*. Quamquam non ipsi ominò prophetæ verbis hîc citatur. Sic enim apud prophetam & ad ipsum de populo Judaïco loquitur Dominus: *Aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat*, &c. Allegatur idem locus *Act. ult.* & *Matth.* 13. sed juxta versionem LXX. verbis nonnihil ab Hebræo discrepantem. Ad quam etiam Marcus & Lucas accedunt, idipsum prophetæ testimonium breviter attingentes, ille *cap.* 4. iste *cap.* 8. Cæterùm illam clausulam, *usque in hodiernum diem*, quæ apud Prophetam non legitur, de suo Paulum adjecisse putant, ut significaret id quod prædictum est à propheta, jam impletum esse, & quotidie impleri; quasi dicat. Experientia nunc testatur ita se rem habere.

Unde desumptum præsens testimonium.

Sed ut demus Apostolum aliquo modo respexisse ad memoratum Isaiæ locum: veriorem tamen arbitror Hervæi, qui Anselmi titulo citari solitus, sententiam à Toleto probatam: Paulum propriè hæc verba desumpsisse ex Moyse Deut. 29. loquente ad omnem Israël; *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens* (Hebraïcè *ad intelligendum*) *& oculos videntes* (Hebraïcè *ad videndum*) *& aures quæ possunt audire* (Hebraïcè *ad audiendum*) *usque in præsentem diem*. Hîc enim vides adjectam clausulam quæ apud Isaiam non apparebat: ut nihil opus sit eam facere Pauli additamentum.

Verior sententia.

Nec refert quod ad alios Moyses, ac de aliis Paulus loquantur; quodque diversum diem indicent hodiernum. Nam illi ad quos Moyses, erant patres istorum de quibus Paulus, & ad quos Dominus: *Implete mensuram patrum vestrorum*. Matth. 23. ut proinde quæ in illos à Moyse dicta sunt, appositè etiam in istos dicantur à Paulo, maximè quod horum etiam typum quemdam præferrent illa sua animi duritia & obstinatione. Ex iisdem Moysi verbis intelligitur non esse sensum Pauli, Deum dedisse Judæis oculos & aures ad hunc finem ut non videant & non audiant: sed non dedisse ut oculis viderent, & auribus audirent, id est, ut attenderent ad ea quæ viderant & audierant.

Igitur quod de Judæis dicit Apostolus, hujusmodi est: Ita à Deo derelicti sunt, ut quod homini sopor to contingit in corpore, patiantur in animo; scilicet ut præ stupore nec oculis utantur ad videndum, nec auribus ad audiendum, sic ut attendant animis ad mysteria salutis per Evangelium revelatæ: idque ex quo tempore Christus advenit, usque in præsens. Manifestè convincit hic locus, & alii similes; ita quosdam à Deo deseri, ut auxilium iis præsto non sit quo se convertant; sed ad eam rem novo divinæ gratiæ auxilio opus esse: de quo idem Apostolus. 2. Tim. 2. *Si quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem*.

Non omnibus adest auxiliũ quo cõvertantur.

9. ET DAVID DICIT; Psalm. 68.

FIAT MENSA EORUM IN LAQUEUM, ET IN CAPTIONEM, ET IN SCANDALUM, ET IN RETRIBUTIONEM ILLIS. Hic versus in Hebræo sic legitur: *Erit mensa eorum coram eis in laqueum, & in retributiones, in offendiculum*. Sic autem apud LXX. *Fiat mensa eorum coram eis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum*, sive *offendiculum*. Ex quo liquet à Paulo additum esse quod habet secundo loco καὶ εἰς θήραν *& in captionem*, seu *venationem*; nisi fortè pro laqueo Paulus captionem scripsit (nam idem ferè significant) eam vero partem εἰς παγίδα, *in laqueum*, ex interpretibus LXX. in margine scriptam, textui quispiam inseruerit.

Porrò non est diversum, quod loco verbi enuntiativi *erit*, Paulus LXX. secutus scripsit imprecandi modo γενηθήτω, *fiat*. Nam intentio prophetæ est non nudè prædicere hanc pœnam, sed eam tamquam justam optare & approbare: utpote cujus sit suam voluntatem divinæ voluntati sibi certò cognitæ conformare. Quod ex eo patet, quia Propheta mox ab enunciativo modo ad imprecativum transit, in illa parte Psalmi etiam hîc citata, *& dorsum eorum semper incurva*.

Prophetæ nõ nudè sed optativè pœnas hominum prædicunt.

Mensam intellige scripturam sacram, vel prædicationem Evangelii. Nam verbum Dei cibus est animæ quàm maximè salutaris. Quidam referunt ad epulum agni paschalis: eò quòd Judæi, quum tempore paschæ convenissent Jerosolymam ad comeden-

Mensæ nomine scriptura vel evãgelii prædicatio significata.

dum phaſe, omnes ab exercitu Romano concluſi ac veluti laqueo comprehenſi, miſerè perierint, ut ſcribit Joſephus *lib. 7. de bello Jud. cap. 17.* tamquam in illis tunc impletum ſit, quod hoc verſu prædicitur.

Verùm conſtat Apoſtolum *hoc loco* non de ea pœna nec de eo tempore loqui : ſed de ſpirituali pœna cæcitatis & ſurditatis Judæorum, ac de toto tempore quod Chriſti adventum ſequitur.

Itaque ſenſus eſt; Ob præcedentia peccata in Chriſtum commiſſa quæ in eodem Pſalmo ante hunc verſum recenſentur, meritò hoc patientur exigente Dei juſtitia, ut menſa verbi Dei quam illis Deus paravit, vertatur eis in laqueum quo capiantur & comprehendantur; & in offendiculum in quod graviter impingant; id eſt, vertatur eis in perniciem & ruinam : & hoc totum contingat eis in retributionem ſeu juſtam vindictam, propter ipſorum peccata.

Obſerva, quod hæreticis Scriptura ſacra fiat in laqueum & ſcandalum.

Fit autem Scriptura ſacra in laqueum & ſcandalum omnibus illis, qui contempto Eccleſiæ magiſterio privatum ſuum ſenſum ad eam adferunt. His enim omnibus certus inſtat interitus. Quales non ſolùm Judæi, verùm etiam omnes hæretici. Sed & Evangelii prædicatio facta fuit Judæis in ſcandalum : quia in hominem crucifixum credere, & ab eo ſalutem ſperare, quæ ſumma eſt evangelicæ prædicationis, indignum judicarunt. Quod hoc loco Chryſoſt. & ejus ſequaces menſam Judæorum interpretantur delitias eorum, mihi videtur inſtituto Pauli nihilo magis convenire, quàm quod de menſa agni paſchalis ab aliis adferebatur.

10. OBSCURENTUR OCULI EORUM NE VIDEANT. Id eſt, mens eorum ſubtractione tui luminis ita obtenebretur, ut recto judicio privati claram ac præſentem veritatem non agnoſcant.

ET DORSUM EORUM SEMPER INCURVA. Quamquam hoc ad literam à propheta dictum videri poſſit de jugo ſervitutis, quo preſſi ſunt Judæi à tempore excidii Jeroſolymitani (Quibus enim magna onera imponuntur, ut ſervi, incurvato dorſo incedunt) attamen ex mente Pauli ſpiritualis pœna potiùs intelligenda eſt, ut ſit ſenſus; Nihil cæleſte ſapiant, ſed animo ac deſiderio ſemper terram ſpectent: res terrenas quærant ac deſiderent; contra quàm veri Chriſtiani, quorum converſatio in cælis eſt, dum ea quæ ſurſum, quærunt ac ſapiunt, non quæ ſuper terram, *Philip. 3. Col. 3.* Simili tropo ſermonis dictum à poëta; *O curvæ in terris animæ & cæleſtium inanes.* Quàm verè autem hoc in Judæorum gentem competat avaritia & uſuris exercendis infamem, etiam vulgo notum eſt.

Quo ſenſu Judæi incurvati in terram.

11. DICO ERGO : NUMQUID SIC OFFENDERUNT UT CADERENT? ABSIT. Redit ad id quod initio hujus capitis inſtituit : movetque eorum quæ proximè dicta ſunt occaſione ſimilem quæſtionem cum ea quam illic ſibi fecerat : Num ita Dei judicio ſint excæcati Judæi, ut prorſus actum ſit de tota natione, nec ſperanda ſit ulla reſtitutio. Reſpondet autem negativè, quemadmodum ſuprà; dicens, *Abſit.* Particula *ſic* in Græco & Syriaco non habetur. Et illud *ut caderent* bifariam intelligi poteſt, vel ut cauſa finalis ſignificetur, vel ut eventus.

Offendere & cadere quo modo differunt.

Simul obſervanda metaphora in verbis offendere ſive impingere, & cadere; quorum illud levius eſt iſto. Non enim qui impingit, continuò cedit. Intelligit autem Apoſtolus offenſionem & caſum non in levioribus & gravioribus peccatis, ſed offenſionem quidem in parte populi, caſum autem in toto, ac ſine ſpe reparationis. Cenſetur enim populus offendiſſe tantùm, ſi non totus cecidit; maximè ſi caſus ſit reparabilis.

Igitur priori modo ſenſus eſt : Judæos non idcircò permiſſos impingere per hoc quod multi ex eis Chriſtum adverſati ſunt, ut tandem gens tota à juſtitia & ſalute excideret; quaſi Deus illam permiſſionem ordinaverit ad hunc finem. Id enim alienum eſt à Dei bonitate. Sed ordinavit ad eum finem, qui verbis ſtatim ſequentibus explicatur.

Judæorum caſus nec univerſalis eſt, nec irreparabilis.

Poſteriori modo ſenſus eſt : Judæos non ſic offendiſſe ut penitus caderent; id eſt, ut caſus irreparabilis, & omnium univerſalis inde ſit ſecuturus. Neque enim omninò populum Judaicum Deus abjecit, ſed reliquias ſibi inde ſervavit, ac cæterorum caſu ad tempus uti voluit tamquam occaſione converſionis & ſalutis Gentium; ſicut in ſequentibus docetur.

Hunc poſteriorem ſenſum attendit Latinus interpres, quando de ſuo addidit *ſic.* Nec repugnat Græca conjunctio ἵνα, quod Eraſmus putat. Nam ea licet ordinariè finalem cauſam denotare ſoleat, interdum tamen adhibetur in ſcripturis ſacris ad ſignificandum eventum, vel modum cum eventu : velut hujus epiſtolæ. cap. 7. *Ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.* Et Lucæ 11. *Ut inquiratur ſanguis omnium prophetarum*, &c. Quod Matthæus cap. 23. expreſſit per ὅπως, adeò *ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus*, &c. Ita ferè quoties apud Evangeliſtas dicitur; *Ut impleretur quod dictum eſt per prophetam : Ut impleantur ſcripturæ*, &c Nec ſolùm expoſitores Latini locum hunc ita ſunt interpretati, ſed & Græci Chryſoſtom. & Theophylactus : quemadmodum & illum infrà : *fracti ſunt rami, ut ego inſerar.*

Atque hic ſenſus ſufficit inſtituto Pauli. Non enim quærit, an Judæorum caſus ſit cauſa propter quam Deus permiſerit eos offendere : ſed an omninò ex hac offenſione caſus ille ſit ſecuturus. Quamquam ad utrumque ſenſum aptari poſſunt quæ ſequuntur; ut in iis & eventus & cauſa finalis ſignificetur.

Porrò B. Auguſtinus in expoſitione præſentis loci fatetur quidem Judæos cecidiſſe, de multitudine id intelligens (Nam & Apoſtolus id agnoſcit infrà cùm dicit : *In eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem*) ſed *non ita deliquerunt*, inquit, *ut caderent, id eſt, ut tantummodò caderent, quaſi ad pœnam ſuam ſolùm : ſed ut hoc ipſum quod ceciderunt, prodeſſet Gentibus ad ſalutem.*

SED ILLORUM DELICTO SALUS EST GENTIBUS, UT ILLOS ÆMULENTUR. Reſponſionem ſuam negativam declarando proſequitur, oſtendens aliquot rationibus Judæorum ſalutem quamvis offenderint, non eſſe deſperandam. Quarum hæc eſt prima, ſumpta ab ipſarum Gentium ſalute divinitus ordinata ad bona Judæorum.

Quæ ratio ut intelligatur, ſciendum eſt verbum *æmulari* hîc poſitum eſſe ab interprete in ſignificatione activa, pro eo quod eſt provocare ad æmulationem, quemadmodum & uſurpavit 1. Corinth. 10. *An æmulamur Dominum?* Nam ea Græci verbi παραζηλοῦμεν ſignificatio eſt : & in eum ſenſum interpres noſter alibi illud exponit, ut in hoc ipſo capite poſt paucula : *Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam.* Et capite ſuperiori : *Ego ad æmulationem vos adducam.* Denique & ex Syriaco ſic habemus interpretatum : *ad provocandum eos ad æmulationem.*

Æmulari pro eo quod eſt ad æmulationem vocare.

Poteſt autem tam Græca quàm Syriaca lectio duobus modis exponi; ut vel ad Gentes verbum referatur, vel ad Deum. Ad Gentes quidem hoc modo, ut Gentes ſalutem adeptæ provocent ad æmulationem Judæos. Quod intellige non ſtudio ſed exemplo. Et hoc voluiſſe videtur noſter interpres, quando Græcum infinitivum plurali numero vertit, *æmulentur.* Ad Deum autem hoc pacto : ut Deus ad æmulationem Gentium provocet Judæos. Id voluerunt alii tranſlatores qui ſingularem numerum reddiderunt, *provocet*, aut *provocaret*, ſecuti Græcorum commentarios, qui provocationem hanc Deo videntur aſcribere; idque rectiùs, ut exiſtimo. Nam Deo Moyſes aſcripſit in illo verſu quem præcedenti capite Paulus ex ejus cantico citavit : & ex quo præſentem rationem excerpſit.

Delictum pro lapsu positum.

Prætereà notandum pro *delicto* Græcè legi παραπτώματι, quod etiam lapsum significat, ut à casu distinguitur. Est enim levius labi quàm cadere. Atque hoc reddiderunt alii interpretes: idemque volunt commentarii Græcorum. Sed & Syriaca dictio lapsum denotat. Pertinet autem hoc ad metaphoram superiorem, ut medium quiddam inter offensionem & casum: quo significetur Judæos non quidem sic offendisse ut caderent; sic tamen ut laberentur; ne quis offensionem eorum plus satis extenuet. Quamquam sunt qui παράπτωμα interpretentur offensam, id est, impactionem: ut idem significatum sit hoc nomine, quod prius verbo ἔπταισαν *offenderunt*. Estque id contextui Paulino consentaneum.

Deus lapsu Judæorum usus ad conversionem Gentium.

Igitur sensus Apostoli est: Quin potiùs delicto seu lapsu sive offensa Judæorum usus est Deus ad magnum quoddam bonum, scilicet ad vocationem & salutem Gentium; vicissim usurus Gentium conversione ad salutē Judæorum. Dum enim Gentes ad fidem vocat, Judæos (sicut per Moysen prædixit) ad æmulationem provocat; ut qui videant promissa patribus suis facta, & à se neglecta, transferri ad Gentes. Hac igitur æmulatione perciti, velut ex contentione & ipsi Christum salvatorem recepturi sunt; quem prædicantibus Apostolis recipere noluerant. Ad hunc sensum collimant Græca, ab Erasmo paulò clariùs sic reddita: *Sed per lapsum illorum salus contigit Gentibus; in hoc ut eos ad æmulandum provocaret.*

Judæi etiam ante finem sæculi ad fidem adducuntur.

Jam quomodo Judæorum lapsus & infidelitas fuerit occasio salutis Gentilium, docent non uno loco *Act. Apost.* ubi Judæis Evangelium repellentibus ad Gentes transisse leguntur: nominatim *cap.* 13. *& ultimo.* Porrò quamvis æmulatio jam dicta non in omnibus efficiat Judæis ut Evangelio credant (multi enim zelo commoti fuerunt ob fidem Gentium, nec eam sunt imitati, ut *Act.* 13. 17. *& alibi*) non tamen existimandum est solùm in fine sæculi Judæos hac æmulatione adducendos ad fidem, verùm etiam aliàs, Deo miserante, id contingere & contigisse, licet non tanto numero. Certè legimus ante ducentos annos unius Vincentii Ferrerii viri sancti concionibus suprà viginti quinque millia Judæorum adducta fuisse ad Christum. Et scimus adhuc Romæ singulis annis aliquot Judæos baptizari.

Quæstio. Responsio.

Dicet aliquis: Quid si Judæi Christum recepissent: an non contigisset salus Gentibus? Respondeo; Contigisset utique quia pro mundi salute passus erat Christus. Verùm nec tam citò perlatum ad eas Evangelium fuisset; nec eodem ordine quo nunc, salus earum fuisset procurata.

Judæorum delictum divitiæ mūdi.

12. QUOD SI DELICTUM ILLORUM DIVITIÆ SUNT MUNDI. Secunda ratio sumpta ab eo quod Gentibus utile est, & proinde optabile, à Dei misericordia sperandum. Si, inquit, delictum sive lapsus Judæorum per occasionem cessit ac redundavit in spirituales mundi divitias, hoc est, in salutem copiosè præstitam Gentibus toto orbe diffusis: Sequitur.

ET DIMINUTIO EORUM DIVITIÆ GENTIUM. Id est, si cessit ad multitudinem Gentium convertendam Judæorum abjectio, qua factum est ut tam pauci ex illis fidem susciperent, cæteris infidelitate excæcatis: Sequitur.

QUANTO MAGIS PLENITUDO EORUM? Supple, divitiæ Gentium erunt? id est, quantò magis valebit ad confirmandam & dilatandam in Gentibus fidem, conversio populi ipsius Judaïci, id est, maximæ multitudinis eorum? Quam conversionem futuram in fine sæculi, infrà docet. Argumentum est à minori. Sic enim Judæi credere nolentes occasionem dederunt multitudinis Gentium convertendæ ad fidem: multò magis consentaneum est, ut iidem credentes causa sint amplificandæ fidei in Gentibus. Hoc enim per se est, illud per accidens.

Jam ulteriùs collige: Si Deus propter utilitatem totius mundi, id est, populi Gentilis, permisit Judæos labi ac diminui: multò magis eos restaurabit & ruinas eorum implebit pro mundi utilitate. Non igitur desperanda nobis est eorum conversio. Rationem hanc doctè & dilucidè explicatam habes apud S. Thomam. Cæterùm observa pulcherrimam metaphoram in nomine divitiarum, quas ad fidei transfert incrementa. Sic Jac. 2. *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide.* In nomine divitiarum metaphora.

13. VOBIS ENIM DICO GENTIBUS QUAMDIU QUIDEM EGO SUM GENTIUM APOSTOLUS: MINISTERIUM MEUM HONORIFICABO. Pro *quamdiu* Græcè est ἐφ' ὅσον, quod interdum quidem temporis significationem habet, ut Matth. 9. *Quamdiu cum illis est sponsus.* Atque ita accipit Origenes hoc loco. Sic enim interpretatur; quamdiu sum Apostolus, id est, semper ac sine fine. Quod etiam ad futurum sæculum extendit, non sine erroris suspicione.

Verùm usitatiùs ad rationem refertur, Latinè *inquantum, quatenus, qua ratione.* Et ita accipiendum hoc loco arguit præsentis temporis verbum δοξάζω, *glorifico*: quomodo & Augustinus legit *lib.* 9. *contra Faustum cap.* 2. pro quo noster interpres futurum reddidit, *honorificabo*, quoniam hoc magis quadrabat cum adverbio *quamdiu*: nisi fortè legit futurum δοξάσω; tametsi ad sensum non multum interest utrum legas.

Est autem hæc tertia ratio à signis, hoc est ab ipsius Pauli conatu in adducendis ad Christū Judæis. *Quod quidem non faceret*, inquit Thomas hanc rationem explicans, *si casum Judæorum irreparabilem putaret. Unde suum ipsius studium, quod adhibebat ad conversionem Judæorum, inducit pro signo, quod eorum casus sit reparabilis.* Sic ille. Gentes autem alloquitur Paulus, earum Apostolum se nominans, ne dicturus de suo erga Judæos convertendos studio, videatur oblitus officii peculiariter sibi demandati in Gentes.

Vos, inquit, ô Gentes, appello. Quandoquidem sum vester Apostolus, ministerium hoc meum non defero, sed gnaviter obeo, atque illustre & celebre reddo: quod probat multitudo eorum qui passim ex Gentibus mea prædicatione ad fidem convertuntur. Vocat se Gentium Apostolum hîc & alibi, quia præcipuum ejus officium divinitus injunctum erat circa salutem Gentium; quemadmodum ex historia Actorum Apostolicorum constat. Nec tamen negandum est, etiam missum fuisse ut Judæis prædicaret. Sic enim dicit de eo Dominus Actor. 9. *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus & regibus Israël.* Paulus quare se dicat Gentium Apostolum. Paulus etiā ad Judæos missus.

Unde patet verum non esse quod quidam hoc loco annotant, Paulum prædicantem Judæis fecisse opus supererogationis: quasi per hoc suum ministerium quod in Gentes acceperat, honorificare se dicat. Qui commentarius legitur apud Hugonem, Hervæum & Aquinatem; sumptusque est ex Ambrosiastro. Nec enim Paulus his verbis significat se prædicasse evangelium Judæis (quamquam id sæpè fecerat) sed se prædicantem Gentibus, etiam Judæorum saluti consulere. Hoc enim est quod sequitur.

14. SI QUOMODO AD ÆMULANDUM PROVOCEM CARNEM MEAM. Quod, inquit, tam diligenter exerceo munus Apostolicum inter Gentes, non solùm id facio pro salute Gentium, verùm etiam Judæorum; ut scilicet hi zelotypia quadam incitati, dum vident Gentes per fidem adjungi Deo patris sui Abraham, & promissiones Abrahæ seminique ejus factas à Gentibus occupari; accedant etiam ipsi ad fidem, studeantque cum illis saltem, si non præ illis, benedictionis patribus suis promissæ participes fieri. Carnem suam vocat Judæos propter cognationem carnis. Quod expressiùs dixit cap. 9. *Qui sunt cognati mei secundùm carnem.* Sic autem loquitur, ut quodam naturæ vinculo obstrictum se significet ad promovendam Judæorum salutem; de qua subjungit.

ET SALVOS FACIAM ALIQUOS EX ILLIS. Dicit, *aliquos*; sciens suo tempore non futurum ut admodum multi ex eis ad salutem adducantur; plenitudine videlicet in aliud tempus reservata. Illud in his verbis *observa*, quamvis humanam salutem totam ab initio fidei usque ad consummationem gloriæ Deus principaliter operetur; ministros tamen evangelii & sacramentorum, etiam suo modo salvos facere homines; nimirum ut viva quædam instrumenta, quibus ad peragendam eorum salutem Deus utitur. Sic idem Apostolus ad Tim. 1. epist. 4. *Hoc enim faciens & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* Et Jacobus in fine suæ epistolæ: *Qui converti fecerit peccatorẽ ab errore viæ suæ, salvabit animã ejus à morte.* Et Dominus ipse Matth. 18. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

Ministri evangelii & sacramentorum quomodo salvos homines facere dicãtur.

15. SI ENIM AMISSIO EORUM RECONCILIATIO EST MUNDI; QUÆ ASSUMPTIO NISI VITA EX MORTUIS? Studium illud suum rursus comprobat ex eo quod utile futurum sit ipsis Gentibus. Probat autem sententia simili cum illa præcedente, *Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi*, &c. *Amissio* Græcè ἀπῶλεια, *abjectio*, quam opponit assumptioni. Rejectionem legit Augustinus *loco suprà cit.* Cæterùm assumptionem intellige non adjunctionem Judæorum ad Gentes, ut quidam volunt; sed qua assumendi sunt à Deo, qui priùs abjecti erant. Hunc enim intellectum postulat antithesis inter abjectionem & assumptionem. Nec secus accipitur infrà cap. 14. *Deus enim illum assumpsit.*

Judæorum assumptio quæ dicatur.

Si, inquit Apostolus, Judæorum abjectio per occasionem valuit ad reconciliationem Gentium cum Deo; quid dicemus de assumptione Judæorum, qua nimirum assumentur à Deo ad gratiam Evangelii & ad salutem in fine sæculi; nisi quòd ea multò magis sit profutura Gentibus ac toti mundo, ad novitatem vitæ ex morte peccati? Vel simpliciter hoc pacto.

Si Judæorum abjectio cessit mundo ad peccatorum remissionem: quid mundo conferet eorum assumptio, nisi justificationem, quæ est vita ex mortuis? Solet enim Apostolus ratione distinguere hæc duo, mori peccatis, & vivere Deo per justitiam: atque hoc præ illo velut aliquid majus commendare; uti videre est suprà cap. 6. per aliquot versus. Quò pertinet etiam illud cap. 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.*

Vita ex mortuis Apostolo quæ dicatur.

Aliter tamen Græci Origenes, Chrysost. & Theod. quos multi sequuntur. Intelligunt enim vitam ex mortuis, universalem mortuorum resurrectionem, quæ Judæorum assumptionem est consecutura. Neque enim priùs mortui resurgent ad vitam, quàm Judaïcus populus receperit fidem Christi.

Rursus alii vitam ex mortuis figuratè interpretantur cumulum bonorum, &, ut Oecumen. loquitur, *perfectum integrumque gaudium, quale erit in perfecta communique vita ac resurrectione ex mortuis.* Quæ omnes expositiones probabiles sunt. Porrò quàm non sit desperanda Judæorum salus, licet ad tempus amissi & abjecti sint; pergit adhuc docere duabus metaphoris subjunctis. Et hanc ponimus quartam rationem Apostoli sumptam ex qualitate majorum, ut patebit.

16. QUOD SI DELIBATIO SANCTA EST ET MASSA. Græce: *Si autem primitiæ sanctæ; & conspersio.* Nam *massa* nomen est ad multa generale: φύραμα verò Græcum, ac Latinum conspersio, propriè significant farinam aqua, vino aut oleo temperatam ad pinsendum. Conspersionem legit etiam Hilarius enarrans Psalm. 58. Prior itaque hæc metaphora desumitur ab eo quod in lege fiebat, ubi Deo oblatis, & per hoc sanctificatis frumenti primitiis, ut præcipitur *Num. 15.* quæcumque massa posteà fieret ex eo frumento; reputabatur sancta. Sic igitur si patriarchæ, qui sunt velut primitiæ populi Judaïci, sancti fuerunt; etiam populus ipse ex illis progenitus, reputabitur sanctus. Ita Chrysost. Oecumen. Gaignæus & alii, primitias, æquè ut mox radicem, interpretantes Judæorum patriarchas.

Primitiæ populi Judaïci patriarchæ.

Noster interpres primitias delibationem vocat, quod primitiæ primò delibentur, id est, ut portio quædam exigua, desumantur ex reliquo corpore seu frumenti, seu aliarum rerum Deo offerendæ. Nisi fortè significare voluit fermentum, quomodo Theophyl. ἀπαρχὴν interpretatus est. At nescio quàm rectè; quum usus loquendi, præsertim Scripturæ sacræ, non habeat ut fermento nomen ἀπαρχὴς attribuatur; ac vix soleat fermentum in scripturis habere bonæ rei significationem. Fortassè Theophyl. ut homo Græcus posterioris ætatis, panem fermentatum quo Græci in mysteriis utuntur, hac sua expositione commendare voluit.

Malè Theophylactus ἀπαρχὴν fermentum interpretatur.

Sunt qui delibationem interpretentur id quod ex massa farinacea sumitur ad probandum; & per eam significari putent vel Apostolos vel primos fideles; quos ex Gente Judæorum assumptos à Deo, dicunt, velut delibationem ex massa. Sed hoc glossema quod Latinorum tantùm est, nec Græco textui, nec intentioni Paulinæ existimo convenire.

ET SI RADIX SANCTA, ET RAMI. Id est: si patriarchæ, ex quibus velut radice processit arbor Judaïci populi, sancti sunt: ipsa etiam arbor cum ramis suis, id est, populus Judaïcus sanctus erit. Origenes tam primitias quàm radicem, non alium quàm Christum vult intelligi: quoniam, inquit, *huic radici omnis qui salvatur, inseritur, & ex hac delibatione sancta omnis massa humani generis sanctificatur.*

Radix Judaïci populi iidem patriarchæ.

Sed & hic commentarius recedit à mente Apostoli; qui non intendit hoc loco docere, quis sit author sanctificationis tam Judæis quàm Gentibus; sed peculiari de Judæis ratione suadere, quod in negocio sanctificationis non debeant contemni: videlicet ex eo quòd sanctos habuerunt progenitores. Ad quam rem mox etiam adducit similitudinem olivæ.

Porrò ex duabus jam dictis Pauli probationibus quidam hæreticorum docere conati sunt, Christianorum filiis, ut sanctificentur, non esse necessarium baptismi sacramentum: quòd eo ipso quo Christianos habent parentes, sancti sint, &, ut aïunt promissionis ad Abraham factæ participes. Quod argumentum si valeret; multò magis ostenderet omnes Judæos, utpote ex sanctissimis patriarchis prognatos, sine exceptione sanctos esse, nec ullo sacramento ad sanctificationem indigere. Quod falsissimum esse constat.

Observa cõtra quosdam sectarios, qui ex hoc loco docẽt Christianorum filiis non esse necessariũ baptismum.

Quare dicendum est Apostolum uti his comparationibus velut argumento probabili, ad docendum, Judæos potiori ratione participes fieri posse gratiæ Dei quàm Gentiles: eò quòd nati sint ex patribus quibus factæ sunt promissiones, quique sancti fuerunt & accepti Deo. Cum enim per institutionem plerumque fiat ut posteri teneant eamdem cum suis majoribus religionẽ & pietatem; quod & futurum in posteritate Abrahæ per sanctam filiorum ejus educationem, Dominus ipse testatus est, Genes. 18. consentaneum est Judaïcum populum è sanctis patribus ortum, sanctitatem illam velut quodammodo hereditariam retinere.

Sed etsi multi è populo sua malitia à sanctitate majorum deflexerint; futurum tamen ut faciliùs ad id quod eis naturale quodammodo est, revocentur, & fiat quod dicitur Malach. ultimo: *Convertet cor filiorum ad patres eorum.* Non ergo sanctum vocat Judaïcum populum Paulus, quod sanctitatem in se habeat; sed quia habet unde sanctificetur, tamquam massa ex primitiis, & rami ex radice; ut proinde sanctus dici possit in spe & causa probabili, & in quadam præparatione; quam Scriptura non raro sanctificationem vocat. Quæ præparatio & causa est, habere sanctos progenitores. Nam & simili sensu 1.

Judaïcus populus quare sanctus vocetur.

Corinth. 7. Idem Apoſtolus ſanctos vocat filios, propter alterum parentem ſanctum, id eſt, Chriſtianum: tametſi is locus etiam aliter intelligi poteſt, ut ibi videbitur.

17. QUOD SI ALIQUI EX RAMIS FRACTI SUNT. Græcè *defracti ſunt*, ſcilicet ab arbore. Reprimit gloriationem & faſtum Gentilium adverſus Judæos, perſiſtens in metaphora radicis, arboris, & ramorum; & Judaïcum quidem populum, quatenus inſtar arboris ſurrexerat ex ſancta radice majorum, eamque generis nobilitatem retinebat, olivam vocat; Gentilem verò populum oleaſtrum; id eſt, oleam ſilveſtrem & infructuoſam, quòd ortus ex profana radice, ſcilicet eorum qui verum Deum ignorantes idola coluerant, eorumque inſtituta ſequens, nullum ferret fructum pietatis. Quod ſi, inquit, aliqui Judæorum receſſerunt à ſancta ſocietate ſui populi, tamquam rami fracti ab arbore bona, cujuſmodi eſt oliva.

Populus Judaïcus olivæ comparatus, Gentilis oleaſtro.

TU AUTEM CUM OLEASTER ESSES, INSERTUS ES IN ILLIS. Hîc rurſus ſermonem ad eos convertit qui ex Gentibus crediderant: hancque ſuam apoſtrophen continuat penè uſque ad finem capitis. *Inſertus* dixit interpres pro *inſitus*. Tu autem, ait Apoſtolus, ô populo Gentilis, cum priùs eſſes oleaſter, id eſt, populus profanus & infidelis, ex profanis & infidelibus oriundus: nuper inſitus es olivæ *in illis*, id eſt, inter illos, ſcilicet olivæ ramos in arbore manentes. Hoc eſt, per fidem, ſpem & charitatem adjunctus es & unitus ſanctæ ſocietati eorum qui deſcenderant ex patriarchis. Nam oves quæ ſunt ex Gentibus, adducuntur ad ovile electorum ex Judæis, *Joan.* 10.

Oleaſter inſitus olivæ quomodo.

Quidam ἐν ἀυτοῖς interpretantur in truncum, alii in locum ramorum defractorum. Sed utrumque minùs rectè. Nam Græca præpoſitio non eum uſum habet. Oſtendit autem manifeſtè hic locus, eadem fide, eodemque ſpiritu gratiæ donatos eſſe utriuſque temporis juſtos, & qui Chriſti adventum præceſſerunt, & qui ſequuntur.

ET SOCIUS RADICIS ET PINGUEDINIS OLIVÆ FACTUS ES. *Socius* Græcè συγκοινωνὸς, *comparticeps*, *conſors*. Senſus: Et unà cum ramis olivæ naturalibus factus es particeps ejuſdem radicis, ejuſdemque pinguedinis, quam radix toti arbori ſubminiſtrat. Hoc eſt: tamquam & ipſe ex patriarchis ortus eſſes, eamdem Dei notitiam ac multiplicem gratiam ſimul cum Judæis illorum poſteris, velut Judæorum cohæres, ex communi radice ſuxiſti. Hoc nimirum eſt quod idem Apoſtolus dicit ad Epheſ. 3. *Gentes eſſe coheredes & concorporales & comparticipes promiſſionis*; ſcilicet unà cum Judæis, quorum majoribus promiſſio de Chriſto facta fuerat.

Quomodo dictum à Paulo oleaſtrum inſeri olivæ.

Admonet Origenes, olivæ & oleaſtri ſimilitudinem ab Apoſtolo non eo ordine poſitam eſſe, quo apud agricolas habetur. *Illi enim*, inquit, *magis olivam oleaſtro inſerere, & non olivæ oleaſtrum ſolent: Paulus verò Apoſtolica authoritate ordine commutato, res magis cauſis, quàm cauſas rebus aptavit.* Sic ille. Quod & ab aliis annotatum invenio. Nam in univerſum inſitiones fieri ſolent, quum ex arbore fœcunda ſurculus inſeritur in ſterili, non contrà; ſive fiſſo ramo inſitio fiat, ſive terebrato; quod genus inoculationem vocant. Sed de ea re viderint agricolæ. Nihil abſurdum ſi ſimilitudinem quis aſſumat ab eo quod in natura non eo fit ordine quo ad inſtitutum applicatur. Tale enim eſt quod Gentili populo Paulus dicit: Ita tecum actum eſt, ut ſi ex oleaſtro ſurculum quis inſerat olivæ, fructum inde vel præter naturam conſecuturus. An autem hoc ſignificetur illis verbis infrà poſitis *& contra naturam inſertus es in bonam olivam*, illic expendemus.

18. NOLI GLORIARI ADVERSUS RAMOS. Hîc abſolvit periodum cœptam ab eo loco, *Quod ſi aliqui* &c. Quamvis, inquit, illa ad eum modum ſe habeant; non tamen eſt quòd glorieris adverſus ramos. Nam iniquum & improbum eſt ramos inſititios jactitare ſeſe contra naturales, iiſque ſe anteferri velle. Sed quia dicere poterant Gentiles ſe eſſe ramos & fructuoſiores naturalibus; ideò ſubjungit Apoſtolus aliam rationem fortiorem, qua gloriationem eorum inhibeat.

QUOD SI GLORIARIS; NON TU RADICEM PORTAS, SED RADIX TE. Quod ſi, inquit, adhuc exiſtimes tibi gloriandum eſſe contra ramos alios, ob cauſam modo dictam: illud ſaltem cogitare debes, quod etiam radix ipſa (quæ te ſuſtinet, non tu illam) in populo Judaïco eſt. Nam patriarchæ & prophetæ qui fuerunt ex illo populo, ſunt loco radicis olivæ. Unde idem Apoſtolus *Epheſ.* 2. ſcribit ſuperædificatos eſſe Gentiles ſuper fundamentum non ſolùm Apoſtolorum, ſed etiam prophetarum. Proinde, inquit, ſicut ramus habet omnem ſuam viriditatem & fructum ex radice; ita omnis ſalus tua referenda eſt ad illum populum propter eorum majores; ipſo etiam ſalvatore atteſtante Joan. 4. *quod ſalus ex Judæis eſt.*

Salus Gentium referenda ad Judæos.

19. DICES ERGO. Benè reſtitutum futurum pro præſenti, *dicis*, quod erat in multis codicibus. Nam Græcè eſt ἐρεῖς ἄν. Cui conſonat textus Syriacus, nec non Latina vetuſtiora. Conjunctionem *ergo* cave hinc abſtrahas & adjungas ſequentibus: *ergo fracti*, &c. Nam eam collocationem ἄν Græcum minimè recipit.

FRACTI SUNT RAMI UT EGO INSERAR. *Fracti*, Græcè *defracti*. Senſus: Tu populo Gentilis fortè ex iis ipſis quæ dixi, arripies tibi argumentum gloriandi adverſum Judæos, & dices: fracti ſunt ab arbore rami naturales, atque ita factum, ut eorum loco ego inſererer. Quapropter haud immeritò gloriabor ramus inſititius inhærens arbori, contra ramos fractos. Poteſt nihilominus etiam cauſaliter accipi vocula *ut*, quæ Græcis eſt ἵνα, quemadmodum accepit Thomas, ita partem hanc exponens: *Fracti ſunt rami, ut ego inſerar; id eſt, ad hoc Deus permiſit Judæos à fide excidere, ut ego ad fidem intrarem.* Qui ſenſus etiam auget gloriationem Gentilis adverſus Judæum.

20. BENE. Græcè καλῶς, *bene*, *rectè*, *pulchrè*; Eraſmus ſupplet; *benè dicis*. Quamquam per ſe poſitum, approbantis & laudantis adverbium eſt. Ita Luc. 6. ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι, *cum bene vobis dixerint*, id eſt, cum ad quæque verba & facta veſtra dixerint, *benè*; quod ſolent aſſentatores. Videri cuipiam poſſet jungendum cum ſequentibus; *Benè*, id eſt, meritò *propter incredulitatem fracti ſunt.* Verùm ſic loquens videretur inſultare lapſui Judæorum; quod hîc unicè cavet. Itaque ſenſus eſt: Probo quod dicis, illos fractos, & te inſitum eſſe; imò fractos illos ad hoc ut tu inſeraris. Sed ne, vel ob id tibi adverſus eos gloriandum exiſtimes; audi quæ ſequuntur.

Καλῶς; benè, per ſe poſitum quem uſum habeant.

PROPTER INCREDULITATEM FRACTI SUNT. *Propter incredulitatem*, Græcè τῇ ἀπιστίᾳ *incredulitate*, quemadmodum & legit Ambr. commentator; hoc eſt, interpretante Ruffino, *per incredulitatem*: ut non tam cauſa meritoria quàm formalis ſignificetur. Nam eo ipſo quo credere in Chriſtum noluerunt, ab arbore fidelis & ſancti populi revulſi ſunt.

TU AUTEM FIDE STAS. Malè Eraſmus & eum ſecutus Cajetanus putant vertendum fuiſſe in præterito, *ſtetiſti*, vel *conſtitiſti*. Nam Græcum præteritum ἕστηκας ſignificationem habet præſentis. Sicque vertit ipſe Eraſmus ſuperiùs cap. 5. *in qua ſtamus*, Græcè ἑστήκαμεν. Hîc quoque formalis ratio ſignificatur; & ſenſus eſt: Tu autem non tuo opere, ſed per fidem inſitus in ſacram olivam, eadem fide adhuc in illa ſtas, id eſt, manes & conſiſtis: ſicut illi contra quos gloriaris, aliquando ſteterunt. Fidem intellige quam in ſuperioribus hujus epiſtolæ toties commendavit.

Fide ſtare quid ſit.

NOLI AUTEM SAPERE, SED TIME. *Altum ſapere.* Græcis unum verbum ὑψηλοφρονεῖν; quod Latini dicunt, tollere ſpiritus, hoc eſt de ſe magnificè ſentire.

Obſerva contra hæreticos, Fidem ſemel habitam amitti poſſe.

Caveto, inquit, ne ſuperbias, ne animo efferaris propter hoc quia fide ſtas in oliva: ſed time ne aliquando per infidelitatem ab ea excidas, ſicut illi exciderunt. Locus apertiſſimus adverſus hæreticos negantes fidem ſemel habitam amitti poſſe. Nam quod eorum quidam timorem hîc interpretantur cultum religioſum, planè redarguunt eos verba ſequentia; quæ metum exciſionis exiguunt, ab exemplo Judæorum, qui per incredulitatem fracti & exciſi fuerant.

21. SI ENIM DEUS NATURALIBUS RAMIS NON PEPERCIT; NE FORTE NEC TIBI PARCAT. Argumentatur à majori. Nam ſi Deus, inquit, etiam naturales ramos, id eſt, Judæos, quibus videbatur plus aliquid deberi, permiſit excidere per infidelitatem: fieri poteſt, adeoque ne fiat metuendum, ut nec tibi parcat, ſed te quoque exicdere permittat. Metuendum id ſanè, ſi non toti populo gentili, certè ſingulis non ſolùm hominibus, verùm etiam nationibus. Id quod jam dudum multis contigiſſe videmus ac deploramus. Hæc ratio ſolidiſſima eſt & irrefragabilis, ad comprimendam omnem gloriationem Gentilium adverſus Judæos; nec minus valebit, etiamſi non à majori, ſed à pari procedat, de quocumque homine gloriante adverſus alterum. Cum enim omne bonum à Deo ſit; & ipſe nemini quicquam debeat, niſi quantum vult debere per ſpontaneas promiſſiones & pacta: tam poteſt libera ſua voluntate permittere caſum ac defectionem Gentilium, quàm permiſit Judæorum; tam caſum hujus hominis, quàm illius. Quod enim ſtat quiſque, totum ad gratuitam Dei miſericordiam referre debet. Igitur oſtendit hic locus ne reprobationem quidem eſſe ex meritis, ſed ex ſola Dei voluntate.

Deus an quidquam alicui debeat.

Bonitas & ſeveritas Dei.

22. VIDE ERGO BONITATEM ET SEVERITATEM DEI. *Bonitatem*, Græcè χρηστότητα, *benignitatem*. Significatur enim ea voce facilitas ac promptitudo præſtandi beneficia. *Senſus*: Ut intelligas te nihil habere unde glorieris adverſum Judæos, conſidera bonitatem ſeu benignitatem gratuitam Dei vocantis atque eligentis, & ſeveritatem ſeu rigorem Dei rejicientis ac reprobantis, & miſereri nolentis. Quæ duo membra conſequenter explicat. Rhetores hoc ſchema ſermonis dialyſin vocant.

IN EOS QUIDEM QUI CREDIDERUNT SEVERITATEM. *In eos* pendet à dictione, *ſeveritatem*: Vide, inquit, Dei ſeveritatem qua utitur in Judæos quos cadere permiſit. Quæ permiſſio ad ſeveritatem pertinet, tamquam divinæ reprobationis effectus.

IN TE AUTEM BONITATEM DEI. *In te*, ἐπὶ σὲ; *erga te*, quarto caſu; ſicut dixerat *in eos*: & dependet à vocabulo *bonitatem* ſeu benignitatem. Nec in Græcis aut Syriacis exprimitur genitivus *Dei*. Satis enim intelligitur. Vide, inquit, Dei erga te benignitatem: qua ſcilicet te populum gentilem ſine ullis tuis meritis ad Evangelii gratiam efficaciter vocavit.

SI PERMANSERIS IN BONITATE. *In bonitate*, non tua, ut quidam exponunt, ſed Dei; hoc eſt in eo ad quod bonitate ſeu benignitate vocatus es atque adductus; quaſi dicat: ſi perſeveraveris in fide & juſtitia. Non hoc addit tamquam ex conditione permanſionis, id eſt, perſeverantiæ dependeat electio divina, cum & ipſa perſeverantia ſit electionis effectus: ſed quia permanſio hæc certiſſimum eſt ipſius electionis argumentum, ac ſi diceret: Si non permanſeris in eo ad quod Dei bonitate vocatus es, certiſſimè noveris te non eſſe in eorum numero ad quos eligentis Dei bonitas pertineat.

Perſeverantia, divinæ electionis effectus.

ALIOQUIN ET TU EXCIDERIS. Id eſt; Tu qui modo ramus es olivæ per Dei vocantis bonitatem, ſi in ea bonitate non permanſeris, ſed per infidelitatem receſſeris; eo ipſo excideris, amputaberis, ac decides ab arbore ſocietatis electæ.

23. SED ET ILLI SI NON PERMANSERINT IN INCREDULITATE, INSERENTUR. Hoc eſt: Atque è diverſo Judæi, ſi relicta infidelitate fidem ſuſceperint; eo ipſo rurſus inſerentur arbori olivæ. Non enim ſignificatur quod receſſus ab incredulitate præcedat eam inſitionem quæ fit à Deo; ſed loquitur ad hunc modum Apoſtolus, ut oſtendat ne primam quidem gratiam Dei moventis hominem, eſſe ſine cooperatione liberi arbitrii, quemadmodum & ſuperiori membro, quo dixit; *Alioquin*, id eſt, ſi non permanſeris in bonitate, *excideris*; ſignificare voluit nec deſertionem ſeu gratiæ ſubtractionem eſſe ſine motu voluntatis, ſpontè ac liberè recedentis à bono. Rurſus oſtendit etiam hic locus, hominem ſemel juſtificatum excidere poſſe à gratia Dei & juſtitia: nec quemquam eſſe certum, quòd in ea ſit uſque ad finem permanſurus. Quæ doctrina cum ſit in verbo Dei conteſtatiſſima; mirum eſt qua fronte ab adverſariis oppugnetur.

Gratiæ motio nec ejus ſubtractio eſt ſine conſenſu lib. arbitrii.

Obſerva contra ſectarios juſtificatum excidere poſſe.

POTENS EST ENIM DEUS ITERUM INSERERE ILLOS. Ne quod dictum eſt, *ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur*, ita tribuatur hominis voluntati, tamquam illius ſit aliquid proprium; Apoſtolus hac ſententia totum revocat ad potentiam & efficaciam gratiæ Dei. Simul innuit, hoc quod dicit Deum poſſe, ab eo ſperandum eſſe: ſicut & alibi Dei potentiam allegat ad ſpem excitandam; ut infrà cap. 16. *Qui potens eſt vos confirmare*, & 2. Corint. 9. *Potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in vobis*. Quo magis autem id à Deo ſperetur, argumento ſubjuncto probabile idipſum reddit, ducto videlicet à minori, id eſt, ab ea gratia quam ipſi Gentiles experti jam fuerant.

In bono opere nihil voluntati noſtræ proprium.

24. NAM SI TU EX NATURALI EXCISUS ES OLEASTRO, ET CONTRA NATURAM INSERTUS ES IN BONAM OLIVAM. *Contrà*, Græcè παρὰ, *præter*. Quamquam non aliud eſt Apoſtolo *præter naturam*, quàm *contra naturam*; quemadmodum & ſcriptoribus profanis. Porrò *contra naturam* Thomas interpretatur *contra communem curſum naturæ*, addita hac ratione: *non enim conſuevit ramus arboris malæ inſeri in bonam arborem, ſed potiùs è converſo*. Similiter Haimo, Rickelius, aliique nonnulli. At verò plerique, maximè veteres, hoc quod dicitur *contra naturam*, de ſola interpretantur originis contrarietate ſeu diverſitate, ut ſenſus ſit: Nam ſi tu homo Gentilis, exciſus es ex oleaſtro, cujus eras ramus naturalis, utpote ſecundùm carnem ex ejus radice propagatus; & tamen contra naturam hujus tuæ originis, per Dei potentiam inſitus es in bonam, pulchram & veram olivam (id enim ſignificat Græcum nomen compoſitum καλλιέλαιον:) Sequitur.

Præter naturam idem quòd contra naturam.

QUANTO MAGIS II QUI SECUNDUM NATURAM INSERENTUR SUÆ OLIVÆ; Græcè, *propriæ olivæ*. Quantò magis, inquit, per eamdem Dei potentiam Judæi qui *ſecundùm naturam* ſunt, id eſt, qui ſunt rami naturales olivæ, iterùm eidem ſuæ olivæ inſerentur, ſic ut inſiti coaleſcant? Hoc enim ſecundùm rationem magis conſentaneum videtur: tametſi Deo omnia ſunt æquè facilia. In nonnullis codicibus Græcis abeſt articulus οἱ, & tantùm legitur, ὑμῖν κατὰ φύσιν, &c. Quæ ſi non mendoſa lectio eſt, vertendum eſſet: *quantò magis hi*, ſcilicet Judæi, *ſecundùm naturam inſerentur ſuæ olivæ?* ut per antitheſin ſibi reſpondeant hæc duo, contra naturam inſeri. Idque ſecutus videtur Syrus interpres.

25. NOLO ENIM VOS IGNORARE FRATRES MYSTERIUM HOC. Quod probabile & à Deo ſperandum eſſe docuit ſuperiori argumento, nunc tandem, ut vehementiùs retundat faſtum Gentilium, (nam eos adhuc alloquitur rurſum mutato numero) docet aliquando verè futurum eſſe, aperiens *myſterium*, (Latinè *ſacramentum* vertunt quidam (id eſt, rem eatenus arcanam & paucis cognitam. Aperit autem ob eam cauſam quam continuò ſubjungit. Quod ait, *nolo vos ignorare*, pro eo quod diceret, ſcire vos volo,

Myſterium de Judæorum in fine ſæculi conversione.

Paulini

Paulini moris eſt. Ita loquitur *cap. 1. hujus epiſt.* item 1. Cor. 10. & 12. 2. Cor. 1. & 1. *Theſſal.* 4. *Nolo*, Græcè quidem ſemper eſt θέλω, *non volo*; ſed ſenſu eodem. Nam Græcis nolle uno verbo non dicitur: ut nec in aliis linguis extra Latinam. Itaque perinde eſt ac ſi diceret, volo vos non ignorare, id eſt, volo vos ſcire. Id verò ſemel annotaſſe ſufficiat.

Nolle ſolis Latinis uno verbo dicitur.

(UT NON SITIS VOBIS IPSIS SAPIENTES.) Græcè, *apud voſmetipſos prudentes*, quemadmodum interpres ipſe vertit capite ſequenti. *Senſus*: Hoc dico ad deprimendam arrogantiam veſtram; ut ne inſoleſcatis, placentes vobis ipſis. Ratio phraſeos eſt, quia qui ſibi placent, prudentiam ſibi tribuunt.

QUIA CÆCITAS EX PARTE CONTIGIT IN ISRAEL. Græcè: *quod obduratio ex parte Iſraëli facta eſt.* Nam πώρωσις propriè callum ſignificat, à verbo πωρόω callum obduco: cujus paſſivum πωροῦμαι callum contraho. Et quia quod callum contrahit, indureſcit; tranſferuntur hæc in Scripturis ad cordis dutitiem: licet interpretes ferè cæcitatem vertant, eò quòd cæcitas & duritia cum de corde dicuntur, ita conjuncta ſint, ut unum idemque videri poſſint. Ita ſuprà hoc eodem capite, *Cæteri verò excæcati ſunt.* Et Marc. 3. *Contriſtatus eſt ſuper cæcitate eorum.* Et Epheſ. 4. *Propter cæcitatem cordis ipſorum cordis.* Verùm Joannes apertè diſtinguit evangelii ſui cap. duedecimo, & cum eo interpretes omnes, in illis verbis: *Excæcavit* (πεπώρωκεν) *oculos eorum, & induravit* (πεπώρωκεν) *cor eorum.* Sed quoniam, ut dixi, cæcitas & durities ad cor tranſlata propè eadem ſunt, quatenus & cordis vocabulum ad utrumque transferri ſolet, intellectum & voluntatem; idcircò non multùm refert, an cæcitatem hîc & in ſimilibus vertas, duritiem: maximè cum fides, cui vitium hîc ſignificatum opponitur, partim ſit intellectus, partim voluntatis: ut norunt Theologi. Interpres quo uſus eſt Ambroſ. commentator, vocabulum utrique commune elegiſſe videtur, quod & de hebetudine mentis & de duritia cordis intelligi poſſit, dum ita vertit: *Quia obſtruſio quædam ex parte Iſraël* (id eſt *Iſraëli facta eſt.* Jam illud *ex parte*, quidam referunt ad cæcitatem: quaſi ſentiat Apoſtolus, Judæos non ſimpliciter, ſed quodammodo excæcatos eſſe. Qui ſenſus falſus eſt, & ad rem non facit.

Cæcitas & duritia cordis vitia conjuncta.

Quomodo cæcitas ex parte contigerit in Iſraël.

Quocirca non dubitamus ad Iſraëlem referri oportere: ut planus Apoſtoli ſenſus ſit: Iſraëlem, id eſt, populum Iſraëleticum non totum excæcatum & obduratum eſſe; ſed partem ejus tantùm. Contigit autem Iſraëli cæcitas ex parte non exigua vel mediocri, ſed multò maxima: Verùm tacet hoc & diſſimulat Apoſtolus, ſui memor inſtituti: ne vel Judæos offendat, vel Gentilibus ullam præbeat anſam efferendi ſeſe adverſus eos. Porrò non ſolùm ex parte, verùm nec in perpetuum, ſed ad tempus Iſraëli cæcitatem contigiſſe, docet verbis ſequentibus: quibus jam exponit myſterium.

DONEC PLENITUDO GENTIUM INTRARET. Potiùs *intret*, aut *intraverit*. Poteſt etiam verti, *advenerit*. Senſus: Donec multitudo Gentilis populi ex omnibus mundi partibus, ſecundùm prædictiones propheticas, collecta fuerit ad fidem, vel intraverit in eccleſiam fidelium. Qui *donec* per *ut* exponunt, hoc ſenſu: Propter hoc permiſit Deus excæcari Judæos, ut plenitudo Gentium fidem reciperet; vocabulum detorquent ad alienum ſignificatum.

26. ET SIC OMNIS ISRAEL SALVUS FIERET. Græcè σωθήσεται, *ſalvabitur*, vel *ſalvus fiet*, uti legit Auguſtinus *lib. 20. de civit. Dei cap. 29.* pro quo Syrus interpres, *vivet*. Senſus eſt: Poſtquam plenitudo Gentium intraverit, tunc Iſraël jam non ex parte credet, ſicut nunc, ſed omnis, id eſt, totus Iſraël fidem Chriſti ſuſcipiendo ſalutem adipiſcetur non quod nullus tunc ex illo populo in infidelitate ſit permanſurus; quod ſentire videntur Chryſoſtom. Aquinas, Cajetanus & Sotus: ſed quia tam multi convertentur, ut meritò cenſeatur totus populus converti: quæ plurium ſententia eſt, eademque multò probabilior. Nam omnem Iſraëlem vocat, quam ſuprà plenitudinem eorum. Atqui ſicut plenitudo Gentium hoc loco non ſignificat omnes Gentiles ſine exceptione; ita nec plenitudo Judæorum omnes ſine exceptione Judæos, ſed ex eis quàm plurimos, ſicut expoſitum eſt ſuo loco.

An omnes Judæi in fine ſæculi convertendi.

Quocirca Gregorius Papa *hom. 12. ſuper Ezech.* non omnes, ſed multos ex Judæis qui tunc in infidelitate remanſerint, ad cognitionem veritatis redituros affirmat. Quanta autem juxta proportionem futura ſit multitudo credentium, & quanta non credentium, id æquè de Judæis ignotum nobis eſt, atque de Gentibus. Et hoc arbitror Origenem velle, quando dicit Deum ſolum noviſſe, & unigenitum ejus, & ſi qui fortè amici ejus ſunt ſecretorum ejus conſcii: quis ſit iſte omnis Iſraël qui ſalvus fiet, vel quæ ſit iſta plenitudo Gentium quæ dicitur intratura.

Quis omnis Iſrael ſalvus futurus, quorumdam opinio.

Porrò ſententiam hanc Apoſtoli, qua dicit omnem Iſraël ſalvatum iri, ſunt qui interpretentur de toto Iſraële ſpirituali, qui conſtat ex Judæis & Gentilibus electis: quaſi ſenſus ſit, Intrante Gentium plenitudine complebitur ſalus totius Iſraëlis. Prùs enim credidit Iſraël carnalis ex parte aliqua, ſcilicet in Apoſtolis & aliis eccleſiæ primitivæ fidelibus: Deinde per illorum prædicationem credidit Gentium multitudo. Et ita ſalus totius Iſraëlis ſpiritualis completa eſt. Pro qua interpretatione facere videtur, quod concluſivè dicitur, *& ſic omnis Iſrael ſalvus fiet*, ac ſi dicat: per hoc quod Gentium plenitudo intrabit, fiet ut totus Iſraël ſalvetur. Et quidem ſic intellexiſſe putatur hunc locum Hieron. in comm. ſuper Iſaiæ cap. 11. Sic enim habet: *Ut nequaquam, juxta noſtros Judaizantes, in fine ſæculi; cùm intraverit plenitudo Gentium, tunc omnis Iſraël ſalvus fiat: ſed hæc omnia in primo intelligamus adventu.* Similiter exponit author libri de prædeſtinatione & gratia (qui habetur tomo ſeptimo operum ſancti Auguſtini) capite ultimo: nec non Pelagius in hujus loci commentario. Inter Græco autem Cæſarius *dialogo. 4.* apud Gregorium Nazian. Qui omnes ea quæ hic dicuntur, volunt jam olim eſſe completa, & adhuc impleri in Gentium converſione.

Aliorum ſententia verior, & omnino tenenda.

At verò pro Iſraële carnali facit totus hujus loci contextus, primùm ibi, *quanto magis plenitudo eorum?* ubi ſignificat Apoſtolus futurum aliquando ut plenitudo Judæorum intret, ſicut nunc intrat plenitudo Genitum. Quod iterùm vult intelligi iis verbis: *Quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis?* Idem poſteà quum addita conditione dixiſſet, *Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur*: hoc ipſum ut abſolutè fiat, aliquando à Dei bonitate expectandum eſſe docet, cùm in eo quod ſubjungit, *Potens eſt enim Deus iterùm inſerere illos*; tum verbis ſequentibus, *Nam ſi tu contra naturam inſertus es in bonam olivam, quantò magis ii qui ſecundùm naturam, inſerentur ſuæ olivæ?* Denique rem apertè declarat, cum ait: *Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc*, &c. Quæ verba non aliter accipi oportere quàm de Iſraële ſecundùm carnem non modo probat conſequentia ſermonis, & quia toto hoc capite, atque etiam ſuperiori, de Iſraële ſecundùm carnem, non de alio locutus fuerat; verùm etiam planè arguit antitheſis quam facit inter hæc duo, nunc *cæcitas ex parte contigit in Iſrael*, tunc *totus Iſrael ſalvus fiet*. Neque enim conſtare poterit ea antitheſis, ſi Iſraëlem aliter & aliter accipias.

Sed nec myſterium, id eſt, rem arcanam hoc quod dicit vocaret, ſi de Iſraële ſpirituali loqueretur. Quis enim fidelis unquam dubitare potuit, num totus Iſraël ſpiritualis, id eſt, omnium electorum numerus, ſit ſalutem adepturus? Jam & ſubjunctum

testimonium prophetæ, & cætera quæ sequuntur, hunc intellectum de carnali Israële tamdem misericordiam consecuturo, confirmant, uti mox patebit.

Accedit penè concors omnium tam Græcorum, quàm Latinorum expositio in hunc locum, etiam Primasii, licet is multa superiora aliter interpretetur: atque insuper Augustini compluribus in locis, ut *lib. 20. de civit. Dei cap. 29 lib. 2 quæstion. evang. quæst. 33. ad Dulcit. quæst. ult. & serm 40. de verb. Dom. cap. 5.* Item Basilii scribentis *in Psalm. 31.* & Hilarij *in Psal 58.* & ut alios prætermittam, etiam ipsius Hieronymi qui diversum sentire videbatur. Is enarrans illud Hosee 3. *Dies multos exspectabis me, non fornicaberis, & non eris viro; Sed & ego exspectabo te:* sic post multa scribit; *Vir quoque sedet, imò exspectat adulteræ pœnitentiam: ut postquam plenitudo Gentium subintraverit, novissimus crediderit Israël (ita ut qui fuerat caput, vertatur in caudam, & cauda vertatur in caput) tunc fiat unus grex & unus pastor.*

Hieronymi de eadem re sententia.

Deinde sequentia exponens, quum dixisset, post passionem Domini salvatoris usque in diem præsentem penè quadringentesimum annum expleri; atque hos esse multos dies quibus Judæi sunt sine rege & principe, & sacrificio & altari; tandem repetens Apostoli verba, ait: *Hæc est cæcitas quæ ex parte accidit Israëli, ut subintraret plenitudo Gentium, & sic omnis Israël salvus fieret, & multò post tempore revertentur, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum.* Et ad extremum, cum diceret aliquos Judæorum vaticinium Hosee referre ad tempus Babylonicæ captivitatis: *Alii tamen*, inquit, *ut nos, in futurum deferunt tempus, & quæ sit causa tam grandis offensæ, ut tanto tempore relicti sint, maximè cum idola non colant, præter interfectionem salvatoris aliam non valent invenire.* Ex his S. Hieronymi verbis liquidò ejus sententia cognoscitur: quemadmodum & ex altero loco qui est in expositione Habacuc, ad illud capit. 3. *Ficus enim non florebit.* Ubi citans illa Domini verba quibus maledixit ficui: *Non afferes fructum usque in sæculum*, Matth. 21. *Diligenter*, inquit, *considera quid dixerit: Non afferes fructum in sæculum, non ait, usque in sæcula sæculorum. Sed cum sæculum istud pertranserit, & intraverit plenitudo Gentium: tunc etiam hæc ficus afferet fructus suos, & omnis Israël salvabitur.*

Quibus similia reperies in ejus commentario super dictum locum Matthæi. Cum igitur de Judaici populi conversione aliquando futura Paulum loqui perspicuum sit, adeò ut nec sectarij id negare possint, hi tamen in eum sensum trahere conantur Apostoli verba, quo significatum sit non in fine sæculi Judæos Christum fide recepturos; sed toto sæculi decursu futurum, ac fieri subinde, ut aliqui ex illis fidem Christi amplectantur, simulque cum Gentilibus æmulatione provocati, evangelicarum promissionum participes fiant.

Observa contra quosdam sectarios de conversione Judæorum in fine sæculi.

Verùm hic sensus refellitur bifariam. *Primùm* quia conversio hæc adeò paucorum est, ut vix mereantur nomen reliquiarum comparatione totius populi pertinaciter in infidelitate permanentis. At Paulus hîc jam non agit de reliquiarum conversione, sed plenitudinis, hoc est ipsius populi. Deinde, etiam istis obviat mysterii vocabulum. Nam quomodo mysterium vocat Paulus, quod palam incipiebat impleri, etiam ante hanc epistolam scriptam, & in ipsis fidelibus ad quos scribebat? qui utique magna parte Judæi erant. Certè non magis hodie dici potest, Judaïcam nationem converti ad Christum, quàm id dici potuit Apostolorum tempore; imò verò minus. Si igitur tunc populus ipse, licet paucis ex eo credentibus, erat incredulus & excæcatus, quantò magis exinde toto decursu temporis usque ad nos?

Quare necesse est tempus conversionis illius populi, quod sub mysterio Paulus annunciat aliquando venturum, adhuc exspectari. Quod adeò clarum apparet ex serie sermonis Apostoli; ut etiam sectariorum quidam non infimi nominis Theologus, Benedictus Aretius, evidentia hujus loci convictus, apertissimè fateatur ac doceat in suo commentario, generalem futuram Judæorum in fine mundi conversionem, ita ut major pars eorum tunc viventium agnitura sit Christum suum. Quam rem etiam subjuncta ad Deum precatione prosequitur.

Benedictus Aretius hac in parte cum catholicis sentit.

Sed hæc satis sint ad probandum veriorem intellectum loci præsentis. Nec verò ad alium sensum nos invitat quod hic dicitur, *Et sic omnis Israël salvus fiet.* Nam sensus est quem dedimus; Sic, id est, tunc demum cum Gentium intraverit plenitudo, futurum ut etiam Israëlis plenitudo Gentium fide provocata, salvetur. Porrò quid sibi velit Hieronym. verbis in contrarium allegatis, & quo loco aliorum qui in diversa sunt sententia, authoritas sit habenda; diximus ad *dist. 47. lib. 4. sentent.* ubi de Judaïci populi futura in fine sæculi conversione ex professo agebamus.

Sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem a Jacob. Græcè: *Veniet ex Sion liberans* (id est, ille qui liberat, seu liberator) *& avertet impietates à Jacob. Impietates* plurali numero legunt etiam Prosper *lib. 1. de voc. Gent. cap. 13.* & Primasius *in comment.* Sedulius *iniquitates.* Sumptum est hoc testimonium *ex Isaiæ cap. 59.* juxta versionem LXX. interpretum: nisi quod apud illos non *ex Sion* legitur, sed ἕνεκα σιὼν, id est, *propter Sion*, quod & Hebraïcæ veritati consonum est, quæ habet לְצִיּוֹן lethsion *ipsi sion* Sic enim etiam Hieronymus transtulit, *cùm venerit Sion* (id est, *Sioni*) *redemptor.* Nam quod affirmat Leo Castrensis ex Hebræo verti posse *de Sion*, adducto exemplo ex lib. 2. Regum cap. 15. *Egressus es de loco tuo*, non persuadet: quum Hebræorum doctissimi, ad quos lectorem remitto, illic interpretentur motum ad locum, *migrans* seu *migraturus in locum tuum.* Malim suspicari pro ἕνεκα apud Paulum abbreviatè scripto ad hunc forte modum, ἐκ α, negligentem librarium transcripsisse ἐκ, omisso α velut superfluo: nisi magis placeat Paulum, qui miscere solet ex variis locis testimonia, scribentem *ex Sion*, ad alias scripturas respexisse, quæ salvatorem promittunt oriturum ex Sion, ut Psal. 13. & 52. & 109.

Paulus testimonia miscere solitus ex variis.

Quod sequitur, *& avertet impietates à Jacob*, Hieronymus ex Hebræo sic reddidit: *& in eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob.* Verùm Fr. Forerius ita vertit, *& captivitati transgressionis in Jacob*, eamque versionem in commentario defendit: quod abrasis punctis quorum interpreti non sit habenda ratio, nihil commodius ex Hebræo reddi possit. Atqui hæc versio sensu planè convenit cum eo quod hîc legimus. Nam redemptor ille captivitati transgressionis, sive captivis peccati qui sunt in Jacob, idcircò venturus est, ut eos à jugo peccati liberet. Id autem est avertere impietates à Jacob.

Quamquam & id quod Hieronymus transtulit, ad eamdem sententiam aptari potest, si sic exponas redemptorem venturum Sioni, & eis qui in Jacob ab iniquitate redeunt; hoc ipsum nimirum, quo ab iniquitate redeunt: ut significetur hanc ab iniquitate reversionem esse formalem illius redemptionis effectum. Igitur sensus testimonii ut à Paulo citatur, iste est: E Gente Judaïca, atque ex ipsa regia stirpe Davidis (nam Sion erat civitas David, ad sedes regni) nascetur liberator ac salvator, scilicet Christus qui auferat & aboleat peccata populi progeniti ex patriarcha Jacob, qui alio nomine dictus est Israël. Quæ peccatorum illius populi abolitio cum peracta non sit in primo Christi adventu per ipsius & Apostolorum ejus prædicationem, (tunc enim solæ reliquiæ servatæ sunt, cæteri excæcati:) relinquitur, introducta Gentium plenitudine, exspectanda.

Sion civitas David, ac sedes regni Judaïci.

27. ET HOC ILLIS A ME TESTAMENTUM : CUM ABSTULERO PECCATA EORUM. Unde sumserit hæc verba Paulus, non convenit inter omnes. Sunt qui referant ad locum Jerem. 31. ubi Dominus prædicit se facturum cum populo suo novum fœdus seu testamentum. Cujus promissa consequenter enumerans, illud ponit extremum, *propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Alii sumpta existimant ex ipsius Isaiæ cap. 27. ubi sic legitur : *Et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus.* Verùm eo loco nec fœdus nec testamentum legitur, sed in Hebræo quidem פרי pheri, *fructus*, in Græco εὐλογία *benedictio* nominatur. Atqui pars ista, *& hoc illis à me testamentum*, totidem verbis juxta versionem septuaginta legitur eodem apud Isaiam loco quo versus præcedens, ac post eum proximè: ut dubitari non possit inde cum prioribus sumptam esse; quæ multorum est sententia, Græcorum maximè.

Cæterùm verba sequentia, *cùm abstulero peccata eorum*, quoniam nec in Hebræo nec apud LXX. leguntur in Isaia, hoc quidem loco: nihil probabilius occurrit, quàm ut dicamus Apostolum ea vel de suo addidisse, vel potiùs ex parte præcedenti *avertet impietates à Jacob*, repetivisse pro clariori intellectu testamenti de quo Dominus loquitur, ut sensus sit : *Et hoc illis* erit *à me testamentum*, hoc fœdus quod cum eis feriam, hæc promissio; quod aboliturus sim peccata eorum : quasi dicat, In eo testamentum hoc implebitur, quod auferam pecata non aliquorum è populo, sed ipsius populi. Pro eo quod in Hebræo est ברית berith, *fœdus* seu *pactum*, interpretes LXX. assiduè verterunt διαθήκην, id est, *testamentum*. De qua Græca voce, ejusque in scripturis usu & significatione alibi dicemus oportuniùs, ut *Gal.* 3. *& Heb.* 9.

Pro fœdere seu pacto LXX. testamentum transtulerunt.

28. SECUNDUM EVANGELIUM QUIDEM INIMICI PROPTER VOS: Subaudi *sunt*. De Judæis velut in summam colligit ea quæ dixit. Sensus hujus partis; Qui Judæi sive Israëlitæ, quantum attinet ad causam evangelii cui pertinaciter adversantur, exosi sunt Deo; idque *propter vos*, id est, occasione ejusdem evangelii vobis Gentibus prædicati; quæ res eos magis à fide alienavit. Vel, *propter vos*, id est, propter vestram salutem, quam Deus operari voluit ex occasione evangelii à Judæis rejecti: ut proinde eis insultare non debeatis; quando eorum peccatum vobis cessit in tantum bonum. Prior sensus est Chrysostomi & sequacium ejus: posteriorem tradit & pluribus explicat commentator Ambr. quem multi sequuntur.

Judæorum peccatum Gentibus cessit in bonũ.

Ac revera magis convenit hic sensus cum præcedentibus, ubi dixit: *Sed illorum delicto salus est Gentibus*; item, *fracti sunt rami ut ego inserar*, & alia hujusmodi. Quamquam quod idem commentator *inimicos* interpretatur activè, id est, Evangelii persecutores, quemadmodum & Augustin. in *epist. 59. ad Paul. quæst. 6. & lib. de prædest. sanct. ca. 16.* inimicitiam exponit qua Christum occiderunt; minùs probabile est. Opponit enim Apostolus *inimicos dilectis*, utique à Deo, ut mox videbimus; non autem diligentibus Deum.

SECUNDUM ELECTIONEM AUTEM CARISSIMI PROPTER PATRES. *Carissimi* Græcè ἀγαπητοὶ, *cari, dilecti;* ut legit Augustinus. Sensus est: Quod si verò consideretur electio divina, qua scilicet illum populum, & non solùm exiguam populi partem, Deus elegit ad salutem (quæ utique electio aliquando implebitur) hac ratione Deo dilecti sunt; idque propter patres eorum, id est, sanctos patriarchas, quos suprà primitiarum & radicis nomine significavi: quorum fides & pietas ita Deo placuit, ut promiserit se Deum fore seminis eorum post eos. *Genes. 17. Deut. 4.* Ex hoc commentario patet, inimicos & dilectos non eosdem intelligi, sed in eodem populo diversos : ut benè docent & declarant Augustinus *duobus locis paulo ante citatis*, & Prosper. *lib. 1. de vocat. gent. cap. 10.*

Posset etiam quod dicitur *inimici & carissimi*, referri non ad Deum, sed ad Paulum scribentem : tamquam significet, se Judæos pati quidem inimicos atque infensos quod ad negotium attinet evangelicæ prædicationis, quam illi recipere nolentes etiam Gentibus invidebant, quarum ipse esset Apostolus. Cæterùm se eos vehementer diligere, quatenus erant populus electus à Deo, seque paratum eis impendere dilectionis officia propter patres eorum quos Deus dilexerat. Quem sensum tradit Theodoritus. Meminit etiam Primasius. Verùm cum priore sensu magis cohæret, quod proximè sequitur, *Sine pœnitentia*, &c.

Hic obiter nota familiare esse interpreti vulgato, positivi gradus nomina reddere superlativè, in quibusdam dumtaxat vocabulis; passim quidem in istis; *carissimi, dilectissimi*: deinde & in aliis nonnullis; ut *optimum*, quod Græcè est *bonum*, Luc. 8. & 10. Hebr. 13. Jac. 1. *pessimum, nequissimum*, quod Græcè *malum, nequam*, Psalm. 33. Matth. 12. Act. 18. & 19. Ephes. 6. Apoc. 16. *maximum*, quod Græcè *magnum*, Psalm. 18. Matth. 22. Joan. 6. Act. 8. Apoc. 2. Item *desideratissimi*, quod Græcè *desiderati*, Philip. 4. Hac de re semel admonendus fuit lector, ne in ejusmodi superlativis gradum ponderet extra scripturam originalem; tametsi interpretem non reprehendo, qui secutus videtur in talibus consuetudinem sui temporis. Unde & Ecclesia sic orat; *Deus cujus est totum quod est optimum*, id est, *bonum*. Et ipse Hieronymus ita vertit interdum ex Hebræo, ut Prov. 10. *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est*, Hebraicè *prudens, intelligens* : quomodo vertit ejusdem *lib. cap.* 14. Item Cant. 5, *inebriamini carissimi*, quod in eodem lib. 10. toties interpretatur *dilectum*. Idem in *epist.* 101. quæ est de optimo genere interpretandi, reprehensum se refert è quodam, quod in vertenda Epiphanii epistola ἀγαπητὸν transtulisset *dilectissimum* : nec tamen adfert rationem, cur ita verterit.

Nomina superlativa pro positivis apud interpretem vulgatum.

Quamquam non negaverim in vocabulo ἀγαπητὸς quiddam esse peculiare, cur meritò per superlativum reddi possit. Est enim ejus significatio vehementior quàm apud Latinos dilecti. Quod & Erasmus testatur in annotatione ad illud Matth. 3. *Hic est filius meus dilectus.* Nec dubium quin sic acceperint interpretes LXX. quando Zach. 12. pro unigenito, quod in Hebræo est, ἀγαπητὸν verterunt, id est, carissimum; ut exponit Hieron. *in ejus loci comment.* Non enim vulgariter amantur unigeniti. Verùm non arbitror ubicumque vocabulum hoc in scripturis ponitur, ita semper accipi, ut magnitudo dilectionis significetur; nisi quanta debet esse omnium fidelium inter se. Mos enim erat Apostolorum ac veteris Ecclesiæ, omnes fideles hoc nomine salutare.

Significatio vocabuli ἀγαπητὸς.

29. SINE POENITENTIA ENIM SUNT DONA ET VOCATIO DEI. *Sine pœnitentia*, Græcè ἀμεταμέλητα, quasi dicas *impœnitibilia*, id est, talia quorum nec possit nec debeat pœnitere eum qui dedit aut promisit. In quibusdam Græcis, teste Pererio, legitur ἀμεταβλητα, id est, *immutabilia*. Quod secundùm rem idem valet. Ambrosius exponens procemium evangelii secundum Lucam, citat hoc modo : *Sine conatu sunt donationes*, &c. Itaque videtur legisse ἀμέλητα vel ἀμελέτητα, id est, immeditata, sine cura & conatu. Quod Pauli instituto non quadrat, ut duæ priores lectiones. Sentit enim electionem Judæorum firmam atque immobilem permanere, & aliquando complendam esse : quia dona Dei & vocatio quæ ab electione procedunt, mutari non possunt propter hominum peccata, ut non tandem effectum suum sortiantur.

Quæ dona Dei sine pœnitentia.

Quidam dona & vocationem per hypallagen exponunt beneficium vocationis. Meliùs alii distinguunt; dona, promissa intelligentes, id est, liberales & gratuitas beneficiorum promissiones; qui-

bus implendis ſubſervit vocatio. Non loquitur autem de quibuſlibet donis ſeu promiſſionibus, nec de qualibet vocatione. Nam quædam dona non fuere ſine pœnitentia: velut ea promiſſa quæ conditionem habebant annexam, cujuſmodi erant de fertilitate terræ, de hoſtium oppreſſione, de perpetua poſſeſſione terræ Chanaan, & ſimilia Hebræis facta, ſi in Dei cultu permanerent. Hæc enim mutata ſunt & revocata propter non ſervatam conditionem; ut de talibus dicere potuerit Deus: Pœnitet me horum promiſſorum: quo modo dixit: *Pœnitet me quòd conſtituerim Saul regem*, 1. Reg. 15. Similiter autem & vocatio ſeu juſtificatio hominis non prædeſtinati, ſine pœnitentia non eſt: quoties ita ſubtrahitur donum juſtitiæ ſemel collatum, ut numquam poſtea reddatur. Verùm loquitur Apoſtolus, ut dictum eſt, de promiſſis & vocatione quæ ex electione procedunt, id eſt, iis quæ facta ſunt abſolutè & ſine conditione. Hæc quippe ſunt immutabilia; nec fieri poteſt ut Deus hominum peccatis offenſus, id quod ſemel abſolutè promiſit, aliquando retractet. Ejuſmodi fuere promiſſiones Abrahæ & Davidi factæ de Chriſto naſcituro: & propheticæ prædictiones de certo tempore quo naſciturus eſſet. Unde falluntur Judæi, dicentes adventum Meſſiæ ultrà quam prædictum eſt differri propter ipſorum peccata. *Numquid* enim iniquitas *illorum fidem Dei evacuabit?* ſuprà cap. 3. Ita docet hac ſententia Paulus, non obſtante pertinaci infidelitate & aliis peccatis populi Judaici, certiſſimè ac ſuo tempore futurum, ut Deus impleat promiſſa, ſervetque teſtamentum ſeu pactum quo pollicitus eſt ſe ablaturum ejuſdem populi peccata.

Judæorum error de Dei promiſſis.

30. SICUT ENIM ALIQUANDO ET VOS NON CREDIDISTIS DEO. Confirmat à ſimili, Judæorum ſalutem exſpectandam à Deo, quamvis nunc interim credere nolint. *Non credidiſtis*, Græcè ἠπειθήσατε, quod ſignificantius redditur, *increduli fuiſtis*. Nam plus eſt incredulum eſſe, quam non credere. Eſt autem hoc loco idem credere Deo, quod credere Deum, vel in Deum; id eſt, credere Deum eſſe. Nam Gentiles ante Chriſti adventum erant *ſine Deo in hoc mundo*. Epheſ. 2.

Plus eſt incredulum eſſe, quam non credere.

NUNC AUTEM MISERICORDIAM CONSECUTI ESTIS PROPTER INCREDULITATEM ILLORUM. Græcè *incredulitate*, id eſt, per incredulitatem. Tale quid etiam ſuprà annotavimus ad illud, *propter incredulitatem fracti ſunt*: tametſi hoc loco non eſt ἀπιστία, ſed ἀπείθεια; quo vocabulo ſignificatur pertinacia non credendi, etiam viſis vel auditis idoneis documentis: ac ſi dicas impersuaſibilitatem. Quod propriè vitium erat Judæorum, de quibus ait Dominus: *Nunc autem & viderunt & oderunt*, Joan. 15. Tribuit tamen hoc Apoſtolus etiam Gentibus: quia ſaltem de eo quòd ex creatura mundi Deum non cognoverunt, inexcuſabiles erant. Sapient. 13. Nota Apoſtolum non dicere, *nunc autem credidiſtis*; ſed, *miſericordiam conſecuti eſtis*: ut intelligant, quod crediderunt, eſſe miſericordiæ Dei fidem largientis.

Fides donum Dei.

31. ITA ET ISTI NUNC NON CREDIDERUNT IN VESTRAM MISERICORDIAM. Græcè ἠπείθησαν τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, id eſt, *increduli fuerunt veſtræ miſericordiæ*. Credere enim noluerunt Judæi beneficium Dei per Chriſtum ad Gentiles pertinere. Nam veſtram miſericordiam intelligit miſericordiam Dei erga vos. Hanc enim Judæi Gentibus invidebāt. Minùs rectè Eraſmus ita reddidit: *increduli facti ſunt ex eo quod vos miſericordiam eſtis adepti*. Non enim ſignificatur cauſa incredulitatis Judæorum, ſed objectum; ſicut ſuprà de Gentilibus: *Non credidiſtis Deo*. Proinde meliùs noſter interpres: *non crediderunt in veſtram miſericordiam*. Qui verò partem hanc, *in veſtram miſericordiam*, retrahunt ad ſequentem, eique ſubjunguntur hoc pacto: ut & ipſi miſericordiam, conſequantur per veſtram miſericordiam, id eſt, provocati miſericordia vobis impenſa: (quod faciunt Cajetanus & Toletus) ordinem textus perturbant abſque neceſſitate, uti mox patebit.

UT ET IPSI MISERICORDIAM CONSEQUANTUR. *Ut* Græcè ἵνα non ſolùm conſecutionem, ſed & cauſam finalem hîc denotat: ſicut & in eo quod ſequitur; *ut omnium miſereatur*. Hoc quidem loco cauſam finalem non incredulitatis Judæorum, ſed promiſſionis divinæ. *Senſus* igitur totius periodi eſt: Sicut vos Gentiles aliquandò increduli Deo, licet nullæ vobis factæ eſſent promiſſiones, tamen miſericordiam conſecuti eſtis & adducti ad fidem occaſione incredulitatis Judæorum: ita viciſſim de Judæis, quibus factæ ſunt a Deo promiſſiones, exiſtimandum eſt, nempe quod idcircò permiſſi ſunt ad tempus in hanc incredulitatem incidere, qua noluerunt agnoſcere miſericordiam Dei vobis impendendam, id eſt, Evangelium vobis Gentibus eſſe prædicandum; ut & ipſi manifeſtam & inſignem Dei miſericordiam, adducentis eos ad fidem, aliquando experiantur.

Hæc eo dicuntur, ut neutri alteri exprobrent; ſed utrique parem experti miſericordiam, unanimes uno ore Deum ſalutis authorem collaudent. Porrò cùm Apoſtolus ſine controverſia de Judæis ſecundùm carnem hæc ſcribat; conſequens eſt, etiam ſuperius de Iſraële ſecundùm carnem eum locutum eſſe: & proinde ex toto hoc loco (quod dudum oſtendimus) admodum ſolidè ſtatuit traditionem eccleſiaſticam de converſione Judæorum in fine ſæculi. Sequitur jam ratio ſimilitudinis adductæ: quia ſcilicet Deus voluit ſuam miſericordiam in omnibus habere locum.

Judæos in fine ſæculi convertendos eſſe, eccleſiaſtica traditio eſt.

32. CONCLUSIT ENIM DEUS OMNIA IN INCREDULITATE, UT OMNIUM MISEREATUR. *Omnia* Græcè τοὺς πάντας, id eſt, *omnes*, quod & Syrus tranſtulit. Et ita legunt non ſolùm Græci commentatores Chryſoſt. ac cæteri; verùm etiam ſcriptores Latini Hieron. & Auguſtin. ille in expoſitione Michææ *cap. 2. & quæſt. 8. ad Algaſ.* iſte *lib. 21. de civit. Dei cap. 18. & de grat. & lib. arbit. cap. 22.* Videtur & Pelagius *omnes* legiſſe; licet textus adjunctus ejus commentario neutrum genus habeat. Occaſio mutandæ lectionis eſſe potuit ex ſimili loco ad Galat. 3. ubi tam Græcè quàm Latinè legitur; *concluſit omnia*. Jam illud quod ſequitur, *in incredulitate*, caſu diſcrepat à Græcis, ubi legitur, εἰς ἀπείθειαν, *in incredulitatem*. Quæ etiam multorum ac probatorum codicum Latinorum lectio eſt.

Verùm iſtæ varietates facilè ad eumdem ſenſum revocantur; qui eſt hujuſmodi: Miro Dei conſilio procuratam eſſe utriuſque populi ſalutem, ut priùs concluderet & comprehenderet eos omnes velut captivos ac ſibi obnoxios per incredulitatem, in quam permiſit omnes incidere; & ex qua nullo modo poſſent ſeipſos ſuis viribus eximere: ut ſic locum haberet excellens ejus miſericordia, qua utrumque populum vinculis longæ infidelitatis abſolutum, ad fidem vocaret, & per hoc inſigne opus ſuæ miſericordiæ, ſe glorioſum oſtenderet.

Ex qua declaratione patet univerſale ſignum *omnes* comprehendere utrumque populum, id eſt, utriuſque populi multitudinem; non autem utriuſque ſingulos, tametſi verum eſt, omnes & ſingulos in incredulitatem lapſuros fuiſſe, niſi Deus aliquos ex utroque populo ſua miſericordia conſervaſſet. Quod verò dicit, *ut omnium miſereatur*, conſtat ad ſingulos referri non poſſe.

Quo ſenſu omnes concluſi in incredulitate.

Hîc ad extremum lector obſerva, ut connexionem Apoſtolicæ diſputationis à principio ad finem intelligas, Paulum hac ſententia redire ad id quod initio ſuſceperat demoſtrandum, quodque *cap. 3.* intulerat; omnes & Græcos & Judæos peccatores eſſe, nec habere quod glorientur; ideoque gratuita Dei juſtificatione, quæ per fidem eſt, omnes indigere:

Sed quod illic oſtendit de variis morum vitiis ac peccatis ; id, jam fidei neceſſitate conſtituta, concludit de peccato infidelitatis.

33. O ALTITUDO DIVITIARUM SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ DEI. Finem impoſiturus Apoſtolus toti ſuperiori diſputationi qua diſſeruit de electione & reprobatione divina, deque Judæorum derelictione & Gentium vocatione ; exclamationem inſignem epilogi loco ſubjungit. Qua nimirum docet ac profitetur ſeſe, etſi in genere rationes quaſdam adduxerit electionis, reprobationis, vocationis & permiſſionis divinæ, non tamen abſolutam & perfectam de his Dei operibus doctrinam tradidiſſe, aut quam tradat noviſſe, ut quorum ratio perfectè à nobis comprehendi nequeat.

Neque prædeſtinationis neque reprobationis cauſa in præviſis hominum meritis.

Quare etiam ex hoc loco rectè ſtatuitur, neque prædeſtinationis cauſam neque reprobationis eſſe quærendam ex præviſis hominum meritis : ſed in ſola Dei voluntate poſitam eſſe, in qua omnes operum ejus rationes continentur.

Altitudo profunditatem hîc ſignificat : Nam Græcis eſt βάθος id eſt, *profunditas*, ſive *profundum*, ut legunt Hilarius in enarratione *Pſalm.* 129. & Hieron. *ſuper Habac.* 3. Deinde in Græco duæ ſunt voculæ copulantes ; hoc modo, *divitiarum & ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Quod & in Syriaco videre eſt. Et ita legiſſe Originem ac cæteros interpretes Græcos, ex ipſorum commentariis manifeſtum eſt. Diſtinguunt enim & ſeparatim expendunt illa tria, altitudinem divitiarum, & altitudinem ſapientiæ, & altitudinem ſcientiæ : & ita quidem, ut divitias ad Deum Patrem, ſapientiam ad Filium, ſcientiam ad Spiritum Sanctum Origenes referat.

Græco textui Tertullianus eatenus annuit, quod inter divitias & ſophiam (ſic enim loquitur) conjunctionem interponit, ſed ſcientiam omittit. Sic enim habet : *O profundum divitiarum & ſophiæ Dei.* Loca ſunt *lib.* 2. *adver. Marcio. cap.* 2. *& in fine libri adverſ. Hermog.* Verùm Græca lectio, ut ſincera ſit, videri tamen poteſt juxta Latinam & vulgatam lectionem exponenda ; ſcilicet ut divitiæ ſapientiam & ſcientiam reſpiciant, ac duo poſteriores genitivi regantur à primo, prorſus eo modo, quo apud eumdem Apoſtolum Col. 1. ſapientia & ſcientia ad theſauros referuntur, in his verbis : *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.*

Certè apud Hilarium *loco citato*, nec non apud Cyprian. *lib.* 3. *teſt. cap.* 53. legitur ut nos habemus. Et ſolet Apoſtolus divitias Deo aſſcribens, explicare metaphoram addito genitivo, velut *bonitatis, patientiæ, longanimitatis, gloriæ, gratiæ*, ut ſuprà *cap.* 2. & 9. Epheſ. 1. 2. & 3. Coloſſ. 1. Sit igitur hic ſenſus : O quàm profunda & humanis ſenſibus imperſcrutabilis eſt copia ſeu magnitudo tam ſapientiæ quàm ſcientiæ Dei.

Sapientia & ſcientia quo differant.

Sapientiam à ſcientia Cajetanus diſtinguit tamquam ſpeciem à genere, ut ſapientiæ nomine ſignificetur illa ſpecies cognitionis, qua ſupremum ſit de rebus agendis judicium, & ordo earum diſponitur : quale eſt illud de tempore & ordine vocationis Gentium & converſionis Judæorum ; ſcientia verò in genere ſignificet cognitionem.

Alii ſcientiam ſpecialiter accipiunt ut à ſapientia diſtinctam, id eſt, eam quæ verſatur circa cauſas medias, & omninò circa varios effectus divinæ providentiæ : quum ſapientia contempletur cauſam primam atque ſupremam. Eſtque hoc magis conſentaneum conſuetudini Scripturæ ſacræ, atque ipſius Pauli, qui de ſapientia & ſcientia loqui ſolet, tamquam de virtutibus diſtinctis, ut 1. *Cor.* 12. & *Col.* 2. Sic etiam Aquinas ; ſapientiam exponens de divinis, & ſcientiam de rebus creatis : tametſi utraque in Deo ſimplex & una notitia eſt.

QUAM INCOMPREHENSIBILIA SUNT JUDICIA EJUS ! Græcè ἀνεξιχνίαστα, *inſcrutabilia* ; quomodo legunt Ambroſius *libro* 4. *de fide cap.* 6. & paſſim Auguſtinus. *Ininventibilia* vocat Tertullianus. Vocem Græcam diligenter urgent Chryſoſt. & Theophylaſt. Explicat Apoſtolus id quod dixit de profunditate ſapientiæ divinæ. Nam judicia Dei quibus de rebus ſtatuit & ordinat, actus ſunt ſapieniæ ejus. Ea inſcrutabilia ſive incomprehenſibilia ſunt, & ut David ait Pſalm. 35. *abyſſus multa* ; quia nullus intellectus creatus, nec angelicus quidem poteſt ad plenum rationes eorum ſcrutando comprehendere.

Judicia Dei inſcrutabilia.

ET INVESTIGABILES VIÆ EJUS. *inveſtigabiles* negativè, id eſt, non veſtigabiles, imperveſtigabiles. Similiter interpres Epheſ. 3. dixit *inveſtigabiles divitias Chriſti.* Utitur & Hieronym. Proverb. 5. *Vagi ſunt greſſus ejus & inveſtigabiles.* Tertullian. *inveſtigabiles* legit. Hîc ſignificatur profunditas ſcientiæ Dei. Nam viæ in ſcripturis ſæpè ſignificant opera, ſive actiones & ſtudia. Porrò viæ Dei circa homines, in genere ſunt *miſericordia & veritas*, Pſam. 24. id eſt, gratia & juſtitia, utraque circa electos : altera ſola circa reprobos. *Senſus eſt* : rationes operum Dei non poſſe à quoquam penitus cognoſci. Partem hanc Hieronymus in commentariis Iſaiæ ſcribit ſumptam videri ex ejuſdem Prophetæ cap. 40. ubi de Deo dicitur : *Nec eſt inveſtigatio ſapientiæ* Hebraicè (*intelligentiæ*) *ejus* : quod LXX. tranſtulerunt, οὐδὲ ἔστιν ἐξεύρεσις τῆς φρονήσεως αὐτοῦ, *neque eſt indagatio prudentiæ ejus*, etſi in aliis codicibus legatur, ἐξεύρεσις, *inventio.* Non enim ſic indagari poteſt ut inveniatur.

Viæ Dei quæ dicantur.

34. QUIS ENIM COGNOVIT SENSUM DOMINI ? *Senſum*, Græcè νοῦν, *mentem.* Hæc pars cum ea quæ ſequitur, ad verbum deſumpta eſt ex eodem cap. 40. Iſaiæ juxta verſionem LXX. quæ ab originali non diſcrepat, niſi quod pro mente, רוח ruah, *ſpiritum*, habent Hebræa : & verbum הכן tichchen, pro quo LXX. tranſtulerunt ἔγνω, *cognovit* ; alii variè reddiderunt ; Theodotion & neoterici quidem *paravit* ; Hieronymus *adjuvit*, Pagnimus *ponderavit*, Forerius *metitus eſt*, Tremellius *expendit.* Quæ tria poſtrema non ſolùm propriùs accedunt ad id quod LXX. tranſtulere cognovit, velut metaphorica ad proprium : verùm etiam Hebræa voce magis ſignificantur, ut quæ eadem ſit cum illa quam Hieronymus ipſe verſu præcedenti verbo ponderandi reddidit ; *& cœlos palmo ponderavit ?* Qua de re conſule Forerium.

Nam quod Leo Caſtrenſis opinatur interpretes LXX. vertentes ἔγνω, aliud verbum Hebræum ante oculos habuiſſe, ſcilicet una litera auctum, altera diverſum ab eo quod legit Hieron. quo ſignificetur *vidit*, ſeu *cognovit* ; quam ſit probabile, examinent alii. Nos illud perfugium hoc loco nobis neceſſarium non putamus. *Senſus autem eſt* : neminem perfectè noſſe cogitationes & conſilia mentis divinæ. Poſtulant enim hujuſmodi interrogationes reſponſionem negantem. Habetur hæc eadem ſententia 1. *Cor.* 2. ſed ſine eo quod ſequitur.

AUT QUIS CONSILIARIUS EJUS FUIT ? Non ſolùm ad ſuggerendum Deo conſilium ; quomodo intelligitur locus Iſaiæ : verùm etiam ut tantummodo particeps eſſet & conſcius omnium ejus conſiliorum ; ſecundùm illud Jerem. 23. *Quis enim adfuit in conſilio Domini ?*

Conſiliorum Dei nemo particeps.

35. AUT QUIS PRIOR DEDIT ILLI, ET RETRIBUETUR EI ? *Prior dedit*, Græcè προέδωκεν, *ante dedit*, pro quo S. Ambroſius lib. 4. de fide cap. 6. legiſſe videtur in Græcis codicibus, προσέδωκεν vel προσέθηκεν, id eſt *addidit.* Interpretatur enim Paulum id velle, *cui nihil addi poteſt.* Verùm lectio vulgaris quæ omnium eſt codicum, cujus ipſe etiam Ambroſius meminit, haud dubiè germanior eſt : eique magis

appositè respondet verbum ἀνταποδόθήσεται, *vicissim reddetur.*

Quæritur autem ex quo loco sententiam hanc desumpserit Apostolus. Nam legitur quidem apud Isaiam paulò post superiora in quibusdam exemplaribus interpretum LXX. Verùm in aliis, iisque probatis, nominatim Romanis non legitur; ut neque exstat apud commentatores Cyrillum & Procopium: neque recitatur à Justino allegante locum Isaiæ in dialog. cum Tryphone; ut vehemens suspicio sit illuc ex Paulo adjectam esse, quò præcedentia pertinebant.

Verùm Paulus more suo scripturas è diversis locis connectit. Habetur autem hæc interrogatio apud *Job. cap.* 41. Deo loquente, juxta S. Hieronymi ex Hebræo translationem; *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* Nam eo loco diversùm quid LXX. transtulerunt. *Sensus autem Apostoli est*; Neminem ullo suo merito beneficentiam Dei prævenire posse. Siquidem omne bonum hominis meritum; quantumvis exiguum & imperfectum, à præveniente Dei gratia proficiscitur, ejusque beneficium est. Ostendit hac sententia Paulus id quod in superioribus egit, nullum esse locum justæ querelæ, si Deus pro arbitrio voluntatis alios eligat; alios reprobet; ut qui nulli quicquam debeat

Dei gratiam nulla merita præveniunt, sed omnia ab ea præveniuntur.

Deus nulli debitor.

Unde sequitur, ab electione seu prædestinatione divina omnem meriti opinionem esse excludendam; non autem, ut hæretici volunt, absolutè evanescere omne meritum. Nam ipsa bonorum operum merita data nobis sunt à Deo: qui proinde dum ea remunerat, non aliud quàm sua dona coronat. Nec omninò potest quisquam Deo dare, quod Deus prior non dederit. *Quid enim habes*, ait idem Apostolus, *quod non accepisti?* 1. Cor. 4. Et David in sua ad Deum eucharistica precatione; *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*, 1. Paral. ult. Et Augustinus serm. 16. de verbis Apostoli, cap. 2. *Quid dedimus Deo, quando totum quod sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus?* Probat autem hoc quod dixit Apostolus, universali sententia.

Observa contra sectarios, meritum bonorum operum inficiantes.

36. QUONIAM EX IPSO, ET PER IPSUM, ET IN IPSO SUNT OMNIA. *Quod dicit omnia*, ait Thomas in commentario, *est absolutè accipiendum pro omnibus quæ habent verum esse. Peccata autem non habent verum esse; & ideo non est intelligendum de peccatis: quia secundùm Augustinum, peccatum nihil est*; & *nihil fiunt homines, cum peccant. Quicquam tamen entitatis est in peccato, totum est à Deo.* Sic ille. Dicuntur autem omnia esse *ex ipso*, scilicet Deo, tamquam prima effectrice causa; & *per ipsum*, quatenus per eumdem omnia gubernantur; & *in ipso*, vel ut Græcè est, *in ipsum*, quia sic Deus omnia agit & gubernat, ut ea in seipsum tamquam finem ordinet atque dirigat. *Universa enim propter semetipsum operatus est.* Prov. 16. Atque ita Basilius exponit ac distinguit hæc tria, *in lib. de Spiritu-sancto, cap.* 5.

Quicquid entitatis etiam in peccato, totum est à Deo. Quomodo omnia ex ipso, per ipsum, in ipso.

Quamvis autem tria hæc æquè conveniant tribus in Deitate personis, rectè tamen Patres & Scholastici Doctores appropriatione quadam ea singula singulis accommodant personis, hoc aut simili modo; Quòd ex patre sint omnia, qua ratione pater est principium sine principio; per filium omnia, quatenus ipse est media persona, per quam quodammodo operatio à patre accepta transmittitur ad Spiritum-sanctum. Et sic in Spiritu-sancto omnia ut in fine; quia Spiritus-sanctus in Trinitate veluti finis est, à quo ad aliam personam non fit gressus. Proinde, qua velut propria ratione Patri ascribitur potentia, Filio sapientia, Spiritui-sancto bonitas; dici potest ex Patre per Filium in Spiritu-sancto esse omnia. Sed de ea re plura & ex professo apud Magistrum *lib.* 1. *sentent. distinct.* 38.

IPSI GLORIA IN SÆCULA. Nempe sit aut est. Finis enim omnium operum Dei est, ut ipse per illa glorificetur in omnem æternitatem. Quod quoniam omnes velle debemus; adjicit ad probationis clausulam.

Finis omnium operum Dei, gloria Dei.

AMEN. Id est, ita fiat. Dignum enim & justum est ut in omnia sæcula glorificetur Deus. De significatione vocabuli *Amen* egimus in expositione primi capitis.

CAPUT XII.

Phil.4.d.18. 1. OBsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. 2. Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta. 3. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui
Ephes.5.d.17. sunt inter vos: Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & unicuique sicut Deus divisit mensuram
1.Thess.4. fidei. 4. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent. 5. Ita
a.3. multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. 6. Habentes autem donationes secundùm
1.Cor.12.b. gratiam quæ data est nobis differentes; sive Prophetiam secundùm rationem fidei. 7. Sive ministerium in ministrando, sive
11. qui docet in doctrina. 8. Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate. 9. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono. 18. Charitate fraternitatis invicem dili-
Ephes.4.b.7. gentes. Honore invicem prævenientes: 11. Solicitudine non pigri: Spiritu ferventes. Domino servientes: 12. Spe gauden-
Matth.5.g. 39.
Amos 5.d.15. tes: In tribulatione patientes: Orationi instantes. 13. Necessitatibus sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes.
Ephes. 4.a 3. 14 Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere: 15. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.
Deut.32.c. 35.
1.Pet.2 c.17. 16. Idipsum invicem sentientes: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. 17. Nolite esse prudentes apud vosmet-
Heb.13.a 1. ipsos: Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.
H.b.10 f.30. *Prov.25. c.* 21.
1. Pet.4 b. 9. 18. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. 19. Non vosmetipsos defendentes charissi-
2.Cor 8.d.21. mi, sed date locum iræ, scriptum est enim: Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus. 20. Sed si esurierit inimicus
Heb.12.d.14. tuus, ciba illum: si sitit potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. 21. Noli vinci à malo, sed
Eccles. 28. vince in bono malum.
a.1.2.3.

SUMMARIUM.

HOrtatur ad novitatem vitæ. Docet omnes fideles esse unum corpus è multis constans membris: quorum multæ & variæ sint operationes. Monet ut intra limites doni à Deo dati quisque se contineat. Excitat ad mutuam dilectionem, & alias pias actions. Vindictam prohibet: beneficentiam præcipit, etiam erga inimicos.

OBSECRO ITAQUE VOS FRATRES PER MISERICORDIAM DEI. Græcè *per miserationes Dei.* Hactenus de fide & gratia justificationis ac prædestinatione Dei, aliisque eodem pertinentibus disseruit Apostolus. Nunc à doctrina fidei transit ad præcepta morum; idque convenientissimo ordine. Nam prius collocanda sunt rectæ fidei fundamenta, quibus deinde superstruendum ædificium sanctæ conversationis & bonorum operum. Ab hoc loco Theodoritus quintum & ultimum facit hujus epistolæ tomum. Incipit autem Apostolus ab obsecratione, qua Romanos obtestatur per illam Dei erga ipsos misericordiam, quam in superioribus tanto studio commendavit; qua scilicet electi erant à Deo ad salutem. Cujus misericordiæ quia multiplices sunt effectus, ideò plurali numero dixit *miserationes. Obsecro.* Græcè παρακαλῶ: quod etiam verti potest, *exhortor.* Sed obsecrationem potius intelligi satis ostendit addita obtestatio, *per misericordiam Dei.* Et in

eum ſenſum diſertè Chryſoſtomus exponit.

UT EXHIBEATIS CORPORA VESTRA HOSTIAM VIVENTEM, SANCTAM, DEO PLACENTEM. *Placentem* Græcis εὐάρεστον, *beneplacitam*, quod paulò pòſt interpres reddit *beneplacens*. Deinde vocabulum *(Deo)* claudit ſententiam, *placentem Deo*. Itaque vel ſic accipi poteſt, ut regatur à participio *placentem*, quod ſentit interpres noſter, quando commutato ordine ſcripſit *Deo placentem* : vel, ut referatur ad verbum *exhibeatis*: qui ſenſus planior eſt. Et alioqui ſolet Apoſtolus exprimere id cui nos exhibendos aut præcipit aut prohibet ; velut *Deo*, *juſtitiæ*, *peccato*, *immunditiæ & iniquitati*, ut ſuprà cap. 6. Monet igitur his verbis Romanos, ut corporibus ſuis ſanctè & ad Dei honorem utantur. Nam per hoc corpora Deo exhibentur, ſiſtuntur & offeruntur, velut hoſtia vivens & ſancta & accepta ſeu beneplacita. Sicut enim teſte B. Auguſtino lib. 10. de civit. Dei, cap. 6. *omne opus quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo*, generali ratione *ſacrificium eſt* : ita omnis illa res quæ ad ejuſmodi opus à nobis impenditur, ſacrificium ſeu hoſtia generali nomine dici poteſt.

Nota ad mores. Quomodo corpora noſtra Deo exhibeantur hoſtia.

Quid ſacrificium generali nomine.

Tale verò præcipuè eſt corpus noſtrum, quo opera pietatis exercemus : Quod proinde dum facimus, exhibemus illud Deo hoſtiam viventem, &c. quemadmodum eodem loco declarat Augu. *Viventem* dicit ad differentiam hoſtiarum legalium quæ occidebantur : *ut ne quis putet*, inquit, Chryſoſtomus, *quod præcipiat mactari corpora*, id eſt, interfici, quod eſt planè illicitum. Etenim martyres quoque in paſſione mortis exhibent corpora ſua hoſtiam viventem Deo. Non enim ipſi ſe occidunt. *Sanctam* dicit, hoc eſt, ab omni immunditia & inquinatione peccati immunem : & per hoc beneplacitam, id eſt, acceptam & gratiſſimam Deo, cui exhibetur. Reſpicere videtur Apoſtolus ad immunditiæ peccata, quibus corpora ſua dehoneſtabant & contumeliis afficiebant illi contra quos egit *cap.* 1. à quibus Romanos fideles omninò vult eſſe alienos. Ita ſcribit ad Theſſal. 1. epiſt. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra ; ut abſtineatis vos à fornicatione.*

RATIONABILE OBSEQUIUM VESTRUM. *Obſequium* Græcè λατρείαν, qua voce paſſim in ſcripturis ſignificatur cultus religionis, quo ſcilicet Deus colitur. Unde clarius ex Græco vertunt alii : *rationalem cultum veſtrum*. Sunt enim accuſativi in Græco : & per appoſitionem hæret hæc pars cum præcedentibus. Vulgo quidem ſic ferè ſententiam hanc accipiunt, quaſi moneat Apoſtolus pietatis exercitia, cujuſmodi ſunt orationes, jejunia, vigiliæ, fieri cum ratione & modo : ne ſi ſint immoderata, corpori aut ſenſibus adferant nocumentum. Quomodo etiam Aquinas, Lyranus & Cajetanus hunc locum expoſuerunt.

Sed hic ſenſus, etſi bonam continet doctrinam, non tamen præſenti loco congruit. Vocat enim Apoſtolus obſequium ſeu cultum rationalem (τὴν λογικὴν λατρείαν) eum qui in ratione ac mente ſitus eſt, id eſt, cultum ſpiritualem, ad differentiam cultus externi atque corporei, qualis fuerat Judæorum, conſiſtens in hoſtiarum carnalium mactatione. Sic apud Petrum *lac rationabile*, 1. Epiſt. 2. Senſus eſt : Exhibete corpora veſtra hoſtiam Deo per bona opera ; qui eſt rationalis cultus veſter. Ipſa igitur hoſtia quam jubemur offerre, corpora noſtra ſunt : Actus autem quo Deo hujuſmodi hoſtiam offerimns, cultus eſt rationalis ac ſpiritualis.

Quid obſequium ſeu cultus rationalis.

Quod attinet ad vocabula noſtræ verſionis, *rationabile* & *obſequium* ; malè quidem interpretem imperitiæ accuſant, qui non ſolùm hoc loco, verùm etiam alibi Græca nomina ad hunc modum tranſtulerit ; ut quod modò citavi, *lac rationabile* ; & Joan. 16. *arbitretur obſequium ſe præſtare Deo* ; & hujus Epiſt. cap. 9. *legiſlatio & obſequium*. Uſus eſt enim vocabulis, ut ita dicam, eccleſiaſticis ; id eſt, ſuo tempore per eccleſiam in ejuſmodi ſignificatione uſitatis. Nam & in canone miſſæ oblatio ſacræ euchariſtiæ rationabilis vocatur, id eſt, rationalis, tametſi rationabile pro eo quod ratione præditum eſt, & apud Quintilianum legitur.

Obſequium eſt rationabile, ut hîc uſurpata, vocabula eccleſiaſtica.

Obſequium autem pro cultu uſurparunt Tertull. in apol. Auguſt. *lib.* 10. *de civit. Dei cap.* 4. & eccleſia paſſim in officio Miſſæ. Sunt qui etiam hoc loco per obſequium rationabile, ſacrificium euchariſtiæ intelligant, propterèa quod in canone Miſſæ, atque in liturgiis Græcorum Baſilij & Chriſoſtomi ſic vocetur : Verùm profectò hujus loci contextus alium poſtulat ſenſum, nempe eum quem jam dedimus.

2. ET NOLITE CONFORMARI HUIC SÆCULO. Pro *conformari* alia vetus verſio melius habet *configurari*. Nam Græcè eſt συσχηματίζεσθε, & ita citat hunc locum Chryſologus ſerm. 120. & ante eum Cyprian. *lib. de exhort. mart. cap.* 8. *& in Epiſt.* 77. Senſus eſt : Cavete ne vita & converſatione ſimiles efficiamini iis qui ſectantur hujus ſæculi ſeu mundi voluptates & commoda, ſuiſque ſerviunt cupiditatibus. Sæculum & mundus pro genere humano, maximè qua parte ſibi relictum eſt & ſapit, multùm uſitata ſunt in Scriptura novi Teſtamenti : præſertim addito pronomine demonſtrativo, *hoc ſæculum*.

Sæculum & mundus pro genere humano.

SED REFORMAMINI IN NOVITATE SENSUS VESTRI. Græca ſic habent : *Sed transformamini renovatione mentis veſtræ*. Ita & Cyprian. *ſed transformamini in renovatione ſenſus* : Hoc eſt ; Studete quotidianæ renovationi mentis veſtræ per mortificationem malorum affectuum & cupiditatum : Sicque perficietur in vobis felix illa metamorphoſis, qua ex hominibus vetuſtate corruptis tranſmutemini magis magiſque in novos homines. Semper enim nobis in hac vita, quantumcumque etiam profecerimus, hac transformatione ac reformatione opus eſt.

Obſerva ad mores, Studendum quotidianæ renovationi mentis.

Sciendum, hoc loco Græca nonnihil variare. Nam pro verbis. συσχηματίζεσθε & μεταμορφοῦσθε, quædam exemplaria legunt infinitivo modo συσχηματίσεσθαι & μεταμορφοῦσθαι, ut pariter cum infinitivo præcedente παρίστημι, dependeant à verbo παρακαλῶ ; ſitque ſyntaxis hujuſmodi. *Obſecro vos exhibere corpora veſtra*, &c. Item *obſecro vos non configurari ſæculo huic, ſed transformari renovatione*, &c. Quamquam hæc varietas ſenſum non mutat.

UT PROBETIS QUÆ SIT VOLUNTAS DEI BONA ET BENEPLACENS ET PERFECTA ; *Beneplacens*, εὐάρεστον ; *beneplacita*, accepta. Eraſmus & alii quidam ex Græco vertunt ad hunc ferè modum : *ut probetis quæ ſit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum*. Atque ita partem hanc legunt Ambr. commentator & Sedulius. Item Auguſtinus *lib.* 10. *de civit. Dei, cap.* 6. *lib.* 13. *confeſſ. cap.* 22. *& in Epiſt.* 85. Sic etiam legiſſe Pelagium ſatis arguit ejus commentarius. Imò Ruffinus *in comment.* Origenis ſimpliciter affirmat hanc lectionem eſſe in conſuetudine Latinorum. At verò Syriacus textus ſolam priorem interpretationem admittit : quæ etiam reperitur apud Latinos Cyprian. *Epiſt.* 77. Hieronym. *lib.* 1. *contra Jovinian. cap.* 22. & Primaſ. in commentario.

Sed & Ruffinus eam potiùs probat loco jam citato. Nec mirum. Nam Græca non aliter commodè reddi poſſunt. Non enim Græcè eſt τὸ ἀγαθὸν, *quod bonum*, ſicùt præceſſit τὸ θέλημα, *quæ voluntas* : ſed ſolummodò τὸ ἀγαθὸν, id eſt, *bonum*, vel *illud bonum*, ut rectè verterit quidam : *quæ ſit voluntas Dei bona illa, accepta & perfecta*. Certè Græci tractatores Chryſoſt. & alii verba Pauli in eum ſenſum interpretati ſunt, quem exigit hæc verſio. Qui ſenſus hujuſmodi eſt : Ad illam reformationem vitæ veſtræ hoc pertinet, ut probetis, id eſt, exquiratis ac diligenter ſcrutemini, quæ ſit Dei voluntas bona, beneplacita & perfecta, hoc eſt, irreprehenſibilis ; probetis, inquam, eo fine

Epitheta voluntatis Dei, bona, beneplacita perfecta.

ut illam Dei voluntatem cognitam amplectimini & impleatis.

Verumtamen juxta alteram interpretationem, si cui ea magis placet, *sensus non multum dissimilis est.* Subjunguntur enim voluntati Dei hæc tria, bonum, & beneplacitum & perfectum, tamquam declaratio eorum quæ sub Dei voluntate comprehenduntur. Nam opera bona, Deo placita & perfecta, ea nimirum sunt quæ Deus vult, id est, præcipit. Nam de voluntate Dei præceptiva, quam Theologi voluntatem signi appellant, Apostolum loqui manifectum est, non autem de voluntate absoluta, quam beneplaciti vocant, ut existimavit Petrus Lombardus *lib. 1. sent. dist. 45.* nec non in hujus loci comment. Non enim jubet Apostolus ut probemus aut scrutemur quid absolutè velit Deus, id est, quid facturus sit; cum id alibi Scriptura disertè prohibeat, ut Ecclesiastici 3. *Altiora te ne quæsieris*: Verùm id jubet quod eodem loco sequitur; *Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper*: & quod de beato viro canit psalmistes: *In lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Et quod rursum ipse Paulus Philip. 4. *Quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa,* &c. *hæc cogitate.* Nec pro Lombado facit nomen beneplaciti quod hic legitur, & quo voluntatem Dei absolutam Theologi significare solent.

Dei voluntas alia præceptiva, alia absoluta: hæc beneplaciti, illa signi.

Absoluta Dei voluntas non est nobis scrutanda, sed ea quæ in præceptis consistit.

Aliter enim illi, quàm hoc loco Paulus, beneplacitum accipiunt; nempe pro eo quod apud Deum absoluto decreto placitum est ut fiat. Jam quod Cajetanus illud *beneplacens*, non ad Deum referri vult, sed ad homines, *quibus omnibus*, ut ait, *Dei voluntas quantum est ex se, grata & suavis est*, satis id refellitur ex alio loco simili ejusdem Apostoli *Ephes. 5.* ubi exprimitur cui beneplacitum: *probantes*, inquit, *quid sit beneplacitum Deo.*

3. DICO ENIM PER GRATIAM QUÆ DATA EST MIHI. Gratiam intelligit muneris Apostolici. Nam post generalem admonitionem, specialia daturus præcepta; ne videatur arroganter agere, quod Romanis præcipiat; allegat authoritatem suam Apostolicam. Verùm & id facit modestè; vocans Apostolatum suum gratiam, id est, munus gratuitò sibi à Deo collatum & commissum; simul innuens se quod facit, facere ex officii necessitate. Eodem pertinet verbum *dico*, id est, *præcipio*: sed minùs molestè auditur, quam si (præcipio) dixisset. Id nonnullis codicibus Græcis additur τῆ Θεοῦ, *per gratiam Dei.* Sed suspicor huc aliundè asscriptum, ut ex 1. Corinth. 3. ubi legitur: *secundum gratiam Dei quæ data est mihi.* Nam aliàs solet hanc gratiam absolutè nominare, hoc aut simili modo: *gratiam quæ data est mihi*, ut Gal. 2. Ephes. 3. & hujus Epist. cap. 15.

Gratia muneris Apostolici.

Dico pro præcipio.

OMNIBUS QUI SUNT INTER VOS. Id est omnibus fidelibus qui Romæ estis. Vult enim hæc præcepta ad omnes eos pervenire.

NON PLUS SAPERE QUAM OPORTET SAPERE, SED SAPERE AD SOBRIETATEM. *Sapere* dixit interpres pro eo quod est *existimare, sentire de se.* Id enim significat verbum Græcum φρονεῖν, cujus in eadem lingua composita sunt, ὑπερφρονεῖν *plus sapere*, quasi dicas supersapere; & σωφρονεῖν, id est, *sobriè*, modestè & temperatè *sapere.* His enim omnibus utitur hic Apostolus, non sine jucunda vocum allusione, quæ in Latino retineri non potuit. Pro sobrietate temperantiam legit August. *in Epist. 47.* Sed & Ruffinus Origenem interpretans (sua enim verba interserit) *temperantiam* mavult; tametsi fateatur majores in scripturis divinis sobrietatem interpretatos. Sed de verbo non est certandum, cùm de re constet, maximè cum hîc in Græco non sit nomen σωφροσύνη, sed verbum σωφρονεῖν, de quo jam diximus. Quod verò Hieron. *adverss. Jovin. scribens, lib. 1 cap. 22.* dicit malè in Latinis codicibus legi, *sapere ad sobrietatem*, & corgit, *ad pudicitiam*; videtur vir sanctus causæ quam eo loco agebat hoc tribuisse, ut sic exponeret. Nam hujus quidem loci *sensus* est: Dico & moneo quemque vestrum, ne supra modum de se sentiat, neve plus quàm par est sibi tribuat: sed de se sentiat sobriè; temperatè, & cum modestia.

Quid sapere plus quam oportet.

Cujus quidem admonitionis occasionem Paulo dederat altercatio quæ Romæ inter fideles Judæos & Græcos orta fuerat de justificatione. Nam in ea modestiæ fines excesserant non sine jactantiæ vitio: sicut ostendimus in argumento Epistolæ. Non igitur id vult Apostolus hoc præcepto, ne curiosas consectentur aut scrutentur quæstiones; in quem sensum Hervæus illud interpretatus est; sed ne quis de donis Dei plus quàm accepit, sibi arroget, nec limites talenti sui prætergrediatur; quomodo, si quis merus Grammaticus aut linguarum peritus de controversiis Theologicis censuram usurpet. Unde sequitur.

Nemo talenti sui limites prætergrediatur.

ET UNICUIQUE SICUT DEUS DIVISIT MENSURAM FIDEI. Copula & nec in Græco est, nec in Syriaco & in multis abest Latinis: Potestque videri sermo sic ordinandus; Sicut unicuique Deus divisit, &c. Nam alioqui dativus *unicuique* non habebit unde regatur: nisi malis altiùs referre ad verbum *dico*, quod non est improbabile, ut respondeat dativo *omnibus*, pro quo in Græco est singulare παντὶ, *omni*; quod hîc jam distribuendo repetit ἑκάστῳ, *unicuique*; ac tum supplenda erit oratio resumptione verbi præcedentis: Dico unicuique vestrum sapere, id est, ut sapiat, sicut Deus divisit seu partitus est ei mensuram fidei, id est, sentiat de se juxta mensuram ac modum doni in fide sibi collati.

Nominat fidem, quod illa cæterorum donorum directrix sit ac moderatrix. Intelligit enim fidem qua Christiani sumus: licet nonnulli fidelitatem exponant; quod non probo. Dicit autem mensuram, quia Christo Domino excepto, cui spiritus *non ad mensuram datus est*, Joan. 3. nullus est in quem omnia dona Deus conferat: sed unicuique solummodò partem ex eis, vel majorem vel minorem, prout ipsi visum fuerit, admetitur & tribuit. Quam rem deinceps Apostolus aptissima similitudine declarat, sumpta nimirum à corpore naturali.

Fides cæterorum Dei donorum directrix ac moderatrix.

4. SICUT ENIM IN UNO CORPORE MULTA MEMBRA HABEMUS, OMNIA AUTEM MEMBRA NON EUMDEM ACTUM HABENT. Id est, sicut in humano ac naturali corpore diversa membra diversis deputata sunt operationibus.

5. ITA MULTI UNUM CORPUS SUMUS IN CHRISTO. Hoc est: Ita multi, id est, quotquot sumus fideles, unum sumus corpus mysticum sub Christo capite, vel *in Christo*, id est, in fide Christi.

Omnes fideles unum corpus mysticum.

SINGULI AUTEM ALTER ALTERIUS MEMBRA. *Alter alterius* Græcè ἀλλήλων, quod Erasmus vertit, *alii aliorum. Alterius* ergo non ut corporis, sed tamquam commembri, ut ita loquar. Nam pars non solùm relationem habet ad totum; verùm etiam ad alias partes, sub nomine compartis. Locus igitur sic reddi posset: *Singuli autem alter alteri commembres*, Qua voce utitur Augustinus lib. *contra mendac. cap. 2.* Per hoc autem significare vult Apostolus; unumquodque membrum ecclesiæ non sibi soli, sed etiam aliis operari debere: quemadmodum fit in corpore naturali.

Unumquodque membrum ecclesiæ non sibi soli, sed etiam aliis operari debet.

6. HABENTES AUTEM DONATIONES SECUNDUM GRATIAM QUÆ DATA EST NOBIS, DIFFERENTES. Quidam *habentes* exponunt *habemus*, ut sit Hebraismus, quo participium pro verbo poni solet. Sed id nulla necessitate: cum optimè cohæreat hoc participium cum præcedente verbo *sumus.* Declarat autem his verbis Apostolus comparationis superioris illam partem, *non eumdum actum habent*; commemorans operationum in mystico corpore diversitatem: simul addens illam esse à Deo, sic sua dona per ecclesiam dispensante. *Sensus*: Habentes dona diversa & varia, prout unicuique nostrum per gratiam suam

Deus varia sua charismata per ecclesiam dispensat.

largitus est Deus. Nam donationes Græcè χαρίσματα sunt, id est, dona gratuita: cum alioqui donatio significet actum donandi. Hujusmodi dona ad aliorum utilitatem concessa Dominus in Evangelio paraboliccè vocat talenta, *Matth.* 25. De his rursum Apostolus 1. Corinth. 12. cum de distributionibus gratiarum ageret: *Unicuique*, inquit, *datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Et Petrus 1. Epist. 4. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes; sicut boni dispensatores multi formis gratiæ Dei.* Idem præcipit hoc loco Paulus, dum subjuncta aliquot donorum seu talentorum enumeratione, sigillatim quomodo iis utendum sit commonstrat.

Prophetia quid hoc loco significet.

SIVE PROPHETIAM SECUNDUM RATIONEM FIDEI. *Rationem* Græcè ἀναλογίαν, quam vocant proportionem: Ciceroni convenientia dicitur. Prophetiâ quidam propriè accipiunt qua prædicuntur futura. Alii donum interpretandi & exponendi scripturas. Verisimile est generaliter intelligi donum revelationis secretorum, patens ad utrumque genus jam dictum. Sic enim accipitur 1. *Cor.* 12. & 14. quemadmodum illis locis docebimus. Sic & in illa sententia Proverb. 29. *Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus.*

Quomodo prophetia tradenda secundum rationem fidei.

Est autem Apostoli sermo eclipticus ac supplemento egens; quod idem in sequentibus sit repetendum. Nec aliud suppleas commodius, quam ex præcedentibus verbum *dico*, ut ad hunc modum exponas: Sive habentes prophetiæ donum; quod qui habet, dico ut expendat illud; eoque utatur secundùm rationem seu congruentiam fidei; id est, sic ut sequatur rectæ fidei dictamen, & diligenter caveat, ne quid vel prænunciet, quantumvis sibi videatur præditus spiritu prophetico; vel pro scripturæ interpretatione adferat quod à regula fidei discrepet, aut ad fidei morumque ædificationem nihil conferat.

Hinc idem Apostolus 1. *Thess.* 5. vult etiam prophetias probari & explorari, ut solùm *quod bonum est* ac sanæ doctrinæ consentaneum, teneatur. Non est sensus, distribui cuique donum prophetiæ pro magnitudine fidei quam habet: ut nonnulli partem hanc exponunt. Constat enim id simpliciter non esse verum. Multi quippe magnam fidem habent, dono prophetiæ penitus destituti. Neque nunc docere vult Apostolus quomodo hæc charismata acquirantur, sed quomodo sit iis utendum. Maximè verò locum habere debet hæc admonitio in scripturis allegoricè interpretandis: quod eo in genere nimiùm sibi permittere quidam soleant, ut olim Abbas Joachim & alii.

Ministerii ecclesiastici gradus diversi.

7. SIVE MINISTERIUM, IN MINISTRANDO. Græcè *in ministerio*. Est enim ejusdem vocabuli repetitio. Sensus autem est: Sive habentes gratiam alicujus ministerii Ecclesiastici in quocumque gradu & ordine, ut sunt Episcopatus, Presbyterium, Diaconatus, &c. Cujusmodi gratiam qui habet, illi dico, non sibi placeat, sed cum modestia & cura ad aliorum utilitatem exsequatur creditum sibi ministerium, sciens se vocatum ad opus, non ad honorem. Quidam ad diaconos restringunt propter Græcam vocem διακονίαν. Sed hæc ratio non viget. Passim enim generaliter accipitur ea vox pro ministerio. Et in Ecclesia *divisiones ministrationum* seu *ministeriorum* agnoscit ipse Paulus 1. *Cor.* 12. de quibus eo loco plura.

Prophetiæ & doctrinæ charismata distincta.

SIVE QUI DOCET, IN DOCTRINA. Hoc est; Si quis habet gratiam docendi, id est, ea quæ novit, aptis & convenientibus verbis explicandi, aliisque tradendi, utatur ea facultate ad docendos alios. Nonnulli donum hoc faciunt speciem prophetiæ, tamquàm ea tam latè pateat, ut etiam gratiam docendi sub se comprehendat: quod non est Apostolicæ scripturæ consentaneum. Nam non solùm hoc loco recensentur tamquam charismata seu donationes inter se diversæ, verùm etiam alibi apud Paulum, ut 1. Corinth. 12. *Posuit Deus in ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores.* Et iterùm: *Nunquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?* & cap. 14. *Aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina.* Sic & Ephes. 4. prophetas à pastoribus & doctoribus distinguit. Et apud Lucam Act. 13. *Erant in ecclesia quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores.* Quamquam fatemur Prophetas plerumque etiam docendi & exhortandi gratia præditos fuisse. Quod Paulus significat 1. Cor. 14. dicens: *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem & consolationem.*

8. QUI EXHORTATUR, IN EXHORTANDO. Græcè. *Sive qui exhortatur in exhortatione.* Sic & Chrysologus legit. Et ita meliùs respondet ad superiora, *in ministerio, in doctrina*: & ad sequentia, *in simplicitate, in solicitudine, in hilaritate.* Sensus: Si quis vestrûm accepit à Deo gratiam exhortandi, id est, animum auditoris oratione sua excitandi & commovendi ad actiones pietatis; utatur ea gratia, ac sedulo exhortationibus incumbat. Constat autem diversa esse dona dicendi & exhortandi, eaque non rarò à se mutuò separata.

Verti etiam ex Græco potest: *Sive qui consolatur, in consolatione.* Atque in eum sensum Theophylact. interpretatur. Sunt enim in ecclesia qui singulari gratia polleant consolandi afflictos & infirmos. Verùm Chrysost. de exhortatione intellexit, appositè citans hujus doni exemplum ex *Actor.* 13. ubi Barnabæ & Paulo dicitur: *Si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite:* ubi Græcè παρακλήσεως, idem verbale nomen quod hoc loco. Syrus quoque interpres *exhortationem* reddidit. Quamquam nihil vetat utrumque simul intelligi. Nam ut eodem vocabulo significantur; ita ferè conjuncta sunt hæc duo dona.

Nota ad mores, qua simplicitate in erogandis eleemosynis utendum.

QUI TRIBUIT, IN SIMPLICITATE. Videtur hoc intelligendum de iis qui præfecti erant ærario ecclesiæ, ac publicis eleemosynis in pauperes distribuendis: quales fuere septem diaconi *Actor.* 6. quales etiam Paulus & Barnabas *Actor.* 11. Adhuc enim sermo est de particularibus donis & officiis: & ad istum modum Chrysost. & alii partem hanc interpretantur, ut sensus sit: Is cui incumbit officium dispensandi facultates ecclesiæ & collectas fidelium, distribuat eas cum simplicitate, id est, bona fide, sine personarum acceptione, ac sine respectu proprii commodi. Id enim esset in ejusmodi opere cor duplicare, dum aliud prætenditur, aliud intenditur. Eam in dando simplicitatem Jacobus Apostolus Deo ascribit cap. 1. dicens: *Postulet à Deo, qui dat omnibus απλῶς, simpliciter*, pro quo nos habemus *affluenter.* Eamdem Paulus commendat. 2. *Corinth.* 8. & 9. Gaignæus *in simplicitate* exponit ingenuè, liberè, non quasi coactè. Verùm id potiùs est *in hilaritate*, quod statim sequitur.

Nota ad mores, de solicitudine prælatis & rectoribus necessaria.

QUI PRÆEST IN SOLICITUDINE. Græcè ἐν σπουδῇ, *in studio*, seu *diligentia*: quam exstimulare solet solicitudo. *Sensus*: Cui præfectura aliorum commissa est, is non sese efferat, sed diligenter ac solicitè suo muneri incumbat, tamquam Deo rationem redditurus; cogitetque se præpositum aliis, non sui, sed illorum causa. Simile præceptum Ecclesiastici 32. *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis, quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe*, &c.

Nota ad mores, hilaritate præcipuè commendari opera misericordiæ.

QUI MISERETUR, IN HILARITATE. Communis interpretum sententia est, Apostolum hîc transire à præcepto benè utendi donis spiritualibus, ad præcepta omnibus communia. Nam ad omnes pertinet misereri; non solùm interiore misericordiæ affectu; verùm etiam, si facultas adsit, externo opere & effectu; cujusmodi est egenti dare panem, vestem, pecuniam. Quod qui facit, jubetur cum hilaritate facere, quemadmodum & Sapiens præcipit: *In omni*

dato hilarem fac vultum tuum, Eccleſiaſt. 35. *Hilarem* enim *datorem diligit Deus* 2. Cor. 9.

Aliis placet etiam hac parte ſpeciale quoddam chariſma ſive officium ſignificari: ut miſereri dicatur is qui ab eccleſia curandis miſeris, potiſſimùm ægrotis, præfectus eſt; iiſque præbet obſequia: velut etiam hodie fit in noſocomiis. Huic enim operi miſericordiæ valde convenit hilaritas: ut quos morbus affligit & contriſtat, ex alacritate & promptitudine eorum à quibus juvantur, capiant conſolationem. Qui ſenſus haudquaquam improbabilis eſt. Habet enim hoc præceptum ſimilem formam cum præcedentibus. Nam quæ ſequuntur, ut omnibus communia ſunt, ita forma à ſeptem ſuperioribus differunt.

Præſertim circa curam infirmorum.

9. DILECTIO SINE SIMULATIONE. Græcè ἀνυπόκριτος, id eſt, *ſimulationis expers*, ſubaudi, ſit q. d. Proximus diligatur ſincerè & ex animo, non ſimulatè. Nam dilectio ſimulata non eſt dilectio. Sic alibi fidem exigit ἀνυπόκριτον *non fictam*, ut 1. Tim. 1. Nam & fides ficta non eſt fides. Ne autem proximus diligatur in malo, quæ eſt mundana & pernicioſa dilectio, ſubjungit duo ſequentia præcepta.

Dilectio ſimulata non eſt dilectio.

ODIENTES MALUM, ADHÆRENTES BONO. Malum & bonum neutri generis ſunt. Itaque dilucidiùs ita vertes; *Odientes id quod malum eſt, adhærentes ei, quod bonum eſt.* Malum intellige vitium, peccatum: bonum, honeſtatem, juſtitiam. *Odientes*, Græcè non eſt μισοῦντες, quod eſt ſimpliciter, *odientes*, ſed ἀποστυγοῦντες, id eſt, *adverſantes*, odio habentes cum horrore. In hac parte & ſequentibus ſupplendum eſt verbum præceptivum, eſtote, vel ſitis.

10; CHARITATE FRATERNITATIS INVICEM DILIGENTES: Sic omnino legendum ex caſtigatione Romana, pro eo quod multos codices occupaverat, *charitatem fraternitatis*. Nam Græcè dativus eſt, nobis reddendus per ablativum τῇ φιλαδελφίᾳ; id eſt, *charitate fraterna*. Nec in Græco participium eſt ἀγαπῶν τες *diligentes*, ut ab eo regi poſſit accuſativus, τὴν φιλαδελφίαν, pro quo ſuſpiceris dativum irrepſiſſe; ſed nomen φιλόστοργοι, ut ſi Latinè dicas affectuoſi: quod accuſativum regere non poteſt. Accedit præter Græcorum omnium lectionem, quod etiam apud Latinos Scriptores ablativus legitur *charitate*, vel *amore*, & pro *diligentes*, nomen *affectuoſi* vel *benigni*. Ita Tertull. *lib. 5. contra Marcionem, cap. 14. Amore fraternitatis invicem affectuoſi*, & comment. Ambr. *fraternitatis amore invicem benigni.*

Quo ferè modo & cæteros expoſitores Latinos legiſſe, ut Pelagium, Primaſium, Sedulium, & Haymonem, probant eorum commentarii. Chryſologus quoque legit *invicem benigni*, licet priora verba prætermittat. His & illud accedit quod pro *invicem* Græcè eſt εἰς ἀλλήλους, id eſt, *ad vos invicem*, quod cum participio *diligentes* non cohæret: ut taceam conformitatem hujus ſententiæ cum tribus ſubſequentibus, quæ ſimili caſu inchoantur, *honore, ſolicitudine, ſpiritu.* Nec pro accuſativo facit illud 1. Petr. 2. *fraternitatem diligite*. Nam eo loco Græca prorſus ſunt diverſa, licet ſententia ſit ſimilis. Igitur hujus loci ſenſus percommodè dilucidéque, ut alia expoſitione non ſit opus, ex Græco reddi poteſt hoc modo: Amore fraterno alius ad alium amanter affecti. Ratio, quia eſtis invicem membra, non tantùm ut homines, ſed ut fideles ac peculiariter hoc nomine fratres.

11. HONORE INVICEM PRÆVENIENTES. Græcè προηγούμενοι, *præcedentes*. Quamquam optimè tranſtulit interpres, *prævenientes*: ut intelligatur Paulum loqui de honore activo, non paſſivo. Nam alioqui præcedit honore, qui priùs aut magis honoratur: Prævenit autem; qui antevertit: id eſt, qui priùs honorat. Intellige, quantum in te eſt. Non enim uterque alterum prævenire poteſt, niſi voluntate & ſtudio. Ratio præcepti; quia per hoc provocatur & fovetur mutua dilectio, quam proxima ſententia commendaverat. Eraſmus honorem hoc loco vult intelligi ſubſidium, ſed minus rectè. Nam Apoſtolus ſimili ſententia alibi ſeſe explicat, nempe cum dicit Philip. 2. *In humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes. Quod quidem fit*, ait Thomas hoc loco, *dum quis ſuum defectum conſiderat, & bonum proximi.* Sed nos ea de re plura Deo favente dicturi ſumus in memorati loci commentario.

Quid honore alium prævenire.

SOLICITUDINE NON PIGRI. *Solicitudine*, Græcè τῇ σπουδῇ, *ſtudio*, ut ſupra verſ. 8. Senſus: Non gravatim, ſed diligenter & promptè, atque ex animo facientes officium præſertim quo juvãdus eſt proximus.

SPIRITU FERVENTES. Hoc eſt; impetu quodam animi ſuccenſi ad exſequendum ea quæ veſtræ ſunt functionis & officii. Sic enim eritis ſtudio non pigri. Poteſt etiam exponi de Spiritu-ſancto; quo velut igne ferventes, nullum charitatis officium erga proximos refugiamus, ut referatur ad omnia præcepta ſuperiora. Baſilius in regulis brevioribus reſponſione 259. *Spiritu fervens eſt*, inquit, *qui ardenti ſtudio, & inexplicabili cupiditate*, & *aſſidua diligentia, voluntatem Dei facit in charitate Chriſti.*

DOMINO SERVIENTES. Græci codices plerique qui nunc exſtant habent, *Tempori ſervientes*. Et hoc modo legit inter Latinos Ambr. commentator, eamque lectionem, altera rejecta velut huic loco incongrua ſtudioſè defendit. Meminit ejuſdem Hieronym. *in Epiſt. ad Marcell. num.* 102. ſed ſic ut improbet. Agens enim adverſus quoſdam ſuos reprehenſores; *Illi legant*, inquit, *tempori ſervientes; nos legamus, Domino ſervientes.* Meminit & Ruffinus in Origenis commentario, ſuis loquens verbis; quamquam nec ipſe probat; licet affirmet ita in nonnullis Latinorum exemplaribus haberi. Porrò ſimpliciter eam lectionem annotat gloſſa interlinealis: ordinaria verò etiam exponit, tacens de altera.

Tempori ſervientes, an vera lectio.

Sed & antiquiſſima mss. (quemadmodum refert in ſuis Notationibus F. Lucas) quæ libris argumenta capitum præfigunt, hujus epiſtolæ quadrageſimum octavum caput *De tempore inſeruiendo*, inſcribunt: nimirum quod retinuerint capitum argumenta, ei Latinorum editioni quæ ante noſtram fuit accommodata. Petrus Lombard. *in ſuo comm.* poſuit, & expoſuit utramque lectionem, ſic ut neutram alteri præferat.

Cæterùm lectioni noſtrorum codicum ſuffragatur Syriacus textus: atque in eamdem conſentiunt Græci tractatores Chryſoſtomus, Theodoritus, Theophylactus & Oecumenius, & Latini omnes, Ambroſio quem dixi, excepto; qui tamen agnoſcit in Græco haberi, *Domino ſervientes.* Nec deſunt hodie Græci codices, inter quos Regius ex Complutenſi, qui hanc lectionem exhibeant. Nam Robertus Stephanus quatuor præterea codices hujus lectionis annotavit.

Diverſitas nata videtur ex affinitate Græcorum vocabulorum κυρίῳ & καιρῷ, maximè ſi fortè, qui ſcribarum mos eſt, abbreviatè ſcriptum fuerit, κῳ. Nec planè conſtat utra lectio ſit potior ac germanior.

Quid ſervire Domino.

Noſtra quidem ſenſum habet apertum; ut in omni actione & officio quod proximis impendimus, non quæ noſtra ſunt quæramus, ſed Domino ſerviamus, ejuſque honori ſtudeamus. Unde non incongruenter (quo in diverſum argumento moventur alii) præceptum hoc ſubjungitur præcedentibus.

Quid tempori ſervire.

Altera quoque lectio ſententiam habet nec putidam, ut quibuſdam videtur, nec Apoſtolo indignam, modo Chriſtianè, ſicut oportet exponatur. Ad quod proferuntur ejuſdem Apoſtoli tamquam ſimilia præcepta aliis in locis, *ut Epheſ.* 5. & *Coloſ.* 4. ubi monet ut tempus redimamus. Unde dicunt, ex mente Pauli eos tempori ſervire, qui temporis occaſione

utuntur ad id quod melius eſt, ac ſedulò cavent, ne negotiis minus utilibus ſeſe occupantes, temporis ad Deo ſerviendum conceſſi jacturam faciant.

Quamquam id aliter exponit dictus Ambr. Sic enim ſcribit: *Quoniam dixerat, ſpiritu ferventes; ne hoc ſic acciperent, ut paſſim & importunè verba religionis ingererent tempore inimico, per quod fortè ſcandalum excitarent: ſtatim ſubjecit, tempori ſervientes, ut modeſtè & cum honeſtate, aliis locis & perſonis, & apto tempore religionis fidem loquerentur.* Ita ſcriptor ille (cui & gloſſa concinit, & Lombardus) haud abſurdè. Nam & Salomon dicit *tempus* eſſe *tacendi, & tempus loquendi*; Eccleſiaſtæ 3. Et Amos propheta cap. 5. *Prudens*, inquit, *in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt.*

Porrò Deſiderius in paraphraſi idipſum paulò aliter exponit, ita ſcribens: *Ne reluctemini malis; ſed tempori ſervite, rebus præſentibus voſmetipſos accommodantes; & ſi quid inciderit incommodorum, vel declinantes, ſi liceat commodè, vel tolerantes.* Sic ille, ſenſu nequaquam alieno, ſi cui placeat hæc lectio. Nam & ea quæ ſequuntur: *ſpe gaudentes, in tribulatione patientes*, ad eum ſenſum ſatis probè reſpondent.

Verùm quia tempori ſervire non eſt phraſis Apoſtolica, nec omninò in ſcripturis uſitata; nec idem ſonare videntur redimere tempus (de quo ſuis locis agemus) & ſervire tempori: idcircò mihi hæc lectio, quamvis alioqui bonas recipiat expoſitiones, non admodum arridet: præſertim quum altera (quam habere non crediderim ex emendatione S. Hieronymi) loquatur id quod paſſim inculcant ſcripturæ, ut Domino Deo ſerviamus. Quod & ipſe Paulus alibi præcipit, dicens: *Chriſto Domino ſervite*, Coloſſ. 3. Unde & hujus epiſtolæ cap. 14. ſervitutem hanc commendans ait: *Qui in hoc ſervit Chriſto, placet Deo*; ſicut & contrà de quibuſdam dicit capite decimo ſexto, *Hujuſcemodi Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri.*

Vulgata codicum lectio probabilior.

Ex quibus locis Paulinis etiam id colligo, Dominum hîc intelligi Chriſtum, de quo Epheſ. 4. *Unus Dominus.* Eſt enim moris Apoſtolici Chriſtum, ut redemptorem noſtrum, vocabulo Domini peculiariter honorare. Cùm igitur Apoſtolus de multis officiis & actionibus Chriſtianis præcepta dediſſet, hîc jam præcipit, ut in omnibus illis ſerviamus gloriæ Chriſti Domini noſtri, cum ſpe certiſſima cæleſtis remunerationis ab eo percipiendæ. Hinc aptè ſubjungitur.

12. SPE GAUDENTES. Spem intelligit futuræ retributionis. Ea namque animum Chriſtianum fovet & alacritatem ſuggerit, & gaudio quodam perfundit in omni opere pietatis: Tum verò mirificé conſolatur, & fortem reddit in afflictionibus hujus vitæ; unde ſequitur.

IN TRIBULATIONE PATIENTES. Spe nimirum animati. Nam niſi animus ſpe præmiorum fulciretur, in afflictionibus quas pro Chriſto patitur (de his enim ſermo eſt) durare non poſſet. Quo ſenſu autem è diverſo, patientia mediâ probatione ſpem operetur, ſecundùm eumdem Apoſtolum *cap. 5. hujus epiſt.* eo loco explicatum invenies.

OTATIONI INSTANTES. Alii vertunt, *in oratione perdurantes.* Nam Græcum verbum προσκαρτεροῦντες ſignificat aſſiduitatem cum perſeverantia. Sic Act. 1. *Omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione.* Non ſolùm ergo hortatur ut in precibus ad Deum fundendis aſſidui ſint, verùm ut id etiam perſeveranter faciant. Hoc ipſum eſt quod Dominus præcipit Luc. 18. *Quoniam oportet ſemper orare, & non deficere.* Comprehenduntur igitur hoc præcepto duæ treſve conditiones ad orationem requiſitæ, ut ſit frequens, ut ſtudioſa, & ut perſeverans.

Nota conditiones ad orationem neceſſarias.

Quid communicare

13. NECESSITATIBUS SANCTORUM COMMUNICANTES. Id eſt fratrum ſeu Chriſtianorum indigentiæ de veſtris facultatibus ſubvenite, res veſtras fratribus inopia laborantibus communes facite. Neceſſitas enim Græcè, χρεία, pro egeſtate ac rei familiaris anguſtia, poni conſuevit. Ita 1. Joan. 3. *Si quis viderit fratrem ſuum neceſſe habere.* Græcè χρείαν ἔχοντα. Nec ſenſu diſcrepat ea verſio quæ eſt in Latino commentario Origenis: *Uſibus ſanctorum communicantes.* Nam uſibus, intellige neceſſariis. Qua ratione Chriſtiani vocentur ſancti, dictum eſt ſub initum hujus epiſtolæ.

neceſſitatibus ſanctorum.

Porrò ſciendum hoc loco pro *neceſſitatibus* in Ambroſ. commentario legi *memoriis*, quemadmodum & citant hunc locum Optatus *lib. 2. contra Donat.* & Chryſol. *ſerm. 120.* Et his multò poſterior Gregorius tertius *in epiſt. ad optimates & popul. Germ. ſcripta.* Alludit etiam Auguſt. *ſerm. 29. de verbis Domini cap. ult.* ſic alloquens plebem catholicam: *Communicatis membris Apoſtolorum, communicatis memoriis ſanctorum martyrum diffuſorum per orbem terrarum.* Quin ea lectio uſque hodie viſitur in miſſali Mediolanenſis eccleſiæ, quod Ambroſianum vocant, typis excuſo *anno 1548. pag. 113.* Sic & Hilarium legiſſe conſtat ex libro quem ſcripſit in Conſtantium Auguſtum.

Alia lectio, memoriis ſanctorum, examinatur.

His enim verbis inter alia eum alloquitur: *Apoſtolus communicare nos ſanctorum memoriis docuit. Tu eas damnare coegiſti.* Imò Ruffinus in Origenis commentario teſtatur hanc lectionem magis quàm alteram haberi in Latinis exemplaribus, & tam ipſe eodem loco, quàm Pelagius atque Sedulius in commentariolis utramque exponunt: tametſi Ruffinus eam cenſet veriorem, quæ Græcorum erat codicum.

Quod & nos arbitramur; quando quidem eam (unum Ambroſiaſtrum cum Sedulio ſi demas) concorditer in textu habeant & exponant, quotquot tam Latinè quam Græcè in hanc epiſtolam commentatos novimus: aſtipulante etiam Syriaca verſione: nec in ullo vel Latino vel Græco exemplari epiſtolarum Pauli, quod hodie exſtet, diverſa lectio reperiatur. Exiſtimo ſanè & iſtud quoque lectionis diſſidium olim accidiſſe ex vicinitate Græcarum vocum χρείας & μνείας: cumque Latinos codices ampliùs quam Græcos pervaſiſſet, opera S. Hieronymi vulgatam editionem emendatis, ſublatum fuiſſe, ut deinceps non *memoriis* ſed *neceſſitatibus* legeretur. Nam & conſentanea valde eſt hæc lectio præceptis ejuſdem Apoſtoli, quæ in aliis epiſtolis habentur; quibus paſſim ſub nomine communionis, ſeu communicationis, rerum temporalium in pauperes elargitionem commendat, ut Galat. 6. *Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis.* Philip. 4. *Benè feciſtis communicantes tribulationi meæ.* Timoth. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe, facile tribuere, communicare.* Heb. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivi ſci.* Item *Cor. 8. & 9.* ubi ſimiliter hujuſcemodi communicationis fit mentio, & ejus quidem quæ fit in ſanctos neceſſitatem patientes; ut vel ex eo loco clarè diſcamus, quid ſit neceſſitatibus ſanctorum communicare, quemadmodum & ex 1. *Cor. ult.* Denique ex hac ipſa ad Romanos epiſt. cap. 15. ubi illa verba, *collationem facere in pauperes ſanctorum*, perſpicuè commonſtrant præſentis loci intellectum.

Vulgata lectio verior.

Jam quod ad diverſam lectionem attinet; eam duobus modis exponunt. *Prior ſenſus eſt*: Sanctorum qui vel defuncti ſunt, vel adhuc ſuperſunt, jugiter habendam eſſe memoriam, ut tam doctrinam quàm mores eorum imitando, cum eis communicemus. Ita non ſolùm commentatores ante nominati Ruffinus, Ambr. ac cæteri, verùm etiam Hilarius & Optatus; qui ſententiam ad ſanctos patres vita functos eorumque doctrinam & decreta, expreſsè referunt.

Diverſæ lectionis expoſitio.

Alter ſenſus: Memoriam habendam eſſe ſanctorum pauperum, ſeu privata communicatione bonorum

temporalium ; ſive in collectis ſolemnibus , quæ in pauperes fieri ſolent. Adjungunt hanc expoſitionem ſuperiori Ruffinus & Ambr. ſed quæ ad priorem lectionem multò aptiùs accommodetur, eamque proinde magis confirmet.

Cæterùm Turianus *libr. 4. defenſ. epiſt. pontifi. cap.* 14. etſi propenſior in poſteriorem lectionem, pro qua etiam adfert teſtimonia veterum ſcriptorum , ambas tamen ad hunc modum componi poſſe putat, ut ſenſus ſit , ita nos memores eſſe debere eorum qui ſanctè mortui ſunt , ſed cum levibus quibuſdam maculis , ut eorum neceſſitates , id eſt , pœnas quibus detinentur, orationibus noſtris & eleemoſynis ſublevemus. Senſus quidem catholicus & pius ; ſed qui non videtur eſſe hujus loci. Porrò lectioni priori , & ſenſui quem antè dedimus , benè reſpondet , tamquam affine, præceptum ſequens.

Nota Locum de Hoſpitalitate.

HOSPITALITATEM SECTANTES. Græcè διώκοντες, *perſequentes.* Idem verbum quod in præcepto proximè ſequenti ; ſed hîc acceptum in bonam partem, ideòque bene redditum , *ſectantes* , quemadmodum & 1. Cor. 14. *Sectamini charitatem.* Senſus etiam eſt : Hoſpitalitati cum primis ſtudete : ſedulò eam exercentes erga Chriſtianos hoſpitio egentes , ne videlicet aut exponantur injuriis cœli , aut malorum hominum , aut divertere cogantur apud infideles. Quam poſteriorem rationem indicat Joannes Apoſtolus *in epiſtola ad Cajum.* Neque enim ad eam hoſpitalitatem propriè hortatur, quæ magnificentiæ pars eſt , & non niſi à locupletibus exerceri poteſt : ſed ad eam quæ eſt inter opera miſericordiæ , de qua Chriſtus in fine ſæculi dicturus eſt ; *Hoſpes eram & collegiſtis me* , Mat. 25 De eadem Apoſtolus Heb. 13. *Hoſpitalitatem nolite oblivi ſci.*

Quæ hoſpitalitas in ſcriptutis commenata.

Verbum benedicere penè proprium ſcriptoribus ſacris, & quæ ejus ſignificationes.

14. BENEDICITE PERSEQUENTIBUS VOS. *Benedicite* Græcè εὐλογεῖτε. Quod verbum , perinde ut Latinum benedicere , penè proprium eſt ſacris & eccleſiaſticis ſcriptoribus. Significat autem interdum quidem laudare cum gratiarum actione , interdum verò benè optare , benè precari ; interdum etiam benefacere , ut quoties Deus legitur benedicere creaturis ſuis. Sicut enim ejus dicere facere eſt : ita ejus benedicere benefacere eſt : ut qui alium non habeat à quo precando aut optando quicquam exſpectet. Hoc ſanè loco benedicere non aliud eſt quàm benè precari, benè velle & optare.

Dixi vocabulum hoc tam Græcum quàm Latinum ſcriptoribus eccleſiaſticis penè proprium eſſe. Nam εὐλογεῖν pro laudare etiam apud Ariſtophanem legitur in Equitibus: quemadmodum & benedicere in eodem ſignificato , apud Ovidium libr. 5. Triſtium elegia 3. hoc verſu : *Nec tibi ceſſaret doctus benedicere lector.* & apud Tullium in oratione pro Seſtio : *Cui benedixit umquam bono ?* Hinc benedicta pro verbis ad laudem & gratiam compoſitis ; quibus opponuntur maledicta , hoc eſt contumeliæ & probra. Terentius in Phormione : *Benedictis ſi certaſſet , audiſſet benè.* Cæterùm benedicere pro eo quod eſt benè precari , quomodo in hoc Scripturæ loco & multis aliis ſumitur , ita proprium eſt authoribus ſacris , ut apud prophanos arbitrer nuſquam reperiri.

Benedicere perſequentibus non conſilii, ſed præcepti.

Senſus igitur Apoſtoli eſt : Benè precamini , & orate Deum pro iis qui vobis mortem aut damna moliuntur inferre , vel etiam inferunt ; quales potiſſimùm erant perſecutores Chriſtianæ religionis. Eſt autem hoc non conſilii tantùm , ſed præcepti ; quod inter alia præcepta Chriſtus legiſlator noſter ſtatuit Matth. 5. dicens : *Ego dico vobis : diligite inimicos veſtros , benefacite his qui oderunt vos ; & orate pro perſequentibus & calumnientibus vos ; ut ſitis filii patris veſtri qui in cœlis eſt.* De cujus præcepti intellectu conſulantur commentarii in Magiſtrum *lib. 3. diſt.* 30. Miror autem Eraſmum hoc loco ita dormitaſſe , ut verteret ; *Benè loquamini de iis qui vos inſectantur* ; cùm benè loqui de aliquo , ſit eum laudare : Ipſe verò fateatur in annotationibus , benedicere pro laudare hoc loco accipi non poſſe. Certè pars ſequens ex antitheſi clarè oſtendit , quid hîc Apoſtolo ſit benedicere.

BENEDICERE ET NOLITE MALEDICERE. Græcè μὴ καταρᾶσθε , *ne exſecramini.* Senſus : Benè , inquam, precamini eis , non malè. Quod intellige , vindicandi ſtudio vel affectu: ſicut paulò pòſt declarat, dicens: *Nulli malum pro malo reddentes.* Eſtque ratio manifeſta ; quia vindicare & punire ſcelera , ſolius Dei eſt , & poteſtatis ab eo conſtitutæ.

An malis maledicere aliquando liceat.

Quamquam nec abſolutè malis hominibus mala precari licet; quia contra charitatem eſt , niſi ſint ejuſmodi mala quæ illis in bonum ceſſura ſint , ut flagella temporalia quibus ad Deum revocentur ; aut niſi zelo & approbatione juſtitiæ divinæ id fiat adverſus eos quos certò aut probabiliter conſtet in malitia perſeveraturos. Quomodo legimus aliquando ſanctos prophetas & Apoſtolos , ac nominatim Paulum ipſum , *ut Actor. 23. & 2. Timoth. 4.* mala quædam impiis imprecatos fuiſſe. Neque enim id fecerunt quo ſuas injurias ulciſcerentur , ſed quod ultionem divinæ juſtitiæ , quam malis ac deploratis hominibus impendere videbant , approbando , optarent in eos exerceri. Qua de re vide S. Thomam 2.2. *qu. 25. art. 6. ad 3. & qu. 83. art. 8. ad 1.*

15. GAUDERE CUM GAUDENTIBUS ; FLERE CUM FLENTIBUS. Sic legendum , mss. omnibus editioni Romana ſuffragantibus : non autem imperandi modo, *gaudete , flete*, ut in quibuſdam impreſſis codicibus habetur. Nam in Græco infinitivi ſunt χαίρειν , κλαίειν : exponendi tamen per imperativos ; niſi ſupplendum putes verbum , oportet , vel dico & admoneo , vel ſimile quid. Thomas in utraque parte ſupplet , debetis. Interponunt autem Græca conjunctionem : *flere.* Monet Apoſtolus , ut , quod exigit membrorum ejuſdem corporis ſocialis communio , bona ac mala aliorum , id eſt , proſpera & adverſa , velut noſtra reputemus , atque iis ut propriis afficiamur , lætantes de bonis , dolentes de malis. *Si enim patitur unum membrum , compatiuntur omnia membra ; & ſi gloriatur unum membrum , congaudent omnia membra* , 1. Cor. 12.

Quid, idipſum invicem ſentire.

IDIPSUM INVICEM SENTIENTES. Quidam interpretantur his verbis ab Apoſtolo præcipi concordiam & conſenſum animarum ; ſicut 1. Corinth. 1. cum ait, *ut idipſum dicatis omnes.* Sed hunc ſenſum Græca vix admittunt. Sic enim : τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες , *idem erga vos mutuo ſentientes.* Magis placet ſenſus quem tradunt Chryſoſtomus , Theophyl. & Oecumenius , qui eſt hujuſmodi; Sitis eodem animo alius erga alium affecti : nec quia quiſquam opibus , honoribus , genere aut potentia præſtat aliis ; ideò meliorem ſe vel alium arbitretur iis quibus illa non adſunt : Sed hoc ſolùm in unoquoque conſideret , quod Chriſtianus eſt , quod membrum ejuſdem corporis , quod vocatus ad eamdem ſpem gloriæ futuræ. Ita fiet ut non facilè quis animo efferatur ſupra alium , ſed erga omnes humiliter & æquabiliter ſe gerat. Cui ſenſui congruit quod ſequitur.

Quid alta ſapere.

16. NON ALTA SAPIENTES , SED HUMILIBUS CONSENTIENTES. *Sapientes* , rurſum Græcè φρονοῦντες, quod modò verterat , *ſentientes.* Nec aliud eſt hoc loco, alta ſapere , quàm quod etiam ſuperiori capite prohibuit , dicens : *Noli altum ſapere.* Tantùm ſeparat hîc voces , quas illic uno verbo compoſuit , ὑψηλοφρονεῖν. Cæterùm pro participio *conſentientes* , Græcè eſt συναπαγόμενοι , id eſt , *obſecundantes* , accommodantes vos ; & quod minùs Latinè dicit ſolet , condeſcendentes : licet in quibuſdam codicibus ſit συνεπαγόμενοι , *ſimul ducentes* vel *ducti* , id eſt , unà converſantes. Quod penè idem eſt cum priore.

Proinde *ſenſus eſt* : Non vobiſipſis placentes , tamquam

Quid humilibus conſentire. Nota Locum de cavenda arrogantia.

quam cæteris majores ; non arroganter de vobis ſentientes ; ſed humilibus, id eſt, abjectæ ſortis hominibus, quales ſunt pauperes, ignobiles atque alii mundo deſpecti, vos benignè accommodantes ; nec dedignantes cum talibus, & omninò cum minoribus converſari. Sic ferè Græci interpretes.

Latini verò plerique illud *humilibus* accipiunt in neutro genere : quo magis conſtet ei antitheſis cum nomine *alta*: ſitque idem *humilibus conſentientes*, quod humilia ſapientes, id eſt, humiliter ac demiſsè de ſe ſentientes, juxta illud Davidicum ; *Si non humiliter ſentiebam* Pſalm. 130. Qui ſenſus præferendus videretur, ſi non obſtaret verbum συναπαγόμενοι : quod magis ad perſonam refertur.

Prudentes apud ſemetipſos qui dicantur.

NOLITE ESSE PRUDENTES APUD VOSMETIPSOS. Præceptum idem cum eo quod Gentilibus ad fidem converſis edixit capite præcedenti, ubi nos legebamus, *ut non ſitis vobiſipſis ſapientes*. Igitur *apud voſmetipſos*, id eſt, veſtra ipſorum opinione, & quod Hebræa phraſi dicitur, in oculis veſtris. Videtur enim Apoſtolus, hoc præceptum inculcans, reſpicere ad ſcripturas quibus illud continetur, ut Iſa. 5. *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.* & Prov. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et iterùm : *Ne ſis ſapiens apud temetipſum.* Hebraïcè *in oculis tuis.* Itaque ſenſus Apoſtoli eſt : In rebus agendis ne vobiſmetipſis placeatis velut prudentes, qui alieno conſilio, monitis, inſtructione non egeatis. Hoc vitium è ſuperbia naſcitur, à qua dehortatus eſt parte præcedenti.

Nota ad mores, de vindicta cavenda.

17. NULLI MALUM PRO MALO REDDENTES. Vindictam prohibet ; cujus proprium eſt malum pro malo reddere, malum ſcilicet pœnæ pro malo culpæ. Datur hoc præceptum cuique homini privato. Nam qui publica fungitur poteſtate, *Dei miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit* : ut dicitur ſequenti capite. Eſt autem præceptum planè evangelicum, quod pluribus verbis expoſuit Dominus *Matth. 5. & alibi.*

PROVIDENTES BONA NON TANTUM CORAM DEO, SED ETIAM CORAM OMNIBUS HOMINIBUS. Sic legunt omnes Latini. At in Græco tantùm eſt, *providentes bona coram omnibus hominibus* ; ut Cajetanus audeat dicere, ſex dictiones eſſe ſuperfluas. Certè nec plus legitur apud commentatores Græcos Origenem, Chryſoſtomum, Theodoritum & cæteros. Quæ ſi vera eſt lectio ; fatendum erit (quod mihi ſatis eſt veriſimile) reliquum à quopiam additum fuiſſe ex ſimili, ſed plenori ſententia, quæ habetur 2. Corinth. 8 *Providemus enim bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Ubi Paulus ſine dubio reſpexit ad ſententiam Salomonis Prov. 3. ſecundùm LXX. *Provide bona coram Domino & hominibus.*

Adfertur quidem huc pro Latinis codicibus ex Baſilio locus, qui eſt in regulis brevioribus reſponſione 28. ubi citat hæc verba : *Providentes bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Verum unde ea deſumpſerit, non indicat. Imò quia non dicit, *coram omnibus hominibus*, ſicut hîc legitur ; videri poteſt alterum locum potius attendiſſe, qui habet, *coram hominibus*, aut certè, ut fit, alterum miſcuiſſe cum altero. *Providentes* Græcè προνοούμενοι, quod alii vertunt *procurantes*. Eraſmus *providè parantes.*

Nota ad mores, ita inſtituendas actiones noſtras, ut & Deo probentur & hominibus.

Senſus noſtræ lectionis eſt : Quæ bona & honeſta ſunt, agite & procurate cum ea providentia & circumſpectione, ut non tantùm Deo probentur in conſcientiis veſtris, ſed etiam hominibus accepta ſint, ita ſanè ut nulli ſcandalum pariant. Nam alioqui nec ſimpliciter bona erunt, nec Deo probata. Sic intellecta ſententia convenit cum illis : *Luceat lux veſtra coram hominibus*, Matth. 5. & *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos* 1. Theſſ. 5.

Porrò Græci ſuæ lectionis hunc faciunt commentarium : Non ſufficiat vobis malum pro malo non reddere ; ſed etiam bona providere, id eſt, ſtudere benefacere, ac benè conſulere omnibus hominibus, quamvis etiam inimicis, ac de vobis malè meritis. Sic illi.

Verùm quidem exiſtimo Græcæ lectionis ſenſum non eſſe diverſum ab eo quem priùs dedimus : ſcilicet opera bona providè agenda eſſe, ut iis conſpectis ædificentur proximi, nullus offendatur. Cum enim hic locus ſimilis ſit illi quem citavimus ex *epiſt. 2. ad Cor.* conſentaneum eſt, ut eodem ſenſu accipiatur. Atqui illius loci ſenſus non eſt ambiguus, ut ibi videbis.

18. SI FIERI POTEST, QUOD EX VOBIS EST, CUM OMNIBUS HOMINIBUS PACEM HABENTES. Græcè εἰρηνεύοντες, *pacem colentes, in pace viventes.* Particulam, *ſi fieri poteſt* Eraſmus & Cajetanus adjungendam putant ſuperiori ſententiæ. Movet Eraſmum quod pars ſequens ſuum habeat τὸ ἐν ὑμῖν, *quod*, ſeu *quantum in vobis eſt.* Cajetanum verò, quoniam & id quod præcedit, providere *bona coram omnibus hominibus*, obſervatu difficile eſt.

Alii plerique omnes ſequentibus aſtruunt : eamque lectionem videre eſt apud Hilarium in enarratione Pſalm. 132. & apud Gregorium *liber 8. epiſtol. 45.* Atque id melius arbitror. Nam prior pars abſolutè legitur 3. *Cor.* 8. Neque enim præcipit quod ab aliis hominibus dependeat, ſed quod à nobis. At verò pacem habere cum omnibus hominibus, non eſt in nobis ſitum. Quid ſi enim alii nolint ? Idcircò non ſolùm difficile eſt, verum etiam, ut ſunt multorum hominum improbi mores, impoſſibile ; adeo ut nec ipſe Paulus qui hæc præcipit, potuerit cum omnibus hominibus pacem habere. Meritò igitur Apoſtolus duas addidit clauſulas, generalitatem hujus præcepti limitantes : *Si fieri poteſt*, nempe ſalva juſtitia, pietate ac veritate ; &, *quod in vobis eſt*, ne videlicet à vobis atque ex veſtra parte præbeatur ulla diſſenſionis occaſio : ſed contrà ſtudioſè curetis ea quæ pacem conſervent ac promoveant, cujuſmodi imprimis eſt quod ſequitur.

Nota ad mores, de ſtudio pacis & concordiæ.

19. NON VOSMETIPSOS DEFENDENTES CARISSIMI. Non defenſionem hîc prohibet qua quis verbo factóve ſibi cavet ab injuria. Neque enim damnare poteſt, quod ipſe toties feciſſe legitur in Actis Apoſtolorum. Unde & ait 2. Timoth. 4. *in prima mea defenſione nemo mihi adfuit.* Thomas quidem & Liranus defenſionem intelligunt, ſed exponunt hoc præceptum de præparatione animi. Verùm id præter mentem Apoſtoli. Nam vindictam prohibet, ſicut paulò antè dicens : *nulli malum pro malo reddentes.* Quamquam Cajetanus diſtinguit, dicens illic prohiberi retaliationem ſub ratione odij, hîc ſub ratione vindictæ.

Sed, hac omiſſa ſubtilitate, magis placet, juxta omnes interpretes & ipſum Aquinatem, etiam illic eſſe prohibitionem vindictæ. Id verò nunc repetit ; ut alia deinceps addat eodem pertinentia, ad rem difficilem efficaciùs perſuadendam. Propter quod etiam adjecit illud, *cariſſimi*, Græcè ἀγαπητοὶ *dilecti* ; ſcilicet, ut hac blanda appellatione magis moveat.

Defendere pro vindicare apud interpretem vulgatum.

Cæterùm interpres *defendentes* dixit pro *vindicantes, ulciſcentes.* Eſt enim in Græco ἐκδικοῦντες participium ejuſdem verbi ; à quo deductum nomen ἐκδίκησις, quod ſtatim poſt vertit *vindictam.* Sic & alibi defendere ſumitur in vulgata verſione, ut Judith. 1. *Juravit Nabuchodonoſor quod defenderet ſe*, & cap. 9. *in defenſionem alienigenarum.* Sic olim in pſalm. 8. legebatur, *ut deſtruas inimicum & defenſorem*, videlicet ex pſalterio Romano : ubi nunc ex Gallicano meliùs *ultorem* legit eccleſia.

Sed & hodie in officio eccleſiaſtico canitur ex

Apoc. 6. *Usquequo Domine non defendis sanguinem nostrum*, hoc est, *vindicas*; ut nunc versio nostra habet ex emendatione, quantum existimo, S. Hieronymi: quem verisimile est etiam hoc loco pro *defendentes* reposuisse *vindicantes*; quod apud Sedulium & Chrysologum legitur; aut *ulciscentes*; quod apud ipsum Hieronymum lib. 3. apologiæ adversus Ruffinum; sed per inolitam prioris lectionis consuetudinem (ut in aliis contigit) quod benè repositum erat, excidisse.

Cæterùm apparet circa tempora nostri interpretis defendere pro vindicare usurpatum fuisse etiam à doctis. Nam & Cyprianum invenimus ita locutum in fine lib. de patientia: *Nec defendi*, inquit, *ante Dominum servi irreligiosa festinatione properemus*, hoc est, vindicari. Imò & Tertull. qui verba Dei statim à Paulo citanda sic effert Latinè, lib. 2. contra Marcionem cap. 18. *Mihi defensam & ego defendam.* Dicit Apostolus *vosmetipsos*, Græcè ἑαυτοὺς, id est, quisque seipsum, ut ostendat se loqui de privata injuriarum ultione, non de ea quæ publica fit authoritate, & ob bonum publicum.

Defensa, id est defensio pro vindicta.

Quid, date locum iræ.

SED DATE LOCUM IRÆ. Iram Dei intelligit: ut sensus sit; Ultionem permittite divino judicio: patienter exspectate, dum Deus justus judex ulciscatur injurias vobis illatas. Quod opus Deo proprium, vos ei præripere & quasi præoccupare non debetis. Hoc est quod dicit *date locum*, id est, sinite ut locum habeat. Hunc sensum tradunt Lombardus & Aquinas secuti commentatorem Ambros. & Græcos. Legitur & apud Augustinum in *expositione Psalm.* 78.

Nota ad mores de longanimitate.

Sunt alii qui iram hominis significari putent, ejus scilicet qui facit injuriam; aut verius iram pro homine irato per tropum accipiant, hoc sensu: Cedite iis qui vobis irascuntur & vos oderunt, patienter ferendo eorum injurias, aut etiam subducendo vos ex eorum oculis loci mutatione. Quo utroque modo præceptum hoc exponit Basilius in *regulis brevi. respons.* 244. At solo posteriori Ambrosius *lib. 1. offic. cap. 21.* ubi cedendum iræ docet exemplo patriarchæ Jacob, qui fratri indignanti piè cessit, atque in longinquam regionem discessit, non antè reversus quàm fratrem mitigatum putaret.

Quamquam idem Ambrosius *libr. de Joseph cap. 13.* de ira hominis injuria affecti interpretatur, hoc modo: *Date locum iræ, hoc est, declinemus eam, ne nos illa corripiat.* Verùm quod prius dixi, magis convenit cum phrasi scripturæ. Sic enim & Petrus de Christo scribit 1. epistolæ 2. *Tradebat judicanti justè*, secundùm Græcam lectionem, scilicet Deo. Denique huic intellectui consonat omninò quod sequitur.

SCRIPTUM EST ENIM, MIHI VINDICTA, EGO RETRIBUAM, DICIT DOMINUS. Multi codices *vindictam* legunt accusandi casu minùs benè. Nam Græcè tam hoc loco quàm ad *Heb.* 10 ubi eadem sententia citatur, *vindicta* legitur casu nominandi: quemadmodum & textus habet Ambr. commentatoris, & Hieronymus allegat loco suprà citato. Scriptura est in cant. Moysi Deut. 32. ubi nos ex Hieronymi interpretatione legimus, *mea est ultio, & ego retribuam.* Cæterùm adducit eam scripturam Paulus secundùm Hebraïcam veritatem; in qua ad verbum habetur: *Mihi vindicta & retributio.* Nam LXX. paulò secus habent, *In die vindictæ retribuam.* Addit Apostolus de suo, *dicit Dominus*, ut intelligatur ex cujus persona proferantur ea verba. *Sensus est*: Ad me spectat officium ulciscendi injurias, qui sum judex omnium hominum; *Ego Deus ultionum, Psalm. 93.* Atque hoc meum officium exsequar, quando mihi videbitur. Exsequitur autem Deus non solùm per se, sed etiam per eos quos administros suæ justitiæ in terra constituit; quemadmodum luculentè docetur cap. sequenti. Perfecta tamen exsecutio solius est omnipotentis & omnia scientis Dei.

Dei officium vicisci injurias; quod exsequitur per se & per suos ministros.

20. SED SI ESURIERIT INIMICUS TUUS, CIBA ILLUM; SI SITIT, POTUM DA ILLI. Græcè *Si igitur esurit*, &c. tametsi in nonnullis est ἀλλ' ἐὰν, *sed si.* Locus hic desumptus est ex Salomone Prov. 25. scriptusque totidem verbis quibus eum LXX. reddiderunt. Quamquam & in Hebræo sententiam habet prorsus eamdem. *Sensus hujus partis*: Quin tu contrà potiùs, confer in eum qui te læserit, beneficia, quibus videris eum indigere. Nam nomine cibi & potus (Hebraicè panis & aquæ (etiam cætera necessaria subintelligenda veniunt.

Nomine panis & aquæ cætera vitæ necessaria subintelliguntur.

Neque verò præceptum hoc obligat in sola necessitate extrema, quomodo nonnulli illud exponunt; sed quoties & quandocumque recta ratio dictat proximo necessitatem patienti subveniendum esse. Annotant quidam Græco verbo ψώμιζε, pro quo *ciba* vertit interpres, insinuari cibationem seu pastionem non quamlibet, sed indulgentem ac benevolam. Est enim, ψωμίζειν cum panis aut quidvis esculentum in frustula divisum porrigitur, aut etiam in os cuipiam inseritur, ut infantibus fieri solet. Mihi verisimilius est interpretes LXX. speciem pro genere posuisse in transferenda voce Hebræa, quæ simpliciter cibare significat. Id tamen animo benevolo faciendum, uti cætera misericordiæ opera, nulli dubium est.

Nota ad mores, benefaciendum inimicis.

HOC ENIM FACIENS, CARBONES IGNIS CONGERES SUPER CAPUT EJUS. *Carbones ignis* Hebræa phrasi pro carbonibus ignitis, vivis, ardentibus. Cyprianus *libr. 3 test. ad Quirinum caput. 1.* citat hoc modo, *Carbones vivos superfundentes in caput ejus*: tametsi in Hebræo pro duobus, unum est vocabulum. Sic enim legitur; *quia prunas tu accipis*, vel ut aliter interpretantur, *incendis super caput ejus.* Est autem sermo figuratus: potestque bifariam exponi, vel in malum vel in bonum. In malum sensus satis obvius est, hujusmodi. Ita fiet, ut cumuletur & crescat ei pœna apud Deum, ac si dicat Apostolus: Id si feceris, reddes eum graviori vindictæ obnoxium in judicio Dei: velut si coacerves ardentes carbones super caput ejus. Quod intellige, nisi resipiscat. Ita Chrysostomus, Theodoritus & Theophylactus, & apud Oecumenium Photius scripturam hanc exponunt; & inter neotericos Jacobus Stapulensis, ac alii nonnulli. Sed & Hier. *lib. 1. dial. contra Pelag. cap. 9.* fatetur plerosque sic existimare, uti mox videbimus.

Carbones ignis congerere super caput inimici, bifariam exponitur, vel in malum, vel in bonum.

At verò in bonum exponitur hoc pacto: Si id feceris, tandem ac paulatim accumulatis in eum beneficiis, velut congestis carbonibus, excitabis in eo pœnitentiæ dolorem; simulque eum succendes ad te redamandum: ut pro inimico habeas amicum. Solet enim per ignem amor significari.

Nota ad mores, insignem locum, quomodo beneficiis etiam inimici ad amorem provocandi. Per ignem amor significatur.

Sensum hujusmodi, quod magis ædificet, magisque Christianam sapiat doctrinam, quia jubemur inimicorum salutem quærere, multi amplectuntur, & priori præferunt: imprimis Hieronymus, cujus hæc verba sunt in loco jam citato: *Carbones igitur*, inquit, *congregabis super caput ejus, non in maledictum & condemnationem, ut plerique existimant; sed in correctionem & pœnitudinem: ut superatus beneficiis, excoctus fervore charitatis, inimicus esse desistat.* Quem sensum idem Hier. *in epist. ad Hebib. quæst. 1.* pluribus etiam verbis prosequitur.

Augustinus quoque passim in bonum interpretatur; maximè attendens in carbonibus ardentibus significationem doloris pœnitentiæ, quo utitur & sanatur animus inimici, dum reddi sibi videt bonum pro malo. Loca sunt in expositione præsentis propositionis, *& in enarr. Psal. 78. & in fine serm. de quatuor quæst.* qui est *26. de diversis, ac denique lib. 3. de doctr. Christ. cap. 16.* ubi sic habet: *Hoc cum possit dupliciter intelligi, uno modo ad nocendum, altero ad præstandum: ad beneficentiam te potiùs chari-*

tas revocet: ut intelligas carbones ignis eſſe urentes pœnitentiæ gemitus, quibus ſuperbia ſanatur ejus, qui dolet ſe inimicum fuiſſe hominis, à quo ejus miſeriæ ſubvenitur. Nam ut idem doctor ſcribit in lib. de catechizandis rudibus cap. 4. *Nulla eſt major ad amorem invitatio, quàm prævenire amando. Et nimis durus eſt animus, qui dilectionem ſi nolebat impendere, nolit rependere.* Similiter in bonum exponunt, priori ſenſu rejecto vel poſthabito, Primaſius aliique Latini in hujus loci comment. nec non author *expoſ. in Pſalm.* 93. quæ eſt inter opera Hieronymi, atque ipſius nomine citatur ab Auguſtino *epiſt. 111. ac rurſus in Pſal. 119. expoſit. 2.* Item Cæſarius *in homilia 4.* quæ habetur inter ſermones Auguſtini *de temp. num. 168.* Beda quoque & poſt eum Janſenius *in comment. ſuper Proverbia Salomonis.*

Sunt verò & alii, qui nudè & ſine delectu proponant utrumque ſenſum, & qui in malum ſonat, & qui in bonum, ut Origenes, commentator Ambr. Pelagius, Sedulius & Gaignæus. Quibus adde Eucherium in quæſtionibus novi Teſtamenti. Ac ſanè non deſunt argumenta quæ priorem illum ſenſum probabilem reddant.

Carbones ignis pro vindicta.

Primum quia congruit cum eo quod præcedit, de vindicta injuriarum Deo relinquenda, *Mihi vindicta, ego retribuam. Deinde* ſuadet ipſa phraſis qua utitur Apoſtolus. Nam & alibi velut *Pſalm. 17. & 134.* carbones ignis, pœnas & ſupplicia peccatoribus à Deo irroganda ſignificant: cum è diverſo carbones pro charitate aut pœnitentiæ dolore, nuſquam legamus. Quin totam hanc locutionem, qua carbones ignis congeri & comburi dicuntur ſuper caput peccatoris, in ſignificationem vindictæ poſuit *lib. 4. Eſdræ cap. ultimo.* Qui licet apocryphus ſit, tamen ad intelligendam phraſim aliquam ſcripturæ utilis eſſe poteſt.

Juſti adverſus impios vindictam expetunt & exſpectant à Deo.

Denique, nequaquam à ſcripturis alienum eſt, juſtos adverſus impios, à quibus perſecutionem paſſi fuerint, expetere & exſpectare vindictam à Deo tamquam juſto omnium judice; & de ea, ubi contigerit, tamquam de opere juſtitiæ divinæ gaudere. *Lætabitur* enim *juſtus cum viderit vindictam*, Pſalm. 57. Quò pertinent alia multa quæ in pſalmis & alibi leguntur, de imploratione divini judicii contra malos. Certè ipſe Dominus in Evangelio, *An*, inquit, *Deus non faciet vindictam electorum ſuorum clamãtium ad ſe die ac nocte?* Luc. 18. Clamorem autem hujuſmodi legimus in Apoc. 6. *Uſquequò Domine non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra?*

Sed & ipſius Pauli juxta veram lectionem imprecatio eſt in quemdam 2. Tim. 4. *Reddat illi Dominus ſecundùm opera ejus.* Unde & hoc loco non dicit; iram Dei precibus avertite ab inimico veſtro, ſed, *date locum iræ, ſcriptum eſt enim*, &c.

Vindictam petere quomodo non ſit contrarium charitati & Chriſti præcepto.

Neque hæc adverſantur charitati & Chriſti præcepto, quo jubemur orare pro perſequentibus nos. Sancti enim quorum ordinata eſt charitas, utrumque faciunt: dum & orant Deum pro converſione impiorum, & nihilominus vindicari eorum peccata deſiderant, niſi pœnitentiam agant. Siquidem *juſtum eſt apud Deum*, ait Apoſtolus ad Theſſ. 2. Epiſt. 1. *retribuere tribulationem iis qui vos tribulant.* Quam Dei juſtitiam amant & exerceri deſiderant illi, quorum voluntas voluntati divinæ conformis eſt.

Non ergo qui priorem tradunt expoſitionem ſentiunt eo fine benefaciendum inimico, ut cumuletur ei vindicta apud Deum: quod non eſſet benefacere, ſed malè, (Hunc enim ſenſum in ſuis commentariis diſertè excludunt) verùm ſimpliciter eſſe benefaciendum illi quamvis inimico; nec tamen eum noſtro beneficio evaſurum juſtam ultionem, ſi perſeveret in malitia; ſed futurum, ut ſic etiam graviores in judicio Dei pœnas luat, quòd nec affectus beneficiis, ab odio & nocendi voluntate deſtiterit. Hæc enim dicuntur ad conſolandum & animandum fideles in afflictionibus & perſecutionibus quas injuſtè patiuntur. Unde Cyprianus in *epiſt. ad Demet.* de iiſdem loquens: *Patientes*, inquit, *facit de ſecutura ultione ſecuritas.*

Lex æterna dictat ut omne malum culpæ per malum pœnæ redigatur ad ordinem juſtitiæ.

Hujus autem ratio eſt, quia animus benè ordinatus vult fieri vindictam injuriarum tam ſuarum quàm alienarum, ubi non eſt pœnitentia. Eſt enim hoc legis æternæ, ut omne malum culpæ per malum pœnæ redigatur ad ordinem juſtitiæ. Sciendum eſt apud Salomonem hæc addi verba prioribus: *Et Dominus reddet tibi*: pro quo LXX. *Dominus autem retribuet tibi bona.* Quod ipſum adjuvat ſenſum priorem: ac ſi dicat ſapiens: Illum juſta ſequetur vindicta, quia tibi nocuit: tu quia beneficus in eum fuiſti, mercedem à Deo recipies.

21. NOLI VINCI A MALO, SED VINCE IN BONO MALUM. Elegans antimetabole, qua velut epilogo clauſdit exhortationem ſuperiorem de non ulciſcendis injuriis. Malum Græcè τὸ κακὸν neutri generis, id eſt, malitiam ſeu maleficium: quemadmodum & bonum pro bonitate, id eſt, beneficio accipit. Facere videtur hæc ſententia pro iis qui ſuperiora verba in bonam partem interpretantur, quaſi dicat Apoſtolus: Ne tantùm valeat inimici tui malignitas, ut vindictam de eo exſpectes, & per hoc fias illi ſimilis, id eſt, malus: Sic enim ab ejus malitia vincereris. Nam (ut docet Thomas 2. 2. *quæſt.* 108. *art.* 1.) vincitur à malo, qui vult peccare in alium, quia ille peccavit in ipſum. Sed tu contrà; vince ejus malitiam officiis charitatis, ut ex malo bonus fiat, & ex inimico amicus.

Quid vinci à malo.

Verumtamen nec ſecundùm alteram expoſitionem incommodus eſt hujus partis nexus cum præcedentibus: ſi dicamus Apoſtolum hîc non explicare, quid ſit carbones ignis congerere ſuper caput inimici, nec omninò ad eam poſteriorem ſententiæ partem reſpicere; ſed ad priorem qua dixerat: *Si eſurierit inimicus tuus* &c. & ad illud: *Non voſmetipſos defendentes.* Eſt enim hæc, ut dixi, concluſio quædam doctrinæ ſuperioris de non ulciſcendis inimicis. *Et ſenſus eſt*; Noli vinci à malitia inimici tui, ut teipſum ulciſci velis, non exſpectata Dei vindicta; ſed vince ejus malitiam tua beneficentia. Quod non tantùm fit dum inimicus à malitia convertitur; ſed quotieſcumque beneficium illi præſtatur: inquantum ſcilicet non obſtante ejus malitia virtus beneficentiæ ſua conſtanter exercet opera: imò & occaſione malitiæ alienæ fit auctior atque illuſtrior.

Quid vincere in bono malum.

CAPUT XIII.

Sap. 6. a. 4.
1. Pet. 2. c. 13.
Mat. 22. c. 21.
Exod. 20. c. 14.
Deut. 5. b. 18.
Lev. 19. d 18.
Mat. 22. d. 39.
Marc. 12. c. 31.

1. OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. 2. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. 3. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa: 4. Dei enim minister eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat; Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit. 5. Ideò neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. 6. Ideò enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. 7. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. 8. Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit. 9. Nam: Non adulterabis? Non occides: Non furaberis: Non falſum teſtimonium dices: Non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum in hoc

verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. 10. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. 11. Et hoc scientes tempus: quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. 12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. 13. Sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione: 14. sed induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. *Gal. 5. c. 14. Jac. 2. b. 8. Luc. 21. f. 34. Gal. 5. c. 16. 1. Pet. 2. c. 13.*

SUMMARIUM.

Magistratibus parendum, ut Dei ministris. Reddenda omnibus debita. Proximus diligendus. Quod qui facit, legem implet. Abjectis operibus tenebrarum, induenda sunt arma lucis: adeoque ipse Christus.

Cur Apostoli fidelibus studiosè commendarint obedientiam magistratuum.

1. OMNIS ANIMA POTESTATIBUS SUBLIMIORIBUS SUBDITA SIT. Ne apud principes hujus sæculi & magistratus locorum malè audiret Christiana religio, si qui fortè Christiani legibus illorum & edictis minùs obtemperarent, ac rursum ne ipsi fideles religionis privilegio sese exemptos ab obedientia potestatis sæcularis existimarent (quæ opinio non solùm falsa est & erronea; verùm etiam rempublicam vehementer perturbat:) diligenter eis Apostoli commendabant & inculcabant hoc obedientiæ præceptum. Quam ob causam & Petrus 1. epist. 2. solicitus fuit idipsum fideles admonere.

Nota locum de obedientia superioribus debita.

Verisimile est autem id Apostolos fecisse potissimùm propter eos qui crediderant ex Judæis. Nam de populo Judaico constat ex historia evangelica & Actuum Apostolicorum, nec-non ex Josepho & Suetonio, quod ad rebellandum Romanis semper fuerit proclivis, & tributa pendere detractarit; eo prætextu quòd esset populus Dei, quem liberum ab hujusmodi servitute hominum, præsertim infidelium esse oporteret. Inde nata apud eos Herodis magni tempore secta Galilæorum auctore Juda quodam Galilæo, de quo Gamaliel *Act. 5.* meminit, cujus professio erat non debere Judæos tributum pendere alienigenis: nec quemquam præter unum Deum, Dominum appellare. De qua secta vide quæ scribit Josephus *lib. 20. antiq. Jud. cap. 2, & de bello Jud. lib. 7. cap. 29.*

Judæi ad rebellandum principibus externis proclives.

Secta Galilæorum quæ fuerit.

Quoniam igitur, ut ait Hieronymus in commentario epistolæ ad Titum, *Judæ Galilæi per illud tempus dogma adhuc vigebat, & habebat plurimos sectatores*: idcircò docet Apostolus *principatibus & potestatibus credentes debere esse subjectos.* Accedere potuit & hæc ratio præcepti istius inculcandi, quam adfert Cardinalis Baronius in suis *Annalibus*, *sub finem anni à Christo nato primi*: quòd Christus & Apostoli ejus plerique Galilæi fuerit: ut proinde necesse fuerit Apostolis, suspicionem illius sectæ quæ Galilæorum vocabatur, contrariis præceptis verbo & scripto divulgatis, à se depellere.

Quod autem ad Judæos potissimùm respiciant in hujusmodi præceptis Apostoli, non levis est conjectura, tum ex eo quod Paulus idem præceptum repetat in *epistola ad Tit. cap. 3.* ubi jam superiùs *cap.* 1. eorum qui de circumcisione erant inobedientiam graviter notaverat: Tum quia Petrus suam epistolam in qua idipsum præcipit: æquè ut Jacobus scripsit ad Judæos in dispersione positos. Quod interpres vertit *sublimioribus*, Græcè est ὑπεροχαῖς, *supereminentibus, præcellentibus*; & ita reddidit loco Petri memorato, *Sive regi, quasi præcellenti*: *Anima* pro homine, synecdoche est Hebræis usitatissima.

Petrus & Jacobus suas epistolas ad Judæos scripserunt. Anima pro homine.

Potestates concretivè dixit pro iis qui potestate præditi sunt. Ita namque manifestè sumitur in epistola ad Titum, *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse.* Sic ad Ephes. 6. *adversus principes & potestates.* Et ne parum Latinè id dici putes, ita Suetonius de Claudio Cæsare; *Jurisdictionem de fideicommissis in perpetuum, atque etiam per provincias potestatibus demandavit.* Igitur hoc loco potestates sublimiores sunt homines authoritate publica præditi; sive reges, sive provinciarum præsides, sive quarumcumque urbium ac locorum magistratus.

Potestates pro magistratibus.

Non vult autem hoc præcepto Paulus, omnem prorsus hominem nemine excepto, debere subjectum esse potestati sæculari; in quem sensum, contra pontificum & cleri ecclesiastici exemptionem, perversè locus hic à quibusdam accipitur; Sic enim ipsos etiam reges & principes hoc præceptum comprehenderet. Sed præcipit ut omnes fideles principibus ac magistratibus sub quibus constituti sunt, pareant in iis quæ ad illorum potestatem pertinent. Est enim accommoda distributio.

Exemptio cleri non repugnat Apostoli præcepto.

Quocirca non est consequens, si Petrus ac cæteri Apostoli tunc parere debebant sæculari potestati; nunc quoque pontifices & clerum universum ad idem teneri. Nam posteaquam principes hujus sæculi facti sunt Christiani, & per hoc ecclesiæ filii; justa ratione placuit, ut ipsa ecclesia in iis qui præsunt, ab illorum, ut filiorum suorum, potestate eximeretur. Quo fit ut ecclesiarum præfecti jam sub illis non sint constituti, nec proinde ad eos Apostolicum hoc præceptum pertineat. Quamvis autem tantùm de potestate sæculari Paulus agat hoc loco: sicut eum intellexerunt omnes veteres commentatores tam Græci quàm latini, nec non August. *in epist. 54. quæ est ad Maced.* quod & contextus sermonis & gladii ac tributorum mentio satis indicat: verumtamen idem planè de potestate ecclesiastica sentiendum est; de qua non minus, imò verò magis atque perfectiùs habet veritatem ratio subjuncta.

Christiani principes ecclesiæ filii.

NON EST ENIM POTESTAS NISI A DEO. Potestatis nomine superioritas ipsa qua quis alii vel aliis regendis præfectus est, hoc loco intelligitur; ut est regum, principum, magistratuum; item episcoporum, parentum, dominornm. Potestas autem usurpata, cujusmodi est tyrannorum & latronum, non est absolutè potestas nec superioritas; sicut & leges inutiles ac malæ non sunt leges: tametsi & hoc genus potestatis suo modo à Deo sit; & illi præsentemi sententiam interdum accommodet Augustinus docens eam potestatem qua dæmones & mali homines affligunt & vexant bonos, datam illis esse à Deo. *Neque enim*, inquit, *habet in eos quisquam ullam potestatem, nisi cui data fuerit desuper. Non est enim potestas nisi à Deo sive jubente, sive sinente.* Sic ille lib. 22. contra *Faustum cap. 75.* Similiter accommodat *lib. de natura boni cap. 32.* & *in enarrat. Psalm. 32. conc. 2.* ac alibi. Cujus quidem doctrinæ explicatio pertinet ad ultimam *dist. lib. 2. sent.*

Potestas usurpata non est potestas.

Est autem omnis potestas, id est, superioritas, à Deo instituta tamquam necessaria ad ordinem & pacem humanæ conversationis. Quæ potestas cùm sit duplex, sæcularis & ecclesiastica: sæcularis quidem potestas mediatè est à Deo, per homines qui instinctu legis naturæ sibi præficiunt eos à quibus in commune regantur. Hic enim instinctus à Deo est: ut propterea verè & propriè dicatur, hanc potestatem non esse nisi à Deo: sicut & ab Ecclesiastico dictum est cap. 17. quod Deus *in unamquamquam gentem præposuit rectorem.* Ecclesiastica verò potestas à Deo instituta est immediatè: quia Christus ipse suos Apostolos, & imprimis Petrum ejusque successores ecclesiæ suæ rectores constituit.

Duplex potestas sæcularis & ecclesiastica: utraque à Deo, sed differenter. An omnes principes à Deo.

Ex quo discrimine liquet, ecclesiasticæ potestati non minus, sed magis ac potiùs quàm sæculari, obedientiam à fidelibus deberi; quemadmodum pulcrè ratiocinatur & colligit S. Basilius in *lib. de constit. Monach. cap. 23.*

Quòd verò Græci commentatores annotant non dixisse Apostolum, omnes principes institutos esse à

Deo, ſed ipſam poteſtatem ; eò quod etſi poteſtas à Deo ſit, non tamen Deus ſit author, ut, exempli cauſa, Nero, Domitianus aut Diocletianus principatus gerat : ne contrarium videatur apertis ſcripturis, quæ docent etiam malos principes, non aliunde quam à Deo principandi poteſtatem habere ; exponendum reor, vel de mala adeptione poteſtatis, vel de malo ejus uſu. De quo debet intelligi, quod apud Oſee prophetam cap. 8. dicit Dominus : *Ipſi regnaverunt & non ex me : principes exſtiterunt, & non cognovi*, Rectiùs autem S. Thomas *in commentario* hæc omnia doctè & accuratè diſtinguit, poteſtatem ipſam, modum adipiſcendi poteſtatem, & uſum poteſtatis : docens quid horum & quatenus à Deo ſit, quid & quatenus à Deo non ſit. Ad quem te lector ſtudiosè remitto. Certè de ipſis principibus poteſtate præditis agit ſententia ſequens.

QUÆ AUTEM SUNT, A DEO ORDINATÆ SUNT. Quod in multis codicibus legatur, *ordinata ſunt*, neutro genere ; meritò correctum à Romanis, repoſito fœminino *ordinatæ ſunt*. Sic enim habent meliores codices mss. Nec aliter verti potuit ex Græco, ubi pleniùs ſic legitur : αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι, ὑπὸ θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν. Id eſt ; *quæ ſunt autem*, ſive *exiſtunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt*. Nec ſecus habet Syriaca tranſlatio. *Senſus eſt* : Quæcumque ſunt poteſtates, id eſt, quicumque ſunt homines poteſtate præditi, ut principes ac magiſtratus, ij ſunt ordinati atque inſtituti, & ut Petrus loquitur 1. epiſt. 2. miſſi à Deo, dante poteſtatem & volente, ut eis tamquam ſuis in ea poteſtate vicariis obediatur : quomodo ſi rex quiſpiam det provinciæ aut civitati vicarium gubernatorem ſuis mandatis inſtructum.

Poteſtates, id eſt principes omnes ordinati à Deo.

Falluntur autem qui illud à Deo conſtruunt cum parte præcedenti : quaſi ſenſus ſit, poteſtates quæcumque à Deo ſunt, ordinatas eſſe. Quod etſi verum, non tamen hîc ſignificatum eſt. Tantùm dicit Apoſtolus omnes poteſtates eſſe ordinatas à Deo. Igitur hæc ſententia à ſuperiore qua dixit, *Non eſt poteſtas niſi à Deo*, ferè non alio differt, quàm quòd illi abſtractè de poteſtate loquatur Apoſtolus ; hîc ſenſu concretivo. Cujus argumentum eſt quòd utatur plurali numero ; quemadmodum & ibi, *Omnis anima poteſtatibus* &c. Sed propterea de poteſtatibus, id eſt, principibus repetere voluit, quod abſtractivè de poteſtate dixerat ; ne quis excuſaret & diceret, ſe poteſtatem quidem ipſam venerari, ſed ea fungentes malos eſſe, proindeque indignos quibus obediatur. Quam excuſationem Apoſtolus hac parte excluſit, affirmans ipſos principes à Deo cum poteſtate inſtitutos eſſe.

2. ITAQUE QUI RESISTIT POTESTATI, DEI ORDINATIONI RESISTIT. Pro verbo reſiſtit ſecundo loco legendum putat Cajetanus reſtitit, & mox pro reſiſtunt, reſtiterunt, ſed imperitè, ſecutus malum interpretem. Ubi & Eraſmus lapſus eſt. Nam quod Græcè eſt ἀντίστηκεν & ἀντιστηκότες, ſignificationem habet præſentis temporis, perinde ut ſimplex ἕστηκεν. De quo vide quæ dicta ſunt ad illud cap. 11. *Tu autem fide ſtas*. Concludit Apoſtolus ex præcedentibus, eum qui poteſtati, atque ipſis poteſtatibus, id eſt, principibus poteſtate fungentibus reſiſtit, ordinationi divinæ, adeoque ipſi Deo reſiſtere, à quo ordinatæ ſunt poteſtates. Collectio formam habet ſyllogiſmi : Poteſtates ordinatæ ſunt à Deo : iſte poteſtati reſiſtit, igitur Dei ordinationi reſiſtit.

Qui poteſtati reſiſtere dicantur.

Porrò reſiſtunt poteſtati, quicumque reſiſtunt, id eſt, obedire nolunt legi ſive edicto quod à poteſtate procedit. Nam ſicut ipſa poteſtas, ſic & proprius ejus effectus, id eſt, lex & præceptum à Deo eſt. Qua etiam ratione Dei præceptum vocari poteſt : licet diſtinctionis ac doctrinæ gratia dicantur Dei præcepta, quæ Deum ipſum habent legiſlatorem, id eſt, à Deo profecta ſunt immediatè.

Docet ergo hic locus in Deum peccare, quicumque legem tranſgreditur humanam, à quacumque poteſtate, modò legitima poſitam ; ut etiam in poteſtate civili locum habeat, quod de eccleſiaſtica dictum eſt *Qui vos audit, me audit : & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Luc. 10. Sed ea res ampliùs patebit ex ſequentibus. Cæterùm injuſtis legibus, quoniam à legitima poteſtate ſeu poteſtatis uſu non procedunt, aut non obedire, aut etiam adverſus earum vim ſeſe tueri non eſt poteſtati reſiſtere. Quamquam id vel ob metum majoris mali, vel ne ſcandalum detur infirmis, ſæpè non expedit.

Nota ad mores, quâ ſtricta poteſtati legitimæ obedientia debeatur. Injuſtæ leges non obligant.

QUI AUTEM RESISTUNT, IPSI SIBI DAMNATIONEM ACQUIRUNT. *Ipſi ſibi* Græcè ἑαυτοῖς κρίμα λήψονται, *ſibi ipſis judicium accipient*, utique judicium damnationis ac ſupplicij : quomodo frequenter in ſacris literis judicium ſumitur. *Itaque ſenſus eſt* : eos qui poteſtati reſiſtunt, ſibiipſis damnationem ſeu pœnam juſtè inferendam accerſere, eamque pro merito ſuæ inobedientiæ recepturos eſſe. Sic ad Galat. 5. *Qui conturbat vos, portabit judicium*. Damnationem verò intelligit Apoſtolus vel æternam à Deo inferendam in futuro ſæculo ; quia dixerat, *Dei ordinationi reſiſtit*. Quem ſenſum tradunt commentator Ambroſ. Hervæus & Cajetanus ; atque etiam Auguſtin. *in epiſt.* 54.

Quæ damnatio, quam incurrunt qui reſiſtunt poteſtati.

Ex quo commentario ſequitur, eos moraliter peccare qui reſiſtunt poteſtati. Id quod verùm eſt de iis qui præcepto per inobedientiam ſeſe opponunt. Alioqui contra leges humanas, ſicut & contra divinas, contigit peccari tantùm venialiter. Quo ſi extendatur hic locus, nomine damnationis comprehendetur etiam pœna temporalis infligenda à Deo. Qua generali ſignificatione capiebatur ſuprà capit. 8. in illis verbis, *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto*. Vel damnationem intelligit pœnam à poteſtate cui reſiſtitur inferendam. Quæ pœna non niſi temporalis eſt ; de qua dicebat ille ; *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es*. Luc. 23. Ita ſenſus eſt : Qui reſiſtunt poteſtati, provocant eam adverſum ſe, ut ab ea ſecundùm leges puniantur. Quæ tacita eſt fidelium admonitio, ne dent occaſionem principibus adverſum ſe duriùs agendi.

Senſum hunc excluſo priori tradit Haïmo *in commen.* S. Thomas utrumque ſenſum refert, ut bonum. Conjungunt autem ambos ſimul, Chryſoſtomus ejuſque ſequaces, duplex intelligentes judicium : quod qui poteſtati reſiſtunt, à Deo puniendi ſint & ab hominibus. Pro poſteriori ſenſu multùm faciunt verba Apoſtoli ſubſequentia.

3. NAM PRINCIPES NON SUNT TIMORI BONI OPERIS SED MALI. Græcè, *non ſunt timor bonorum operum, ſed malorum*. Interpres ſenſum conatus eſt exprimere, quem clariùs & pleniùs ita reddas ; Nam principes (ut quidem tales ſunt) non ſunt timendi benè agentibus, ſed malè : non intentant pœnas & ſupplicia bonis, ſed malis. Dico, ut tales, id eſt, inquantum principes ſunt, & ab ordine ſuæ poteſtatis à Deo acceptæ non recedunt : Nam perfectò, quo tempore hæc ſcripſit Apoſtolus, quidam principes uſum poteſtatis ſuæ pervertentes, terrori erant bonis Chriſti fidelibus in quibus bonum opus, id eſt, Chriſti cultum edictis & ſuppliciis perſequebantur.

Principes ut tales, bonis non timendis, ſed malis.

VIS AUTEM NON TIMERE POTESTATEM ? Suggerit conſilium quo fiat ut non timeant poteſtatem, id eſt, eos qui poteſtate funguntur. Timorem intellige ſupplicii : Nam timorem illum, qui alio nomine reverentia vocatur, omnis ſubditus ſuo debet ſuperiori. Unde de eo paulò pòſt dicit. *Cui timorem, timorem*. Nominat Apoſtolus poteſtatem, quia quod ad ipſam poteſtatem attinet ejuſque legitimum uſum, boni non habent cauſam timendi. Secus de

Quis timor poteſtati debitus.

iis qui poteſtate malè utuntur, ut antè dictum eſt.

Quid laudem habere ex poteſtate.

BONUM FAC, ET HABEBIS LAUDEM EX ILLA. Id eſt: juſtitiam cole, & legibus obtempera. Sic fiet ut laudem referas ex poteſtate: vel quia ad poteſtatem pertinet non ſolùm ſuppliciis afficere malos, verùm etiam præmiis honorare bonos; vel ſaltem, ut Cajetanus exponit, malorum comparatione. *Dum enim mala opera puniuntur, laudantur bona. Nam ipſa punitio malorum, laus eſt bonorum.* Priori intellectui convenit quod dicit Petrus 1. epiſtolæ 2. principes eſſe datos *ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Notat Auguſtinus ſerm. 94. de tempore cap. 5. Paulum non dixiſſe *ab illa*, ſed *ex illa. Aut enim juſtè agis*, inquit, *& juſta poteſtas laudabit te; aut juſtè agentem, etiamſi poteſtas injuſta damnet, Deus juſtus coronabit. Ac per hoc, ſive damnet, ſive abſolvat; habebis laudem ex illa.* Tale quid annotat etiam *ſerm.* III. *de diverſis cap.* 13. & in expoſitione *præſentis loci*, ac poſt eum Beda, tranſcriptis illius verbis partim in *hujus loci collectanea*, partim in *comment. prioris epiſt. Petri* ad locum jam citatum *cap.* 2.

Verùm Græci interpretes nihil ejuſmodi obſervant: & qui ex Græco vertunt, pro eodem habent, *ex illa & ab illa* laudem habere. Conſiderat enim Apoſtolus non tam eos qui poteſtatem tenent, ut dixi, quàm in his poteſtatem ipſam, ut à Deo eſt inſtituta; qua continet ac diſponit ordine congruenti res humanas per homines etiam malos: quamvis & per eoſdem interdum affligi ſinat bonos, utique ad eorum ſalutem. Quod utrumque Petrus complexus eſt his verbis 1. epiſt. 3. *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati.*

4. DEI ENIM MINISTER EST TIBI IN BONUM. Referri poteſt hoc vel ad principem vel ad poteſtatem. Utrumque enim præceſſit. Si ad poteſtatem, quod magis apparet, vertendum eſſet, *Dei enim miniſtra* &c. Atque ita legit Tertullianus *in Scorpiaco cap.* 14. Etenim ad utrumque genus commune vocabulum eſt διάκονος, & in fœmineo legitur *ultimo capite* hujus epiſtolæ. *Senſus* tamen unus & idem eſt: Poteſtas, id eſt, qui poteſtate fungitur à Deo inſtituta, princeps ſcilicet aut magiſtratus, eo ipſo Dei miniſter eſt ac Deo ſubſervit, in bonum tuum; ſcilicet ut & juſtè ac tranquillè vivas: imò laudem etiam ac præmia conſequaris, ſi non ab hominibus, certè à Deo cujus ille miniſter eſt. Obſerva probationem rei definitione; quam paulò pòſt complet dicens: *Dei enim miniſter eſt: vindex &c.* Rectè enim definias magiſtratum publicum eſſe miniſtrum Dei in bonum ei qui bonum agit; vindicem autem in iram, ei qui malum facit.

Quid magiſtratus.

SI AUTEM MALUM FECERIS, TIME. Dicens *time*, non præcipit, ſed denunciat. Cum enim dixiſſet: *Vis non timere poteſtatem? bonum fac*: nunc declarat quid exſpectandum ſit ei qui conſilium illud contempſerit, ac ſi dicat: Si verò quid mali commiſeris, ut furtum, adulterium, homicidium; eſt quod timeas. Unde ſequitur.

NON ENIM SINE CAUSA GLADIUM PORTAT. *Sine cauſa*, Græcè εἰκῆ, *fruſtrà*. Dicitur autem id fruſtrà quod non habet uſum. Itaque ſenſus eſt: Princeps ſive poteſtas non fruſtrà gladium geſtat; ſed ut eo utatur, ut eum ſtringat in malefactores. Nomine gladij comprehende etiam cætera publicæ poteſtatis inſtrumenta ad puniendos legum violatores, uti ſunt carceres, ignes, patibula &c. Quorum uſum oſtendunt verba ſequentia.

DEI ENIM MINISTER EST. Vel *miniſtra eſt*, ut ad poteſtatem referatur, quemadmodum ſuprà.

VINDEX IN IRAM EI QUI MALUM AGIT. Gladium inquit, geſtat, ſive poteſtas ſive princeps, tamquam Dei miniſter, à quo gladium accepit, ut ſit *vindex in iram*, id eſt, ut ejus vice ac nomine juſtitiam exerceat vindicativam in puniendis iis qui malum agunt, vel pacem publicam turbantes, vel honeſtatem vitæ communis lædentes. Ad hoc enim inſtituta eſt poteſtas ſæcularis, ut & pacem publicam conſervet, & vitæ communis honeſtatem tueatur.

Poteſtas ſæcularis ad quid inſtituta.

5. IDEO NECESSITATE SUBDITI ESTOTE. Quidam codices habent *neceſſitati*: ſed plures ac meliores, *neceſſitate*, quod editio Romana probavit. Ita namque etiam legunt Auguſtinus, Pelagius, Primaſius, Hervæus, Rickelius: tametſi neutrum legitur apud Ambroſiaſtrum, ſed hoc ſolùm, *Ideoque ſubditi eſtote.* Quæ lectio ſine dubio defectuoſa eſt. Porrò Græca ſic habent: διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, *Ideo neceſſitas ſubdi.* Cujus paraphraſim Syrus interpres hanc dedit: *Et propter hoc neceſſitas nobis ut ſubdamur.*

Nonnulli tamen Græci codices permodico ab alis diſcrimine Latinæ lectioni reſpondent, & quidem utrilibet, ita legentes διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθε. Cæterum tam Latinæ quam Græcæ lectionis idem ſenſus eſt: Propter hoc, inquit, qui princeps ſeu magiſtratus Dei miniſter eſt in ulſciſcendis malefactis; oportet vos ei ſubditos eſſe, id eſt, legibus & edictis ejus obtemperare: oportet, inquam, neceſſitate præcepti. Atque hujus neceſſitatis rationem rurſus explicat, hæc addens.

Principum legibus obtemperandum neceſſario.

NON SOLUM PROPTER IRAM; SED ETIAM PROPTER CONSCIENTIAM. Græci conſcientiam hîc intelligunt beneficiorum quæ populo à principibus publicam pacem & quietem tuentibus proveniunt. Et huc referunt id quod ſubjungitur; *Ideò enim & tributa præſtatis*; ſcilicet in teſtimonium beneficiorum quæ ab illis accipitis. Verùm ſi reſpiciamus ad id quod proximè præceſſit, & ex quo pericopen hanc totam infert Apoſtolus, illud inquam: *Dei enim miniſter eſt* &c. nec non ad conſuetam ſignificationem vocabuli conſcientiæ (neque enim uſquam in ſcripturis ſic accipitur, quomodo Græci interpretantur) multò certè probabilior, imò vera omninò deprehendetur aliorum expoſitio, ſcilicet oportere nos principibus ſubditos eſſe, *non ſolùm propter iram*, id eſt, pœnam evadendam quam leges minantur, de qua jam dixerat, *vindex in iram Dei qui malum agit; ſed etiam & maximè propter conſcientiam*, id eſt, quia animus noſter lege naturali ac divina informatus hoc nobis dictat & loquitur, principibus obediendum eſſe tamquam Dei miniſtris & vicariis; ac proinde nos in Deum peccare ſi minus illorum dictis & imperatis audientes fuerimus.

Quid propter conſcientiam ſubditum eſſe oportere.

Ex hoc loco ſic intellecto (qui ſenſus eſt omnium ferè Latinorum, idemque planus & obvius) manifeſtè ſequitur omnem legem & omne præceptum, quod proficiſcitur ab humana legitima poteſtate, ſive politica de nunc agitur, ſive eccleſiaſtica, ſubditos obligare in conſcientia, id eſt, coram Deo, & non tantùm in foro, ut loquuntur, exteriori enim eſſet propter iram & non propter conſcientiam ſubditum eſſe. Sanè contraria huic doctrina, ſcilicet eſſe aliqua præcepta legitimæ poteſtatis, quæ conſcientiam ſubditorum non teneant obſtrictam, non modò falſa eſt & à ſenſu ſcripturarum aliena; verùm etiam noxia & pietati inimica; quippe quæ homines reddat hypocritas, &, quod alibi vituperat Apoſtolus, ad oculum & non ex animo ſervientes, *Epheſ. 6. Col.* 3.

Nota ad mores, Leges & præcepta humana legitima ſubditos obligare in conſcientia.

6. IDEO ENIM ET TRIBUTA PRÆSTATIS. Græcè τελεῖτε, *penditis, ſolvitis.* Hanc partem quò referant Græci tractores, & quomodo interpretentur, jam dictum eſt. At verò ſecundùm Latinos, quod eſt longè probabilius, novum hîc argumentum adfert Apoſtolus, quo doceat principibus parendum eſſe. Nam ſolutio tributorum ſubjectionis eſt profeſſio. Novæ probationis indicium eſt copulativa conjunctio cauſali poſtpoſita.

Solutio tributorum ſubjectionis eſt profeſſio.

MINISTRI ENIM DEI SUNT, IN HOC IPSUM SERVIEN-

TES. *Servientes*, Græcè προσκαρτεροῦντες, *instantes, incumbentes* cum assiduitate. Hoc enim significat vox Græca, qua eadem usus est superiori capite; *Orationi instantes*. Eadem vis est Syriacæ dictionis hoc loco. Cæterum Augustinus *libro* 4. *de doctrina Christiana cap.* 20. legit, *In hoc ipso perseverantes*. Sensus est: Jure penditis tributa principibus. Sunt enim ministri Dei in conservanda vocis pace & honestate publica; & in hoc ipsum ministerium, in hanc curam assiduè & toti incumbunt, toti vobis & vestris commodis serviunt. Loquitur de principibus ut tales sunt: quod jam antè admonui.

7. REDDITE ERGO OMNIBUS DEBITA. *Omnibus*, id est, tam principibus, quàm aliis quibuscumque. Transit enim ad doctrinam generalem, qua præcipit non solùm principibus ac magistratibus hujus sæculi; sed omnibus omninò tam ecclesiasticis quàm secularbius, tam privatis hominibus quàm publica potestate fungentibus, debita cujuscumque generis esse reddenda. Quod est justitiæ præceptum.

CUI TRIBUTUM TRIBUTUM; CUI VECTIGAL, VECTIGAL. Id est, Cui debetis tributum, ei reddite, tributum. Cui vectigal debetis, ei vectigal reddite, solvite. Hæc autem debita sunt principibus, ut dictum est. Inter tributum & vestigal, Græcè φόρον καὶ τέλος, ita grammatici distinguunr, quod illud pro regione seu prædiis, hoc pro mercibus exportandis importandisve pendatur.

Tributum & vectigal, quo differant.

CUI TIMOREM, TIMOREM. Iis nempe qui præsunt. Timorem intelligit reverentiam. Hæc enim est debitum quoddam, quod omnis subditus debet suo rectori. Ita præcipit Ephes. 5. *Uxor timeat virum suum*. Et cap. 9. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore*. Timorem verò supplicij propriè subditus superiori suo non debet, sed magis sibiipsi; ut per hujusmodi timorem refrænetur à peccando. Ex quibus patet hanc partem non esse contrariam illi quod dixerat; *Vis non timere potestatem? bonum fac*: quod de timore supplicij diximus accipiendum. Cajetanus hæc aliter conciliare conatur, de eodem timore intelligens utrumque. Sed ejus solutio coactior est, nec satis accommodata menti Paulinæ. Quapropter & aliam adhibet ab hac nostra non multùm diversam: scilicet ut hic locus accipiatur de timore offensæ.

Quis timor debitus superiori.

CUI HONOREM, HONOREM. Videlicet omnibus quidem secundùm id quod dictum est capite præcedenti, *Honore invicem prævenientes*; sed maximè principibus ac præfectis: in quibus agnoscere & venerari debemus excellentiam potestatis, quam Deus eis contulit, & qua funguntur ut Dei vicarij: licet ipsi fortè moribus sint improbi. Quum enim propter hanc potestatem honorantur, Deus in eis honoratur: sicut è contrario, dum illi contemnuntur, Deus contemnitur. Hinc moyses ad filios Israël: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*, Exod. 16. Et Dominus ad Samuelem: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. 1. Reg. 8. Porrò cum Apostoli in hoc loco doctrina, sicut dixi, sit generalis; nihil vetat hîc etiam contineri præceptum de honorariis episcoporum & presbyterorum, quos si benè præsint, duplici honore dignos haberi vult, 1. *Tim.* 5.

Quibus honoris debitum reddendum.

NEMINI QUICQUAM DEBEATIS NISI UT INVICEM DILIGATIS. Græcè εἰ μὴ τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους, *nisi hoc* quod est *diligere invicem*; id est, nisi dilectionem mutuam. *Et debeatis* Græcè ὀφείλετε *debete*; quod & *debetis* verti potest, etsi incongruenter hoc loco. Sub nomine debiti percommodè transitum facit Apostolus ad commandandum generale præceptum dilectionis, tamquam debiti cujusdam perpetui. *Sensus est*: Reddite cuique quod debetis, sic ut non ampliùs debeatis, uno debito charitatis excepto. Quo debitum reddere quidem vos jubeo: sed ita ut sciatis vos semper hujus debiti (quod est invicem diligere) manere debitores. Nam cætera debita tributum, vectigal, commodatum, mutuum, depositum ita redduntur, ut cum dederis, jam liber sis à debito: quod propriè est solvere debitum: at mutuæ dilectionis officium, quantumcumque fuerit impensum, semper adhuc debetur: ac proinde redditur quidem hoc debitum, sed numquam solvitur; quippe manente semper obligatione, quæ nos ejus perpetuos facit debitores, ut loquitur August. *epist.* 135. illud adjiciens, quod *eam tantò magis debemus, quantò amplius impenderimus*.

Nota ad mores, charitatis debitum numquam persolvi, sed semper manere.

Testatur idipsum Fulgentius *in sermone cui titulus de charitate*: in quo hæc Apostoli verba latè petractat. Exstat ejusdem Augustini brevis sed insignis ad *Cælestinum diaconum epistola num.* 62. qua sententiam hanc Apostolicam versat, docta & quæ tota charitatem spiret, explicatione.

Dicet aliquis non solùm amorem, verùm etiam honorem omnibus, & timorem superioribus semper deberi. *Respondet* Dionysius Carth. nomine dilectionis comprehendi etiam aliarum virtutum officia erga proximos, quæ omnia à charitate diriguntur, ac revera non debentur, nisi quantum dictat charitas semper omnibus debita.

Quæstio.

Responsio.

QUI ENIM DILIGIT PROXIMUM, LEGEM IMPLEVIT. *Proximum*, Græcè τὸν ἕτερον, *alterum*. Et ita citat August. *lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 17. & *Tract.* 5. *in* 1. *S. Joan. epist.* Ex quo intelligitur quàm generalis sit proximi significatio in præcepto dilectionis proximi; ita nimirum ut significetur omnis alter homo, sive amicus sit sive inimicus; sive propinquus sive extraneus; sive fidelis sive infidelis. Quod etiam ex specialibus præceptis ad proximi dilectionem spectantibus, quorum hic aliqua subjicit Apostolus, evidenti argumento colligitur. Nam si vel unus quispiam homo proximi appellatione non comprehenderetur; non peccaret contra præceptum diligendi proximi, qui rem ei furaretur, aut eum occideret, aut falsum testimonium adversus eum diceret: quod repugnat doctrinæ hujus loci.

Proximi nomen quam latè pateat.

Denique ut intelligas Paulo eumdem esse proximum & alterum: quem hoc loco vocat ἕτερον *alterum*, paulò inferiùs semel & iterùm vocat τὸν πλησίον, *proximum*. Nam quod Faber annotat alterum latiùs patere quàm proximum, quia Deus alter à nobis sit, non tamen proximus noster: alienum id esse constat à mente Pauli, qui verbis consequentibus referens sola præcepta dilectionis proximi, satis declarat, quem hîc alterum intelligat. Ita Jacobus Apostolus epistolæ suæ cap. 4. *Tu quis es qui judicas proximum?* Græcè, τὸν ἕτερον.

Idem Paulo proximus & alter.

Igitur hortatur Apostolus tam Judæos quàm Græcos ad mutuam dilectionem, proposito ingenti fructu hujus operis quem sine eo consequi non possent: qui est legis impletio; de qua tam gravis inter illos exstiterat altercatio. *Qui enim*, inquit, *diligit proximum*, supple ex Evangelio & ex ipso mox Apostolo, *sicut seipsum, legem implevit*, postquam id fecerit. Vel *implevit*, pro implet, id est, perficit.

Qui diligit proximum, implet legem.

Cum qua sententia Paulina pulchrè consonat illud quod Joannem Apostolum dixisse memorat Hieronymus *in commentario epistolæ ad Galat. cap.* 6. Cum enim ætate jam decrepitus non posset longiorem ad discipulos facere sermonem; hoc tantùm per singulas collectas dicebat, *Filioli diligite alterutrum*. Qua de re monitus à discipulis, tædio affecti, quòd semper eadem audirent, & rogantibus, quare semper hoc loqueretur: respondit sententiam se dignam; *Quia præceptum Domini est; & si solum fiat, sufficit*. Nempe hoc idem est quod Paulus dicit: *legem implevit*.

Porrò legem implere & perficere is dicitur, qui

Legm implere quis dicitur.

totam legem opere præstat : adeò ut ne unum quidem legis præceptum transgrediatur. *Qui enim offendit in uno, factus est omnium reus.* Jac. 2.

Quæstio.

Quæritur ergo, quomodo qui diligit proximum legem impleat, id est, totam observet, cùm non sola debiti erga proximum officij præcepta lex contineat, sed etiam, & imprimis, erga Deum ? Unde & diligendi Dei maximum & primum mandatum à Christo vocatur *Matth.* 22. Secundum autem diligendi proximi, simile illi. *In* quibus *duobus mandatis*, inquit, *universa lex pendet & prophetæ.* Cajetanus respondet Apostolum loqui *de lege relata ad homines. Quoniam*, inquit, *tractat de debitis homini. Cujus signum* esse vult, *quòd* non adferat nisi *præcepta debitorum hominibus*, cum de dilectione & cultu Dei jam superiùs, hoc est, præcedenti capite, docuisset Quæ Cajetani responsio etiam aliis quibusdam non immeritò probatur.

Responsio.

Alia responsio.

Subjungit tamen ipse & aliam solutionem ; idcircò rectè dictum quòd qui proximum diligit legem implevit, quia dilectio Dei in dilectione proximi includitur, velut causa in effectu. Quæ eadem est responsio S. Thomæ *in commentario*, consentanea verbis S. Augustini dicentis *in ep.* 95. *scripta* ad Innocentium Papam : *quoniam nisi diligat Deum, nemo diligit seipsum.* Neque enim vera dilectione quisquam diligit proximum, nisi quem in Deo & propter Deum diligit. Unde necesse est ut ipsum Deum principaliter & summè diligat. Quod item declaratur hac ratione : quia nemo diligit proximum sicut seipsum, nisi seipsum diligat. Seipsum autem nemo diligit ut oportet, nisi summum suum bonum quod est Deus, diligat eo modo quo diligi debet, id est, ut summum ac super omnia.

Nec seipsum nec proximum quis benè diligit, nisi Deum diligat.

9. NAM, NON ADULTERABIS, NON OCCIDES, NON FURABERIS, NON FALSUM TESTIMONIUM DICES. Græcè τὸ γὰρ οὐ μοιχεύσεις, &c. *Nam hoc, Non adulterabis.* Erasmus, *Siquidem illa, Non mœchaberis*, &c. Futura modi indicativi pro imperativis Hebræo more posuit Apostolus, sicut habentur in ipsa lege. Probat enim id quod dixerat, enumeratione præceptorum decalogi, quibus ordinatur homo ad proximum. Et hæc quidem quæ recensetur, negativa sunt prohibentia ab injuriis proximo inferendis : sed quæ omnia tamen impleri nequeant, nisi per veram dilectionem.

Quis adulter.

Quis homicida.

Quis fur.

Quis falsus testis.

Breviter hæc præcepta explicemus. *Adulter est*, non solùm qui alienum torum violat, sive conjugatus, sive solutus, seu vir seu mulier : verùm etiam qui conjugatus cùm sit, cum muliere soluta commiscetur : quamvis hoc adulterii genus legibus apud ethnicos puniri non soleat. *Homicida est*, quisquis absque justa authoritate hominem, sive nocentem sive innoxium interficit. *Furatur*, quisquis alienum invito domino aut accipit aut detinet ; sive clam sive palàm per vim id faciat. *Falsus testis est*, quicumque sciens falsum dicit testimonium, præsertim in judicio, & in nocumentum proximi. Quod postremum lex expressit addens, *contra proximum tuum.* Cur Apostolus ordinem mutaverit, qui est in decalogo *Exod.* 20 *& Deut.* 5. ubi præceptum *Non occides*, anteponit præcepto, *Non mœchaberis* : ratio non occurrit, nisi fortè propterea adulterium posuit in capite, quod de eo fugiendo vel imprimis Romanos putaverit admonendos. Nam peccata carnalia, quæ omnia ad hanc prohibitionem revocantur, Romæ & alibi inter Gentiles quàm maximè regnabant.

Duo non concupiscendi præcepta.

NON CONCUPISCES. Neque uxorem, neque rem proximi tui. Nam uno verbo complexus est duo postrema decalogi præcepta : quorum alterum inhibet concupiscentiam uxoris alienæ ad concubitum : alterum concupiscentiam rei alienæ ad possidendum.

ET SI QUOD EST ALIUD MANDATUM. Ut primum secundæ tabulæ, *Honora patrem & matrem* ; quod solum in secunda tabula affirmativum est. Hoc autem ideò fortasse non expressit, quia satis continetur in eo quod jam antè dixerat : *Cui honorem, honorem.* Dicit autem, *Si quod est aliud* &c. non quasi de eo dubitet vir legis peritissimus, sed ut supponens rem notam ; ac si dicat : Et quodcumque est aliud mandatum. Ita Dominus Malach. 1. *Si pater ego sum, ubi est honor meus ?* Et ipse Paulus alibi : *Et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur.* 1. Tom. 1.

IN HOC VERBO INSTAURATUR, DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM. Cum hoc loco prorsus idem est, etsi breviùs expressùm, quod scribit ad Galat. 5. *Omnis lex in uno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Instauratur.* Græcè ἀνακεφαλαιοῦται, *recapitulatur* ; ut legit Augustinus *epist.* 19. id est, summatim comprehenditur, huc velut ad caput, summam, compendium, redigitur ac revocatur : ad hunc, inquam, sermonem, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Nam in Græco repetitur, ἐν τῷ ἀγαπήσεις ; quod Erasmus vertit ; *nempe Diliges.*

Præceptum diligendi proximum, totius legis compendium est.

Habetur hoc præceptum Levit. 19. & à Christo cum insigni commendatione repetitur in Evangelio. Matth. 22. & Marci 12. Nam quod Hieronymus in Levitico vertit : *Diliges amicum tuum sicut teipsum* ; nihil diversum significare voluit. Sunt quidem in Hebræo vocabula diversa עמית *omith*, & רעה *rehe*, quorum alterum Hieronymus vertit proximum, alterum amicum ; sed in eodem capite Levitici, & alibi, passim usurpantur ut synonyma : quod etiam ex ipsa Hieronymi versione facile est ostendere ; pro eadem voce רעה *rehe*, nunc amicum nunc proximum reddentis. Siquidem & LXX. interpres utrumque vocabulum non aliter transtulerunt quam τὸν πλησίον id est, proximum. Quem tamen etiam amicum vocare liceat, non qui amet, sed qui ametur aut amari debeat. Quo sensu dictum est à Christo Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Quo sensu omnis proximus amicus.

Quamquam alii pro amico socium malunt, apto sanè ad rem præsentem vocabulo. Nam ut ait Augustinus epistola 52. de hoc ipso dilectionis præcepto differens : *proximus hoc loco non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est ; in qua socii sunt omnes homines. Nam si pecuniæ ratio socios facit ; quanto magis ratio naturæ, non negociandi sed nascendi lege communis ?* Sic ille.

Quid proximum diligere sicut seipsum.

Porrò quid sit proximum sicut seipsum diligere, satis ostendunt duo generalia legis naturæ præcepta, itidem in scripturis expressa ; alterum affirmativum Matth. 7. *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis* : alterum negativum Tob. 4. *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu alteri facias.*

Ex quibus intelligitur ea parte *sicut teipsum*, non exigi dilectionis æqualitatem ; non enim dicit quantum teipsum : sed similitudinem & formam secundum quam proximus à nobis diligendus sit, & officia dilectionis ei impendenda, sic nimirum, ut dilectio nostri proposita nobis sit tamquam typus, exemplum & regula dilectionis proximi. *Sensus hujus præcepti ad literam est*, ait Cajetanus : *ut diligas proximum eo modo quo diligis teipsum, hoc est amore amicitiæ, quod est velle illi bonum honestum, utile, delectabile, propter illum, non propter te : sicut vis tibiipsi hæc bona propter teipsum.*

10. DILECTIO PROXIMI MALUM NON OPERATUR. Declaratio est ejus quod dixerat, omnia prædicta mandata concludi in uno præcepto dilectionis proximi. Nam *dilectio proximi malum non operatur*, id est, non incitat ad malum aliquod inferendum proximo ; imò nec patitur ei malum inferri : sed ubi potest, procurat ei bona sicut sibiipsi. No-

tandum est enim Apostolum minus dicendo plus significare voluisse. Nonnulli codices Latini cum Græcis fermè omnibus eorumque interpretibus (nam sola nobiscum facit editio Complutensis) legunt *proximo*, casu dandi ; quibus & Syriaca versio favet : ut regatur dativus ille à verbo *operatur*. Cæterùm utraque lectio proba est, & in eumdem recurrit sensum.

Dilectio plenitudo legis, & quo sensu.

PLENITUDO ERGO LEGIS EST DILECTIO. Plenitudo Græcè πλήρωμα, id est, *impletio*, complementum, consummatio, & ut ita dicam, totalis observatio. Potest autem istud vel secundùm superiora limitari ad delictionem proximi hoc sensu: Legis impletio qua parte nos ordinat ad proximum, habetur per dilectionem proximi, & sic conclusio erit ex illa propositione interim probata, *Quin diligit proximum, legem implevit.*

Vel generaliter accipi potest de totius legis impletione, déque dilectione tam Dei quàm proximi : ut sensus sit : Si, ut ostensum est, dilectio proximi implet legem, quoad officia debita proximo ; igitur dilectio simpliciter implet legem simpliciter & quoad omnia. Quod est argumentum à proportione. Voco dilectionem simplicicer qua unumquodque diligitur, id est, tam Deus quàm proximus, quomodo diligi debet.

Sine dilectione lex impleri non potest.

Est autem sententia præcisè & cum exclusione accipienda. Sentit enim Apostolus sic per dilectionem impleri legem, ut sine ea impleri non possit, secundùm id quod dicit Joannes 1. epist. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Estque ea B. Augustini doctrina multis locis : adeò ut in enarratione *Psalm.* 89. tractans illud extremum ; *& opus manuum nostrarum dirige*, pronunciet, *quod omnia bona opera nostra unum opus est charitatis.* Nam, ut ait Gregorius in homilia 27. super Evangelia; *Omne mandatum de sola dilectione est; & omnia unum præceptum sunt : quia quicquid præcipitur, in sola charitate solidatur.* Porrò discimus ex hoc loco,

Observa contra sectarios, Legem Dei posse in hac vita à nobis impleri.

legem Dei in hac vita à nobis impleri posse ; quod negant hæretici; cùm utique negare non possint multos esse, qui proximum diligant. Ex quo secundùm Apostolum evidens & certa consequentia est, eos legem implere.

11. ET HOC SCIENTES TEMPUS, QUIA HORA EST JAM NOS DE SOMNO SURGERE. Verbum *est* de suo supplet interpres. *Surgere* Græcè ἐγερθῆναι, id est, *excitari*, *expergisci*. Pronomen *hoc* non potest referri ad *tempus*, quia genus non convenit : sed referendum ad superiorem admonitionem de implendo præcepto mutuæ dilectionis. Estque etiam hîc supplendum verbum, *ut sit sensus*: Et hoc quod dixi de mutua dilectione exercenda, vel ob id agere debemus, quod sciamus jam tempus esse & horam qua evigilemus è somno peccati. Hunc enim somnum intelligi ostendit quod sequitur de abjiciendis operibus tenebrarum. Et locus alter 1. Corinth. 15. *Evigilate justi, & nolite peccare.* Notandum autem Apostolo non fuisse satis ut diceret tempus esse, Græcè καιρὸν, id est tempus opportunum, sed addidisse quòd jam hora sit, id est, tempus quàm maximè opportunum, idemque breve: ut proinde quod agendum est, jam non ultrà differri debeat.

Somnus peccati.

NUNC ENIM PROPIOR EST NOSTRA SALUS, QUAM CUM CREDIDIMUS. *Propior* Græcè ἐγγύτερον *propius*, adverbium. Potestque sic verti: *Nunc enim propius nobis adest salus* : ut genitivus ἡμῶν ab adverbio regatur juxta Græcam sintaxin, non a nomine ἡ σωτηρία, tametsi potest ab utrolibet. Salus inquit futuræ gloriæ quam exspectamus, nunc vicinior nobis est, postquam in fide Christi magna pars vitæ nobis peracta est: quàm tunc erat quando primùm credere cœpimus, quando baptizati sumus, & per baptismum numero fidelium aggregati. Quocirca tantò majori nunc opus est vigilantia, quantò magis tempus quo salutem exspectamus, appropinquare novimus. Hoc dicit, quod in fidei primordiis, uti post Chrysostomum annotant Theophyl. & Oecumen. ferventiores & ad opera bona alacriores fuissent fideles ; temporis autem progressu refriguissent : quos monet ut spiritum illum priorem alacritatis & fervoris in se resuscitent, adeoque vehementiùs incendant.

Ferventiores ad opera bona novi fideles.

12. NOX PRÆCESSIT. Græcè προέκοψεν, id est, *processit, progressa est.* Et in eum sensum enarrant hunc locum Græci commentatores Chrysostomus & Theophylactus. Item *processit* apud Augustinum legitur *ep.* 80. Ruffinus etiam in interpretando Origene vertit, *nox promovit*, id est, processit. Apud Hieronymum *lib.* 1 *adversf. Jovin. cap.* 22. & in *epistola ad Nepotianum*, ambigua lectio est variantibus exemplaribus. Sed nec omninò constat quomodo noster interpres verterit ; cum proclive sit oscitanti librario literam pro litera scribere.

Pro nostra tamen lectione facit codicum mss. consensus, quodque etiam apud veteres Latinos idem verbum aut aliud ferè synonimum habeatur. Nam Cyprianus *sermone de zelo & livore* legit, *nox transivit.* Hieronymus *in cap.* 26. Matthæi, *nox præteriit.* Commentator Ambrosij titulo, *nox præcessit.* Nec aliter ipse Ambr. *lib.* 5. *de sacrament. cap.* 4. *& serm.* 52. Quod posteriore loco verba ejus sunt : *Præcessit nox. Ubi subjungens, non sequitur,* satis declarat se legisse *præcessit*, non *processit* Denique Syriaca versio sic habet: *Nox nunc præteriit.* Quamquam ista verba *præteriit*, *transivit*, etiam ad alteram lectionem accommodari facilè possunt. Quod enim longè præcessit ut penè recesserit, id jam præteriisse etiam vulgò dicimus. Hoc igitur est quod dicit Apostolus : Nox hujus sæculi plena tenebris errorum & peccatorum longè jam progressa est, ad finem properat, ac fermé jam præteriit.

Nox hujus sæculi ad finem tendit.

DIES AUTEM APPROPINQUAVIT. Id est, Tempus expectatæ salutis & gloriæ, quod est perpetua dies sine nocte, expers errorum & peccatorum, jam propè accessit, propinquum est, instat, non longè abest. Id enim significat verbum præteriti temporis ἤγγικεν, *appropinquavit*: quemadmodum & in evangelio, quoties auditur illud, *Appropinquavit regnum cælorum*, ut Matth. 3. & 4. Non enim significatur jam adesse, sed vicinum esse, paulò post adfuturum. Ita quoque de mundi consummatione & adventu Domini loquuntur Petrus 1. epist. 4. & Jacobus cap. 5. *Omnium finis appropinquavit. Adventus Domini appropinquavit.* Jam & sensus arguit in membro præcedenti potiùs vertendum fuisse *processit* quàm *præcessit.*

Significatio verbi appropinquavit.

Hujus loci Paulini peculiarem commentarium adfert Erasmus tam in paraphrasi, quàm in annotationibus. Noctem enim interpretatur tempus legis Mosaïcæ, quo veritas erat velata : Diem verò, tempus gratiæ per Christum revelatæ. Eodem pertinere vult ea quæ præcedunt, *Nunc enim propior est nostra salus*, ut sensus sit : Posteaquam Christus jam advenit, propinquiores sumus saluti, quàm eramus olim sub Moyse. Nunc enim omnibus illucescit Evangelium, quod olim sub umbra tantùm & figuris cognitum, credebamus aliquandò exhibendum. Sic enim intelligit illud, *quàm cum credidimus*, scilicet olim sub Moyse nos Judæi. Commentarium hunc refert Adamus, & non improbat. Toletus etiam rationes adfert quibus probet. Mihi certè nimis coactum videtur, fidem asscribere statui legis Mosaïcæ : quod Paulus nusquam facit. Nec dicendum fuisset, *dies appropinquavit*, id est, vicinus est : sed jam dudum illuxit. Quocirca magis placet prior expositio quæ eodem Adamo teste, ferè omnium est interpretum.

Erasmi commentarius in hunc locum improbabilis.

ABJICIAMUS ERGO OPERA TENEBRARUM ET INDUAMUR ARMA LUCIS. Quoniam, inquit, nox finem accipit, & dies illucescit ; abjicienda sunt nobis opera noctis & tenebrarum, id est, peccata quæ lucem

Opera tenebrarum peccata; Arma lucis bona opera.

fugiunt: *quia qui male agit, odit lucem*, Joan. 3. & aſſumenda ſunt arma lucis, id eſt, bona opera, quæ clara die ſine pudore poſſunt oſtendi. Ea vocat arma, quia non ſolùm tegunt ut veſtimenta, verùm etiam tamquam arma defendunt ac tutum reddunt hominem adverſus impugnationes diaboli; ſimul ut ſubmoneat vitam Chriſtianam eſſe militiam quamdam ſpiritualem.

Quid honeſtè ambulare.

13. SICUT IN DIE HONESTE AMBULEMUS. *Sicut* Græcè ὡς, *ut*, *tamquam*: proinde ne dividas, quemadmodum nonnulli, *ſicut*. Senſus: Quoniam dies jam affulget, quæ luce ſua omnia detegit, honeſtè, compoſitè, & ut legit Cyprianus loco paulò antè citato, *decenter* ambulandum, converſandum nobis eſt, more eorum qui illuceſcente die veſtes ſumunt honeſtiores: id eſt, ea opera exercenda quæ lucem non reformident.

Nota ad mores, hunc locum de comeſſationibus & crapula fugiendis.

NON IN COMESSATIONIBUS ET EBRIETATIBUS. Repete verbum, *ambulemus*. Enumerat aliquot opera tenebratum quæ dixerat abjicienda, ſcilicet ea de quibus ampliùs neceſſarium putavit admonendos eſſe Romanos. Abeſt in Græco tribus hiſce membris præpoſitio *in*, tametſi non incommodè addita ab interprete. Comeſſationes dicuntur convivia ſeu potiùs ſympoſia, repotia, epulæ, quæ fiunt nulla neceſſitatis, aut honeſtatis ratione poſtulante, ſed tantùm voluptatis & gulæ cauſa. Amb. in commentario & poſt eum Beda ſcribens in illud Luc. 14. *Cùm facis prandium aut cœnam, comeſſationes* definiunt *luxurioſa convivia*, quæ ſic aguntur, *ut neminem pudeat inhoneſtè aliquid dicere aut facere*: dum ſcilicet, *ad hoc convenitur, ut fœda illic gerantur, & copia vini incitetur libidinis diverſa voluptas.*

Sed ea definitio plus exigit quàm velit Paulus. Involvit enim impudicitias, quas ille à comeſſationibus diſtinguit, & collocat in ſequenti membro: quemadmodum & videre eſt *Galat.* 5. ebrietates & comeſſationes in catalogo operum carnis ſeorſum à peccatis impudicitiæ commemorari: nec non à Petro 1. *epiſt.* 4. tametſi veriſſimum eſt hoc gulæ vitio quàm maximè homines ad libidines inflammari, præſertim ubi ad ebrietatem progreditur, hoc eſt, *ad ſuperfluitatem potus extra menſurã rationis hominem ponentis*, ut loquitur Thomas in commentario, docens ebrietatem propterea *ſuo genere peccatum mortale eſſe*, quod qui ſciens inebriatur, videatur *præferre delectationem vini integritati rationis*. Sed & ea definitio fortaſſe contractior eſt quàm pro ſignificatione quam habet ebrietatis vitium in Scriptura ſacra: ſecundùm quam potius, ni fallor, ebrietates interpretabimur violentias, etſi non uſque ad deliquium rationis procedant. Qua de re pleniùs acturi ſumus ad illud 1. Cor. 5. *aut ebrioſus*.

Ebrietas ſuo genere peccatum mortale.

Quæ dicantur ebrietates.

NON IN CUBILIBUS ET IMPUDICITIIS. Secundum expoſitio eſt prioris. Unde Syrus vertit: *non in cubili immundo*. Nam quod Aquinas cubilia interpretatur, vel ſuperfluam dormitionem, vel apparatum luxuriæ, rem profectò non attigit. Etenim Paulus honeſto vocabulo rem inhoneſtam ſignificare voluit. *Impudicitiis* Græcè ἀσελγείαις, Tertulliano *libidinibus*, in fine libri de jejuniis. Similiter Hentenio. Nomen eſt comprehendens omne genus turpium voluptatum.

Cubilia quæ vocet Apoſtolus.

Quid contentio.

NON IN CONTENTIONE ET ÆMULATIONE. Contentio eſt concertatio pro gloria & honoribus adipiſcendis, cui ſemper conjuncta eſt æmulatio, id eſt, invidentia boni alieni. De triplici iſto vitiorum genere, eorumque curatione, vide quæ ſcribit Auguſtinus doctè & graviter in *epiſt. 64. quæ eſt ad Aurelium epiſc. Carthag.*

14. SED INDUIMINI DOMINUM JESUM CHRISTUM. Quidam codices *induite*, quod idem valet. Metaphora frequens apud Apoſtolum, & ab Hebræis accepta, qua Chriſtum, novum hominem, & virtutes Chriſtianas, miſericordiam, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam induere dicimur, ut *Gal.* 3. *Epheſ.* 4. & 6. *Col.* 3. & 1. *Theſſal.* 5. Nec diſſimile illud 1. *Co.*. 15. induere incorruptionem & immortalitatem. Qua locutione ſunt qui copiam tamquam rei undique circumfuſæ ſignificari putent, velut illo verſiculo Pſal. 64. *Induti ſunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento:* ubi in Hebræo eſt: *induerunt ſe campi pecore: & valles operuerunt ſe frumento.* Quibus verbis abundantiam ſignificari teſtatur verbum *abundabunt*, quod LXX. reddiderunt, metaphoram explicantes.

Induendi metaphora quid ſignificet.

Quò referri poſſunt, quæ in Judam proditorem ſcripta ſunt Pſalm 108. *Induit maledictionem ſicut veſtimentum.* Et: *Fiat ei veſtimentum quo operitur, & ſicut zona qua ſemper præcingitur.* Et infrà de Judæis: *Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur ſicut diploide confuſione ſua.* Adfertur & illud Apoc. 19. quod de ſponſa agni dicitur: *Datum eſt illi ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido, quæ juſtificationes ſunt ſanctorum.* Igitur exiſtimant ex ſententia Pauli eos induere Chriſtum, qui virtutibus Chriſtianis acquirendis ita ſtudent, ut iis quaſi totos ſeſe cooperiant: quemadmodum & uſu linguæ Latinæ hominem flagitiis coopertum dicimus eum qui totus flagitioſus eſt.

Induere Chriſtum quid ſit ſecundùm quoſdam.

Alii tamen ea phraſi non plus ſignificatum putant, quàm aſſumptionem qua fiat ut quid arctè ſit homini conjunctum: quomodo veſtis qua quis ſeſe induit, arctè ei conjuncta eſt, & per totum diem adhæret: ut Chriſtum induere dicantur qui Chriſtum ſibi aſſumunt & applicant, ſeque ei conformant, adeoque Chriſtum in ſe quodammodo repræſentant, imitatione virtutum ejus ac bonarum actionum, quæ in illo velut capite perfectiſſimè refulſerunt. Hunc enim ſenſum cætera loca ex Apoſtolo citata, præſertim ex ejus *Epiſtol. ad Coloſſ.* ubi virtutes aliquot nobis induendas abjectis vitiis contrariis, ordine recenſet, exigere videtur. At ſive priore modo ſive poſteriore exponas; liquet quàm nihil faciat hic locus pro juſtitia quam commenti ſunt novi hæretici, imputativa.

Aliorum ſententia probabilior.

Notandum eſt autem reſpicere Paulum ad id quod dixit, *dies autem appropinquavit*. Qua ſcilicet appropinquante ſolent homines honeſtè ſe induere. Ex quo monet ut aſſumamus indumentum honeſtatis ipſum Chriſtum, id eſt, virtutes Chriſti. Et quoniam loquitur de die ſalutis, quæ eadem erit dies æternitatis, cui nox nulla ſuccedet; conſequenter intelligi vult, ita Chriſtum nobis induendum eſſe, ut numquam deinceps exuatur.

Obſerva cõtra ſectarios, de juſtitia imputativa.

ET CARNIS CURAM NE FECERITIS IN DESIDERIIS. *Curam* Græcè φρόνημα, *providentiam in deſideriis*, Græcè *ad deſideria*, ſeu *concupiſcetias*. Non ſimpliciter prohibet curam ſeu providentiam carnis, id eſt, corporis, cum ipſe alibi dicat; *Nemo carnem ſuam umquam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam*, Epheſ. 5. Verùm prohibet ne carnis curam agamus *in deſideriis*, id eſt, ad ſatisfaciendum concupiſcentiis & voluptatibus carnis. Quod faciunt, qui prætextu curandi corporis delicias & voluptates ſibi indulgent.

Nota ad mores, quatenus, Curam carnis agere liceat.

CAPUT XIV.

1. INfirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum. 2. Alius enim credit ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducet. 3. Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum aſſumpſit. 4. Tu qui es, qui indicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum. 5. Nam alius judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem: *Jac. 4. d. 12.*

ũnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. 6. Qui ſapit diem, Domino ſapit. Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. 7. Nemo enim noſtrûm ſib vivit, & nemo ſibi moritur. 8. Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. 9. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit: ut & mortuorum & vivorum dominetur. 10. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti. 11. ſcriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. 12. Itaque unuſquiſque noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo. 13. Non ergo ampliùs invicem judicemus: ſed hoc judicare magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum. 14. Scio, & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt. 15. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur: jam non ſecundûm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. 16. Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum. 17. Non eſt enim regnum Dei, eſca & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu-ſancto. 18. Qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus. 19. Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, in invicem cuſtodiamus. 26. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat. 21. Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. 22. Tu fidem habes? penes temetipſum habe coram Deo: Beatus, qui non judicat ſemetipſum in eo quod probat. 23. Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

2. Cor. 5. b. 10; Iſa 45. d. 23. Phil. 2. b. 10.

1. Cor. 8. d. 12.

Tit. 1. d. 15. 1. Cor. 8. d. 18.

SUMMARIUM.

QVi in fide probè inſtructi ſciunt nullum cibum immundum eſſe, infirmos in fide ſuſpiciant: nec alij alios judicent, Chriſtum judicem omnes habituri: Firmi infirmos ne ſcandalizent, ſed fide ſua apud Deum contenti ſint. Quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

INFIRMUM AUTEM IN FIDE ASSUMITE. Hujus capitis doctrina propriè ad Judæos pertinet, ut diximus in *argum. Epiſt.* Nam qui ex Judæis erant fideles, ægrè adduci poterant ut pro Chriſtiana libertate qua per Chriſtum inter alia liberati erant ab onere legis Moſaicæ, veſcerentur cibis lege vetitis, à quibus ſemper abſtinuiſſent: utque dierum diſcrimina lege præſcripta & à majoribus accepta, negligerent. Ægrè, dico, propterea quod vel in fide parum firmi eſſent ac provecti, vel ab antiqua & inolita conſuetudine ſeſe revocari moleſtè ferrent. Quod nihilominus etiam ad infirmitatem fidei pertinebat. Imò probabile eſt infirmos de quibus Apoſtolus, in ea pleroſque opinione fuiſſe, ut exiſtimarent cibos à quibus lex prohibebat, per ſe ſuaque natura immundos eſſe, & ob eam cauſam lege prohibitos: maximè quod eos immundos identidem lex appellat. Indicat hoc Paulus infrà, quum è contrario dicit ſe ſcire & perſuaſum eſſe, *quia nihil commune per ſeipſum.* Quæ res illic pluribus à nobis explicatur.

Infirmos in fide quos vocet Apoſtolus.

Nec ideò tamen illi mortaliter peccabant, tamquam *mediante creatura culpam in Deum refunderent*, quod adverſus hanc rationem objicit Hugo Victorinus. Cum enim infirmi eſſent fide, nec ſubtiles ingenio; non videbant eam conſecutionem quam Hugo facit; ut in multis aliis contingit affirmari aliquid ex quo ſequatur abſurda, quæ aſſertor antecedentis numquam conceſſerit. At verò qui in fide erant firmiores, indifferenter & promiſcuè quibuſlibet cibis utebantur, ſcientes legem mortuam eſſe, *& nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*, 1. Timoth. 4.

Infirmorum excuſatio à peccato mortali.

Porrò utraque pars in alteram peccabat. Nam qui abſtinebant, edentes judicabant velut legis ac paternæ conſuetudinis violatores: Hi contrà deſpiciebant illos ut infirmiores; nec habebant rationem ſalutis eorum. Imò ſcandalum præbebant, exemplo ſuo provocantes eos ad comedendum contra conſcientiam ea quæ lege erant vetita.

Tam abſtinentes quam edentes qua ratione peccaverint.

Huic diſſidio cum periculo fratrum conjuncto, Paulus curationem adhibens corripit utroſque: ac docet ſublatum quidem eſſe diſcrimen ciborum ac dierum lege præſcriptum, nec quicquam eſſe per ſe immundum, ſed ea libertate & ſcientia prudenter ac ſine ſcandalo fratrum utendum eſſe. Quo in argumento immoratur uſque ad finem capitis.

Diſcrimen ciborum dierumque lege Moſaica præſcriptum à Chriſto ſublatum.

Dixit doctrinam hanc peculiariter ad Judæos dirigi. Nam ad Gentiles extendi non poteſt: ut quibus ſimpliciter non licebat obſervare legalia, ne quidem propter infirmos Judæos. Quod puto ſatis eſſe manifeſtum *ex Epiſt. ad Galatas.* Quare nec ad id faciendum ullo modo exhortandi erant. Adde quod Apolus vult, ut non manducans manducantem non judicet, ſcilicet tamquam legis aut moris patrij violatorem. Quod profectò nihil ad Gentilem, cui lex data non fuerat. Quare nec propteteà firmior dicendus erat.

Itaque placere non poteſt quòd expoſitores quidam manducantes hîc intelligunt Gentiles: quamvis & Hieronymus inveniatur ita ſenſiſſe *libr. 2. contra Jovinian. cap. 11.*

Ex quibus apparet etiam illos ſenſum Apoſtoli minus aſſecutos eſſe, qui præſentem ejus doctrinam cum ea quam de idolothytis tradit 1. Cor. 8. & 10. ita confundunt, ut etiam hunc locum ad immolaticios cibos aut referant, aut extendant. Nam eſum idolothytorum non Judæis, apud quos id fuiſſet intolerabili, ſed ſolis Gentilibus, extra ſcandali periculum, permittit. Cur autem ſecum ipſe non pugnet Apoſtolus, qui hîc tolerari vult Judæos ciborum adhuc diſcrimina ſervantes: alibi verò in hoc genus Judæorum tamquam in hæreticos acriter invehitur, ut ad Tit. 1. dicemus poſt pauca ad illud: *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.*

18. De idolothitis hic non agit Apoſtolus.

Nunc ad Pauli verba veniamus, quæ in Græco ſic habent: *Eum qui infirmatur fide, aſſumite.* Ex quo ſatis intelligitur illud, *fide*, referendum eſſe ad infirmum, quod Græcè participium eſt præſentis temporis, non ad verbum aſſumite. Nam & infrà ſic abſolutè loquitur: *Deus enim illum aſſumpſit.* Item ſequenti capite, *Propter quod ſuſcipite invicem.* Et utique, de qua loquatur infirmitate, additiuncula quapiam erat ſignificandum.

Igitur ſenſus eſt. Vos qui firmiores eſtis in fide, eum qui fide infirmus eſt, id eſt de beneficio Chriſti ac libertate per eum adepta nondum ſatis inſtructus ac perſuaſus, ut ea uti audeat; denique nec ſcientiam habens, quod nihil per ſe ſit immundum, aſſumite, id eſt, ad converſationem vobis adjungite, & habete ut fratrem: nec repellite tamquam alienum à Chriſto, quin potiùs ut infirmum & cura egentem fovete.

Quid aſſumere Paulo.

13. NON IN DISCEPTATIONIBUS COGITATIONUM. Græci μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. Quod Eraſmus vertit: *non ad dijudicationes diſceptationum.* Rectiùs ita vertas: *non ad certamina diſputationum.* Nam verbum διακρίνεσθαι inter alia ſignificat certare verbis, altercari, ut in Epiſt. Judæ, ubi duo verba, quorum hîc derivata nomina habentur, itidem conjuncta legimus: *Cum Michaël Archangelus cum diabolo* διακρινόμενος *διελέγετο, certans diſputaret.*

Non eſt autem hîc repetendum verbum aſſumite: niſi fortè demutata paululum ejus ſignificatione. Alioquin huic parti non convenit. Nam in bonam partem accipitur aſſumere, prout jam explicatum eſt; quemadmodum & infrà, locis jam citatis: ubi in Græco ſemper idem eſt verbum προσλαμβάνεσθε. Proinde vel ſupplenda vel exponenda erit oratio in hunc modum: Infirmum aſſumite: non autem provocate ad certamen diſputandi. Nolo, inquit, cum eo, ſub prætextu doctrinæ Evangelicæ, contendatis. Quam-

Infirmi non exagitandi diſputationibus, ſed tolerandi.

vis enim ignoret & erret opinione : tamen adhuc tolerandus est, nec importunis disceptationibus inquietandus, ne fortè offensus resiliat ab incepto.

2. ALIUS ENIM CREDIT SE MANDUCARE OMNIA. Rem velut exemplo ob oculos ponit, hinc firmum statuens, inde infirmum : ut utrumque sui moneat officij. Græcè : *Hic quidem credit edere omnia*, id est, credit ac persuasum habet se posse, sibi licitum esse, quibuslibet uti cibis. Et rectè ita credit. Similis locutio est Genes. 3. *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso, vescimur*, id est, vesci nobis licet. Et Luc. 1. *Virum non cognosco*, id est, cognoscere mihi non licet.

Manducare pro edere, interpreti familiare.

Porrò manducare propriè quidem est cibum dentibus conficere. Sed interpres sui sæculi consuetudinem secutus, id passim usurpat pro comedere, vesci.

QUI AUTEM INFIRMUS EST, OLUS MANDUCET. Græcè λάχανα ἐσθιει, *olera manducat, comedit* : quemadmodum & citat Clemens Alexand. initio *lib. 6. stromatum*. Ita veteres Latini, ut Tertull. *lib. de jejuniis*, cap. 15. *olera viscitur*, Græco nimirum casu retento. Hieronym. scribens in Ecclesiastæ 2. *oleribus vescitur*. Idem lib. 2. adversus Jovinianum & in commentariis Isaiæ 1. *olera manducat*. Quæ eadem lectio est commentatoris Amb. nec non ipsius Ambrosij *in expositione* Psalm. 36. Syriacè, *olus manducat*; quod etiam in nonnullis est mss. Latinis. *Sensus* : Qui autem infirmus est fide, comedit olus vel quid simile, quod lege Mosaïca constat non esse prohibitum, abstinens à prohibitis. Speciatim olus nominat, quo significatur omnis herba sativa quæ in usu cibario est : eò quòd nihil herbarum lege vetitum fuerit.

Cur olus nominet Apostolus.

Quidam sic : Olus manducat à carne penitus abstinens, ne fortè incidat in carnem immolaticiam. Sed jam ostendimus hîc de immolaticiis non agi. Cæterùm Hieronymus alicubi præceptivè legit, accommodans sententiam suo instituto, ut epistol. 10. ad Furiam cap. 4. *Nihil*, inquit, *ita scias conducere Christianis adolescentibus ut esum olerum. Unde Apostolus, Qui infirmus est, olera manducet ; ardorque corporum frigidioribus epulis temperandus est.* At sanè modus præceptivus haud convenit huic loco : Nondum enim docet, aut præcipit Apostolus : sed factum ponit. Jam autem sequuntur præcipientis verba.

3. IS QUI MANDUCAT, NON MANDUCANTEM NON SPERNAT. Hoc est : qui firmus in fide vescitur quibuslibet, eum qui ob fidei infirmitatem abstinet à quibusdam, *non spernat* ; id est, non præ se contemnat tamquam fortis imbecillem. Sic nonnulli. Sed rectiùs alij : *non spernat*, id est, non habeat vilem ejus salutem, scandalum ei ponendo, dum exemplo suo facit eum comedere contra conscientiam. Sic & Satyricus loquitur : *Nec tu pueri contempseris annos*. Et huic sensui conveniunt quæ infrà dicuntur de scandalo, nominatim illud, *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*. Et iterùm, *Noli propter escam destruere opus Dei*. Quod enim hîc dixit *spernere*, illic dicit *perdere, destruere*. Est hoc loco verbum Græcum ξεδενείτω, id est, pro nihilo reputet, Tertullianus, *nullificet*. Idemque verbum infrà repetitur. Verè enim fratrem nullificat, qui exemplo perdit.

Quid spernere non manducantem.

Nota ad mores, de cavendo scandalo infirmorum.

Judicare pro condemnare.

ET QUI NON MANDUCAT, MANDUCANTEM NON JUDICET. Id est, non comdemnet tamquam legis transgressorem, aut immundo cibo se contaminantem.

DEUS ENIM ILLUM ASSUMPSIT. Illum scilicet manducantem, assumit in servum & cultorem suum ; & proinde non est ab alio judicandus. Qui sensus pater ex sequentibus. Non dicit non esse judicandum eò quòd non peccaret. Hoc enim nondum erat infirmo persuasum : ut qui putaret illicitum esse quibuslibet vesci. Quapropter argumento utitur generaliori, quod explicatur verbis sequentibus : *Tu quis es*, &c.

Quidam hoc quod dicit, *Deus enim illum assumpsit*, referunt ad non manducantem, quem dixerat non esse spernendum. Cujus optima ratio est, quia Deus illum assumpsit, id est, non sprevit, non abjecit, sed in curam suam suscepit. Quare nec tibi spernendus est ; sed assumendus, sicut initio monuit, *Infirmum in fide assumite*, ut hæc ætiologia similis sit illi, quæ est capite sequenti, *Suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos*. Quod si placet ; dicendum esset singulas rationes singulis esse reddendas sententiis transpositis ad hunc modum ; *Qui manducat, non manducantem non spernat. Deus enim illum assumpsit. Et qui non manducat, manducantem non judicet. Tu* enim *quis es, qui judicas alienum servum*? Expositio non improbanda.

Aliorum non improbabilis expositio.

4. TU QUIS ES QUI JUDICAS ALIENUM SERVUM ? Græcè οἰκέτην, id est, *famulum domesticum*. Est enim allusio ad hominem alienæ familiæ curiosum ; & quæ in ea aguntur judicantem, ac si dicat : etiamsi peccaret edendo (quod tibi non liquet) non tamen à te judicandus & condemnandus esset, sed domino suo relinquendus, ut ille de facto famuli sui inquireret & judicaret. Augustinus in expositione hujus propositionis, colligit ex ea doctrinam generalem : *ut in his rebus quæ possunt & bono animo fieri & malo : judicium Deo dimittamus, nec audeamus de alterius corde quod non videmus, ferre sententiam*. Porrò Chrysost. & Theophylact. hac parte putant objurgari manducantem, id est, firmiorem in fide, quod infirmum judicet tamquam malè agentem. Nam ad infirmum pertinere videtur quod sequitur : *Domino suo stat aut cadit*. Verùm longè probabilius est Apostolum hîc alloqui non manducantem : de quo jam exposui. Is enim peccabat judicando, sicut manducans spernendo : ut patet ex superioribus. Unde & posteà compellans utrumque dicit : *Tu autem quid judicas fratrem tuum ? aut tu quare spernis fratrem tuum ?* videlicet singula referens ad singulos : judicare ad non manducantem, spernere ad manducantem. Quod ergo nunc sequitur

Nota Doctrinam generalem de factis aliorum non temere judicandis.

DOMINO SUO STAT AUT CADIT. Græcè *proprio domino*. Hoc de manducante dicitur, & hunc habet sensum : Non tuum est eum judicare quasi peccantem, edendo quæ tu putas immunda. Habet dominum ac judicem suum Deum, sive Christum ; à quo absolvetur, si benè agat, vel condemnabitur, si malè. Hoc enim est domino suo stare aut cadere, à domino suo absolvendum esse aut condemnandum. Alii *stat aut cadit domino suo*, interpretantur : Benè agit aut malè, commodo aut detrimento domini sui. Sed prior sensus germanior est. Sunt enim hæc vocabula stare, cadere, fori judicialis. Et alioqui nec ratio valeret. Non enim si absque meo detrimento quis malè agit, ideò mihi non est judicandus. Jam & id quod sequitur, sensum exigit quem dixi.

Servus domino suo stat aut cadit, & quo sensu.

Stabit autem. *Sabit* Græcè σταθήσεται *stabitur*, stabilietur, tametsi benè vertit interpres, *stabit*. Est autem verbum fiduciæ, quo veluti corrigit præcedens disjunctum stat aut cadit : ac si dicat : Imò tibi affirmo, quod non cadet, non condemnabitur judice domino suo, sed stabit, id est, absolvetur. De hoc loco vide Aug. *lib. de corrept & gratia cap.* 12.

POTENS EST ENIM DEUS STATUERE ILLUM. *Statuere*, id est, efficere ut stet, sensu jam dicto. Quamvis, inquit, homines in fide non satis instructi eum judicent, id est, condemnent : tamen Deus potens est eum absolvere & suo judicio justificare : quod & faciet. Hac parte satis significat Apostolus quo sensu dixerit servum domino suo stare aut cadere. Manducans enim ex fide, & per hoc benè faciens ; quantum quidem ad hoc attinet, non erat erigendus à domino suo ut staret ; sed absolvendus à falso crimine violatæ legis aut immundiciæ ex cibo contractæ, quod ei infirmus imponebat.

5. NAM ALIUS JUDICAT DIEM INTER DIEM. Quem-

Quemadmodum de cibis, ita & de diebus diſceptatio erat inter fideles ex Judaiſmo converſos. Sicut enim diſcretio ciborum erat lege Moſaica conſtituta; ut alii mundi eſſent, alii immundi; ſic & dierum, quorum alii ſerviles erant, alii non ſerviles, ut maximè ſabbatum. De diebus igitur agit nunc Apoſtolus. Græcè legitur hæc pars abſque cauſali vocula: ὃς μὲν κρίνει ἡμέραν παρ' ἡμέραν. *Hic quidem judicat diem ad*, vel *juxta diem*. Pro quo Hieron. in Jovinian. ſcribens, legit, *plusquàm diem*, Syrus vertit *præ die*. Quæ omnia præpoſitione παρὰ poſſunt ſignificari. Nam quod habet verſio qua utitur Auguſtinus, *judicat alternos dies*, minus huic loco poteſt accommodari. Cujus *ſenſus* eſt hujuſmodi: qui fide adhuc infirmus eſt, diem cum die comparat, & inter eos diſcernit; dierum facit diſcrimen, alium præ alio eligens, dum ſabbata, neomenias & alia feſta ſecundùm legem obſervat: intellige, quantum extra ſacrificii locum obſervari poterant.

Diem inter diem judicare quid ſit.

Quid judicare omnem diem.

ALIUS AUTEM JUDICAT OMNEM DIEM. Id eſt: Qui firmior in fide eſt & novit ſublatum eſſe per Chriſtum Moſaicum illud diſcrimen dierum, peræquè æſtimat omnem diem; inter dies nec judicio nec opere diſcernit. Non ſolùm autem ciborum, ſed & dierum diſcrimina fuiſſe Judaizantibus in obſervatione, conſtat ex *Epiſtolis ad Galat.* 4. & *Col.*

Quæſtio Reſponſio. Obſerva contra Sectarios, contra jejunia & abſtinentias & ſolemnitates eccleſiaſticas pravè detorquentes hũc locum.

Cæterùm ex data jam interpretatione totius hujus loci, quæ quod ad ſummam rei pertinet, omnium commentatorum eſt, atque ex ipſius Apoſtoli ſcopo, liquet, quàm pravè ea quæ hîc dicuntur, detorqueant hæretici contra certorum dierum jejunia, quorumdam ciborum abſtinentias, ac feſtorum dierum obſervationem lege vel conſuetudine in Eccleſia præſcriptam: cùm utique conſtet Apoſtolum loqui de diſcrimine ciborum ac dierum obſervato ab iis qui ex Judæis Chriſtiani facti, legi Moſaicæ ac priſtinis obſervantiis adhuc tenaciùs inhærerent. Nam quod ad Eccleſiæ leges attinet; dubium eſſe non debet, quin ullæ ut juſtam habent obligandi rationem pro tempore novæ legis, ita vere & in conſcientia filios Eccleſiæ obligatos teneant.

Eccleſiæ leges obligant in conſcientia.

UNUSQUISQUE IN SUO SENSU ABUNDET. *In ſuo ſenſu*, Græcè ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ, id eſt, in propria mente. Et pro verbo abundet legitur πληροφορείσθω. De cujus ſignificatione plura dicemus infrà. Porrò ſententiam plerique non ſolùm Latini, verùm etiam Chryſoſtomus & ejus ſequaces ita exponunt: Quiſque ſuo ſenſui permittatur; & juxta hoc quod judicat ſinatur agere. Liceat unicuique ſuæ mentis judicio frui, & ut habet textus Amb. commentatoris, *ſuo quiſque conſilio remittatur*. Quo ſenſu etiam ab Hieron. citatur *in epiſt. ad Auguſt. num.* 94.

Quid unumquemque in ſuo ſenſu abundare: & quam malè à quibuſdam intellectum. Obſerva contra ſectarios, libertatem religionis invehere volentes.

Ad hunc verò modum intellecta ſententia multi abuſi ſunt ad ſtatuendam religionis in republica libertatem: qua ſcilicet unuſquiſque liberè & impunè permittatur credere quod voluerit. Nam id vocant abundare in ſuo ſenſu.

Quidam ut his reſpondeant, dictum Apoſtoli reſtringunt ad actiones adiaphoras, cujuſmodi erat illo tempore apud Judæos fideles delectus ciborum legis. Nam qui diſcernebant inter cibos atque inter dies, id facere poterant, non ex errore, ſed recta opinione de talibus imbuti, ſuamque hanc obſervationem ad bonum aliquem finem referentes, velut ad hoc ut carnem ſuam caſtigarent, Deum placarent, rebus divinis vacarent. Hæc reſponſio non placet. Nam manifeſtum eſt Apoſtolum aſſcribere errorem ei qui diſcernit: quia vocat eum infirmum in fide, & dicit eum ſcandalizari & contriſtari alio non diſcernente.

Proinde reſpondendum, imprimis Apoſtolum loqui non de quacumque materia religionis, ſed de re præſenti, id eſt, de dierum & ciborum diſcrimine ſecundùm legem Moſaicam & morem paternum obſervando vel non obſervando. Nec enim de quæſtione juſtificationis, utrùm ex lege ſit an ex fide, dixiſſet: *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, ac de aliis ejuſmodi. De quibus graviter Theophyl. Chryſoſt. ſecutus: *Quando ſermo eſt*, inquit, *de dogmatibus vel doctrina; non oportet nos proprio ſenſu abundare, ſed quæ accepimus firmiter tueri; etiamſi vel angelus è cœlis aliud prædicaret.*

In quibus non permiſſum proprio ſenſu abundare.

Prætereà dicimus cum Chryſoſtomo, non id velle Paulum, infirmos illos ſimpliciter animi ſui judicio permittendos eſſe, tamquam in re vel indifferenti vel levicula; ſed temporis maturitatem exſpectandam. Non enim ſtatim ac ſimul avocandos eſſe (quod fieri non poteſt) à ſuis conſuetis obſervationibus; ne forte turbati retrocedant ac deſerant fidem ſuſceptam; ſed ad tempus tolerandos, atque paulatim inſtruendos pleniùs. Quod & factum eſt opera Apoſtolorum, non Romæ tantùm & per loca Gentilium, verùm etiam Jeroſolymis; ubi ſicut Act. 21. legitur, ex Judæis plurimi in Chriſtum crediderant; qui tamen omnes erant æmulatores legis. Tolerabantur autem ad tempus, cùm ob rationem memoratam, tum ob reverentiam Moſaicæ legis, vtpote ſynagoga cum honore ſepeliretur. Quæ etiam cauſa fuit ut & ipſi Apoſtoli, & inter hos Paulus, infirmis fratribus ſeſe accommodantes, ubi locus & tempeſtas poſtulabant, legalia adhuc obſervarent: etſi certiſſimi ſe ad ea non teneri.

Quatenus ſuo judicio permittendi infirmi.

Quod autem ad eos attinet qui pertinaciter retinere volebant ciborum mundorum atque immundorum diſcrimina; quique ſuum hoc dogma paſſim inter fideles diſſeminabant; non de eis diceret Apoſtolus: *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet:* quippe quos alibi tamquam ſeductores & errorum magiſtros acriter inſectatur, ut in *Epiſt. ad Tit.* 1. cui & præcipit, dicens: *Increpa illos durè, ut ſani ſint in fide.* Cur autem & Galatas ad inſtituta Judaica dilapſos idem Apoſtolus tanta verborum aſperitate caſtiget, ut dicat eos tranſlatos in aliud evangelium, ut vocet inſenſatos & faſcinatos; utque propter illam legalem dierum obſervationem dicat eis, *Timeo ne fortè ſine cauſa laboraverim in vobis*, Galat. 1. 3. 4. ea ratio eſt, quia Galatæ Gentiles erant, quibus ut jugum Moſaicæ legis, quam numquam acceperant, imponeretur, nullo modo ferendum erat; ne lex conniventibus Apoſtolis etiam ad Gentes propagata, putaretur ad ſalutem eſſe neceſſaria; quod pſeudoapoſtoli Galatis perſuadere nitebantur. At infirmi qui hoc loco tolerari jubentur inter Romanos, Judæi erant, in obſervatione legis patrum ſuorum à cunabulis educati.

Cur Galatæ non permiſſi obſervare legalia.

Jam verò pro meliori intelligentia Paulinæ ſententiæ paulò preſſiùs expendenda nobis eſt ſignificatio verbi Græci pro quo nos legimus *abundet*. Budæus quidem in commentario linguæ Græcæ verbum πληροφορέω vult idem eſſe quod compertum habeo, certiſſimè novi. Et Eraſmus in annotatione ſuper præfatione Evangelii ſecundum Lucam, πληροφορεῖν exponit plenam facere fidem. Et hujus verbalia πληροφορίαν certam fidem, quæ fit argumentis aut re exhibita, & πληροφόρημα, quod nos vulgò dicimus certificationem. Huc primùm allegatur illud hujus Epiſtolæ, cap. 4. *pleniſſimè ſciens*, Græcè πληροφορηθείς. Item quod in memorata præfatiuncula legitur, *quæ in nobis completa ſunt rerum*, Græcè τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. Quod ita vertit Origenis interpres (Ruffinum arbitror) *quæ in nobis manifeſtiſſimè ſunt cognita, compertæ, oſtenſæ: quod tamen*, inquit, *uno verbo Latinus ſermo non explicat.* Eraſmus autem ita reddidit: *quæ inter nos certiſſimæ fidei ſunt.* Adferuntur & alia loca quæ mox citabimus.

Extenditur ſignificatio verbi Græci πληροφορέω.

Hanc porrò Græcæ vocis ſignificationem non-

nulli perſuaſi veram ac genuinam eſſe, cenſent eam ſcribendam in tertia ſyllaba per ω, πληροωφορεῖν, πληροωφόω & cætera: videlicet ἀπὸ τῆς φωρᾶν, quod eſt comperire, deprehendere. *Sed hos falli* perſpicuum eſt. Nuſquam enim verbum illud (de derivatis eadem ratio) niſi cum *o* parvo tertiæ ſyllabæ legitur apud authores. Deinde ſi à verbo φορᾶν, deduceretur, ſcribendum eſſet πληροφορᾶν eadem terminatione: quod æquè alienum eſt à ſcriptoribus. Adde quod non ubique congruit illa ſignificatio plenæ ac certæ cognitioni, ut 2. Timoth. 4. *Miniſterium tuum imple.* Et iterùm: *ut per me prædicatio impleretur.*

Sententia verior, eademque pluribus explicata.

Quocirca magis hîc aſſentior Joanni Haſſelano & Franciſco Riberæ, quorum ille in commentario hujus loci, quem mss. apud me habeo; iſte verò exponens illud Hebr. 6. *ad expletionem ſpei uſque in finem* docent non plus ſignificare verbum πληροφορεῖν, quàm plenitudinem ferre ſive adferre, id eſt, uno vocabulo, implere: quemadmodum & πληροφορεῖσθαι plenitudinem habere, id eſt, impleri, abundare, & πληροφορίαν plenitudinem, abundantiam. Componuntur hæc à verbo φέρειν ferre, ſicut multa alia ſimilis formæ, ut δωροφορεῖν dona ferre, κυοφορεῖν uterum ferre, ὁπλοφορεῖν arma ferre, ῥαβδοφορεῖν virgam ferre. Sic ergo πληροφορεῖν plenitudinem afferre.

Cujus autem plenitudinem, id ex re ſubjecta qua de ſermo habetur, intelligendum. Nam interdum quidem cognitionis ac fidei; interdum ſpei; nonnunquam officii, vel cujuſpiam ejuſmodi, plenitudo ſignificatur. Cognitionis ut hujus Epiſtolæ cap. 4. *pleniſſimè ſciens*; & Coloſſ. 2. *In omnes divitias plenitudinis intellectus.* Fidei, ut Hebr. 10. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.* Spei, ut Heb. 6. *Ad expletionem ſpei uſque ad finem.* Officii, ut 1. Theſſal. 1. *In plenitudine multa ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis.* Item in duobus locis 2. Timoth. 4. paulò antè citatis. Denique rerum actarum ut Luc. 1. *Quæ in nobis completæ ſunt rerum.* (Sic enim & Hieronymus legit in procœmio commentarii ſuper Matthæum) id eſt, quæ apud nos in Judæa actæ ſunt, & uſque ad finem perductæ. Nam res Chriſti ſalvatoris in terra geſtæ complentur & finiuntur ejus aſcenſione in cœlum: in qua & Lucas Evangelium ſuum concludit.

Senſum verò quem Ruffinus & Eraſmus illuc intulerunt, minus congruere, ſentiet qui mentem Evangeliſtæ eo loco propiùs introſpexit: ut non hoc etiam dicam, nullius Græci ſcriptoris teſtimonio doceri, πεπληροφορημένα dicantur ea quorum plena facta eſt fides. Uſi ſunt & LXX. interpretes verbo paſſivo Eccleſiaſtæ 8. Qui locus apud Hieronymum Latinè ſic legitur: *Quia non eſt contradictio facientibus malum cito, ideò repletum eſt* (ἐπλήρωται) *cor filiorum hominum in eis, ut faciant malum.* Ubi certè non aliud in verbo Græco quàm quòd Latinè redditum eſt, intelligi oportere, patet ex Hebræo. Sic enim ad verbum habet: *Idcirco plenum eſt cor filiorum hominis in eis ad faciendum malum*, id eſt, pleno & toto corde dedunt ſe malis agendis. Quod ſua verſione ſic expreſſit Hieronymus: *Abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Declaratur autem ex loco ſimili Geneſ. 6. ubi ſcribit Moyſes vidiſſe Deum, quod *cuncta cogitatio cordis* hominum *intenta eſſet ad malum.*

Ut igitur ad noſtrum inſtitutum redeamus: quod Paulus Græcè hoc loco dicit, ita ſonat: *Unuſquiſque in propria mente plenitudinem habeat.* Sed quæritur quam aut cujus rei plenitudinem? Multi de quibus ante, referunt ad libertatem opinandi ſeu judicandi, quaſi dicat Apoſtolus: Cuique plenè ac planè liberum ſit mentis ſuæ judicium. Cujus commentarii ſanum intellectum itidem ſuprà dedimus.

Alii verò plenitudinem intelligunt perſuaſionis: hoc ſenſu: Unuſquiſque in mente ſua plenè perſuaſus ſit, licere ſibi id quod facit; nihil faciat re pugnante aut dubitante conſcientia, ne peccet. Quem ſenſum volunt aliorum quorumdam verſiones, ut Eraſmi: *Unicuique ſua mens ſatisfaciat.* Fabri, *Unuſquiſque in ſua mente ſatisfaciat.* Hentenii *Unuſquiſque propriæ menti ſatisfaciat.* Huc ſpectat etiam Syriaca traſlatio Latinè reddita ad hunc modum: *Unuſquiſque in ſcientia* ſeu *cognitione animæ ſuæ confirmetur.* Huc expoſitioni probabilitatem conciliant quæ infrà dicuntur, ubi perſuaſionem ejuſmodi vocat fidem; docetque peccatum eſſe, quicquid ex fide non fit.

Apoſtolicæ ſententiæ germanus intellectus.

Cum qua utique ſententia valdè congruit, quod juxta expoſitionem jam datam, hîc præcipitur, ut *unuſquiſque in ſenſu ſuo abundet*, plenitudinem habeat, id eſt, in animo ſuo plenè perſuaſus ſit, ſibi licere quod agit: alioqui peccaturus; eò quòd agat contra conſcientiam. Eſt igitur hæc inſtructio tam diſcernentis quàm non diſcernentis, quæ ad hoc ſaltem valeat, ut neuter peccet ſciens. Neque enim diſcernentem omninò à peccato liberat. Porrò quæ ſequuntur, doctrinam continent eò pertinentem, ut uterque ab altero vel ſpernendo vel judicando deinceps abſtineat.

6. QUI SAPIT DIEM, DOMINO SAPIT. *Domino*, intellige Chriſto: ſimiliter in ſequentibus, *Domino manducat*, *Domino non manducat*, *Domini ſumus.* Hunc enim intellectum poſtulat id quod pro ratione ſubjungit; *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Et quidem paſſim in epiſtolis Apoſtolicis Domini vocabulo Chriſtus ſignificatur: ut qui ſit omnium noſtrûm Dominus, noſque ſervos ſuos fecerit jure redemptionis. Addunt Græci Syrique codices: *Et qui non ſapit diem, Domino non ſapit.* Quod & Græci interpretes Chryſoſtom. & poſteriores exponunt. Verùm apud Origenem non legitur, nec apud quemcumque Latinorum.

Chriſtus noſter Dominus jure redemptionis.

Nec temerè ſuſpicatur Eraſmus à quopiam additam hanc partem, ut eſſet negatio quæ præcedenti affirmationi reſponderet. Sapere diem, quod Eraſmus vertit *curare diem*, Græcè φρονεῖν τὴν ἡμέραν, eſt, diei habere rationem, diem obſervando diſcernere: tametſi putat Cajetanus nullum exſtare verbum Latinum quod huic Græco propriè reſpondeat. Certè ejuſmodi eſt, quod in bonam partem accipi ſoleat; ut ad extenuationem infirmitatis fratrum videatur hîc à Paulo uſurpatum *Senſus*: Qui ita ſapit ut diſcernat diem à die, dum alium diem præ alio ſecundum legem obſervat; id facit ad honorem Chriſti Domini, utpote Chriſtianus, qui didicerit & noverit omnia quæ facit in nomine Domini Jeſu-Chriſti facienda eſſe, *Col.* 3. Vel certè ad honorem Chriſti Domini id facit, quem ut Deum, etiam Moſaicæ legis agnoſcit ac veneratur authorem. Et qui ita ſapit ut non diſcernat dies, ſed indifferenter habeat omnem diem: id quoque facit ad honorem Chriſti, utens libertate Evangelica ſibi per Chriſtum conceſſa. Sentit Apoſtolus ita utrumque de altero exiſtimare debere; quòd nimirum ad Chriſti Domini faciant honorem, idipſum quod faciunt: etiamſi in altero, id eſt, ſapiente diem, zelus ſit non ſecundùm ſcientiam: ideoque factum ejus peccato non careat.

Quid ſapere diem, aut non ſapere.

Omnia in nomine Domini Jeſu facienda.

ET QUI MANDUCAT, DOMINO MANDUCAT. Id eſt, qui ſine delectu veſcitur quibuſlibet, exiſtimandus tibi eſt id facere ad Domini gloriam. Tacitè ſignificat, id quod paulò pòſt apertiùs docet, quicquid agimus, agere nos debere non nobis, ſed Domino. Unde *Zac.* 7. reprehenduntur Judæi quod ſibi non Domino jejunaſſent, comediſſent atque bibiſſent.

GRATIAS ENIM AGIT DEO. Scilicet manducaturus ; juxta illud ejuſdem Apoſtoli 1. Timoth. 4. *Nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Adeoque ex evangelio manifeſtum eſt, Chriſtum ſolere cum gratiarum actione, cibum ac potum benedicere, priuſquàm ſumeret aut ſumendum daret, *Matth. 15. & 26. Marc. 8. & 14. Luc. 22. & Joan. 6.* Quod & habet perpetua fidelium conſuetudo. Gratias, inquam, agit Deo pro largitate ejus & beneficentia, qua cibos creavit & dedit in uſum hominum. Quæ gratiarum actio manducantis, argumentum eſſe debet non manducanti, illum Domino manducare, id eſt, ad honorem Chriſti Domini, cui gratias agit.

Nota ad mores, Cibũ & potum benedicendum exemplo Chriſti.

ET QUI NON MANDUCAT, DOMINO NON MANDUCAT. Qui abſtinet, inquit, à cibis lege vetitis, licet id ex infirmitate fidei faciat, tu tamen exiſtima id eum, quia Chriſto nomen dedit, propter honorem Chriſti Domini ſui facere. Præcipit ut proximorum facta in meliorem partem interpretemur, & id in eis conſideremus, quod bonum eſt. Sic enim ſolemus aliorum errata excuſare, dicentes, fecit bona intentione. Pulchrè S. Bernardus ſermone 40. ſuper Cantica. *Etiamſi*, inquit, *perperam actum quid deprehendas, nec ſic judices proximum, magis autem excuſa. Excuſa intentionem, ſi opus non potes: puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum*, & quæ ſequuntur.

Nota ad mores, Quomodo proximorũ facta in meliorem partem interpretanda.

Neque hoc diceret Apoſtolus, ſi abſtinentia ejuſmodi, licet ex imbecillitate fidei profecta, non poſſet ad Domini gloriam referri. Qua ratione multa quæ in eccleſia à ſimplicioribus utriuſque ſexus aguntur in cultu Dei, & veneratione ſanctorum ejus: etſi cenſuram alicujus ſuperſtitionis apud ſeveros Theologos omninò effugere nequeant ; excuſari tamen poterunt, atque à fide & intentione qua ad Dei gloriam referuntur, etiam commendari. Denique ex his probabilis fit eorum ſententia, qui dicunt hominem poſſe eodem actu peccare & benefacere, ſi ad diverſa reſpiciatur. Quod manifeſtius apparet in iis qui, quia parcè ſeminant, parcè & metent. 2. *Corinth. 9.*

Hominem poſſe eodem actu peccare & benefacere.

ET GRATIAS AGIT DEO. Nimirum pro cibis lege conceſſis quibus utitur. Non dixit Apoſtolus ſicut de manducante, *Gratias enim agit Deo.* Nam illic gratiarum actio, veluti dictum eſt, argumento erat, manducantem Domino manducare. Qui vero non manducat, in eo quod non manducat, non agit Deo gratias de cibis conceſſis, ſed in eo quod quibuſdam utitur, licet ab aliis abſtineat. Nec neceſſe eſt hanc gratiarum actionem, quod nonnulli faciunt, ad donum abſtinentiæ referri: præſertim quod hæc abſtinentia non virtutis erat, ſed infirmitatis.

Locum hunc de manducante & non manducante Oecumenius refert ad jejunia ſpontanea ; ut manducans dicatur non jejunans; non manducans verò jejunans. Sed hoc præter mentem Apoſtoli; qui non manducare tribuit ei qui fide infirmus eſt, putans aliquem cibum eſſe communem, id eſt, immundum ; ut infrà dicitur. Porrò ſi quis indicta eccleſiæ jejunia nulla neceſſitate ſolvit, non in ejus excuſationem dici poterit, *Qui manducat, Domino manducat* ; ſed id tamquam manifeſtus eccleſiaſticæ legis tranſgreſſor increpandus eſt & puniendus.

Qui violant indicta eccleſiæ jejunia, nõ ſunt excuſandi, ſed increpandi & puniendi.

7. NEMO ENIM NOSTRUM SIBI VIVIT : ET NEMO SIBI MORITUR. Loquitur ex perſona cujuſque boni fidelis, qualem quiſque alium exiſtimare debet, niſi diverſum conſtet. Quomodo etiam accipiendum quod ſequitur.

8. SIVE ENIM VIVIMUS, DOMINO VIVIMUS: SIVE MORIMUR, DOMINO MORIMUR. Senſus hujus loci eſt : Nemo noſtrûm vivit propter ſe, id eſt, ad ſuam ipſius gloriam aut commodum, tamquam finem ſuæ vitæ ; ſed ad gloriam Domini, cujus eſt ſervus: & nemo noſtrûm eligit mori propter ſe, ſed propter Dominum: juxta quod de ſeipſo dicit idem Apoſtolus, Philip. 1. *Magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam ſive per mortem.* Probat ſuperiora argumento à toto ad partem. Nam ſi boni fideles ad Dei gloriam referant totam ſuam vitam, adeoque & mortem: igitur & in eo quòd manducant, & quòd non manducant, Dei ac Domini gloriam ſpectare cenſendi ſunt.

Chriſtianus omnia ad gloriã Chriſti Domini agere debet.

SIVE ERGO VIVIMUS, SIVE MORIMUR, DOMINI SUMUS. *Domini* caſu gignendi, id eſt, Chriſto Domino addicti ſumus, tamquam ſervi : utpote qui vitam & mortem & omnia noſtra ad illius (ut ita dicam) commodum, id eſt, honorem referamus. Quod eſt eorum qui benè ſerviunt. Infert autem hoc Paulus ex eo, quod proximè præcedit. Nam ideò Domino vivimus & Domino morimur, quia Domini ſumus. Nec tantùm vult dicere nos Domini eſſe, dum vivimus hac vita mortali ; & Domini eſſe in ipſa morte, quia vitam hanc amittimus : verùm etiam & maximè poſt mortem in ſæculo futuro : quemadmodum patet ex ſubjuncta confirmatione, qua non morientes ſed mortuos nominat.

9. IN HOC ENIM CHRISTUS MORTUUS EST ET RESURREXIT, UT ET MORTUORUM ET VIVORUM DOMINETUR. In hac parte varietas eſt lectionis. Primùm multa Latina mss. conjunctionem, quæ in poſteriori membro geminata eſt, etiam congeminant in priori: *& mortuus eſt, & reſurrexit.* Quod & decorem addit dictioni, & Græcis codicibus conſonat. Qui quidem ſic habent : *In hoc enim Chriſtus & mortuus fuit & reſurrexit & revixit, ut & mortuorum & viventium dominetur.* Niſi quod in nonnullis pro ἀνέζησεν *revixit*, legitur ἔζησεν *vixit*, quemadmodum & habent Græca Chryſoſtomi, Theophylacti & Oecumenii commentaria. Verbum *vixit* etiam apud Ambroſ. habetur: ſed primo loco poſitum. *Et vixit, & mortuus eſt & reſurrexit*: Quæ eadem fermè lectio eſt Irenæi *lib. 3. cap. 20.* & Auguſtini de *morib. Manich. cap. 14.* Syrus idipſum in medio collocavit: *Mortuus eſt & vixit & ſurrexit.* Origenes, ut ex ejus commentario planè conſtat, tantùm legit: *Mortuus eſt & vixit.*

Jam & veterum codicum Latinorum quidam non contemnendi pro *reſurrexit*, habent *revixit*. Quod & legitur in *Epiſt. 1.* Anacleti Papæ : ut meritò ſuſpectum haberi poſſit verbum *reſurrexit* occupati loci alieni ; quum ad alterum explicandum fortè in margine aſſcriptum fuiſſet. Nam & Chryſoſtomi Græca quædam exemplaria verbum ἀνέστη non agnoſcunt. Itaque ſic arbitror ; alteram harum eſſe lectionem germanam, *Et mortuus eſt & revixit*, vel, *& mortuus eſt & vixit*. Nam harum utrique, præſertim poſteriori aptiùs reſpondet quod ſequitur, *ut & mortuorum & vivorum* (Græcè, ζώντων, *viventium*) *dominetur*, ac ſi dicat Apoſtolus : Quomodo mortuus eſt Chriſtus, ut mortuorum dominetur : ita rurſum vixit, ut dominetur viventium.

Lectio germana hujus loci.

Priori quidem lectioni ſimile eſt illud Luc. 15. *Frater tuus hic mortuus erat & revixit.* Poſterior autem, cui dixi partem ſubjunctam aptiùs reſpondere, Hebraïſmum redolet, *vixit*, id eſt, vitam accepit ſive recepit : ſicuti paſſim, *poſſedit*, id eſt, acquiſivit, poſſeſſionem accepit ; quemadmodum & capite ſuperiori, *credidimus*, id eſt, fidem ſuſcepimus. Ita dictum eſt Apoc. 20. de animabus martyrum : *Et vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto*, id eſt, vitam beatam acceperunt. Et mox de aliis : *Cæteri mortuorum non vixerunt donec*, &c. id eſt, vitam non receperunt. Quo ſecundo loco, perinde ut in priore, noſter interpres haud dubiè legit in Græco ἔζησαν : quod &

Hebraïſmus in verbis vixit, poſſedit, credidit.

Aretæ textus habet, & Complutenſis editio, licet in aliis pleriſque codicibus, hac parte mihi ſuſpectis, ἀνέζησαν legatur. Hanc certè lectionem præſentis loci maximè probat exacti judicii vir F. Lucas: ad cujus notationem te remitto.

Porrò confirmat Apoſtolus illationem ſuperiorem, docens quamobrem nos & viventes & morientes, ſive mortuos, Domini eſſe dixerit: & proinde omnia facere Domino, id eſt, Chriſto. Id docet ex jure redemptionis. Nam Chriſtus morte ſua nos redimens, ſervos ſibi fecit; factuſque eſt omnium noſtrûm Dominus. Inſinuatur hac ſententia, Chriſtum, quamvis ſit Dominus omnium hominum, peculiari tamen ratione eſſe Dominum bonorum & fidelium. Hos enim non ſolùm ſibi ſubjecit (quod & malis ac reprobis ipſiſque dæmonibus commune eſt) verùm etiam redimendo, ſibi ſervos, id eſt, ſervientes & obedientes fecit; nec ſolùm pro tempore vitæ præſentis, cujus fines excedere non poſſunt ſervitutes humanæ; ſed etiam, multoque perfectiùs, pro ſæculo futuro & numquam terminando, de quo ſcriptum eſt Apoc. 22. *Et ſervi ejus ſervient illi*, utique beata ſervitute. Nam ſequitur: *& regnabunt in ſæcula ſæculorum.*

Chriſtus jure redẽptionis Dominus noſter, noſque ejus ſervi.

Addit Apoſtolus, *& reſurrexit*, ſeu potiùs *& vixit* ſcilicet poſt mortem; non quod reſurgens ad vitam Chriſtus nos redemerit; ſed quod illius reſurrectio fuerit idea quædam & exemplar noſtræ reſurrectionis, qua reſuſcitandi ſumus ad vitam æternam & beatam: Ex quo futurum ſit, ut ipſe perfectè mortuorum & vivorum dominetur: Vel, ſecundùm alios; quia niſi revixiſſet, dominari non poterat. Non enim dominaretur Chriſtus homo, niſi eſſet homo. Ponit autem vivos poſt mortuos, ut oſtendat ſententiam ſuam maximè veritatem habere de iis qui vivunt poſt mortem.

Reſurrectio Chriſti idea quædam noſtræ reſurrectionis.

Quæret aliquis, cur Apiſtolus dicens Chriſtum dominaturum etiam mortuis; non contradicat ipſi Chriſto dicenti: *Non eſt Deus mortuorum ſed viventium*, Matth. 22. Reſponſio. Aliud eſt vocari Deum mortuorum, aliud eſſe Dominum mortuorum. Nam multa ſunt quorum Dominus eſt Deus: quorum tamen Deum ſe vocari nolit. Deinde mortui in verbis Chriſti intelliguntur omninò mortui & non reſurrecturi; quomodo de mortuis hominibus ſentiebant Sadducæi: Paulus verò de mortuis loquitur ſpe certiſſima victuris, quales Abraham, Iſaac & Jacob.

Queſtio.

Reſponſio.

10. TU AUTEM QUID JUDICAS FRATREM TUUM? Compellat hac parte non manducantem, id eſt, eum qui fide infirmus eſt, ut patet ex ſupradictis. Sequenti autem parte manducantem alloquitur.

AUT TU QUARE SPERNIS FRATREM TUUM? Græcè *aut etiam tu*, quaſi dicat: ſed nec tu quamvis fide firmior, reprehenſione cares, quod infirmi fratris tui rationem non habeas, ac ſalutem ejus curare non videaris, ut qui manducando ſcandalum ei præbeas. *Spernis* Græcè ἐξουθενεῖς, *pro nihilo habes.* Nam qui fratri ſcandalum ponit, ita agit ac ſi ſalutem ejus nihili penderet. Quoniam autem in confeſſo erat fratrem non eſſe ſpernendum, id eſt, ſcandalizandum: idcircò omiſſa ejus probatione, ſolùm id quod priori loco dixit, probandum ſuſcipit; nempe fratrem non eſſe à nobis judicandum, etiam ſi fortè delinquat. Poſteà quidem etiam de ſcandalo repetit ſermonem: verùm id agit non tam docens quàm objurgans. Porrò non judicandum eſſe, docet ex eo quòd Chriſtus eſt omnium noſtrûm judex.

Spernit fratrem qui ſcandalum ei ponit.

OMNES ENIM STABIMUS ANTE TRIBUNAL CHRISTI. *Stabimus*, Græcè παραστησόμεθα, *ſtatuemur, ſiſtemur.* Omnes, inquit, ſiſtendi ſumus ad tribunal Chriſti, nimirum ab eo tamquam omnium Domino judicandi. Tribunal enim judiciariam poteſtatem ſignificat. Omnes intellige ſine exceptione: tum quia ratio generalis eſt, nullam admittens exceptionem; videlicet univerſale Chriſti dominium in omnes homines; Tum quia teſtimonium Propheticum quo ſententiam ſuam mox confirmat Apoſtolus, omnes ſine exceptione homines comprehendit.

Omnes ſine exceptione judicandi à Chriſto.

Stabunt igitur à Chriſto judicandi etiam illi quibus dixit Matth. 19. *Cùm ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Nam ſeſſuri & judicaturi dicuntur, non quod judicandi non ſint: ſed quia tantæ perfectionis omnibus apparebunt, ut ſi humano more de judiciis loquamur, merita eorum non videantur examini ſubjicienda ad hoc ut præmium eis decernatur, ſicut illorum qui tantùm erunt mediocres meritis: ſed ipſi potiùs ob inſignem ſanctitatem digni habeantur, qui judici appropinquent, eique aſſideant, ac de aliis etiam ſententiam ferant. Hoc eſt quod dici ſolet, omnes judicandos eſſe judicio retributionis, ſed non omnes judicio diſcuſſionis. De qua re vide quæ diſputari ſolent *ad diſt. 47. lib. 4. ſent.*

Quomodo aliqui ſeſſuri & judicaturi cum Chriſto dicantur.

Omnes judicandi judicio retributionis, nõ diſcuſſionis.

SCRIPTUM EST ENIM. Confirmat teſtimonio ſcripturæ, quæ eſt apud Iſaiam *cap.* 45.

11. VIVO EGO DICIT DOMINUS. *Vivo ego*, Hebraïcè, *In me* vel *per me juravi*. LXX. *per metipſum juro.* Quod ſequitur, *dicit Dominus*, aut de ſuo Paulus addidit ad ſignificandum cujus ex perſona hæc dicantur: aut repetivit ex ſuperioribus ejuſdem capitis apud Prophetam, *v.* 18. Porrò ſenſus convenit, eſtque hujuſmodi: Memetipſum, ait Dominus, ac vitam meam teſtor, verum eſſe hoc quod affirmo. Sicut enim jurandi formula erat in populo Dei, *vivit Dominus*; quod erat jurare per Deum viventem, ſive per vitam Dei: ita Deus in ſcripturis introducitur jurans his verbis, *Vivo ego*: ut Num. 14. *Iſa.* 49. *Ezech.* 14. *& alibi.* Hoc autem eſt Deo jurare per ſemetipſum viventem. Cæterùm an propriè Deo competat jurare, expendemus in *comment. epiſt. ad Hebræos c.* 6.

Jurandi formula apud Hebræos, Vivit Dominus.

Vivo ego, juramentum Dei.

QUONIAM MIHI FLECTETUR OMNE GENU, ET OMNIS LINGUA CONFITEBITUR DEO. *Flectetur*, Græcè κάμψει, *flectet*, quod etiam legitur in Latinis quibuſdam. Sed ſenſus eſt: Flectet ſe, id eſt, flectetur; Hebraïcè *curvabitur.* Quod in quibuſdam codicibus Græcis, poſt *omne genu*, ſequitur, *cœleſtium, terreſtrium & infernorum*, aſſiticium eſt ex *Epiſt. ad Philip.* 2. ubi cætera ſimilia verba leguntur. Neque verò apud Iſaiam, cujus hîc citatur teſtimonium, tale quid legitur. Apud eumdem non eſt *confitebitur*, ſed *jurabit*, non addita voce *Deo*: nam repetendum eſt *mihi* ex priori membro. LXX. verò addiderunt. Sic enim habent: Καὶ ὀμεῖται πᾶσα γλῶσσα τὸν θεόν, *& jurabit omnis lingua Deum*, ut appareat Paulum (quod annotant nonnulli) dixiſſe *Deo* pro *Deum.*

Adducit autem hoc ex Propheta teſtimonium, ut oſtendat Chriſti dominium in omnes homines bonos ac malos. Quod inchoatur quidem à primo ejus adventu, ſed perficitur in extremo judicio, ubi ſiſtentur omnes ad ejus tribunal, & implebitur illud, *Ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Pſ. 109.

Chriſti Dominium in omnes homines, bonos ac malos.

Eſt igitur ſenſus: Mihi tamquam domino ac judici ſuo omnes cujuſcumque Gentis & linguæ homines ſubjicientur ac ſubſternent ſeſe; Dominum ac Deum ſuum, per quem ſolum jurandum ſit, me confitentes: boni quidem voluntariè, mali verò vel inviti.

In perſona Chriſti Domini hæc dici, manifeſtè declarat locus ſimilis Philip. 2. *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus.* Unde etiam intelligitur, non bonorum tantùm, ſed & malorum hominum, imò & dæmonum genua Chriſto Domino curvanda eſſe. Nam & dæmonum

Christus Deus.

judex Christus à patre constitutus est ; ipsis etiam confitentibus in evangelio, ac dicentibus ad eum, *Venisti huc ante tempus torquere nos* ? Matth. 8. Observa contra Arianos Christum hîc expresè ab Apostolo vocari Deum. Jam enim constat ex præcedentibus de Christo sermonem esse. Sic in eo quod sequitur.

12. ITAQUE UNUSQUISQUE NOSTRUM PRO SE RATIONEM REDDET DEO. Sequitur hoc ex præcedentibus. Nam idcircò omnes sistendi sumus ad tribunal Christi, ut quisque pro se respondeat, ac rationem reddat. *Pro se*, Græcè περὶ ἑαυτοῦ, *de seipso*, id est, de factis propriis, non de alienis. Quod intellige, nisi quatenus aliorum vita ad nostram curam pertinet ; & aliorum peccata ex officii nostri negligentia proveniunt. Hac enim ratione dicitur Heb. 13. de præpositis : *Ipsi enim pervigilant, quasi ràtionem pro animabus vestris reddituri.*

De factis propriis, non de alienis reddenda ratio.

Quid rationem reddere Deo.

Porrò rationem Deo reddere est Dei judicium subire de iis quæ benè aut malè quis egit. Sumpta metaphora ab iis qui de bonis alienis à se dispensatis rationem dominis eorum reddunt. Sic autem & alibi loquitur Scriptura, ut *Matth. 12. & 1. Pet. 4.* Quod autem hîc dicit, idem aliis verbis ac diversa metaphora dicit Galat. 6. *Unusquisque onus suum portabit.*

13. NON ERGO AMPLIUS INVICEM JUDICEMUS. Græcè *Non ampliùs igitur alius alium judicemus.* Nam pro, *invicem*, legitur ἀλλήλους ; qua voce non solùm significantur qui mutuò sive reciprocè quippiam agunt, sed quorum alius erga alium, etsi non vices referentem ; quomodo manifestè sumitur Ephes. 5. *Subjecti invicem.* Non igitur ex vocula *invicem* consequens est tam firmum quàm infirmum argui ab Apostolo temerarii judicii. Verumtamen quia generalis est conclusio, ne quisquam alium judicet, quam infert ex eo quod omnes unum judicem habemus Christum : rectè intelligitur etiam firmiorem fratrem hac sententia perstringi, tamquam iniquum judicem adversus fratrem infirmum. Nam quomodo non eum aliquo modo judicabat, quem spernebat : & de quo non illud potiùs suspicabatur, *Qui non manducat, Domino non manducat?* Sanè etiam ex parte subsequenti, *Sed hoc judicate magis*, &c. satis apparet ab hac generali admonitione firmiores excludi non debere.

Quomodo firmior infirmum judicaverit.

Judicium propriè de re non liquida.

Notabis obiter judicium propriè esse earum rerum quæ per se non satis patent. Unde est quod absolutè Dominus nobis prohibet, *Nolite judicare* Matth. 7. Nam in re manifesta non opus est judicio, quo nimirum discernatur ac dijudicetur qualis sit. Hinc in extremo judicio quidam dicuntur non judicandi, quod manifestam adferant causam suæ condemnationis, ut infideles, testante Domino Joan 3. *Qui non credit, jam judicatus est*, id est, portat secum judicium suum : *quia non credit.*

Quomodo quidam non judicandi.

SED HOC JUDICATE MAGIS. Quoniam præcedens conclusio generaliter omnes fideles à judicandis fratribus repellebat, etiam firmiores ac doctiores, quibus potiori ratione judicandi potestas alioqui concedenda videbatur ; ac si dixisset, Nulli deinceps judicent alios, ac ne firmi quidem infirmos : idcircò nunc ad firmiores sermone conversò, docet quod judicium eis permittat, atque adeò commendet. Repetit enim idem judicandi verbum, sed alio sensu : quasi dicat ; Si omninò libet judicare, exercete vos in hoc genere judicii ; id est, hoc statuite apud vos firmo animi judicio ac proposito ; hanc adhibete cautelam.

Multiplex periculum fratri infirmo ex facto firmioris.

NE PONATIS OFFENDICULUM FRATRI VEL SCANDALUM. Hoc est, ne libertate vestra abutentes dum passim quibuslibet cibis utimini, præbeatis offendiculum fratri infirmo. Nam duplex erat illi periculum : vel ne fratrem edentem judicaret ; vel certè ne exemplo provocatus, contra conscientiam ederet ea quæ lex prohibebat. Addunt & tertium idque cæteris gravius : ne frater offensus ea Christianorum licentia, susceptam semel religionem desereret, & ad Judaismum totus relaberetur. Sed de hoc tacet Apostolus.

Potest hic locus ita verti : *Ne ponatur offendiculum* &c. quomodo vertit Erasmus. Nam Græcè est τὸ μὴ τιθέναι, *non ponere.* Sed in eumdem sensum redit utrumque. Porrò *scandalum* Græcum vocabulum est, quo significatur omne id quod prolapsionis & ruinæ causam adfert ; Latinè uno verbo offendiculum. Igitur inter offendiculum, Græcè πρόσκομμα, & scandalum, non opus est hoc loco distinguere, quod à quibusdam factum video ; sed variè & parum solidè : quemadmodum nec distinguendum inter lapidem offensionis & petram scandali *suprà cap. 9. & 1. Pet. 2.* Nam hujusmodi repetitio quæ fit ad inculcationem ejusdem rei, scripturis familiaris est, maximè Propheticis, ad quas libenter alludunt Apostoli.

Scandalum quid significet. Non differt ab offendiculo.

14. SCIO ET CONFIDO IN DOMINO JESU. *Confido*, Græcè πέπεισμαι, idem verbum quod *super cap. 8.* vertit interpres, *certus sum* : de cujus verbi significatione sufficiant quæ ibi diximus. Sanè & hoc loco magis ad mentem Pauli vertisset, *certus sum* vel *persuasum habeo*, quæ propria est Græci verbi significatio : quibus modis verterunt Faber, Erasmus, Hentenius & alii. Quippe rem certam ac fide tenendam hîc affirmat Apostolus. Quare & Chrysostomus hoc verbum exposuit alio verbo Græco πληροφορεῖμαι, id est, *plenitudinem habeo*, scilicet persuasionis, plenissimè persuasus sum. De quo satis dictum in superioribus.

Dicit autem, *scio* ; quia de eo loquitur, quod etiam naturali lumine rationis cognosci potest. Docet enim ratio naturalis omnem creaturam Dei bonam esse ; nec ejus usu spiritualiter hominem coinquinari posse, nisi voluntatis iniquitas male utentis accesserit. Eadem ratione scientiam nominat, ubi de immolaticiis differit, 1. Cor. 8. *De iis*, inquit, *quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus.* Et iterùm. *Sed non in omnibus est scientia.* Sensus igitur est : Indubitatè scio, natura docente ; & pro certo teneo, sic institutus & edoctus à Domino Jesu ; vel, sic institutus in religione Christi.

Eâdem rem sciebat & credebat Apostolus.

QUIA NIHIL COMMUNE PER IPSUM. Græcè δι' ἑαυτοῦ. Sic enim habent omnes codices annotati à R. Stephano : nisi quod regii libri ex editione Complutensi legunt contractè δι' αὐτῷ cum notula densi spiritus : quod tantumdem valet ; id est, *per seipsum*, pronomine reciproco. Quod proinde non potest ad Christum referri ; quo *ipsum* referunt commentator Amb. & eum secuti Pelagius & Sedulius, aliique Latini posteriores.

At verisimile est interpretes qui vertunt per ipsum, legisse δι' αὐτοῦ, vel tenui vel certè nullo spiritu annotato. Nam & Græci Theodoritus & Oecumenius ita legerunt. Quorum posterior tres adfert hujus loci expositiones. *Per ipsum*, id est, *juxta legem evangelicam.* Nam νόμος (id est, lex) Græcis masculinum est. Sic autem & Theodoritus exponit. Vel, *per ipsum, hoc est per se, ex natura.* vel, *per ipsum, nempe Deum.* Atqui media expositio magis postulat, ut legatur δι' ἑαυτοῦ, vel δι' αὐτοῦ, quemadmodum legerunt Chrysost. & Theophyl. nec non Origenes, ut ex ejus *comment.* colligitur. Eidem lectioni vult textus Syriacus, qui habet *ex seipso.*

Inter Latinos quoque *per seipsum* legunt Hieron. *lib. 2. contra Jovin. cap. 11.* & Aug. *lib. de morib. Manich. cap. 14.* semel & iterùm. Commune vocat Apostolus immundum : non tam idiotismo linguæ Hebrææ (nam in libris sacris Hebraicè scriptis non exstat ea phrasis) quàm posteriorum Judæorum consuetudine ; quibus id quod vel lege vel majorum traditione immundum erat, commune dicebatur, quia

Immundum cur Judæis commune dicatur.

in usu communi esset cæterarum Gentium : sibi verò solis, ut populo Dei, declaratum immundum, ideoque sub pollutionis reatu vitandum : ut commune Judæis penè idem fuerit, quod Latinis profanum. Quam istius vocabuli rationem tradit Hieron. exponens *Matth. cap. 15.* licet alii metaphoram putent acceptam à rebus quæ, quod communes sint & à multis tractentur, facilè sordes contrahunt.

Nihil immundum per seipsum, & ex natura sua.

Tale igitur est quod Apostolus dicit : Quod ad me attinet, certa scientia & fide teneo nihil esse immundum (cujus scilicet usus immundum ac deteriorem reddat hominem) *per seipsum*, id est, ex sua natura : nihil, inquam, non solùm in cibis, sed nec in tota Dei creatura, secundùm illud 1. Timoth. 1. *Omnis creatura Dei bona est.* Sic particulam *per seipsum* interpretantur Origenes, Chrysost. & Theophyl. & ex parte Oecum. ut vidimus : atque inter Latinos Hervæus, non obstante lectione *per ipsum*, & alii ex recentioribus.

Neque verò id inconvenienter huic loco. Quamvis enim agat Apostolus de iis qui cibos quosdam refugiebant velut secundùm legem immundos, ac propterea videri possit ad rem non pertinere, si illis dicatur nihil per se & natura immundum esse (id enim adversus hunc commentarium objicitur) sciendum tamen est Judæos plerosque qui legis & cærimoniarum verum usum ignorabant, & signa pro rebus amplectebantur, prohibitionem certorum ciborum non ad significationem retulisse, sed magis (quod consequens videbatur) ad illorum naturam ; quasi prohibiti fuerint, quia immundi : non immundi, quia prohibiti : cum res contrario modo sese habeat. Nam idcircò solùm quædam legaliter immunda sunt, quia prohibita : ad significandum nobis ea quæ in vita ac moribus sunt fugienda ; quemadmodum docet August. *lib. 6. contra Faustum Manichæum cap. 7. & alibi.*

Judæorum error circa cibos lege prohibitos.

Hanc verò quam dixi Judæorum persuasionem fuisse, manifestè probat locus *ad Tit. cap. 1.* ubi eos qui de circumcisione erant vult redargui, quod in creaturis Dei aliquid immundum dicerent, eamque doctrinam refert ad mandata hominum : utique loquens de eo quod immundum est per se, sicut & loquitur 1. Timoth. 4. *Abstinentes à cibis, quos Deus creavit*, &c.

Hinc igitur apparet ratio, cur multi qui ex Judæis in Christum crediderant, adeò tenaciter inhæserint observantiis ciborum. Eas enim non tam ad legem cærimonialem, quam ad moralem ac naturalem referebant : æquè ut ipsum decalogum. Cui rei insuper argumento est, quod Judæi Gentiles reputabant immundos ex usu ciborum lege Mosaica vetitorum : non tamen existimabant eos in legem peccare, quam sciebant illis non esse datam. Quare consequens est ut immundos eos judicaverint ex ipsorum quibus utebantur, ciborum natura, tamquam per se immundi essent. Denique postulat hunc intellectum antithesis, quam facit Apostolus inter id quod est commune per se & quod commune est utentium opinione. Hanc enim antithesim complet hoc quod sequitur.

Cur Judæi Gentiles immundos reputaverint.

NISI EI QUI EXISTIMAT QUID COMMUNE ESSE, ILLI COMMUNE EST. Verbum *est* non exprimitur in Græco, sed intelligitur. Nihil, inquit, est immundum per se, sed tantùm illi immundum est aliquid, qui existimat id immundum esse : non quod hominis existimatio propriè rem faciat ipsi immundam ; sed quia taliter existimantis conscientia eum obligat ad abstinendum, perinde ac si res per se immunda atque illicita esset. Quam rem doctè declarat S. Thomas in commentario. Simile illud Tit. 1. *Omnia munda mundis, Coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum;* quia nimirum eorum errans conscientia non sinebat quicquam eorum de quibus ibi loquitur Apostolus, ipsis esse mundum. Porrò *nisi* pro sed tantùm, Hebraismus est, isque frequens in scripturis. Exceptivè sumi non potest hoc loco, quia sententia præcedens, *nihil commune per seipsum*, universè & absolutè vera est, exceptionem non admittens.

Nota ad mores. Errantis conscientiam obligare eum ad non agendum quod judicat malum.

Quomodo infidelibus nihil mundum.

15. SI ENIM PROPTER CIBUM FRATER TUUS CONTRISTATUR, JAM NON SECUNDUM CHARITATEM AMBULAS. Græci codices paucis exceptis legunt ἐὰν δὲ, *Si verò propter cibum*, &c. annuente etiam Syriaca versione. Non enim hic redditur ratio superioris sententiæ ; sed tacita removetur *objectio*, qua dicere quis posset, *Si nihil est immundum per se ; cur igitur*, lege per Christum nunc abrogata, non permittor semper uti quolibet cibo ? *Respondet* Apostolus ex lege charitatis, quæ dictat etiam à licitis abstinendum, ne proximus infirmior contristetur aut scandalizetur. Si, inquit, vides fratrem tuum, id est, proximum tuum Christianum, propter cibum quo vesceris, conturbatum iri ; & vel peccaturum temerario adversum te judicio, vel tuo exemplo provocandum ad edendum contra conscientiam ; nec tamen abstines : jam non conversaris cum fratre secundum charitatem, id est, secundùm charitatis regulam & dictamen ; quia salutem ejus negligis, imò ipsum perdis. Nam sequitur.

Abstinendum etiam à licitis propter fratrem infirmum.

NOLI CIBO TUO ILLUM PERDERE, PRO QUO CHRISTUS MORTUUS EST. Exaggeratio est peccati ejus qui comedit cum scandalo fratris ; addito argumento efficacissimo ab exemplo Christi. *Perdere* intelligunt quidam propter apostasiæ periculum. Verùm Apostolus toto hoc capite non urget nisi illa duo, quæ modo dixi ; judicium & exemplum. *Sensus est :* Non habeas fratrem tuum tam vilem, ut eum edulio ruo perdas, quem tanti fecit Christus, ut pro eo mortem oppetere non dubitarit. Perdas, inquam, daturus occasionem vel temerè judicandi te, vel infeliciter imitandi. Sic & 1. Cor. 8. Et *peribit in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.*

Nota ad mores, quam sollicite vitandum scandalum, nam perdit fratrem qui eum scandalizat.

Ex utroque loco probant, Christum etiam pro reprobis mortuum esse, videlicet quoad sufficientiam precii quod Patri moriens obtulit. Alii locum utrumque exponunt de fratre electo, quem quantum in se est, perdit, qui ei peccandi occasiones ingerit.

Quomodo Christus mortuus pro eo qui perit.

Mihi verisimilius est Apostolum absolutè quidem loqui de perditione fratris ; pro quo tamen mortuus sit Christus, non ob solam generalitatem precii sufficientis, sed quod fructum mortis ac redemptionis Christi verè perceperit, utpote baptizatus ac justificatus ; licet hunc fructum perimat qui eum scandalizat.

16. NON ERGO BLASPHEMETUR BONUM NOSTRUM. Græcè *vestrum bonum*, quod in nonnullis etiam Latinis legitur : Quamquam ad sensum non refert, nostrum an vestrum legas Hoc bonum non uno modo exponunt interpretes. Chrysost. intelligit fidem, aut futuram præmiorum spem, aut perfectam pietatem. De quibus malè loquitur frater qui scandalizatur. Non dissimiliter Origenes, qui religionem Christianam significari vult ; à qua alienatur infirmus, nec à maledictis abstinens, dum per eam provocari se videt ad cibos promiscuos. Hoc tamen alii ad infideles referunt, ac si sensus sit : Ne committite ut malè audiat Evangelium seu religio Christiana apud eos qui foris sunt, propter acerbas contentiones quas habetis inter vos de cibis edendis aut non edendis.

Per bonum nostrum quid intelligatur.

Sed quia neque hoc loco neque in superioribus ulla infidelium mentio est, ut ad eos commodè referri possit hæc blasphemia boni nostri : magis placet, quæ complurium sententia est, ut referatur ad fratrem infirmum : quod volunt priores expositiones ; ita tamen ut cum Hervæo & Aquitane & aliis recentioribus sententiam per bonum nostrum rectius intelligi beneficium libertatis per Christum nobis concessæ, qua à servitute legalium observationum exempti sumus, (nam in persona Judæorum fidelium

Libertas quibuslibet vescendi per Christum concessa.

loquitur.) ut ſenſus ſit: Hæc libertas noſtra veſcendi quibuſlibet cibis, non ſit obnoxia maledictis infirmorum fratrum, fugillantium eam tamquam licentiam carnis, &, ut Thomas loquitur, indulgentiam gulæ. Senſum hunc bene probat Toletus ex altero loco ſimili 1. Cor 10. *Ut quid libertas mea judicatur aliena conſcientia? Si ego cum gratia participo; quid blaſphemor pro eo quod gratias ago?* Ubi de fratre infirmo judicante eum qui veſcebatur idolothyto, ſermonem eſſe, contextus ipſe docet.

17. NON EST ENIM REGNUM DEI ESCA ET POTUS. *Occupatio* eſt. Nam quia dicere poterant fratres firmiores ſe uti debere ſua libertate, propterea quod participes facti eſſent regni Dei & Chriſti, quo ſublata ſit ſervitus legis: docet Apoſtolus in quibus rebus principaliter regnum Dei conſiſtat; ac non ſolùm refellit hujuſmodi objectionem ex parte regni Dei ſumptam, verùm etiam in ipſos objicientes eam retorquet, uti mox patebit.

Regnum Dei quod hic dicatur.

Regnum Dei non ſolùm hic intelligitur quo Deus regnat aut regnaturus eſt in beatis patriæ cœleſtis: ſed generaliter illud quo regnare dicitur Deus in hominibus, tamquam in populo ſibi beneplacito. Quod fit per ea bona nobis collata, quæ ſtatim recenſebit. Fit autem imperfectè quidem in hoc ſæculo; perfectè verò in futuro. Quod Dei regnum etiam in oratione Dominica ſignificatum eſt, qua dicimus: *Adveniat regnum tuum.* Hoc igitur Dei regnum non eſt cibus & potus; id eſt, non conſiſtit in cibo & potu, neque in libertate his indifferenter ac promiſcuè veſcendi; licet hujuſmodi libertatem ſecundariò annexam habeat: qua tamen utendum ſit ſalva lege charitatis, quæ ad ſubſtantiam regni Dei pertinet.

Regnum Dei non eſt cibus & potus.

Eamdem ſententiam aliis verbis expreſſit Apoſtolus 1. Cor. 8. dicens: *Eſca nos non commendat Deo. Neque enim ſi manducaverimus, abundabimus: neque ſi non manducaverimus, deficiemus.* Porrò non caret alluſionis gratia Græcus ſermo βρῶσις ἢ πόσις: cum alioqui vocabulo βρῶμα τος utatur tam ſuprà quàm infrà. Quod verò interpres nunc eſcam, nunc cibum vertit, in Græco nihil eſt diverſum.

In quibus regnum Dei principaliter conſiſtat.

SED JUSTITIA ET PAX ET GAUDIUM IN SPIRITU-SANCTO. Sed, inquit, regnum Dei, quo ſcilicet Deus in nobis regnat, principaliter conſiſtit in juſtitia qua lex Dei obſervatur: & in pace, id eſt, pacifica & tranquilla converſatione cum proximis; & in gaudio non carnali ſed ſpirituali, quod ex juſtitia & pace naſcitur. Hoc eſt enim gaudium in Spiritu-ſancto. Sub his tribus cæteras Chriſtianas virtutes intelligit; quas pleniùs enumerat, & fructum ſpiritus vocat Gal. 5. ubi charitatem in capite poſuit, ac deinde gaudium & pacem ac cætera attexuit.

Jam ſi regnum Dei in juſtitia & pace & gaudio ſpirituali conſiſtit; non debet quiſquam Chriſtianus uti ſua libertate veſcendi quibuſlibet, cum ſcandalo & contriſtatione fratris infirmi, cumque Dei injuria, cujus ſervus contemnitur & opus deſtruitur: ſed magis abſtinere, charitate ſuadente, quæ principatum obtinet in regno Dei.

Obſerva contra Sectarios, Paulo non adverſari abſtinentiam ciborum ab eccleſia præſcriptam.

Hanc Pauli ſententiam qua regnum Dei negat eſſe eſcam & potum, torquet hæreticus adverſus abſtinentiam ciborum ab eccleſia præſcriptam: quaſi ſenſerit Apoſtolus, veſci aut non veſci quolibet cibo, rem eſſe prorſus adiaphoram, ac nihil conferre ad juſtitiam & ſalutem.

Cui primmum *reſpondeo*, ſententiam Apoſtoli non dirigi ad abſtinentem, ſed ſolùm ad edentem. Unde nec dixit regnum Dei non eſſe abſtinentiam cibi & potus, ſed cibum & potum: quemadmodum & ad Corinth. ſcribens ac ſimile verſans argumentum dicit, *Eſca nos non commendat Deo.* Quin potiùs utrobique vult, ut abſtineatur à cibis ob ſalutem fratris; hîc, ab immundis legaliter: illic ab immolaticiis. *Deinde* plenior *reſponſio eſt*, certorum ciborum abſtinentiam, etſi per ſe non conducat ad veram pietatem; conducere tamen ut præcipitur ab eccleſia, & ut aſſumi debet à filiis eccleſiæ quibus præcipitur.

Nota ad mores, quomodo abſtinentia ciborum conducat ad pietatem.

Et quidem in hujuſmodi abſtinentia, ſi benè conſideremus, invenimus hæc tria, juſtitiam, pacem & gaudium Spiritus-ſancti. *Juſtitiam*, quia per ejuſmodi abſtinentiam Deo pro peccatis in eum commiſſis ſatisfacimus; quod eſt opus juſtitiæ. *Pacem*, quia per eam ſubjugamus carnem ſpiritui; quod pertinet ad veram pacem interiorem: quæ in hoc ſita eſt, ut ſpiritus Deo, ſpiritui autem pars animæ inferior ſubjecta ſit. *Gaudium* Spiritus-ſancti, quia per abſtinentiam cibi & potus mens redditur alacrior ad contemplandum divina. Quæ contemplatio verum & ſolidum & ſummum præſtat gaudium rationali creaturæ.

Juſtitia, pax & gaudium in abſtinentia ciborum Chriſtiana.

18. QUI ENIM IN HOC SERVIT CHRISTO; PLACET DEO, ET PROBATUS EST HOMINIBUS. *In hoc*, Græcè *in his*, ut ad tria ſuperiora referatur, juſtitiam, pacem & gaudium Spiritus-ſancti. Nec deſunt tamen codices qui legant ἐν τούτῳ, *in hoc*, quemadmodum & Origenem legiſſe conſtat, qui interpretatur, *in hoc, id eſt, Spiritu-Sancto.* Nam hoc proximè præceſſerat. *Placet*, Græcè εὐάρεστος, *beneplacitus, acceptus*, nec additur, ſed intelligitur verbum *eſt*. *Senſus*: Qui non contendit de cibis, ſed in eo quod dixi, id eſt, in virtutibus quas recenſui, ſtudet Chriſto ſervire; acceptus eſt Deo & hominibus; Deo, quia per illas virtutes promovet in ſe regnum Dei; hominibus, quia pacem conſervat.

Quis acceptus Deo & hominibus.

19. ITAQUE QUÆ PACIS SUNT SECTEMUR, ET QUÆ ÆDIFICATIONIS SUNT IN INVICEM CUSTODIAMUS. Verbum *cuſtodiamus* Græca non addunt; ut nec Syriaca. Sed nec Auguſtinus agnoſcit, qui totum hunc locum citat *lib. de morib. Manich. cap.* 14. Multa quoque Latina mſs. non habent. Nec opus ut addatur, cum utrique membro commune ſit verbum *ſectemur*. Illud *in invicem* (ſeu potius, *invicem* abſque *in* præpoſito; ut habebat codex Laudenſis, & veteres concordantiæ) cohæret cum ædificatione, ut ex Græco liquet, ac verti poterat, *ædificationis mutuæ*.

Senſus eſt: Itaque ſectemur ea quæ pertinent ad pacem inter nos conſervandam, & quæ ad mutuam ædificationem; videlicet præbentes invicem bona exempla, quibus ædificentur & confirmentur proximi in fide & pietate. Confer quæ diximus ad 1. *Cor.* 8. *v.* 1. Pacem opponit diſceptationibus ſeu concertationibus, quas inter ſe habebant; ædificationem ſcandalo, de quo ſuperiùs egerat. Nam ſcandalum deſtructio proximi eſt. Unde ſequitur.

Scandalum deſtructio proximi.

20. NOLI PROPTER ESCAM DESTRUERE OPUS DEI. *Deſtruere* Græcè καταλυειν, *diſſolvere*, Tertulliano, *ſolvere*. *Opus Dei* quidam interpretantur ea bona quæ ſuperiùs commemoravit, juſtitiam, pacem & gaudium Spiritus-ſancti. Alii fidem & pietatem in fratribus infirmis inchoatam.

Verùm rectiùs opus Dei intelligas ipſum fratrem, inquantum frater, id eſt, Chriſtianus eſt, fide & pietate jam imbutus, rectiùs, inquam, & ad Pauli mentem accommodatius: tum quia ſimili ſententia ſuprà dixerat: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt*; id eſt, fratrem infirmum: tum quia ædificare & deſtruere ſive diſſolvere, ad idem referri debent. Quare cùm ædificatio reſpiciat ad proximum; referenda eſt ad eumdem deſtructio. Proinde *ſenſus eſt*: Summopere tibi cavendum, ne propter cibum, rem indifferentem, diſſolvas, deſtruas & perdas opus & ædificium Dei, id eſt, fratrem, quem Deus fecit fidelem.

Opus Dei homo Chriſtianus, & qua ratione.

Hinc diſce, quemque Chriſtianum, inquantū bonus eſt, & benè vivit, opus & creaturā eſſe Dei, juxta illud Epheſ. 2. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis.* Qui locus ſervit ad præſentis loci intelligentiam. Idem enim eſt opus Dei & factura Dei. Minus convenit per opus Dei intelligi templum

ſpirituale, quæ Chryſoſtomi eſt expoſitio : niſi templum cogites, non quatenus habitaculum eſt Dei, ſed quatenus ædificatum eſt à Deo.

Omnia munda.

OMNIA QUIDEM SUNT MUNDA. Et hoc idem eſt cum eo quod ſuprà dixit, *Nihil eſſe commune per ſeipſum.* Eſt autem occupatio ſeu conceſſio : quod autem ſequitur, exceptionis eſt.

Nota. Qui mundo cibo malè utitur, ſeipſum reddit immundum.

SED MALUM EST HOMINI, QUI PER OFFENDICULUM MANDUCAT. *Malum*, id eſt, peccatum eſt homini, id quod per ſe mundum eſt, edere *per offendiculum*, id eſt, cum offendiculo & deſtructione proximi. Qui enim ſic manducat, is re bona malè utitur, & malè utendo ſeipſum reddit immundum. Similiter autem, quamvis omnia munda ſint; malum eſt homini qui per inobedientiam manducat. Quod faciunt qui comedunt contra prohibitionem eccleſiæ.

Poſſet malum referri etiam ad cibos; hoc modo : Omnia quidem munda ſunt, ſed quod per ſe mundum eſt, malum eſt homini per offendiculum manducanti, quemadmodum ſuprà dixit : *Nihil commune per ſe : ſed commune eſt ei qui exiſtimat quid commune eſſe.* Verùm ut malum potiùs interpretemur peccatum, antitheſis urget inter malum & bonum. Nam de bono oppoſito ſequitur.

21. BONUM EST NON MANDUCARE CARNEM ET NON BIBERE VINUM, NEQUE IN QUO FRATER TUUS OFFENDITUR, AUT SCANDALIZATUR, AUT INFIRMATUR. *Carnem*, Græcè *carnes*. Docet ad vitandum ſcandalum & offenſionem fratris, non ſolùm ab iis quæ lege prohibita fuerant abſtinendum eſſe, verùm etiam à non prohibitis : ut omninò à carnibus & vino. Id quod 1. Cor. 8. hujuſmodi ſententia expreſſit: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum ; non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* Neque ſolùm ſentit gratum fore Deo ſi quis id faciat; ſed neceſſarium : ſi quo caſu fratris infirmi ſalus hoc poſtularet, prout alibi dicit, *quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos*, Act. 20. De qua re vide doctè diſputantem S. Thomam 2. 2. *qu. 43. art. 6. 7. 8.*

Nota, abſtinentiam à licitis metu ſcandali, neceſſitatis eſſe, non conſilii.

Pro verbo *offenditur*, meliores codices inter quos Laudenſis, habent *offendit* : quod & in textu legitur commentatoris Ambr. Græcum quoque verbum προσκόπτει ſignificat *impingit* : quod Latiniùs dicitur *offendit*, quàm *offenditur*. Sic enim Latinè loquimur, offendit in lapidem, in murum. Illud *neque in quo frater tuus*, &c. duobus modis ſuppleri poteſt. Neque quicquam aliud edere aut bibere. Vel, (quod magis placet) neque quicquam aliud facere. *In quo frater tuus offendit*, id eſt, per quod frater tuus ſcandalizatur. Poſterius enim expoſitio prioris eſt. Quomodo autem ſcandalizetur, patet ex antè dictis. Cæterùm infirmari dicitur in facto noſtro frater jam infirmus, dum infirmitas fidei ejus latens in animo, occaſione facti noſtri foris oſtenditur, vel etiam augetur ; adeò ut periculum ſit ne fidem prorſus amittat, atque ex infirmo fide, mortuus fiat.

Quomodo frater infirmus ex facto noſtro infirmari dicatur.

TU FIDEM HABES? Rurſus occupatio : quam alii interrogativè legunt, alii ſine interrogatione. Utrique tamen in eumdem ſenſum. Dices mihi, inquit, te fidem habere qua credas, ac certò perſuaſum habeas omnia eſſe munda, ac legem ceſſare per Chriſtum ; proindeque licitum tibi eſſe veſci quibuſlibet; atque eam fidem te velle profiteri libero ciborum uſu. Sequitur reſponſio.

PENES TEMETIPSUM HABE CORAM DEO. Id eſt : Sufficiat tibi quod fidem rectam de cibis habeas apud teipſum in animo, & coram Deo, qui videt in occulto, ut non eam prodas cum offendiculo fratris. Non enim ſentit Apoſtolus licitum eſſe cuique fidem corde premere; ore autem & factis contrarium oſtendere ; vel etiam diſſimulare ac tacere, ubi confeſſio fidei exigitur : ſed vult ut non imprudenter, intempeſtivè ac temerè fidem noſtram aut verbo profiteamur aut facto prodamus ; ut apud eos quibus illa fidei manifeſtatio, ſive propter eorum infirmitatem, ſive etiam propter malitiam, offenſioni ſit futura, ſine compenſatione boni cujuſpiam melioris. Sicut enim in aliis pleriſque rebus veritas non ſemper propalanda eſt, ſed interdum prudenter reticenda; numquam autem neganda : ſic & in myſteriis fidei.

Fidem celare ubi confeſſio ejus exigitur, non licet. Fides non temerè prodenda.

Hinc & illi meritò reprehenduntur qui ad fidem profitendam ultrò ſeſe perſecutoribus ingerunt. Quod ne fiat, plebem ſuam admonet Cyprianus in ea Epiſtola quam poſtremam ſcripſit martyrio vicinus : *Apprehenſus*, inquit, *& traditus loqui debet : ſiquidem in nobis Dominus poſitus in illa hora loquatur, qui nos confiteri magis voluit quàm profiteri.* Profitetur enim qui ultrò & palam enunciat : confitetur qui loquitur interrogatus. Diſcrimen etiam Ciceroni agnitum in *orat. pro Cecin.* Porrò mentem Pauli minus aſſecuti ſunt qui particulam *penes temetipſum*, ſejunctam à verbo ſequenti *habe*, conjungunt præcedenti *habes*.

Confiteri magis quam profiteri nos voluit Chriſtus.

BEATUS QUI NON JUDICAT SEMETIPSUM IN EO QUOD PROBAT. Tranſit ad inſtructionem fratris infirmi, qui exemplo, fortè etiam gula provocatus edebat ſuillam aut quid aliud lege prohibitum contra conſcientiam : ſicque edendo peccabat. Beatus eſt, inquit, id eſt, benè cum illo agitur, quia non peccat, qui ſeipſum non judicat, id eſt, quem propria conſcientia non condemnat in eo quod agendum eligit. Nam verbo probandi hîc ſignificari videtur electio, ſeu mavis ultimum judicium practicum, quale circa ſuam actionem habet etiam ille qui contra conſcientiam agit. Ita ſequenti capite : *Probaverunt Macedonia & Achaia collationem aliquam facere* : id eſt, jam ſtatuerunt, concluſerunt id agendum.

Quomodo beatus qui ſeipſum non judicat : & in quibus verum.

Sententia Pauli, quemadmodum benè admonet S. Thomas, veritatem habet in rebus ſimpliciter licitis, quale eſt tempore gratiæ ſuillam aut leporinam edere, non in rebus divina aut humana lege vetitis. In his enim non excuſatur à peccato ſi quis ipſum non judicet. Aut certè formaliter accipiendum, quod beatus dicitur qui ſemetipſum non judicat ; id eſt, in quantum ſeipſum non judicat.

Scio hanc partem multos interprerari velut directam ad fratrem firmiorem, cui dixerat, *Tu fidem habes*, &c. quorum expoſitiones (valde enim variant) apud Toletum videre eſt. Mihi certè coactiores videntur. Atqui noſtra expoſitio, quam eamdem tredunt Aquinas, Rickelius & Saſboldus, plana eſt, & ad inſtruendum infirmum (qui Pauli ſcopus eſt) accommodatiſſima. Et huic intellectui benè tamquam alterum ſententiæ membrum, reſpondet quod ſequitur.

23 QUI AUTEM DISCERNIT, SI MANDUCAVERIT, DAMNATUS EST. *Qui diſcernit*, Græcè ὁ διακρινόμενος. Eraſmus & Hentenius, *qui judicat*, ut ſenſus Apoſtoli ſit : Qui adhuc dijudicat inter cibos, ut vel lege vel natura alios reputet mundos, alios immundos ; ſi cibum ſuo judicio immundum ederit, peccat, & pœnæ obnoxius fit. Ita ferè Latini interpretes. Alii vertunt, *qui hæſitat, ambigit, ſecum diſceptat.* Quæ verſio nobis probatur. Nam verbum medium διακρίνεσθαι paſſim in ſcripturis Apoſtolicis, hæſitare ac diſceptare ſignificat : ut Matth. 21. & Mar. 11. *Si habueritis fidem & non hæſitaveritis.* Act 10. & 11. *Nihil dubitans, hæſitans.* Jac. 1. *Poſtulet in fide, nihil hæſitans. Qui enim hæſitat*, &c. Et hujus epiſtolæ cap. 4. *Non hæſitavit diffidentia.* Quò accedit & illud Apoſtoli Judæ : *Cum Michaël Archangelus cum diabolo diſputans*, ſive *diſceptans altercaretur.* Numquam verò ſumitur pro diſcernere aut dijudicare : ſed ubi hæc ſignificatio occurrit, in Græco verbum activum eſt διακρίνειν, ut Matth. 16. *Faciem cœli dijudicare noſtis.* Act. 15. *Nihil diſcrevit inter nos & illos*, 1. Cor. 4. *Quis te diſcernit?* & cap. 11. *Non dijudicans corpus Domini*, & iterùm, *Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus ;* &c. & c. 14. *Cæteri dijudicent.*

Diſcernere quis dicatur.

Melior interpretatio.

Eſt igitur ſenſus ſecundùm Græcos interpretes: Eum qui adhuc infirmus eſt, ut non ſtatuat ſibi licitum eſſe cibum propoſitum, ſed hæſitet utrum edere ſibi liceat, an non, ſi comedat, damnatum eſſe. Favet item Syriaca verſio: *qui diviſus eſt*, id eſt, dubius, anceps. Oſtendit autem hic locus, id quod tradunt Theologi; eum qui facit de quo dubitat an ſit peccatum, peccare. Quod nec Tullius ignoravit, qui *lib. 1. offic.* dicit nihil agendum quod dubites æquum ſit, an iniquum.

Nota ad mores. Dubia conſciētia quidpiā facere, peccatum eſt.

Porrò nomen damnationis in ſcripturis generale eſt, ac ſæpè extenditur ad pœnam temporalem, interdum etiam ad pœnam venialis peccati, ut Matth. 12. *Ex verbis tuis condemnaberis*, ubi de verbis ocioſis ſermo erat. Unde ex hoc loco non ſequitur, omnem eum peccare mortaliter, & obnoxium fieri gehennæ, qui manducat, aut quid aliud agit contra conſcientiam. Si enim conſcientiam habet peccati mortalis, peccat mortaliter; ſi venialis, venialiter. Hic generalis intellectus patet etiam ex probatione ſtatim ſequente, *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Itaque damnationem intelligit, quæ peccato reſpondet in genere: tametſi magis reſpicere videtur ad mortale. Nam ſuprà dixit: *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt*, & 1. Cor. 8. *Peribit in tua ſcientia frater propter quem Chriſtus mortuus eſt.* Sequitur ratio ſententiæ.

Contra cō-ſcientiam agens quomodo peccet.

Quia non ex fide. Subaudi *manducat*. Et ſenſus eſt: quia non edit cum ea animi perſuaſione qua credat ſibi licitum hoc eſſe. Nondum enim eò profecerat, ut vel legem ad ſe jam nihil pertinere crederet, vel omnes cibos pro mundis haberet: ex quo illa animi fluctuatio procedebat de edendo aut non edendo cibos per legem immundos. Ita fidem hîc accipi facilè colligitur ex ſuperioribus: ut ex eo quod paulò antè dixit, *Tu fidem habes*, & quod multò ſuperiùs: *Alius enim credit ſe manducare omnia.* Quibus locis planum eſt fidei nomine ſignificari perſuaſionem & aſſenſum animi determinatum in alteram partem: ſive aſſenſus ille ſit certitudinis divinæ, ſive tantùm humanæ, ſive utriuſque ſimul. Unde & hanc fidem ſuprà miſcuit cum ſcientia, cum ait, *Scio & confido quia nihil commune*, &c.

Fides hoc loco quid ſignificet.

Omne autem quod non est ex fide peccatum est. Hanc ſententiam quidam generaliter interpretati ſunt de fide qua Chriſtiani ſumus, & à qua fideles vocamur: tamquam ſenſus ſit, omne illud opus eſſe peccatum quod non procedit ab ejuſmodi fide. Ex quo deinde tamquam conſequens eſſe volunt, omnia infidelium opera eſſe peccata. Sic Origenes *in comment.* diſertè ex his Apoſtoli verbis omnia infidelium opera peccati condemnans: licet ambigat nonnihil, an idem de hæreticorum operibus dicendum ſit.

Utrū omnia infidelium opera ſint peccata.

Pro eadem expoſitione & doctrina allegatur Auguſt. *lib. 4. Julian. cap. 3.* ubi ex profeſſo de operibus infidelium agens, ex hoc Apoſtoli loco concludit omnia, in quantum ex fide non ſunt, eſſe peccata. Ad eumdem ſenſum aliàs quoque locum hunc adducit, ut *lib. de gratia Chriſti cap. 26. lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 18. epiſt. 105. ad Sixtum & 143. ad Julianam.* Sic & Proſper *lib. 3. de vita contempl. cap. 1. contra collat. cap. 22. & 28. & in epiſt. ad Ruffin.* itemque Fulgentius *lib. 2. de remiſſ. peccat. cap. 1.* Nos quod ad opera infidelium attinet, utrum omnia peccata ſint, nec ne; & quo ſenſu poſſit intelligi id dictum à patribus Auguſtino, Proſpero & Fulgentio, diſcutiendum remittimus *ad diſt. 41. lib. 2. ſent. & ad comment.* B. Perrerii in hunc locum, ubi per quinque diſputationes eam controverſiam tractat & abſolvit.

Quo ſenſu id dictum à patribus.

Certè præſenti loco ſenſus illorum quos dixi, congruere non videtur. Neque enim agit Apoſtolus adverſus infideles qui fide Chriſtiana carebant, ſed de infirmis in fide loquitur; id eſt, de iis qui nondum in fide ſatis inſtructi erant, ut crederent diſcrimina ciborum lege Moſaïca præſcripta, non jam eſſe obſervatu neceſſaria, nihilque in cibis per ſe eſſe immundum.

Itaque fides hîc accipitur, quomodo proximè & in ſuperioribus oſtendimus eam accipi; videlicet ſecundùm materiam ſubjectā, ut ſit perſuaſio qua quis credit aut exiſtimat aliquid ſibi licitum. Hanc fidem de cibis legaliter immundis habebant firmi, non infirmi. Nam ſoli firmo dicitur, *Tu fidem habes*; quemadmodum & de fidelibus loquens idem Apoſtolus ait 1. Corinth. 8. *Non in omnibus eſt ſcientia.* Senſus igitur eſt: Omne quod quis agit non perſuaſus id ſibi licere, ſed vel illicitum putans, vel dubitans utrum liceat, peccatum eſt. Ita fidem acceperunt in hac ſententia Chryſoſtomus ac cæteri poſt eum omnes Græci interpretes. Inter Latinos verò commentator Amb. & Hugo Victorinus; &, ut de aliis taceam, etiam patres concilii Lateranenſis ſub Innocentio 3. can. 41. qui ſic habet: *Quoniam omne quod non eſt ex fide peccatum eſt; ſynodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam canonica quàm civilis*, &c. Rectè autem ejuſmodi perſuaſio Græco nomine πίστις, id eſt, fides vocatur. Nam πίστις dicitur ἀπὸ τοῦ πείθεσθαι, perſuaſum eſſe. Et hanc fidem nihil prohibet eſſe in hominibus à fide Chriſti alienis.

Perſuaſio qua quis æſtimat aliquid ſibi licitum, fides vocatur.

Quicquid agitur improbante vel dubitante conſcientia, peccatū eſt.

Unde liquet ex hanc ſententia ritè intellecta, non eſſe conſequens, omne quod agit infidelis, eſſe peccatum. Eſt autem Apoſtoli probatio ſyllogiſtica, continens argumentum à genere ad ſpeciem: Quicumque agit non ex fide, peccat & damnatus eſt; Qui manducat diſcernens ſeu dubitans, agit non ex fide: peccat igitur & damnatus eſt.

Syllogiſmus Pauli.

Nonnulli volentes fidem Chriſtianis propriam intelligi, interpretantur, *non ex fide*, id eſt, contra fidem: & probationem inſtituunt hoc pacto; Quicquid fit contra fidem ſeu fidei regulam peccatum eſt: atqui ſumptio cibi quem putes immundum, fit contra fidei regulam dictantem nihil agendum eſſe contra conſcientiam; igitur ea peccatum eſt. Verum contorta eſt hæc probatio. Deinde nec agebatur in præcedentibus de fide qua creditur nihil agendum contra conſcientiam; ſed de ea qua creditur in cibis nihil eſſe immundum, & per hoc illicitum.

Aliæ expoſitiones rejiciuntur.

Rurſus alii, fidem Chriſtianam ſubjectæ materiæ applicantes, hoc modo Paulum exponunt: Qui diſcernit, & tamen manducat, peccat: quia non id agit ex fide Chriſtiana qua edocti ſumus inter alia, nullum cibum eſſe immundum. Quicquid autem non eſt ex fide, id eſt, quicquid fit in cibo ſumendo ſine tali fide, peccatum eſt; quia ſemper tunc cibus ſumitur contra conſcientiam. *Sed hæc expoſitio* generalem Apoſtoli ſententiam nimiùm reſtringit: ac præterea verum non eſt, omnem cibi ſumptionem quæ fit abſque tali fide propriè dicta ſeu Chriſtiana, peccatum eſſe. Sufficit enim mortalis æſtimatio liciti tam fidelibus quàm infidelibus, ut in cibo ſumendo, ſicut & in aliis actionibus, contra conſcientiam non peccent. Nec aliam perſuaſionem Apoſtolus hoc capite in eo qui infirmus eſt, ut ad non peccandum (ſi manducet) neceſſariam exigit.

Quæ æſtimatio liciti ſufficiat, ut non peccet quis contra conſcientiā.

Alias expoſitiones hujus Apoſtolicæ ſententiæ à diverſis allatas, prætereo: quas noſſe qui volet, legat ultimam Pererii in hunc locum diſputationem; ubi ſeptem enumerat: quarum poſtremam, quæ eadem eſt cum noſtra, ſolam ut germanam verborum Apoſtoli interpretationem, ſuo calculo probat. Hæc ſatis de extrema pericope hujus capitis. Poſtquam in Græco apud Chryſoſt. cæteroſque Græcos poſteriores, ſequuntur & ab iiſdem exponuntur hæc verba; *Ei autem qui potens eſt vos confirmare juxta evangelium meum*, & cætera quæ in noſtra vulgata editione, & apud omnes Latinos interpretes, imò & apud Ori-

Verba alū de huc aſcripta à Græcis.

genem, atque in Græcis codicibus qui apud nos in manibus verſantur, nec non in textu Syriaco, habentur adjecta pro coronide ad finem epiſtolæ, prout ibi videbimus. Idque rectius ſanè & opportunius, ut arbitror, quàm ut hîc collocentur. Nam initium ſequentis capitis quædam continuatio eſt argumenti ſuperioris de ſuſpiciendis infirmis.

Unde veriſimile non eſt Apoſtolum hîc in medio ſermone verba illa doxologiæ interpoſuiſſe; quæ magis totam aliquam diſputationem vel exhortationem claudere ſoleant. Quare & Eraſmus cenſet ea verba huc non pertinere. Scio R. Stephanum affirmare quòd ea repererit hoc loco in omnibus antigraphis Græcis, videlicet ſuis. Sed illa ab aliis aliarum regionum exemplaribus hac in parte diſſidere non eſt dubium. Certè etiam regia noſtra, quæ ſunt de Complutenſibus expreſſa, nobiſcum faciunt. Denique nec ipſe Robertus probat ut illis verbis hic locus detur. Quænam verò ea tranſponendi fuerit occaſio, dicemus ſuo loco. Græcorum codicum varietas.

CAPUT XV.

1. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. 2. Unuſquiſque veſtrûm proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. 3. Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. 4. Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus. 5. Deus autem patientiæ & ſolatii, det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundûm Jeſum Chriſtum. 6. Ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, & patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. 7. Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei. 8. Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum 9. Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tui cantabo. 10. Et iterûm dicit: Lætamini Gentes cum plebe ejus. 11. Et iterûm: Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi. 12. Et rurſus Iſaias ait: Erit radix Jeſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt. 13. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo: ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti. 14. Certus ſum autem fratres mei & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omnia ſcientia, ita ut poſſitis alterutrum monere. 15. Audaciùs autem ſcripſi vobis fratres ex parte, tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo: 16. Ut ſim miniſter Chriſti Jeſu in Gentibus: ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta & ſanctificata in Spiritu ſancto. 17. Habeo igitur gloriam in Chriſto Jeſu ad Deum. 18. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium, verbo & factis: 19. in virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti: ita ut ab Jeruſalem per circuitum uſque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti. 20. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: ſed ſicut ſcriptum eſt. 21. Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. 22. Propter quod & impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc. 23. Nunc verò ulteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis 24. cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero. 25. Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare ſanctis. 26. Probaverunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Jeruſalem. 27. Placuit enim eis: & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentibus: debent & in carnalibus miniſtrare illis. 28. Hoc igitur cum conſummavero, & aſſignavero eis fructum hunc: per vos proficiſcar in Hiſpaniam. 29. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Chriſti veniam. 30. Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum, 31. ut liberer ab infidelibus qui ſunt in Judæa, & obſequii mei oblatio accepta fiat in Jeruſalem ſanctis, 32. ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiſcum. 33. Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

Pſa.68.b.10. *1.Cor.1.b.10.* *Pſal.17.d.50.* *2. Reg. 22. d.50.* *Pſal.106.a.1.* *Iſa.11.c.10.* *Iſa.52.d.15.* *1.Cor.9.b.11.*

SUMMARIUM.

Monet ut firmi ferant infirmos. Hortatur ad concordiam. Chriſtum oſtendit Judæis promiſſum & redditum: Gentibus ex miſericordia annunciatum. Fructum exponit evangelii ſui in Gentibus. Venturum ad ipſos ſe pollicetur; ſimul atque collectam pauperibus ſanctorum deſtinatam pertulerit Hieroſolymam.

Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere. Poſt inſtructionem infirmorum redit Apoſtolus ad monendos ſui officii firmiores, docens breviter quem affectum gerere erga infirmos, & quomodo cum eis converſari debeant. Eſt autem doctrina generalis: ad quam à ſpeciali tranſitum facit, exhortans omnes tam Judæos quàm Gentiles ad mutuam ſupportationem, pacem & concordiam: ut patebit ex ſequentibus. Idque ſenſit ille qui hîc initium fecit novi capitis. Græca ſic habent. *Debemus autem nos potentes infirmitates impotentium portare.* Potentes ſeu validos vocat firmiores in fide: impotentes autem ſive invalidos, quos ſuperiori capite dixit infirmos in fide. Horum ſupportatur infirmitas à firmis, quando ab iis infirmi tolerantur, nec eis imprudenter contradicitur: quando vitatur eorum ſcandalum; denique quum ubi opportunum eſt, inſtruuntur, ut & ipſi confirmentur in fide cæteriſque virtutibus. Annotat Cajetanus Apoſtolum non dixiſſe; benefacimus imbecillitates infirmorum ſuſtinendo: ſed *debemus* id facere: videlicet ad ſignificandum, hoc quod dicit, omninò pertinere ad debitum fraternæ charitatis. Nota ad mores, quibus modis ferenda fratrum infirmitas.

Et non nobis placere. *Nobis* Græcè ἑαυτοῖς, *nobis ipſis.* Non debemus, inquit, placere nobis ipſis in fide & ſcientia noſtra, aut in alio quocumque bono, quod præ aliis habere videmur: ita nimirum ut conſideratione noſtri boni proximum illo bono carentem deſpiciamus, & ſalutis ejus curam negligamus, ut ſolent homines ſibi placentes. Eſt enim metalepſis, qua ex priori poſterius intelligendum datur. Quædam verſio ſic habet: *& non nobis ipſis indulgere.* Quod ſenſu penè idem eſt. Placere ſibi ipſis qui dicantur.

2. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Variant Græci codices. Nam alii legunt ἕκαστος γὰρ, *Unuſquiſque enim*: alii ἕκαστος δὲ, *Unuſquiſque autem.* Plurimi verò Latinis conſentientes, neutram addunt conjunctionem. Rurſus alii legunt ἡμῶν *noſtrûm*, alii, ſed pauciores ὑμῶν *veſtrûm.* Nam & Latina quædam exemplaria mss. *noſtrûm* exhibent, quibus & Syriacus textus & Auguſtinus hunc locum recitans in *lib. de morib. Manichæor. cap. 14.* conſentiunt: eaque lectio reſpondet parti præcedenti, in qua prima perſona expreſſa fuerat.

Senſus autem eſt: Unuſquiſque ſtudeat placere proximo; id eſt, obſecundet ac morem gerat proximo, proximi commoda procuret. Quod ne carnaliter & malè intelligatur, quaſi moneat Apoſtolus obſequendum eſſe cupiditatibus proximorum: addit *in bonum, ad ædificationem*, id eſt, adpromovendum verum ejus bonum, quod eſt fides, juſtitia, ſalus æterna. Quod dum fit, proximus ipſe ædificari dicitur. Nota, quomodo placendum proximo.

3. Etenim Christus non sibi placuit. *Sibi*, Græcè ἑαυτῷ, *ſibi ipſi.* Exemplo Chriſti Domini hortatur ad id quod dixit; ne nobis ipſis placeamus.

At dices, quomodo non ſibi ipſi placuit Chriſtus, in quo nihil erat quod poſſe diſplicere, & in quo per omnia beneplacitum erat Patri? Sed, ut modò diximus, Apoſtolo dicuntur ſibi placere, qui acquieſ- Chriſtus quo ſenſu non ſibi placuit.

cunt in bono suo, non soliciti ut & aliis benè sit: quemadmodum faciebant quos reprehendit capite superiori, qui in sua, quam de ciborum indifferentia & legalium cessatione habebant, scientia ac fide, ita conquiescebant, sicque ea utebantur, ut aliorum scandala non vitarent, nec omninò infirmitates eorum sustinerent. Hoc modo Christus non sibi placuit. Non enim sibi ipsi indulsit; non ita bono suo contentus fuit, quamvis ipse esset optimus & beatissimus; ut non etiam curaret aliorum salutem. *Nam propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis*; passus, crucifixus & mortuus est. Hoc est quod in Evangelio dicit: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*, Et iterùm: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Joan. 5. & 6.

SED SICUT SCRIPTUM EST. Sermo imperfectus; quem ita suppleas ex eo quod præcessit: Sed nobis placuit in bonum, vel ex initio capitis; Infirmitates nostras sustinuit. Sic enim scriptum est Isaiæ 53. *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Atque hoc apertissimum testimonium adferre potuit Apostolus: Verùm ad docendum aliquid quod latebat, voluit Spiritus-Sanctus adduci scripturam minus apertam, quæ habetur in Psalm. 68.

IMPROPERIA IMPROPERANTIUM TIBI CECIDERUNT SUPER ME. Græcè *inciderunt in me*. Verba sunt Christi ad Patrem; quorum sensus est secundùm aliquos; Opprobria seu convitia eorum qui tibi exprobraverunt aut convitiati sunt, dictis aut factis gloriæ tuæ derogantes, ita accepi, ut si in me jactata fuissent: per quod ostendi me totum servire tuæ gloriæ. *Secundùm alios*; Sic ob ea indolui, ut pro illis tamquam meis ipsius peccatis, ad placandam iram tuam in eos qui hæc admittebant, me humiliaverim usque ad mortem crucis: exsolvens quæ non rapui (sicut in eodem Psalmo dicitur) qua in re declaravi quanta mihi cura fuerit salutis eorum.

Improperia Dei quo sensu sustulerit Christus.

Posterior hæc explicatio videtur esse ex mente Apostoli: quia propius facit ad institutum ejus declarandum. Sunt & aliæ expositiones, quas huc adferunt Liranus & Burgensis; sed parum commodæ: secundum quas dicendum potiùs erat; Improperia improperantium mihi ceciderunt super te. Quas proinde prætermitto, petendas à suis authoribus, si quis requirat.

4. QUÆCUMQUE ENIM SCRIPTA SUNT, AD NOSTRAM DOCTRINAM SCRIPTA SUNT. Ostendit se versiculum Psalmi, etsi in persona Christi pronunciatum, non malè ad instructionem eorum quibus scribit, adduxisse, *scripta sunt*, Græcè utroque loco προεγράφη, *præscripta sunt*, vel *ante scripta sunt*, ut legit Augustinus *lib. 13. contra Faustum cap. ult.* & *epist. 137.*

Loquitur Apostolus de iis quæ olim scripta fuerant ex divina inspiratione, id est, de tota scriptura veteris testamenti. Doctrinam quoque intellige qua instruimur ad pietatem & salutem æternam. Quæ doctrina divinis scripturis propria est. Igitur hac sententia declaratur proprius usus scripturæ sacræ: quem & alibi pluribus verbis explicat idem Apostolus, ut 2. Timoth. 4. *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum*. Redarguuntur autem hujusmodi sententiis, primùm veteres hæretici qui vetus testamentum rejecerunt: deinde quicumque in scripturis sacris aliquid contineri putant inutile aut supervacaneum, aut omninò nihil ad pietatem conducens.

Scripturæ sacræ utilitas.

Errores quorūdam circa scripturam sacram.

UT PER PATIENTIAM, ET CONSOLATIONEM SCRIPTURARUM SPEM HABEAMUS. Declarat illud, *ad nostram doctrinam*, non omnes quidem partes utilitatis, quæ ex scriptura sacra colligi queat, recensens; sed finem annotans præcipuum. Pro consolatione, commentator Ambr. legit *exhortationem*. Vox enim Græca παράκλησις utrumque significat: Sed huic loco magis convenit consolatio; quia patientiæ adjungitur. *Sensus est*: Ut exhibentes in adversis patientiam ad quam scripturæ passim hortantur, & ex iisdem consolationem accipientes, nimirum futura & æterna bona promittentibus; spem habeamus eorum bonorum, atque in ea spe roboremur.

Per patientiam & consolationem scripturarū, spes nostra confirmatur.

Hortantur autem ad patientiam, & consolationem suggerunt scripturæ, non solùm monitis, sed etiam propositis ob oculos exemplis eorum qui Deo placuerunt, maximè Christi Domini. Hunc scripturarum usum non ignoravit Jonathas summus sacerdos, quando, ut legitur 1. *Machab.* 12. scripsit in epistola ad Spartiatas, sibi & suis inter tot adversa sanctos libros quos in manibus habebant, esse solatio.

Deus patiētiæ & consolationis & spei nostræ author.

Jam illud observa, quomodo tria quæ hìc nominat Apostolus, patientiam, consolationem, & spem, mox ad Deum authorem ita referat, ut his velut epithetis in obliquo casu adscriptis, Dei nomen exornet; appellans Deum patientiæ & consolationis, & post aliquot versus, Deum spei.

5. DEUS AUTEM PATIENTIÆ ET SOLATII DET VOBIS IDIPSUM SAPERE IN ALTERUTRUM SECUNDUM JESUM CHRISTUM. Comprecatio est exhortatoria ad mutuam pacem & concordiam. *Solatii* Græcè παρακλήσεως, quod modò verterat *consolationem*. *In alterutrum* ἐν ἀλλήλοις, quod Latiniùs vertas, *invicem*, *mutuò*. Sensus est; Deus patientiæ & sanctæ consolationis author, det vobis ut sublatis dissidiis & altercationibus, quas habetis inter vos, sive de justificatione, sive de ciborum ac dierum observatione, idem inter vos mutuò sentiatis, idque *secundùm Jesum-Christum*, hoc est, secundùm doctrinam quam Christus docuit, vel quam tradit religio Christiana. Quod addidit ad excludendam consensionem in doctrina falsa; qualis erat, justificari hominem ex operibus legis; cibos aliquos esse immundos.

6. UT UNANIMES UNO ORE HONORIFICETIS DEUM PATREM DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI. *Unanimes* Græcè ὁμοθυμαδὸν, *unanimiter*. *Honorificetis*, Græcè δοξάζητε, *glorificetis*. Significat acceptiorem fore Deo laudem ipsorum, si sint animis inter se concordes. Sic enim futurum, ut velut ab uno omnium ore laus & glorificatio Dei procedat. Hoc admonet tum propter Judæos & Gentiles, de quibus consequenter agit. Quos omnes vult, positis dissentionibus, uno animo & uno ore Deum glorificare. Illud, *Domini nostri Jesu-Christi*, quidam ad utrumque referunt, *Deum & Patrem*, Deum hominis, Patrem Verbi, intelligentes. Quo sensu Christus Joan. 20. dicit se ascendere ad Patrem suum & ad Deum suum. Aliis magis placet Deum hìc poni absolute; & ad solum Patrem referendos esse genitivos subsequentes. Nam Jesu-Christi Deum dicere non est moris Apostolici.

Deus à nobis uno animo & ore glorificandus.

7. PROPTER QUOD SUSCIPITE INVICEM. Græcè, *Ideò assumite vos invicem*. Est enim idem in Græco verbum προσλαμβάνεσθαι, quod semel & iterùm habuimus capite superiori. *Sensus*: Alius alium sibi adjungat, firmus infirmum, doctus rudem, Gentilis Judæum & contrà: foveatque eum & supportet ac instruat, & ut semel dicam, salutem ejus fraterna sollicitudine curet. Repetitio est, & inculcatio ejus quod jam antè monuerat; idque rursus exemplo Christi.

Invicem suscipere quid sit.

SICUT ET CHRISTUS SUSCEPIT VOS, IN HONOREM DEI. Græcè, *assumpsit nos in gloriam Dei*, licet in quibusdam legatur ὑμᾶς, *vos*: ut facilis est in his vocibus permutatio. *Sensus*: Quemadmodum & Christus nos sibi adjunxit, salutis nostræ curam habuit; adeò ut suo sanguine redemptos, fratres suos ac Dei filios effecerit. Quod sequitur, *in honorem* seu *gloriam Dei*, commentator Ambr. constituit cum priori membro, *suscipite invicem*, alii cum proximo: alii cum utroque; ut sensus sit, Sicut Christus nos assumpsit, ut per hoc Dei gloriam & honorem promoveret: ita

Christus quomodo nos susceperit

vos quoque invicem assumite, ut in unitate & concordia vestra Deus glorificetur.

Potest & hic esse sensus: Assumite invicem in curam salutis, sicut Christus nos assumpsit in hereditatem gloriæ cælestis, ad quam ipse secundùm humanam naturam à Deo assumptus est.

Quibusdam videtur hunc sermonem spectare peculiariter ad Judæos; ac si Paulus Judæus illis dicat: Non debemus aversari Gentiles, nec eis invidere participationem evangelii Christi; sed ut gratiæ ejus consortes, assumendi à nobis sunt: quemadmodum & Christus non Judæos ad quos missus fuit, assumpsit in spem participandæ suæ gloriæ. Et ad hunc sensum aptant ea quæ sequuntur. Mihi probabilius est exhortationem esse communem utrisque; & ita quidem ut intentio Pauli magis dirigatur ad Gentiles: ut patebit ex sequentibus.

8. Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei. Græcè *Dico autem Jesum-Christum ministrum* (διάκονον) *factum fuisse circumcisionis super veritate Dei*, quemadmodum infrà, *super misericordia*. Quamquam pro δὲ nonnulli codices habent γὰρ, *enim*. Tacitè significat Judæorum infirmitatem (ut quorum plerique legalibus adhuc nimium addicti essent) tolerandam esse & supportandam à Gentilibus, qui ea parte erant in fide instructiores & firmiores, utpote contraria opinione non præoccupati: atque omninò docere vult, quemadmodum Augustinus annotat, Gentes humiliter gerere se debere in negotio evangelii, nec insultare Judæis, quòd Christum minus promptè receperint; quod & docuit *suprà cap. 11.*

Judaici populi prærogativa.

Id verò nunc suadet, ostendendo quæ fuerit Judaici populi prærogativa; ut ad quem propriè spectarent promissiones patribus factæ de Christo; cujusmodi nullæ promissiones factæ essent populo gentili. Illud est, inquit, quod dico, Jesum-Christum ministrasse evangelium Judæis (quos nomine circumcisionis designat) per semetipsum illis evangelium prædicando, idque pro veritate seu fide Dei præstanda, id est, Dei fidem servaret.

Christus minister circumcisionis, quo sensu.

Aut quod dicit Christum ministrum fuisse circumcisionis, sic intellige; ministrum fuisse Dei Patris ad circumcisionem, id est, Judæos. Sic enim & Dei fuit Apostolus, ad Judæos, non ad Gentes: *Non sum*, inquit, *missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Matth. 5. Sic & Petro ascribitur Apostolatus circumcisionis, *Gal.* 2. quia nimirum Christi fuit Apostolus ad circumcisionem. Explicare videtur hujusmodi phrasim ipse Paulus *infrà*: ubi vocat se ministrum Jesu-Christi ad Gentes. Porrò veritatem seu fidem Dei quam dixerat, exponit per hoc quod sequitur.

Christus implevit promissiones Judæis factas à Deo.

Ad confirmandas promissiones patrum. Id est, ad implendas promissiones à Deo patribus eorum factas; Abrahæ, Davidi ac cæteris. Confirmatur enim promissio, dum exhibetur res promissa.

9. Gentem autem super misericordia honorare Deum. Græcè δοξάσω, *glorificare*, quemadmodum & legit Augustinus. Repetendum est hîc verbum, *dico*, & supplendus infinitivus, *debere*; ut sensus sit: Gentes verò, quibus nulla facta promissio est, dico debere Deum glorificare & laudibus celebrare, pro misericordia sibi præstita. Misericordiam opponit promissioni, quæ parit aliquod debitum. Nam qui promisit, tenetur ad præstandum. Alioqui, sicut benè dicit Aquinas, etiam ipsa promissio misericordia est. Igitur utrobique misericordia: sed Judæis promissa, Gentibus non promissa, sed tantùm à Prophetis prædicta.

Gentibus misericordia pro Judæis facta quo sensu.

Utri majores Deo gratias debeant, Judæi an Gentiles.

Non ergo minores Deo gratias (ut Hervæus existimare videntur) debent Judæi, quàm Gentiles, quod ex promisso fuerit illis debitum hoc beneficium: Imò verò majores hac parte gratias debent, quod Deus illis Christum salvatorem gratuitò promittere dignatus est. Porrò prædictam à prophetis fuisse misericordiam præstandam Gentibus; probat Apostolus sequentibus testimoniis: maximè propter Judæos, quibus difficile erat persuadere, Gentes vocandas esse ad participationem beneficiorum Messiæ, sibi, non Gentibus promissi. Plura ad hanc rem testimonia qui volet, legat Prosperum *lib. 2. de vocat. gen. cap. 18.*

Sicut scriptum est. Psal. 17. qui idem totus legitur. 2. *Reg.* 22. & continet manifestum vaticinium inexspectatæ vocationis Gentium.

Propterea confitebor tibi in gentibus Domine. In Græcis codicibus non additur *Domine*, nisi in paucis. Additum suspicor ex Psalmo. *Propterea*, Græcè διὰ τοῦτο, *propter hoc*, nempe quod in Psalmo præcedit; ubi Christus Patrem alloqueens inter alia dixerat: *Constitues me in caput Gentium. Populus quem non cognovi, servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.* Item, *Qui subdit populos sub me.* Ergo *propter hoc confitebor tibi*, id est, laudabo te laude divina. Significatur enim confessio laudis. Addo, laude divina; quia confessio ut laudem significat, non legitur in scripturis facta homini, sed soli Deo.

Confessio laudis propriè Deo debita.

Cujus eam arbitror rationem, quia confessio sive laudis, sive fidei, sive peccatorum, sive quæcumque alia, confessio veritatis est, id significante ipso nomine confessionis. Unde Joannes de Joanne, *Confessus est, & non negavit.* Atqui in prædicandis Dei virtutibus, ut bonitate, sapientia, veritate, potentia, non potest laudator modum veritatis excedere: quoniam immensæ sunt: & omnem laudem superant. In aliorum virtutibus potest; ac nimium sæpè contingit ut excedat. Quare meritò sola laus Dei nomen confessionis ut proprium in scripturis sibi vendicat: ut confiteri Deo non aliud sit quàm infinitam Dei excellentiam cum laude agnoscere.

Quomodo Christus in Gentibus Deo confiteatur.

Addit Propheta, *in Gentibus*, id est, secundùm quosdam, pro Gentibus, pro Gentium conversione quam per me facturus es. Secundùm alios, *in Gentibus*, id est, inter Gentes, & per ecclesiam Gentium: videlicet ore omnium te laudantium ob Gentium conversionem. Thomas sic exponit: *Confitebor tibi in Gentibus*, id est, *faciam ut tibi Gentes confiteantur.* Sic enim & Augustinus in Psalmi enarratione: *Tibi per me confitebuntur Gentes.* Quod alii breviter *in Gentibus*, id est, Gentium voce. Hæc enim ferè eodem redeunt.

Quid Psallere.

Et nomini tuo cantabo. Græcè ψαλῶ, *Psallam.* Quo verbo propriè significatur cantus qui fit sonitu fidium: & in scripturis ad solum Deum refertur. *Psallam nomini tuo*, id est, cantu, non vocis tantùm, sed & instrumentis arte factis, celebrabo divinum nomen tuum, ut tu Deus glorificeris. Hoc quoque Christus se facturum dicit in Gentibus; quia per totam Gentium ecclesiam id nunc facit in suis membris.

10. Et iterum dicit. Subaudi scriptura. Lætamini gentes cum plebe ejus. Græcè *cum populo ejus.* Testimonium hoc alii aliò referunt. S. Thomas refert ad locum Isaiæ 66. ubi legitur; *Lætamini cum Jerusalem, & exsultate in ea omnes qui diligitis eam. Gaudete cum ea*, &c. Liranus ad illud ejusdem prophetæ capite 35. *Lætabitur deserta & invia, & exultabit solitudo.* Sunt qui Paulum respicere putent ad versum Psal. 66. *Lætentur & exultent Gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis.* Cajetanus simpliciter ignorare se fatetur unde desumptum sit. Atqui reperitur totidem verbis in cantico Moysi, *Deuteron. 32.* juxta versionem LXX. ubi nos ex Hebræo legimus: *Laudate Gentes populum ejus.* Et eum locum indicant Sedulius, Haimo, Hervæus, Carthusianus & Burgensis à replicatore malè reprehensus: & ante hos omnes Origenes.

Gentes ex æquo participes evangelii cum Judæis.

Sensus autem quem vult Paulus, est hujusmodi: Vos Gentes, cum ex æquo factæ sitis participes beneficiorum Christi cum Populo Dei, id est, cum Judæis, etsi

etſi communes cum eis promiſſiones non acceperitis: agite cum eis commune gaudium, & unà collaudate Deum. Quod ſi fortè non ad literam hoc ſignificatum eſt in illis verbis cantici (de quo non convenit inter interpretes) myſtico tamen ac ſublimiori ſenſu in iis contineri non eſt negandum. Certè ad hujuſmodi laudem & lætitiam Gentes non invitarentur, niſi futuræ ejuſdem boni participes.

11. ET ITERUM: LAUDATE OMNES GENTES DOMINUM: ET MAGNIFICATE EUM OMNES POPULI. Verſus eſt Pſalm. 116. notiſſimus; qui tam Hebraicè quàm Græcè legitur hoc ordine verborum: *Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.* Nam inter αἰνεῖτε & ἐπαινέσατε vix eſt diſcrimen, ut nec inter voces Hebræas iis reſpondentes; niſi quod poſteriùs addere aliquid videtur ad ſignificatum prioris.

Per Gentes & populos iidem intelliguntur.

Inter Gentes & populos quidam hîc diſtingunt, ſicut in ſuperiori teſtimonio: quod populi ſint Judæi in duodecim tribus diviſi; Gentium nomine cæteri populi comprehendantur. Sed obſtat ſequens verſus: *Quoniam confirmata eſt ſuper nos* (id eſt, populum Judaicum) *miſericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum.*

Invitantur ergo omnes Gentes & populi ad laudandum Deum pro miſericordia confirmata, & veritate exhibita populo Iſraëlitico. Non invitarentur autem (ſicut de ſuperiori teſtimonio dictum eſt) niſi participes eorumdem beneficiorum futuræ. Nec participes eſſe poſſent promiſſionis ſpem non habentes; niſi miſericorditer vocatæ. Eſt igitur & hoc apertum vaticinium vocationis omnium Gentium, eiſque prorſus indebitæ: ut maneat illud, *Gentes ſuper miſericordia honorare Deum.*

12. ET RURSUS ISAIAS AIT. Quod ait *rurſus*, non ſignificat Iſaiam aliquid etiam eorum quæ hactenus citata ſunt dixiſſe: nonnulli hoc intellexerunt: ſed indicat aliud poſt ſuperiora teſtimonium hîc allegari, ſive teſtis idem ſit ſive diverſus. Habetur autem apud Iſaiam cap. 11.

ERIT; RADIX JESSE ET QUI EXSURGAT REGERE GENTES, IN EUM GENTES SPERABUNT. *In eum*, Græcè ἐπ' αὐτῷ, *in eo*, conſentientibus Latinis quibuſdam mss. Hoc quoque teſtimonium ab interpretibus LXX. acceptum eſt, apud quos ad verbum ſic legitur: *Et erit in die illa: Radix Jeſſe, & qui exſurgit principari Gentibus, in eum Gentes ſperabunt.* Igitur verbum *erit*, per ſe accipiendum; quemadmodum apud Joelem cap. 2. *Et erit: Omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.*

Porrò quidam in eo quod dicitur, *radix Jeſſe*, ſcripturæ originalis ignorantia, *Jeſſe* caſu recto accipiunt: radix qui eſt Jeſſe: alii dativum faciunt, cohærentem verbo *erit*, ut ſit ſenſus: *Erit radix Jeſſe*; id eſt, Jeſſe habebit radicem, nempe prolem David. Verùm conſtat genitivum eſſe, τῆς ῥίζης: Diciturque Chriſtus radix Jeſſe, vel metonymicè tamquam aliquid pullulans ex ea radice; vel ſecundum Forerium in commentariis Iſaiæ, quod Hebræa vox שרש *ſcarech*, quæ aliàs radicem notat, hîc abuſivè capiatur pro ſurculo qui ſurgit ex radice, nempe ut idem ſit *radix Jeſſe*, quod paulò ſuperiùs apud prophetam *flos* ſive *ſurculus de radice ejus.*

Quo ſenſu Chriſtus radix Jeſſe.

Item Chriſtus radix David.

Quamquam magis apparet radicem ſic uſurpari apud Hebræos, ſicut γλῶσσα apud Græcos, & genus apud Latinos: ut & principem generis ſignificet, & eos qui ab illo ſunt orti. Radix enim alibi per genus exponitur. Nam Chriſtus qui Apoc. 5. ſimili locutione *radix David* appellatur, ejuſdem *lib. cap.* 22. cum expexegeſi *radicem & genus David* ſeipſum nominat.

Jam in eo quod ſequitur, ὁ ἀνιστάμενος, *& qui exſurgit*, præſens loco futuri prophetico more poſitum eſt, *& qui exſurget*, ut noſtri codices habent. Id multi de reſurrectione Chriſti ex mortuis interpretati ſunt, ut poſt alios Cajetanus. Nam & Græcum verbum ἀνίστημι pro varia acceptione præpoſitæ vocis ἀνὰ nunc ſurſum ſe erigere, quod eſt ſurgere, nunc reſurgere ſignificat. Hinc ἀνάστασις νεκρῶν, *reſurrectio mortuorum* paſſim in ſcripturis Apoſtolicis. Verùm ut prior verbi ſignificatio frequentior eſt, etiam in ſcripturis; ita meliùs quoque reſpondet ei quod eſt in Hebræo textu: à quo nec cætera Græcæ lectionis ſenſu diſſonant. Sic enim habet: *Et erit in die illa: Radix Jeſſe, quæ ſtat in ſignum populorum, eam gentes quærent*, ſeu *requirent*, pro quo Hieronymus vertit, *deprecabuntur.*

Senſus autem eſt hujuſmodi: Hoc quod dico, aliquando futurum eſt. Radix Jeſſe, id eſt, Chriſtus oriundus ex ſtirpe Jeſſe patris David ſecundùm carnem, idem ipſe qui exſurget & ſtabit, futurus inſtar ſigni in altum erecti, ad quod undique populi confluant: exſurget, inquam, ut gentibus imperet, ſitque earum princeps: ille eſt quem gentes ſuæ vocationis gratiam agnoſcentes requirent, in quem ſperabunt, adeoque deprecaturæ ſunt: tantùm abeſt, ut ejus imperium & principatum ſunt recuſaturæ.

13. DEUS AUTEM SPEI REPLEAT VOS OMNI GAUDIO ET PACE IN CREDENDO. Totam exhortationem ſuperiorem iterùm precatione concludit. Deum ſpei dicit, quomodo ſuprà Deum patientiæ & ſolatii, ſcilicet authorem. Hîc autem ſpem nominat, vel quia ſuperiùs patientiæ & conſolationi ſpem adjunxerat, dicens: *ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Vel propter hoc quod proximè dixit: *in eum gentes ſperabunt*; ut oſtendat & ipſum ſperare muneris eſſe divini. Gaudium & pacem intelligit quemadmodum capite præcedenti, ubi dixerat regnum Dei eſſe juſtitiam & pacem & gaudium in Spiritu ſancto.

Deus ſpei cur dicatur.

Omne gaudium, Hebræa phraſi, eſt perfectum ac plenum gaudium, velut Jacob. 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres*, &c. Addit autem, *in credendo*; qua ratione ſuprà precatus fuerat ut idipſum ſaperent *ſecundùm Jeſum Chriſtum.* Nam vera pax & concordia non eſt in errore, ſed in vera fide atque doctrina. Alii Hebraiſmum eſſe volunt, *in credendo*; id eſt, per fidem: quaſi dicat: quæ bona acquiruntur fide benè excitata & exercitata. Cui ſenſui favet Chryſoſtomi commentarius.

Vera pax non eſt in errore, ſed in veritate.

UT ABUNDETIS IN SPE ET VIRTUTE SPIRITUS-SANCTI. Græco *inſpe*, *in virtute*; quemadmodum & in Latinis quibuſdam tam ære quàm manu ſcriptis legitur. Quibus & Syra conſentit editio. *Senſus* autem eſt: Ut ſpes in vobis augeatur magis ac magis, augeſcente nimirum cauſa ſperandi, quæ eſt gaudium, pax & mutua charitas: ſpes, inquam, augeatur per virtutem, id eſt, efficacem operationem Spiritus-ſancti.

14. CERTUS SUM AUTEM FRATRES MEI ET EGO IPSE DE VOBIS, QUONIAM ET IPSI PLENI ESTIS DILECTIONE. Hactenus in doctrina & exhortatione verſatus eſt Paulus. Quæ ſequuntur uſque ad finem capitis, partim excuſationem continent, partim ſuæ perſonæ, ſuique miniſterii commendationem. Primùm igitur ne correptionem & inſtructionem ſibi adhibitam moleſtè ferant Romani, quod inter eos eſſent alii docti, alii doctrinæ opinione ſibi placentes; excuſatione utitur cum laude eorum conjuncta; quum dicit nec apud illos deeſſe qui ſimile officium præſtare poſſint. Neque enim quod hîc eis attribuit, ad omnes eos & ſingulos referendum eſt.

Utitur excuſatione Paulus apud Romanos.

Certus ſum, Græcè πέπεισμαι, *perſuaſum habeo.* De qua Græca voce, deque certitudine per eam ſignificata, vide quæ diximus *ſuprà cap.* 8. ad illud, *Certus ſum, quia neque mors*, &c. Hoc quidem loco ſignificatur ea certitudo, quæ ex conſtanti rumore & ſermone hominum fide dignorum habetur. Atque id eſt quod dicit, *& ego ipſe*, nempe libenter credens ea quæ de vobis ex aliis audio. Illud *& ipſi* copulat cum eo qui loquitur: non in eo quod eſt plenum eſſe dilectione, ſed in eo quod ſequitur; poſſe monere alterutrum, ac ſi dicat: Sicut ego vos ad-

monui, ſic & vos ipſi alius alium admonere poteſtis, utpote pleni dilectione; quæ imprimis in admonente eſt neceſſaria.

Pro *dilectione* Græcè, eſt ἀγαθωσύνης, *bonitate*, pro qua videtur interpres legiſſe ἀγάπης, aut ut Eraſmus ſuſpicatur, ἀγαπωσύνης; quod tamen vix eſt in uſu. Quamquam res eodem redit. Bonitas enim intelligenda eſt, qua utendum ſit in admonendis fratribus. Dicit autem plenos dilectione ſeu bonitate; non quod in ea jam perfecti eſſent, ut plus capere non poſſent; quæ non eſt hujus ſed futuri ſæculi perfectio: Sed propter multitudinem bonorum operum erga fratres; quomodo Dorcas illa plena bonis operibus fuiſſe perhibetur, Act. 9. Reſpicit enim Apoſtolus ad opera dilectionis, non ad charitatis habitualis incrementum: tametſi hoc ex illis ferè conſequens.

Habitus charitatis augetur per opera

REPLETI OMNIA SCIENTIA. Loquitur de ſcientia ſeu cognitione neceſſaria ad mutuã inſtructionem in fide. Sic autem dicit omnem ſcientiam, quomodo paulò antè omne gaudium. Eſtque duplex auxeſis, & in verbo *repleti*, & in dictione *omni*: quaſi dicat, multùm repleti eſtis ſcientia.

ITA UT POSSITIS ALTERUTRUM MONERE. Græcè *Potentes etiam alterutrum admonere*. Sed participium benè reſolvit interpres. Quidam Græci codices pro ἀλλήλους *alterutrum*, id eſt, alius alium, habent ἄλλους *alios*: uti legit & exponit Theophylactus; legiſſe etiam Theodoritum, conſtat ex ejus interpretatione. Verùm noſtræ lectioni ſuffragatur interpres Ambr. pro *alterutrum* legens *invicem*. Et inter Græcos Oecumenius, imò & Chryſoſtomus juxta quoſdam codices, Eraſmus quoque noſtram magis probat lectionem, haud immeritò. Nam conſentanea eſt Apoſtolicæ phraſi pluribus locis.

15. AUDACIUS AUTEM SCRIPSI VOBIS FRATRES EX PARTE. Civilis admodum eſt hæc excuſatio. Quamvis, inquit, non neſcirem eſſe inter vos qui hæc præſtare poſſint: ipſe tamen audaciam ſumpſi ad vos ſcribendi. Rationes cur id fecerit, ſtatim ſubjungit. *Audaciùs ex parte*, id eſt aliquantulò audaciùs, paulò liberiùs. Minuit enim hîc comparativus ſuum poſitivum.

Comparativus minuens ſuum poſitivum.

TAMQUAM IN MEMORIAM VOS REDUCENS. Hæc una ratio eſt excuſans audaciam. Græcè ſic legitur ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς. Quod plerique rectè vertunt verbum verbo reddentes: *tamquam commonefaciens vos*; licet alii, *ſubmonefaciens* malint. Scripſi, inquit, non tam ut docerem vos quæ neſcitis, quam ut commonefacerem aut ſubmonerem, & in memoriam vobis revocarem, tamquam ſcientibus. Poteſt & huc referri illud *ex parte*; hoc ſenſu: Non omnia quæ in hac epiſtola vos docui ignorabatis: ſed bonam eorum partem vobis tamquam ſcientibus ad memoriam reducere volui. Quod annotat Cajetanus Apoſtolum dixiſſe *tamquam*, quòd ad ſimilitudinem commemoratis ſcripſerit, non autem verè commemorando, ſed docendo; parùm probabile eſt: nec convenit cum eo quod præfatus eſt de eorum ſcientia.

Ratio præcipua cur Paulus ad Romanos ſcripſerit. Gratia munus Apoſtolicum.

PROPTER GRATIAM QUÆ DATA EST MIHI A DEO. Hæc præcipua ratio eſt cur ad Romanos ſcribere non fuerit veritus. Refertur enim non ad proxima, ſed ad illud: *audaciùs ſcripſi*. Porrò gratiam dicit Apoſtolici muneris. Non temerè, inquit, feci, ſed ut ſatisfacerem officio divinitus mihi delegato. Gratiam hanc expreſſiùs declarat verbis ſequentibus.

16. UT SIM MINISTER JESU-CHRISTI IN GENTIBUS. Græcè, εἰς τὰ ἔθνη, *in Gentes*, vel *ad Gentes*, ſcilicet docendas. Unde & magiſtrum Gentium ſe vocat 2. *Tim.* 1. Non ſignificat miniſterium ſuum limitatum fuiſſe, ut ſolis Gentibus evangelium Chriſti prædicaret: alioqui, Judæos hac ipſa epiſtola multifariam docens, etiam nominatim, eos compellando, ſui mandati limites fuiſſet prætergreſſus: Sed miniſtrum Chriſti ſe dicit ad Gentes, quemadmodum & ad Gal. 2. ſcribit *creditum* ſibi fuiſſe *evangelium præputij*, quòd voluntas Chriſti mittentis eſſet, ut præcipuè Gentibus evangelizaret, fructumque in iis faceret.

Paulus miniſter Chriſti ad Gentes quo ſenſu.

Miniſter Græcè non διάκονος, ſed λειτουργός. Quod nomen propriè publicum miniſtrum, præſertim ſacrorum, ſignificat, id eſt, ſacerdotem. Nam de ſe velut ſacerdote metaphoricôs, quod ad opus attinet evangelij prædicandi, loquitur Apoſtolus: ſimul innuens Chriſtum eſſe Deum, ut cujus ſacerdotem ſe profiteatur. Ad eamdem metaphoram pertinet quod ſequitur.

SANCTIFICANS EVANGELIUM DEI. Id eſt adminiſtrans evangelium à Deo miſſum hominibus, eoque miniſterio velut ſacerdotio fungens. Id enim ſignificat vox Græca ἱερουργῶν, *ſacris operans*, rem ſacram faciens. Auguſtinus legit *conſecrans* in hujus loci propoſitione. Cum autem ſermo Pauli ſit, ut dixi, metaphoricus: ineptè Calvinus hinc arripit anſam fugillandi ſacerdocium propriè dictum novæ legis, quod oblationibus quotidianis per totam eccleſiam exercetur; quaſi non aliud in eccleſia ſacerdotium agnoſcat Apoſtolus, quàm quod in prædicatione verbi Dei conſiſtat, quod nequaquam conſequens eſt: niſi & veteris legis ſacerdotium hac ratione tollatur, quòd in prophetis & Pſalmis paſſim legamus ſacrificia metaphorica, velut juſtitiæ, miſericordiæ, laudis, contriti cordis, ut Deo accepta commendari.

Obſ. contra Calvinum, Sacerdotium propriè dictum in nova lege eſſe.

UT FIAT OBLATIO GENTIUM ACCEPTA. Græcè εὐπρόσδεκτος, *bene accepta*. Perſiſtit in allegoria miniſterij ſacerdotalis: & Gentes facit ipſam hoſtiam Deo offerendam in hoc miniſterio. Nam oblationem Gentium tranſitivè dixit, pro oblatione & hoſtia quæ ſunt ipſæ Gentes. Fit autem acceptabilis & grata Deo per fidem, qua credunt evangelio.

Gentes hoſtia à Paulo oblata Dei.

ET SANCTIFICATA IN SPIRITU-SANCTO. Et ſuperfluum eſt. Multi quippe Latini codices, Auguſtino quoque ſuffragante non habent; nulli Græci: ac ſenſui officit. Eſt enim ſenſus: ita demum acceptam fore oblationem Gentium Deo, ſi fuerit ſanctificata per Spiritum-ſanctum, tamquam authorem omnis ſanctitatis. Alluſio eſt ad ritum veteris ſacerdotij, quo hoſtiæ Deo offerendæ ſanctificationibus quibuſdam externis præparabantur ac mundabantur, ut acceptabile eſſet ſacrificium. Ita ſignificat Apoſtolus Gentes priùs immundas, per fidem operante Spiritu-ſancto mundatas & ſanctificatas, à ſe velut ſacerdote, gratam & acceptabilem offerri hoſtiam Deo. *Sanctificans* & *ſanctificata*, diverſorum verborum participia ſunt in Græco, ac diverſæ ſignificationis: prout jam utrumque nobis explicatum eſt.

17. HABEO IGITUR GLORIAM IN CHRISTO JESU AD DEUM. Nunc quædam ſubjicit ad apoſtolatus ſui commendationem pertinentia, quibus confirmet jure ſe potuiſſe liberiùs ad Romanos ſcribere. *Gloriam*, Græcè καύχησιν, *gloriationem*. *Ad Deum*, τὰ πρὸς τὸν, ſubaudi κ, more Græco; id eſt, ſecundùm ea, vel in iis, quæ ad Deum ſunt. *Senſus enim eſt*: Cum munus tam præclarum mihi creditum ſit, atque id à me exerceatur non ſine fructu converſionis Gentium, (quod inſinuabant verba præcedentia) habeo certè quod glorier, & quidem in his quæ ad Deum pertinent, id eſt, in rebus divinis, non humanis; ſacris non profanis; idque non in me, qui ex me ipſo nihil poſſum, ſed *in Chriſto Jeſu*, id eſt, per Chriſtum Jeſum. Significat bonum ſucceſſum evangelii, atque eum totum accepto fert meritis Chriſti.

Gloriatio Pauli in Chriſto.

18. NON ENIM AUDEO ALIQUID LOQUI EORUM QUÆ PER ME NON EFFICIT CHRISTUS IN OBEDIENTIAM GENTIUM. *Audeo* Græcè τολμήσω, *audebo* vel *auſim*, quod vulgò dicimus *præſumam*. *Efficit* Græcè & Syriacè *effecit*, quod & in vetuſtis quibuſdam Latinis legitur. Removet à ſe ſuſpicionem inanis & falſæ glo-

riationis; simulq; ex obliquo taxat vanitatem pseudapostolorum, qui in alienis laboribus gloriabantur. Adversus quos apertiùs & ex instituto agit in 2. *Cor. ep. c.* 10. Non sum, inquit, tam vanus & gloriæ cupidus, ut ausim atque in animum inducam commemorare aliquid à me factum, quod verè Christus per me non effecerit; vel expressiùs è Græco, operatus fuerit, id est, quod revera non sit factum. Sed ea tantum loquor quæ per me Christus effecit *in* vel *ad obedientiam gentium*, id est, ut Gētes obediant evangelio. Qua parte non finem solummodo, sed effectum indicat sui ministerii, scilicet Gentium conversionem. Dicit autem *per me Christus*, modestiæ causa, totum quod fecit & profecit, attribuens Deo per Christum: uti benè post Chrysostomum Oecumenius annotavit.

Obedientia Gentium finis & effectus Paulinæ prædicationis.

Verbo & factis. Græcè, *sermone & opere;* quomodo transtulit interpres Lucæ ultimo, *potens in opere & sermone*. Igitur verbum intelligitur evangelicæ prædicationis: opus autem in patrandis miraculis: quemadmodum explicatur parte sequenti.

19. In virtute signorum et prodigiorum. Id est, per potentiam declaratam signis & prodigiis. Dependet hæc pars, ut præcedens, ab eo quod dixit, *per me Christus effecit*. Inter signa & prodigia distinguit Theophylactus, quod *Signa* dicantur miracula quæ possint etiam fieri per naturam, licet non ita repentè, nec eo modo, ut febres curari: quod miraculum est si verbo vel tactu solo fiat: *Prodigia* verò quæ nullo modo fieri possunt per naturam; ut cæcum illuminari, mortuum suscitari. Eodem fermè redit quod alii signa dicunt esse minora miracula, prodigia majora.

Signa & prodigia quo differāt.

Verùm hujusmodi discrimen scripturæ nusquam indicant, sed signa & prodigia promiscuè vocant, quæcumque supra naturam fiunt aut fieri videntur. Itaque verisimilius est hæc duo non distingui, nisi ratione; quod signa dicantur: quia per ea ut res novas & insolitas, semper divinitus aliquid hominibus significatur. Fiunt enim ad docendum homines aliquam divinam veritatem. Prodigia verò Græcè τέρατα, quod admirationem & stuporem excitent.

In virtute Spiritus-sancti. Græcè & Syriacè *spiritus Dei*. Hæc pars trifariam exponi potest. Græci conjungunt cum membro præcedenti, ut subaudiatur, factorum, id est, quæ signa & prodigia facta sunt, non dæmonum præstigiis, sed virtute Spiritus-sancti per me operantis. *Alii* distingunt à parte proxima, & referunt ad *obedientiam Gentium*, quæ est opus Spiritus sancti. Quæ tamen expositio coactior videtur. *Tertiò* potest intelligi de charismatis Spiritus-sancti, ut sunt dona linguarum, prophetiæ, discretionis spirituum, interpretationis sermonum, & cætera quæ enumerantur 1. *Cor.* 12. Hæc enim peculiariter ascribi solent Spiritui-sancto. Et hoc genus etiam alibi commemorat Apostolus inter ea argumenta quibus veritas evangelii confirmatur. Loca annotavimus suprà ad illud cap. 1. *secundùm Spiritum sanctificationis*.

Charismata propriè attributa Spiritui sancto.

Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. *Per circuitum*, Græcè ἐν κύκλῳ, *& in circuitu*. Significat se longè lateque evangelium propagasse, videlicet ab Hierosolyma ad Illyricum, quæ est extrema pars Macedoniæ versus Septentrionem, hodie Sclavonia nuncupata: neque id recta solum via inter ea duo loca: sed quaquaversum per adjacentes hinc inde regiones. Nec intelligas eum suæ prædicationis initium fecisse ab Hierosolyma; (constat enim ex historia *Act.* 9. prius ac statim à sua conversione eum prædicasse Damasci; &, ex epistola ad Galatas primo, demum post tres inde annos, Hierosolymam venisse) sed Hierosolymam & Illyricum velut terminos nominare, intra quos evangelium ipso prædicante cucurrit. Quàm multa verò & quæ loca Paulus à tempore suæ conversionis usque ad tempus scriptæ hujus epistolæ peragraverit, evangelizans Christum, ex actis ejus à Luca descriptis discere licet. Illud explicandum, quo sensu Paulus dicat se repleviss e evangelium Christi per ea loca, cum res magis postularet ut diceret se ipsa loca evangelio repleviss e: & in hunc sensum multi exponunt, ut per antiptosin dixerit *evangelium* pro *evangelio*. Sed si id vellet, addidisset, omnia loca, aut quid simile.

Illyricum hodie Sclavonia.

Quo sensu Paulus evāgelium repleverit.

Quidam hoc modo supplent: ita ut repleverim evangelium hominibus credentibus: quasi fingat Apostolus evangelium ut rete quoddam quo homines velut pisces captos concluserit. Alii Paulum interpretantur impleviss e, id est, plenè annunciasse evangelium.

Rursùs alii impleviss e evangelium, hoc est munus evangelii prædicandi sibi demandatum. Porrò Theophylactus repletum à Paulo evangelium intelligit, quod verbum prædicationis non fuerit ei inane & ociosum, id est, inefficax, sed multo cum fructu conjunctum.

Est qui Paulum exponat evangelium impleviss e per ea loca, quia supplendo diffudit: *cœperant enim*, inquit, *alii priores: sed ipse longiùs sparsit*. Quod mihi non videtur iis quæ proximè sequuntur, *non ubi nominatus est Christus*, &c. satis consentaneum.

Alii denique Paulum impleviss e dicunt, id est, dilatasse evangelium Christi, famamque ejus ac notitiam extendisse. Quæ enim implentur, ea dilatantur & extenduntur. Quæ quidem expositio nobis maximè probatur. Est enim peculiaris scripturæ phrasis, replere pro diffundere, extendere, propagare: quamvis à paucis animadversa. Qua usus est nepos Jesu filii Sirach, haud dubiè secutus Hebræum fontem, Ecclesiastici cap. 24. ita scribens: *Qui implet quasi Phison, sapientiam*. Et iterùm: *Qui adimplet quasi Euphrates, sensum*; Græcè σύνεσιν *intelligentiam*. Ubi verbum implendi in eam significationem quam dixi, docte exponit Jansenius.

Expositio præ cæteris probanda.

Quid implere sapientiam & intelligentiā.

Et Græca quidem nonnulla priori loco sic habent; *Qui implet quasi Phison omnia sapientia sua*: Sed ad hunc modum mutavit quispiam, cui sermo mancus & inconcinnus videbatur. Nam Romani codices, & alii quos vidi, non aliter habent quàm quod reddidit noster interpres. Simile est in illa ad Salomonem apostropha ejusque libri cap. 47. *Replesti in comparationibus ænigmata*: (quamvis & ibi Græci codices dissideant.) Nam sequitur: *ad insulas divulgatum est longè nomen tuum*. Ad eādem phrasim pertinere videtur etiā illud 2. ad Tim. 4. *Ut per me prædicatio impleatur: & audiant omnes Gentes*. De quo dicemus suo loco.

20. Sic autem prædicavi evangelium hoc: Græcè, *Sic autem studens sive annitens evāgelizare*. Est enim in Græco participiū φιλοτιμούμενον, quod propriè significat eum qui per ambitionem agit quippiam aut assequi contendit. Verùm eo Paulus abutitur in bonam partem, significans quanto studio conatus fuerit exsequi munus suum Apostolicum evangelizandi. Syriacè; *sollicitè curās evangelizare*: nēpe prout sequitur.

Non ubi nominatus est Christus. Id est: non iis in locis, quibus Christus jam erat annunciatus: ad quæ prædicatio evangelii jam pervenerat.

Ne super alienum fundamentum ædificarem. Fundamentum intelligit fidei Christianæ. Alienum vocat quatenus ab alio Apostolo vel prædicatore jactum est. Nam ipsum in se diversum esse non potest. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. 1. Cor. 3. Ædificasset ergo Paulus super alienum fundamentum, sicut hîc loquitur, si evangelium prædicasset apud eos, quibus jam ab aliis fuerat prædicatum.

Fundamentum alienū quodnam vocet.

Paulus quomodo non super alienū fundamentū ædificaverit.

Non est autem sensus Paulum studiosè cavisse, ne usquam prædicaret ubi Christus fuerat annunciatus. Nam Damasci prædicavit, ubi jam antè Christiani erant, quos volebat vinctos perducere Hierosoly-

mam, *Act.* 9. Romanis quoque Petri prædicatione converſis, nunc ſcripto, poſteà verbo Chriſtum evangelizat. Verùm hæc egit, non tam ut Apoſtolus cujus eſt fundare & plantare, quàm ut rigator, confirmator & conſolator, quemadmodum ipſe proteſtatus eſt ſub initium ejus epiſtolæ: magiſque in tranſitu & per occaſionem, quàm ex propoſito; ſicut dicit in ſequentibus, ſe Romam pertranſiturum, ut in Hiſpaniam proficiſcatur, ubi nullum adhuc fidei fundamentum poſitum erat.

Ergo dicendo *ne*, vel ut in Græco ἵνα μὴ, *ut ne ſuper alienum fundamentum ædificarem*, explicat ut dixi, munus Apoſtolicum, quod erat evangelium annunciare infidelibus, & novas ſubinde eccleſias fundare: quibus deinde præficerentur epiſcopi. Unde dicit 1. *Corinth.* 3. *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Et iterùm: *Fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat.*

Itaque ſenſus eſt expoſitivus, non cauſalis. Sic evangelium prædicavi per ea loca, ut non ſuperædificaverim ſuper alieno fundamento. Hoc enim Apoſtolorum eſt. Forſan autem etiam hic pſeud-Apoſtolos æmulos ſuos perſtringere voluit: qui ſuper alienum fundamentum malè ædificantes, tamen Apoſtoli videri volebant.

SED SICUT SCRIPTUM EST. Subaudi; ſic prædicavi, vel prædicare conatus ſum.

21. QUIBUS NON EST ANNUNCIATUM DE EO, VIDEBUNT: ET QUI NON AUDIERUNT, INTELLIGENT. Locus eſt apud Iſaiam cap. 52. in quo Gentium vocatio multis ac diſertis verbis deſcribitur. Citat autem & hoc teſtimonium Apoſtolus ſecundum verſionem LXX. interpretum; qui verba præterita *viderunt & intellexerunt*, pro quo Hieronymus *contemplati ſunt*, mutaverunt in futura; nimirum intelligentes hanc eſſe Prophetiam futuri, non narrationem rei præteritæ. Quod autem in quibuſdam exemplaribus editionis LXX. loco περὶ αὐτοῦ *de eo*, legitur περὶ αὐτῶν *de eis*, non ſolùm diſſonat ab hac Paulina citatione; verùm etiam contextui prophetico minùs benè congruit. Nam de uno homine, id eſt, Chriſto, erat ſermo proximè præcedens.

Præterita pro futuris apud prophetas.

Quamquam in Hebræo neutrum legitur. Sic enim habet: *Quod non narratum eſt eis viderunt: & quod non audierunt intellexerunt.* Additum tamen *de eo*, ſenſum adjuvat; qui eſt hujuſmodi: Gentes quibus antea nihil de Chriſto fuerat annunciatum, videbunt eum per fidem, Apoſtolis prædicantibus: & qui de eo nihil audierant, intelligent, id eſt, mentis aſſenſu recipient eum, & ut Syrus vertit, *acquieſcent*, utique per obedientiam fidei.

Prophetæ teſtimoniũ Paulus ſuo accommodat inſtituto.

Hoc propheticum teſtimonium, quod generatim de Gentibus loquitur, quibus de Chriſto ſalvatore venturo nihil fuerat à Prophetis annunciatum; Paulus ſpecialiter accommodat ſuo inſtituto, referens illud ad eas Gentes, ad quas aliorum Apoſtolorum prædicatio nondum pervenerat.

22. PROPTER QUOD ET IMPEDIEBAR PLURIMUM VENIRE AD VOS. *Plurimùm* Græcè τὰ πολλὰ: quod poteſt etiã verti *ſæpenumerò*: Et in eum ſenſum exponũt Græca ſcholia. Dum, inquit, aſſiduè occupor in prædicando Chriſti evangelio apud eos quibus hactenus non eſt annunciatũ; præpeditus ſum ab eo quod ſæpè deſideravi & in animo habui, ut ad vos venirem.

pars huic loco ſuperflua.

ET PROHIBITUS SUM USQUE ADHUC. Iſta pars in multis & in melioribus Latinis codicibus nõ legitur, ut nec in Græcis eſt, nec in Syriaco. At neq; veterum commentarii agnoſcunt. Pelagius etiam expreſsè removet; quum dicit Apoſtolum illis verbis: *propter quod & impediebar plurimùm*, &c. exponere id quod in capite epiſtolæ dixerat: *Sed prohibitus ſum uſq; adhuc.* Eſtque ſimilis annotatio apud Theophylactum. Ex quibus ſatis apparet, ex eo loco huc aſcriptum eſſe à quopiam, tamquam pertinens ad ejuſdem impedimenti excuſationem, ſicut illic annotavimus.

23. NUNC VERO ULTERIUS LOCUM NON HABENS IN HIS REGIONIBUS. Græcè, *non amplius locum habens*. Regiones intelligit Achaiam & Macedoniam. Eas enim paulò pòſt nominat; & in Achaia erat Corinthus, ubi hanc ſcribit epiſtolam.

Cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis. In Græco & Syriaco tantùm eſt, *à multis annis*. Senſus: Nunc verò cum per has regiones ita propagaverim evangelium, ut in iis ampliùs locum non habeam ab evangelio vacuum; ideoque neceſſitas mihi non ſit hîc remanendi; cumque præter hæc magno tenear deſiderio jam à multis annis ad vos proficiſcendi, voſque inviſendi. Pendentem ſententiam abſolvunt quæ ſequuntur.

Pauli deſiderium viſendi Romanos.

24. CUM IN HISPANIAM PROFICISCI COEPERO, SPERO QUOD PRÆTERIENS VIDEAM VOS. Plus eſt in Græco. Sic enim habet: *Quandocumque iero*, id eſt, cùm primùm iter inſtituero *in Hiſpaniam, veniam ad vos*: *Spero enim tranſiens videre vos*, id eſt, ſpero me in tranſitu vos inviſurum. Quòd in Græco eſt ὡς ἐὰν, alii vertunt *ſi quando*; tamquam hæſitanter Apoſtolus loquatur de conſilio ſuo adeundi Hiſpaniam, & conſequenter de ſalutandis in tranſitu Romanis. Qui ſermo nec Romanos excitare poterat in ſpem videndi Pauli; nec congruit ſequentibus, ubi affirmat ſe per eos in Hiſpaniam profecturum. Quare melius eſt, *quandocumque* ſeu *cum primùm*. Quod & noſter interpres voluit. Quæ tamen interpretatio meliùs quadrabit ſi legamus, uti legit Faber, ὡς ἄν, idque uſurpatum pro ὅταν ſive ἐάν, id eſt, *quando, quandocumque*.

Deducere eſt honoris cauſa proſequi diſcedentem.

Et à vobis deducar illuc. Pendet conſtructio à parte præcedenti, ut patet ex Græco. Spero, inquit, fore ut iſtac iter faciens videam vos, & illuc, id eſt in Hiſpaniam, à vobis deducar. Deducere Græcè προπέμπειν, eſt honoris cauſa ducere & proſequi abeuntem, ſubminiſtratis etiam ſi ſit opus, rebus ad iter agendum neceſſariis. Quam hujus verbi ſignificationem manifeſtè declarat, quod ſcribit Joannes Apoſtolus *in ep. ad Caium* de fratribus itinerantibus; *Quos*, inquit *benefacies, deducens dignè Deo. Pro nomine enim ejus profecti ſunt, nihil accipientes à Gentibus. Nos ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi.* Sic deducere frequenter accipitur *in Actis Apoſt.* Quod apud Amb. commentatorem pro *deducar* legitur *præmittar*, imperitia fuit interpretis. Cui ſimile illud in noſtra verſione *Tit.* 3. *Zenam legiſperitum & Apollo ſollicitè præmitte*, Græcè προπεμψον *deducito, ut nihil illis deſit.*

SI VOBIS PRIMUM EX PARTE FRUITUS FUERO. Græcè ἐμπλησθῶ, *impletus* ſive *expletus fuero*. Sẽſus eſt: Ubi priùs aliquot dies apud vos commoratus, conſuetudine veſtri deſiderium meum aliquatenus explevero. Significat ſe ex illorum colloquio magnum gaudium & voluptatem accepturum. Dicens autem *ex parte*, oſtendit deſiderii ſui magnitudinem, quod paucorum dierum aſpectu & ſermone nequeat plenè ſatiari. Quoniam autem in Græco non eſt verbum quod frui propriè ſignificet; nihil opus hoc loco quærere aut diſputare: quomodò rectè dicatur homo homine frui. Locus erit opportunior ad illud epiſtolæ ad Philemonem: *Ego te fruar in Domino.*

Rectene homo homine fruatur.

25. NUNC IGITUR PROFICISCAR IN JERUSALEM MINISTRARE SANCTIS. Græcè, *Nunc autem proficiſcor in Jeruſalem miniſtrans ſanctis*. Syra quoque legunt *autem*, non *igitur*. Senſus eſt: Nunc Hieroſolymam iter inſtituo, occupatus in negocio mihi injuncto, ut ſanctis, id eſt, fratribus qui ſunt Hieroſolymis & inopia laborant, eleemoſynam procurem, adferamque. Non enim vult dicere Paulus ſe Hieroſolymam proficiſci miniſtraturum ſanctis; quod noſtra verſio ſonat: ſed jam occupatum eſſe in hoc miniſterio.

Nec enim miniſterium vocat ſolam pecuniæ collectæ in pauperes erogationem: ſed eo nomine comprehendit, ut dixi, totum pecuniæ colligendæ, perferendæ & tradendæ negocium. Quod etiam ali-

Quid miniſtrare ſanctis.

bi ministerium vocat, ut 1. *Cor.* 16. & 2. *Cor.* 8. & 9. Pertinet eodem quod *Act.* 6. viduæ Græcorum, sive, ut ita dicam, *Græcistarum* (ἑλληνιστῶν) leguntur despectæ fuisse in ministerio quotidiano; id est, neglectæ & posthabitæ in dispensatione quotidiana rerum necessariarum. Porrò qua ratione fideles ab Apostolo sancti vocentur, etsi non omnes sancti sint; diximus sub initium hujus epistolæ.

26. PROBAVERUNT ENIM MACEDONIA ET ACHAIA COLLATIONEM ALIQUAM FACERE IN PAUPERES SANCTORUM QUI SUNT IN JERUSALEM. *Collationem*, Græcè κοινωνίαν, *communionem* sive *communicationem*, quomodo vocem hanc alibi vertit interpres, ut 1. *Cor.* 10. 2. *Cor.* 8. &c. Digreditur Apostolus nonnihil occasione ejus quod dixit, *ministrare sanctis*. Non enim voluit sine laude prætermittere eos, qui ad subsidium illud sanctorum contulerant. Quos tamen non ita laudat, ut non etiam debitores collati muneris esse doceat. Hoc autem exemplo tacitè Romanos exstimulat ad similem beneficentiam erga fratres egenos, præsertim evangelii ministros, exercendam.

Collatio seu communicatio in paupe-res.

Sensus: Nam placuit ac visum est ecclesiis Macedoniæ & Achaiæ eleemosynam aliquam facere seu conferre (quod fit communicatione facultatum) in pauperes qui sunt inter fideles Jerusalem habitantes; vel, in pauperes sanctos; ut sit locutio transitiva pro intransitiva. Quamquam quod priùs dixi, melius est. Quod autem nominat Macedoniam & Achaiam (quæ magnarum regionum nomina sunt) pro ecclesiis Macedoniæ & Achaiæ, facit ad rei de qua loquitur, amplificationem. Indicat enim fidelium & ecclesiarum per eas regiones tantam esse multitudinem, ut quod illi probaverint, ipsæ provinciæ probasse videantur.

Hæc epistola scripta post utramque ad Corinthios. De qua collatione Paulos hic agat.

Ex hoc loco satis liquet epistolam hanc scriptam esse post utramque ad Corinthios. Nam secundâ ad Corinthios scriptâ Paulus adhuc solicitat apud eos tamquam Achaiæ primarios, ut exemplo ecclesiarum Macedoniæ collectam instituant. Non enim hîc agitur, ut à quibusdam hîc annotatum est, de collatione cujus meminit Lucas *Act.* 11. & 12. quæ fuit longè anterior: sed de alia posteriore, de qua *Act.* 24. Paulus ipse sic loquitur: *Post autem annos plures eleemosynas facturus in Gentem meam veni.* Ad quam etiam pertinet illa commendatio de qua dicit ad Gal. 2. *Tantùm ut pauperes memores essemus.*

Si quidem prior illa collecta sub Claudio Cæsare facta fuit, idque a fratribus Judæis per Syriam habitantibus, & missa (quod Lucas testatur) *ad seniores per manus Barnabæ & Pauli.* Hæc autem imperante Nerone, conferentibus ad eam præcipuè Gentilibus à Paulo conversis per Macedoniam & Achaiam, atque etiam Galatiam: (Hæc enim ab ipso nominatur 1. *Cor.* 16.) procurantibus autem seu ministrantibus Paulo & Sila: quemadmodum ostendemus ad eum locum 2. Cor. 8. *Sed & ordinatus est ab ecclesiis comes peregrinationis nostræ.* Porrò de causa paupertatis sanctorum apud Judæos fratrum, quænam ei fuerit; exponemus ad locum suprà citatum epist. ad Galat.

27. PLACUIT ENIM EIS. Idem in Græco verbum quod modò verterat *probaverunt*. Id autem repetit, ut aliud addat, ac si dicat, *placuit*, inquam, *eis*.

ET DEBITORES SUNT EORUM. Benè, ait, ac justè placuit eis ita facere, quia *debitores sunt illorum*, nempè sanctorum agentium Hierosolymis. Debitores autem non solo debito charitatis ac misericordiæ, verùm etiam quodam debito justitiæ. Sequitur enim.

NAM SI SPIRITUALIUM EORUM PARTICIPES FACTI SUNT GENTILES. Græcè, *Nam si spiritualibus eorum communicaverunt*, id est, *participes factæ sunt Gentes*. Respondet enim hoc verbum ἐκοινώνησαν illi nomini κοινωνίαν *communionem* in versu superiori.

DEBENT ET IN CARNALIBUS MINISTRARE ILLIS. Pro *ministrare*, rursus in Græco verbum est sacris ministeriis peculiare, λειτουργῆσαι. Per quod innuit hanc carnalium subministrationem quæ redditur administrantibus spiritualia, sacram quamdam esse oblationem, ut quæ Deo fiat in suis ministris: quemadmodum olim offerebantur Deo primitiæ ac decimæ in alimenta Levitarum. Nam si, inquit, Gentiles perceperunt à fidelibus Judæis qui sunt Hierosolymis, bona spiritualia, hoc est ad vitam spiritualem pertinentia, qualis est tota evangelica doctrina: debent utique viciſſim illis subministrare & offerre carnalia seu corporalia; quibus nimirum vita corporalis sustentatur. Hoc enim justitia postulat: quemadmodum idem Apostolus docet ac validis argumentis demonstrat. 1. *Cor.* 9.

Ministrantibus spiritualia viciſſim debentur temporalia ex justitia.

Sed quæres, quomo dicat Gentiles participasse de bonis spiritualibus eorum qui Hierosolymis & in Judæa habitabant; cum non illi, sed alii ipsis annunciassent evangelium. Respondeo, cum optima ratione Paulum id dicere, propterea quod Gentiles à Judæis ex illa sancta societate pauperum qui Hierosolymis & in Judæa erant, missis ac profectis, evangelium accepissent. Unde non solùm debitores erant eis qui missi fuerant, ut Paulo, Silæ, Barnabæ; sed & illis à quibus missi, tamquam societati cujus erant membra. Qua ratione etiam hodie sustentatio debetur à populo, non uni aut alteri evangelistæ: sed & fratribus ejusdem monasterii seu congregationis ex qua illis mittuntur. Lege quæ scribit S. Thomas *in comment. & in 2. 2. qu.* 187. *art.* 4. Huc usque digressio.

Quæstio.

Responsio.

28. HOC IGITUR CUM CONSUMMAVERO ET ASSIGNAVERO EIS FRUCTUM HUNC. *Cum assignavero*, Græcè σφραγισάμενος, id est, *cum obsignavero*, *consignavero* Quamquam rectè se habet *assignavero*, si assignare interpreteris signatum adferre & tradere: quomodo solet reddi pecunia. Sic loquitur Paulus significans se collectam a Gentilibus pecuniam perferre nolle nisi obsignatam: ne quis suspicaretur eum in rem suam aliquid inde usurpasse. Studiosè enim semper cavit, ne quam siniſtri rumoris occasionem cuiquam vel Judæo vel Gentili præberet.

Nota ad mores, nemini præbendam siniſtri rumoris occasionem.

Fructum verò appellat eleemosynam, quia res erat bona & utilis, quæ provenerat ex ipsius plantatione & cultura: sicut ait, *Ego plantavi* 1. *Cor.* 3. ac si nunc diceret: Ecce apporto sanctis pauperibus fructum ex mea arbore quam colui. Neque verò solum utilis erat accipientibus, sed & ipsis à quibus provenerat, id est, largientibus: illis quidem ad temporalem vitæ sustentationem: his autem ad incrementum justitiæ, meritumque vitæ æternæ: quemadmodum pluribus explicat ipse Paulus 2. Corinth. 9. Nam fructum referri potissimùm ad largientes, ex alio simili loco docetur. Sic enim ait ad Philip. 4. *Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.* Atque ita fructum exponunt Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius.

Eleemosyna cur fructus dicatur.

PER VOS PROFICISCAR IN HISPANIAM. Græcè, *discedam per vos in Hispaniam*. Sensus totius periodi: Hoc igitur, quod dixi me facturum, simul atque perfecero, & fratribus qui Hierosolymis sunt, obsignatam tradidero pecuniam, inde ad vos ibo, per vos abiturus in Hispaniam, id est, id facere propono ac spero. Sic enim suprà dixerat; *Spero quod præteriens videam vos.*

Verum igitur dixit, licet eventus, Deo aliter disponente, proposito non responderit. Nec audiendus Hugo Victorinus dicens: quamvis mentitus non fuerit Apostolus, *verba tamen quæ dicebat, falsum significasse.* Neque enim verba significant falsum, quæ verum habent sensum: ut de verbis Pauli jam declaratum est, vero sensu fuisse ab eo dicta; quemadmodum & Thomas benè explicat *in commentario.*

Verum dixit Paulus, licet eventus non fuerit secutus.

Porrò non id factum esse, quod Paulus animo conceperat, *ex historia actorum* ejus à Luca descripta *cap.* 21. & *sequentibus*, perspicuum est. Nam ut Hierosoly-

mam venit, concitato adversum se Judæorum tumultu comprehensus est, & captivus Romam missus, inibique biennio detentus. Quæ prima fuit ejus captivitas Romana.

An Paulus aliquando venerit in Hispaniam, dubitatur.

An autem ex ea liberatus (nam post illud biennium vixit adhuc novem circiter annos) aliquando Hispaniam adierit, dubitari potest. Affirmat enim id Epiphanius, adversus Carpocratitarum hæresin disserens. Sed ex qua veteri historia comprobari id possit, nondum reperi; nec admodum vero simile est ita esse. Non enim legitur Paulus in Hispania ullam fundasse ecclesiam. Quod certè fecisset more suo, ac cæterorum Apostolorum, qui nullas regiones adiisse leguntur, in quibus ecclesias non constituerent: ita videlicet eos dirigente Spiritu-sancto qui & Paulo prohibuit ne in Asia & Bithynia verbum loqueretur *Act.* 16. quando nondum volebat iis in regionibus ecclesias congregari.

Ac sanè quid magnum fuerit in Hispania Paulum fuisse, si nulla in ea Christianæ fidei vestigia reliquit? Verùm quoniam & aliis diversum sentientibus, sua non desunt argumenta: (nam in utramque partem testes & rationes adferunt Baronius *tomo 1. Annal. ecclesiastic. ad an. Dom.* 61. & Pererius *in disput. huius loci*) nos de ea re tota liberum lectori judicium relinquimus.

29. SCIO AUTEM QUONIAM VENIENS AD VOS IN ABUNDANTIA BENEDICTIONIS EVANGELII CHRISTI VENIAM. In plerisque codicibus aberat vox *evangelii*; ut nec legitur apud commentatores Latinos. Sed eam restituerunt Romani correctores ex vetustis exemplaribus. Siquidem in Græcis atque etiam Syriacis ita legitur: *in plenitudine benedictionis evangelii Christi veniam*. Plenitudo benedictionis, Hebraismus est, isque duplex. Significat enim plenam & abundantem benedictionem, id est, fructum atque proventum, tamquam effectum benedictionis, hoc est, beneficentiæ divinæ.

Quid plenitudo benedictionis.

Sensum verò hunc reddunt: Scio me quum ad vos venero, cum amplo & copioso fructu fidei vestræ, proventuro ex evangelio Christi, venturum. Scio meum adventum vobis allaturum magna incrementa fidei vestræ & donorum Spiritus-sancti. Scire se dicit, non certitudine fidei vel evidentiæ, sed fiduciæ, quam valdè bonam de illis conceperat, ex præcedente eorum fide & obedientia.

Porrò Chrysostomus exponit hoc modo: Scio me quum venero, vos inventurum repletos omnibus donis spiritualibus. Qui sensus plus habet modestiæ; & congruit cum eo quod suprà dixit: se certum de Romanis quod pleni sint dilectione seu bonitate & omni scientia. Sunt & aliorum aliæ expositiones; sed eas ut parum probabiles omitto.

Rogat Paulus cum obtestatione Romanos, ut pro se Deum orēt.

30. OBSECRO ERGO VOS FRATRES PER DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM. Rogat cum obtestatione, ut pro se & successu evangelii ac ministerii sui Deum orent.

ET PER CHARITATEM SANCTI SPIRITUS. In Græco, & Syriaco, & Latinis quibusdam abest *sancti*. Charitatem spiritus vocat, quæ authorem habet Spiritum-sanctum. Nam charitatem intelligere videtur eorum ad quos scribit; qua videlicet Paulum ac cætera Christi membra diligebant: tametsi nonnulli de charitate quæ est ipse Spiritus-sanctus, interpretentur.

UT ADJUVETIS ME IN ORATIONIBUS VESTRIS PRO ME AD DEUM. *Vestris* multi Latini codices non addunt: ut nec in Græco legitur. Porrò Græcum verbum συναγωνίσασθαι non significat quomodocumque adjuvare, sed concertare, id est, pugnantem & laborantem adjuvare. Unde sequitur de adversariis.

31. UT LIBERER AB INFIDELIBUS QUI SUNT IN JUDÆA. *Qui sunt* in Græco non est, & pro *infidelibus* participium est ἀπειθούντων; quo significantur qui suasionem non admittunt. Uno verbo *increduli* aut *imperstuasi* dici possunt. Syrus *contumaces* vocat. Tales erant infideles Judæi pertinaciter resistentes evangelio. *Sensus*: ut postquam in Judæam venero, liberer ab incredulis qui in ea sunt, ut in manus eorum non incidam. Sciebat enim Apostolus se in Judæa periclitaturum, ut qui Judæis propter euangelium ad Gentes translatum, vehementer esset exosus.

Periclitatur Paulus à Judæis infidelibus.

Quid autem ei acciderit proficiscenti in Judæam, ac deinceps in ipsa Judæa: Lucas itineris ejus socius luculenter exponit *Act. 20. cap. & in aliis sequentibus*. In quo *cap.* 20. legitur factas ei fuisse insidias à Judæis navigaturo in Syriam: videlicet, arbitror, non solùm ut ipsum interciperent & occiderent; verùm etiam ut pecuniam quam à Gentilibus collectam deferebat Hierosolymam, auferrent. Neque enim res latere poterat quæ publicè per ecclesias gerebatur.

ET OBSEQUII MEI OBLATIO ACCEPTA FIAT IN JERUSALEM SANCTIS. Multi mss. codices hoc modo & ordine legunt: *Et obsequii mei oblatio in Hierosolymam accepta fiat sanctis*. Græca sic habent, ἡ διακονία μου ἡ εἰς Ἰερουσαλήμ, &c. *Et ut ministerium meum quod est in Hierosolymam, acceptum fiat sanctis*. Syriacè: *Et ministerium quod defero sanctis in Jerusalem, bene susciptatur*. Quamquam apud Chrysostomum & Theophylactum illud *in Jerusalem* non apparet. Et alioqui satis ex superioribus intelligitur. Reliqua pertinentia ad variam lectionem hujus loci, videbis in notatione F. Lucæ. Nam de sensu satis convenit, qui hujusmodi est.

Orate etiam ut hoc meum ministerium quo fungor in perferenda Hierosolymam eleemosyna, sanctis pauperibus qui in ea sunt, acceptum ac gratum sit, eosque lætificet. Quod futurum erat, si larga esset eleemosyna, si salva perferretur, nec propter personam Pauli deferentis displiceret. Erat enim Paulus etiam fidelibus Judæis suspectus, tamquam Mosaicæ legis adversarius, ut liquet *Actor. cap. 21.*

Paulus etiam fidelibus Judæis suspectus propter legalia.

Cæterùm libet hoc loco annotare & quærere: Si Paulus implorat orationes Romanorum fidelium pro se ad Deum; cur non vicissim ac similiter Romani implorent orationes Pauli? Et si Pauli viventis in hac carne mortali, cur non etiam hac mortalitate exuti, & regnantis cum Christo? Quod si in primo nulla est Christi mediatoris injuria, certè nec in ultimo. Argumentum validissimum adversus sectarios ecclesiam catholicam calumniantes, quod invocando sanctos ut Deum pro nobis orent, uni mediatori Christo injuriam faciat. Et quidem Paulus frequens est in hujusmodi petitione, *ut Ephes. 6. Coloss.* 4. 1. *Thess.* 3. *Heb.* 13. *& ad Philemonem.*

Obs. contra Sectarios, Invocationem Sanctorum ex hoc loco stabiliri.

32. UT VENIAM AD VOS IN GAUDIO. *Ut* eventum significat. Sensus enim est: Ita fiet ut cum gaudio veniam ad vos.

Piorum est omnia bona à Deo exspectare, & in omnibus ab ejus providentia pendere.

PER VOLUNTATEM DEI. Hoc addit, quia piorum fidelium est omnia bona à Dei voluntate exspectare & in omnibus à nutu providentiæ Dei pendere: quemadmodum docet Jacobus *suæ epist. cap.* 4.

ET REFRIGERER VOBISCUM. Corrigendi codices in quibus *ut* pro *&* legebatur. Græcè ἵνα συναναπαύσωμαι, ad verbum, *& conrequiescam vobis*, id est, una vobiscum refociller, quietem aliquam & recreationem apud vos capiam post labores & pericula.

33. DEUS AUTEM PACIS SIT CUM OMNIBUS VOBIS AMEN. Optat eis pacem à Deo pacis authore, videlicet respiciens ad contentiones quæ inter eos fuerant; tam de justificatione inter Judæos & Gentiles, quàm de legalium observatione Judæis ipsis inter se.

Deus pacis.

CAPUT XVI.

1. COmmendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris: 2. ut eam ſuſcipiatis in Domino dignè ſanctis: & aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit: etenim ipſa quoque aſtitit multis, & mihi ipſi. 3. Salutate Priſcam & Aquilam adjutores meos in Chriſto Jeſu, 4. (qui pro anima mea ſuas cervices ſuppoſuerunt: quibus non ſolus ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium) 5. & domeſticam Eccleſiam eorum. Salutate
Actor. 2. a. 2. g. 26. Epænetum dilectum mihi, qui eſt primitivus Aſiæ in Chriſto. 6. Salutate Mariam, quæ multùm laboravit in vobis. 7. Salutate Andronicum & Juniam, cognatos & concaptivos meos: qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto. 8. Salutate Ampliatum dilectiſſimum mihi in Domino. 9. Salutate Urbanum adjutorem noſtrum in Chriſto Jeſu & Stachyn dilectum meum. 10. Salutate Apellen probum in Chriſto. 11. Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino. 12. Salutate Triphænam & Tryphoſam, quæ laborant in Domino. Salutate Perſidem chariſſimam, quæ multùm laboravit in Domino. 13. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem ejus & meam. 14. Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen; & qui cum eis ſunt, fratres. 15. Salutate Philologum & Juliam, Nereum & ſororem ejus, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis ſunt, ſanctos. 16. Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti. 17. Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt: & declinate ab illis. 18. Hujuſcemodi in Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones, & benedictiones, ſeducunt corda innocentium. 19. Veſtra enim obedientia in omnem locum divulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos ſapien-
Act. 16. a. 1. tes eſſe in bono, & ſimplices in malo. 20. Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Jeſu-Chriſti vobiſcum. 21. Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Jaſon, & Soſipater, cognati mei. 22. Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam, in Domino. 23. Salutat vos Cajus hoſpes meus, & univerſa Eccleſia. Salutat vos Eraſtus arcarius civitatis, & Quartus, frater. 24. Gratia Domini noſtri Jeſu-Chriſti, cum omnibus vobis, Amen. 25. Ei autem, qui potens eſt vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jeſu-Chriſti, ſecundùm revelationem myſterii temporibus æternis taciti, 26. (quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum ſecundùm præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti, 27. ſoli ſapienti Deo, per Jeſum Chriſtum, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

SUMMARIUM.

COmmendat Romanis Phœben eccleſiæ miniſtram. Varias deinde ſubjicit ſalutationes. Monet cavendum ab iis qui ſerunt diſſenſiones præter doctrinam traditam. Denique gratiam Dei illis precatur, cum ſubjuncta doxologia.

OMMENDO AUTEM VOBIS PHOEBEN SOROREM NOSTRAM. Hoc ultimum caput penè totum ſalutationibus occupatur: incipit autem à commendatione Phœbes, cui perferendam Paulus hanc tradit epiſtolam. Sororem vocat, non quo ſignificet uxorem ſuam aliquando fuiſſe, quam nunc habeat ſororis loco: qui commentarius explodendus eſt: (Non enim dicit ſororem meam ſed *noſtram*: & ſi meam diceret, haud ulla ratio eſſet uxorium aliquid hîc ſuſpicandi) ſed ſororem religione, id eſt, Chriſtianam: quomodo fideles omnes ſeſe mutuò fratres & ſorores appellabant.

Fideles omnes Apoſtolo vocantur fratres & ſorores.

QUÆ EST IN MINISTERIO ECCLESIÆ QUÆ EST IN CENCHRIS. Rectiùs *Cenchreis*. Eſt enim triſſyllabum, Græcè κεγχρεαῖς. Porrò Cenchreæ (quarum etiam mentio fit *Act.* 18.) portus erat & ſtatio navalis Corinthiorum, inſtar oppidi, ad ſinum Saronicum: de quo Plinius *lib. 4. natur. hiſt. cap. 4. Quæ eſt in miniſterio*, Græcè ἣ στιν διάκονον, *quæ eſt miniſtra eccleſiæ*, &c. non quòd in eccleſia ſacro diaconatus officio functæ fuerint aliquando mulieres, quibus nec loqui in eccleſiis permiſſum eſt, 1. *Cor.* 14. Sed miniſtra Eccleſiæ Cenchreenſis vocatur, vel quia Cenchreis habitans ſolita eſſet ſuſcipere & fovere miniſtros verbi Dei; vel potiùs, ut cenſet Chryſoſtomus, quia deputata erat alicui miniſterio ſpectanti ad eccleſiam, quod tamen per fœminam obiri poſſet, aut oporteret. Erant enim olim quæ appellabantur diaconiſſæ, non altari ſervientes, ſed aliis quibuſdam eccleſiæ miniſteriis addictæ. Ea miniſteria quæ fuerint, diſcere licet ex eis quæ ſcribunt Ignatius *in epiſt. ad Antich.* & Epiphanius *in hæreſi Collyrid.* ac rurſus in *extremo cap. totius operis adverſus hæreſes*: denique ex iis quæ habentur lib. 2. *conſtit. Apoſt. cap. 26. & lib. 3. cap. 15. & 16.*

Cenchrea quis locus.

Diaconiſſæ in primitiva eccleſia.

2. UT EAM SUSCIPIATIS IN DOMINO DIGNE SANCTIS. *In Domino*, id eſt, propter Dominum, cui illa ſervit in ſuo miniſterio: ut in illa locum habeat quod Dominus dicit ad ſuos diſcipulos Matth. 10. *Qui recipit vos, me recipit*. Convenit huic ſenſui quod additur, *dignè ſanctis*: id eſt, ita ut decet ſuſcipi ſanctos, hoc eſt, fideles fratres ac ſorores, præſertim laborantes in Domino. Simili ſermone Joannes Apoſtolus Caium monet ut peregrinos fratres deducat *dignè Deo*, id eſt, quomodo decet deduci cultores & miniſtros Dei.

ET ASSISTATIS EI IN QUOCUMQUE NEGOTIO VESTRI INDIGUERIT. Aſſiſtere ſive adeſſe alicui, eſt operam ei ſuam accommodare, eum adjuvare.

ETENIM IPSA QUOQUE ASTITIT MULTIS, ET MIHI IPSI. Græcè: *Nam & ipſa aſtitrix multorum fuit, & mei ipſius*. Habet enim emphaſim, ſimul & commendationem auget nomen προστάτις *aſtitrix, adjutrix*. Sic namque non ab uno aut altero actu dicitur, ſed à frequentia & aſſiduitate. Oſtendit igitur æquum eſſe ut ei in negociis ſubveniatur, quæ ipſa multorum & ipſius Pauli adjutrix & procuratrix fuerit. Quidam de hoſpitio præbito interpretantur: Verùm ſignificatio vocabuli generalis eſt. Sequuntur ſalutationes: in quibus obſervare eſt inſignem humanitatem Pauli, qui tam multus & officioſus fuerit in ſalutando.

Προστάτις aſtitrix cur Phœbe dicatur.

Pauli humanitas in ſalutando.

3. SALUTATE PRISCAM ET AQUILAM. De his agit Lucas *Act.* 18. ubi Priſca diminutivo, ceu blandiore vocabulo Priſcilla nominatur; quemadmodm & hîc legitur in pleriſque Græcis codicibus, & apud Chryſoſtomum. Erant autem, ut ex eo loco conſtat, Priſca & Aquila conjuges, ambo Judæi (licet Aquila Ponticus genere) ſcenofactoriam artem exercentes, & in religione Chriſtiana non vulgariter inſtituti; ut qui Paulo uſi fuiſſent magiſtro domeſtico. Unde ſicut, *eod. cap. Act.* legitur, Apollo Alexandrino, viro in ſcripturis potenti, ſed minus plenè viam Domini edocto, diligentiùs atque exactiùs eam expoſuerunt. Et tunc quidem edicto Claudii Cæſaris Roma cum cæteris Judæis ejecti Corinthum venerant: Verùm Claudio mortuo, tum ipſis, tum aliis Judæis in urbem redeundi facta eſt poteſtas. Nam de eorum reditu vel hæc ipſa epiſtola ſatis teſtatur, ſecundo poſt exſtinctum Claudium anno Romam miſſa ad fideles magna parte Judæos. Qua de re conſule Baronium *in annalibus eccleſ.*

eadem Priſca & Priſcilla.

Laus Priſcillæ & Aquilæ.

Cur autem hoc loco & *Act.* 18. ſemel & iterùm, ac rurſum 2. *ad Tim.* 4. Priſca prior viro nominetur, hanc rationem adfert Liranus, *quia prius credidit, & ordo gratiæ præponendus eſt ordini naturæ*. Et ante Liranum gloſſa interlinealis Act. 18. *Fides mutavit ordinem: Unde non eſt maſculus vel fœmina*. Alii alias adferunt rationes. Certè, ut hoc ordine nominentur, non eſt perpetuum. Nam 1. *Cor.* 16. viri nomen priori loco ſcribitur: ut veriſimile ſit idcircò mulieris

Cur Priſcilla prior viro nominata.

nomen interdum præponi, quod notior ac nominatior esset apud fideles, sive propter egregium studium evangelii promovendi, quod indicat Chrysost. *Homilia 10. super epist. 2. ad Timoth.* sive propter aliam causam, quæ nos lateat.

ADJUTORES MEOS IN CHRISTO JESU. *Adjutores* Græcè συνεργοὺς, id est, *cooperatores*. Quamquam & Erasmus adjutores vertendum putavit. Quidam, teste Oecumenio, retulerunt istud ad commune opificium texendi tabernacula; de quo narrat Lucas *in Actis*. Sed non propter hoc vocaret eos cooperarios suos in Christo. Sic igitur Priscam & Aquilã adjutores suos in Christo nuncupat, sicut in sequentibus Urbanum & Timotheum, & in epistolis *ad Philip. 4. & ad Col. 4.* alios quosdam suos vocat adjutores, utique *in Christo Jesu*, id est, in iis quæ ad fidem Jesu-Christi provehendam pertinent. Cujus item rei testificatio est in *prædicto Actorum loco*.

Adjutores in Christo qui dicantur.

4. (QUI PRO ANIMA MEA SUAS CERVICES SUPPOSUERUNT. Græcè numero singulari τὸν τράχηλον, *cervicem*. Sensus: qui pro mea vita tuenda semetipsos objecerunt periculo. Metaphora sumpta ab iis qui cervice vel humero sustinent onus alioqui ruiturum: nisi potiùs ab iis qui suam cervicem aut jugulum resecandum præbent pro alio. Videtur Apostolus respicere ad illud suum periculum, quod in *eodem cap. 18. Actor.* describitur: quando in ipsum Corinthi agentem uno animo insurrexerunt Judæi, pertrahentes eum ad Tribunal Gallionis proconsulis, & ut rerum novarum authorem accusantes. Potest etiam referri ad historiam cap. 19. quando periclitatus fuit Ephesi ab argentariis. Nam Priscam & Aquilam per id tempus etiam Ephesum devenisse constat ex capite præcedenti.

Quid cervicem supponere pro anima alterius. Pericula Pauli.

QUIBUS NON SOLUS EGO GRATIAS AGO, SED ET CUNCTÆ ECCLESIÆ GENTIUM.) Hoc addit vel quia beneficium conservatæ vitæ ipsius, tamquam communis magistri Gentium, pertinebat ad omnes Gentium ecclesias; vel propter hospitalitatem passim omnibus exhibitam; vel in genere propter evangelii in Gentes propagandi sedulam cooperationem. Quæ postrema ratio præ cæteris placet.

5. ET DOMESTICAM ECCLESIAM EORUM. Pendet à verbo *salutate*. Græcè, *& eam quæ in domo eorum est ecclesiam*, id est, familiam Christianam. Privatam familiam ecclesiam vocat, quod ex fidelibus constaret. Nam ecclesiæ nomen usu Apostolorum generaliter significabat omnem fidelium quamvis exiguam & privatam vel unius tantùm domus congregationem, juxta quod Dominus ait Matth, 18. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Porrò domesticæ ecclesiæ horum conjugum Aquilæ & Priscillæ jam antè meminerat Paulus *in 1. ad Cor.* 16. ut appareat familiam fuisse admodum Christo devotam. Sic & alibi loquitur; ut ad Philemonem: *Et ecclesiæ quæ in domo tua est.* Et Col. 4. *Salutate Nymphan, & quæ in domo ejus est ecclesiam.* Ad quæ loca amplius aliquid de hac appellatione dicturi sumus,

Privata fidelium familia ecclesia dicta.

Hîc verò priusquàm ad cæteras salutationes progrediamur: necessariò mihi movendus es lector, eos ferè omnes qui in hoc capite à Paulo nominantur aut salutantes aut salutandi (de viris loquor) à Dorotheo in sua synopsi recenseri inter septuaginta discipulos Christi: ut Aquilam, de quo jam dictum est, & Epænetum, de quo mox sequitur. Item Andronicum, Ampliatum, Urbanum & cæteros. Verùm authorem illius synopseos, quisquis fuit (nam Dorotheum Tyrium presbyterum & martyrem, cui inscribitur, authorem non esse, cum Baronio Cardinale, aliisque viris doctissimis, planè sentio) rem egit insulsam prorsus ac ridiculam, dum numerum LXX. discipulorum conficit temerè collectis undequaque nominibus Christi fidelium, iis præcipuè quæ vel in Actis, vel in epistolis Apostolicis leguntur expressa: etiam eorum de quibus aut constet, aut plusquam probabile sit, quòd Christum in carne non viderint: ut sunt Titus, Timotheus, Lucas, Philemon, Clemens atque alii. Quorum certè Titus gentilis erat & incircumcisus, Timotheus adolescens, circumcisus à Paulo senescente; ut Christo versante in terris vix puer esse potuerit: Lucas attestante Hieronymo in catalogo, evangelium sicut audierat scripsit, non sicut viderat. Philemon à Paulo Christi notitiam accepit: Clemens à Petro. Quale igitur figmentum est, istos inter LXX. Christi discipulos recensere?

Synopsis de 70. Christi discipulis falsò inscripta S. Dorotheo.

Falsitatis arguitur eadem synopsis.

Idem author ut numerum compleat, septem diaconos huc aggregat, in his Nicolaum advenam Antiochenum, impuræ sectæ principem. Adjicit Demam, Phygellum, Hermogenem Pauli desertores. Denique Cepham quem Paulus reprehendit *Galat. 2.* & Cæsarem, de quo scribit ad Philippenses in fine epistolæ dicens, *Salutant vos qui de cæsaris domo sunt*, in hoc numero reponit: cùm utique Cephas ille non alius sit quàm Petrus: nec Cæsar iste alius quàm Romanus imperator.

Taceo quod etiam Jacobum fratrem Domini his annumerat: quod tres Marcos facit: quod Silam & Silvanum pro duobus recenset. Illud ferendum non est, quod nimia absurditate Priscam & Evodiam fœminas, quarum Paulus meminit, in viros transformat, & episcopatum utrique attribuit. Nam ne de aliis authorem hunc loqui putes (Sunt enim Priscus & Evodus in Ecclesiastica historia; ille, Christi, sicut fertur, discipulus, hic Petri in Antiochena sede successor) apertè declarat de iis se loqui, quorum apud Paulum mentio est; qui profecto non alii sunt quàm mulieres, quas dixi. Sed hæc satis ad commonendum lectorem, ne quod quibusdam accidit, authoritate memorati libelli deceptus, de iis quorum in hoc capite nomina leguntur, aliquid opinetur à veritate alienum. Multò namque satius est simpliciter ignorare qui fuerint, quàm istiusmodi de eis commenta commentariis infarcire.

SALUTATE EPÆNETUM DILECTUM MIHI. Græcè *dilectum meum*, quomodo interpres inferiùs vertit, *Stachyn dilectum meum. Magnum est*, ait Theophylactus, *quempiam esse Pauli dilectum, qui cum judicio, non ad gratiam, neque ex affectu, amare novit.*

QUI EST PRIMITIVUS ASIÆ IN CHRISTO. *Primitivus*, Græcè ἀπαρχὴ *primitiæ*. Nec in Græco legitur *Asiæ*, sed *Achaiæ*, consentientibus Græcorum Chrysostomi ac posteriorum commentariis, nec non versione Syriaca. Verùm Latini codices & expositores constanter legunt *Asiæ*. Et ita se legisse declarat Hieron. scribens in *caput Ezech. 43.* Ita quoque Origenes non solùm in commentario, sed etiam *homil. 11. super num.*

Primitivus Asiæ Epænetus quo sensu.

Suspicio est, in Græcis codicibus accidisse mutationem ex altero loco qui est 1. *Cor.* 16. ubi quidam Achaiæ primitiæ vocantur. Cæterùm, sive Asiæ, sive Achaiæ primitias, id est, primitivos fructus *in Christo* (vel *in Christum*, ut habent complures Græci codices) Epænetum vocat Apostolus, vel quod inter fideles ejus regionis præcipuus esset maximeque insignis, ut nonnulli exponunt; vel potiùs quod tempore primus aut ex primis esset illius regionis qui in Christum crediderant. Sic enim & alter locus qui est ad Corinthios, multò meliùs accipitur. Vide quæ de vocabulo primitiarum, & ejus in scripturis usu, diximus superiùs ad illud cap. 8. *primitias Spiritus habentes.* Si legendum Asiæ: constat intelligi debere Asiam minorem in qua erat Ephesus.

6. SALUTATE MARIAM QUÆ MULTUM LABORAVIT IN VOBIS. *Mariam* Græcè μαριὰμ, ex Hebræo indeclinabile: quemadmodum & scribitur interdum hoc nomen apud Evangelistas; ut *Matth. 1. & 13. Luc. 1. & 2.* Quare sicut ex Abraham Latina

Mariam Hebraicè, Maria Græcè & Latinè.

terminatione fit Abrahamus: ita ex Mariam Mariama fieri poſſet, niſi aliter uſus eſſet authoribus, etiam Evangeliſtis omnibus, quibus paſſim ſcribitur & declinatur μαρία μαρίας, &c. ideò fortè ut Romanum aliquid ſonaret hoc nomen: uti factum in nonnullis aliis. *In vobis*; alii codices *in nobis*. Græcè, εἰς ἡμᾶς *in nos*, vel *erga nos*, id eſt, me meoſque comites, tametſi nec deſunt etiam Græca, quibus legatur *in vos*.

An hæc Maria Caſſobolita.

Porrò quis hic labor vel quod opus fuerit, non exprimit Apoſtolus; quamquam credendum eſt tale fuiſſe quod ad evangelii negotium promovendum pertineret. Quænam item fuerit hæc Maria, non conſtat; etſi recentiores quidam ſuſpicantur eamdem eſſe cum Maria Caſſobolita; ad quam exſtat epiſtola beati martyris Ignatii, Quam enim Paulus ita commendat, ut teſtatur eam erga ſanctum Apoſtolum, ejuſque cooperarios multùm laboraſſe; putant meritò credi eam eſſe quam Ignatius ad ipſam ſcribens vocat Deo dignam, & fœminarum ſapientiſſimam: ac rurſus in epiſtola ad Heronem diaconum, eruditiſſimam, ac ſpecimen piarum fœminarum. Non ſolùm enim nomen, ſed & locus convenit, nec tempus repugnat. Scribit enim Ignatius eam Romæ apud Anacletum (aliâs Cletum) papam fuiſſe, eum ſcilicet qui Clementem, ut ait, ſucceſſorem habuit. Cui tempori ſatis congruit, ut eadem fuerit: eamque opinionem etiam Toletus probabilem cenſet. Rem tamen expendant ſtudioſi.

Junias an Junia.

7. SALUTATE ANDRONICUM ET JUNIAM. Ita meliores codices, non *Juliam*, quod nomen infrà legitur. Nam & Græca & Syria *Juniam* habent hoc loco. Dubium autem, ſitne viri nomen Junias, an fœminæ Junia. Theophylactus fœminam intelligit. At multo ſanè veriſimilius eſt (quod plerique ſentiunt) viri nomen eſſe; propter illud quod ſequitur, *qui ſunt nobiles in Apoſtolis*.

Cognatos ſuos quos vocet Paulus.

COGNATOS ET CONCAPTIVOS MEOS. Utrique nomini μου *meos*, additur in Græco. Cognatos ſuos, id eſt, ejuſdem ſecum generis eos vocat) ut multi exponunt) quia Judæi erant, quemadmodum ſupra *cap.* 9. de Judæis in univerſum dixit, *qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem*. Et ſic eum loqui, ut Judæorum qui Romæ erant gratiam ſibi conciliet. Verùm quia multi Romæ erant Judæi Chriſtiani, & proinde hac generali ratione Paulo cognati; idcircò putant alii cognatos hîc dici magis propriè, ut qui fuerint Paulo contribules, id eſt, de tribu Benjamin; aut fortè etiam propiore ſanguinis vinculo conjuncti. Porrò concaptivos intellige, quod aliquando communia cum Paulo vincula pro Chriſto paſſi fuiſſent. Ubi tamen, aut quando factum ſit, ignoratur.

Apoſtoli nomen largè ſumptum.

QUI SUNT NOBILES IN APOSTOLIS. *Nobiles*, Græcè ἐπίσημοι, *inſignes*. *In Apoſtolis*, id eſt, inter Apoſtolos: non autem, ut quidam exponunt, judicio Apoſtolorum. Largè ſumit Apoſtoli nomen: ut comprehendit omnes eos qui evangelium Chriſti infidelibus annunciant. Quo in genere apparet hos duos non ſegniter laboraſſe, etiam cum Paulo, cui fuere captivitatis ſocii. De vocabulo *Apoſtoli*, ad quos extendatur, vide quæ diximus ad illud primi capitis: *vocatus Apoſtolus*.

Pauli modeſtia.

QUI ET ANTE ME FUERUNT IN CHRISTO. Hoc eſt: qui priores me in Chriſtum crediderunt, Chriſtiani fuerunt. Nam eſſe in Chriſto, eſt eſſe Chriſtianum. Notanda Pauli modeſtia, qui ſic laudat alios, ut ſemetipſum deprimere videatur. Origenes ex eo quod hi viri dicuntur nobiles in Apoſtolis, & ante Paulum in Chriſto fuiſſe; conjecturam ſumit eos ex numero fuiſſe LXXII. Chriſti diſcipulorum. Atque id multi ſequuntur. Verùm hoc ſi eſſet; non de illis hoc tantùm diceret Paulus, *qui ante me fuerunt in Chriſto*, ſed aliquid honorabilius: qui Domi-

An hi duo ex 70. diſcipulis.

num viderunt in carne, qui ab eo vocati ad diſcipulatum, & cum eo converſati. Vel illud, quod de aliis quibuſdam Phil. 4. *quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ*. Nam Chriſtus hoc illis LXXII. dixit: *Gaudete quòd nomina veſtra ſcripta ſint in cœlis*. Luc. 10.

8. SALUTATE AMPLIATUM DILECTISSIMUM MIHI IN DOMINO. Græcè, *Ampliam dilectum meum*; licet Ruffinus Origenis interpres *Ampliatum ſcripſit*, Latinos, uti reor, codices ſecutus: quamquam & textus Ambroſ. *Ampliam* legit. Addit Paulus *in Domino*, nempe Chriſto, ut Chriſtianam declaret dilectionem.

9. SALUTATE URBANUM ADJUTOREM NOSTRUM IN CHRISTO JESU. *Jeſu* Græci codices non addunt: nec omnes Latini. *Adjutorem* rurſus Græcè *cooperarium*. Vocat autem adjutorem ſeu cooperarium *in Chriſto*, ſicut expoſitum eſt ſuperiùs, hoc eſt in iis quæ ad fidem Chriſti propagandam pertinent.

Stachys primus Biſantii epiſcopus.

ET STACHYN DILECTUM MEUM. Hic Stachys à beato Andrea Apoſtolo primus Byſantinæ civitatis Epiſcopus ordinatus eſt: ut legitur *in martyrol. Rom. prid. Calend. Novemb.* Quo etiam loco ſcribitur Ampliatum & Urbanum, & (qui paulò pòſt ſequitur) Narciſſum ob evangelium Chriſti à Judæis & Gentilibus cæſos fuiſſe.

Apelles non idem qui Apollo.

10. SALUTATE APELLEN PROBUM IN CHRISTO. *Probum in Chriſto*, id eſt, probatum Chriſti diſcipulum. Nam Græca vox δόκιμος probatum & ſincerum ſignificat. Probatum intelligit Origenes per tribulationes. Nam *tribulatio patientiam operatur*, *patientia autem probationem*, ſuprà cap. 5. Idem Origenes addubitat, num hic ſit Apollo Alexandrinus, cujus in *Actis Apoſtol.* & in *priore ad Cor. epiſt.* mentio fit. Sed non eſt revera cur dubitetur. Nam Apollo non verſabatur Romæ; & ſi eum ſalutare vellet Paulus, majoribus ornaret titulis, ut virum qualem noverat & qualis *Act.* 18. deſcribitur.

Ariſtobulus Britannis Evangelium prædicavit.

11. SALUTATE EOS QUI SUNT EX ARISTOBULI DOMO. *Domo*, id eſt, familia. Plurimi codices, etiam mss. omittunt (*domo*) ad exemplum Græci textus, ubi ſic legitur: ἀσπάσασθε τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου. Quod ita vertit poteſt, *Salutate eos qui ſunt ex Ariſtobuli domeſticis* ſeu *familiaribus*; atque ipſum imprimis (quod intelligitur) Ariſtobulum. Sicut & mox, ipſum Narciſſum. Nam quod ex hac forma ſalutandi colligunt Latini quidam, ipſos Ariſtobulum & Narciſſum eo tempore domo abſentes fuiſſe ideoque non ipſos ſed eorum domeſticos ab Apoſtolo ſalutari: mihi non videtur conſequens, Græci ſermonis idiotiſmum conſideranti. Nec propter aliquanti temporis abſentiam in ſalutatione prætermittendi erant illi, quorum domeſtici ſalutabantur. Hunc Ariſtobulum ſolitum congregare fideles in ſuam domum, id eſt, fidelium conventus facere, ſignificat Ambroſ. commentator, dum vocat congregatorem fratrum in Chriſto. Ejuſdem tamquam Apoſtolorum diſcipuli & martyris dies natalis in *Rom. martyrol.* notatur *ad idus Martii*. Quo etiam loco Baronius annotat ex Græcorum menologio, miſſum fuiſſe Ariſtobulum ad Britannos Evangelii prædicandi cauſa. Multoſque alios ad eamdem rem teſtes adducit Guilielmus Cambdenus Britanniæ ſuæ pag. 40.

Narciſſus hic an idem cũ Narciſſo Claudii libertus.

SALUTATE HERODIONEM COGNATUM MEUM. Cognatum intellige ut ſuprà, vel gentilem Pauli, id eſt, Judæum, vel potiùs ſanguine conjunctiorem.

SALUTATE EOS QUI SUNT EX NARCISSI DOMO. Id eſt, Narciſſum cum ſuis domeſticis. Hic omnes codices Latini exprimunt *domo*, cum Græcè legatur ut in verſu præcedenti. Narciſſum hunc quidã eumdem faciunt cum Narciſſo potentiſſimo liberto Claudii imperatoris, penes quem illo regnante, quod Suetonius, Tacitus ac Dio teſtantur, ſumma rerum

erat. Sed hanc opinionem ex ratione temporum Baronius refellit *ad annum Domini* 58. Quod autem refert Ambrosiaster, Narcissum de quo Paulus, presbyterum fuisse, *qui peregrinando* suis exhortationibus firmabat credentes; ex eo natum videri potest, quia putatur domo abfuisse Narcissus, quando Paulus hæc scribebat.

Qui sunt in Domino. Id est, eos qui in Christum Dominum credunt. Hoc addit, quod fortasse nondum omnes Narcissi domestici fidem Christi recepissent. Nec erat cur infideles per epistolam, ad solos fideles scriptam, salutaret.

12. SALUTATE TRYPHÆNAM ET TRYPHOSAM, QUÆ LABORANT IN DOMINO. Id est, quæ collaborant evangelio Christi Domini, nimirum eo labore qui sexui illi conveniat. Tryphæna & Tryphosa mulieres fuere nobiles Iconienses, quas Paulus Iconii ad Christum convertit; ut memoratur *in actis Theclæ* virginis fidelioribus.

Salutate Persidem carissimam. Græcè τὴν ἀγαπητὴν, *dilectam*.

Quæ multum laboravit in Domino. Videlicet eodem laboris ac ministerii genere cum fœminis superioribus. Hanc tamen impensiùs laudat, quia *dilectam* vocat, & *multùm* laborasse dicit. Utens autem verbo præteriti temporis *laboravit*, respicere videtur ad labores quosdam peculiares & graves, quos Ecclesiæ causa Persis subiverat. Quod æquè dixerim de Maria, de qua similiter est locutus suprà, v. 6.

Rufus cur electus dicatur.

13. SALUTATE RUFUM ELECTUM IN DOMINO. *Electum in Domino* vocat, vel quod pietate esset insignis inter Christi Domini fideles; vel generali ratione, qua cunctos fideles Apostolus sanctos & electos vocare consuevit. Quamquam prior ratio pluribus placet. Hujus Rufi natalis annotatur *in Rom. martyrol. ad 11. calend. Decemb.* An autem idem sit cum Rufo, cujus patrem Marcus refert fuisse Simonem Cyrenæum, crucis Christi bajulum, quæritur à nonnullis. Certè si Rufus ille apud Marcum & frater ejus Alexander fuere discipuli Christi de LXX. quod plerique sentiunt; non est verisimile hunc Rufum, quem Paulus tantùm appellat electum in Domino, cum illo eumdem esse. Nam LXX. discipuli passim Apostoli salutabantur. Et hoc nomine Paulus eos comprehendit. 1. *Cor.* 15. dicens; *deinde Apostolis omnibus*; quemadmodum illic ostendemus. Adde, quod iste Rufus, hæc Paulo scribente, matrem adhuc habet superstitem, eamque Romæ agentem, ut patet ex verbis sequentibus. Unde & ipsum Romanum fuisse verisimile est: cum Rufus ille evangelicus patre natus fuerit Cyrenæo.

An idem cũ Rufo Simonis Cirenæi filio.

Et matrem ejus & meam. Causa honoris eam quæ Rufi secundùm carnem mater erat, etiam suam matrem nuncupat. Ex quo colligitur fuisse venerabilem fœminam, ac de re Christiana benè meritam.

14. SALUTATE ASYNCRITUM, PHLEGONTEM. Hi duo, simul cum Herodione suprædicto, tamquam Apostolorum discipuli recitantur in martyrologio Romano, ad diem 6. Idus Aprilis.

Hermam, Patrobam, Hermen. Hermas iste, sicut de eo loquitur Rom. martyrologium, *dignè semetipsum sacrificans, acceptabiliſque Deo hostia factus, virtutibus clarus cœlestia regna petivit.* Hunc esse authorem libri qui Pastor inscribitur, putat Origenes in hujus loci commentario. Quam opinionem referunt, ipsi nihil affirmantes, Eusebius *lib. 3. hist. eccl. cap.* 3. & *Hieron. in catal.* Ruffinus sub nomine Hermatis eumdem librum citat in *expos. symb.*

Quis author libri qui Pastor inscribitur.

Sunt qui Hermen sive Hermetem, qui post Patrobam nominatur, authorem illius libri faciant: Sed plures Hermam appellant, id est, eum qui priori loco scribitur; idque etiam Pamelius probat in *annotat. super Ruffini dictam expos.* Siquidem & ipse author libri non semel Hermam se nominat. Sed tamen his in universum obstare videtur, quod in *libro Pontificali*, ubi de Pio primo agitur qui fuit à Petro undecimus, scriptum habetur, sub ipsius Episcopatu fratrem ejus Hermetem scripsisse librum, in quo mandatum continetur allatum ab Angelo Domini, cum veniret ad eum in habitu Pastoris, ut sanctum Pascha die Dominica celebraretur. Cujus rei ipse etiam Pius in sua *prima Epist. decretali* mentionem facit. Et ne hæc dubiæ fidei fortè cuiquam videantur; etiam Tertull. *in fine lib. 3. Carminum* in Marcionem, idipsum confirmat hoc versu: *Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater, Angelicus pastor*, &c.

Liber Pastoris quo loco habendus.

Ex quibus apparet non ab istorum alterutro, qui hîc salutantur, sed multis annis pòst, ab alio quodam sive Herma, sive Hermete, qui frater Pii Pontificis fuerit, librum Pastoris conscriptum esse: nisi quis dicat (quod suggerit Baronius in *annal. ad annum Domini* 159.) diversos esse libros à diversis authoribus editos, quorum posterior exciderit. Nam certè qui nunc exstat, sub Clemente scriptus videtur: Huic enim jubetur author librum, seu libri partem mittere. Tum nec usquam in eo fit mentio Paschatis celebrandi die Dominica.

Cæterùm, quod ad librum attinet; etsi doctrinam revera non inutilem contineat, & ex eo testimonia veteres interdum proferant, adeoque publicè legi quondam solitus sit apud quasdam Græcorum ecclesias; ut testantur Origenes, Eusebius & Hieronymus: inter sacras tamen & canonicas scripturas non habendum constat, sed potiùs inter apocryphas; quemadmodum de eo jam olim censuit Gelasius Rom. Pontifex in decreto de scripturis canonicis & apocryphis. Sequuntur Patrobas & Hermes; pro quo Mercurium vertit Erasmus. Hoc enim Græco nomine Mercurius appellatur. Sed cum Hermes sit etiam apud Latinos nomen proprium; non erat cur in Mercurium (quo nomine mercatorum & furum Deus Latinis propriè vocatus est) mutaretur.

An benè pro Hermete Mercurium scripserit Erasmus.

Et qui cum eis sunt fratres. Id est, Christianos eorum domesticos.

15. SALUTATE PHILOLOGUM ET JULIAM. Incertum, *Juliam* virum dicat an fœminam. Origenes fœminam intelligit, ac suspicatur Philologi conjugem fuisse: & eos qui sequuntur, horum familiares. Hunc Philologum cum Patroba, ut sancti Pauli discipulos, conjungit martyrologium *Rom. pridie nonas Novembris.*

Nereum & sororem ejus. De his nihil exstat: nisi fortè sit ille Nereus qui cum fratre Achilleo à sancto Petro baptizatus, cum eodem martyrum subiit. Quorum diem natalem agit ecclesia Romana *quarto idus Maij.*

Et Olympiadem. In Græco & Syriaco legitur, *Olympam*, ultima apud Græcos circumflexa. Quod argumento est viri nomen esse, quod recto casu dicitur Olympas. Atque hunc unà cum Herodione martyrium pertulisse sub Nerone, testatur ex Metaphraste Baronius *in annal. ad annum Domini* 69.

ET OMNES QUI CUM EIS SUNT SANCTOS. Græcè hoc ordine: *& qui cum eis sunt, omnes sanctos.* Sanctos vocat quos paulò antè fratres, idque à vera sanctitate; nam etsi fortè non omnes quos salutari vult, tales sint, id est verè sancti: communitas tamen ipsa sanctorum est. Qua de re vide quæ diximus *ad cap. 1. hujus epist.* Annotat ex Chrysostomo Theophyl. Paulum in hac epistola tam multos salutasse, quàm in nulla alia; causamque addunt, quia nondum viderat ipse Romanos.

Christiani sancti.

16. SALUTATE INVICEM IN OSCULO SANCTO. Consuetudo erat antiquis, quam Augustinus *quæst.* 87. *in Genesin* etiam suo tempore quibusdam locis fuisse testatur, ut propinquos & amicos advenientes salutari osculo exciperent. Qui mos etiam hodie apud multos servatur. Est enim osculum amoris

Consuetudo salutandi cũ osculo.

Osculum amoris symbolum.

symbolum, à quo & nomen habet Græcis φίλημα. Sed quia amor quidam carnalis est; & rursum alius simulatus: hinc dicit Apostolus *in osculo sancto*, id est, cum osculo, quale decet sanctos, quodque symbolum sit amoris casti, synceri, spiritualis ac divini, quam charitatem vocamus.

Osculum sanctum quod dicatur.

Sanctum igitur osculum dicitur non solùm ad discrimen osculi dolosi, quale fuit quod Joab porrexit Amasæ 2. *Reg.* 20. & Judas proditor Christo, *Matth.* 26. vel osculi impudici; quale est turpiter amantium; sed cujuscumque carnalis osculi: quale est, quodcumque non à Christiana charitate procedit. *Ex hoc sermone*, inquit Origenes, *mos ecclesiis traditus est, ut post orationes osculo se invicem suscipiant fratres.*

Osculum pacis in mysteriis.

Imò nonnulli probabile existimant Paulum utentem hac forma sermonis, (utitur enim & alias, ut in utraque *epist. ad Cor. cap. ult.* & 1. *Thess.* 5. utitur & Petrus 1. *Epist.* 5.) loqui de osculo pacis, quod tempore sacrificij exhibetur ante mysteriorum perceptionem. Vide quæ Baronius hac de re scribit *in annalibus, ad annum Domini* 45. Porrò quibus omninò ex causis honestè sibi mutuò fideles impendant osculum corporale; docet aliquot causarum enumeratione scriptor *libri de amicitia cap.* 6. qui habetur inter opera Beati Augustini *tom.* 4.

Honesta causa osculandi.

Quæri potest hoc loco, cur Paulus in salutandis fratribus, qui Romæ erant, tam officiosus, non etiam Petrum collegam & coapostolum suum salutet, utique vel primo loco salutandum, si Petrus jam tum Romæ cathedram posuerat, uti tradunt catholici scriptores. Hoc enim, inter alia, argumentum est eorum, qui Petrum negant Episcopum Romanum fuisse.

Cur Petrus à Paulo non salutatus in hac epistola.

Quibus respondeo, Petri salutationem à Paulo omissam esse, non quia Petrus non erat Romanus Episcopus, sed quia tunc Romæ non erat, quando scribebatur hæc Epistola. Pulsus enim Roma Petrus edicto Claudij Cæsaris unà cum cæteris Judæis, necdum illuc redierat, occupatus videlicet in propagando longiùs ac latiùs Evangelio. Nec verò Paulus ignorabat Petrum versari in officio suo Apostolico, sicut & ipse versabatur; ideoque non uno loco consistere: sed partim ad eos quibus nondum annunciatus erat Christus, Evangelii sonum prædicando transmittere, partim eos qui crediderant revisendo, in fide confirmare.

Obs. contra Sectarios, Romanum Petri Episcopatum male impugnari ex hoc loco.

Sanè si Petrus eo tempore Romæ fuisset; non utique prætermisisset pro sua authoritate & munere Apostolico, dissidium componere, quod inter fideles Judæos & Gentiles ortum fuerat, & errorem de justitia legis & operum, mentibus eorum penitus eximere. Sed nec Paulus sibi sumpsisset operam scribendi ad Romanos, qui præsentem haberent suum Apostolum & doctorem, præsertim tanti nominis virum.

Quæres cur saltem Petrus ipse si absens erat, ad suos Romanos inter se dissidentes non scripserit? Propterea, credo, quod res ad eum procul agentem non esset perlata. *Nisi dicere velimus*, ait Baronius, hanc epistolam *pro sua defensione Paulum scripsisse, quòd de abrogatis legalibus si negocium factum esset.* Plenius hac de re idem author in annalibus *ad annum Domini* 58.

Salutant vos omnes ecclesiæ Christi. *Omnes* Græca non addunt; exceptis paucis, in quibus postponitur, *ecclesiæ omnes Christi.* Intelligit autem ecclesias apud quas versabatur. Hoc exemplo Pauli, rectè & sine mendacio in epistolis ad amicos, ascribimus salutatores eos quos non convenerimus, dicentes, Salutat te ille vel ille: modò tales sint, qui verè iis ad quos scribitur, optent & perferri cupiant salutem: quales haud dubiè erant ecclesiæ Christi, quæ Paulo non dederant peculiare mandatum salutandi Romanos; sed quarum tamen ille charitatem & affectum noverat, quo Romanis benè & feliciter esse volebant. Sic ad Cor. scribit primæ epist. ult. *Salutant vos ecclesiæ Asiæ.*

Mos ascribendi salutatores absentes haud improbandus.

17. Rogo autem vos fratres. Rogo Græcè παρακαλῶ, quod etiam hortari & consolari significat. Consolari non convenit huic loco. Chrysostomus παραίνεσιν id est, admonitionem sive exhortationem esse dicit: tametsi rectè noster interpres & alii quidam verterunt *rogo, obsecro.*

Ut observetis eos qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt. *Ut observetis*, Græcè σκοπεῖν quod alii vertunt, *ut consideretis*, alii *ut speculemini*; Augustinus legit, *ut intendatis in eos.* Sed sensus omnium idem est. Obsecro vos, inquit, & adhortor, ut vigilanter observetis, etiam cum inquisitione, si qui dissensiones seu dissidia opinionum inter vos suscitant, contra doctrinam quam initio accepistis ac didicistis à Petro Apostolo & aliis quos habuistis evangelii ministros: & per hoc pariunt offendicula, Græcè σκάνδαλα: videlicet multos perversæ, suæ doctrinæ blanditiis attrahentes in ruinam: Illud *præter doctrinam*, &c. propriè referimus ad dissensiones: ex quibus deinde nata sunt sequi scandala: quemadmodum & Chrysost. ejusque sequaces exponunt. *Præter*, id est, contra, quomodo vertit alibi Græcam propositionem παρά: ut hujus epistolæ cap. 1. & 11. *contra naturam*, & cap. 4. *contra spem.* Nec secus interpretandum illud Galat. 1. *Præter id quod accepistis.* De quo latiùs suo loco.

Præter pro contra positum.

Notabis Apostolum non dicere præter scripturam sacram. Nam ea cum sit multis locis obscura, facilè detorquetur in alienam & falsam sententiam: Sed ait, *præter doctrinam quam didicistis*, id est, ut dixi, contra doctrinam vobis initio traditam. Facit igitur hic locus imprimis pro traditionibus non scriptis; facit etiam pro observandis, & ut Theophyl. loquitur, inquirendis diligenter hæreticis, tamquam hominibus noxiis & Christianæ reipublicæ pernicioſis. Innuit præterea his verbis Apostolus plebem Christianam aliquo modo, id est generalibus quibusdam principiis discernere posse doctrinam veram à falsa; ut si ab Apostolis & eorum successoribus tradita sit & accepta; secundùm illud 1. Joan. 4. *Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris. In hoc*, id est, in eo quod est audire vel non audire pastores ecclesiæ, eorumque doctrinam recipere vel non recipere. Porrò rationem cur dissensionem doctrinæ authores Apostolus observari velit, ipse subjungit.

Obs. contra Sectarios Locum pro traditionibus non scriptis.

Doctrinæ veræ à falsa discretio quomodo pertineat ad plebem.

Et declinate ab illis. Ac si dicat: ideo observate, ut ab iis declinetis, id est, eorum consortium fugiatis. Non dicit, disputate cum eis ut convertantur: sed vult eos vitari. Quod & Joannes præcipit in 2. epist. *Si quis*, inquiens, *venit ad vos & hanc doctrinam non adfert; nolite recipere eum in domum.* Ratio manifesta, quia noxia valdè & perniciosa fidelibus eorum consuetudo. Nam, ut alibi dicit Apostolus, *sermo eorum ut cancer serpit.* 2. Timoth. 2. & ut hoc loco statim subjungit, *per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.*

Hæretici vitandi: nec cum eis disputandum.

18. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt. *Christo Domino nostro*, Græcè, *Domino Jesu-Christo.* Qui tales sunt, inquit, ij sua doctrina non serviunt gloriæ Christi, quamvis ita videri velint.

Sed suo ventri. Id est, quærunt unde lautè vivant, & gulam expleant. Ventris mancipia sunt. Judaizantes denotantur, præsertim illi quos 2. Corinth. 11. Pseudo-apostolos appellat: de quibus ibidem; *Si quis devorat.* Et Philip. 3. *Quorum Deus venter est.* Et qui *ventres pigri* vocantur ad Tit. 1. Hæc enim ad eosdem pertinere de quibus hîc agitur, censet Augustinus. Ac de iisdem Theophyl. & Oecumenius exponunt.

Quamvis enim omnibus hæreticis sit communis superbia : præter hoc tamen aliorum hæreticorum alia vitia sunt. Judizantes autem peculiariter ut gulæ deditos notare solet Paulus.

ET PER DULCES SERMONES ET BENEDICTIONES SEDUCUNT CORDA INNOCENTIUM. Græcè numero singulari. ἡ διὰ τῆς εὐλογίας, ἢ εὐ ογίας, &c. *& per blandiloquentiam & benedictionem*, tametsi Syrus quoque pluralem numerum reddidit. Εὐλογίαν alii vertunt *assentationem*, minùs rectè. Nam εὐλογία, *benedictio*, vocabulum medium est, comprehendens non solùm laudes, verùm etiam faustas imprecationes ; licet hîc in malam partem accipiatur. Vide quæ de ea voce diximus suprà ad illud cap. 12. *Benedicite persequentibus vos.* Innocentes, Græcè ἀκακους, vocat simplices & incautos ; qui facilè decipiuntur.

Benedictio vocabulum medium est.

Innocentes in scriptura vocantur simplices.

Hæc quoque pars apprimè quadrat in Pseudoapostolos illos Judæos, propter quos ait 2. Cor. 11. *Timeo ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua : ita corrumpantur sensus vestri*, &c. Atqui in nullos magis hæc eadem competunt, quam in hæreticos nostri sæculi, qui per blandiloquentiam, assentationes, magnifica promissa, perque speciosa nomina verbi Dei, puræ doctrinæ & securitatis conscientiæ decipiunt simplices & imperitos.

Obs. contra Hæreticos nostri temporis, eorum blandiloquia, merito esse suspecta, & cavenda.

19. VESTRA ENIM OBEDIENTIA IN OMNEM LOCUM DIVULGATA EST. Quod hîc legitur, *in omnem locum divulgata est*, Græcè tantùm est, *ad omnes pervenit.* Sed interpres exponere voluit, *ad omnes*, id est, *in omnem locum.* Sensus enim est : Nam vestra quidam obedientia qua promptissimè recepistis evangelium Christi vobis annunciatum, latissimè quaquaversum divulgata est, etiam ad remotiora loca. Hac laudatione præmollit admonitionem sequentem, qua cautos vult reddere Romanos, ne seducantur ab iis quos superioribus verbis descripsit. Obedientiam modo jam explicato passim usurpat Apostolus ; ut hujus *ep. cap.* 1. 10. *&* 15. *&* 2. *Cor.* 9.

Romanorum obedientia in omnem locum divulgata.

GAUDEO IGITUR IN VOBIS. *In vobis*, Græcè τὸ εἰς ὑμᾶς. Latinè dici potest : *quod vos attinet.* Propter quod, inquit, & gaudeo sanè de vobis, ac vestri causa. Nam illa vestra fidei promptitudo tam pervulgata meritò magni gaudii materiam mihi præbet. Jam sequitur admonito.

SED VOLO VOS SAPIENTES ESSE IN BONO ET SIMPLICES IN MALO. Græcè *Volo autem vos sapientes quidem esse ad bonum, simplices autem ad malum.* Sensus est : Sed volo, & ad hoc vos adhortor, ut sitis sapientes quidem & intelligentes rerum bonarum, scilicet ut eas quemadmodum oportet faciatis : (Significatur enim notitia practica quæ prudentiam requirit.) Ad mala verò simplices & innoxii, id est, rerum malarum agendarum imperiti : quomodo Christus dicitur nesciviisse peccatum 2. *Cor.* 5. *Simplices* Erasmus vertit *sinceros.* Nam id etiam significat Græca vox ἀκεραίους, id est, integros, corruptos, ac si dicat Apostolus. Servate vos puros & integros ab admittendo quod malum est, ac nominatim ab omni corruptela doctrinæ quam suggerunt falsi magistri : quos monui vobis observandos esse.

Sapientes ad bonum & simplices ad malum nos esse vult Paulus.

Verùm magis placet *simplices.* Non enim Apostolus, à malo, quod dicendum erat, si significaret *sinceros, incorruptos* ; sed, *ad malum,* Sic & Dominus admonet Matth. 10. dicens : *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices* (ἀκέραιοι) *sicut columbæ.* Nam & Erasmus eo loco vertit *simplices*, quod est innoxij, scilicet more placidorum animalium non habentium cornua quibus offendant aut noceant. Inde enim sumpta translatio Græci vocabuli ἀκέραιοι, quasi dicas, *sine cornibus.* In quem sensum etiam Græci commentatores hunc Apostoli locum exponunt. Estque simile præceptum apud eumdem 1. Cor. 14. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote* : ut sint iidem *simplices ad malum* : & malitia parvuli.

20. DEUS AUTEM PACIS CONTERAT SATANAM SUB PEDIBUS VESTRIS VELOCITER. Græcè, *conteret Satanam sub pedes vestros in brevi.* Latina quoque nonnulla mss. & in his Laudense exemplar, suffragante etiam Primasio, & juxta codices antiquiores Amb. commentatore, legunt enunciativè *conteret.* Quibus & Syriaca versio consentit. Igitur verba sunt vel benè precantis, sicut & Theodoritus intellexit, vel benè sperantis. Deus, inquit, pacis author Satanam per ministros suos errorum magistros calcaneo vestro insidiantem, hoc est ad lapsum & defectionem à recta fide sollicitantem, brevi conterat sub pedibus vestris, id est, citò victoriam de eo vobis tribuat, extinctis penitus inter vos opinionum dissidiis. Quod ipsum etiam brevi facturum confido.

Quid Satanam conterere sub pedibus.

Alludit Apostolus ad illud *Gen.* 3. dictum serpenti : *Ipsa conteret caput tuum*, vel secundùm Græcos codices, *ipse conteret*, Hebraicè, *ipsum conteret* : nempe semen mulieris. Quem scripturæ locum, etsi propriè pertinentem ad Christum, generaliter de fidelibus acceperunt. Hiero. *in lib. quæst. Hebr. super Genesim*, & Chrysost *in eumdum librum hom.* 18.

Quidam satanam interpretantur omnem spiritum adversantem credentibus, sive dæmonem, sive hominem. Nam satan adversarium in genere significat. Ita post Origenem Sedulius. Sed ipsum diabolum intelligi, id est, serpentem antiquum, per se suosque ministros semen mulieris persequentem, & calcaneo ejus insidiantem, satis apparet ex dictis.

GRATIA DOMINI NOSTRI JESU-CRISTI VOBISCUM. Gratiam à Deo per Christum precatur Romanis : ut & satanæ insidiis evadant superiores, & in omni bono proficiant. Nam gratiæ nomine favorem & beneficentiam intelligit, ad omnia quæ sunt pietatis & salutis. Est autem hæc velut hypographe epistolæ, quâ valedicit : quam & infrà repetet, interim alia quædam additurus.

Gratiæ nomine quid significatur.

21. SALUTAT VOS TIMOTHEUS ADJUTOR MEUS ; Humanitatis Paulinæ est non solùm multos salutare, verùm etiam alios salutatores sibi in epistola nominatim adjungere. Nam suprà tantùm generatim dixerat ; *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.* Nominat autem primo loco Timotheum adjutorem, Græcè cooperarium suum, utique in negotio propagandi Evangelii, nempe illum ad quem duæ exstant ipsius Epistolæ : cujus & alibi sæpè cum laude meminit. Porrò *salutat* Græcè est ἀσπάζονται *salutant.* Comprehenduntur enim etiam sequentes.

Humanitas Apostoli Pauli.

Et Lucius. Hunc eumdem esse cum Luca Evangelista sentit Origenes, non abs ratione : ut etiam plerique docti sententiæ ejus subscribant. Nam Lucam cum aliis qui hîc nominantur, adfuisse Paulo per id ferè tempus quo hæc epistola scripta fuit, Acta Apostol. declarant *cap.* 20. ubi loquitur aliquoties in prima persona. Lucam autem Lucium vocat, nomine ad usum Romanum inflexo ; maximè quod ad Romanos scriberet : qua ratione Silam quoque Silvanum alibi vocat. Est quidem *Act.* 13. mentio cujusdam Lucii Cyrenensis, qui erat inter Prophetas & doctores ecclesiæ Antiochenæ ; sed ab hoc diversus. Non enim ille legitur usquam Paulum comitatus fuisse, aut egisse Corinthi, unde scribitur hæc epistola.

Lucius idem qui Lucas.

ET JASON ET SOSIPATER COGNATI MEI. Jasonis meminit Lucas *Act.* 17. Quem apparet Thessalonicensem fuisse. Nam illic domum habebat, in qua quum hospitio Paulum & Silam excepisset, Judæorum violentum impetum & accusationem sustinuit. De quo Jasone Paulum hîc loqui plerique sentiunt. Nec verò est cur dubitetur. Diversus est autem ab illo sive Jasone, sive potiùs Mnasône Cyprio antiquo discipulo, apud quem Paulus cum Luca cæteriisque comitibus hospitaturus erat Hierosolymæ, quemadmodum idem Lucas refert Act. 21.

Jason Thessalonicensis hospes Pauli.

Nam

Nam illi nomen fuisse Mnasôni, non Jasoni, Græcus textus & Syriacus, nec non Latini codices emendatiores, & Romana castigatio, fidem nobis faciunt.

Jason Hebræo nomine Jesus.

Est autem verisimile Jasonem hunc proprio & Hebræo nomine (Hebræus enim erat, Pauli cognatus) vocatum fuisse Jesum. Nam præter-quam quod Judæi, quibus cum Græcis & Romanis erat conversandum, nomina sua flexu quodam (ut paulo antè dixi) ad illorum usum accommodabant: erat Judæis Christianis ratio peculiaris, cur nomen Jesu, si quis illud haberet à parentibus impositum, minimè sibi retinendum putarent, videlicet ob reverentiam Christi Salvatoris, cujus nomen meritò, Christianis omnibus etiam usque in hodiernum diem, religione quadam, est incommunicabile. Mutabant igitur illud nomen in aliquod vicinum, quale est Jason, maximè secundum sonum Græcis vocabulis genuinum.

Nomen Jesu fidelibus venerabile & incommunicabile.

Nec quidem id sine exemplo antiquiore. Nam & ante Salvatoris adventum, idipsum Græcorum gratia factum fuisse, constat ex Josepho, *qui lib.* 12. *Jud. antiq. cap.* 6. loquens de Jasone qui 2. *Machab.* 2. legitur per ambitionem adeptus Pontificatum: *Jesus*, inquit, *Jasonem se vocari maluit.* Vide etiam quæ dicturi sumus ad illud Col. 4. *Et Jesus qui dicitur Justus.* Porrò Sosipater idem est cum eo qui à Luca *Act.* 20. Sopater contracto nomine vocatur, patria Berthœensis. Nam eumdem esse, post Origenem omnes ferè consentiunt: ac res ipsa loquitur. Nam præter nomen, etiam tempus & locus scriptæ epistolæ conveniunt.

Sosipater idem qui Sopater.

Qui verò eumdem faciunt cum Sopatro, ad quem exstat Dionysiij epistola, nihil adferunt rationis: & benè eos refellit Lorinus *in comment. Actor.* 20 Cognatos autem suos vocat Apostolus Jasonem, & Sosipatrum unà cum Lucio: non quod eos in evangelio genuisset, ut vult Origenes *in hujus loci comment.* sed carne cognatos, id est, quod ejusdem secum Gentis vel etiam tribus essent aut familiæ; quemadmodum de aliis antea dictum est. Timotheum his ut cognatum, non opus est adjungi, quamvis ex matre Judæa natum. Nam illi peculiare dedit epitheton, *adjutor meus.*

22. SALUTO VOS EGO TERTIUS QUI SCRIPSI EPISTOLAM IN DOMINO. Hoc quod addit, *in Domino*, referendum ad verbum *saluto*, licet & sic possit exponi; *qui scripsi epistolam* ad gloriam Christi. Cajetanus additum putat *in Domino*, ad excludendum precium scriptionis. Pro Tertio Terentius legitur in Commentario Theoduli Cœlesyriæ Presbyteri. Sed ut arbitror vitiosè. Nam constans est Græcorum & Latinorum codicum lectio, Τέρτος, *Tertius.*

Fabri de Tertio sententia rejecta.

Jacobus Faber accipit hæc verba in persona Pauli dicitque eum se appellare Tertium, id est, tertio loco salutantem. Nam, inquit, *primum locum dedit Timotheo, secundum consanguineis suis Lucio, Jasoni, & Sosipatro; tertium sibi.* Verùm hac ratione non tertium se diceret, sed quintum. Nam quatuor præcedunt. Etsi omninò tertius esset salutator, juxta supputationem Fabri: non πέρτον se scriberet, sed τρίτον id est, tertium.

Τέρτος igitur haud dubiè proprium est nomen: quemadmodum & Κόαρτος, *Quartus*, quem paulò pòst nominat; quamvis & ibi de numero Faber aliquid comminiscitur, ut sibi constet. Rectè commentator Ambr. *Tertius nomine non numero.* Cujus nimirum velut amanuensis opera Paulus fuerat usus in hac epistola scribenda. Is ergo dicit: *Saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam*, scilicet Paulo dictante; qui & hoc scribi voluit: ut proinde hæc verba non minus divina sint quàm cætera.

Tertius Pauli in hac epistola scribenda amanuensis.

Nam quod ex Diodoro Tarsensi Episcopo refert Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothecæ sanctæ, hunc Tertium, *cum esset parum sermone peritus, nec satis inscri-*

Diodori de Tertio Paulo scriba commentum explosum.

bendo exercitatus, epistolam quæ propter multitudinem ac sublimitatem quæstionum, cæteris Pauli epistolis obscurior est, longè reddidisse obscurissimam, dum sensus & cogitationes Pauli elocutionibus interdum confusis, & inabsolutis sententiis, ac transposita nonnumquam ordinis serie conatus est explicare: hoc inquam, nulli docto theologo potest verisimile videri.

Quis enim credat Paulum tam sublimis ac divinæ materiæ dispositionem permisisse notario, loquendi nec scribendi satis perito? Certè Lucam habebat ad manum, comitem fidissimum, ac Græci sermonis haud quaquam ignarum, cujus opera poterat uti, si alieno magis quàm suo charactere scribere vellet. Nulla sit igitur dubitatio, quin Paulus epistolæ dictator fuerit, ac Tertius non aliud quàm scriba, qui verba dictantis exceperit; quamvis eum & Pauli fuisse discipulum proclive est existimare, & posteà factum Episcopum Iconiensem tradunt nonnulli.

Paulus hujus epistolæ dictator: Tertius scriptor.

23. SALUTAT VOS CAIUS HOSPES MEUS. Hospitem suum dicit apud quem hospitabatur. Hic Corinthius erat, quem à se baptizatum fuisse testatur 1. *Cor.* 1. ut ex hoc etiam loco non levis sit conjectura, Corinthi scriptam esse hanc epistolam. An autem hic Caius idem cum eo sit ad quem Joannes Apostolus tertiam suam epistolam scribit, haud omninò constat. Certè etiam illi egregiam laudem hospitalitatis Joannes tribuit, ut eumdem esse satis probabile sit. Et ita sentit Beda in suo *martyrol. ad quartum nonas Octob.* Meminit & Lucas Caii duobus locis Actorum Apostol. scilicet *cap.* 19. ubi Macedonem vocat, & cum Aristarcho conjungit; & *cap.* 20. ubi Derbæum appellat, & ab Aristarcho Thessalonicensi sejungit.

Cajus hospes Pauli, Corinthius & à Paulo baptizatus.

Ex quo apparet esse diversos tam inter se, quàm ab isto Corinthio: nisi de posteriore dicamus patria Derbæum fuisse, habitatione Corinthium. Nam alioqui sanè si locum & tempus attendas scriptæ hujus epistolæ, videbitur idem esse. *Fertur*, inquit Origenes, *traditione majorum, quod hic Caius fuerit Episcopus Thessalonicensis Ecclesiæ.* Sed id potiùs in Caium Macedonem competere existimem.

Quod ad orthographiam attinet hujus nominis, scribendum est *Caius*, non *Gaius*, quamvis Græcè sit γάϊος; ut benè docet Anton. Nebrissensis in *sua quinquagena c.* 21. Est enim origine Latinum, cujus primam literam Græci causa mollioris soni in gamma mutarunt. Plura de eo vocabulo Lorinus *in Act. cap.* 19.

Cajus non Gajus scribendum.

ET UNIVERSA ECCLESIA. Meliores codices tam scripti quàm excusi habent *& universæ ecclesiæ.* Et ita legitur apud Ambr. & Primasium, nimirum genitivo singulari. Nam Græcè est, ὅλης ἐκκλησίας, *& ecclesiæ totius.* Ad eumdem modum Syriacè. Nec opus erat nunc asscribere salutationem ab una ecclesia, quando jam ante scripserat: *Salutant vos omnes ecclesiæ.* Magna commendatio Caii quod non solùm Paulo præberet hospitium; sed totam ecclesiam, id est, Christianos passim adventantes, domo & mensa exciperet.

Commendatio Caij ab hospitalitate.

SALUTAT VOS ERASTUS ARCARIUS CIVITATIS. *Arcarius* Græcè οἰκόνομος. Erasmus quæstorem ærarium vertit: alii curatorem vel procuratorem: Rursus alii, retenta Græca voce, œconomum. Ac ferè interpretantur eum cujus esset publicam administrare pecuniam: sive solus in civitate id muneris obiret, sive cum aliis. Civitatem verò intelligunt Corinthum, propter id quod scribit Apostolus 2. Tim. 4. *Erastus remansit Corinthi.*

Erastus quo sensu civitatis arcarius.

Ex quo rursus argumentum sumunt, Corinthi scriptam esse hanc epistolam. Atqui Pelagius arcarium vocari censet *ex arcario* (sic enim loquitur) id est quod aliquando arcarius fuisset: quomodo David accepisse dicitur Abigail uxorem Nabal 2. *Reg.* 2. hoc est, quæ fuerat ejus uxor. Cui commentario favet quod *Actor* 19. dicitur Paulus cum esset in Asia, misisse

in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi Timotheum & Erastum. Neque enim Erastus, si quæstor adhuc erat Corinthi, quæ est Achaiæ civitas, versari poterat in Asia, vacare Pauli negotiis, & ab eo mitti quò ille vellet. Hic posteà Philippensium fuit episcopus, & martyrio vitam finivit: ut ferunt martyrologia *ad 7. cal. Aug.*

An fratres Secundus, Tertius, & Quartus.

Et Quartus frater. Ex nomine nonnulla conjectura est, hunc Tertij qui scripsit epistolam, fratrem dici secundùm carnem. Quidam fratrem Erasti volunt. Sed non addidit ejus, quod additum oportebat. Neque verò probabile est Pauli fratrem fuisse: neque fratrem, id est, Christianum, peculiariter hunc Apostolus scriberet: cùm id esset omnibus commune, quos hîc nominavit. Habemus & Secundum Pauli comitem per idem tempus, eumque Thessalonicensem. *Act.* 19. An fortè tres fratres fuere Paulo adhærentes, Secundus, Tertius & Quartus? Quarti natalis, tamquam Apostolorum discipuli, notatur in martyrologiis *tertio nonas Novemb.*

24. GRATIA DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI CUM OMNIBUS VOBIS. AMEN. Semel hoc dixit; sed interpositis quibusdam nunc repetit: quomodo scribere solemus: *Iterùm vale.* Cæterùm perpetuus Apostoli Pauli mos est, hujusmodi formula precatoria divinæ gratiæ, in epistolis uti loco valedictionis: id quod per singulas videre est, etiam in ea quæ scripta est ad Hebræos. Et hujus sui moris meminit in fine 2. ep. ad Thess. his verbis: *Salutatio mea manu Pauli; quod est signum in omni epistola: ita scribo, Gratia Domini nostri.* De quo latiùs illic acturi sumus.

Formula valedictionis Paulo in epistolis perpetua.

Sciendum est autem hanc clausulam imprecationis gratiæ, in omnibus aliis epistolis extremam esse; ut etiam est hujus epistolæ versus ultimus in textu Syriaco; nec non in Græcorum commentariis apud quos verba quæ hîc proximè sequuntur, *Ei autem qui potens est*, &c. usque ad finem epistolæ, leguntur in *fine cap.* 14. ibidemque ab illis exponuntur; quemadmodum illic à nobis annotatum est. Ubi & Origenem excipimus, qui ea verba legit quidem & exponit hoc loco: fatetur tamen in nonnullis codicibus haberi proximè subjuncta verbis extremis *cap.* 14. Sanè quod huc non pertineant videri cuipiam potest ex eo, quod ut in cæteris omnibus epistolis videmus, ita & in hac, post clausulam memoratam nihil prorsus sequi debeat.

Verùm quia tam Græci codices qui apud nos sunt, quàm Latini omnes in fine epistolæ legunt hæc verba, magis verisimile est Apostolo ad Romanos scribenti singulare aliquid divino instinctu accidisse, ut postquam epistolam aliena manu scriptam de more concluisset: ipse sui erga ipsos affectus testificandi causa, quædam adhuc velut pro appendice voluerit asscribere sua manu. Quod Romanis gratum fore sciebat.

Hæc epistola à Marcione hæretico truncata.

25. EI AUTEM QUI POTENS EST VOS CONFIRMARE. Refert Origenes Marcionem hæreticum hæc Apostoli verba cum sequentibus de hac epistola penitus abstulisse: neque solùm, sed & ab eo loco ubi scriptum est, *Omne quod non ex fide peccatum est:* usque ad finem cuncta defecuisse. Quæ fortasse causa fuit, cur in hujus & præcedentis partis collocatione, quondam ita ut dictum est, variaverint exemplaria Græca. Porrò continet hæc sententia laudationem Dei insignem, cum gratiarum actione, pro beneficio vocationis Gentium ad salutem: Digna proinde qua totam epistolam, in qua de eo beneficio præcipuè disputatum est, terminaret.

Ei, inquit, *qui potens est vos confirmare*, sive stabilire, scilicet in fide susceptа. Quod dicit propter multos adhuc in fide debiles, de quibus in superioribus. Dicens autem, *qui potens est*, significare vult id omninò à Deo sperandum & exspectandum esse. Quod & alibi hac locutione significat; ex potentia suadens

Opera bona sunt effectus potentiæ Dei.

effectum sperandum, dumtaxat in his quæ sperare jubemur; Ut hujus ejusdem epistolæ cap. 11. *Potens est enim Deus iterùm inserere illos*, &c. cap. 14. *Potens est enim Deus statuere illum*, & 2. Cor. 9. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis*, & Heb. 2. *Potens est & eis qui tentantur auxiliari.*

Evangelium Pauli quid dicatur.

JUXTA EVANGELIUM MEUM ET PRÆDICATIONEM JESU-CHRISTI. *Et*, expositivè dixit; ut sit sensus; Qui potest vos confirmare in fide; qua nimirum adhæreatis doctrinæ evangelij mei, quo vobis prædicavi Jesum-Christum. Suum ergo vocat evangelium, id est, à se prædicatum.

SECUNDUM REVELATIONEM MYSTERII TEMPORIBUS ÆTERNIS TACITI. Sensus: Quia evangelii prædicatione revelatur & manifestatur mysterium omnibus retrò sæculis mundo occultatum & paucis cognitum. Nam tempora æterna Græcè χρόνοις αἰωνίοις dicit universum tempus quod præcessit: quæ interpres alibi vocat *tempora secularia*, ut 2. *Tim.* 1. & *Tit.* 1. Atque ea versio magis congruit. Nam æterna tempora propriè sunt interminata. Mysterium autem intelligit salutis humanæ per Christum. Sensum hunc explicant quæ sequuntur.

Tempora æterna sive sæcularia quæ vocet Paulus.

26. QUOD NUNC PATEFACTUM EST. Græcè, *manifestati autem nunc*, scilicet per Apostolorum prædicationem. PER SCRIPTURAS PROPHETARUM. Græcè, *perque scripturas Propheticas:* ut referatur ad sequētia. Nam cum participio *cogniti* construi debet, ut infrà videbimus. Quod autem dicit *per scripturas Propheticas*, supple; expositas & intellectas.

SECUNDUM PRÆCEPTUM ÆTERNI DEI. Id est, ex mandato seu delegatione æterni Dei facta videlicet Apostolis. Tacitè commendat officij sui dignitatem à magnitudine delegantis, quem proprio vocat epitheto, æternum Deum.

Paulus æterni Dei legatus.

AD OBEDITIONEM FIDEI. Id est: ut fides prompta voluntate suscipiatur. IN CUNCTIS GENTIBUS COGNITI. Græcè: *in omnes Gentes notificati* seu *patefacti*. Ex quo liquet illud, *in cunctis Gentibus*, non esse construendum cum parte proxima, *ad obeditionem fidei*; quasi sensus sit, ut omnes Gentes obediant fidei, aut, ut obediatur fidei per omnes Gentes, quomodo multi Latinorum construnt & exponunt: sed connecti debere cum participio *cogniti*. Refertur autem *cogniti*, ut dictum est, ad genitivum *mysterii*, qui præcessit. Nequo verò in Græco, ubi retinentur genitivi ullum est hyperbaton; sicut apparet in Latino, propter casum in media sententia mutatum, addito relativo *quod*: cum extrema dicantur casu genitivo.

Quidam obscuritati mederi voluerunt includendo notulis parentheticis verba media, *quod nunc*, usque ad *fidei*; Sed id præter sententiam authoris. Quare ex Græco simpliciùs & clariùs veteris ad verbum, hoc modo: *Secundùm revelationem mysterij temporibus æternis taciti, manifestati verò nunc; perque scripturas Propheticas secundùm præceptum æterni Dei ad obedientiam fidei, in omnes Gentes patefacti.* Significat Apostolus mysterium salutis humanæ per Christum adipiscendæ, quondam occultum & mundo incognitum, tandem evangelij prædicatione per Apostolos Dei nuncios, ex scripturis Prophetarum qui omnes Christo & evangelio ejus testimonium perhibent, ut fide suscipiant, latè per Gentes esse manifestatum.

Mysterium Christi quondam occultum per Apostolos mundo publicatum.

27. SOLI SAPIENTI DEO. Referendum ad initium totius sententiæ, *Ei autem qui potens est.* Deus dicitur solus sapiens, quomodo Christus dixit: *Nemo bonus nisi solus Deus*, Luc 18. nimirum ex se, & per essentiam. Nam creatura non nisi participativè bona & sapiens esse potest. Loquitur quidem Apostolus de Patre: quia addidit, *per Jesum Christum.* Sed vocat eum solum sapientem ut Deus est; non ut una persona ex tribus.

Solus Deus sapiens, & quo sensu.

PER JESUM CHRISTUM. Non est sensus, Deum esse sapientem per Jesum-Christum, aut Patrem per

Filium qui ſermo non eſt admittendus: ſed hæc pars hypoſtigmate ſejungenda eſt à præcedente. Et quidem nonnulli ſubaudiunt, gratias agamus; Sicque ſuperiorem ſententiam alioqui præcedentem abſolvunt, ut id quod ſequitur, *cui honor*, &c. ad *Jeſum-Chriſtum* referatur. Verum melius, & ex mente Pauli, abſolvitur parte ſequenti.

Cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. Quidam codices non addunt *cui*; juxta quos nihil erat ſupplendum. Sic enim probè cohæret hæc pars cum tota præcedenti ſententia. Verùm plerique omnes codices tam Græci quàm Latini habent additum; & qui non habent, de eo cauſa perſpicuitatis ablato ſuſpecti ſunt. Itaque Græci expoſitores annotant illud *cui* ſuperfluum eſſe ad ſenſum, ac repetitionis cauſa dumtaxat aſſumptum. Nam & ſimilem locum obſervare eſt in *epiſt. ad Eph.* 3. Iſtis Auguſt. accedit ita ſcribens lib. 3. contra Maxim. ca. 13. *Quod verò additum eſt cui, ut diceretur, cui gloria; cùm ſufficeret, ſi dictum eſſet, ei autem gloria: inuſitatam noſtræ linguæ indicat locutionem, non ſenſum quem requiramus, vel de quo ambigamus, inſinuat.*

Tale quid etiam gloſſator annotavit. *Si*, inquit, *auferas cui, abſoluta eſt lectio.* Et hi omnes illud *per Jeſum Chriſtum*, huic extremæ parti conjungunt: atque eo pacto ſenſum reddunt pleniorem; quo nimirum ſignificetur Deo per Chriſtum gloriam attribuendam eſſe. Denique notandum in Græcis codicibus & multis Latinis mss. nec non apud Auguſtinum loco jam citato, tantum legi, *Cui gloria in ſæcula*, &c. Dictio *honor* addita fortaſſis ex 1. Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali*, &c. qui locus notior, eò quod frequentetur in precibus canonicis. *Sæcula ſæculorum* vocat Apoſtolus ſæcula proprio nomine æterna, & ut Auguſtinus exponit, continuata ſæcula, id eſt, numquam terminanda; tametſi in Græco non additur *ſæculorum*.

Porrò in Græcis codicibus ſubſcribuntur epiſtolæ hæc verba; *Ad Romanos ſcripta fuit* (epiſtola) *è Corintho* (delata (*Per Pheben miniſtram Cenchreenſis eccleſiæ*. Sed non eſt putandum ea verba partem eſſe ſcripturæ ſacræ; ſed à quopiam Græco authore poſteà addita, velut ſubnotationem loci unde, & perſonæ, per quam miſſa ſit epiſtola. Quod & in cæteris omnibus Pauli epiſtolis factum; exceptis iis quas dedit ad Galatas, ad Theſſalonicenſes, ad Timotheum & ad Titum; quæ ſolum loci nomen aſſcriptum habent.

Finis epiſtolæ ad Romanos.

IN EPISTOLAM PRIMAM B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

Duas ad Corinthios epiſtolas, eaſque prolixas, & multiplici doctrina refertas ſcripſit Apoſtolus Paulus: quod eis ipſe primus Chriſtum annunciaſſet, &, ut loquitur in priori epiſtola cap. 4. in Chriſto Jeſu per Evangelium eos genuiſſet. Qua ratione filios ſuos chariſſimos, ſeque eorum patrem eodem loco vocat. Nonnulli, inter quos author commentarii Ambroſio attributi, putant hanc non eſſe primam epiſtolam quam ad Corinthios Paulus ſcripſerit; eo quòd in hac meminerit prioris cujuſdam epiſtolæ ad eos datæ. Sic enim ait cap. 5. *Scripſi vobis in epiſtola.* Sed hoc rectene opinentur an ſecus, videbimus quum ad eum locum perventum erit.

Prior hæc epiſtola non unum, ſed multa ac varia continet argumenta, prout multa erant de quibus vel admonendi Corinthii Apoſtolo videbantur, vel ipſi ab eo inſtrui cupiebant. Nam ipſos per literas ſuper quibuſdam dubiis inter ipſos exortis, Paulum Apoſtolum ſuum conſuluiſſe, liquet ex illo ſeptimi capitis initio; *De quibus autem ſcripſiſtis mihi.*

Sunt autem iſta ſummariè quæ tractantur in hac epiſtola, & hoc ordine. *Primùm*, ac penè ab exordio, Corinthios increpat, quòd factiones inter ſe haberent ex ſtudiis erga magiſtros. Cujus rei mox cauſam aperit, quod ſæcularem ſapientiam immodicé ſectarentur; quibus ipſe è diverſo commendat humilitatem crucis Chriſti, docens ejus myſteria ſæculo eſſe incognita; ac revocat à comparandis & judicandis evangelii miniſtris. *Deinde* eos reprehendit quòd hominem inceſtuoſum & excommunicatione dignum, in ſuo conſortio & in eccleſia tolerarent: quem & Satanæ tradendum judicat. *Tertiò* culpat quod judiciis inter ſe contenderent, idque apud judices infideles. *Quartò* taxat quorumdam impudicitiam: matrimonium commendat, ejuſque leges præſcribit; cui tamen virginitatis ac perpetuæ continentiæ ſtudium anteponit. *Quintò* de carnium idolis immolatarum eſu eos inſtruit. *Sextò* digreditur ad utilem ac neceſſariam ſui commendationem, commemorans quemadmodum gratis ac nullo ſtipendio Corinthiis evangelium prædicaverit: cum juxta

Domini conſtitutionem ex evangelio vivere potuiſſet. *Septimò* generatim eos ad perſeverantiam vitæ Chriſtianæ hortatur, admonens quæ vitia fugere debeant: inde ſtylum reflectit ad argumentum de immolatitiis. *Octavò* docet honeſtatem ſervandam in conventibus eccleſiæ: ne mulieres aperto capite orent. *Nonò* quod ab eis peccatum erat in celebratione Cœnæ Dominicæ, corrigit: rememorata myſteriorum S. Euchariſtiæ inſtitutione. *Decimò* diſſerit de donis ſpiritualibus exhortans exemplo membrorum corporis humani, ut ſuum quiſque donum conferat in uſum communem: præcipuè verò omnes ſtudeant charitati tamquam dono omnium excellentiſſimo. *Undecimò* præcipit ut donis prophetiæ ac linguarum utantur ordinatè. *Duodecimò* reſurrectionem corporum à quibuſdam negatam, multis argumentis aſtruit: & qualitatem ejus ac modum deſcribit. *Poſtremò* de colligendis in fratres pauperes eleemoſynis eos admonet.

Atque hæc de materia totius epiſtolæ ſatis. Eam ſcriptam eſſe Philippis Macedoniæ quidam opinantur: & ita habet hypographe in Græcis codicibus epiſtolæ ſubjuncta. Sed multò veriſimilus eſt, quod Oecumenius ſentit, Epheſi ſcriptam eſſe, quemadmodum & habet argumentum quod paſſim in Latinis epiſtolæ præmittitur. Dicit enim Apoſtolus ultimo capite, ſe permanſurum Epheſi. Meminit etiam Aquilæ & Priſcillæ, velut ſecum eodem loco morantium dum ab illis ſalutem Corinthiis aſſcribit. Illos autem Epheſi habitaſſe teſtatur Lucas *Actor.* 18. & ſatis intelligitur ex hiſtoriæ continuatione *cap.* 19. circa quod tempus ſcripta eſt hæc epiſtola. Certè Philippis aliquando verſatos eſſe nuſquam legitur. Sed & ex eo quod dicit, *Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ*, planè intelligitur in Aſia ubi Epheſus erat, hanc epiſtolam ab eo ſcriptam eſſe. Nam quod in Macedonia non ſit ſcripta, ſatis arguunt hæc ultimi capitis verba; *Veniam autem ad vos cùm Macedoniam pertranſiero. Nam Macedoniam pertranſibo.*

Conſtat etiam ſcriptam eſſe ante epiſtolam ad Romanos. Nam hujus epiſtolæ capite ultimo dubiè loquitur, velut adhuc deliberans de ſua profectione in Jeruſalem. Dicit enim *Quod ſi dignum fuerit, ut & ego eam, mecum ibunt.* In ea verò quam ſcribit ad Romanos, de profectione jam conſtitutum habet, uti declarant illa verba cap. 15. *Nunc igitur proficiſcor in Jeruſalem, miniſtrare*, ſeu *miniſtrans, ſanctis.*

Quòd verò attinet ad eos quibus ſcribitur hæc epiſtola: utrùm ad Corinthios qui ex Gentilibus erant, tantummodò ſcripta ſit; an etiam ad Judæos Corinthi morantes & Chriſto initiatos, dubitaverit aliquis, propter illud quod dicit cap. 12. *Scitis quoniam cum Gentes eſſetis, ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes.* Verùm procul dubio ſua inſcriptione complectitur etiam Judæos, tamquam ejuſdem Corinthiorum eccleſiæ fideles: quemadmodum & epiſtola ad Romanos, & cæteræ omnes ad eccleſias Gentilium miſſæ, fideles utriuſque populi ſuis inſcriptionibus comprehendunt. Nam ut unus erat in ſingulis civitatibus epiſcopus; ſic & una eccleſia ex omnibus ejuſdem loci fidelibus collecta: licet eſſe potuerint in eadem civitate diſtinctæ, ut ita dicam, parochiæ. Habebant enim Judæi Chriſtiani ſuas ſynagogas, in quibus & Moyſes legeretur, & Chriſti myſteria peragerentur: ut indicant Apoſtoli Jacobi verba *Act.* 15.

Quamvis fatendum, Judæos Gentilibus tam Corinthi quàm in aliis quæ per Gentes erant eccleſiis, fuiſſe multò pauciores. Unde frequenter ita fideles ad quos ſcribit, alloquitur Paulus, ac ſi ſoli Gentiles eſſent. Quod utique eum feciſſe credendum eſt in loco memorato. Nam alioqui in eo quod ſcribit cap. 1. quoſdam Corinthiorum dicere; *Ego Cephæ*: Judæos potiſſimum notat, quorum Cephas, id eſt, Petrus erat quodammodo peculiaris Apoſtolus. Alicubi quoque in perſona loquitur Judæorum, videlicet tamquam Judæus Judæos alloquens; ut cap. 10. cum dicit: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt*, &c. Non enim ſic loqueretur; niſi inter eos ad quos ſcribit, aliqui Judæi fuiſſent. Sed ad expoſitionem epiſtolæ veniamus.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

1. PAulus vocatus Apoſtolus Jeſu-Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater, 2. Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis ſanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu-Chriſti in omni loco ipſorum, & noſtro: 3. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu-Chriſto. 4. Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu: 5. Quod in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia: 6 ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis: 7. Ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu-Chriſti, 8. qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine, in die adventus Domini noſtri Jeſu-Chriſti. 9. Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu-Chriſti Domini noſtri. 10. Obſecro autem vos fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti: ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. 11. Significatum eſt enim mihi de vobis fratres mei, ab iis, qui ſunt Chloës, quia contentiones ſunt inter vos. 12. Hoc autem dico, quod unuſquiſque veſtrûm dicit: Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo; ego vero Cephæ: ego autem Chriſti. 13. Diviſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? 14. Gratias ago Deo, quod neminem veſtrûm baptizavi, niſi Criſpum, & Caium. 15. ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati eſtis. 19. Baptizavi autem & Stephanæ domum: cæterûm neſcio ſi quem alium baptizaverim. 17. Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare: non in ſapientia verbi, ut non evacuetur

1. Theſſ. 5. d. 24.

Act. 18. f. 24.

Act. 18. b. 8.

2.Pet.1.c.16. Inf.2.a.1.4. Rom.1.b.16. Isa.29.c.14. Isa.33.c.18. Jer.23.a.5. Jer.9.g.22.23. 2.Cor.10.17.

crux Christi. 18. Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est: iis autem,qui salvi fiunt,id est nobis, Dei virtus est. 19. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium,& prudentiam prudentium reprobabo.20.Ubi sapiens?ubi scriba?ubi conquisitor hujus sæculi?Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?21.Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. 22. Quoniam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: 23. nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; 24. Ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem,& Dei sapientiam: 25. quia quod stultum est Dei,sapientius est hominibus:& quod infirmum est Dei,fortius est hominibus. 26.Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem,non multi potentes, non multi nobiles.27.sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia 28. & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt,destrueret:29.ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.30.Ex ipso autē vos estis in Christo Jesu,qui factus est nobis sapientia à Deo,& justitia,& sanctificatio, & redemptio: 31.ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

SUMMARIUM CAP. PRIMI.

Deo gratias agit de variis donis in Corinthios collatis. Hortatur ut idē sapiant ac schismata vitent. Exponit consilium Dei volētis per humilitatem crucis, quæ Judæis est scandalum, Gentibus stultitia, non autem per sapientiam verbi, salvos facere credentes.

Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi. Ne videatur ad munus Apostolicum semetipsum ingessisse,ut qui ex numero duodecim Apostolorum quos Christus elegerat non esset;vocatum seu vocatitium (κλητὸν) se dicit Apostolum,id est,vocatione Apostolum,quod ad Apostolatum vocatus fuerit non minus quā cæteri,licet modo dissimili. Hunc autem titulum quo se vocat Apostolum Jesu-Christi,cum ad alios,tum maximè ad Corinthios scribēs jure prætendere potuit; quod Apostolatu functus apud eos fundamēta fidei Christianæ collocasset ut propriè Corinthiorum Apostolū dicere se posset. Vide quæ de his vocibus, *vocatus Apostolus*, diximus *comment. epist. ad Rom.* Porrò vocatum Apostolum se confirmat per hoc quod sequitur.

Paulus quo sensu vocatus Apostolus.

Per voluntatem Dei. Hoc est, jussu, decreto ac beneplacito Dei. Similiter in plerisq; exordiis aliarū epistolarū scribit: ne putes, quod hic annotant quidam, speciatim propter pseudapostolos, qui ipsius authoritatem apud Corinthios deprimebant, addidisse eum hoc loco,*per voluntatem Dei.* Quomodo autē Dei voluntate vocatus fuerit ad Apostolarū,docet liber *Act. c.9.& 13.*

Sosthenes uis fuerit.

Et Sosthenes frater. Hic princeps synagogæ fuerat apud Corinthios,qui deinde Pauli prædicatione *converstus ad Christū & ante Gallionem proconsulem acriter verberatus, præclaro initio fidei suæ primordia consecravit*; ut de eo loquitur martyrologiū Romanū *ad 4. cal. Decemb.* historia ex *Actor. c.*18. desumpta. Videtur autem factus ex archisynagogo Pauli comes: ut quem Corintho Ephesum, ubi hæc epist. scribitur, secutus fuerit. Eum igitur tāquam virum insignem, sibi collegā inducit in inscriptione epistolæ:& fratrem vocat, sive quia Christianum, sive quod eum sibi adhiberet in epistola scribēda. Fortassis enim Paulo dictāte à Sosthene tamquā viro scribēdi petito,exarata est hæc epistola.

2.Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi. Supplendum, scribunt, aut quid simile. *Sanctificatis in Christo Iesu*, Quam dixit ecclesiam Dei, quadam sua proprietate designat, dicens: *sanctificatis in Christo Jesu*,id est, per Jesum Christum ab omni peccato emundatis, videlicet in baptismo.

Sanctitas ecclesiæ proprietas.

Vocatis sanctis. Id est,ad sanctitatem vocatis à Deo, nimirum efficaci vocatione. Nam quod dixit, *in Christo Jesu*, meritum sanctificationis significavit: Quod autem dicit,*vocatis* efficientiam denotat vocantis gratiæ Dei. Quomodo verò Corinthios sanctificatos dicat, & sanctos appellet: inter quos erant non pauci magnis peccatis contaminati, quemadmodum hæc ipsa epistola testatur: ex iis quæ diximus *in comment. epist. ad Rom. cap.* 1. ubi sunt hæc eadem verba, satis intelligi potest.

Cū omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi. Invocant nomē Domini Jesu-Christi,qui eum cui nomē est Dominus Jesus Christus,orant pro obtinenda salute. Vide quæ dicta sunt ad illud Rom.10.ex Joële sumptū,*Omnis quscūque invocaverit nomen Domini salvus erit.* Quod cū ad Christi personā hoc loco referat Apostolus;consequens est Christū esse Dominū de quo id à Joële Propheta dictum fuit;ac proinde Deum esse. Nā Dominus apud Joēlē est יהוה *Jehouah.* Porrò manifestè appareret Apostolum velle hanc epistolam ad omnes perferri Christianos, utpote valituram ad instructionem totius ecclesiæ. Unde adhuc sequitur.

Christus Deus.

In omni loco ipsorū & nostro. Græcè αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν, id est, *tā ipsorum quam nostro.* Quāquam modo non uno hæc pars exponitur. Chrysostomus quidem sentit Paulum hoc exordio epistolæ salutare non solos Corinthios; sed quotquot ubique sunt fideles. Quorum omnium locū etiam suum esse dicit;quod omnium una sit ecclesia,videlicet haud dissimili sermonis schemate quo dixit Rom. 16. *Salutate Rufum, & matrem ejus & meam.* Quem commentarium ex Chrysostomo repetunt Theophyl.& Oecumenius. At verò commentator Amb. videtur *ipsorum* referre ad loca Gentium; *nostro*, ad Judæorum. Sic enim annotat: *Cum Judæis veris jungit & Gentes: quia salus ex Judæis est*, &c.

Paulus omnes salutat fideles: & eorū omniū locum,suum esse dicit.

Thomas Cajetanus illud *ipsorum* reducit altiùs,scilicet ad Corinthios;dicitque Paulum ea parte, *cum omnibus* &c. salutationem extendere *ad omnes Christianos*, non absolutè,sed *morantes*, ut ait *in districtu Corinthiorum,quam nunc diœcesim dicimus*: idq; significari per illū,*In omni loco ipsorum*, seu potiùs *eorum*. Addidisse autem *& nostro*,quod omnis fidelium Corinthiorum locus etiam suus esset; *non solum propter unitatem charitatis, sed etiam propter extensionem jurisdictionis Apostolicæ.*

Est & quartus commentarius Photii apud Oecumenium cujus *Guil. Estii in Paulum, Tom. I.* & Theophyl. meminit,ut illud, *ipsorum & nostro* non construatur cum *loco*, sed cum præcedente genitivo *Domini*, Latinis mutato *nostro* in *nostri*, ut casus respondeat. Nam sic quoque verti potest ex Græco; ut ordo verborum & sensus sit: cum omnibus in quocumque loco invocantibus nomen Domini nostri Jesu-Christi; Domini, inquam, ipsorum & nostri.

Verùm hæc expositio,sicut & illa Cajetani,non parùm coacta videtur. Magis probabiles duæ priores, maximè Chrysostomi. Conferatur autē hic locus cū eo quod dicit 1. Tim.2. *Volo viros orare in omni loco*;& ex collatione intelligetur non quēlibet locū significari,sed eum qui deputatus sit conventibus & orationibus publicis quales ecclesiæ Gentium & synagogæ Judæorum: ut hinc etiā aliqua probabilitas accedat cōmentario Ambrosiano.

3.Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Jesu-Christo. Subaudi, multiplicetur. Hæc verba accuratè exposita sunt à nobis in epistola ad Rom. 1. ubi prorsus eadem leguntur.

4.Gratias ago Deo meo semper pro vobis. Dicta salutatione,incipit à gratiatum actione in Deum. Nam is demum meretur accipere nova quæ perit, qui de acceptis largitori Deo gratias agit. Porrò *semper*, quod alibi dicit *sine intermissione*, significat magnam frequentiam & assiduitatem. *Pro vobis*, Græcè περὶ ὑμῶν, *de vobis*,quod Rom. 1. dixit ὑπὲρ ὑμῶν. Sensus est; propter bona vobis collata. Quod explicat verbis sequentibus.

Nota ad mores, vim gratitudinis.

In gratia Dei. Alii vertunt *de* vel *super gratia Dei*,id est,propter gratiā Dei. Significatur enim materia gratiarum actionis. Est autē Hebraïsmus quo antecedens repetitur loco relativi,*Dei*, id est,ipsius,velut Gen.19.*Dominus pluit à Domino.* Nomen gratiæ complectitur omne donum gratuitum ordinatum ad salutem, vel propriam habentis,vel communem fidelium. *Quæ data est vobis in Christo Iesu*,id est,per Christum Jesum. Nullū enim bonū salutare datur à Deo hominibus,nisi per meritū Jesu Christi.

Gratiæ nomen hoc loco quid significet.

5.Quod in omnibus divites facti estis in illo. Græcè ad verbum, *quod in omni ditati estis in ipso*, id est, per ipsum. Quod rursus ad Christum refertur. Cajetanus *in omni* exponit, *in universo*, quo significetur non singulos ditatos, sed universum corpus Corinthiorum ditatum esse abundantia gratiarum. Sensus ingeniosus magis quàm germanus. Alii vertunt & exponunt, *in omnive*, scilicet ad salutem spectante. Et hunc sensum voluisse videtur noster interpres, dum mutato numero vertit *in omnibus*,quod Græcè est ἐν παντι. Quæ versio etiam Erasmo placuit.

Corinthii in omnibus ditati,quo sensu.

Sunt alii qui malunt vertendum *omninò, planè*, quomodo sumitur 2 Cor 7. *In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio.* Alii exponunt *variè, multifariam.* Sic enim accipitur ejusdem ep. c. 4. *In omnibus tribulationem patimur.* Quamquā idem ferè significatur,sive dicas *omnino*,sive *multipliciter*,sive *in omnibus & per omnia.* Nam distributivè interdum à Paulo accipi certum est, ut 2.Cor. 6. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos,sicut Dei ministros.* Sequitur enim *in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus*,&c. Quo sensu etiam Latinè aliquando usurpatum est illud *in omni.* Nam Marcellinum comitem in prima collatione Catholicorum cum Donatistis habita reperio dixisse: *In omni petitioni vestræ satisfactum est*; i. e. per omnia, & omni ex parte. Et hic sensus optimè quadrat loco præsenti. Nam quod dixit *in omni*, vel *in omnibus*; jam distribuit, cum subjungit.

In omni verbo & in omni scientia. Pro *verbo* sermonem malunt alii. Sic enim ipse noster interpres reddit 2.Cor. 8, *abundatis fide & sermone & scientia.* Significat Apostolus Corinthios ditatos utroque dono,& cognoscendi divina,& eadem apte eloquendi. In quibus conjunctis consistit sermo scientiæ,de quo *infrà cap.* 12. Quod enim sermonem quidam contrahunt ad donum linguarum,non probo. Nusquam enim λόγος pro dono linguarū accipitur in scriptura. Nec verò donum linguarum ita magni faciebat Paulus, ut illud hîc primo loco commemoraret, quod infrà *cap.* 12. in ultimis ponit, & *cap.* 14. multùm deprimit.

Sermo scientiæ in quo consistat.

Falluntur & illi qui Hebraïsmum annotant in *verbo*, quasi idem sit quod re seu opere. Nam verbum pro re, Græcis non dicitur λόγος quod hîc legitur, sed ῥῆμα, ut Matth 4. *In omni verbo quod procedit de ore Dei* Luc. 2. *Videamus hoc verbum quod factum est.* Actor. 10. *Scitis quod factum est verbum.*

Cæterùm intellige Corinthios omni verbo & omni scientia ditatos ab Apostolo dici,vere quidē sed juxta modū & conditionē hujus vitæ,& præsentis status ipsorum,qui adhuc recentes in fide. Porrò divites factos seu ditatos Corinthios dixit, non sine allusione ad divitias eorum temporales:ut per hoc ad spirituales ac veras divitias consectandas,eorum animos magis accēderet.

6.Sicut testimoniū Christi cōfirmatū est in vobis. Sicut καθὼς quod clarius vertas,*quemadmodū*, id est, quibus modis aut rebus,nēpe sermone & scientia quibus ditati estis. *Et sensus est.* Hujusmodi donis, velut certo firmoq; testimonio, cognoscitur vos esse fideles

Charismata testimonia veræ fidei.

ac servos Christi, ejusque spiritū accepisse. Sic ferè expositores Græci. Nam & Galatas simili modo probat Apostolus Spiritū sanctum accepisse, quod Deus in illis virtutes operaretur, Gal 3. Estque argumentum ab effectu. Quod in nonnullis codicibus Græcis loco dictionis μαρτύριον *testimonium*, legitur κηρυγμα *præconium* seu *prædicatio*, suppositum arbitramur a quopiam, qui μαρτύριον sic putaverit interpretandum.

7. *Ita ut nihil vobis desit in ulla gratia.* Vel magis expresse è Græco, *ita ut vos non destituamini in ullo dono.* Nam in Græco χαρισμα est, non χαρις, ut supra semel & iterum. De quibus autem donis seu charismatis loquatur, ex *cap.* 12. 13. & 14. discendum est. Inde enim liquet utrumque genus comprehendi, & eorum quæ gratis data, & quæ gratum facientia vocantur. Referenda est autem hæc pars ad illud superius, *Quod in omnibus divites facti estis* &c. Quocirca quidam verba media, *sicut testimonium*, &c. signis parentheticis includunt.

Quo sensu Corinthii in omnibus ditati.

Quæres quomodo in omnibus ditatos affirmet Corinthios Apostolus, sic ut nihil illis gratiæ deesset; quos hac epistola & sequēti de tam multis adhuc instruit, deque tā multis & gravibus reprehendit: quibus etiā aut certè eorum magistris, hujus ep. c. 4. ironicè dicit, *jam saturati estis, jam divites facti estis*, &c. utique negans eos saturatos esse, & divites factos. Quippe & alibi inopiam bonorum spiritualium eis asscribit, ut in 2. ep. c. 4. dicens: *Ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.*

Respondeo. Corinthios in omni ditatos fuisse ex mente Pauli, non quod omnes omnia haberent: sed quia juxta quemdā modum hujus vitæ, ut suprà dixi, in ipso corpore omnia erant: sicut ipse explicat *cap.* 12. docens in ecclesia perinde ut in corpore humano diversas ac divisas esse gratias, operationes, officia, pro membrorum varietate. Cum quo benè consistit, ut fuerint inter Corinthios multi inopes bonorū spiritualiū; haud secus atq; in emporio quopiā, ut erat Corinthus, multæ quidem sunt divitiæ, non tamen apud omnes, sed apud pauciores, per quos illæ possint ac debeant in alios distribui. Quo fit ut pauperes petant loca divitum; & cupiant eorum esse vicini.

Jam licet schismata & dissensiones etiā essent inter Corinthios, de quo primo vitio tamquam primam curam postulante, statim à principio eos admonet: non tamen illis deerat gratia unitatis & concordiæ. Erat enim hæc in eorū cordibus qui dicebant, *Ego sum Christi.* Non dissimiliter Augustinus respondet *epist.* 59. ad Paulinum qu. 6. *Scriptura mos est* inquit, *ita loqui de parte tamquam de toto: sicut Corinthios in primis epistolæ suæ partibus ita laudat, tamquam omnes tales sint: cùm essent laudabiles quidam eorum.*

Corinthii in omnibus divites, nō tamen in omnibus perfecti.

Notandum præterea, Paulum non dicere eos in omnibus esse perfectos; & nullam eis deesse perfectionem gratiæ; sed in omnibus divites esse, & nullā eis gratiā deesse. Nam etsi numero donorum divites erant & abundabant: tamen in eis nondū erant perfecti; nequidem ea perfectione quam multi assequuntur in hac vita. Sed ut ad eam paulatim proficerent, exhortandi erant.

Expectantibus revelationem Domini nostri Jesu-Christi. Hanc revelationem seu manifestationem Christi aliàs adventum ejus vocat, quo nimirum fiet ut Christus in sua gloria palàm ab omnibus conspiciatur, ad ejusdem gloriæ consortium assumpturus omnes electos. Itaque non nuda significatur exspectatio, sed ea quæ ad spem pertinet Christianam.

8. *Qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine. Qui* quāvis rectè referatur ad id quod proximè præcedit, id est, ad Christū: potiùs tamen si tota series orationis expēdatur, referendū videbitur ad Deum Patrem significatū versu 4. *Gratias ago Deo meo*, &c. Cæterùm hæc pars duo promittit: firmitatē in acceptis Dei donis, & perseverantiam qua in illis conserventur usque ad finē vitæ: vel potiùs (quod vult pars sequens) usque ad adventum Christi futurum in fine sæculi: quamvis hoc ex illo sequatur.

Justi sine crimine vivunt, nō sine peccato.

Non dicit autem sine peccato: Nam sine peccato nec justi vivunt, quantumvis in justitia provecti: Sed *sine crimine*, Græcè uno vocabulo, ἀνεγκλήτους, id est, *inculpatos*, vel, si ita dicere liceat, *incrimin biles.* Crimen autem de gravioribus peccatis intelligitur. Unde & Syrus vertit *sine accusationibus*: quod accusationes de gravioribus institui soleant. Ejus autem loco Paulus 1. *Thess.* 5 scripsit, ἀμέμπτως, *sine querela.*

Duplex hujus loci sensus.

Porro locus iste bifariam intelligi potest. *Uno modo*, ut sint verba bonæ fiduciæ, quam de Corinthiis animo conceperat, quod Deus illos confirmaturus sit usque in finem: quemadmodū & ad Philippenses cap. 1. *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis.* Juxta hunc sensum rursus hic meminerimus, loqui Paulum non de singulis qui erant in ecclesia Corinthiorum: sed de corpore, in quo erant alii aliis

Alter sensus melior, de electis.

meliores ac firmiores; quamquam & de unoquoque sperandum erat, prout materiam bonæ spei quisque in se ostendebat. *Altero modo*, ut sint verba simpliciter asseverantis, non de omnibus Corinthiis fidelibus, sed de electis qui inter eos erant, & propter quos hunc scribendi & docendi laborem suscipiebat: sicut ait 2. Tim. 2. *Omnia sustineo propter electos.*

Hunc commentarium valde probabilem facit, quod statim sequitur: *fidelis Deus per quem vocati estis* &c. Sic enim & alibi promissionē salutis ac perseverantiæ, quæ propriè electos respicit, confirmat allegata fide & veritate Dei; velut 1. Thessal. 5 *Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam faciet*, & 2. Thessal. 3. *Fidelis Dominus est, qui confirmabit vos & custodiet à malo*, & Hebr. 10. *Fidelis est qui repromisit.* Quibus scripturis & illa accedat hujus epistolæ cap. 10. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum.* De qua scriptura suo loco plenius. An autem priori sensui faveat id quod asserebant ex Epistol. ad Philip. intelligetur ex ipsius loci commentario.

Quæstio.

Movet quæstionem Cajetanus, quomodo dicat Apostolus *sine crimine*: quum multi sint electi, quibus justificatis donum firmitatis, ut non aliquando & ad tempus excidant à gratia Dei, non detur; uti constat de Davide, Petro & aliis. Respondet illud, *sine crimine* referendum esse ad tempus adventus Christi, significatum verbis sequentibus: ut sensus sit: confirmabit vos usque in finem; sic ut reddat & constituat criminis expertes in die adventus Christi. Quæ responsio probari videtur ex simili loco qui & Coloss. 1. *Exhibete vos sancto & immaculatos & irreprehensibiles* (Græcè ἀνεγκλήτους, quod hic vertit *sine crimine*) *coram ipso*, id est, in adventu ejus.

Responsio Cajetani.

Alia responsio verior.

Sed cum secundum scripturas, esse sine crimine passim tribuatur justis in hac vita, & non solum in vita futura; ubi non modo sine crimine, sed prorsus sine peccato omnes erunt: (Loca sunt *Luc.* 1. 1. *Tim.* 3. & 5. *Tit.* 1. &c.) nihil sane prohibet quo minus hunc locum sic intelligamus; Apostolum sentire quod Deus Corinthios confirmaturus sit usque in finem sine crimine, sic ut vel non labantur in crimen aliquod, vel lapsi resurgant. Quamvis enim electorum multi labantur interdum: est tamen omnibus eis commune & proprium perseverantiæ donum; quo nimirum fit ut finaliter non excidant. Atque eo sensu omnes sine crimine conservantur usque in finem. Et huic intellectui favet similis sermo 1. Timoth. 6. *Ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Christi* Ubi manifestum est *irreprehensibile* referri ad tempus hujus vitæ protensum usque ad Christi adventum.

In die adventus Domini nostri Jesu Christi. Adventus non est in Græco. Tantum enim legitur *in die Domini*, &c. Videtur autem *in die* positum pro *in diem*, vel *ad diem.* Sic enim tota sententia clarior efficitur. Nam confirmatio fidelium usque in finem sine crimine, præparatio eorum est ad diem quo venturus est Dominus ad judicium. Hunc enim extremi judicii diem sæpè scriptura diem Domini vocat. Habes & alibi *in die* pro *diem*, ut Rom. 2. *In die iræ*, & Jac. 5. *In die occisionis.* Item, *In adventu Domini*, pro, *in adventum Domini*, 1. Thess. 3 & 5.

Dies Domini quis dicatur.

9. *Fidelis Deus; per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu-Christi Domini nostri.* Probatio est ejus quod dixit, *Qui & confirmabit vos usque ad finem*, &c. Estque argumentum à fide & veritate Dei. Quod quidem, juxta priorem sensum partis præcedentis, sic explicari potest: Verax est Deus in suis promissis; a quo proinde salutem & gloriam in die Domini certissimè exspectare debetis: si, quod de vobis confido, perseveraveritis usque in finem sine crimine, in eo ad quod vocati estis. Sic enim Deus promisit per filium suum: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, Matth. 10. & 24.

Hujus partis duplex expositio.

Verùm quia non dixit; qui glorificabit vos: sed, *qui & confirmabit usque in finem*; ubi ipsa perseverantia continetur, & à Deo danda significatur: idcircò recurrendum est ad posteriorem sensum qui erat de electis; & in eo quod ait, *vocati estis*, intelligenda vocatio non quæcumque, sed ea quæ est secundum propositum, id est, electionem Dei; de qua dicit Roman. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit. & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, hos & glorificavit.*

Omnes secundū propositū vocati salvantur.

Igitur ad hunc modum argumentatur Apostolus: Deus fidelis est & verax: Promisit autem vobis electis suis firmitatem & perseverantiam usque in finem: ergo *confirmabit vos*, &c. Assumptionem probat illa pars, *per quem vocati estis*, scilicet vocatione secundum propositum, *in societatem filii ejus.* Nam propositum illud in se perseverātiæ promissionem includit. *Societatem*, Græcè κοινωνίαν *communionem.* Interpres nūc *communicationem*, nūc *societatem* vertere solet. Nā & Erasmus etsi hoc loco mavult *consortium*: alibi tamen, ut Galat. 2. & 1. Joan. 1. *societatem* transtulit.

Societatis nomine quid significetur.

Sed cum Latinum vocabulum anceps sit ad cœtum sociorum, id est, homines in unam societatem collectos, & ad socialem eorum inter se conjunctionem: potius huic loco convenit posterior significatio; quam & Græca dictio magis exposcit. Non enim Græci cœtum aut collegium hominum κοινωνίαν vocare solent; sed eorum inter se communionem: id quod propriè ea vox sonat. Atque isto modo accipitur, ubicumque in scripturis hoc nomen legimus: ac nominatim 1. *Joan.* 1. ubi de eadem hac nostra cum Deo Patre & Filio ejus societate, sermo est: Quamquam ex hujusmodi societate velut causa, consurgit ille hominum cœtus, qui etiam societas vocatur.

Quod ergo dicit Apostolus, *per quem vocati estis*, &c. tale est: Cujus Dei Patris beneplacito vocati estis in communionem, societatem & amicitiam Jesu-Christi filii ejus: nimirum effecti participes meritorum ejus, & facti membra corporis, cujus ipse est caput; id est, ecclesiæ: Denique facti fratres ejus, habentes eumdem Patrem Deum. Unde Deus nunc Christi, nunc noster Pater passim in epistolis Pauli vocatur.

10. *Obsecro autem vos fratres.* Hactenus laudavit Corinthios; quò nunc molliori gradu trāseat ad eorū reprehensionē. Quam tamen rursum ne offendat, auspicatur ab obsecratione. Potest quidem etiam ex Græco verti, *exhortor vos*, ut nonnulli interpretati sunt; sed magis huic loco convenit, *obsecro*; quemadmodum & Erasmus vertit. Nam obsecrationi servit quod sequitur,

Obtestatio per nomen Domini Salvatoris.

PER NOMEN DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI. Obsecrat, imò obtestatur per nomen Salvatoris, tamquam sacro-sanctum, & super omnia venerabile. Nam quod quidam putant, non aliud hîc significari quàm si dixisset, per Dominum nostrum Jesum Christum; videlicet absque respectu nominis; non adeò verisimile est. Nam in obtestationibus etiam nomina ponderantur: velut si Judæus quempiam obtestetur per nomen Dei πλεγγ-μματα.

UT IDIPSUM DICATIS OMNES. *Idipsum* Græcè τὸ αὐτὸ *idem*. Quod interpres passim vertit, *idipsum*. Sensus: ut sitis inter vos concordes, ut idem sentiatis. A posteriori prius vult intelligi. Nam animorum consensum sequitur concordia sermonis.

Schismata quæ dicantur.

ET NON SINT IN VOBIS SCHISMATA. Σχίσματα sunt scissiones, dissensiones, dissidia factionum instar. Græcum vocabulum retinuit interpres, ut receptum apud Latinos. Nec tamen intelligit Apostolus ea schismata, quibus receditur ab unitate ecclesiæ catholicæ; quod qui faciunt, schismatici propriè vocari solent: sed quasdam velut sectas intra ecclesiam; ut dum alii aliis student magistris, aut patronis, eorumque nominibus gloriantur: quemadmodum paulò post ipse declarat.

SITIS AUTEM PERFECTI. Perfectionem intellige qualis est corporis integri, & constantis ex omnibus membris inter se benè compositis. Id enim significat Græcum participium κατηρτισμένοι, quod alii vertunt *compacti*. Cyprianus legit *compositi*, lib. de unitate ecclesiæ, & lib. 3. testimoniorum cap. 86. Erasmus transtulit *integrum corpus*. Repetit Apostolus idem vocabulum. 2. Cor. ult. ubi rursum noster interpres, *perfecti estote*.

IN EODEM SENSU ET IN EADEM SENTENTIA. *Sensus*, Græcè νοὶ, *mente*. Cæterùm in multis quidem Latinis pro *sententia* legitur *scientia*: Sed *sententia* est in emendatioribus, suffragante editione Romana. Nã & apud Cyprianum, utroque loco jam dicto, sic legitur; & in epistola quadam Caroli Magni scripta ad episcopos Hispaniæ: quam reperies apud Baronium *in annal. ad an. Dom.* 794. Nec enim Græcè est ut superius versu 5. γνωσει, nisi in paucis exemplaribus, quibus haud magna fides: sed γνώμῃ. Denique sunt Latini codices quibus legitur, *eadem mente, & eadem sententia*.

Sensus Apostoli: Sed ut sitis perfecti, tamquam corpus integrum & bene compositum; eadem mente, eademque voluntate præditi. Nam inter mentem & sententiam (licet hæc quidam confundant) ita distinguendum videtur, quod mens in cognitione versetur; sententia quid agendum sit statuat. Unde & γνώμη pro consilio ponitur infrà cap. 7. *Consilium autem do*. Atque in eo perficitur amicitia, quod est idem velle & nolle.

Chloen non loci sed fœminæ nomen.

11. SIGNIFICATUM EST ENIM MIHI DE VOBIS, FRATRES MEI, AB IIS QUI SUNT CHLOES. Causam aperit generalis exhortationis quam præmisit. Chloën nonnulli nomen loci esse volunt, ut oppidi aut vici. Rectiùs alii fœminæ nomen interpretantur: ut est apud Horatium in Odis. Nam locum aliquem hoc nomine appellatum fuisse nusquam legitur. Adde quod sermo Græcus ὑπὸ τῶν χλόης, non admittit expositionem de loco. Nam dicendum esset, ὑπὸ τῶν ἐν χλόη, quod benè observavit Erasmus. Est autem hæc locutio penè similis illi Rom. ultimo, *qui sunt ex Aristobuli, ex Narcissi*, scilicet domo vel familia. Sic enim & hoc loco domesticos seu familiares Chloes, Christianæ mulieris apud Corinthios notæ, vult intelligi. Exprimit autem nomen; ut declaret se non incerto rumore, sed à certis hominibus ac fide dignis, hæc quæ scribit, accepisse: simul innuit tale esse de quo potius ab ipsis Corinthiorum presbyteris admoneri vel consuli debuisset; sicut ab eis consultus fuerat de negotiis conjugii, infrà cap. 7. Erat enim res non minoris momenti; nimirum spectans ad schismata.

Contentiones quæ dicantur.

QUIA CONTENTIONES SUNT INTER VOS. Contentiones sunt verborum concertationes, ubi quisque vult superare. Quæ contentiones, & de quibus rebus inter illos fuerint, sequentia declarant.

12. HOC AUTEM DICO QUOD UNUSQUISQUE VESTRUM DICIT. Græcè, *Dico autem istud quod*, &c. *Quod* determinativè capitur, pro quo particulam causalem *quia* reddere solet interpres; non autem relativè, tamquam sensus sit: Hoc quod vos dicitis dico & repeto per mimesim. Nam Græcè non est ὅ, sed ὅτι, quod pro relativo Paulus non solet usurpare. Pendet autem à verbo, *significatum est mihi*; quemadmodum & ὅτι præcedens; *quia contentiones*, &c. Dilucidus erit sermo si sic efferas: Significatum est mihi contentiones esse inter vos: id est, ut apertè dicam, unumquemque vestrûm dicere, &c. Quod dicit *unusquisque vestrûm*; intellige, non omnes eadem, sed alius aliud; eorum nempe quæ sequuntur.

Cephas idē qui Petrus.

EGO QUIDEM SUM PAULI, EGO AUTEM APOLLO: EGO VERO CEPHÆ. Sermo supplendus hoc aut simili modo: Ego sum Pauli discipulus, sectator, tamquam melioris magistri; & sic de aliis. Cepham non dubium est Petrum intelligi, cui dicitur Joan. 1. *Tu vocaberis Cephas*, id est *Petrus*, ut evangelista interpretatur. Ac verisimile est Judæos fuisse qui dicebant; *Ego Cephæ*: videlicet Petro studentes tamquam Apostolo circumcisionis. Ob hanc enim causam non dicit *Petri*, sed *Cephæ*, vocabulo utens Hebræo-syro. *Apollo*, Græcè ἀπολλὼ, genitivi casus est, tertiæ declinationis Attico more, à nominativo ἀπολλως, ut scribitur *infrà cap. 3. & Act. 18.* Id admonendum fuit propter quosdam qui nomen hoc inflectunt, ut profanum illud Dei Gentilis nomen, Apollo, Apollinis; quum apud Græcos tam nomen quàm declinatio diversa sit.

Quæ causa contentionis Corinthiorũ de magistris.

Porrò contentionis de qua hîc agitur, occasionem quidam hanc adferunt; quod cum Apollo esset vir eloquens, ut memorato Act. loco dicitur, Paulus autem sermone imperitus, ut ipse de se fatetur 1. *Cor.* 11. uterque verò Corinthiis prædicasset Christum; Paulus prior, Apollo posterior; alii quidem illorum, Pauli discipulos se dicerent, eoque magistro tamquam revera doctiore, & primo Apostolo suo, gloriarentur, imperitia sermonis ejus nihil offensi, præsertim qui per ejus prædicationem crediderant; alii verò magistrum suum Apollo jactarent, eloquentiam hominis extollentes, ideoque ejus comparatione Paulum deprimentes. Atque hinc factum ut acriùs utrique inter se contenderent, dum quique studiosè suum magistrum præferunt.

At verò Græci expositores, cum quibus sentiunt commentator Ambr. & alii Latinorum non pauci, existimant Apostolum fingere personas, & sub honestis nominibus eorum qui rectè & sincerè Christum prædicabant, quales utique erant Paulus, Apollo, Cephas, tacitè Corinthios taxare, quod inter se sectas haberent quorumdam capitum, quæ parcens pudori Corinthiorum, nominare noluerit, sive philosophorum, contra quos agit hoc & sequenti capite; sive pseudapostolorum, in quos latius invehitur in 2. *epist. cap.* 10. 11. & 12. Tamquam hoc velit Apostolus: Si reprehensibile est, per contentionem dicere se esse Pauli, vel Apollo, vel Cephæ; multò magis esse dignum reprehensione, quod nominibus philosophorum aut falsorum Apostolorum, quidam sese jactitant. Hunc intellectum præbant ex eo quod Apostolus infrà cap. 4. dicit: *Hæc autem transfiguravi in me & Apollo, propter vos; ut in nobis discatis*, &c. Nec idcircò mendacium erit in verbis Pauli, qui aliud pro alio dixerit. Nam uti respondet Hugo Victorinus, sensus esse poterit: *Hoc*

quod dico, simile est illi, quod unusquisque vestrûm dicit. Quod apud vos fit, tale est ac alius diceret, *Ego sum Pauli*: alius, *Ego Apollo*, &c.

Corinthii nominibus Pauli, Apollo & Cephæ gloriati.

Verùm fortassis utraque expositio conjungenda est, ut plenè percipiamus Apostoli mentem. Nam ex iis quæ scribit *cap.* 3. planè liquet etiam Pauli & Apollo & Cephæ nominibus alios & alios Corinthiorum contentiosè gloriatos fuisse. Quin idipsum satis etiam apparet ex iis quæ subjicit hoc loco: dum negat se quemquam baptizasse, ne quis diceret se in nomine Pauli baptizatum esse. In quo argumento solvendo frustrà laborare mihi videtur Cajetanus.

Quæstio de Petro.

Sed cur etiam Cephæ, id est, Petri meminerit Paulus, cùm ille Corinthi non legatur evangelium prædicasse; quæri potest. Existimat Cardinalis Baronius *in ann. ad an. Dom.* 57. eos qui se dicebant esse Cephæ, perinde ut qui Christi, non id contentionis studio dixisse, sed potiùs ad hoc ut contentionem illam & scissuram ecclesiæ declinarent, rem ad suum principium reduxisse; dicendo se esse discipulos Petri, velut totius ecclesiæ supremi post Christum pastoris & capitis: quomodo qui dicebant se esse Christi, partes revocabant ad caput & pastorem ecclesiæ primarium.

Reprehensi qui dicebāt, Ego Cephæ.

Sed hoc opinio refellitur ex Apostoli verbis, quibus satis declarat tam eos qui dicebant se esse Cephæ, reprehensibiles esse, quàm qui Pauli vel Apollo nominibus gloriabantur. Primùm quia distinguit dicentes, *Ego Cephæ, ego autem Christi*, velut inter se divisos. Nam secundùm dictam opinionem non erant distingueudi (utpote animo & sententia concordes) qui se dicerent esse Cephæ, & qui Christi. Deinde quia subjicit: *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Hoc enim æquè dici poterat de Petro. Postremò quia sub finem 3. *cap.* ubi suam adhortationem qua prædictæ contentioni mederi voluit, concludit, rursus apertè Cepham annumerat illis hominibus in quibus non sit gloriandum. *Nemo*, inquit, *glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas.*

Sanè tertium hoc membrum, *ego vero Cephæ*, similiter ut primum & secundum cum vituperatione referri ab Apostolo; sententia est omnium commentatorum, ac præter hos Augustini; cujus in lib. de unico baptismo cap. 5. hæc sunt verba: *Temporibus Apostolorum, qui dicebant. Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ; quamvis non per impiorum, sed sanctorum nomina, ipsi tamen impia schismata faciebant.* Idem sermone 13. de verbis Domini: *Volentes homines*, inquit, *ædificari super homines, dicebant: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ; ipse est Petrus: Et alii qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram; ego autem sum Christi*, &c.

Ad quæstionem responsio.

Dicendum igitur quosdam è Corinthiis Petri nomine se jactitasse, vel quod ab eo baptizati essent, vel potiùs quod eo prædicante, non quidem Corinthi, sed alibi fidem Christi suscepissent: præsertim qui erant ex circumcisione; eò quod Petrum colerent ut peculiarem suum Apostolum; sicut antè dixi, tametsi credibile est sive Judæos, sive alios eò propensiùs Petri nomine gloriatos fuisse, quod scirent quanta esset illius dignitas & eminentia supra cæteros Apostolos.

Cur Petrus tertio loco nominatus.

Nec verò quia Cepham, id est, Petrum non primo, sed tertio loco Paulus nominavit, idcircò putandus est primatus ejus prærogativam non agnovisse: quomodo nec Christi dignitatem diminuit, quem ultimum posuit. Siquidem gradatim ascendit ad majores; se ipsum, ut in re odiosa, primum nominans, id est, revera infimo ponens loco, Christum supremo, & huic proximum Petrum: id quod à Græcis expositoribus diligenter est annotatum. Itaque hic enumerationis ordo magis profectò valet ad stabiliendum Petri principatum, quàm ad labefactandum. Nam quod etiam Apollo juxta hunc ordinem sibi antepositus, modestiæ ejus fuit.

Quæstio. Utrum reprehēdendi qui se Thomistas aut Scotistas. Item qui se Frāciscanos aut Dominicanos vocāt.

Sed jam ulteriùs circa hunc Apostoli locum, ubi Corinthios occasione magistrorum divisos reprehendit, quærat aliquis: an perinde reprehendendi sint qui hodiè dicunt, Ego sum Thomæ Aquinatis, ego Joannis Scoti, ego N. aut N. Rursum qui dicunt Ego sum Franciscі, ego Dominici, ego Benedicti. Nam hujusmodi voces omnino similes esse istis, Ego sum Pauli, Apollo, Cephæ; & pari censura cum iis damnandas, contendunt non solum adversarii nostri hæretici, verum etiam Erasmus & Jacobus Stapulensis.

Quibus ita respondeo: priores reprehendendos non esse, si tantùm hoc sentiunt, se hunc aut illum insignem doctorem scholasticum sequi, tamquam præceptorem, ducem ac monstratorem doctrinæ sacræ; quantum pertinet ad methodum, sententias & principia quædam quæ probabiliter disputari possunt: non sic autem, ut ejus sententiis per omnia sibi statuant ac mordicus inhærendum, atque eum nusquam aberrasse credant: neque pugnaciter pro placitis ejus certent, tamquam jurati in verba magistri: sed agnitæ libenter cedant veritati, imò etiam majori probabilitati, secluso omni studio partium & specie factionum. Nam alioqui certè tales justam reprehensionem haudquaquam effugerent, similiter ut hoc loco Corinthii.

Resp. de posterioribus.

Posteriores quoque reprehendi non debere, dum ejusmodi verbis non aliud significetur quam sese sui quemque patriarchæ pium vivendi institutum sectari, & regulam profiteri; dumque in hac institutorum & quasi familiarum diversitate Christianam charitatem colant, & omnes in unam Christi religionem & familiam convenire, & ad eumdem scopum tendere debere, cogitent. Neque etiam puerili contentione patronum patrono aut institutum instituto præferre studeant: aut ex patroni præcellentia, vel instituti perfectione, plus aliquid sibi præ cæteris arrogent. In his enim non professiones; sed offensiones & vitia damnanda sunt; & ab omni specie mala abstinendum.

Bene dictū ego Christi.

Ego autem Christi. Putat Cajetanus etiam hoc dicentes à Paulo reprehendi, propterea quod Christum caput unius factionis statuerent. Sed constans est aliorum interpretum tam Græcorum quàm Latinorum sententia, Paulum hoc addidisse velut benè & Christianè dictum; ac doluisse quod non omnes hoc idem dicerent. Erat enim hæc vox unitatis, non schismatis. Nam Christus erat omnium caput. Et hunc sensum confirmant ea quæ scribuntur *cap.* 3. præsertim illud extremum: *Vos autem Christi, Christus autem Dei.* Verum est tamen quod admonent Græci Christum videri in parte collocatum à dicentibus, *Ego sum Christi*: sed vitio aliorum, dum ab illis dicitur, *Ego sum Pauli, Apollo, Cephæ.* Jam deinceps tribus rationibus interrogando propositis, schismata Corinthiorum destruit.

13. Divisus est Christus? Non enunciativè hoc legendum, ut quosdam fecisse meminit Theodorit. quemadmodum & exponit Oecumenius, sed interrogativè. Et quidem interrogandi notam μὴ *numquid* præpositam habent codices quidam Græci. *Sensus est*; Num Christi corpus dissectum est in partes? ac si dicat, ut solet; *Absit.* Nam ne quidem corpus ejus mortale & passibile, quum pateretur, ullius membri vel abscissionem vel confractionem subiit; ut impleretur quod scriptum est, *Os non comminuetis ex eo.* Exod. 12. Joan. 19. Quare nec in corpore ejus mystico quod est ecclesia, scissiones & sectas facere debetis. Nam & hoc esset Christum dividere.

Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? Quasi dicat: Numquid Paulus sua passione

An Petrus pro nobis crucifixus.

vos redemit? Minimè: solius enim hoc Christi est, qui solus noster est redemptor. Quare nec Petrus, quamvis posteà crucis supplicium passus, pro nobis crucifixus dici potest; eo nimirum sensu quem hîc intendit Apostolus: tametsi illius passio sicut & Pauli & aliorum martyrum nobis valeat, non solùm ad exemplum, verùm etiam ad aliquam pœnæ temporalis pro peccatis debitæ relaxationem; sive per solam charitatis communionem id fiat, sive per potestatem ecclesiæ datam à Christo. Sed ejusmodi pœnarum relaxatio, quamvis tota nitatur merito Christi crucifixi; non tamen absoluta est hominum redemptio. De qua videlicet August. tract. 84. in Joan. *Etsi*, inquit, *fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius sanguis martyris funditur: quod fecit Christus pro nobis.* Quod ipsum & Leo pontifex testatur non uno loco, ut in *ep.* 83. *&* 97. ac rursum *serm.* 12. *de pass. Dom.* Sed de ea re plenior tractatio est in 4. *sent. dist.* 20.

Sensus argumenti Paulini sic explicatè reddi potest. Quum constet, nec Paulum, nec Apollo, nec Cepham pro vobis crucifixum esse, sed Christum solum; tamen illæ voces vestræ, *Ego sum Pauli*, *ego Apollo*, *ego Cephæ*; aliis dicentibus, *ego Christi*, ita sonant, ac si non solus Christus pro vobis mortuus esset: sed pro aliis Paulus, pro aliis Apollo, pro aliis Christus. Porrò seipsum nominat Paulus, ait Theophyl. *ut ne videatur ex invidia, aliorum nominum mentionem fecisse.*

AUT IN NOMINE PAULI BAPTIZATI ESTIS? *In nomine*, Græcè εἰς τὸ ὄνομα, *in nomen*; quemadmodum & legitur *Matth. cap. ult.* ubi forma baptismi significata est. Quod tamen interpretes ferè vertunt, *in nomine*, tam hoc loco & apud Matthæum, quàm alibi. Nam & interdum sic legitur, ἐπὶ τῷ ὀνόματι, *in nomine*, etiam ubi de baptismo agitur, *ut act.* 2. Sensum verò hujus partis ita reddunt quidam: aut numquid virtute ac merito Pauli baptizati estis? id est, remissionem peccatorum in baptismo consecuti? quasi dicat, Minimè. Nam & hoc Christo proprium est. Une toties in *Actis Apost.* legimus aliquos in nomine Christi baptizatos fuisse, *ut cap.* 2. 8. 10. 19. Qua utique locutione non forma verborum inter baptizandum adhibita, significata est, ut quibusdam visum fuit: sed potius authoritas, virtus ac meritum ejus, cujus in nomine baptizati dicuntur.

Alii sic exponunt: Num per baptismum in nomen meum ascripti estis, ut Pauliani diceremini, tamquam accepto Pauli baptismo? Nam quid aliud sibi volunt qui dicunt, *Ego sum Pauli*? Hic sensus est in Græcorum commentariis; & Græco textui, atque iis quæ sequuntur accommodatior.

Quod verò latini quidam inter quos Cajetanus, exponunt *in nomine Pauli*; id est, expressò & invocato inter baptizandum Pauli nomine: quasi dictum esset à baptizantibus, ego te baptizo in nomine Pauli: facilè refellitur ex illa parte sequenti; *Ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis*: ubi illud *in nomine meo* non potest ad istum modum exponi. Id quod ipse etiam Cajetanus animadvertit: Unde coactus est aliter illic quàm hoc loco, eamdem phrasim interpretari; quum alioqui nihil esset necesse.

14. GRATIAS AGO DEO. Quidam codices addunt *meo*: quibus annuit editio Syriaca: Sed in Græcis non legitur, ut nec in Latinis probatioribus.

QUOD NEMINEM VESTRUM BAPTIZAVI. Gratias de hoc agit, non quia malum erat baptizasse; sed quoniam esse poterat, ac verisimiliter futurum erat occasio mali. Et quidem Deo gratias agit, cujus providentia factum sit, ut hoc, quod est Paulum non baptizasse Corinthios, cesserit ad eorum bonum, id est, ad evitationem peccati, quo jactarent se in Pauli nomen baptizatos esse; aut tamquam per baptismum in ejus nomen ascripti, dicerent: *Ego sum Pauli.*

NISI CRISPUM ET CAIUM. Crispus apud Corinthios Judæorum archisynagogus fuerat: quem paulo prædicante credidisse Domino cum omni domo sua, scribit Lucas *Actor* 18. Sunt qui Crispum cum Sosthene quem initio epistolæ nominavi, eumdem faciant, quoniam & ille Corinthi princeps synagogæ fuisse refertur à Luca *Acto.* 18. tamquam unus sit & idem. Sed verius est diversos fuisse. Quod & Lorinut sentit, & alij complures, qui scripserunt in *Acta Apost.* Nec enim ratio erat cur in brevi intervallo scripturæ, tam Lucas *loco memorato*, quam Paulus *hoc cap.* eumdem hominem diversis appellarent nominibus. Martyrologia quoque diversos eis assignant dies.

Crispus archisynagogus à Sosthene archisynagogo diversus.

Sed quomodo, inquies, uterque archisynagogus in eadem civitate? Respondeo cum Lorino: Aut Sosthenes Crispo successit: aut in eadem civitate plures erant synagogæ (nam Hierosolymæ multas fuisse constat *ex Act.* 6. & ex iis quæ refert Carolus Sigonius *lib.* 2. *de rep. Hebr. caput* 8.) aut alibi synagogæ præfecturam Crispus aliquando gesserat, tametsi istorum modorum primus maximè placet: ut Crispo, quia Christianus erat factus, exauthorato Sosthenes successor datus sit: qui & ipse non multò post exemplum Crispi fuerit secutus. Porrò Caius hospes erat Pauli, ut ipse testatur *Rom. ult.* De quo plura vide in ejus loci commentario. Quare non sine ratione est, quòd hos duos ipse Paulus suis manibus baptizaverit. Sequitur ratio gratiarum actionis.

Quæstionis solutio.

Caius hospes Pauli.

15. NE QUIS DICAT QUOD IN NOMINE MEO BAPTIZATI ESTIS. Græcè, *quod in nomen meum baptizavi.* Legit etiam August. *baptizavi*, lib. 3. contra Cresc. cap. 11. Tertull. quoque lib. de pudic. cap. 14. sic legit: *Ne qui dicat quod in nomine meo tinxerim*: tametsi in nonnullis etiam Græcis reperiatur ἐβαπτίσητε *baptizati estis*, & in aliis ἐβαπτίσθη *baptizatus est.* Sed hæc sensum non variant. Est autem *duplex* hujus loci *sensus.* Multi quidem sic exponũt: Ne quis vestram in baptismo sanctificationem asscribat virtuti ac merito meo: quasi pro merito baptizantis se habeat effectus baptismi. Ita ferè Latini, secuti Augustinum disputantem adversus Donatistas, qui docebant effectum baptismi dependere à sanctitate baptizantis.

Quid in nomine suo baptizare.

Aliter, & Græcæ lectioni congruentiùs exponitur, hoc modo: Ne quis me calumnietur, & dicat, quod vos baptizando transcripserim in nomen meum, ac de me Paulianos vocari voluerim, tamquam meo baptismo sanctificatos.

16. BAPTIZAVI AUTEM ET STEPHANÆ DOMUM. *Stephanæ* masculinum à nominativo Stephanas, ut manifestum est ex Græca declinatione. *Domum*, id est familiam. Cum autem familiæ nomine etiam pueri & infantes comprehendantur, argumento valde probabili colligunt ex hoc loco scriptores catholici, simul & ex *Act.* 16. ubi custos carceris cum omni domo sua baptizatus legitur, etiam infantes baptizatos fuisse; & proinde rectè eos ecclesiæ catholicæ more baptizari ut Christo incorporentur: cum profecto negari nequeat eos salutis quæ in Christo est, esse capaces. Porrò Stephanas quis fuerit non constat, nisi quod Theophyl. scribit fuisse virum apud Corinthios magnum & celebrem; idque satis apparet ex *ult. cap. hujus epist.* ubi de eodem Stephana mentio fit honorifica, semel & iterùm: deque domo ejus dicitur quod sint primitiæ Achaiæ.

Nota contra quosdam hæreticorum baptismum infantum probari ex hoc loco.

Stephanas quis fuerit.

CÆTERUM NESCIO SI QUEM ALIUM BAPTIZAVERIM. *Si*, pro *an*, *num.* Latinius ergo: *Præterea haud scio, num quem alium baptizaverim.* Id intellige vel in universum, vel ex vobis, id est, Corinthiis. De his enim ad quos scribit, propriè loqui videtur. Nec verisimile est à Paulo neminem toto orbe præter pauciss imos Corinthios quos hîc excipit, baptizatum fuisse. Crediderim sanè etiam custodem

illum carceris, de quo modò dicebam, fuisse baptizatum à Paulo: ubi præter ipsum & Silam, qui domum ejus totam baptizaret nullus aderat.

Quæstio. *Quæret* aliquis: si Paulus propè neminem Corinthiorum baptizavit, atque inde consecutum est ut nemo diceret se in nomine Pauli baptizatum: quomodo igitur jam antè dixit, quosdam dicere; ego sum Pauli? Verùm id dicebant, non quod à Paulo baptizati, sed quod ab eo fidem & evangelium edocti essent. Qua etiam ratione dicebant alii, *Ego Apollo, ego Cepha.* Nam nec Petrus per se baptizabat, ut mox ostendemus. Itaque gloriabantur in magistris fidei; sed magis adhuc gloriaturi, si ab eis etiam baptizati fuissent.

Responsio.

17. NON ENIM MISIT ME CHRISTUS BAPTIZARE, SED EVANGELIZARE. Occupatio est: tamquam diceret quis Paulo; Quomodo gaudes te non baptizasse, cùm id sit tui muneris? Respondet se non esse missum ad baptizandum, sed ad evangelizandum. *At quæres*: Si Christus Apostolum Paulum non misit ut baptizaret; qua igitur authoritate baptizavit? Ipse enim hîc fatetur se nonnullos baptizasse; quod sanè nemini licet, nisi, qui ad hoc missus fuerit. *Respondeo*, Christum quando Paulum per revelationem Apostolum fecit, non ei injunxisse ministerium baptizandi, sed prædicandi evangelium; id est, apostolatum ei commisisse: Cui tamen officio consequenter etiam baptizandi potestas erat adjuncta, tamquam officium secundarium. Unde quod dicit, *Non misit me Christus baptizare*, sic intellige: Non principaliter ad hoc me misit; ea non est primaria pars legationis meæ. Genus locutionis est quale illud, *Misericordiam volo & non sacrificium*: id est misericordiam potiùs ac principaliùs requiro, quàm sacrificium.

Quo sensu Paulus non ad baptizandum missus.

Duo Pastorum officia, Prædicare, & sacramenta administrare, quorum illud principalius.

Porrò docet nos hic locus, cum duo sint episcopi seu pastoris officia, prædicare verbum Dei, & sacramenta administrare, majus ac principalius, idemque magis arduum ac necessarium, esse verbi divini prædicandi officium: In quo proinde studiosus oporteat eum versari. Hinc etiam ostenditur in eo quod dictum est Apostolis; *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos*, Matth. 28. duo quidem significari officia pastorum ecclesiæ, doctrinam & sacramentorum administrationem; sed illud isto tum principalius, tum etiam laboriosius. Nam, ut ait Augustinus lib. 3. contra literas Petiliani ca. 56. *Perfectè baptizare etiam minus docti possunt: perfectè autem evangelizare, multò difficilioris & rarioris est operis.*

Jam quod Apostolis à Christo mandatum fuit, etiam Paulo, tacitè saltem, mandatum oportet intelligi; ut qui nihil minus habuerit à cæteris Apostolis 2. *Cor.* 12. Fecit ergo utrumque; sed alterum per alios, à quibus id facilè fieri poterat: ipse in eo quod majus ac difficilius erat, totus occupatus. Unde & *Actor.* 19. Ephesios illos qui tantum noverant baptisma Joannis pleniùs à se institutos, non tamen per se baptizavit. Imposuit autem ipse eis manus; quia id ab aliis fieri non poterat. Sic & Petrus *Actor.* 10. Cornelium & familiam ejus fidem Christi à se edoctos baptizari jussit, non ipse baptizavit. Idque adeò Christi Domini exemplo, qui per se docuit, non autem per se baptizavit, sed per discipulos suos, *Joan.* 4. Quo suo exemplo docere voluit, eos qui ad verbi ministerium apti sunt, in eo munere præcipuè versari debere; & sacramentorum administrationem, ubi res postulat, aliis per quos fieri potest committere; ne ipsi à potiore officii sui parte impediantur: præsertim episcopos, ut minora discant aliis demandare, quo ipsi ad majora per se exsequenda sint magis expediti. Quamquam etiam ob id non per se baptizabant Apostoli, ne schismatum occasiones præberent, aliis dicentibus, Ego sum Petri; aliis, Ego Pauli, &c. quandoquidem etiam non ab illis baptizati, talia dixerint.

Christus per se docuit: non per se baptizavit.

Quod verò de baptizandi ministerio dicit Paulus, & cum eo dicere potest quivis episcopus: id & de aliis similibus dicere eum posse arbitror: exempli gratia: Non misit me Dominus exorcizare, sed evangelizare. Nescio enim cur quidam magni sese tantopere occupent ac fatigent in exorcizandis dæmoniacis: cum id cuilibet simplici presbytero committi possit: quando nec quidem presbyterorum illud proprium officium est, sicut est baptizandi: sed eorum qui presbyteris ordine minores sunt, & suo nomine Exorcistæ vocantur: multoque melius sit unam animam prædicatione verbi divini è diaboli potestate eripere, quàm multorum obsessa corpora ab illius vexatione liberare.

Sicut baptizandi, sic & exorcizandi ministerium ab episcopo delegandum aliis; quo expeditius vacet ministerio verbi.

NON IN SAPIENTIA VERBI. Transit latenter ad aliud caput reprehensionis, eorum scilicet qui vel in prædicando evangelio affectabant eloquentiam & sapientiam sæcularem, vel eam à suis prædicatoribus ac magistris requirebant. *Verbi* Græcè λογ. Qua voce & verbum & ratio significatur. Putatque S. Thomas hoc loco convenientiùs intelligi posse sapientiam verbi, id est, humanæ rationis, *quoniam*, inquit, *ea quæ sunt fidei, humanam rationem excedunt.*

Quid Paulo verbum sive sermo.

Alii tam Græci quàm Latini verbum, id est, sermonem, intelligunt: idque rectius. Sic enim à Paulo assiduè sumitur, cum alibi passim, tum præcipuè in hac præsenti disputatione. Jam enim dixerat eos divites factos *in omni verbo & in omni scientia*. Et hîc de sermone mox subjicit: *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est.* Nec aliter capite sequenti. Nam etsi his in locis nunc sermonem, nunc verbum audiamus, in Græco tamen non aliud est quam λόγος. Dicit ergo Paulus, se missum à Christo, non ad baptizandum, sed ad prædicandum evangelium: nec id tamen *in sapientia verbi*, id est, exquisito & doctrinis sæcularibus instructo sermone. Hoc est quod repetit initio proximi capitis, se venisse *non in sublimitate sermonis aut sapientiæ*. Utrumque enim à se removet, & sermonis apparatum, & sapientiæ sæcularis ostensionem. Hunc sensum exprimere volens. Erasmus ita vertit: *non erudito sermone.*

Quid sapientia verbi.

UT NON EVACETUR CRUX CHRISTI. *Evacuetur*, Græcè κεν θῃ, *inanis reddatur.* Cyprianus *inanis fiat*, lib. 3. testim. *cap.* 69. Sensus; ne laude suæ virtutis ac potentiæ defraudetur crux Christi. Nam si cum sapientia verbi missi fuissent ad prædicandum Apostoli; jam non virtuti crucis, id est, divinæ potentiæ quæ per crucifixi meritum operatur, ascripsissent homines conversionem Gentium ad fidem, sed eloquentiæ & sapientiæ humanæ: Corinthii maximè, quæ sæculari sapientiæ cum eloquentia conjunctæ, plurimum tribuebant.

Quomodo per sapientiam verbi evacuetur crux Christi.

18. VERBUM ENIM CRUCIS PEREUNTIBUS QUIDEM STULTITIA EST. Objicere quis poterat: evangelium, id est, verbum crucis contemptui futurum apud auditores, ideoque sine fructu, si ita nudè & absque ornamentis humani sermonis ac sapientiæ prædicetur. Concedit hoc Paulus quantum ad reprobos attinet: sed non quantum ad electos: penes quos redemptionis proprietas est. Ut proinde nulla ex parte frustretur Dei propositum, quantumvis humiliter prædicetur crux Christi: sed magis appareat & illustrior reddatur ejus virtus in fide omnium electorum.

Sensus hujus partis: Verbum crucis, id est, sermo de cruce, prædicatio Christi crucifixi, ab iis qui pereunt & non sunt à Deo electi ad salutem, reputatur velut res stulta & ridicula; videlicet ratione rei prædicatæ, id est, crucis & crucifixi, quem infrà dicit Gentibus esse stultitiam. Quid enim stultius secundum sensum carnalem, quàm salutem exspectare ab homine crucifixo? Et ita sapiebant, qui insultabant ei dicentes: *Alios salvos fecit: seipsum non potest salvum facere.* Matth. 27.

IIS AUTEM QUI SALVI FIUNT, ID EST, NOBIS,

Verbum crucis Dei virtus, & quibus.

DEI VIRTUS EST. In Græco non interponitur, *id est*. Sed addidit vel interpres vel alius quispiam explicandæ sententiæ causa. At nobis, inquit, qui salvamur (sic enim in Græco est) eadem prædicatio crucis, utique ratione rei prædicatæ, instrumentum est virtutis ac potentiæ Dei, dum per crucem, quamvis humiliter prædicatam, Deus potenter operatur nostram conversionem & salutem. Loquitur in persona electorum. Nec enim alij sunt qui saluti fiunt, quàm electi: ut nec alij qui pereunt quàm reprobi. Consimili modo dixit evangelium esse virtutem Dei, *in salutem omni credenti*, Rom. 1.

19. SCRIPTUM EST ENIM. Testimonioprophetico docet excludendam sapientiam sæcularem à prædicatione evangelij.

PERDAM SAPIENTIAM SAPIENTIUM, ET PRUDENTIAM PRUDENTIUM REPROBABO. Græcè, *& intelligentiam intelligentium reprobabo*, sive *rejiciam*. Hieronymus legit, *& intellectum prudentium reprobabo*, in commentariis *Isa* 33. Habetur autem hoc testimonium apud Isaiam *cap* 29. juxta versionem LXX. nisi quod apud eos non est *reprobabo*, sed *abscondam*: quemadmodum & in Hebræo, ubi Hieronymo interprete sic legitur: *Peribit sapientia à sapientibus ejus*, scilicet populi Judaici; *& intellectus prudentium ejus abscondetur*. Cæterùm mutatio quam vel Paulus vel LXX. fecerunt, nihil adimit de sensus integritate, sed magis eum explicat. Nam utique Deus id facturus erat, quod futurum Propheta prædicit. Interim nota Paulum referre ad universum genus sapientiæ sæcularis, id quod propheta propriè de sapientia Judæorum, id est, Scribarum & Pharisæorum, dixit.

Sapientia sæcularis reprobata à Deo.

Sensus est. Perdam, inquit Deus, id est, abjiciam ut contemptibilem (nam *perdam* exponit Apostolus per reprobabo) sapientiam & intelligentiam sive prudentiam eorum qui secundum sæculum sapientes & prudentes sunt; ita ut ea ad negotium evangelij & promovendæ salutis hominum uti nolim: ne, ut suprà dictum est, evacuetur crux Christi

20. UBI SAPIENS? UBI SCRIBA? UBI CONQUISITOR HUJUS SÆCULI? *Scriba* Græcè γραμματεύς. Tertuliano *liberator*, lib. de idololatria cap. 10. *Conquisitor*, συζητητὴς, Laurentio & Erasmo *disputator*. Nam συζητεῖν etiam interpreti nostro disputare est, ut *Act. 6. & alibi*. Hæc Pauli potiùs verba sunt quàm Prophetæ: quibus tamen ille ad similem ejus Prophetæ locum respicit, qui est *cap.* 33. quo loco vulgata versio sic habet: *Ubi est literatus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?* At in Hebræo sic ad verbum legitur: *Ubi scriba? ubi ponderator*, sive *librator? ubi numerans turres?* Quod LXX. sic reddiderunt: *Ubi sunt grammatici? ubi sunt consiliantes? ubi est numerans eos qui nutriunt?* Paulus verò præter alia mutavit ordinem, & scribam sapienti postposuit. De hac varietate consule Forerium & alios qui commentati sunt in Isaiam.

Quia sapiens; quis scriba; quis conquisitor hujus sæculi?

Theopyl. & Ooecumen. sapientem interpretantur phylosophum Gentilium, scribam doctorem Judæorum. His enim nominibus apud utrumque populum appellabantur. Conquisitorem autem seu disputatorem sæculi hujus vocat Apostolus, non eum qui disputat de hoc sæculo, rerumque humanarum studiosus indigator est, ut quidam exponunt: sed disputatorem secularem seu mundanum; qui videlicet humana tantum ratione & naturali ingenio de rebus quibuslibet inquirit & disputat. Cujusmodi fuere qui dicti sunt philosophi.

Non malè quidam genitivum *hujus sæculi* putant etiam ad duo priora nomina referri debere, id est, ad sapientem & scribam. Nam de sapientia quidem id exprimit, dum statim nominat *sapientiam hujus mundi*, & capite sequenti, *sapientiam hujus sæculi*.

Sentit igitur Apostolus ad prædicandum evangelium & mundum fide Christi imbuendum non fuisse missos aut adhibitos sapientes hujus sæculi: quin potiùs eos cum sua sapientia abjectos & repudiatos esse à Deo. Nam id significat illa per interrogationes insultatio, *ubi sapiens* &c. Meritò autem abjecta est sapientia mundi; non solum ne extenuaretur virtus crucis; verum etiam quia multis erat erroribus & vanitatibus permixta; & quoad personas, superbiæ plena, ideoque prædicationi crucis contraria.

Cur abjecta à Deo mundi sapientia.

NONNE STULTAM FECIT DEUS SAPIENTIAM HUIUS MUNDI? Rursus hoc erotemate sapientiam sæcularem traducit ut inutilem & stultam; ac si dicat: Palàm est sapientiam mundi hujus esse reprobatam à Deo. *Stultam fecit* Græcè uno verbo ἐμώρανεν *infatuavit*, ut legit Tertull. *contra Marcionem*, id est, inanem ostendit & contemptibilem reddidit, non dignatus uti ejus adminiculo ad persuadendam homnibus veritatem evangelij. Neque enim ullus sapientum hujus sæculi vocatus fuit à Christo ad evangelium prædicandum. Theophylactus exponit infatuatam mundi sapientiam, id est, stultitiæ conjunctam; eò quod non potuerit invenire verum. Utrique sensui congruit ratio subjuncta.

Nullus sapientum hujus sæculi vocatus ad prædicandum evangelium.

21. NAM QUIA IN DEI SAPIENTIA NON COGNOVIT MUNDUS PER SAPIENTIAM DEUM. *Nam quia*, Græcè ἐπειδὴ γὰρ: *Postquam enim*. Quamquam etiam rectè habet quod noster interpres vertit. Dei sapientiam nonnulli Christum interpretantur: quo prædicante carnales homines Deum patrem noluerunt agnoscere. Movet eos quod paulo pòst Christus vocatur Dei sapientia. Sed hic sensus præsenti instituto non videtur convenire. Quocirca rectiùs alii Dei sapientiam intelligunt relucentem in opificio mundi; metonymicè tamen acceptam pro ipso mundi opificio, omnibus ad contemplandum exposito.

Dei sapientia opificium mundi.

PLACUIT DEO PER STULTITIAM PRÆDICATIONIS SALVOS FACERE CREDENTES. *Placuit Deo*, Græcè εὐδόκησεν ὁ θεὸς. Pro quo Tertull. *boni duxit Deus*, lib. 5. contra Marcionem *cap.* 5. Sic enim ille etiam alibi loquitur, ut observavit ad dictum locum Pamelius. Sed rectè noster interpres *placuit Deo*, quod aliàs *complacuit*, aliàs *beneplacitum est* dicere solet. *Stultitiam prædicationis*, alij Hebraismum exponentes vertunt *stultam prædicationem*.

Sensus totius periodi: Quandoquidem vel postquam mundus, id est, humanum genus, per sapientiam mundi, id est, suam, qua contemplatus est creaturas, earumque rationes perscrutatus, non cognovit Deum in opere illo suo sapientissimè condito (quod vocat Dei sapientiam) & per hoc mundi sapientia nihil contulit hominibus ad salutem, benigno consilio visum est Deo, per crucis prædicationem, sive per crucem ipsam, rem in specie stultam & contemptibilem, hominibus prædicatam, operari salutem eorum qui hujusmodi prædicationi crederent. Rationem cur ita Deo placuerit, assignat Leo pontifex ser. 19. de passione Domini: *ut mirabilior fieret constantia fidei ex difficultate credendi.*

Salus per crucem, ejusque humilem prædicationem.

Sed hæc ratio subordinanda est rationi principaliori, quam ipse Paulus adfert inferiùs: *ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei*. Ceterùm benè post Hugonem Cajetanus observat Apostolum non dixisse, non cognovit aliquis, *sed non cognovit mundus*. Nam ipse fatetur ac docet philosophos ex creaturis Deum agnovisse, *Rom.* 1. Verùm illi, sicut *ibidem* dicitur, nec Deum glorificaverunt, nec veritatem cognitam mundo propalarunt, sed eam in injustitia detinuerunt. Unde & illa qualiscumque Dei notitia, tam ipsis cognoscentibus, quàm mundo ad salutem inanis effecta est.

Pauci per sapientiam mundi Deũ cognoverunt: nulli glorificaverunt.

22. QUONIAM ET JUDÆI SIGNA PETUNT. Græcè, *quandoquidem & Judæi signum petunt*, seu *postulant*. Legitur autm *signum*, numero singulari, dumtaxat in codicibus qui hodie exstant. Nam apud

Chryſoſt. Theophyl. & Oecumen. plurale eſt *ſigna*: quemadmodum & apud Tertull. Commendat Apoſtolus virtutem evangelicæ prædicationis tam Judæis quàm Gentibus deſpectæ. Si quidem, inquit, & Judæi ſignis olim aſſueti, ſigna, id eſt, miracula exiguunt; quibus velut divinis teſtimoniis (inde enim ſigna dicta) adducantur ad credendum; talia maximè qualia Moyſes in Ægypto & in deſerto exhibuit. Unde *Luc.* 12. leguntur ſignum aliquod cælitus à Chriſto poſtulaſſe. Quibus & Chriſtus alibi dicit, *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*, Joan. 4. Jam antè enim dixerant ei: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Joan. 2. Non tamen reprehendit Apoſtolus, ſi quis ex juſta cauſa ſignum petat, quod vel ſua vel aliorum fides, alioquin infirmior, roboretur. Si quidem Abraham ſignum petiit & accepit, *Geneſ.* 15. & Gedeon *Judi.* 6. & Ezech. 4. *Reg.* 20. Verùm poſt Moyſen & Prophetas adhuc nolle credere, niſi ſigno viſo, Judaïcum eſt.

Judæi ſignis aſſueti ſigna petunt.

Signum petere non ſemper malum.

ET GRÆCI SAPIENTIAM QUÆRUNT. Græcos, tamquam Gentilium præcipuos, nominat. Et Græci, inquit, ſolam ſectantes rationem naturalem, requirunt humanam ſapientiam; id eſt philoſophicis rationibus doctè & diſertè propoſitis perſuaderi volunt: & ſi quid ratione aſſequi nequeant, quale eſt myſterium crucis, non recipiunt, ſed explodunt atque irrident, quemadmodum Paulo contigit Chriſtum prædicanti apud Athenienſes philoſophos *Act.* 17. Unde & à Feſto præſide audivi, *Inſanis Paule*, Act. 26.

23. NOS AUTEM PRÆDICAMUS CHRISTUM CRUCIFIXUM. Intellige ex ſuperioribus, *non in ſapientia verbi*, & ex ſequenti capite, *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis*, & ex epiſtolæ 2. cap. 10. *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Opponit enim Apoſtolus prædicationem Chriſti crucifixi ſapientiæ ſæculari. Quamvis autem multi ſignis ac miraculis adducti fuerint ad fidem crucifixi: multò tamen plures ſine miraculis crediderunt. Quod ſanè melius & perfectius eſt. Atque in ea re evidentius declarata eſt virtus crucis. Dicit autem multitudinis numero, *Nos prædicamus*; ut ſecum alios veros evangelii miniſtros comprehendat.

Multi per miracula, plures ſine miraculis in Chriſtum crediderunt.

JUDÆIS QUIDEM SCANDALUM. Chriſtus crucifixus Judæis ſcandalum, id eſt, offendiculum fuit, & ut propheta loquitur, *lapis offenſionis & petra ſcandali*, in quem graviter impingerent: quia crucis opprobrium eos turbavit & impedivit, ne hominem illum pro Meſſia reciperent, quemadmodum adducto Iſaiæ teſtimonio docet Apoſtolus Rom. 9.

Chriſtus crucifixus Judæis ſcandalum.

GENTIBUS AUTEM STULTITIAM. *Gentibus* ἕλλησι *Græcis.* Sed eo nomine Gentiles generatim comprehendit, ſaltem cultiores, minuſque barbaros, potiſſimum Romanos: quibus omnibus, æſtimatione humanæ ſapientiæ quam ſectabantur, mera ſtultitia erat hominem crucifixum aut prædicare aut credere mundi ſalvatorem. Græcorum nomine cæteros etiam Gentiles à Paulo comprehendi, docent alia loca, ut Rom. 10. *Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci*, & Galat. 3. *Non eſt Judæus neque Græcus.*

Idem Gentibus ſtultitia.

Quæres an non etiam Judæis ſtultitia fuerit Chriſtus crucifixus; Fuit ſanè. Siquidem generaliter dictum eſt ſuprà, *verbum crucis pereuntibus ſtultitiam eſſe.* Sed præter hoc, Judæis peculiariter ſcandalum fuit, quibus Chriſtus promiſſus fuerat & expectatus; nec tamen receptus, ob cauſam quam modò diximus.

Idem Judæis ſtultitia.

24. IPSIS AUTEM VOCATIS JUDÆIS ATQUE GRÆCIS. *Ipſis* Eraſmus minus rectè *iiſdem.* Non enim Græcè eſt τοῖς αὐτοῖς, quemadmodum ſuprà, *ut idem* (τὸ αὐτὸ) *dicatis omnes.* Sed ſine articulo αὐτοῖς, quod non aliud eſt quàm *ipſis.* Vide quæ diximus ad illud Rom. 7. *Igitur ego ipſe mente ſervio*, &c. *Vocatis*, Græcè τοῖς κλητοῖς *vocatitiis.* Et ſenſus eſt: Iis verò qui divina prædeſtinatione vocati ſunt ad fidem, ſive Judæi illi ſint, ſive Græci, id eſt Gentiles, ut dictum eſt.

CHRISTUM DEI VIRTUTEM ET DEI SAPIENTIAM. Dei virtutem ſive potentiam dicit Chriſtum, propter Judæos qui ſigna poſtulabant, in quibus oſtenditur potentia: Dei ſapientiam, propter Gentiles qui ſapientiam quærebant, tametſi utriſque utrumque factus eſt Chriſtus, & virtus & ſapientia Dei; quia per Chriſtum crucifixum virtus & ſapientia Dei in electorum ſalute procuranda declaratur & agnoſcitur: Virtus quidem, id eſt, potentia, qua eripuit eos è poteſtate diaboli, qui in evangelio vocatur *foris armatus* Luc. 11. Sapientia verò, quam oſtendit in eo quod per humilitatem & crucem & mortem Chriſti Filij ſui, electos redemit.

Chriſtus crucifixus electis Dei virtus & ſapientia.

Fuit enim redemptionis modus *ſanandæ noſtræ miſeriæ* convenientiſſimus: quemadmodum teſtatur Auguſt. lib. 13. *de Trinit. cap.* 10. convenientiſſimus, inquam, ob multas rationes, quas ex eodem Auguſtini loco & ex aliis, tradunt Doctores ad *diſt.* 20. *lib.* 3. *Sent.* Juxta hunc ſenſum, quem etiam verba proximè ſequentia, & alia quæ in fine capitis habentur, confirmant; Chriſtus Dei virtus & ſapientia vocatur ſecundùm naturam aſſumptam, in qua paſſus & mortuus eſt.

25. QUIA QUOD STULTUM EST DEI, SAPIENTIUS EST HOMINIBUS. Græcè: *Quia ſtultum Dei* &c. id eſt, ſtultitia Dei ſapientior eſt hominibus. Videtur enim Græco more concretum neutrum uſurpare pro abſtracto: quemadmodum & in parte ſequenti. Sic enim & alibi loquitur, ut Roman. 2. τὸ χρηστὸν τοῦ θεοῦ *benignitas Dei.*

ET QUOD INFIRMUM EST DEI FORTIUS EST HOMINIBUS. Rurſum Græcè: *Et infirmum Dei*, &c. id eſt infirmitas Dei fortior eſt hominibus. Auguſt. *lib.* 2. *de doct. Chriſt. cap.* 13. dicit ad vitandum ambiguum meliùs verti, *Sapientius eſt quam homines*, & *fortius eſt quam homines.* Quod ſecutus eſt Eraſmus. Sic enim vertit; *Quoniam ſtultitia Dei ſapientior eſt quam homines: & imbecillitas Dei robuſtior eſt quam homines.*

Senſus autem eſt: Stultitia Dei, ſive id quod in Dei conſiliis & operibus ſtultum ac præter rationem eſſe videtur, quale eſt, per crucem ſalvos facere credentes, id, inquam, ſapientius eſt omni conſilio humano, & omni opere quod homines per ſuam ſapientiam efficere poſſint. Et infirmitas Dei, ſive quod in Dei operibus infirmum & imbecille eſſe videtur, quale eſt, Chriſtum pati, crucifigi & mori, id fortius eſt ac robuſtius quam quicquid ab hominibus fieri poteſt. Debellat enim principem hujus mundi qui habebat mortis imperium, *Heb.* 2. & valet ad æternam hominum ſalutem. Quidam in utroque membro ſubintelligi volunt ſapientiam, hoc pacto: τὸ τοῦ ἀνθρώπων σοφίας; ut completè ſic vertas, *ſapientius eſt hominum ſapientia*, & *fortius eſt hominum ſapientia.* Sed id mihi coactum videtur.

Stultum & infirmum Dei quomodo ſapientius hominibus.

26. VIDETE ENIM VOCATIONEM VESTRAM FRATRES. *Videte*, Græcè, βλέπετε: quod verti etiam poteſt *videtis.* Idque placet Vallæ: & ita Faber, Eraſmus & Hentenius verterunt. Atqui veteres Latini legunt *videte*, ut Irenæus *lib.* 2. *cap.* 34. Item Pelagius, Primaſius, Sedulius & cæteri. Unus Ambroſiaſter retenta Græci verbi ambiguitate, legit *intuemini.* Porrò docet Apoſtolus, id quod dixit de operibus Dei collatis ad opera hominum, non ſolum habere locum in cruce Chriſti, ſed etiam in ipſis qui credunt.

Duplex hujus loci commentarius.

Eſt autem hujus loci duplex commentarius. Nam quæ hîc & deinceps dicuntur, alij referunt ad fideles illius temporis in genere, comprehenſis etiam Apoſtolis, per quos fides crucis Chriſti perſuaſa eſt mundo: qui plerique fuerunt homines ſecundum ſæculum humiles & abjecti. *Alij* propriè hæc dicta volunt ad Corinthios: quia dicit Apoſtolus *vocationem veſtram*, id eſt, Corinthiorum: quamvis & ſic intelligi

ligi poſſit, *veſtram*, id eſt fidelium: præſertim cum inſcriptionem epiſtolæ fecerit valde generalem. Nam poſtea *verſu penultimo*, ad Corinthios revertens ait: *Ex ipſo autem vos eſtis*, &c. Nos igitur priorem ſenſum proſequemur; ſub quo tamen etiam ſecundum facile eſt accipere. Porro *vocationem* dicit vocatos; ſicut alibi *circumciſionem*, circumciſos. Videte, inquit, & conſiderate vocatos ad fidem, id eſt fideles, qui & quales ſint, etiam illi qui inter eos præcipui ſunt, ut Apoſtoli Chriſti.

Vocatio pro vocatis.

QUIA NON MULTI SAPIENTES SECUNDUM CARNEM. Id eſt, quod non multi humana ſapientia præditi; ſupplendum vel ex eo quod præcedit, vocati ſunt; vel ex ſequentibus, electi ſunt; utique ad fidem, vel etiam ad Evangelii prædicationem. *Notandum*, Paulo eadem eſſe *hoc cap. & duobus ſeq.* ſapientiem hujus mundi, ſapientiam hujus ſæculi, ſapientiam ſecundum carnem, & ſapientiam hominum ſive humanam: quam & carnalem ſapientiam vocat, 2. *Cor.* 1. Quibus nominibus eam ſignificari vult ſapientiam, quæ ſtudio humano abſque doctrina Spiritus-ſancti poteſt acquiri: propter quod & ſapientia ſecundum carnem vocatur; qualis fuit ſapientia philoſophorum.

Sapientia mundi pluribus nominibus appellata: & quæ dicatur.

NON MULTI POTENTES. Potentes ſecundum ſæculum intellige. NON MULTI NOBILES. Id eſt, claro genere nati. Non dicit Apoſtolus: nemo ſapiens ſecundum carnem, nemo potens, nemo nobilis. Nam hujuſmodi etiam nonnulli primis illis temporibus ad fidem acceſſerunt; ut Nicodemus princeps Judæorum, Joſeph ab Arimathæa nobilis decurio; duo centuriones, alter à Domino laudatus, alter ab Angelo: Paulus proconſul: Apollo vir eloquens: Dionyſius Areopagita: de quibus omnibus partim in evangelio, partim in *Actis Apoſt.* Denique & ipſe Paulus Apoſtolus ad pedes Gamalielis in lege inſtitutus: atque etiam in ethnicorum libris verſatus; quemadmodum verſus poëtarum ſubinde ab eo citati ſatis produnt. Verum hi comparatione multitudinis credentium pauciſſimi erant, ita ut etiam Chriſto prædicante diceretur: *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc quæ non novit legem.* Joan. 7.

Nonnulli ſapientes, potentes, nobiles in Chriſtum crediderunt.

Cæterùm inter duodecim Chriſti Apoſtolos à quibus primùm omnium crux Chriſti prædicata fuit mundo, nullus omnino ſecundum ſæculum ſapiens, potens, nobilis. Hinc Ambr. lib. 5. in Lucam ad illud cap. 6. *Elegit ex ipſis, adverte*, inquit, *cæleſte conſilium*: *non ſapientes aliquos, non divites, non nobiles, ſed piſcatores & publicanos, quos dirigeret, elegit*: *ne traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe divitiis, ne potentia nobilitatiſque authoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam, videretur.* Sic ille.

Inter Apoſtolos Chriſti nullus ſapiēs, potens, nobilis.

Vanum igitur eſt quod de regia nobilitate S. Bartholomæi fabulantur quidam; cùm præſertim ad derogandam illi fabulæ fidem, memorata B. Ambroſii verba pro ſacra lectione in ejuſdem Apoſtoli feſto recitet eccleſia Romana. Quanto minus recipiendum quod de eodem Apoſtolo apud Ψευδώνυμον Abdiam legitur, perpetuo purpuratum ac gemmatum inceſſiſſe; & angelorum præſidio ſic munitum, ut nec veſtes ejus ſordidarentur, nec ſandalia veteraſcerent, nec ipſe fatigaretur aut eſuriret? cùm *non ſit Apoſtolus major eo qui miſit illum.* Joan. 13. id eſt, Chriſto Domino; qui & fatigatus fuiſſe & eſuriiſſe legitur: dicatque in omnium Apoſtolorum perſona Paulus infrà cap. 4. *Uſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus & nudi ſumus.*

Fabula de nobilitate S. Bartholomæi rejicitur.

Dices, ſaltem γραμματεὺς fuit Bartholomæus, & legis Judaïcæ peritus; ſi, quod quorumdam habet opinio valde probabilis, idem is fuit cum Nathanaële, qui *Joan.* 1. tamquam gnarus legis reſpondiſſe legitur Philippo, *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe.* Quo fit ut Auguſtinus, qui Nathanaëlem ab Apoſtolis diverſum facit, in ejus loci tractatione dicat, ob hanc ipſam cauſam quia doctus erat in lege, non fuiſſe à Chriſto inter duodecim annumeratum. Sed *reſpondetur* illud à Nathanaële dictum fuiſſe cum interrogatione. Nam ſermo erat de oppido parvo & obſcuro; à quo non videbatur magnum aliquod bonum ſperari poſſe. Unde & tamquam interroganti reſpondit Philippus; *Veni & vide*; ſcilicet ut experientia diſcas id de quo dubitas & interrogas. Auguſtinus autem tamquam aſſertionem hominis in lege & ſcripturis verſati, verba ejus accepit.

Nathanaël an idē cum Bartholomæo: & an legis fuerit peritus.

27. SED QUÆ STULTA SUNT MUNDI, ELEGIT DEUS. Tota hæc adverſativa ad amuſſim reſpondet verbis præcedentibus: *non multi ſapientes ſecundum carnem: non multi potentes: non multi nobiles.* Nam primum quia dixerat: *non multi ſapientes ſecundum carnem*, nunc dicit: *Sed quæ ſtulta ſunt mundi*, Græcè *ſtulta mundi*, id eſt, quæ ſtulta erant ſecundum mundum, *elegit Deus.* Et ſenſus eſt: Eos qui mundana ſapientia deſtituti erant, ideoque ſtulti & inſipientes atque ad docendum alios inepti humano judicio videbantur: quales fuere piſcatores; hos inquam, elegit Deus ad fidem, non ſolum ſuſcipiendam, ſed etiam aliis prædicandam.

Quæ ſtulta mundi.

UT CONFUNDAT SAPIENTES. Id eſt, ut pudore afficiat ſapientes: non qui eſſent, ſed qui eſſe viderentur, ait Auguſt. ſerm. 63. de diverſis cap. 3. *ſapientes* non ſimpliciter, *ſed ſecundùm carnem*, ut paulo ante dixi. Pudefiunt enim hujuſmodi ſapientes, dum per ſuam ſapientiam præſtare non poſſunt: id eſt, homines ad æternam ſalutem adducere, & beatos facere; quod ſine ea præſtant indocti.

ET INFIRMA MUNDI ELEGIT DEUS. Hæc pars reſpondet ei qua dixerat, *non multi potentes. Infirma mundi*, id eſt, infirma ſecundùm mundum, dicit homines nulla ſæculi potentia præditos, ſed plebeios & inopes. UT CONFUNDAT FORTIA. Id eſt, ut illorum comparatione veluti pudefaciat omnem hujus mundi potentiam; dum per illos facit, quod potentes ſæculi non poſſunt.

Quæ infirma mundi.

28. ET IGNOBILIA MUNDI ET CONTEMPTIBILIA ELEGIT DEUS. Hoc opponit ei quod dixerat, *non multi nobiles. Contemptibilia*, Græcè τὰ ἐξουθενημένα, id eſt, *quæ nihil habita.* Senſus: Et eos qui ſecundum ſæculum ignobiles erant & obſcuri, ideoque deſpecti, velutique pro nihilo habiti, elegit Deus.

Quæ ignobilia mūdi.

ET EA QUÆ NON SUNT. Græcè ἃ τὰ μὴ ὄντα, *& non entia*, id eſt, ea quæ non erant. Quod dixit *nihili habita*, auget Hebraïſmo *non entia*, licet res eadem ſignificetur. Nam quæ contemptui ſunt, Hebræis dicuntur non eſſe, quatenus nihili æſtimantur; quaſi dicas homines nullius nominis aut numeri. Tales fuere plerique quos Chriſtus initio ad fidem & Evangelii prædicationem elegit.

Non entia Hebræis quæ dicantur.

UT EA QUÆ SUNT DESTRUERET. *Deſtrueret*, Græcè καταργήσῃ, *aboleret*, *obliteraret*, ut vertit Eraſmus. Eamdem vocem interpres *Rom.* 3. *verſ.* 2. vertit evacuare. *Senſus eſt*: ut eos qui magni ſunt hominum æſtimatione, contemptibiles & obſcuros redderet, ac velut ad nihilum redigeret, quod eſt deſtruere juxta verſionem noſtram. Hoc autem factum eſt, quando apparuit, quam nihil conferat ad negocium æternæ ſalutis hominum, nobilitas generis, & omnino quicquid mundus ut magnum admiratur.

29. UT NON GLORIETUR OMNIS CARO IN CONSPECTU EJUS. Græcè ἐνώπιον αὐτοῦ, *coram eo.* Non omne pro nullo: & caro pro homine, idiotiſmi ſunt Hebraïci. Libentiùs tamen hominem ſcriptura carnem appellat, ubi infirmitatem ejus notat, aut faſtum reprimit: ut Iſa. 40. *Omnis caro fœnum.* Et Jerem. 17. *Maledictus homo qui ponit carnem brachium ſuum.* Hæc ætiologia referenda eſt ad tria membra præcedentia, quibus dictum eſt Deum ele-

Caro pro homine.

giſſe ſtulta & infirma & ignobilia mundi, ut confundat ſapientes & potentes & nobiles. Hoc enim totum fecit, ut appareret nulli homini gloriandum eſſe de quibuſcumque bonis, quæ per naturam habentur, ut ſunt ſapientia ſæculi, potentia, nobilitas: gloriandum, inquam, *coram Deo*, id eſt, in iis quæ hominem Deo commendant, ut ſunt fides & opera pietatis: ſed harum rerum gloriam omnem ſoli Deo tribuendam per Chriſtum. Unde ſequitur.

Nota ad mores, non gloriandum cuiquam de bonis naturæ, &c.

30. EX IPSO AUTEM VOS ESTIS IN CHRISTO JESU. *Ex ipſo*, Eraſmus *ex eodem*: ſed non magis potuit, quàm in eo quod proximè præcedit *coram ipſo*. Pars hæc variè exponitur. *Primus* ſenſus eſt: *Ex ipſo*, ſcilicet Deo, & non ex vobis, etiam vos eſtis quicquid eſtis coram Doo; & ab eo habetis, quidquid boni quod ad pietatem pertineat habetis; idque per Chriſtum Jeſum. *Aliter*: Vos eſtis ex Deo, id eſt, filii Dei, homines Dei eſtis, velut ex Deo nati; idque per Chriſtum Jeſum. *Tertius ſenſus*: Ex Deo vos eſtis in Chriſto, id eſt, per Dei gratiam eſtis Chriſtiani, Chriſto incorporati, & beneficiorum ejus participes. Sic eſſe in Domino, pro eo quod eſt eſſe Chriſtianum, dixit *Rom.* 16. *verſ.* 12. Tam huic ſenſui quàm duobus prioribus benè congruit quod ſequitur.

Chriſtus nobis factus ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, redemptio, quo ſenſu.

QUI FACTUS EST NOBIS SAPIENTIA A DEO. Id eſt, cujus meritò veram ſapientiam habemus à Deo authore. Hanc opponit ſapientiæ ſæculari de qua ſuprà ac rurſus *infrà*, *cap. ſeq.*

ET JUSTITIA ET SANCTIFICATIO ET REDEMPTIO. Eodem ſenſu omnia hæc dicuntur, nempe cauſali, quod Chriſti merito juſtitiam, ſanctificationem & redemptionem à Deo acceperimus. Illud enim *à Deo*, per ſingula repetendum eſt. Qui hunc locum adducunt pro juſtitia imputativa à Lutheranis invecta, ii ſacris literis aut ſtudio aut imperitia abutuntur; ut quod figurato ſenſu dictum conſtat, propriè velint intelligi. Sicut enim Chriſtus ideò nobis ſanctificatio & redemptio factus eſt, quia per crucem ejus ſanctificati ſumus ac redempti: ſic utique factus eſt nobis juſtitia, quia per crucem ejus juſtificati ſumus: non quia juſtitia ejus vel divina vel humana nobis imputatur. Sic alibi pax noſtra vocatur, quia pacem nobis ſuo merito conciliavit, *Epheſ.* 2. *verſ.* 14.

Obſ. contra Sectarios, malè ex hoc loco colligi Juſtitiã imputativam.

31. UT QUEMADMODUM SCRIPTUM EST. Scriptum eſt apud Jeremiam *cap.* 9. non tamen verbis iiſdem, ſed ſenſu.

QUI GLORIATUR, IN DONINO GLORIETUR. Apud Prophetam ſic legitur: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua: & non glorietur dives in divitiis ſuis: Sed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me.* Hoc autem erat in Domino gloriari. Nam ſi per humanam ſapientiam quis poſſet Deum cognoſcere & colere, quomodo cognoſcendus & colendus eſt; jam potuiſſet ſapiens gloriari in ſapientia ſua; quod vetat Dominus per Prophetam. Senſus igitur Apoſtoli ex Propheta eſt hujuſmodi: Qui gaudet & gloriatur ſe habere aliquid unde placeat Deo; non id ſuæ ſapientiæ aut potentiæ aut alteri cuicumque bono naturæ aſſcribat; ſed ſoli gratiæ Dei acceptum ferat. Quid in Domino gloriari.

Quamquam illud *in Domino*, poteſt de Chriſto accipi, de quo proximè ſermo fuerat; ut ſenſus ſit, in nulla alia re gloriandum eſſe, quàm in ea, quam per Chriſtum habemus, qui nobis omnia factus eſt. Qui ſenſus etiam convenit alteri loco 2. *ad Cor.* 10. ubi hæc ſententia repetitur: ut ibi videbis. Unde & ad illud quod apud Prophetam ſequitur; *quia ego ſum Dominus faciens miſericordiam & judicium & juſtitiam in terra*: videtur Apoſtolus alluſiſſe prioribus verbis; tamquam illic recondito quodam ſenſu ſignificata ſit Chriſti Domini incarnatio & redemptio: per quam Deus in ipſo nobis illa operatus eſt. Denique poteſt quod Apoſtolus ait, *quemadmodum ſcriptum eſt*, ad totius ſcripturæ ſacræ ſenſum & ingenium referri. Nam ut ſcribit Auguſtinus Enchiridii 98. *Altiſſimo ſaluberrimoque ſacramento univerſa facies atque (ut ita dixerim) vultus ſanctarum ſcripturarum benè intuentes id admonere invenitur, ut qui gloriatur, in Domino glorietur.* Tota ſcriptura admonet, non niſi in Deo gloriandum.

CAPUT II.

ET ego, cum veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Chriſti. 2. Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. 3. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos: 4 & ſermo meus & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis: 5. ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. 6. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non hujus ſæculi, neque principum hujus ſæculi, qui deſtruuntur: 7. ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, 8. quam nemo principum hujus ſæculi cognovit: ſi enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. 9 Sed ſicut ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum: 10. nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. 11. Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei. 12. Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt; ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis. 13. quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. 14. Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur. 15. Spiritualis autem judicat omnia: & ipſe à nemine judicatur. 16. Quis enim cognovit ſenſum Domini, qui inſtruat eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus.

Sap. 1. *c.* 17. *Acto.* 18 *a.* 1. 2. *Pet.* 1. *c.* 17. 2. *Pet.* 1. *c.* 16. *Iſa.* 40. *d.* 13. *Sap.* 9. *c* 13. *Rom.* 11. *d.* 34.

SUMMARIUM.

CHriſtum & hunc crucifixum Corinthiis ſe prædicaſſe dicit, cum humilitate ſermonis & virtute Dei. Sapientiam mundo abſconditam, quæ ſolo Dei ſpiritu cognoſci poteſt, ſe loqui inter perfectos: quod animalis homo non ſit aptus ad eam percipiendam.

ET EGO CUM VENISSEM AD VOS FRATRES. Suprà dixerat ſe miſſum ad Evangelizandum, non in ſapientia verbi, ne crux Chriſti evacuetur. Id nunc docet apud Corinthios ſe præſtitiſſe: ſimulque à ſeipſo quodammodo probat quod dixerat, Deum quæ ſtulta ſunt mundi, & quæ infirma elegiſſe, etiam quoad officium prædicationis Evangelicæ: per hæc tacitè perſtringens quoſdam Corinthiorum Doctores, qui in Evangelio prædicando ſuam oſtentabant eloquentiam unà cum ſapientia ſæculari. Cæterúm & per *itaque* rectè exponunt quidam.

VENI NON IN SUBLIMITATE SERMONIS AUT SAPIENTIÆ. *In ſublimitate* Græcè κατ' ὑπεροχὴν, id eſt, *ſecundùm* vel *per ſublimitatẽ*, quod & in nonnullis invenitur Latinis vetuſtioribus. Commentator Amb. legit *cum eminentia*: quod ſecutus eſt Eraſmus.

ANNUNCIANS VOBIS TESTIMONIUM CHRISTI. Græcè, *teſtimonium Dei*; & in nonnullis *myſterium Dei*. Quod quidem etiam legit & interpretatur commentator Amb. Unde apparet olim quoque in Græcis quibuſdam ſcriptum fuiſſe μυστήριον, tametſi μαρτύριον puto ſincerius; ut ſenſus ſit: Igitur quando veni ad vos teſtis Chriſti, videlicet annunciaturus vobis Evangelium, quod eſt teſtimonium Chriſti, id eſt, de Chriſto, idque juxta legationem mihi injunctam, nullam oſtendi in prædicatione mea vel eloquentiæ vel ſapientiæ ſæcularis eminentiam; ſed ſimplici ſermone uſus, ac nullo adjutus adminiculo philoſophiæ humanæ, Chriſtum vobis prædicavi.

Quæritur an potuiſſet Paulus, ſi voluiſſet, prædi-

Quæſtio. An potuerit Paulus ad prædicandum Evangelium adhibere eloquentiam & ſapientiam ſæcularem. Reſponſio.

care cum ſublimitate ſermonis & ſapientiæ ſæcularis. Negant Chryſoſt. & eum ſecuti Theophylact. & Oecumen. quod revera, ut aiunt, ſermone eſſet imperitus & externæ ſapientiæ penitus expers. At ſanè quamvis aliquo ſenſu ſermone imperitum fuiſſe Paulum ipſius conſtet teſtimonio, 2. *Cor.* 11, ubi id de ſe fatetur (quod quidem quo ſenſu dixerit, illic à nobis explicabitur) attamen ut Græcos legit Poëtas, ſic & Oratores & Philoſophos eum legiſſe, & proinde ſapientiæ ſæcularis haud prorſus expertem fuiſſe, ſatis eſt veriſimile. Verùm ejuſmodi ſapientiam apud Corinthios non oſtendit, nec omninò, quod tale quicquam ſciret, præ ſe tulit; videlicet contentus Evangelicæ prædicationis negocium ſimpliciter agere, more aliorum Chriſti Apoſtolorum; quod id magis tunc expediret ad promõvendam Dei gloriam. Reſponſionem hanc confirmat, quod proximè ſequitur: ubi non dicit; Non enim ſcivi aliud: Sed.

2. NON ENIM JUDICAVI ME SCIRE ALIQUID INTER VOS. *Me* in Græco non additur ſed intelligitur. Sine eo citant Tertull. *lib. de pudicit. cap. 14.* & Hilarius *lib. 10. de Trinit.* Quidam ſic vertit: *Non enim quicquam ad cognoſcendum delegi inter vos.* Hic interpres rationem habuit articuli τὸ præpoſiti verbo infinito εἰδέναι: licet Græci expoſitores ejus articuli vim diſſimulaſſe videantur. Nam & codices quidam articulum non agnoſcunt. Nec additus aut demptus ſenſum variat. Qui hujuſmodi eſt: Etenim ſtatueram ita me gerere apud vos, ut nihil aliud ſcire viderer. Aut, ſecundùm alios, Non judicavi, id eſt, diſſimulavi apud vos, me quicquam ſcire; non declaravi me aliud ſcire. Sequitur.

Quomodo Paulus non aliud ſciens quam Jeſum-Chriſtum crucifixum.

NISI JESUM-CHRISTUM, ET HUNC CRUCIFIXUM. Non ſignificat ſe nihil aliud apud Corinthios docuiſſe, quàm Chriſtum crucifixum, id eſt, articulum crucifixionis Chriſti. Nam & alios fidei articulos docuit, & doctrinam ad mores vitæ Chriſtianæ pertinentem diligenter inculcavit; quemadmodum id benè oſtendit Auguſt., *lib. de fide & operibus cap.* 10. Sed à ſua prædicatione qua apud illos uſus eſt, primum removet ſermonis ornatum cum admixta ſapientia ſæculari: deinde etiam ſublimiorem & ſecretiorem Chriſtianæ religionis doctrinam, quam *infrà* nuncupat ſapientiam; quod ejus nondum eſſent capaces Corinthii: quibus proinde rudimenta fidei tantum erant initio tradenda. Quæ rudimenta vocat *Jeſum-Chriſtum & hunc crucifixum.*

Chriſtum crucifixum quis prædixit.

Pulchrè ſenſum hunc inſinuavit Franco Abbas tom. 12. de gratia Dei: *Paulus*, inquit, *parvulos in Chriſto lacte potat: adultos in fide, ſolido cibo roborat. Inter illos nihil niſi Chriſtum, & hunc crucifixum ſe ſcire judicat: inter iſtos, de ſecretis cœleſtibus, & myſteriis à ſæculo abſconditis diſputat.* Similiter intellexit Bernardus *ſerm. ad milites templi cap. 6.* & Hugo Victorinus *in quæſt. hujus loci.*

Senſus igitur eſt: Nudè, ſimpliciter ac ſine pompa ſermonis & oſtentatione ſapientiæ ſæcularis, quaſi nihil aliud ſcirem, tradidi vobis rudem de Chriſto doctrinam; diligenter inculcans hoc fundamentum Jeſum-Chriſtum pro nobis crucifixum & mortuum eſſe; & hac fide, nec aliter ſalutem haberi poſſe: ſecretiorum & profundiorum fidei myſteriorum expoſitione in aliud tempus reſervata. Congruunt huic ſenſui ſequentia ab eo loco, *Sapientia autem loquimur inter perfectos*, maximè quæ dicuntur ſub finem hujus capitis; & initium ſequentis. Jam ex his etiam patet, non illum prædicare Chriſtum crucifixum, qui tantùm proponit ac docet crucem eſſe imitandam: ſed qui docet non in alio quàm in cruce Chriſti gloriandum; ipſius nimirum Pauli exemplo dicentis Galat. 6. *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu-Chriſti.*

3. ET EGO IN INFIRMITATE ET TIMORE ET TREMORE MULTO FUI APUD VOS. Præpoſitio *in* ἐν ſecundo & tertio loco repetitur in Græco. Timor & tremor differunt quod timor ſit animi, tremor corporis: atque hic illius effectus. Verùm quoties conjunguntur in ſcripturis, fere ſignificant ſolicitudinem operis cum metu offendendi, ut Pſalm. 2. *Servite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore,* & Philip. 2. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* De varia acceptione infirmitatis in ſcripturis, egimus in *commentar. Epiſtol. ad Rom. 5. verſ. 6.* Hoc quidem loco ſunt qui corporis infirmitatem ſanitati oppoſita intelligant: Sed rectiùs alii infirmitatem interpretantur quæ potentiæ opponitur: licet & hi varient. Nam Chryſoſt. aliique Græci putant Apoſtolum loqui de perſecutionibus & periculis quæ Corinthi paſſus fuerat. Hæc enim infirmitatum nomine ſignificari patet ex iis quæ ſcribuntur 2. *Cor. 11. & 12.*

Timor & tremor quid ſignificent in ſcripturis.

Quomodo Paulus in infirmitate apud Corinthios.

Aliis placet (quod & ego magis probo) infirmitatem hîc accipi pro humilitate converſationis, de qua dicit 2. Corinth. 10. *Qui in facie quidem humilis ſum inter vos;* & propter quam de eo dicebatur, ut ipſe refert eodem loco: *præſentia corporis infirma.* De qua rurſus ait ejuſdem Epiſtol. cap. 13. *Gaudemus enim quoniam nos infirmi ſumus.* Nam & ea infirmitatis acceptio reſpondet ſuperioribus, ubi dictum eſt; *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Denique eamdem ſignificaſſe videtur Galat. 4. dicens: *quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem.*

Itaque ſenſus eſt: Quando prædicavi vobis Evangelium, non ſolùm uſus ſum humili ſermone, nihil admiſcens ſapientiæ ſæcularis: verùm etiam humiliter admodum ipſe me geſſi, manibus laborans, nec utens poteſtate quam Dominus mihi dedit; & inter hæc ſolicitus, ne quid committerem verbo aut facto, quo vos offenſi reſiliretis à fide ſuſcepta. Summa eſt, ut doceat ſe verſatum fuiſſe apud Corinthios, non ut ſermone tantum, ſed & perſona humilem.

4. ET SERMO MEUS ET PRÆDICATIO MEA. Id eſt, oratio mea qua uſus ſum in Evangelio prædicando. Nam & ſumitur expoſitivè.

NON IN PERSUASIBILIBUS HUMANÆ SAPIENTIÆ VERBIS. *Perſuaſibilibus* Græcè πειθοῖς, id eſt, *ſuaſoriis*, ſive *perſuaſoriis*, aptis & comparatis ad perſuadendum: cum perſuaſibile propriè dicatur id quod perſuaderi poteſt. Quamvis autem in Græco ſit idem vocabulum *ſermo* λόγος: & *verbis* λόγοις: conſultò tamen Latinus interpres mutavit, videns non poſſe utrumque prorſus ſimiliter accipi. Quod & Eraſmus imitatus eſt, fruſtra reclamante. Valla Nam *ſenſus eſt*: Sermo meus quo Chriſtum apud vos prædicavi, non fuit compoſitus ex verbis & ſententiis ad perſuadendum accommodatis ob admixtam humanæ ſapientiæ doctrinam.

Perſuaſibilia humanæ ſapientiæ verba quæ dicantur.

Quidam ſic exponunt: Prædicans vobis Chriſtum non adhibui verborum ornamenta, quibus humana ſapientia ſeſe venditat. Sed *prior ſenſus* melior. Vult enim non ſolùm ſermonis ornatum rhetoricum, verùm etiam ipſam ſapientiam ſæcularem à ſua prædicatione removere. Hoc autem de neglectu ſapientiæ ſæcularis repetit, ut addat quod ſequitur.

SED IN OSTENSIONE SPIRITUS ET VIRTUTIS. Tropus eſt quam hendiadem vocant, *ſpiritus & virtutis*, id eſt, virtutis Spiritus-ſancti: quam videlicet Spiritus-ſanctus ſuppeditat. *Senſus*: Prædicatio mea quamvis humana arte perſuadendi deſtituta, tamen efficax fuit; quod eam comitaretur virtus Spiritus-ſancti, declarata per miracula, velut certa teſtimonia veritatis eorum quæ prædico.

Quæres ſi rectè neglexit Apoſtolus verba ſuaſo-

Quæstio; An concionatoribus Paulus imitandus, in eo quod neglexit verba suasoria.

ria; cur non illum in eo imitantur omnes verbi Dei prædicatores; quibus studium esse videmus imitandi potiùs Esther reginam, quæ Deum precabatur ut tribueret *sermonem compositum in ore suo*, ad flectendum regis animum: *Esther* 14. Respondetur, ordinariam hanc esse viam ad suadendum & monendos auditorum animos, uti verbis ad eum finem studio compositis, quæ proinde negligi non debeat; nisi constet alia ratione Deum velle moveri homines ad id quod eis est salutare: quemadmodum ei placuit principio per Apostolos simplici & incomposito sermone Evangelium prædicari, & Gentes converti, idque ob causam superiori capite expressam, & verbis hîc sequentibus repetitam.

Fides non asscribenda sapientiæ humanæ, sed virtuti divinæ.

5. UT FIDES VESTRA NON SIT IN SAPIENTIA HOMINUM, SED IN VIRTUTE DEI. Id est, Ut fides vestra non asscribatur humanæ sapientiæ (eadem ratio de eloquentia) sed omnes agnoscant solius divinæ virtutis esse illud opus. At verò fide semel fundata, redeundum fuit ad ordinariam & consuetam persuadendi viam; ac nihilominus credendum, quod, ut sequenti capite dicitur, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

6. SAPIENTIAM AUTEM LOQUIMUR INTER PERFECTOS. Hactenus dixit se nudè & simpliciter prædicasse Corinthiis Christum, & eum crucifixum, sine cultu sermonis aut sapientiæ humanæ. Nec addidit se protulisse apud suos auditores recondita sapientiæ divinæ: quod tamen oportuit, post humanam sapientiam repudiatam. Hanc igitur rem nunc explicat; ac duo docet usque ad finem capitis; quorum prius est, reconditorum sapientiæ divinæ notitiam sibi non deesse; alterum se eam sapientiam non promiscuè proferre apud quoslibet, sed solùm apud perfectos & spirituales. Utrumque complexus est hac sententia. *Sapientiam loquimur inter perfectos*; ac si dicat: Quamvis nos Apostoli qui Christum prædicamus, humanæ sapientiæ præsidia non requiramus: non tamen expers est sapientiæ prædicatio nostra. Loquimur enim & docemus veram & (ut infrà) Dei sapientiam, inter perfectos.

Qui perfecti: & quam sapientiam inter eos Paulus loquitur.

Græci quidem commentatores *sapientiam* hoc loco generaliter intelligunt, prædicationem Christi crucifixi, & perfectos in genere fideles: Sed rectiùs alii, perfectos eosdem accipiunt quos infrà vocat spirituales, quosque carnalibus & animalibus opponit: & quos rursus perfectos appellat Hebr. 5. dicens, *Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.* Quæ verba sunt pro commentario loci præsentis. Inde enim etiam dicimus sapientiam, quam inter perfectos loquitur Apostolus, intelligi non quamcumque doctrinam de Deo & Christo, sed eam quæ continet secretoria & altiora nostræ religionis mysteria; cujusmodi sunt quæ Paulus tradit *in epistolis ad Romanos, Ephesios, & Colossenses*, de electione & reprobatione divina, deque vocatione Gentium & abjectione Judæorum: quæ ad Thessalonicenses de Antichristo; quæ ad Hebræos de sacerdotio Christi, & quæ in hac ipsa Epistola de statu ac modo resurrectionis mortuorum. Hæc enim vel non statim tradebantur rudibus, vel summariè tantùm; reservabantur autem tradenda, vel plenius ac profundius explicanda, iis qui jam essent in Christo provectiores.

Altiora mysteria non statim tradenda rudibus Christianis.

Huc etiam referri possunt quorumdam articulorum fidei tropologicæ significationes; ut passionis, crucifixionis, mortis, sepulturæ, resurrectionis & ascensionis Dominicæ: Quas Petrus & Paulus in suis Epistolis, ad exhortationem vitæ Christianæ, opportunis locis admiscent.

Huc igitur etiam pertinet arcanum Dei consilium, quo voluit per opprobrium crucis & humilitatem prædicationis, confundere sapientiam humanam & destruere tyrannidem diaboli. Quam Dei sapientiam hîc potissimùm à Paulo considerari, indicant ea quæ sequuntur. Et hæc est sapientia quam necdum habebat Petrus, quando Christo passionem suam prædicenti, dixit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Quare & ab eo audivit, *Non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*, Matth. 16. Peculiariter autem hanc Apostolus sapientiam vocat, quod sapientia propriè sit de rebus altioribus & à communi notitia hominum alienis.

Hæc expositio Latinorum est, ac nominatim S. Thomæ tam in *comment.* quàm *in* 2. 2. *quæst.* 45. *art.* 1. *ad* 1. ubi & probat eam ex sequentibus Apostoli verbis, *Loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est.* Porrò simile est huic loco, quod Dominus suis discipulis dixit Joan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modò.* Quam sententiam ediserens Augustinus *tract.* 96. 97. & 98. proponit ac versat, & aliarum scripturarum collatione explicat hujusmodi quæstionem: *Utrum spirituales homines habeant aliquid in doctrina, quod carnalibus taceant, & spiritualibus dicant.*

Utrum spirituales habeãt aliquid in doctrina, quod carnalibus taceant. Augustini responsio.

Est autem responsionis ejus hæc summa: Quamvis Apostoli non omnia ad doctrinam religionis Christianæ pertinentia statim initio tradiderint iis quibus Evangelium prædicabant, non tamen vel ipsos, vel alios spirituales homines ab Apostolis institutos, habuisse aliquid in doctrina, quod non opportuno tempore depromerent, ac palàm apud multitudinem proferrent: sic ut eadem traderent majoribus & parvulis, id est, perfectis & imperfectis: sed ea cura adhibita, ut pro sua quibusque capacitate ea proponerent, parvulis quidem ut potum lactis, quem libenter & facilè sugant: majoribus autem ut solidum cibum, explicando rationes, ordinem, modum, aliasque circumstantias eorum quæ credenda sunt: quod est sapientiam loqui inter perfectos.

Sic & Hugo Victorinus hanc rem explicat, *quæst.* 16. Quamquam & hoc ipsum quodammodo est alia quædam tradere perfectis, videlicet eorum quæ à parvulis simpliciter creduntur, rationes & circumstantias quasdam secretas & profundas, quarum parvuli nondum sint capaces. *Exempli gratia*: Credendum omnibus proponitur, Christum mortuum esse, ut nos è potestate diaboli eriperet. Perfectis autem dicitur quo jure totum genus humanum in diaboli potestatem fuerit redactum: ac rursus quo jure & æquitate per Christi mortem fuerit inde ereptum. Quod à S. Leone & aliis Patribus subtiliter ac distinctè exponitur; nec tamen à parvulis capitur, sed à perfectis. Quantò autem quisque sapientior est, tantò plura novit horum mysteriorum, & quantò quisque perfectior, tantò magis horum intelligendorum est capax. Eorum autem explicatio ad sermonem sapientiæ pertinet: quod primùm inter charismata quæ ad aliorum dantur utilitatem, ponitur infrà, cap. 12.

SAPIENTIAM VERO NON HUJUS SÆCULI. Explicat quam sapientiam dixerit. *Non*, inquit, *hujus sæculi*, quam suprà vocavit humanam. NEQUE PRINCIPUM HUJUS SÆCULI QUI DESTRUUNTUR. Malè quidam codices, *quæ destruitur*: quamvis ita legat Hugo & interpretetur. Dubium est quos hîc appellet Apostolus principes hujus sæculi, maximè quia paulò pòst iterùm principes hujus sæculi nominans, dicit eos Dominum gloriæ crucifixisse. Sunt autem tres sententiæ quas de principibus hujus sæculi refert Aquinas in *suo comment.* juxta triplicem, ut ait, sapientiam hujus sæculi. Nam *primùm* intelligi posse dicit reges ac principes terræ, à quibus procedit sapientia legum humanarum. *Secundò* dæmones, quorum in hoc mundo magna potestas;

Qui Paulo principes hujus sæculi. Tres sententiæ.

à quibus est sapientia superstitiosarum artium. *Tertiò* Philosophos, qui quasi principes se exhibuerunt hominibus in docendo : à quibus processit tota humana philosophia. Huic autem generi adjungit Pharisæos & scribas in lege peritos, quoniam & illi studium sapientiæ dabant.

Porrò Theophyl. & Oecumen. Chrysostomum secuti, hoc quidem loco principes hujus sæculi intelligunt Philosophos & Oratores. At *infrà* eodem nomine designari putant vel Herodem & Pilatum: vel Pontifices Judæorum & Pharisæos, authores crucifixionis Christi. De quibus omnibus Ecclesia fidelium *Actor.* 4. exponit illum Psalmi versiculum. *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum & adversus Christum ejus.* Sed hic Græcorum commentarius incommodum habet, quod non uno modo interpretetur principes hujus sæculi: cùm certè appareat Apostolum non alios atque alios, sed eosdem utroque loco significare voluisse. Qua in re deficit etiam expositio Cajetani, qui priori loco Philosophos, posteriori dæmones significari putat.

Verior sententia, principes hujus sæculi dæmones intelligi.

Vera ac germana nobis interpretatio videtur eorum, qui principes hujus sæculi utrobique dæmones intelligunt : ut commentatoris Ambros. Sedulii, Lombardi, Carthusiani, Titelmanni, & ut alios prætream, utriusque glossæ tam interlinealis quàm ordinariæ; licet horum plerique intexant etiam alias expositiones. Meminerunt item Chrysostomus & Theophyl. quamvis eam non sequantur. Cur autem ea nobis expositio magis probetur, *hæc ratio est*, quia maximè convenit posteriori loco : quemadmodum illic ostendemus, etiam allatis patrum sententiis: nec est quod cogat acceptionem variari in eodem contextu sermonis.

Quæ sapiẽtia principũ hujus sæculi.

Proinde *sensus* hujus loci est : Sapientiam loquimur non hujus sæculi, id est, sapientiam philosophiæ sæcularis, quæ naturali rationis lumine comparari potuit : neque sapientiam principium hujus sæculi, id est, introductam à dæmonibus ; qualis genethliacorum, & superstitiosæ philosophiæ, qua referta erat doctria Simonis, qualis item maximè deorum cultus cum cæremoniis : qui principes hujus sæculi, id est, dæmones, destruuntur sive abolentur : (nam rursus Græcè est vocabulum καταργεῖσθαι, quod aboleri & obliterare significat) destruuntur, inquam, per Christum, qui *in hoc apparuit ut dissolvat*, ac destruat *opera diaboli*, 1. Joan. 3. & , *ut princeps hujus mundi ejiciatur foras*, Joan. 12. Destruuntur ergo, quia potestas eorum destruitur.

7. SED LOQUIMUR DEI SAPIENTIAM IN MYSTERIO, QUÆ ABSCONDITA EST. Stapulensis vertere maluit, *sapientiam in mysterio absconditam*, nec ei placet quod vulgatus interpres scripsit, *quæ absconditа est.* Vult enim intelligi sapientiam absconditam in mysterio. Sed falli eum satis ostendit articulus participio præpositus, τὴν ἀποκεκρυμμένην. Unde & Erasmus transtulit, *quæ est recondita.* Igitur illud *in mysterio*, referendum est ad verbum *loquimur*. Est enim ordo & *sensus* : Sapientiam Dei quæ abscondita est, id est, consilia divinæ sapientiæ, quæ Deus esse voluit abscondita, & ante filii sui passionem pauciſſimis revelata (quæ idem Apostolus Ephes. 3. vocat *sacramentum absconditum à sæculis in Deo*) loquimur & docemus non propalàm & passim apud omnes, quia non omnes ea capiunt ; sed *in mysterio*, id est, secretò, & apud pauciores, scilicet eos qui spirituales, & perfecti sunt. Quidam ita supplent & exponunt: *Loquimur Dei sapientiam* latentem *in mysterio*, id est, *absconditam illam, quam prædestinavit Deus*, &c.

Quæ sapientia Dei abstondita.

QUAM PRÆDESTINAVIT DEUS ANTE SÆCULA IN GLORIAM NOSTRAM. Sensus : Quam sapientiam, id est, quæ consilia sapientiæ suæ Deus ab æterno præfinivit ac decrevit exsequenda in tempore, quibus nos adduceret ad gloriam adoptionis filiorum.

8. QUAM NEMO PRINCIPUM HUJUS SÆCULI COGNOVIT. *Quam* vel *gloriam*, vel *sapientiam*. Utroque enim referri potest, tam in Græco quàm in Latino. Tertull. ad gloriam retulit *lib. 5. contra Marc. cap. 6.* Quod & aliis nonnullis placet propter id, quod statim sequitur, *numquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Verùm magis ex mente Apostoli est, ut ad sapientiam Dei referatur. Vult enim docere, sapientiam Dei, qua destruuntur principes hujus sæculi, fuisse illis ignotam ; ut hic sit *sensus* : Quam Dei sapientiam, id est, quæ divinæ sapientiæ consilia ab æterno decreta nullus principum hujus sæculi, id est, dæmonum, cognovit antequam ea Deus exsequeretur: tunc enim per experientiam illa nosse cœperunt. Alioqui consilium illud sapientiæ Dei, quo per mortem filii sui & contumeliam crucis, salutem procuravit humani generis, & diaboli regnum evertit, res fuit dæmonibus anteà prorsus tum incognita, tum inopinata.

Quæ Dei sapiẽtia principibus hujus sæculi incognita.

Porrò dæmones hujus sæculi principes appellantur in scripturis, propter potestatem quam in genus humanum peccato corruptum, atque in hæc inferiora quæ humanis usibus subserviunt, justo Dei judicio, diabolus cum angelis sibi subjectis accepit. Unde & ipse specialiter princeps hujus mundi vocatur *Joan.* 12. 14. & 16. & Deus hujus sæculi 2. *Cor.* 4. & dæmones mundi rectores *Ephes.* 6. Quo loco rationem hujus nominis dæmonibus attributi pleniùs explicaturi sumus. Jam quod sumpsit Apostolus, principes hujus sæculi, id est, dæmones, non cognovisse illam Dei sapientiam: probat hoc certissimo argumento.

Cur dæmones dicti principes hujus sæculi.

SI ENIM COGNOVISSENT. Intellige sapientiam Dei, de qua jam fuit locutus. Non enim dicit: Si cognovissent Deum aut Christum. Siquidem hoc non esse certum argumentum ejus quod sequitur.

NUMQUAM DOMINUM GLORIÆ CRUCIFIXISSENT. *Numquam* Græcè οὐκ ἄν, *non utique*. Sensus : Nequaquam Christum, qui est Dominus gloriæ, curassent crucifigendum : numquam Judæos ad ejus necem instigassent. Ratio manifesta, quia numquam id agere voluissent, per quod scirent humani generis salutem provehendam esse, suumque regnum destruendum. Sensum hunc apertè nobis insinuat Leo Pontifex in sermonibus, præsertim iis quos habuit de passione Domini. Quamvis enim *serm.* 9. & 15. etiam ad scribas & Pharisæos & Pontifices hanc partem referat: tamen magis & impensiùs inhæret sensui jam dicto de dæmonibus, ut videre est *in eodem serm.* 9. & iterùm *serm.* 11. *&* 18. De iisdem hunc locum intellexerunt, etsi priorem aliter interpretati, Haimo, Hervæus & alii. Quibus accedunt Innocentius III. *serm. feriæ 5. post Domin. 1. Quad.* & S. Thomas 1. *p. q. 64. art. 1. ad 4.*

Consiliũ sapientiæ Dei in redimẽdo homine è potestate diaboli.

Cæterùm memoratus Leo Papa sæpe & diligenter explicat mysterium, id est, arcanum consilium sapientiæ Dei in redimendo homine è potestate diaboli. Videtur enim diabolo data seu permissa ab initio potestas in genus humanum, propter primam transgressionem Deo obnoxium, tantisper dum non ultra præsumeret, & ab innocente manus abstineret. Verùm quia manus misit in Christum innocentem, in quo nihil omninò juris habebat : jus amisit permissæ potestatis in peccatores. *Dum* enim, ut ait Leo serm. 2. de nativit Domini, *vitiatæ originis præjudicium generale persequitur, chirographum quo nitebatur excedit, ab illo iniquitatis exigins pœnam, in quo nullam reperit culpam. Solvitur itaque letiferæ pactionis malesuada conscriptio ; & per injustitiam plus petendi, totius debiti summa vacuatur.* Vide ejusdem de passione Domini, *serm.* 8. 9. 10. *& seq.*

Dæmones Christum crucifixerũt, & quo sensu.

Jam quod dæmones eo sensu quo dixi Christum crucifixerint, id est, crucifixionis ac mortis ejus authores fuerint, è scriptura perspicuum est. Dicit enim Dominus ad Judæos ipsum volentes interficere, Joan. 8. *Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere.* Et ad discipulos cap. 14. *Venit enim princeps mundi hujus*, scilicet ut mihi mortem inferat; *& in me non habet quicquam*, nempe suum, quia peccati expers sum. Et rursum ad Judæos comprehensores suos, Luc. 22. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*, id est, dæmonum. Sed & de Juda clarè testatur Joannes cap. 13. diabolum misisse ei in cor, ut Jesum Judæis traderet.

Nec insolita locutio videatur, dæmones crucifixisse Christum, eò quòd hominibus suggesserint, ut eum crucifigerent. Nam simili sermone dicitur Apoc. 2. *Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem*, nimirum instinctu & suggestione. Quin & Judæi quoque non aliter Christum crucifixerunt, quàm suggerendo, tradendo, incitando. Et tamen partim in sacris literis, partim in scriptis patrum & sermone fidelium usitatissimum est dicere Judæos Dominum crucifixisse & occidisse.

An somniũ uxori Pilati immissum à diabolo, an à bono angelo.

Nunc ex his etiam liquet somnium illud oblatum uxori Pilati, quo perterrita virum monuit, ne quid committeret in illum justum, uti narrat. *Matth. cap.* 27. non à diabolo immissum fuisse, tamquam volente impedire mortem Christi, per quam ipse conterendus esset ac potestate privandus; ut sentiunt nonnulli: sed à bono angelo revocante Pilatum per uxorem ipsius ab injusta condemnatione justi hominis. Quæ sententia est Hieronymi scribentis *in Matthæum*, & Ambrosii *in Lucam*. Græcorum quoque Origenis, Chrysostomi, Theophylacti, Titi, & Euthymii in comment. Non tamen eo fine id factum ab angelo bono, ut Christi mortem impediret; Absit enim hoc: Sed ut ejus innocentia pluribus undique testimoniis astrueretur.

Christus quo sensu Dominus gloriæ dictus.

Restat exponendum, quo sensu Christum Apostolus Dominum gloriæ vocet; & ad utram ejus naturam id pertineat. August. *lib. 1. de Trin. cap.* 12. ad formam Dei refert; ut Dominus gloriæ dicatur, eò quòd virtute divinitatis suæ potens sit glorificare sanctos suos; secundùm illud. Rom. 8. *Quos justificavit, illos & glorificavit.* Alii ad eamdem naturam respicientes, Dominum gloriæ simpliciter intelligunt Dominum, id est, Deum glorioſum; quomodo in Psalmis rex gloriæ, & Dominus majestatis appellatur.

At Græci interpretes Dominum gloriæ Christum dici volunt, quod per crucem esset ad gloriam evehendus: ut sit tacita antithesis inter verbum *crucifixerunt*, & nomen *gloriæ*, in eamdem vicissim incidens naturam, scilicet humanam; quæ priùs crucem passa, posteà glorificata est. Hic sensus etsi probabilis sit, est tamen alius, meo judicio, probabilior; secundùm quem respicit Apostolus ad id quod paulò antè dixit, *in gloriam nostram*; ut nimirum Christus dicatur Dominus gloriæ nostræ, id est, princeps, author & consummator glorificationis suorum electorum, idque per crucem & mortem suam. Etenim cum saluti nostræ dæmones quàm maximè invideant, numquam profecto Christum crucifigendum procurassent, si per illud ejus supplicium viam nobis parari ad redemptionem, salutem & gloriam (quod erat mysterium absconditum) vel suspicati fuissent. Sed & hoc modo Christus, Dominus gloriæ secundum eam naturam in qua passus est, rectè intelligitur. Christus enim ut homo nos redemit, pro nobis satisfecit, & gloriam nobis æternam promeruit, atque ipse ad eam primus pervenit, ut quo caput præcessit, membra sequantur.

Sensus probabilior.

An Judæorũ principes cognoverint Jesum esse Christum & Dei Filium.

Porrò cum ex supradictis satis jam constet, quò pertineat illud, *Si enim cognovissent*: huic loco alienum est quærere, num Judæi aut eorum principes cognoverint Jesum esse Christum, atque etiam Dei filium: secundùm illud quod sub parabola dixisse eos refert Dominus, Matth. 21. *Hic est hæres; venite occidamus eum*: An verò idipsum ignoraverint, eò quòd Petrus dicat ad Judæos Christi interfectores, Act. 3. *Scio quia per ignorantiam feciſtis, sicut & principes vestri.* De qua quæstione disputant in commentariis Aquinas & Liranus, & ab utroque dissentiens in sua additione Paulus Burgensis. Alienum quoque num vel ipsi dæmones illud cognoverint. Tantùm enim negat Apostolus eos cognovisse sapientiam Dei, id est, arcanum ejus consilium de destruendo dæmonum principatu, & electis suis ad gloriam provehendis, per mortem filii sui.

An ipsi dæmones illud cognoverint.

Sanè Cajetanus existimat dæmones, etiamsi cognovissent Jesum esse verum Deum, nihilominus ex odio quo Deum & divina prosequuntur, persecuturos eum fuisse usque ad mortem & crucis ignominiam. Quæ Cajetani sententia ne cui parum probanda videatur confirmat eam authoritas S. Gregorii Papæ, qui testatur diabolum & cognovisse Jesum esse Filium Dei, & tamen authorem mortis ejus fuisse. Sic enim de eo sub nomine Behemoth loquitur lib. 33. Moralium cap. 7. *Et quidem Behemoth iste Filium Dei incarnatum noverat, sed redemptionis nostræ ordinem nesciebat. Sciebat enim quod pro redemptione nostra incarnatus Dei Filius fuerat: sed omninò quod idem redemptor noster illum moriendo transfigeret, nesciebat.* Hæc ille, & alia quæ sequuntur in eamdem sententiam. Quæ profectò ad hujus loci intelligentiam cum primis adjuvant. Quamquam idipsum etiam probari potest testimoniis omnium eorum qui fatentur ac docent dæmones verè cognovisse Christum esse Dei Filium, quando ab eo justi obsessorum corpora relinquere, clamabant: *Quid nobis & tibi Fili Dei?* Item: *Scimus qui sis, Filius Dei.* Neque enim illi qui hoc docent, negant Christum à Judæis impulsu malorum dæmonum ad crucem & mortem expetitum fuisse.

Utrùm autem dæmones revera tunc quando sic exclamarunt Christum esse Dei Filium cognoverint: an verò tantùm id dixerint assentando, ne expellerentur, ut quidam volunt; id quærendum apud interpretes Evangeliorum, ad ea loca quibus dæmones sic exclamasse leguntur. De quo argumento nos etiam tractavimus super *sent. lib. 2. dist. 7.*

9. SED SICUT SCRIPTUM EST. Supplendum ex superioribus, *Sed loquimur.* Repetit enim hoc, ut quod dixit, amplius explicet. Scriptum est autem apud Isaiam Prophetam *cap.* 64. Nam quod ex Apocryphis quibusdam vel Eliæ vel Isaiæ, testimonium hoc depromptum, nonnulli putarunt, satis ab Hieronymo in Isaiæ commentariis refellitur.

Assendere in cor, Hebræa phrasis.

QUOD OCULUS NON VIDIT, NEC AURIS AUDIVIT, NEC IN COR HOMINIS ASSCENDIT. Assendere in cor Hebraismus est in scripturis frequens, pro eo quod Latini dicunt, venire in mentem, in cogitationem. Porrò Græcè plurali numero hæc dicuntur; *Quæ oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascenderunt,* Et ita locum hunc referunt Tertull. *lib. de resurr. carnis. cap. 26.* & Hieron. *in epist. quam præfixit Pentateucho à se converso*, necnon *in epist. 184. ad Marcellam*: licet ibidem posteà totum repetat singulari numero. Quamvis enim Græcum ἀνὴϑη sit numeri singularis, hîc tamen pluraliter transferendum fuit juxta proprietatem syntaxeos Græcanicæ. Mihi verisimile est interpretem vertisse. *Quæ oculus non vidit*: nam eodem numero sequitur.

Sensũ magis quam verba reddit Paulus in citãdis Prophetis.

QUÆ PRÆPARAVIT DEUS IIS QUI DILIGUNT ILLUM. Rectiùs *ipsum*: nam reciprocè sumitur αὐτον. Et Hieronymus legit *diligentibus se*. Prophetæ locum sensu magis quam verbis retulit Apostolus.

Nam ex Hebræo quidem Hieronymus ita vertit : *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt; oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti exſpectantibus te.* LXX. verò ſic reddiderunt : *A ſæculo non audivimus, neque oculi noſtri viderunt Deum præter te, & opera tua quæ facies ſuſtinentibus miſericordiam.* Ubi videmus Apoſtoli citationem propiùs ad Hebræum fontem quàm ad LXX. verſionem accedere : tametſi poteſt etiam ex Hebræo verti *Deum* quarto caſu : quod fecerunt Pagninus & Vatablus : indignante licet Leone Caſtrenſi. Certè non id adeò multum refert ad locum præſentem; cum Apoſtolus eam partem *Deus* (ſeu *Deum*) *abſque te* prætermiſerit; & Hieronymo teſte, ſicut dictum eſt, ſenſum magis quàm verba reddere curaverit.

Præparata diligentibus Deum quænam ſint.

Senſus autem hujuſmodi eſt : Sed loquimur ea quæ juxta Prophetam, nec oculis hominum viſa, nec auribus audita, nec animo cogitata fuerunt, id eſt, nulli prorſus hominum cognita ; nimirum ea quæ præparavit ac prædeſtinavit Deus diligentibus & exſpectantibus ſe. Ea ſunt ſalus & gloria adoptionis atque æternæ felicitatis, tam mirabili ordine ſapientiæ divinæ procuranda, Nam de Chriſti beneficiis, quorum hæc præcipua ſunt, agit eo loco Propheta. Suſpicatur Eraſmus Apoſtolum in Hebræo pro ל legiſſe כ, ut pro *exſpectantibus* ſcriberet *diligentibus*. Quod an ita ſit, ſtudioſis expendendum relinquo. Nobis ſatis ſit, alterum per alterum hoc loco benè explicari.

Quæritur autem, an ab hac cognitione myſteriorum etiam angeli boni excludantur, ita ut præteritis temporibus ea neſciverint. Apoſtolus quidem tantùm dicit, *nec in cor hominis aſſcenderunt*. Sed Propheta dicens, *Deus abſque te*, id eſt, te ſolo excepto videtur eam notitiam ab omnibus aliis removere. Quod & Apoſtolum apparet ſentire. Nam alioqui, hoc Prophetico teſtimonio non oſtenderet dæmones illud myſterium ignoraſſe. Facilè autem homine nominato etiam angelus intelligitur, cum uterque ſit intellectualis creatura; quam ad ea quæ ſupra naturam ſunt cognoſcenda pertingere naturæ viribus, impoſſibile eſt. Huc faciunt ejuſdem Pauli verba, Epheſ. 3. *Ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus*, &c. & 1. Tim. 3. *Apparuit Angelis*. Hæc enim ſignificant priùs angelos latuiſſe hujuſmodi myſteria.

Quæſtio. Utrum angelis olim cognita fuerint myſteria ſapientiæ Dei.

Sed quomodo latuerunt angelos, cùm non latuerint Prophetas, quibus ea miniſteriis angelorum fuerunt à Deo revelata? *Reſpondeo*, ſenſum Prophetæ & Apoſtoli eſſe, myſteria illa nec hominum cuiquam nec angelorum in cogitationem venire potuiſſe, niſi Deo, in quo erant à ſæculo abſcondita, revelante. Revelavit autem ante adventum Filii ſui in carnem, tum angelis, tum paucis hominibus amicis ſuis, quantum pro tempore judicabat convenire, plus minuſve; ita tamen ut perfectior ac plenior revelatio ſervaretur tempori manifeſtandæ gratiæ Salvatoris. Sed hac de re plura, quum ad alia loca Apoſtoli, quæ modò citavi, ventum fuerit.

Quæſtio.

Porrò quæret aliquis, quomodo verba hæc Apoſtoli: *quæ præparavit Deus diligentibus ſe*, non pugnent cum gratuita Dei prædeſtinatione. Nam ſi beneficia redemptionis præparata ſunt diligentibus Deum & exſpectantibus, id eſt, ſperantibus in eum : igitur meritum aliquod illorum attendit Deus in ea beneficiorum præparatione. Spes enim & dilectio provocant beneficentiam Dei. Breviter reſpondeo, partem illam, *diligentibus ſe*, non eſſe referendam ad omnia redemptionis noſtræ ſeu myſteria, ſeu beneficia, ſed ad illud beneficium qui eſt omnium myſteriorum complementum, id eſt, ad vitam æternam, quæ in Dei viſione conſiſtit, ut ſententia ſit ad hunc modum explicanda ; Quæ præparavit Deus ordinanda ad ſalutem & vitam æternam, quam dare conſtituit iis qui diligunt ipſum.

Reſponſio.

Innuit hanc ſolutionem Thomas *in comment.* docens hoc ſenſu Deum id quod in cor hominis non aſcendit præparaſſe, id eſt, prædeſtinaſſe *diligentibus ſe: quia eſſentiale præmium æternæ gloriæ charitati debetur, ſecundùm illud Joan. 14. Si quis diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Quamvis enim prædeſtinatio ad gloriam gratuita ſit; quatenus gloria conſideratur ut finis, qui primus eſt intentione; fatendum tamen eſt, eamdem gloriam hominibus à Deo præparari, tamquam mercedem diligentibus promiſſam.

Prædeſtinatio ad gloriã gratuita, & qua ratione.

10. NOBIS AUTEM REVELAVIT DEUS PER SPIRITUM SUUM. Ne quis objiciat, Quo igitur pacto vos illa loqui poteſtis, ſi nec in mentem cuiquam venire potuerunt? Deus, inquit, nobis per ſpiritum ſuum revelavit. *Nobis* igitur intellige, non omnibus fidelibus, ſed Apoſtolis qui eadem myſteria tradamus aliis, &, ut ſuprà dixit, ſapientiam loquamur inter perfectos. Hic eſt *Spiritus ſanctus*, *quem* ait Dominus ad Apoſtolos, Joan. 14. *mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, & cap. 16. *docebit vos omnem veritatem*.

SPIRITUS ENIM OMNIA SCRUTATUR, ETIAM PROFUNDA DEI. *Profunda*, Græcè τὰ βάθη *profunditates*, ſive ut interpres Irenæi lib. 2. cap. 4. reddidit, *altitudines*. *Scrutatur* autem ſpiritus Dei (ſicut quidam exponunt) in nobis : id eſt, ſcrutari nos facit, quomodo clamat, gemit, poſtulat in nobis *Rom.* 8. & *Gal.* 4. Ita *ſenſus eſt* : Spiritus enim Dei facit nos intellectu penetrare etiam ad occulta & à ſæculis abſcondita Dei conſilia. Nam quod dicit *omnia*, accommodatè capiunt de omnibus myſteriis quæ voluit Deus ſciri ab hominibus.

Quo ſenſu ſpiritus Dei ſcrutatur omnia.

Alii ſimpliciter intelligunt, ſpiritum Dei omnia ſcrutari ſeu penetrare, id eſt, omnia cognita & perſpecta habere : ac proinde ſufficientem eſſe ad revelanda nobis quæcumque voluerit. Propriè quidem ſcrutari eſt indagare & quærere notitiam rerum abditarum, ſed hîc accipitur pro ipſa talium rerum notitia ; ſcilicet eo ſermonis tropo quo conſequens ex eo quod antecedit intelligitur. Qua ratione paſſim Deo tribuitur ſcrutari renes & corda, id eſt, intima hominum noſſe, *ut Pſal. 7. 1. Paral. 28. Jerem. 17.* Quod cum ſcripturæ Deo proprium eſſe velint; rectè etiam ex hoc loco ſtatuitur Spiritum ſanctum eſſe Deum. Huic autem expoſitioni congruunt quæ ſequuntur.

Deus ſcrutans renes & corda.

11. QUIS ENIM HOMINUM SCIT QUÆ SUNT HOMINIS, NISI SPIRITUS HOMINIS QUI IN IPSO EST? Probat ſpiritum Dei non tantùm noſſe, ſed etiam ſolùm noſſe Dei arcana : ne quis exiſtimet aliunde quàm à Dei ſpiritu comparari poſſe notitiam myſteriorum de quibus hîc agitur. Sicut, inquit, arcana cogitata hominis nullus hominum novit, niſi ſpiritus ipſius hominis, id eſt, mens ejus ſive anima qua intelligit : ita, &c.

Dicet aliquis. Ergo cælicolæ preces noſtras non cognoſcunt, ſi ſola mente fiant. *Reſpondeo*, ſicut hac ſententia non excluditur Deus (ait enim, *Quis hominum ſcit*, &c.) ita nec amicos ejus excludi, quibus ille ſecreta quæ vult, pro ſuo beneplacito revelat & aperit. Hoc enim jam dixit: *Nobis revelavit Deus per ſpiritum ſuum*. Quamvis & ſic poteſt hic locus intelligi: Nullum hominem ſcire quæcumque ſunt hominis, id eſt, omnia ejus cogitata & conſilia, niſi ipſum hominem, qui ea verſat in corde ſuo.

Sancti preces noſtras cognoſcunt etſi ſo a mẽte fiant.

ITA ET QUÆ DEI SUNT, NEMO COGNOVIT NISI SPIRITUS DEI. *Quæ Dei ſunt*, id eſt, cogitationes & conſilia Dei : in quibus ſunt quæ priùs dixit, *profunda Dei*. Quod ait, *niſi ſpiritus Dei*, ſubintellige, & cui ſpiritus Dei revelare voluerit, quomodo dictum eſt à Chriſto Matth. 11. *Nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit filius revelare*. Nam hujuſmodi exceptionem ipſe Paulus ſtatim ſequentibus ver-

Solus Dei ſpiritus novit ea quæ Dei ſunt.

bis indicat Quod si tamen universè de omnibus quæ Dei sunt, sententiam accipias; vera erit sine exceptione: quemadmodum & sententia præcedens de iis quæ sunt hominis.

Illud sciendum, per hoc quod dicitur solus Dei spiritus nosse quæ Dei sunt, non excludi Filium, sed includi potiùs: quum ipse dicat, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, & de Spiritu-sancto: *Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Joan. 16. Etenim, ut tradunt Theologi in 1. *sent. dist.* 21. dictiones tam exclusivæ quàm exceptivæ nominibus personalibus respectu prædicatorum essentialium adjunctæ, solùm excludunt ea quæ natura sunt diversa; quemadmodum & in eo quod paulò antè ex Evangelio citatum est, observare licet. Non enim ibi Spiritus-sanctus excluditur.

Dictiones exclusivæ in divinis quomodo exponendæ.

Unde etiam hic locus apertè Macedonianos redarguit, negantes Spiritum-sanctum esse natura Deum. Tertull. *lib. adv. Hermogenem cap.* 18. *& adv. Praxeam cap.* 18. *&* 19. hujus sententiæ partem extremam citat hoc modo: *nisi spiritus qui in ipso est*: videlicet similiter priori membro. Atque inde etiam colligit Spiritum-sanctum esse Deum: quod non sit aliquid extra Deum, sed in ipso: quemadmodum spiritus hominis substantialiter in homine est, tametsi idem *lib.* 2. *adverf. Marcionem cap.* 2. legit ut nos legimus, *nisi spiritus Dei*.

Spiritus-sanctus natura Deus.

12. NOS AUTEM NON SPIRITUM HUJUS MUNDI ACCEPIMUS, SED SPIRITUM QUI EX DEO EST. In Græco & Syriaco non additur pronomen *hujus*. Et sine eo citat Novatianus *lib. de Trin. cap.* 29. Quidam etiam vetusti codices Latini non habent: ut nec veteres concordantiæ. Quamquam addit interdum: ut *superiori cap. verf.* 20. *& cap. seq. verf.* 19. Sic etiam hoc capite bis térve, *hujus sæculi*. Quod annotamus, ut intelligatur sensum non variari sive additum fuerit sive non.

Est autem rursus occupatio. Nam ne quis dicat Apostolo: Si solus Dei spiritus novit quæ Dei sunt, quomodo vos ea novistis? respondet, & quod jam antè dixerat *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*, repetit aliis verbis. Nos, inquit, non spiritum mundi accepimus, id est, non sumus instituti sapientia mundana & sæculari (sic enim spiritum mundi Græci interpretantur) ut sciamus quæ sunt hujus sæculi: sed accepimus spiritum qui ex Deo est, id est, spiritum Dei. Loquitur ut suprà, in persona Apostolorum: qui non fuerunt imbuti sapientia hujus mundi, sed repleti Spiritu-sancto.

UT SCIAMUS QUÆ A DEO DONATA SUNT NOBIS. Hoc est: ut eo spiritu revelante sciamus mysteria divina pertinentia ad redemptionem, justitiam, salutem & gloriam electorum: Quæ omnia gratis donata sunt electis, ab æterno per prædestinationem. Videtur enim Apostolus eadem nunc dicere donata nobis à Deo, quæ paulò antè dixerat, à Deo præparata iis qui diligunt ipsum, comprehensa tamen etiam ipsa dilectione. Quamquam & donata intelligi possunt, jam exhibita per Christum. Nam illorum mysteriorum effectus jam latè per ecclesiam agebatur.

Observa cõtra Sectarios, fidem specialem ex hoc loco malè statui.

Ex hac interpretatione verborum Apostoli quæ contextui quàm maximè congruit, intelligi facilè potest, quàm imperitè & ineptè ex iis sectarii colligant, unumquemque fidelium scire & infallibiliter certum esse, se habere dona Dei, justitiam, charitatem, remissionem peccatorum. Nam primùm non de omnibus fidelibus loquitur Paulus, sed de Apostolis, deinde nec de omnibus ac singulis Dei donis quæ unicuique insunt: sed de mysteriis, arcano divinæ sapientiæ consilio præparatis & exhibitis, atque exhibendis societati electorum in genere.

Pelagiani ignorant quæ à Deo donata sunt nobis. Item sectarii hujus tẽporis.

Benè locum hunc intorquet August. *homil.* 14. *inter.* 50. adversus Pelagianos, ignorantes ea quæ à Deo donata sunt nobis, ut fidem, spem, charitatem, justitiam, bona opera: dum ea non gratiæ Dei, sed sui arbitrii viribus asscribunt. At non minus justè dirigatur adversus ipsos nostræ ætatis hæreticos, nescientes quæ à Deo donata sunt nobis. Nam si scirent, non pro vera justitia, quam Deus per Filium suum nobis donavit, imputativam supponerent: nec pro rebus preciosissimis, quas sub velamine sacramentorum Deus suæ donavit ecclesiæ, nuda rerum symbola nobis obtrudere conarentur. Porrò sensum quem initio dixi, magis confirmant sequentia.

13. QUÆ ET LOQUIMUR. Id est, quæ eadem tradimus aliis. Sed non passim omnibus: ut antè dixit, & paulò pòst iterùm declarat. NON IN DOCTIS HUMANÆ SAPIENTIÆ VERBIS. *Doctis*; Græcè διδακτοῖς, aliàs διδακτοῦς: pro quo suprà dixit πιθοῖς *persuasivis*. Sensus: Eloquimur mysteria nobis per spiritum Dei revelata, non utentes verbis arte compositis, nec oratione per humanam sapientiam instructa.

SED IN DOCTRINA SPIRITUS. Græcè, *sed in doctis Spiritus-sancti*. Supple ex membro priori *verbis*: licet in nonnullis legatur ἐν διδαχῇ *in doctrina*. Augustinus *lib. 14. de civit. Dei cap. 4. & epist. 150.* legit, *sed docti spiritu*, nisi fortè mendum est; ut legendum sit *doctis spiritus*, aut *doctis spiritu*, nempe Græco conformius. *Sensus*: sed utentes oratione qualem docet ac suggerit Spiritus-sanctus. Sic Joan. 6. *Et erunt omnes docti* seu *docibiles Dei*. Græcè διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, id est, docti à Deo.

SPIRITUALIBUS SPIRITUALIA COMPARANTES. *Comparantes* Græcè συγκρίνοντες, id est, adhibito judicio conferentes sive coaptantes. *Spiritualibus* accipi potest vel ut neutrum, vel ut masculinum. Priori modo sensus est: quemadmodum qui docent humanam sapientiam, utuntur sermone secundùm artem humanam composito: ita nos qui tradimus mysteria sapientiæ divinæ, sermonem nostrum materiæ accommodamus; rebus spiritualibus docendis adhibentes eloquentiam item spiritualem. Similitudines quoque & exempla proferentes à rebus divinis. Hæc Chrysostomi & sequacium ejus expositio est.

Quid spiritualibus spiritualia cõparare.

Verumtamen magis placet, ut *spiritualibus* masculinum sit; ac *sensus* sit hujusmodi: Spiritualibus viris spiritualia adaptantes, id est, tamquam illis apta tradentes. Nam spiritualibus utique spiritualia conveniunt. Unde suprà dixit, *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Hinc etiam sequitur: *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*, & post: *spiritualis autem judicat omnia*. Sensum hunc reddit, & doctè prosequitur S. Thomas. Estque is sanè Paulino textui congruentissimus.

14. ANIMALIS AUTEM HOMO NON PERCIPIT EA QUÆ SUNT SPIRITUS DEI. *Non percipit*, Græcè οὐ δέχεται, *non accipit*, *recipit*. *Animalis* autem Græcè ψυχικὸς, videlicet ἀπὸ τῆς ψυχῆς, ab anima. Animalem hominem Græci interpretantur eum qui non secundum Deum vivit, sed secundùm carnem, quique non plus credit, quam naturali ratione assequatur, ut sunt infideles. Pro quo intellectu facere videtur quod sequitur. *Stultitia enim est illi*. Nam *capite sup.* dixerat Apostolus, verbum crucis pereuntibus esse stultitiam. Verùm si alia, tam præcedentia, quàm quæ subsequuntur *hoc & sequenti capite*, benè considerentur; facilè constabit aliter accipiendum esse animalem hominem.

Animalis homo quis Paulo dicatur.

Sciendum autem trifariam in scripturis aliquem vocari animalem. *Primùm* propter animam viventem, qualis erat à sua creatione primus homo, videlicet alimentis indigens ad vitæ sustentationem: de quo Paulus in hac eadem epistola cap. 15. *Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale. Altero modo*; quia sectatur desideria carnis, quæ sunt secundùm animam sensitivam. Ita Judas Apostolus in sua Catholica epistola quosdam vocat *animales spiritum non habentes*. Quò etiam pertinet quod Jacobus suæ

Trifariam in scripturis dicitur animalis homo.

epiſtolæ cap. 2. ſapientiam quæ non eſt deſurſum, vocat animalem. Eodem ſenſu Tertullianus in Montaniſtam malè converſus, catholicos appellabat Græco vocabulo pſychicos, id eſt, animales, tamquam ſenſibus & carni deditos. *Tertiò* quis dicitur animalis, qui etſi jam credat in Chriſtum & juſtificatus ſit, tamen præmentis imbecillitate non recipit altiora fidei myſteria: quòd ægrè ſuprà ea quæ ſenſibus percipiuntur, aſſurgat.

Animales & ſpirituales quibus nominibus dicti à Paulo.

Et hoc modo loquitur nunc Apoſtolus de animali homine, quod liquet ex hujus loci collatione cum aliis. Siquidem Paulo ſunt iidem animales, carnales, parvuli in Chriſto, lacte nutriendi, imbecilles ab audiendum; quemadmodum ex adverſo iidem ſunt ſpirituales, perfecti, magiſtri, ſolidi cibi capaces, ſenſum exercitatum habentes ad diſcretionem boni & mali, Et illos quidem animales vocat hoc loco; carnales & parvulos in Chriſto, *capite ſequenti & Hebr.* 5. imbecilles ad audiendum rurſus *ibidem ad Hebr. & hoc loco:* dum dicit animalem hominem non percipere ea quæ ſunt ſpiritus Dei, & non poſſe intelligere; itemque ſequenti capite cum dicit: *Nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis.*

Hos vero, primum ſpirituales vocat hoc capite, & rurſus cap. 14. dicens: *Si quis videtur propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat quæ dico*, & Galat. 6. *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi* &c. Deinde perfectos, Græcè τελείους, ut ſuprà; *Sapientiam*, inquit, *loquimur inter perfectos*, & Hebr. 5. *Perfectorum eſt ſolidus cibus.* Item Philip. 3. *Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus.* Nam quod ſequitur, *Et ſi quid aliter ſapitis & hoc vobis Deus revelabit*; ad eoſdem dicitur Philippenſes, qua parte adhuc animales erant & parvuli. Magiſtros & ſenſum exercitatum habentes ad boni malique diſcretionem vocat *Hebr.* 5. Solidi cibi capaces, ibidem, & hîc initio captis ſequentis. In horum animalium numero adhuc erat Petrus, quando dictum eſt ei à Domino: *Non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum*, Matth. 16. Tales erant & cæteri diſcipuli Chriſti ante acceptum Spiritum-ſanctum. Tales denique inter Corinthios multi; ut ex initio capitis ſequentis perſpicuum eſt.

Apoſtoli ante acceptum Spiritum-ctum animales.

Non omnes animales mali, nec omnes boni ſpirituales.

Conſtat igitur ſecundùm Apoſtolum non omnes animales impios eſſe aut injuſtos: ut nec omnes juſtos ſpirituales. Unde & Origenes *hom. 2. ſuper Levit.* hominem animalem intelligi dicit, *qui etiamſi peccatis non urgeatur, nec ſit præceps ad vitia, non tamen habet aliquid in ſe ſpirituale.* Et Auguſtinus *lib.* 1. *de baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 15. quoſdam animales dicit ad novum teſtamentum pertinere: eoſdemque, ſi priùs quàm ſpirituales fiant, ex hac vita rapiantur, in terra viventium computari: idque ſignificari putat illo verſu Pſalm. 138. *Imperfectum meum viderunt oculi tui: & in libro tuo omnes ſcribentur.* Idem in eamdem prorſus ſententiam de animalibus ſub nomine carnalium ſcribit *concione 3. enarrat. in Pſal.* 103. Similia reperies apud eumdem *epiſt.* 57. *ad Dardanum. quæſt.* 2. & *epiſt.* 150. *ad Elpidium.* Item *libr. de vera relig. cap.* 28. *tract.* 98. *ſuper Joann. libr. de blaſph. Spiritus-ſancti, qui eſt ſerm.* 11. *de verbis Domini cap.* 18. *lib.* 6. *contra Julian. cap.* 16. & 17. *ac denique lib.* 2. *retract. cap.* 27. videlicet corrigens quod alicubi diverſum dixiſſe viſus fuerat.

Nec ſecus ferè loquitur de animali homine Bernardus in tractatu de vita ſolitaria ad fratres de monte Dei. Dicit enim tales etiam Spiritum-ſanctum habere: quia bonam habent voluntatem. Quæ omnia conſentanea ſunt iis quæ tum hoc loco, tum in *epiſt. ad Hebræos*, de homine animali & ad audiendum imbecilli, dicuntur. Illic enim Hebræis, hîc Corinthiis, utriſque fidelibus & regeneratis animalitas & infirmitas hujuſmodi tribuitur. Quamquam hæc animalitas non in ſolo eſt intellectu, ſed inde etiam in affectum redundat: quemadmodum in Petro & aliis Apoſtolis ante acceptum Spiritum-ſanctum patuit. Negat igitur Paulus animalem hominem percipere ea quæ ſunt ſpiritus Dei: non quia Jeſum-Chriſtum & hunc crucifixum, ac cætera quæ credenda ab eccleſia proponuntur, non recipiat: (Sic enim infidelis aut hæreticus eſſet) ſed quod nondum ſit aptus ad capiendum ſublimiora divini ſpiritus myſteria; quæ proinde cum ei traduntur, non accipit, nec admittit. Ratio ſequitur.

Animales dicuntur non tantum ſecundum intellectum, ſed etiam ſecundum affectum. Quo ſenſu animalis percipit quæ ſunt ſpiritus Dei.

Stultitia enim est illi. Melius ex Græco, *Stultitia enim ei ſunt.* Non enim ſenſus eſt quem nonnulli tradiderunt: ideò hominem animalem non percipere quæ ſunt ſpiritus Dei, quia ineſt ei ſtultitia: ſed quia quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia ſunt illi homini: *quomodo præced. cap.* dixit, verbum crucis pereuntibus eſſe ſtultitiam: & iterûm; Chriſtum crucifixum Gentibus eſſe ſtultitiam. Nec tamen de iiſdem nunc loquitur, ut vult Græcorum commentarius. Non enim dicit verbum crucis, aut Chriſtum crucifixum animali homini eſſe ſtultitiam: ſed ea quæ ſunt ſpiritus Dei, quæ jam interpretati ſumus ſublimiora divini ſpiritus myſteria, nimirum ea quæ Paulus inter perfectos loquitur. Hæc animali homini quamvis jam in Chriſtum crucifixum credenti, ſtultitia dicuntur eſſe; quia non poteſt in illis conſpicere ordinem ſapientiæ divinæ: ſed magis ea apprehendit ut ſenſibus & rationi contraria.

Quæ ſpiritus Dei, ſtultitiæ ſunt homini animali.

Velut ſi cui matheſeos imperito dicas ſolem eſſe tota terra plus centuplo majorem; aut lunam ſole minorem bis millies, ac eò ampliùs; ridebit te talia dicentem & explodet: tantum aberit ut fidem dictis accommodet. Igitur apud hominem animalem dum talis eſt, & donec in ſpiritualem proficiat, tacenda ſunt illa ſecretiora myſteria: quemadmodum faciendum eſſe, Chriſti & Apoſtolorum ejus exemplis, graviter admonet ac docet Ambroſius, *ſub finem lib.* 6. *comment. in Lucam.* Idque adeò à magnis & ſpiritualibus viris provideri ſolet: *ne quid populariter agant, quod nondum eſſe temporis ut cum populo agatur, intelligunt*, Auguſtinus teſtatur lib. de vera religione cap. 28. *Sapientiam enim*, inquit, *loquuntur inter perfectos: carnalibus verò & animalibus quamvis novis hominibus, adhuc tamen parvulis, nonnulla obtegunt, ſed nulla mentiuntur.* Sequitur explicatio dictæ rationis.

Simile.

Secretiora myſteria apud rudiores tacenda.

Et non potest intelligere. Græcè γνῶναι cognoſcere, ſcilicet ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Nondum eſt, inquit, capax eorum cognoſcendorum, nondum aptus ad ea percipienda.

Quia spiritualiter examinatur. Verti etiam ex Græco poteſt *examinantur* numero plurali: ut referatur ad ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Sicque legitur in vetuſtis quibuſdam codicibus. Eſt autem Græcè ἀνακρίνεται, verbum idem cum eo quod mox ſemel & iterùm interpres vertit *judicare*, tametſi propriè ſignificat dijudicare, diſcernere: quod eſt examinare. Prioris lectionis *ſenſus eſt*: animalem hominem ea quæ ſunt ſpiritus Dei intelligere non poſſe, eò quòd in talibus inſtituitur, ſpiritualiter examinatur ſeu dijudicatur, id eſt, revocatur ad intellectum ſpiritualem & ſublimem: cùm ipſe ſit animalis, & tamquam parvulus in Chriſto, lacte nutriendus, non ſolido cibo; ſicut infrà dicitur.

Poſterior lectio *ſenſum hunc habet*: Animalis homo non poteſt percipere quæ ſunt ſpiritus Dei: quoniam illa ſpiritualiter examinantur, id eſt, ſpirituali intellectu examinanda, diſcutienda, ac dijudicanda ſunt. Ad quam rem animalis homo ob imbecillitatem mentis ad ſenſibilia depreſſæ, non eſt idoneus. Porrò in aliis quibuſdam Latinis mss. ſic legitur, *Ea quæ ſpiritualiter examinantur.* Quæ lectio ſenſum non facit à ſecundo diverſum. Quem quidem arbitramur eſſe maximè commodum.

Spiritualis omnia judicat, quo sensu.

15. SPIRITUALIS AUTEM JUDICAT OMNIA. Græcè, *dijudicat quidem omnia*, pro quo interpres Irenæi libr. 1. cap. 1. *examinat omnia*. Hieron. in comment. epist. ad Galat. 4. *dijudicat omnia*. Sed & Hugo legit, *omnia discernit*. Sensus: Homo spiritualis (quem suprà dixit perfectum) qui pro consuetudine mentem habet exercitatam in divinis, ut pote jam adultus & provectus in vita spirituali, idoneus est ad benè judicandum, non solùm de rebus sensibilibus atque terrenis; quod solum potest animalis: verùm etiam de spiritualibus, id est, altioribus ac difficilioribus religionis nostræ mysteriis, quæ à Christo cælestia vocantur Joan. 3. *Si*, inquit, *terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo si dixero vobis cælestia, credetis?* Ad hunc sensum revocari potest, quod August. *lib. 13. confess. cap. 22.* spiritualem hominem interpretatur omnia judicare, scilicet ea quæ judicanda sunt: & quænam ea sint, exponit capite sequenti: quodque lib. de vera religione cap. 31. de spirituali dicit: *Omnia judicat, quia super omnia est quando cum Deo est. Cum illo autem est quando purissimè intelligit, & tota charitate quod intelligit diligit.*

Obs. contra Sectarios, non omnes Christianos judices esse in controversiis fidei.

Judicium aliud potestatis, aliud discretionis.

Ex hac Apostoli sententia colligunt hæretici, penes unumquemque fidelem esse potestatem judicandi de controversiis religionis. Sed perperàm id colligunt. *Primùm* quia Paulus de solo spirituali homine loquitur; cùm sint inter fideles, etiam bonos, ut antè dictum est, multi animales, ac proinde ad judicandum de spiritualibus inepti. *Deinde*, quia non est hîc sermo de judicio potestatis, sed discretionis. Quæ duo nostræ ætatis sectarii ferè confundunt. Nam & Græcum ἀνακρίνειν, uti superiùs admonui, discretionem potiùs quàm judicium significat. *Postremò*, quia non sentit Apostolus spiritualem judicare omnia absolutè, sed omnia sensu jam explicato: quoniam non solùm de rebus terrenis benè judicare potest, sed etiam de cælestibus ac sublimibus. Prout autem quisque magis est spiritualis: eò certiùs ac meliùs de pluribus poterit judicare. Et hoc sensu accipienda sunt Augustini verba paulò antè citata. Nam & in moralibus ita rem habere Philosophus testatur lib. 3. Ethicorum cap. 4. *Vir bonus*, inquit, *rectè de omnibus judicat, & facilè quid in re quaque veri sit perspicit; cum sit quasi regula & mensura rerum.* Sic ille.

An omnis homo charitatem habēs sit spiritualis.

Sensum hunc eruditè explicat Thomas in comment. & illustrat exemplis hominis vigilantis & dormientis; sani & infirmi; fortis ac debilis, denique in moralibus virtuosi & vitiosi. An autem spiritualis omnia judicans, sit omnis homo charitatem habens, (quod sentire videtur idem doctor. *tam in commentario*, quam in *in summa 2. 2, quæst. 60. art. 1. ad. 2.*) an potiùs inter bonos fideles existimandum sit multos esse animales; id puto superiùs satis à nobis esse discussum.

Maximè competit ecclesiæ Christi, omnia judicare.

Jam verò quamquam spiritualis homo possit, ut dictum est, de multis ad religionem pertinentibus benè judicare, ac suo judicio alios instituere; non tamen statim habet authoritatem judicandi publicam; sicut & legum peritus non statim judex forensis est. Etenim non solùm inter eos qui præsunt, verùm etiam inter eos qui subduntur eis qui præsunt, inveniri spirituales homines affirmat August. *lib. 13. conf. cap. 23.* Cæterùm in ipsam Christi ecclesiam perfectè quadrat, quod Apostolus dicit spiritualem omnia judicare: ut propterea meritò ad eam spectet non modò discretivum judicium, quo possit inter verum & falsum discernere; verùm etiam judicium publicæ potestatis, quod definitivum vocatur: cui omnes fideles tam spirituales quam animales suum debeant judicium submittere.

Spiritualis à nemine judicatur, quo sensu.

ET IPSE A NEMINE JUDICATUR. Græcè. *Ipse autem à nullo dijudicatur.* Sic & Hieronymus loco priùs citato. *A nemine*, id est à nullo, qui videlicet non sit spiritualis. Ita post Chrysost. Theophyl. adducta similitudine de vidente & non vidente. Nam qui videt, & sua videt, & ea quæ sunt non videntis: Hic verò nec sua, nec quæ illius sunt videt. Alioqui spiritualem à spirituali judicari, quomodo Petrus à Paulo judicatus fuit *Galat. 2.* nihil prohibet. Unde nec sequitur hominem spiritualem non judicari à lege. Nam & lex ipsa spiritualis est *Rom. 7.*

An princeps animalis judicet hominem spiritualem.

Sed dices: Igitur à suo principe vel prælato si sit animalis, judicandus non erit is qui spiritualis est. Verùm jam diximus, hîc non agi de judicio publicæ potestatis, quod est principum & prælatorum. Quamquam sanè rectus ordo postulat, ut spirituales potiùs præsint animalibus, eosque cum potestate judicent; quàm ut ab illis judicentur, præsertim in iis quæ religionis sunt. At verò cùm ecclesia sit maximè spiritualis: hinc jam rursum æstima, nihil esse convenientius & ordinatius, quàm ut apud eam sit suprema potestas judicandi de iis quæ ad fidem & religionem pertinent.

Ecclesia ad judicandum aptissima.

16. QUIS ENIM COGNOVIT SENSUM DOMINI QUI INSTRUAT EUM? Malè quidam codices duas faciunt interrogationes hoc modo: *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis instruxit eum?* Græca & mss. Latina nobiscum faciunt. Tertull. quoque in Scorpiaco cap. 7. legit *qui eum instruat*, tametsi in Græco est συμβιβάσει *instruet*. Porrò relativum *qui* nec ad Dominum, nec ad sensum Domini referendum est, ut quidam volunt: sed ad eum de quo dicitur, *Quis cognovit*. Respicit enim Apostolus ad locum *Isa* 40. quo item respexerat *Rom. 11. vers. 34.* utrobique secutus versionem LXX. Apud quos totus locus sic habet: *Quis cognovit mentem Domini, & quis ejus consiliarius fuit; qui instruet eum?* Igitur Paulus hac interrogatione probare intendit, non animales sed spirituales, cujusmodi imprimis erant Apostoli, nosse ea quæ sunt spiritus Dei: ac de iis posse judicare, eademque aliis tradere. Id enim est quod sequitur.

Sensum Christi qui habeant.

NOS AUTEM SENSUM CHRISTI HABEMUS. *Sensum*, Græcè νοῦν *mentem*: quemadmodum & in parte præcedenti. Potest autem tota sententia sic explicari. Quamvis secundùm Prophetam nemo perfectè noverit mentem, consilia & cogitationes Dei; multoque minus quisquam sit qui possit eum instruere consiliis: nos autem Apostoli, qui spirituales sumus, mentem Christi Domini ex revelatione Spiritus-sancti percepimus; ut de spiritualibus, id est, arcanis religionis mysteriis, judicare possimus, atque illis ea tradere qui eorum discendorum fuerint capaces.

Maximè ecclesia.

Hoc quoque propriissimè in ecclesiam competit. Ipsa namque est quæ qualibet exorta controversia religionis, exempli gratia, qui libri pro sacris habendi, securè dicere potest, (utcumque reclament Hebræi) *Nos sensum Christi habemus*, & ejus spiritu docti discernere novimus inter libros sacros & non sacros. Obiter observa Paulum hîc rursus, sicut in capite præcedenti, Christum Deum dicere: dum pro eo quod ex Propheta dixerat, *sensum Domini*, repetit *sensum Christi*. Nam apud Prophetam nomen illud est ineffabile, Deo maximè proprium.

Christus Deus.

CAPUT III.

ET ego, fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo, 2. lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. 3. Cum enim sit inter vos zelus, & contentio: nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? 4. Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli; alius autem: Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? 5. Mi-

nistri ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. 6. Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum
Psa. 61. d. 13. dedit. 7. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus. 8. Qui autem plantat, &
Gal. 6. b. 5. qui rigat, unum sunt: unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. 9. Dei enim sumus adjutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis: 10. Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. 11. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. 12. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, 13. uniuscujusque opus manifestum erit; Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. 14. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem. 16. Nescitis, quia templum Dei estis & Spiritus Dei habitat in vobis? 17. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. 18. Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens: 19. Sapientia enim hujus mundi
Inf. 9. d. 19. stultitia est apud Deum. Scriptum est enim. Comprehendam sapientes in astutia eorum. 20 Et iterùm: Dominus novit
2 Cor. 6. c. 16. cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. 21. Nemo itaque glorietur in hominibus. 22. Omnia enim vestra sunt,
Iob. 5. c 13. sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra
Ps. 93. b. 11. sunt: 23. vos autem Christi: Christus autem Dei.

SUMMARIUM.

Corinthios notat tamquam adhuc carnales: ut qui contentiones inter se haberent ob studia magistrorum; quos docet ministros tantum esse, solo Deo dante incrementum: nec aliud esse fundamentum præter Christum: cui quæ superædificantur, per ignem probanda. Non esse violandum Dei templum, quod nos sumus. Sapientiam mundi destruendam: nec in hominibus gloriandum.

ET EGO FRATRES NON POTUI VOBIS LOQUI QUASI SPIRITUALIBUS, SED QUASI CARNALIBUS. Redit Apostolus ad id quod agere cæperat *capite primo*: atque ex dissidiis quæ causa magistrorum inter Corinthios erant oborta, carnales, hoc est, animales eos arguit. Nam idem est hoc loco carnalis, qui suprà animalis. Sicut enim illic animali, ita hîc carnali spiritualem opponit: ut carnalis intelligatur, qui sensu carnis impeditur à spiritualibus contemplandis. *Loqui quasi*, seu potiùs *tamquam spiritualibus*, est tradere doctrinam spiritualibus ac perfectis accommodam: &, ut dictum est capite superiori, *spiritualibus spiritualia* comparare. Id se potuisse negat apud Corinthios, quando eis Evangelium prædicavit; propterea quòd illi non spirituales sed carnales essent, ideoque doctrina pascendi quæ carnalibus esset apta, non quæ spiritualibus. Unde quidam interpretes supplent, *sed loquendum fuit tamquam carnalibus*. Porrò doctrina carnalibus apta non ipsa quidem carnalis est, sed minus tamen spiritualis, quàm ea quæ spiritualibus convenit, adeò ut Christus de tali doctrina loquens Joan. 3. affirmet se terrena dixisse; & Apostolus Rom. 6. dicat, *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ.*

Carnales iidem qui animales.

TAMQUAM PARVULIS IN CHRISTO. *Quasi, tamquam*, in Græco vox eadem ὡς. *Parvulis* Græcè νηπίοις, *infantibus*. Hæret hæc pars cum præcedentibus, non cum parte sequenti: quemadmodum liquet ex Græco; ubi casus in eo quod sequitur diversus est: ut si Latinè dicas: *lacte vos potavi*. Atque hanc distinctionem reperire est in vetustis quibusdam exemplaribus. Mitigat autem Apostolus addita hac parte, improperium vocabuli *carnalibus*: simulque exponit quos carnales dixerit.

Carnales multis modis in Scriptura dicuntur.

Nam carnales multis modis in scriptura dicuntur; *Primum* in quibus caro pugnat adversus spiritum, etiamsi desideriis carnis fortiter & multùm resistant, multumque jam profecerint in justitia; quomodo de se dicit Apostolus Rom. 7. *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Secundò*, Qui carnis desideria sequuntur, & secundùm carnem vivunt, non secundùm spiritum: quos passim notant Apostolicæ literæ, *ut Rom. 8. vers. 1. 4. & 5. 2. Pet. 2. vers. 10. & in epist. Judæ, vers. 23. Tertio* ac medio modo: qui etsi secundùm carnem non vivant, tamen in multis adhuc carnaliter sapiunt, haud percipientes ea quæ sunt spiritus Dei. Denique dominos carnales) Græcè *secundùm carnem*) alibi vocat Apostolus, qui servos habent secundum carnis seu corporis ministeria subjectos, *ut Ephes. 6. & Coloss. 3.* Tertius modus præsentis est loci. Nam carnales exponit Apostolus parvulos sive infantes in Christo. Hos autem dicit, qui tamquam infantes adhuc imperfecti sunt; ac si dicat insipientes, atque novitios, in his quæ Christianæ sunt religionis.

LAC VOBIS POTUM DEDI. Vel *potandum dedi* Græcè ἐπότισα. Persistit in metaphora sumpta ab infantibus. Et sensus est: Humiliorem ac simpliciorem doctrinam, quam velut infantes in Christo faciliùs caperetis, vobis tradidi. Eam doctrinam vocat Apostolus *Hebr. 5.* elementa exordii sermonum Dei, & cap. 6. sermonem inchoationis Christi. Cujus etiam *eodem loco* aliquot exempla commemorat, ut doctrinam pœnitentiæ ab operibus mortuis, fidei in Deum, baptismatis, impositionis manuum, resurrectionis mortuorum, & judicii æterni. Locus similis 1. *Thess. 2.* ubi se fuisse dicit in medio eorum, tamquam si nutrix foveat filios suos. Propter hanc charitatem qua parvulos in Christo lacte nutrivit Paulus; ex ejus cervice, quando occisus est, pro sanguine lac manasse testatur Ambrosius *serm. 68.* Cujus rei meminit etiam Chrysost. *sermone in Principes Apostolorum.*

Exempla doctrinæ simplicioris.

Paulo occiso lac pro sanguine manavit.

NON ESCAM. Græcè οὐ βρῶμα, *& non cibum*, nempe solidum. Ad hunc enim restringitur ex antitheti lactis. Exprimitur autem Hebr. 5. *perfectorum est solidus cibus.* Quo nomine significat doctrinam sublimiorem, quæ adultis in Christo convenit. Supplendum, dedi, vel obtuli; quemadmodum supplet Theophyl. Nam solido cibo nemo potatur.

NONDUM ENIM POTERATIS. Hebraismus est qualis Isaiæ 1. *Festivitates non possum.* Subauditur enim *ferre.* Quod interpretes supplent. Hieronymus autem vertit, *non feram.* Dat igitur rationem Apostolus, cur solidum cibum Corinthiis non præbuerit, quia ferre non poterant. Observanda circa hunc locum Pauli prudentia; eademque omnibus Evangelicæ doctrinæ ministris imitanda; ut ne proferant omnia apud omnes, sed auditorum quos nacti fuerint, ingenio ac modo sese utiliter accommodent. Quò pertinent ea quæ tradunt Ambrosius & Augustinus locis superiori capite citatis ad illud, *Sultitia enim est illi.*

Notanda & imitanda Pauli prudentia in tradenda doctrina Christiana.

SED NEC NUNC QUIDEM POTESTIS. Græcè, *Sed nec adhuc nunc potestis.* Pro quo benè Erasmus: *Imò ne nunc quidem adhuc potestis.* Supple ex antè dictis; ferre solidum cibum. Hoc dicendo, transitum facit ad increpationem subsequentem. ADHUC ENIM CARNALES ESTIS. Carnales vocat, ut antè dictum est, eosdem quos *superiori cap.* animales; quamquam non eadem prorsus ratione. Quum enim dicit animales, imbecillitatem mentis ac judicii significat; quum carnales, vitium notat affectus seu voluntatis ad ea quæ carnis sunt, inclinatæ. Sicut autem animalitas quæ in mente est, in affectum redundat, uti diximus: ita vicissim carnalitas affectum occupans, menti coalescit, ineptam reddens ad spiritualia percipienda. Quo argumento nunc utitur Apostolus, quum probat Corinthios ferre non posse solidum doctrinæ cibum, eò quòd sint adhuc carnales. Estque hæc tacita quædam exprobratio, quòd cùm

Quo differant animales & carnales.

tanto tempore Christiani fuissent, adhuc tamen affectibus in carne hærerent.

Quid zelus cum in vitio ponitur.

3. Cum enim sit inter vos zelus et contentio: nonne carnales estis? *Zelus*, Græcum vocabulum ζῆλος, id est, *æmulatio*. Sed hic in vitio ponitur, ut frequenter alibi. Significat enim dolorem animi, inde natum quòd alius potiatur bono à te desiderato. Vide commentarium *Galat.* 5. ad illud *contentiones, æmulationes.* Ut enim hæc ferè conjuncta sunt vitia, ita plerumque Scriptura ea conjunctim numerat. Post contentionem sequitur in Græco ἀχοστασίαι, *& dissensiones*: quod & Irenæus *legit lib.* 4. *cap.* 75. & Cyprianus *lib. de zelo & livore.* & *lib.* 3. *testimoniorum cap.* 3. Erasmus vertit, *& factiones.*

Cum enim, inquit Apostolus, sint inter vos æmulationes, contentiones & studia partium; an non meritò vos dixi carnales? Sunt enim hæc carnis opera, *Galat.* 5. *vers.* 20. Sed quia Corinthiis accidebant hæc vitia, magis, ut fit, ex infirma & puerili quadam animorum affectione, qua præter modum & rationem pro suis quique magistris certabant; quam ex voluntate nocendi cuiquam: idcircò carnales quidem eos ista coarguebant, non ita perfectè tamen carnales, ut eos à regno Dei excluderent. Nam & Apostolorum Christi similis infirmitas fuit ante acceptum Spiritum-sanctum: quorum inter se contentiones cum ambitione conjunctas aliquot locis produnt Evangelia.

Apostoli Christi aliquando carnales.

Et secundum hominem ambulatis. Hominem intellige qua parte nondum renovatus est: quem Apostolus passim opponit Deo: quemadmodum & Christus, quando Petrus dixit, *Non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*, Matth. 16. Igitur ambulare secundùm hominem, est affectus humanos & carnales in vita & actionibus suis ostendere.

Quid ambulare secundum hominem.

4. Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli; alius autem, Ego Apollo; nonne homines estis? *Alius*, Græcè ἕτερος *alter*. Nec in Græco est *homines*, sed *carnales*, sicut & in Syriaco. Quod & in vetustis quibusdam Latinis legitur. Cæterùm res eadem est. Nam iidem prorsus intelliguntur homines, & carnales, id est, affectibus humanis & carnalibus obnoxii. Quid autem velint illa, *Ego sum Pauli, ego Apollo*; satis expositum est capite primo.

Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Græcè commutato ordine, *Quis igitur est Paulus? quis autem Apollo?* Tametsi suspicatur Erasmus τὶ legendum in Græco; propter illud quod infrà dicitur, *Neque qui plantat est aliquid* (τὶ) *neque qui rigat.* Hîc jam Apostolus, ut medeatur contentioni quam habebant inter se Corinthii propter magistros, explicat ipsorum magistrorum conditionem, & quo loco habendi sint, docet; ne fortè pluris eos faciant, ac plus eis tribuant, quàm oporteat.

5. Ministri ejus cui credidistis. Græcè *Nisi ministri per quos credidistis*? Pro quo Syrus Hebraismo utens: *per quorum manus credidistis?* Tametsi Latinorum codicum & commentatorum constans lectio est, *ejus cui credidistis*: quæ etiam est apud August. *lib. contra literas Petil. cap.* 54. Sensus autem utriusque lectionis ferè idem est. Paulus, inquit, & Apollo magistri vestri, propter quos contenditis, quid aliud sunt quam ministri Dei, quorum externa dumtaxat opera & ministerio prædicatum est vobis Evangelium Christi in quem credidistis. Igitur in eo quod dicit eos solùm esse ministros, removet ab eis virtutem sanctificandi interiùs, quæ soli Deo ac Domino convenit; removet & meritum, quale convenit Christo homini.

Et unicuique sicut Dominus dedit. Ordo rectus: Et sicut unicuique Dominus dedit. Similis sermo Rom. 12. *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Ministri, inquit, Dei sunt, iique diversa habentes ministeria, prout cōmunis eorum Dominus cuique dedit. Non enim sibi ipsis asscribere quicquam possunt, sed totum à Deo acceperunt. Extenuat gloriam ministrorum, ut Deo vendicet suam; ac per hoc à contentione pro magistris suscepta, Corinthios revocet. Ministeriorum diversitatem declarant sequentia verba.

6. Ego plantavi. Metaphoricus sermo, quo ministros Evangelii similes ostendit agricolis plantantibus & rigantibus. Plantare est doctrinam de Christo tradere iis qui Christum ante non noverant. Quod propriè muneris est Apostolici. Id Paulus fecerat Corinthi. Unde dicit infrà sub alia metaphora; *Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Tale est quod ad Rom. 15. scribit de prædicatione sua, qua ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverat Evangelium Christi. *Sic*, inquit, *prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.*

Quid plantare.

Apollo rigavit. Quod hîc dicit rigare, idem est cum eo quod inferius alterâ metaphora vocat superædificare. Id autem est, doctrinæ Christianæ jam plantatæ & fundatæ superaddere præcepta, quibus illa conservetur & augeatur. Quod est episcoporum, & eorum omnium qui in partem aliquam functionis episcopalis vocati sunt. Idque apud Corinthios Apollo fecerat: quemadmodum & Lucas satis indicat. *Act.* 18. *&* 19.

Quid rigare.

Sed Deus incrementum dedit. Græcè uno verbo ηὔξανεν, *auxit.* Verùm id benè & significanter duobus vocabulis reddunt interpretes, *incrementum dedit.* Refertur autem hoc tam ad plantationem, quàm ad rigationem. Nam neque plantare neque rigare prodest quicquam, nisi Deus det incrementum; id est, divina sua virtute operetur in animis hominum, efficiatque ut id quod plantatum est & rigatum, germinet, crescat & fructum faciat.

7. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat. Illatio est ad hunc modum explicanda; Igitur sicut in naturalibus (unde metaphora sumpta est) qui plantat & qui rigat, non sunt aliquid: ita nec in divinis. Dicuntur autem plantans & rigans, tam in his quam in illis, nihil esse, hoc sensu: quia licet foris exhibeant suum ministerium; non tamen actione sua interiorem attingunt effectum vel vegetationis in naturalibus, vel sanctificationis in divinis. Sed illam quidem efficit natura Deo authore; istam verò sibi soli Deus reservat.

Plantans & rigans quo sensu nihil sint.

Interim *observa*, Paulum qui modo dixerat se & Apollo non aliud esse quàm ministros quorum opera crediderant Corinthii, nunc adhuc ampliùs sese demittere; dum sub nomine plantantis & rigantis nihil se ipsos esse significat: ut vel hac ratione persuasi, desinant contendere pro suis doctoribus. Quod si de prædicatoribus Evangelii dicit: quanto veriùs dicat, Neque qui baptizat, est aliquid? Nam multò minor est opera & industria baptizantis, quam prædicantis & docentis. Unde si propter Evangelium sibi à Paulo vel Apollo prædicatum, nemo dicere debuit, Ego sum Pauli: ego Apollo: quantò minùs propter baptismum ministratum?

Sed qui incrementum dat Deus, Subaudi, est aliquid: quia dare incrementum ut causam propriè productivam illius effectus, permultum est. *Siquæras*, an solus Deus det incrementum: *respondeo*: Solus quidèm in naturalibus, cum exclusione hominis cultoris; non tamen ipsius naturæ. Solus autem in spiritualibus & gratuitis, de quibus Apostolus intendit loqui; cum exclusione cujuscumque causæ creatæ. Quod volunt Aquinas & Cajetanus & alii, dum hic annotant: solum Deum in corde hominis operari posse. Et ante eos Augustinus, cujus *adversus Petilianum scribentis loco suprà citato*, de eo qui plantat & rigat, hæc verba sunt: *Ad ministrandum & dispensandum*

An solus Deus det incrementum.

sanctum verbum ac sacramentum, est aliquid: ad mundandum autem & justificandum non est aliquid: quia hoc non operatur in interiore homine, nisi per quem creatus est totus homo, & qui Deus manens factus est homo; ille scilicet de quo dictum est: Fide mundans corda eorum, &, Credenti in eum qui justificat impium. Idem tractatu 80. in Joan. post commemorata hujus loci priora verba: *Quod sequitur*, inquit, *sed Deus incrementum dedit: non per illos (*ministros*) sed per ipsum facit. Excedit hoc humanam humilitatem; excedit angelicam sublimitatem: nec omninò pertinet, nisi ad agricolam Trinitatem.* Hæc Aug.

8. QUI AUTEM PLANTAT ET QUI RIGAT, UNUM SUNT. *Unum sunt*, id est, ambo non aliud quàm ministri, & quidem unius Domini ministri: & eodem spectantes, nempe ad incrementum exspectandum à Deo; quemadmodum & in naturalibus sese res habet. Cum ergo sint unum: non vos debetis propter eos dividi in factiones. Servit hic locus exhortandis ad concordiam ipsis etiam ministris; ut qui cogitare debeant sese inter se unum esse, sensu jam explicato.

Nota, quam oporteat esse concordes ministros Evangelij

UNUSQUISQUE AUTEM PROPRIAM MERCEDEM ACCIPIET SECUNDUM SUUM LABOREM. Græca venustiùs sonant; τὸν ἴδιον μισθὸν λήψεται κατὰ τὸν ἴδιον κόπον, *propriam mercedem accipiet, secundum proprium laborem.* Quod si inquit, aliqua ministrorum inter ipsos disparitas est, quæ reddat alium alio præstantiorem ac digniorem: (nec enim ita sunt unum, ut labore & merito sint pares) ea res non à vobis dijudicanda, sed Dei judicio relinquenda est; à quo quisque eorum pro ratione ac merito sui laboris suam & propriam recipiet mercedem: nimirum juxta illud quod toties inculcat scriptura, Deum redditurum unicuique secundùm opera sua.

Merces cuique reddenda, secundum laborem, non secundum fructum laboris.

Notabis Apostolum non dicere, unumquemque ministrum accepturum mercedem secundm effectum seu fructum sui laboris, sed secundùm suum laborem. Nam fructus laboris non est in potestate ministri, sed solius Dei dantis incrementum. Quare etiamsi fortè nullus ex ministerio fructus sequatur, plenam mercedem sui laboris accipiet minister, Domino attestante Matth. 10. *Si domus non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.* Unde Chrysostomus concione 1. de Lazaro: *Si semen*, inquit, *per te jactum auditor non reciperit, nec obedientiæ fructum retulerit; tu tamen communicati consilij mercedem feres à Deo: nec minus accipies præmij non auditus, quam accepturus eras, si ille obtemperasset.* Sic ille: Sed hæc intellige de præmio quod essentiale vocant theologi. Nam accidentale non æquale esse, rectè ab iisdem traditur.

Porrò laboris nomine opus significatur, quod plerumque non fit sine labore. Et quidem laborem hîc nominare maluit quàm opus, quod versaretur in metaphora ab agricolis sumpta, quorum laboriosa sunt opera. Alioquin opera nostra non ex laboris aut molestiæ magnitudine æstimationem habent apud Deum ut neque ex diuturnitate temporis, aut ex numero actionum; sed ex pondere charitatis, à qua procedunt: quemadmodum benè post Aquinatem Carthusianus annotat ac doctè declarat.

Opera bona unde æstimationem habent apud Deum.

Jam verò mercedem hîc intelligi vitæ æternæ in confesso est. Cum autem merces cogitari nequeat absque merito: manifestè sequitur ex hac sententia & aliis similibus, id quod hæreticus negat, bona justorum opera (quæ nos profitemur esse Dei dona) mereri vitam æternam. Ostendit etiam hic locus non omnium mercedem esse parem: ut voluit Jovinianus: si quidem non omnium æqualis est labor, juxta supradictam æstimationem.

Obs. contra Sectarios, Opera bona mereri vitam æternam, sed non æqualiter.

9. DEI ENIM SUMUS ADJUTORES. *Adjutores* Græcè συνεργοί, id est, *cooperatores* sive *cooperarii*, quemadmodum legit August. *tract. de cultura agri Dominici cap. 1. & alibi.* Textus Ambr. habet, *operis adjutores*, vel secundùm alios codices, *operis participes.* Quò suspicor Haimonem respicere dicentem: *In Græco melius habetur: Dei operis participes sumus.* Alius quidem vertit, *Dei sumus administri.* Etenim Dei adjutores, si propriè loquamur, nulli sunt, nec esse possunt. Neque enim propriè dicitur adjuvari, nisi infirmus, ac per se minus sufficiens ad aliquid agendum. Nec verò legitur usquam in scriptura, Deum adjuvari ab homine: sed negatur, Isaia dicente cap. 40. *Quis adjuvit spiritum Domini?* Sed quia in humanis iidem ferè sunt cooperatores & adjutores: idcircò hîc alterum pro altero posuit interpres, idque more suo, qui συνέργους ubiq; vertit *adjutores*, præterquàm *Philip. 2. v. 25. & 3. Joan. epist. v. 8.* quibus locis transtulit *cooperatores.* Sic & 1. Mach. 12. *Vidit Jonathas quia tempus eum juvat*, Græcè συνεργεῖ *cooperatur.*

Quo sensu homines Dei adjutores.

In his igitur cooperatio est adjuvantis, ac multò magis ea qua Deus hominibus cooperari dicitur. Unde *Marc. 16.* ubi de Apostolis dicitur: *Profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante*, benè quadrabat verbum adjuvandi. Verùm non sic nostra cooperatio respectu Dei: quia tota nostra cooperatio etiam ipsius Dei operatio est, facientis ut faciamus. Quocirca non est extendenda locutio qua dicitur homo Deum adjuvare; præsertim cum hic sit interpretis sermo, non Pauli, *Dei adjutores sumus*: quemadmodum & 2. Cor. 6. *Adjuvantes* (Deum (exhortamur. Nam & ibi Paulus scripsit συνεργοῦντες *cooperantes.*

Sed ut ad contextum explicandum veniamus: probat Apostolus hac parte non id quod proximè præcessit, *Unusquisque autem* &c. (quæ sententia rectè à quibusdam parenthesi includitur) sed quod dixerat eum qui plantat & qui rigat, unum esse: quandoquidem, inquit, cooperatores Dei sunt ad unum eumdemque scopum, id est, ad fructum Evangelij: Qua in re tamquam ministri, Deo velut agri colendi domino, qui solum incrementum dare potest, subserviunt. Nam hoc sequitur: *Dei agricultuea estis.* Ita Græci commentatores exponunt: à quibus nec Latini dissentiunt.

Sed & Gregorius pontifex in hunc sensum nostram Latinam versionem enucleat *lib. 17. Moral. cap. 11.* ad illud Job. 26. *Cujus adjutores? numquid imbecillis?* Nam Dei adjutores interpretatur qui adhibent externum vocis ministerium, Deo per Spiritum-sanctum intrinsecus operante. Existimant autem expositores etiam illud hoc loco significari, ministros Evangelij, quamvis salutis non sint authores, sed tantùm administri; non esse contemnendos: quod non parvæ sit dignitatis, Deo cooperari ad hominum salutem. Unde Dionysius ait citante Carthusiano, *quod omnium divinorum divinissimum est; Dei cooperatorem exsistere in reductione rationalis naturæ ad suum principium.* Locus apud Dionysum est, *de cæleſti hierarchia cap. 3.*

Res divinissima, Deo cooperari ad salutem hominum.

Rectè etiam ex hoc loco Theodoritus refellit Arianos & Eunomianos, qui appellationem συνεργὸς cooperarij, ne filio quidam tribuendam volebant; sed eum ὑπερέτην, id est, suboperarium nominabant: cum Apostolus etiam homines, veritatis prædicatores, Dei coopararios vocet. An autem dici possit in his verbis *Dei cooperarii (συνεργοὶ) sumus*, genitivum *Dei* non regi vi præpositionis; sed alterius partis componentis; quasi dicere velit Apostolus: sumus operatores à Deo missi, iidemque alter alteri cooperatores, plantantor rigatori, & contra: quomodo dicit *Philip. 3.* secundùm Græcam lectionem: *Coimitatores mei estote*, id est, conformate vos aliis mei imitatoribus: lector studiosus expendat.

Dei Filius Patri cooperarius.

DEI AGRICULTURA ESTIS, DEI ÆDIFICATIO ESTIS. *Estis* posteriori tantùm loco legitur in Græcis codicibus, nec non in Latino textu Ambr. *Agricultura*, Græcè γεώργιον, *agricolatio.* Nam *agricultura* magis artem significat. Nec tamen actus agricolandi signi-

Fideles agricultura & ædificatio Dei, quo sensu.

ficatur hoc loco, ſed ea res circa quam actus ille verſatur, id eſt, ager qui colitur (unde quidam *arvum* vertit) quemadmodum & ædificatio pro ædificio poſita eſt. Quos enim hîc dicit ædificationem Dei, inferiùs hoc *eodem capite* vocat templum Dei. Unde & canit eccleſia: *Templum Dei ſanctum eſt, Dei ſtructura eſt, Dei ædificatio eſt.* Gemina autem metaphora utitur hîc Apoſtolus, altera congruente cum ſuperioribus, ubi plantationis & rigationis mentionem fecerat; altera cum ſequentibus, ubi ſe facit architectum ponentem fundamentum, alios autem ſuperædificantes. *Senſus igitur eſt*: Nos quidem plantando & rigando Dei cooperarij ſumus: vos autem ager Dei eſtis: ad quem excolendum Deus ſibi nos adhibuit operarios. Sed & ædificium Dei eſtis, ad quod ædificandum Deus nos operarios conſtituit; prout ſequitur.

10. SECUNDUM GRATIAM DEI QUÆ DATA EST MIHI, UT SAPIENS ARCHITECTUS FUNDAMENTUM POSUI. Quia dicturus erat aliquid pertinens ad ſuam laudem; ne ſibi aliquid arrogare videretur, præoccupat lectorem dicens, *ſecundùm gratiam Dei quæ data eſt mihi.* Gratiam intelligit muneris Apoſtolici, ſicut & Rom. 15. *Propter gratiam*, inquit, *quæ data eſt mihi, ut ſim miniſter Jeſu Chriſti in Gentibus.* Et quia Apoſtolici muneris erat novas fundare eccleſias, ubi Chriſtus non fuerat prædicatus: ideò ſecundùm eam gratiam dicit ſe, ut ſapientem, id eſt, doctum & peritum architectum, poſuiſſe fundamentum ædificij ſpiritualis apud Corinthios. Hoc fundamentum Hugo Victorinus eſſe dicit, *fidem Chriſti quæ per dilectionem operatur.* At Paulus ſtatim poſt affirmat, fundamentum à ſe poſitum eſſe Chriſtum Jeſum. Quamquam hæc non pugnant, ut ibi declarabitur.

Paulus ſapiens architectus.

Qui ſuperædificantes.

ALIUS AUTEM SUPERÆDIFICAT. Superædificantem hîc & in ſequentibus, interpretes Græci intelligunt eum, qui fundamento acceptæ fidei in Chriſtum, proprias ſuperexſtruit actiones bonas vel malas. Sentiunt enim Apoſtolum poſtquam de unitate diſſeruit, nunc tranſire ad exhortationem de vita & moribus. Eadem de ſuperædificante ſententia eſt Hier. *lib. 2. adv. Jovinia. c. 2.* & Auguſt. *ench. 68. atque alibi.*

At verò Latini commentatores hujus loci, tam veteres quàm recentiores, ſuperædificantem ferè interpretantur eum qui fundamento fidei per Apoſtolum collocato, ſuperaddit præcepta tam fidei quàm morum, quibus in Chriſtiana vita fideles confirmentur, atque proficiant: quod Apollo apud Corinthios feciſſe diximus. Utramque expoſitionem adferunt Aquinas & Hervæus, & ante eos Primaſius.

Verum poſterior intellectus longè profecto probabilior eſt, &, ut Liranus loquitur, magis literalis. Sicut enim idem Apoſtolo eſt is qui plantat & qui fundamentum ponit: ita quoque idem eſt qui rigat & qui ſuperædificat. Idque etiam liquet ex eo quod ſimili prorſus tropo ſermonis, dicit *Rom.* 15. ſe prædicaſſe Evangelium, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificaret. Quod ſine dubio de doctrina prædicationis ab eo dictum eſt. Jam & alia quæ hoc loco ſequuntur, oſtendunt eum de doctoribus loqui. *Si quis*, inquit, *videtur inter vos ſapiens eſſe, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens*, &c. poſt quæ demum concludit: *Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas.* Quæ cuncta ad magiſtros pertinere non eſt dubium. Quod verò interponit; *Neſcitis quia templum Dei eſtis?* &c. ne quem moveat; ad eumdem intellectum de magiſtris eſſe referendum, commentarius docebit. Igitur conſtitutum ſit, quod hîc dicitur, *Alius autem ſuperædificat*, cum iis quæ ſequuntur; non de fidelibus universè, ſed de ſolis magiſtris ſeu prædicatoribus accipiendum eſſe: quorum ſcilicet eſt docere fideles ea quæ ſunt Chriſtianæ veritatis ac pietatis.

Quæri tamen poteſt, quomodo dicat, *alius ſuperædificat*: cum ſit architecti non tantùm ponere fundamentum, ſed totius ædificij formam ac modum præſcribere. *Reſpondeo*, Paulum etiam id feciſſe: atque id totum contineri in eo quod dicit ſe potuiſſe fundamentum. Non enim ponitur fundamentum, niſi totius ædificij forma priùs in animo concepta. Sed quia eccleſia ſemper ædificatur, ideoque primis ædificantibus oportet alios ſuccedere; propterea ſe qui primus fuerat, architectum vocat, alios ſuperædificantes: maximè quia de fundamento fidei benè collocando præcipuè fuerat ipſi laborandum. *Dicunt alij* ipſos etiam ſuperædificantes eſſe architectos; ſed Paulum ſe vocare architectum velut ex parte, quia fundamentum poſuit. *Verùm* id detrahit de ratione architecti: cujus eſt, uti dicebam, de toto ædificio diſponere. Quod & Paulum feciſſe conſtat, qui ſolicitudinem ædificij perficiendi, collocato fundamento, etiam abſens non depoſuit; Imò ut perficiatur, agit tot præceptis ac monitis hac ipſa epiſtola, volens eos quos per Evangelium in Chriſtum genuit, & quorum patrem ſe vocat capite ſequenti, ad ætatis in Chriſto plenitudinem, tamquam ad ædificij culmen, perducere.

Quæſtio.

Reſponſio.

UNUSQUISQUE AUTEM VIDEAT QUOMODO SUPERÆDIFICET. Quoniam multi erant doctores Corinthiorum, generatim eos monet, ut quiſque diligenter attendat, *quomodo ſuperædificet*: id eſt, qualem doctrinam, fidei in fundamento poſitæ ſuperaddat; ne fortè ex ſeculari philoſophia, qua videbantur inſtructi, vel ex opinione privata, admiſceant aliqua diſſentanea veritati & ſimplicitati Chriſtianæ.

11. FUNDAMENTUM ENIM ALIUD NEMO POTEST PONERE PRÆTER ID QUOD POSITUM EST. Nam, inquit, quod ad fundamentum attinet; illud, ſalvo hoc ædificio ac templo Dei, mutari non poteſt. Varia quidem eſt ſuperædificatio; ſed nemo poteſt diverſum collocare fundamentum ab eo quod à me poſitum eſt.

Generalis admonitio magiſtrorum.

QUOD EST CHRISTUS JESUS. Verti poſſet ex Græco: *Qui eſt Chriſtus Jeſus*; quemadmodum & in vetuſtis quibuſdam Latinis legitur. Sed cum θεμέλιος *fundamentum*, Græcis maſculinum ſit, Latinis neutrum; rectè ſe habet, *quod eſt*, &c. etiam Eraſmo ſuffragatore. Senſus: Quod fundamentum eſt Chriſtus Jeſus; ſcilicet à nobis Apoſtolis annunciatus, & à vobis fide receptus. Itaque res eodem redit: ſive Chriſtus ipſe fundamentum dicatur, ſive doctrina de Chriſto, ſive fides in Chriſtum. Non pugnat autem cum hoc loco, quod etiam Apoſtoli & Prophetæ fundamenta myſtici templi vocantur *Epheſ.* 2. & *Apocal.* 23. Nam ſolus Chriſtus fundamentum eſt; inquantum fides in Chriſtum ante omnia requiritur, ac pro fundamento collocari debet in hoc ſpirituali ædificio.

Chriſtus fundamentum ædificij ſpiritualis.

Quo ſenſu etiam Apoſtoli & prophetæ fundamenta.

Cæterùm Apoſtoli & Prophetæ fundamenta dicuntur, non in unoquoque fideli, ſed reſpectu totius eccleſiæ tamquam unius templi: quatenus nimirum ſua doctrina quam Deo revelante acceperunt, hominibus tradita, quaſi ſuſtinent totum eccleſiæ ædificium. Quæ quidem eſt doctrina de Chriſto ſalvatore. Quare quod Apoſtoli & prophetæ fundamenta eccleſiæ dicantur, id eis non competit, niſi ratione unius fundamenti, prædicando ſeu docendo ab ipſis poſiti: *quod eſt Chriſtus Jeſus.* Qui proinde fundamentum hujus ædificij primarium eſt ac principale; cùm Apoſtoli & Prophetæ ſecundaria tantùm ratione ejuſdem ædificij fundamenta appellari poſſint. Qua de re plura ad dictum locum *Epheſ.*

12. SI QUIS AUTEM SUPERÆDIFICAT SUPER FUNDAMENTUM HOC AURUM, ARGENTUM, LAPIDES PRECIOSOS; LIGNA FOENUM, STIPULAM. Syrus interpres aptè contextum implet, addita per ſingula diſtinguendi particula: *aurum, aut argen-*

tum, aut lapides preciosos; aut ligna, &c. Locum hunc Apoſtoli obſcurum eſſe & planè difficilem ad intelligendum, teſtatur Auguſt. *lib. de fide & operibus cap. 15. & 16. & quæſt. 1. ad Dulcitium, & in enarr. pſalm. 80.* Hinc natæ multæ ac variæ expoſitiones tam loci totius, quàm partium ejus: velut, qui dicantur ſuperædificantes; quid per aurum & argentum ac cætera quæ hîc recenſentur, intelligendum ſit. Et in conſequentibus, quis dies Domini, quis ignis, quid ſalvus fieri quaſi per ignem. Et quidem ſuperædificantes quos dicat Apoſtolus, ſuperiùs explicatum eſt, nempe doctores & prædicatores populi fidelis, qui fundamento fidei ſuperſtrunt doctrinam ad vitam moreſque pertinentem, & ipſa quoque fidei myſteria pleniùs exponunt.

Quid per aurum, argentum & lapides precioſos intelligat Apoſtolus.

Porrò aurum, argentum & lapides precioſos, bona opera interpretantur Chryſoſtomus, Theodoritus, ac cæteri Græci, etiam poſteriores: quorum exſtat de hac re ſententia in conſilio Florentino. Ligna verò, fœnum & ſtipulam intelligunt ijdem mala opera æterno igne punienda.

Item quid per ligna, fœnum, ſtipulam.

Sed obſtat huic intellectui quod poſteà ſequitur, ipſum ſuperædificantem ligna, fœnum & ſtipulam ſalvum fore quaſi per ignem. Deinde peccata majora quæ mortem merentur æternam, aptiùs comparaveris cum ferro, ære & plumbo, quàm cum lignis, fœno & ſtipula: quemadmodum docet Gregorius *lib. 4. dialogi cap. 39.* Adde quod qui mortifera peccata committunt; quamvis fidem retineant, non tamen ædificant ſuper fundamentum quod eſt Chriſtus, id eſt, ſuper petram, ſed ſuper arenam, *Matth. 7.* quia terrenum aliquid Chriſto præponunt: ideoque tota domus eorum corruet. Jam multò minùs dici poteſt, id quod Ambroſiaſter ſignificat, per aurum, argentum, lapides precioſos, intelligi doctrinam catholicam, per ligna, fœnum & ſtipulam, prava & hæretica dogmata. Nam in his ne fides quidem ipſa, quamvis mortua, manet in fundamento.

Auguſtini ſententia, quæ eadem Gregorij.

Rectiùs Auguſtinus aurum, argentum & lapides precioſos interpretatur opera bona: ligna, fœnum & ſtipulam, inordinatos affectus ad res terrenas, & in univerſum venialia peccata, & ut ipſe loquitur, amorem rerum temporalium, quæ Chriſto tamen non præponantur. Ita docet Auguſtinus compluribus locis, *ut lib. de fide & operibus cap. 16. enchir. 68. in in enarr. pſalm. 37. & 80.* Ita quoque Gregorius *loco ſuprà citato*; quos alij multi ſequuntur.

Nec benè, meo judicio, quidam Auguſtini ſententiam à Gregorii diverſam eſſe volunt ita diſtinguentes, quod Gregorius per aurum, argentum & lapides precioſos intellexerit bona opera; & per ligna, fœnum, ſtipulam, peccata venialia: Auguſtinus autem illa quidem interpretetur opera ſupererogationis: hæc verò omiſſionem conſiliorum, & affectum quemdam carnalem ad bona hujus mundi, licitum ut aiunt, ſed qui dolorem adfert cum illa bona amittuntur. Neque enim Auguſtinus vel operum ſupererogationis, vel omiſſionis conſiliorum expreſsè meminit: ſed in priori ſerie ponit eos, qui cogitant quæ Dei ſunt, animum habentes liberum à cupiditate rerum terrenarum: quæ etſi conceſſæ ſint & non illicitæ, cupiditas tamen ipſa qua ſic amantur, ut ſine dolore non amittantur, vitioſa eſt & illicita: in aliis quidem mortalis, in aliis venialis: quemadmodum id explicat ipſe Auguſtinus.

Certè carnalem illum affectum ad bona hujus mundi venialem eſſe, & proinde illicitum, affirmat Thomas *in commentario*: nec video quî negari poſſit, cum ſit inordinatus. Nec diceret Auguſtinus arſurum ejuſmodi affectum ſive amorem, ſi nullum eſſet peccatum. Igitur Auguſtini & Gregorij una ſententia eſt, quam diximus: licet ab Auguſtino ſapientiſſimo doctore penitiùs, velut à radicibus, exprompta & expoſita.

Verumtamen quia ſuperædificantes oſtendimus ex Apoſtoli mente non omnes fideles intelligi debere, ſed ſolos doctores; idcircò etiam expoſitio jam dicta contrahenda eſt ad doctrinam quæ fundamento rectæ ac ſanæ fidei ſuperſtruitur, ut videlicet per aurum, argentum, & lapides precioſos intelligatur doctrina pura, ſincera, ſolida, conducens ad pietatem, & pertinens ad ornamentum eccleſiæ; per ligna verò & fœnum & ſtipulam, doctrina non quidem hæretica aut pernicioſa: (talis enim fundamentum deſtrueret) ſed mimùs ſincera minuſque ſolida; veluti ſi ſit humanis ac philoſophicis, aut etiam Judaïcis opinionibus admixta plus ſatis: ſi curioſa magis quàm utilis: ſi vana quadam oblectatione mentes occupans Chriſtianas: ut contingit illis qui plus æquo ſtudent ornatui ſermonis.

Explicatur vera ſententia.

Hæc advertant doctores & concionatores.

Quo in genere etiam ab illis peccatur, qui ſpecie pietatis invehunt aut propagant novas ac vulgo plauſibiles opiniones; quæ interdum exiſtunt ſemina contentionum: & in univerſum ab iis qui dubia aut incerta pro certis, vel temeritate, vel imperitia, vel impudentia, vel animi levitate, vel placendi ſtudio, proferunt ad auditores. Sed & ſi quis veram & utilem auditoribus doctrinam tradat, non tamen id faciat ea prorſus intentione qua debet, ſed oculum obliquè reflectat aliorſum: cum iis meritò deputabitur, qui ligna, fœnum, ſtipulam fundamento ſuperſtrunt. Quod indicare videtur Apoſtolus cap. ſequenti; dicens de judice Chriſto, quod *manifeſtabit conſilia cordium.*

Igitur qui *prioris* doctrinæ genus ſuperædificant, magnum ſibi meritum apud Deum comparant: quod utique per materiam precioſam, & quæ vim ignis ſuſtineat, ſignificatur. Qui verò *poſterioris*, non ſolum à magno merito ſunt remoti; verùm etiam taliter docendo multa ſibi peccata accumulant, per materiam vilem & cremabilem ſignificata, & igne conſumenda, quemadmodum infrà dicetur.

Gradus utriuſque doctrinæ tam precioſæ quam vilioris.

Hanc expoſitionem iſtius loci reperies apud Sedulium, Hervæum, Aquinatem, Liranum, Carthuſianum, Cajetanum, & alios recentiores. A quibus & illud annotatur, gradus quoſdam utriuſque doctrinæ ſignificatos eſſe; hinc per aurum, argentum, lapides precioſos; inde per ligna, fœnum, ſtipulam. Sicut enim melius eſt ſuperædificare aurum quàm argentum: ita deterius ſuperædificare fœnum & ſtipulam quàm ligna. Cæterùm pulchrè & doctè totam hanc de ſuperædificantibus ſententiam ediſſerit Aquinas, ad quem lectorem remitto.

13. UNIUSCUJUSQUE OPUS MANIFESTUM ERIT. *Erit*, Græcè, γενήσεται, *fiet*. Non malè, ut objicit quidam, doctrina quamvis divina vocatur opus hominis. Verè enim opus eſt hominis, inquantum traditur hominis miniſterio: licet in ſe conſiderata ſit verbum Dei. Nam & ſuprà, loquens Paulus de doctrina plantantis & rigantis, dixit, unumquemque recepturum mercedem ſecundùm proprium laborem. Quando autem manifeſtandum ſit opus cujuſque doctoris, oſtendit pars ſequens.

Doctrina divina quo ſenſu opus hominis.

DIES ENIM DOMINI DECLARABIT QUIA IN IGNE REVELABITUR. In Græco & Syriaco abeſt genitivus *Domini*, nec non in Latinis quibuſdam mſs. Veteres etiam Latini, commentator Ambr. & Primaſius non agnoſcunt. Deinde nec Græcè eſt *revelabitur*, ſed ἀποκαλύπτεται, *revelatur*.

Hîc quærendum quem diem Domini, vel diem abſolutè, dicat Apoſtolus: & de quo igne loquatur. Quidam diem hunc intelligunt tempus adverſitatis ſeu tribulationis in hoc ſæculo; cum auferuntur homini illa quæ diligit. Nam ea res probare ſolet ac diſcernere bonos à malis; Eccleſiaſtico teſte capite 27. *Vaſa figuli probat fornax; & homines juſtos tentatio tribulationis.* Sed & apud Prophetas, hujuſmodi tempus dies Domini vocatur aliquoties;

Quæſtio Quis ſit dies Domini.

ut Isaiæ 13. *Jerem.* 46. *Ezech.* 30. *Amos* 5. Ad hunc modum exponunt Augustinus & Gregorius *locis suprà citatis*. Verùm sanè ea expositio non est apta ad hunc locum. Quamvis enim tribulatio præsentis vitæ justos probat coram Deo; non tamen palàm declarat, qui boni sunt, qui mali: *Sed omnia in futurum servantur incerta; eò quod universa æquè eveniant justo & impio, bono & malo*, &c. Eccles. 9. Unde nec Paulus dicit *manifestatur*, tamquam in præsenti tempore, sed in futuro, *manifestum erit*, aut, *fiet uniuscujusque opus*. Jam & ea quæ sequuntur apud Apostolum, isti intellectui non congruunt: quemadmodum statim patebit.

Igitur omninò tenenda est communis interpretum tam veterum quàm recentiorum sententia: quam etiam Augustinus & Gregorius ijsdem locis agnoscunt & approbant: nempe, diem Domini esse diem seu tempus judicij divini post hanc vitam: sive judicij particularis, ut intelligunt Liranus, Cajetanus, & alii recentiores: sive generalis atque ultimi judicij, quomodo ferè diem hunc acceperunt veteres, Chrysostomus, Theodoritus ac cæteri Græci, & inter Latinos Sedulius, Haimo, Hervæus, Carthusianus, & neotericorum nonnulli: & ante hos author *epistolæ ad Marcellam de tolerandis adversis*: quæ fertur inter opera Hieronymi.

Dies Domini, tempus judicij post hanc vitam.

Pro particulari judicio facere videtur, quod purgatio de qua consequenter agit Apostolus, non fiet in ultimo judicio: sed nunc jam agitur circa animas mortuorum. Et alioqui sequeretur, nullos fideles saltem doctores, posse recipi in consortium beatorum ante extremi judicij diem; qui error est ab ecclesia damnatus. Id, inquam, sequeretur; quia probatio doctrinæ sive operis cujusque præcedere debet remunerationem. Quare si probatio per ignem reservatur universali judicio: nullus eorum quorum hîc probanda dicuntur opera, posset ante illud judicium coronari. Movet etiam Cajetanum verbum præsentis temporis, *revelatur*, quo Apostolus usus est. Nam dies ultimi judicij nondum revelatur, aliis atque aliis morientibus.

Dies Domini tempus extremi judicij.

At pro judicio generali majora sunt argmenta. *Primùm*, quia per diem Domini vel diem illum, ubicumque in sacris literis tempus futuri sæculi significatur, semper intelligitur dies extremi & universalis judicij. Loca passim obvia sunt, cum alibi, tum apud ipsum Apostolum, ut hujusce epistolæ capite primo, *Confirmabit vos sine crimine in die Domini*, & in capite quinto, *Ut spiritus salvus sit in die Domini*. Qui locus illustrat istum, quo dicitur, *salvus erit quasi per ignem*. Item Philip. 1. *Perficiet usque in diem Christi Jesu*. 2. Tim. 4. *Quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*. Similiter Dominus apud Luc. 10. *Sodomis in illa die remissius erit*. & Petrus 2. epist. 3. *Veniet dies Domini sicut fur*. Sed & ipse Paulus *infrà capite proximo* loquens adhuc de probatione doctrinæ ministrorum Christi, planè declarat illam futuram in die adventus Domini: *quando illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium* Qui dies non alius est quàm generalis judicii.

Quò accedit quòd scriptura modò diem Domini, modò diem adventus Domini, modò emphaticè diem illum nominans; eumdem semper diem designet. Atqui diem adventus Domini, ut nominari solet in scriptura, non alium exspectamus, quàm quo venturus est ad exercendum judicium universale. Et quidem ita de die Domini semper scriptura loquitur, ut unum aliquem certum ac singularem diem nobis significet: cujusmodi non est dies particularis judicii.

Sed neque de die judicij particularis verum est quod hîc dicit Apostolus; quia in *igne revelabitur* vel *revelatur*. Per hoc quippe significat diem illum futurum omnibus notissimum propter ignem. Quòd utique non in diem particularis sed universalis judiicj competit; quem ferè scriptura per ignem describit, *ut Psalm.* 96. *Joel.* 2. 2. *Thessal.* 1. 2. *Pet.* 3. Unde & in antiquissimis ecclesiæ cærimoniis usque hodie legitur: *Qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem*. Nec sanè convincunt quæ pro particulari judicio adferebantur: quemadmodum satis ex ea quam subjungemus expositione hujus loci patebit.

Porrò non minor est difficultas, ac major etiam expositionum varietas, de igne; quem tertiò nominat Apostolus in hoc contextu. Quidam, ut Augustinus & Gregorius *suprà citati*, tribulationes intelligunt hujus vitæ: sicut in psal. 65. *Transivimus per ignem & aquam*. Sed id dici non posse, jam ostendimus, cum de die Domini ageremus.

Quis ignis intelligatur, an tribulationis, an pugatorij, an conflagrationis.

Alii ignem intelligunt gehennæ. Verùm & hoc facilè refellitur. Nam ignis ille non probat opus uniuscujusque, nec per eum salvus quisquam evadit: quod utrumq; de hoc igne Paulus affimat. Imò nec omninò probat ignis ille cujusquam opus: sed tantùm punit mala opera reproborum.

Plerique exponunt de purgatorio, quo post hanc vitam, & ante supremi judicii diem, animæ justorum à levioribus peccatis expurgantur. Pro qua sententia adducuntur etiam patres Latini, qui in consilio Florentino cum Græcis de Purgatorio disputarunt. *At verò* nec id dici posse videtur: tum propter ea quæ demonstrant diem non particularis judicij, sed universalis intelligi; cum hæc animarum purgatio pertineat ad judicium particulare; tum quia nec purgatorius ignis probat uniuscujusque opus, sed tantùm punit mala opera bonorum.

Alii ignem raptus seu conflagrationis intellexerunt: quo nimirum vel præcedente vel comitante Dominus venturus est ad judicium. Quem sensum rejiciunt quidam eo argumento, quod ignis ille non sit futurus communis bonis & malis: sed tantùm usturus sive inflammaturus inimicos Dei, ut dicitur *Psalm.* 96. Ignis autem de quo loquitur Apostolus, excepturus sit omnes, etiam eos qui aurum & argentum superædificant fundamento Christo.

Rursum alii existimant Apostolum non una significatione ignem accipere. Nam *primo* quidem loco conflagratione ignem intelligunt: *secundo* ignem interpretantur severum & justum Dei judicium, quo probantur & examinantur omnia hominum opera: *tertio* denique loco cum dicitur, ipsum hominem salvum fore, sic tamen quasi per ignem, intelligi volunt ignem purgatorium animarum post hanc vitam. Verùm aliis absurdum haud immeritò videtur Apostolum in uno contextu paucorum verborum tam variè loqui de igne. Ne facilè quisquam sibi persuaserit tertio loco purgatorium ignem animarum significari, si primo & secundo loco diversus ignis significatus fuerit.

Quare, ut in hac obscuritate Pauli mentem attingamus; imprimis apparet ignem uno modo in hoc contextu accipi debere. Non videtur autem uno modo accipi posse, nisi accipiatur vel pro severo Dei judicio, quomodo Cajetanus exponit; vel pro igne conflagrationis, velut illius judicij instrumento. Judicium autem Dei intellige, quatenus ei competit non solùm examinare & probare hominum opera, verùm etiam quæ mala invenerit punire. Etenim *primo* loco per ignem intelligi potest judicium in genere: *secundo* loco convenit judium probans & examinans: *tertio* loco judicium puniens & purgans. Hæc Cajetani expositio, quæ & aliorum quorumdam est, probabilitatem aliquam habet: ac favere videntur scripturæ, quæ Deum ut judicem igni comparant, & ignem appellant, ut Deut. 4. & Hebr. 12. *Deus ignis consumens est*. & Isaiæ. 33. *Quis poterit habitare cum igne devorante?*

Ignis uno modo hic accipitur.

An pro judicio Dei.

Verior sententia de igne conflagrationis.

Verùm multò probabilior est eorum expositio, qui ignem interpretantur instrumentum illius judicii, quem Theologi vocamus ignem conflagrationis. Ad hunc enim intellectum urgent omnia quæ diem Domini suadent intelligendum diem extremi judicii. Nam diem illum passim in scripturis per ignem, tamquam instrumentum justitiæ divinæ nobis describi, suprà docuimus. Quocircà arbitramur hîc Apostolum non de alio igne loqui, quàm de quo aliæ scripturæ diem Domini describentes loquuntur.

Nec obstat quod ignis de quo Paulus agit, talis intelligi debeat, ut ambo per eum transeant, & qui preciosa super fundamentum ædificaverit, & qui vilia, videlicet probaturus opus uniuscujusque. Quod etiam disertè testatur Augustinus *Ench.* 68. Nam unus & idem ignis, quo ut instrumento suæ justitiæ Christus judex utetur, probabit omnes: sed eos tantum purgabit, quos bonos quidem, sed adhuc impuros inveniet. Quos autē omninò puros & antè purgatos invenerit; eos illæsos ac doloris immunes, nihilque detrimenti passuros transmittet ad regnum: impios autem & inimicos Dei corripiet, inflammabit & cruciabit in æternum, sicut post Psalmistam expressiùs de eo scribit Apostolus 2. *Thess.* 1.

Erit igitur ignis ille & probatorius & purgatorius, & in æternum vindicatorius; sed diversorum respectu. Quemadmodum & ignis qui apud nos est, purum aurum tantum probat, impurum purgat, stipulas comburit. Atque ita sanè de igne novissimi diei senserunt veteres; ut Basilius *lib. de Spiritu-sancto cap.* 5. & in *expos. Isaiæ cap.* 4. *&* 9. necnon Hilarius canone 2. in Matth. ad illud capitis 3. *Ipse vos baptizabit in spiritu-sancto & igni.* Atque hos secutus Ambrosius, qui eadem scripturæ verba tractans in enarratione psalm. 118. serm. 3. ita scribit: *Post consummationem sæculi missis angelis qui segregent bonos & malos, hoc futurum est baptisma, quando per caminum ignis iniquitas exuretur, ut in regno Dei fulgeant justi sicut sol, in regno Patris sui. Et si aliquis ut Petrus sit, ut Joannes; baptizatur hoc igni*, & quæ sequuntur. Quæ eadem aliis verbis repetit *serm.* 20. *ejusdem operis*, etiam hunc quem tractamus Apostoli locum obiter allegans: ubi & hoc satis innuit, justis perfectè mundatis ignem illum nihil allaturum molestiæ.

De igne cōflagrationis testimonia veterum.

Verùm id apertiùs testatur Eucherius Lugdunensis homil. 3. de epiphania Domini his verbis: *Illic justi velut per amœnos gurgites, incendiis naturam suam mutantibus, transmeabunt: intacta ignibus corpora ipsis honorificanda pœnis, quia non sunt onerata peccatis. In illos enim sævis æstibus nil licebit, quos ante libidinum flamma non attigit: & quibus puritas contulit reverentiam, inferre nesciet rationabilis ardor injuriam. Sic trium puerorum fides atque justitia tenebrosos non sensit ignes: sed stupenda refrigeria in medio camini æstuantis invenit.* Hæc ille. Eadem Alcuini sententia est, qui *lib. 3. de Trinit. cap. 21.* ubi locum hunc Apostoli exponit de igne quidem purgatorio, sed eo quo peragetur extremi judicii examen, *Quem ignem*, inquit, *aliter impii sentient, aliter sancti, aliter justi.* Idque declarans dicit, sanctis, id est, iis qui purgatione non egebunt, ignem illum futurum, sicut fuit tribus pueris fornax Babylonis. Justos autem minutis quibusdam peccatis obnoxios, ejusdem ignis ardore purgandos. Utitur eadem comparatione trium puerorum Aug. *lib. 20. de civ. Dei, cap. 18. & in enarrat. Psal. 101.* ubi dicit: *Quod fuit caminus regis tribus pueris, hoc erit ardens mundus justis in Trinitate signatis.* Utuntur & alii, ut hoc loco commentator Amb. & Haimo, & ex Augustino Lombardus *in 4. sent. dist. 47.*

Esse autem hanc sententiam in ecclesia perantiquam, ex Lactantio omnibus quos adduxi vetustiore, comprobatur: qui *lib. 7. divin. institut. cap. 21.* de Christo per ignem judicaturo ita scribit: *Sed & justos cum judicaverit, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere vel numero prævaluerunt, perstringentur igni atque comburentur. Quos autem plena justitia, atque maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient. Habent enim in se aliquid Dei, quod vim flammæ repellat ac respuat*, &c.

Jam præter hos authores favent prædictæ expositioni nostræ plerique commentatorum, quos diem Domini tempus extremi judicii diximus interpretatos. Præterea non parum adjuvat hunc intellectum locus *epist.* 2. *Pet.* 3. ubi de igne conflagrationis mundi agit, maximè illis verbis: *Terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* Quod non de operibus, vel natura vel arte factis, sed de terrenis hominum actionibus, id est, peccatis exponit Oecumenius: ut ea significata sint opera, quæ sunt opposita justitiæ, de qua Petrus ibidem subjungit: *Novos verò cælos, & novam terram exspectamus, in quibus justitia habitat.* Qui sensus admodum sanè convenit cum hoc Pauli loco ubi opera mala dicuntur arsura sive exurenda. Est enim utrobique idem nomen & idem verbum in Græco. Inde verò colligit Petrus fideles satagere debere, ut sancti & immaculati inveniantur in illo die: ne videlicet in iis inveniat ignis ille, propter quod vel in æternum vel ad tempus ardeant. Ex scripturis probatio.

Ac tale quid etiam Malachias propheta cap. 3. significasse videtur, loquens de igne qui *purgabit filios Levi*, id est, ministros ecclesiæ, per quos fidelibus administratur doctrina salutis. De quibus propriè hîc Apostolum loqui superiùs ostensum est. Nam de purgatione, quæ per ignem futura est in die magni judicii, patres eum Malachiæ locum intellexerunt, Hieronymus *in comment.* Ambrosius *in expos.* Psalm. 36. August. *lib.* 20. *de civ. Dei, cap.* 25. Itemque Origenes *hom. 6. super Exodum.*

Quod si illam Domini sententiam Marc. 9. *Omnis igne salietur*, de eodem igne quis acceperit; non videbitur aberrare. Cum enim dixisset Dominus quosdam mittendos in gehennam ignis inexstinguibilis; ne mirum cuiquam videretur, subjecit generalem propositionem de bonis & malis, *Omnis enim igne salietur*: Id est, non solùm mali, verùm etiam boni igne velut sale perfricandi sunt: mali tantùm ut doleant, boni ut purgentur ac probentur: & purgati atque probati, ab igne ad regnum transeant. Quod significatum est in lege *Levit.* 2. quando victima quæ offerebatur ut Deo grata, tamen sale conspergi debuerit. Unde subjungit Dominus eodem loco: *Et omnis victima sale salietur.*

Nec verò huic interpretationi de igne ac die Domini quam dedimus, quamque etiam Thomas *in comment.* prosequitur, adversatur sententia patrum Latinorum concilii Florentini. Non enim negant sub generali nomine ignis purgatorii, etiam comprehendi purgatorium ignem conflagrationis; de quo propriè verum est: *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Nam purgatorius ignis animarum non probat aurum, argentum, lapides precioſos: quod faciet conflagratorius ignis.

Explicatio præsentis loci.

Jam his præmissis ad explanationem verborum Apostoli veniamus, quibus probat uniuscujusque doctoris opus aliquando manifestum fore. *Dies enim Domini*, inquit, *declarabit*, id est, dies ille quo Dominus ad judicandum vivos & mortuos venturus est, manifestum faciet opus uniuscujusque: nec id quomodocumque, sed adhibito severo & exacto operum examine: *quia in igne revelabitur*: scilicet ille dies, ut multi exponunt, id est, per ignem quemdam maximum & supra modum admirabilem atque terribilem, notissimum omnibus fiet diem illum esse, quo Dominus mundum judicare statuerit.

præsentis temporis verba quem usum interdū habeant.

Nec diversus erit sensus, si legas in præsenti, *revelatur*, ut in Græco est. Sæpè enim præsentis temporis verbum ponitur non ad significandam actionem

præsentem : sed professionem, doctrinam, opinionem, habitum, proprietatem, aut quid tale ; quomodo dixit beata Virgo, *Virum non cognosco* Luc. 1. & quomodo Sadducæi docuerunt non esse resurrectionem, Matth. 22. & quidam Corinthiorum dicebant: *Resurrectio mortuorum non est*, & *Mortui non resurgunt*, hujus epistolæ cap. 15. Sic enim & istud intelligi potest, *Dies Domini in igne revelatur*, id est, hoc aliquando futurum esse, habet doctrina & professio Christiana. Quidam inter quos Ambros. commentator & Oecumenius, verbum *revelabitur* non ad diem referunt, sed ad opus uniuscujusque, ut sit sensus : doctrinam vel opus cujusque quale sit, revelandum ac manifestandum per ignem, quo in illo judicio examinabitur.

Cui sensui benè convenit quod statim sequitur, *Et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Posset etiam percommodè referri ad Dominum ; nisi quis obstare putet Græcum textum ; in quo, sicut dictum est, genitivus *Domini* non exprimitur. Nam 2. *Thess.* 1. ipse Dominus Jesus revelandus dicitur in flamma ignis: *& 1. Petr. 1.* bis nominatur revelatio Jesu-Christi. Nominatur etiam 1. *cap. hujus epistolæ.* Sed & Christus de seipso, *Filius hominis*, inquit, *revelabitur.* Luc 17. Qua locutione etiam Antichristus suo tempore revelandus dicitur, 2. *Thessal.* 2. Diem autem revelari, non ita facilè reperias in scriptura : sed magis ei, sicut & luci, tribuitur manifestare res alias, *Joan.* 3. *Eph.* 5.

Et ad Græcum textum responderi posset vulgatam nostram lectionem fortassè sinceriorem esse hac in parte. Quod tamen ego temerè nolim affirmare, cùm ut dictum est, etiam veteres Latini scriptores & codices faveant Græcæ lectioni; ac de die revelando sensus tam Latinis quàm Græcis probatus nihil habeat incommodi. Sicut enim dies noster quotidianus illucescere dicitur ob solis exortum : ita convenienter intelligi potest à Paulo significatum, quod ille dies omnibus illucescet ignis exortu. Nam & sunt qui sic vertant, *quia cum igne illucescet.*

ET UNIUSCUJUSQUE OPUS QUALE SIT IGNIS PROBABIT. Hoc quidem peculiariter de doctrina ministrorum superædificantium fundamento fidei dicit Apostolus, quemadmodum etiam exponit commentator Amb. Sed tamen de cæteris omnibus omnium hominum operibus idem relinquit intelligendum, juxta alias scripturas, quæ omnium operum humanorum examen referunt ad diem extremi judicii. *Sensus est*: Eo ipso igne, quo revelabitur vel dies Domini, vel ipse Dominus, vel opus cujusque, tamquam instrumento justitiæ divinæ, quicquid doctrinæ superædificatum fuerit fundamento à ministris verbi Dei, severè examinabitur : sive illud sit ut aurum, argentum, lapides precioſi, sive ut ligna, fœnum, stipula. Unde sequitur.

Omnium opera per ignem examinanda.

14. SI CUJUS OPUS MANSERIT QUOD SUPERÆDIFICAVIT ; MERCEDEM ACCIPIET. *Manserit*, Græcè μένει *manet.* Ordo verborum & sensus est: Si cujus opus quod superædificavit, permanserit illæsum ab igne, utpote purum, sanctum & irreprehensibile, quomodo purum aurum ab igne non læditur ; pro eo opere ipse ædificator mercedem recipiet à judice Christo. Itaque tali structori ignis ille, quantum ad ejusmodi opus attinet, nullum inferet cruciatum aut dolorem ; quia nihil in eo inveniet purgandum. Hic rursus observa mercedem operum bonorum apud Deum, contra sectarios : & disce, contra eosdem, quædam esse fidelium opera adeò pura, ut ignem severi judicii Dei sustinere queant.

Nota contra Sectarios, de Mercede operum bonorum.

15. SI cujus opus ARSERIT ; DETRIMENTUM PATIETUR. Græcè, *Si cujus opus comburetur*, *damnificabitur.* Et sensus est : Si cujus opus quod superædificavit, (id enim repetendum ex priori membro) ab igne correptum & combustum fuerit, quomodo ligna, fœnum, stipula comburi solent ab igne, (ad hæc enim respicit) hoc est, si malum ac reprehensibile inventum fuerit, ideoque pœna dignum ; ipse ædificator detrimentum hujusmodi operis patietur, nihil pro eo mercedis accepturus, sed magis propter illud ab igne cruciandus. Nonnulli, inter quos Cajetanus, illud *damificabitur*, seu *detrimentum patietur*, dictum putant de opere, non de operante. Sed id minus rectè. Non enim opus ipsum, quod comparatur lignis, fœno, stipulæ, detrimentum ab igne patietur, sed prorsus consumetur. Ipse verò operans damnum passurus est, & dispendium facturus sui operis ac laboris: quomodo mercator damnum patitur suarum mercium, dum eas in mare projicit, ut ipse evadat.

IPSE AUTEM SALVUS ERIT ; SIC TAMEN QUASI PER IGNEM. *Salvus erit*, Græcè σωθήσεται, *salvabitur*, *salvus fiet.* Item *sic tamen*, οὕτως δὲ, *sic autem.* Erasmus, *Sed sic tamquam per ignem.* Chrysost. & ejus sequaces, qui ligna, fœnum, stipulam interpretati sunt opera digna incendio gehennæ; censent eum qui hujusmodi opera superædificavit fundamento fidei Christianæ, salvum fore per ignem, quia quamvis in ignem gehennæ mittendus sit, numquam tamen consumetur, sed semper in igne servabitur, vel, ut aiunt, asservabitur ac superstes erit, recens semper ad pœnam. Sed hæc profectò coacta est interpretatio. Nec enim usus loquendi id habet, nec usquam scriptura sic loquitur, ut salvus dicatur qui superstes est in malis. Quin potiùs tales & vulgo & more scripturæ periisse dicuntur. Quo genere argumenti commentarium hunc Græcorum, patres Latini in Concilio Florentino refutarunt.

Quid salvum fore per ignem.

Græcorum sententia improbatur.

Adde, quod si bona est Græcorum expositio : fatendum erit omnes reprobos sine exceptione, tam angelos, quàm homines, salvos fore per ignem : nec quicquam hîc peculiariter ab Apostolo dictum esse de malis ædificantibus super fundamento quod est Christus. *Accedit* quod Græcum verbum σωθήναι non significat (usu præsertim scripturæ sacræ) servari aut conservari; sed salutem adipisci : quod ecclesiastico more dicimus salvari. Jam verò perabsurdè dixeris, hominem per hoc quod semper in igne positus semper ardet, etiamsi numquam consumatur, salutem consequi. *Denique* si id quod Græci volunt, sensisset Apostolus ; non dixisset hujusmodi hominem salvum fore per ignem, sed in igne. Dicens enim *perignem*, transitum significavit, non mansionem; sicuti Psalm. 65. *Transivimus per ignem & aquam : & eduxisti nos in refrigerium.* Sanè ita dictum est hoc loco, *salvus erit*, sicut infrà cap. 5. dicitur, *ut spiritus salvus sit in die Domini*, & quomodo Petrus dixit 1. epist. 4. *Justus vix salvabitur.*

Sunt & aliæ hujus loci expositiones apud Græcos, quas recitat Oecumenius ; quarum una est, ut illud, *ipse salvus erit*, significet quidem salutem vitæ æternæ : sed referatur, non ad eum cujus opus arserit, sed cujus opus manserit; Atque is salvus fore dicatur per ignem, vel quia bonus doctor nihil detrimenti passurus sit ab igne quo doctrina ejus bona & pura explorabitur ; etiamsi illam auditor contempserit: quæ expositio est Theodoriti ; vel quia justus quisque salvus erit non sine igne purgationis ; propterea quod etsi superstruxerit fundamento aurum, argentum, lapides precioſos ; tamen sine peccatis non vixerit.

Aliæ expositiones.

Verùm & hæc interpretatio coactior est, propter hyperbaton non necessarium. Nec enim erat cur de eo cujus opus manserit, diceretur eum salvum futurum ; cum de ipso jam dictum esset, *mercedem accipiet.* Sed quia de eo cujus opus arsurum sit, dicebat, *detrimentum patietur*: ne propter hoc putaretur periturus, addidit, ut rem explicaret, eum salvum fore per ignem.

Erit fortè qui putabit hanc partem ; *Ipse salvus erit quasi per ignem*, referri posse ad fundamentum

(θεμέλιον, maſculini generis) ut ſit ſenſus: Fundamentum illud ſervabitur, & inconcuſſum manebit; ſervabitur, inquam, velut per ignem; id eſt, in ipſa operum ſeu doctrinæ cujuſque examinatione tandem apparebit ejus fundamenti firmitas; quando opera ſeu dogmata ei conſentanea per ignem probata refulgebunt, diſſentanea verò in fumum & cinerem abibunt. *Sed non placet hic ſenſus*: tum quia (fundamentum) longius præceſſit, quàm ut illuc commodè pars iſta referatur; tum quia fundamento non convenit σωθῆναι *ſalvari*, juxta ſignificationem hujus verbi paulò antè declaratam. Poſtulat quoque ſermonis ſeries, ut ad eumdem referantur detrimentum pati, &, ſalvum fieri, id eſt, ad ſuperædificantem.

Venio ad Latinos Auguſtinum & Gregorium, qui *locis anteà citatis*, hunc ignem interpretantur afflictionis in hoc ſæculo: ut *ſenſus* ſit, eum qui venialia peccata fundamento quod Chriſtus eſt, ſuperſtruxerit, ſalvum fore ſalute æterna, non tamen ſine igne temporalium afflictionum, quibus neceſſe ſit eum à terrenis affectibus ac levioribus peccatis illo igne conſumendis, quæ per ligna, fœnum, ſtipulam ſignificantur, expurgari. Qui quidem ſenſus perſpicuitatem habet: ſed cur huic loco minus quadret, ſuperiùs expoſitum eſt.

Senſus hujus loci maximè probabilis.

Ut igitur quod maximè probabile eſt, adferamus; ſecundùm ea quæ dudum de igne præfati ſumus, *hic erit ſenſus*: Doctor ille qui ligna, fœnum, ſtipulam ſuperædificaverit fundamento Chriſto; detrimentum operis ſui patietur ab igne, ipſe tamen non peribit cum opere ſuo, quia fundamentum in doctrina ſua retinuit; ſed ſalutem conſequetur: ſic tamen, ut non niſi per ignem, quo urendus atque purgandus ſit, ad ſalutem perveniat: quemadmodum mercator, utantè dixi, non niſi cum jactura rerum ſuarum quas amat, nec ſine dolore amittit, è tempeſtate maris evadit. Eſt enim hoc quadantenus ſimile. Ex hac declaratione etiam liquet illud *quaſi* vel *tamquam* non obſtare quò minùs verus ignis intelligatur: atque idem omninò de quo priùs locutus fuerat Apoſtolus. Nam dicendo *ſic*, *qua*, modum ſalvationis ſignificare voluit, non comparationem adhibere.

Quaſi, tamquam, non ſemper cõparativè ſumuntur.

Conſtat enim illa adverbia *quaſi*, *tamquam*, frequenter accipi ſpecificativè, ut loquuntur, non comparativè; idque etiam in ſcripturis, quemadmodum & Gregorius obſervavit *lib. 25. moral. cap. 10.* adferens hoc exemplum Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, quaſi unigeniti à Patre*, tametſi non longè petenda nobis ſunt exempla; cum hoc ipſo capite dicat Apoſtolus Corinthiis: *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus*, quos tamen verè carnales fuiſſe declarant illa quæ ſequuntur, *Adhuc enim carnales eſtis*, &c. Item initio capitis ſequentis: *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*; cùm utique verè tales eſſent, quorum in perſona hoc dicit Apoſtolus. Eſt autem illic in Græco idem utrumque adverbium, quod hoc loco, οὕτως ὡς, *ſic*, *tamquam*. Ex quo patet etiam hîc verti potuiſſe, *Sic tamen ut per ignem*, quod planius eſt. Rurſus ſimile illud cap. 7. *Conſilium do, tamquam miſericordiam conſecutus.*

Quod ſi cui comparativè dictum videatur *quaſi per ignem*, non ideò tamen veritas ignis tolletur: ſed comparatio erit ſalvationis hominis per ignem, de quo priùs fuerat locutus, cum ſalvatione rerum inanimatarum, quæ apud nos per ignem purgantur; ut ſenſus ſit hujuſmodi. Salvus evadet detrimentum ab igne paſſus, ſicut apud nos aurum impurum, vel quid aliud, ſordibus igne excoctis & conſumptis evadit incolume. Sed prior ſenſus magis reſpondet iis quæ præcedunt, ut de eodem igne ſermo ſit per totum contextum.

Hactenus locum difficillimum, Deo adjuvante, conari ſumus pro viribus explicare; idque potiſſimùm ex aliis ſcripturis, quæ aliquid ſimile cum hoc loco habere videbantur. Tractarunt etiam hunc locum accuratè viri doctiſſimi, Cardinalis Bellarminus *libr. 1. de purgatorio cap. 4.* Joannes Lenſæus *item de purgatorio, cap. 15. 16. & 17.* & Henricus Vicus *lib. de deſcenſu Chriſti ad inferos ſect. 30.* Tractat etiam S. Bonaventura *ſcribens in 4. ſent. diſt. 21. ad textum Magiſtri.* Quos authores ſi non per omnia ſecuti ſumus, nemo miretur: quia nec ipſi inter ſe per omnia conſentiunt: & licuit nobis ut in obſcuro loco, ex variis quæ legimus, conſectari quod viſum eſt probabilius. Nunc pro majori intellectu totius commentarii, breviter expediendæ nobis ſunt aliquot quæſtiones, quæ circa illum moveri poſſunt.

Quæſtio. quando futurum quod hic dicit Apoſtolus.

Prima quæſtio eſt. Quando futurum ſit illud quod dicit Apoſtolus, *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Reſpondeo ſecundùm ſuperiora, id futurum in die Domini, id eſt, extremi judicii: de quo & illud dictum infrà cap. 5. *ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini.*

Quæſtio 2. quomodo opera probanda igne materiali.

Secunda quæſtio. Quomodo ignis ille judicii extremi probaturus ſit uniuſcujuſque opus; cùm opera ſint tranſitoria, quæ utique poſtquam tranſierint, ab igne materiali probari non poſſunt. Quo argumento nonnulli moventur, ut exiſtiment eo ſaltem loco, *Uniuſcujuſque opus ignis probabit*, non poſſe intelligi ignem aliquem materialem, ſed intelligi debere ipſum ſeverum Dei judicium, quo ſingulorum opera expendantur & examinentur. Reſpondeo hoc ipſum examen operum futurum per ignem velut inſtrumentum judicii Dei.

Quare ſicut quæ dudum præterierunt, ſubire poſſunt ſeverum Dei examen, in quantum homo, qui ea operatus eſt, propter illa examinatur, punitur, purgatur, illuſtratur, vel etiam damnatur: (unde ſecundùm ſcripturas opera dicuntur ſequi hominem in retributione vitæ futuræ, ut *Apoc. 14.* ſic & per ignem eadem opera probantur, inquantum totius examinis inſtrumentum eſt ignis, non afflicturus niſi eos qui digni ſunt. Nam internum & inviſibile Dei circa unumquemque hominem judicium atque cenſura, ſuis effectis in illo igne manifeſtabitur.

Ubi prætereà notanda eſt ſcripturæ phraſis, qua non ſolùm homines qui peccaverunt, purgari dicuntur, quando pœnæ alicujus interventu peccata eis remittuntur; verùm etiam ipſa opera, id eſt, peccata dicantur purgari, quando remittuntur; ut Hebr. 1. *purgationem peccatorum* (καθαρισμὸν) *faciens.* Iſa. 1. *Peccata veſtra ſicut nix dealbabuntur.* Convenienter ergo, ſecundùm ſcripturas, non ſolùm puniri, ſed & probari dicuntur opera hominum per ignem materialem.

Quæſtio 3. quomodo probetur ex hoc loco purgatoriũ animarum.

Tertia quæſtio. An & quomodo probetur ex hoc loco purgatorium animarum poſt hanc vitam. Si enim opus uniuſcujuſque probabit ignis, atque ea probatio demum futura eſt in die Domini; & ad eumdem diem referendum eſt illud, *Salvus erit quaſi per ignem*; non modò non videtur ex hoc Apoſtoli loco conſtrui purgatorium animarum ſtatim à morte corporum, verùm etiam deſtrui; cùm tota purgatio reſervetur extremo judicio. Atqui purgatorium ex hac ſcriptura Latini patres in concilio Florentino, licet Græcis diſſentientibus, ſtatuendum putaverunt. *Reſpondetur*, imprimis ex hac ſcriptura ſecundùm datam à nobis interpretionem manifeſtè haberi contra ſectarios, quod in futuro ſæculo quædam peccata remittenda ſint, ſcilicet eorum qui purgabuntur & ſalvi fient per ignem. Neque ſequitur ex igne purgatorio noviſſimi diei, nullum relinqui purgatorium animarum ante illum diem; quomodo nec ſequitur ex purgatorio animarum, nullam in hac vita fieri purgationem. Nam ignis ille, ſicut Apoſtolus dicit, probabit quidem uniuſcujuſque opus quale ſit; non tamen purgabit, niſi quod invenerit nondum expurgatum.

Nam quæcumque peccata vel in hac vita per satisfactionem, vel post hanc vitam in pœnis animarum expiata ac plenè remissa fuerint; non illo igne novissimo absumentur; sed tamen quid anteà factum fuerit, etiam eodem probatorio igne manifestabitur.

Ex generali judicio relinquitur intelligendum particulare.

Prætereà sciendum, quod sicut scriptura sæpè ex generali judicio vult intelligi particulare; & ex die novissimo quo omnes judicabuntur, vult intelligi diem mortis cujusque, quo singuli judicantur: ita ex igne qui faciem Christi judicis anteceſſurus est ad universale judicium, & purgaturus quicquid illo tempore purgandum restabit; intelligendum relinquit ignem aliquem, quo statim post hanc vitam ad purgandas animas particulare judicium exerceatur. Itaque hac ratione pœna purgatoria animarum ex hoc Pauli loco benè & solidè colligitur.

Quæstio.

Sed cur Apostolus omissa mentione purgationis animarum quæ fit medio tempore loquitur tantùm de igne extremi judicii? *Primùm*, quia non de animabus solis, sed de hominibus anima & corpore constantibus sermo erat. Unde & universalis judicii multò sæpiùs mentionem habemus in scripturis, quàm particularis; quod nimirum de judicio quo judicabuntur homines, agant scripturæ. *Deinde* quia solet Apostolus de se & aliis viventibus sic loqui, tamquam adventus Domini ad judicium, ipsos viventes esset occupaturus. Unde dicit cap. 15. hujus Epistolæ, *Mortui resurgent incorrupti: & nos*, id est, qui viventes reperiemur, *immutabimur*, & 1. Thessal. 4. semel & iterùm, *Nos qui vivimus, qui residui sumus*, &c. Sic igitur & hoc loco de doctoribus Corinthiorum loquitur, quasi viventes eos deprehensurus esset dies Domini. Quare consequenter non de purgatorio animarum, sed de igne illius diei omnium opera probaturo, loquendum illi fuit.

Responsio.

Quæstio 4.

Quarta quæstio. Si de solis Doctoribus, uti dictum est, loquitur Apostolus, quomodo generaliter hinc statuitur purgatorium omnium qui peccatis obnoxii in gratia decesserint? Sed facilis est responsio; de cæteris hominibus eamdem esse rationem quam de doctoribus. Sicut enim Doctores fundamento superædificant doctrinam: ita cæteri fideles in seipsis quodammodo superædificant bonas aut malas actiones, igne similiter explorandas.

Responsio.

Quæstio 5. de ædificantibus super fundamentum Christum.

Quinta quæstio. Quomodo rectè distinguat Apostolus inter ædificantes super fundamentum Christum; quod alii superædificent aurum, argentum, lapides pretiosos: alii ligna, fœnum, stipulam; cùm sit omnibus bonis Doctoribus commune, bonam doctrinam superaddere fundamento fidei; ac nihilominus interdum per ignorantiam vel humanum affectum docendo delinquere: dicente Jacobo cùm ageret de magistris cap. 3. *In multis offendimus.* Propter quod & generaliter dictum est à Petro 1. Epist. 4. *Justus vix salvabitur.* Unde ut exacta sit distinctio, redeundum videbitur ad commentarium Græcorum, qui putant Apostolum distinguere inter bonos & malos Christianos.

Paulus distinguit opera, & ex consequenti personas.

Dicendum, Apostoli intentionem esse, non tam personas distinguere, quàm opera. Dicit enim uniuscujusque opus manifestum fore; &, uniuscujusque opus quale sit, igne probandum. Ex consequenti tamen etiam personas, id est, operantes distinguit, loquendo de operantibus formaliter, id est, quoad talia opera, seu talem doctrinam, quæ vel auro, vel argento, vel fœno possit comparari. Quare per accidens in uno eodemque operante futurum est, ut aliud opus ejus maneat, & aliud ardeat; sicque idem ipse pro uno mercedem accipiat, alterius verò detrimentum patiatur, salvandus per ignem, si non anteà plenè fuerit purgatus. Quod idem de cæteris bonis fidelibus, eorumque operibus, intelligendum.

Personarum absoluta distinctio.

Quod si tamen personas absolutè distingui quis contendat (quod non est improbabile:) poterunt per eos qui superædificant aurum, argentum, lapides pretiosos, intelligi doctores ac prædicatores verbi divini, quibus omne studium est pura solidaque doctrina, & bonis vitæ exemplis, ædificare populum Dei; per eos verò qui superædificant ligna, fœnum, stipulam, ii qui suæ doctrinæ multa admiscent incerta, curiosa, vana, frivola, jucunda magis quàm utilia, in multis placere magis quàm prodesse volentes, nec admodum intenti in hoc, ut sanctæ conversationis exemplo bonam doctrinam confirment.

Jam si ad cæteros quoque bonos fideles cum Augustino Pauli doctrinam extendamus, tum ex ejusdem Augustini sententia per eos qui res pretiosas superædificant, intelligi poterunt homines secundùm modum hujus vitæ perfectam justitiam assecuti: quorum animus non ita rebus terrenis atque temporalibus afficitur, quin sine dolore possint eas amittere; qui sunt habentes tamquam non habentes. Per eos verò qui vilem materiam superædificant, homines juxta præsentis vitæ modum imperfectè justi, quorum animus adhuc affixus est rebus hujus mundi, ut non eas sine dolore relinquant aut amittant: quo fit ut in plurimis delinquant. Unde quamvis nec illi priores propter minuta peccata, sine quibus nec perfectorum vita ducitur, omninò liberi sint à purgatione ignis; hos tamen posteriores ignis ille multò acriùs ac diutiùs aduret; quia quasi multò tenacius hæret, quod habent expurgandum. Hoc ferè modo personarum superædificantium differentiam explicat S. Thomas, tam de doctoribus propriè, quàm de fidelibus in universum.

Quæstio 6. Purgatio in die judicii futura quomodo intelligenda.

Postremò quæri potest, quomodo secundùm prædicta purgatio futura sit ipsorum hominum in die generalis judicii, cum post resurrectionem, omnium electorum corpora futura sint impassibilia. *Quidam* respondent electorum corpora immortalitate donata, fore ad tempus passibilia, scilicet eorum quibus aliquid restabit purgandum. Sed id mihi videtur haud consentire cum iis quæ Paulus de corporibus electorum resurgentium tradit hujus *epist. cap.* 15. Meliùs proinde respondetur, totam illam purgationem quæ per ignem fiet in consummatione sæculi, perficiendam esse ante communem resurrectionem. Quod tamen tempus, secundùm scripturas, comprehensum intelligi debet sub generali nomine illius diei, quo creditur ad judicium venturus Christus Dominus. Et quidem perseverabit ignis ille etiam facta mortuorum resurrectione, & ipso judicio durante: quia judicabitur sæculum per ignem: sed ita ut electos à resurrectione jam impassibiles ignis haudquaquam ulla molestia sit affecturus: sed solos reprobos, quos eosdem peracto judicio in densitatem se colligens, involvet ac secum rapiet ad intima terræ æternum cruciandos.

Omnis purgatio fiet ante generalem resurrectionem.

Hæc consentanea sunt, ut arbitror, testimoniis scripturæ, & patrum superiùs adductis de hoc igne. Quare nec purgatio fiet ulla per ignem post resurrectionem; sed omnis ante illud judicium perficietur: quemadmodum & August. disertè testatur *libr. 21. de civit. Dei, cap. 13. & 16.* Verùm de tota hac re nos plura & ex professo *super 4. dist. 47.* ubi de igne conflagrationis ejusque effectibus disputatur à Theologis. Ad quem locum remittenda sunt & alia quædam dubia, quæ hîc possent moveri.

16. NESCITIS QUIA TEMPLUM DEI ESTIS; ET SPIRITUS DEI HABITAT IN VOBIS? Postquam egit Apostolus de ædificantibus super fundamentum quod est Christus: nunc insurgit adversum malos doctores, qui fundamentum evertunt & ædificium destruunt. Facit autem id obliquè, ipsos fideles qui templum Dei sunt alloquendo. Nescitis, inquit, vos esse templum Dei, & spiritum Dei habitare in vobis? Quos suprà vocavit ædificium Dei, nunc vocat templum Dei, ratione addita quia spiritus Dei in eis

Quid Spiritum-ſanctum in nobis habitare.

habitaret. Nam copulans conjunctio pro cauſali ponitur, ut alibi ſæpè. Dicitur autem in nobis habitare Spiritus ſanctus, quando gratam ſibi in nobis facit manſionem : quod fit per ejus dona gratificantia, fidem, ſpem, charitatem, opera bona.

Spiritus S. Deus.

Clarè monſtrat hic locus contra Macedonios, Spiritum-ſanctum eſſe Deum : tum quia poſterior pars expoſitio prioris eſt ; tum quia ſolius Dei inhabitatio templum Dei facit. Quo argumento ad id probandum utitur Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 21. Illud etiam obſerva, Paulum hîc non alloqui ſingulos fideles : tamquam unuſquiſque ſcire debeat ſe eſſe templum Dei. Sic enim potiùs dicendum erat: neſcitis quia templa Dei eſtis ? Sed compellat eccleſiam fidelium ; quam omnes ſcimus ac ſcire debemus eſſe templum Dei : licet non omnia ejus membra ſic vivant.

17. SI QUIS AUTEM TEMPLUM DEI VIOLAVERIT, DISPERDET ILLUM DEUS. Particulam *autem* interpres addidiſſe videtur de ſuo. Nam in Græco & Syriaco nihil reſpondet. Cæterùm in Græco verbum idem repetitur, non ſine gratia alluſionis, φθείρει, φθερεῖ. *Si quis templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus. Quod verbum* (ait Auguſtinus ſcribens contra epiſtolam fundamenti cap. 39.) *metuentes multi Latini interpretes, noluerunt dicere corrumpet ; ſed diſperdet illum Deus : & non deviantes à reipſa, offenſionem vocabuli devitarunt.* Attamen & alibi legit Auguſtinus *corrumpet*, ut *lib. 3. de lib. arbit. cap. 14. & lib. de decem chordis cap.* 10. Sic & Hieronym. hunc locum citat *in comment. epiſtolæ ad Epheſ. 4. & in epiſt.* 83. quæ eſt ad Oceanum. Tertulianus quoque, eodem verbo retento, ſic reddit : *Si quis templum Dei vitiaverit, vitiabit illum Deus.* lib. de pud. cap. 16. & 18. & lib. 5. contra Marc. cap. 6. Quidam vertunt ; *Si quis templum Dei profanat.* Sed hoc verbo non plenè exprimitur mens Apoſtoli.

Comminatio adverſus falſos doctores.

Nam *ſenſus eſt* : Si quis per falſam doctrinam ſubvertit fundamentum ſpiritualis ædificij, atque ita deſtruit ipſum ædificium ſeu templum Dei : is non exiſtimet ſe ſalvum fore per ignem, ſed planè periturum. Diſperdet enim illum Deus : quia nimirum æterno ignis ſupplicio deſtructorem illum ſui templi puniet. Græci locum hunc exponunt de eo qui templum Dei, id eſt, corpus ſuum corruptelis libidinum proſtituendo profanat. Juxta quem ſenſum *infrà cap. 6.* contra fornicatores in corpus ſuum peccantes, dicit, *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus-ſancti, qui in vobis eſt ?* Sic & Auguſtinus intellexit ob alterius loci ſimilitudinem. Sed hujuſmodi intellectus præſenti loco non eſt accommodus.

TEMPLUM ENIM DEI SANCTUM EST, QUOD ESTIS VOS. Ratio ſententiæ ſuperioris : ac ſi dicat : Sacrilegium committit ille templi Dei violator ; utpote rem ſanctam, id eſt, Deo conſecratam corrumpens ; ideoque dignus quem Deus ultor injuriæ templi ſui diſperdat. Græcè quidem habetur, *qui eſtis vos.* Sed idiotiſmus eſt, ſenſum non mutans. Unde & alij vertunt, *quod eſtis vos.* Hoc autem addit Apoſtolus, ut explicet metaphoram templi : ſimul innuens argumentum à minori, videlicet ſumptum à ſanctitate templi materialis ; cujus violatio capitalis eſt.

18. NEMO SE SEDUCAT. Græcè, *Ne quis ſeipſum decipiat.* Quidam codices etiam antiquiores, habent: *Nemo vos ſeducat.* Sic enim & Thomas legit & exponit. Verùm doctè Lyranus annotat ex Græco & Latinis emendatioribus legendum eſſe, *Nemo ſe ſeducat.* Mutandæ lectionis occaſio fuit ex aliis aliquot locis, ut *Epheſ. 5. Coloſſ. 2. Joan. 3.* Loquitur autem Apoſtolus de iis qui cum eſſent imbuti ſapientia ſæculari, magiſtros fidelium ſeſe venditabant ; quorum quidam, ut dictum eſt, boni erant, ſed imperfectè ; quia ſuper fundamentum Apoſtolicum ædificabant lignum, fœnum, ſtipulam : alij verò ſimpliciter mali, quos ut templi Dei corruptores proximè notaverat. Igitur utriſque dicit ; nemo ſeipſum fallat, confidens ac ſibi placens in ſua ſapientia : quaſi non ſit paſſurus ea quæ dixi, ſi vel inutilia doceat vel pernicioſa. Senſum hunc verba ſequentia confirmant.

SI QUIS VIDETUR INTER VOS SAPIENS ESSE IN HOC SÆCULO. Interpres ordinem verborum mutavit, ut ſenſum redderet clariorem. Nam Græcè eſt, *Si quis videtur ſapiens eſſe inter vos in hoc ſæculo.* Quamquam illud εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι, poteſt etiam ſic verti : *Si quis videtur ſapiens eſſe*, quomodo Eraſmus & alii verterunt, vel, *ſi quis ſe putat ſapientem eſſe* ; quomodo noſter interpres Græcum verbum alibi reddit, ut Luc. 8. *Quod putat ſe habere, auferetur ab illo.* & Jac. 1. *Si quis putat ſe religioſum eſſe*, & hujus epiſtolæ cap. 8. *Si quis ſe exiſtimat ſcire aliquid.* Tale & illud cap. 7. *Puto quod & ego ſpiritum Dei habeam.*

STULTUS FIAT UT SIT SAPIENS. In Græco idem verbum repetitur, γενέσθω, γένηται. Proinde conformiter ita vertas, *Stultus ſit, ut ſit ſapiens* : vel potiùs *Stultus fiat, ut fiat ſapiens.* Senſus enim periodi eſt : Si quis inter vos reputatur ut ſapiens hujus ſæculi, aut ſeipſum reputat talem ; id eſt, ſapientia ſæculari inſtructum, qua videatur idoneus ad docendum alios ; *ſtultus fiat*, id eſt, doctrinæ Chriſtianæ, quæ ſtultitiæ eſt incredulis, ut primo capite dictum eſt, penitus ſe ſubjiciat, & intellectum ſuum in obſequium fidei captivet ; ita futurum ut verè ſecundum Deum ſapiens fiat. Beatus quidem Cyprianus *lib. de bono patientiæ, & lib. 3. teſtimoniorum cap.* 69. illud *in hoc ſæculo* refert ad ſequentia. Sic enim legit : *Si quis putat ſapientem ſe eſſe in vobis, mundo huic ſtultus fiat, ut fiat ſapiens.* Sed meliùs ad præcedentia refertur. Ubi enim Apoſtolus intelligi ſapientiam hujus ſæculi, quam contempſit 1. & 2. cap. & hic rurſus contemnit verbis ſequentibus.

Sapiens hujus ſæculi ſtultus fiat ut fiat ſapiens.

19. SAPIENTIA ENIM HUJUS MUNDI STULTITIA EST APUD DEUM. Cauſa cur ſibi non debeat quiſquam placere in ſapientia ſæculari ; quia nimirum hæc ſapientia, apud Deum ſtultitia eſt, id eſt, res contemptibilis ac reproba ; tum quia Deus adminiculo ſapientiæ ſæcularis uti non eſt dignatus in propagando Evangelio ; tum quia tota ſapientia humana per ſe nihil confert ad negotium ſalutis. Simili ſenſu dictum eſt cap. 1. *Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi ?*

Hujus mundi ſapientia apud Deum ſtultitia eſt.

SCRIPTUM EST ENIM. Quod dixit ſapientiam mundi hujus eſſe ſtultitiam apud Deum, duobus teſtimoniis confirmat, quorum prius ſumptum eſt ex libro Job. cap. 5.

COMPREHENDAM SAPIENTES IN ASTUTIA EORUM. *Comprehendam*, Græcè ὁ δρασσόμενος *comprehendens*, ſive *qui comprehendit* : Hieronymus ex Hebræo, *qui apprehendit :* pro quo LXX. ὁ καταλαμβάνων, *qui comprehendit.* Apud Cyprianum locis citatis legitur, *reprehendam* (aliter, *reprehendens*) item apud Ambroſium commentatorem & Sedulium : nec malè ſi verbum hoc propriè ſumas. Nam ἁρπάσεσθαι (quod annotat Eraſmus) eſt *fugientem è curſu reprehendere, manuque injecta capere :* tametſi id Hebræa voce non ſignificatur. Senſus Apoſtoli : Deus deprehendit, detegit, eludit omnem aſtutiam ac verſutiam ſapientum hujus ſæculi. Sapientiam eorum ſtultitiæ convincit : dum ſcilicet oſtendit ejuſmodi ſapientiam non poſſe præſtare id quod promittit ; hoc eſt, nihil prodeſſe ad benè beateque vivendum.

Quidam ſic : Capiet eos ſuis ipſorum vafris conſiliis tamquam laqueis : quomodo capti fuerunt fratres Joſeph ; Pontifices Judæorum, & ipſe diabolus : qui ſuis conſiliis promoverunt id quod volebant impedire. Sed prior ſenſus magis ſervit intentioni Pau-

linæ. Porrò sunt quidem hæc verba quæ Paulus citat, non ipsius Job, sed Eliphaz amici ejus; & proinde non habentia scripturæ divinæ authoritatem: Rectè tamen ab Apostolo pro testimonio adducuntur; utpote verba cujusdam sapientis, cui meritò credendum sit, differenti contra sapientiam hujus sæculi.

20. ET ITERUM. Subaudi, scriptum est. Sumptum hoc ex *Psalm.* 93.

DOMINUS NOVIT COGITATIONES SAPIENTIUM, QUONIAM VANÆ SUNT. *Quoniam* pro *quod*. Et sensus est: Dominus novit cogitationes & consilia hominum qui sibi sapientes esse videntur, vana esse, & inutilia ad finem quem spectat, id est, ad vitam beatam. Omnes enim sapientes beatitudinem promittunt. In Psalmo non est *sapientium*, sed *hominum*. Verum Apostolus versiculum Psalmi suo accommodans instituto, generale vocabulum hominum, restrinxit ad sapientes. Quamquam in Psalmo non omnes homines significantur, sed ij tantùm qui humana sapiunt.

Non esse gloriandum in hominibus.

21. NEMO ITAQUE GLORIETUR IN HOMINIBUS. Epilogus est, quo redit ad primam propositionem: non esse in magistris gloriandum. Generaliter autem dicit, *in hominibus*: quia si in magistris gloriandum non est; utique nec in cæteris hominibus: argumento à majori. Tacitè verò significat Corinthiorum quosdam in magistris gloriatos fuisse, propter eorum sapientiam sæcularem, qua fuerant inaniter delectati. Nam de hac sapientia proximè egerat. Simul insinuat, inter illos magistros fuisse non solùm qui salvo evangelij fundamento docerent inutilia: verùm etiam nonnullos qui fundementum ipsum per humanæ sapientiæ doctrinam everterent, *ac si dicat*: Cum tanta sit vanitas humanæ mundanæque sapientiæ: indignum est, ut in hominibus istam sapientiam tradentibus, tamquam magistris vestris gloriemini, vosque jactetis eorum discipulos: quando nec in ullo homine gloriandum est, quicumq; ille sit aut qualiscumque: sive Paulus, sive Apollo, sive Petrus, ut statim subjicit. Hujus autem rei generalem subjungit rationem, qua nimirum doceat, nec in illis gloriandum esse. Quæ ratio sumpta est, ait Thomas, *ex dignitate fidelium Christi*.

Omnia propter electos.

22. OMNIA ENIM VESTRA SUNT. Hoc est, omnia propter vos sunt, & ad vestram ordinantur utilitatem. Nullus autem rectè gloriatur de iis quæ sunt propter ipsum; quoniam hac ratione inferiora sunt ipso. Propter vos autem, intellige electos. Horum enim gratia sunt omnia. Quæ verò dixerit *omnia* deinceps enumerando declarat.

SIVE PAULUS, SIVE APOLLO, SIVE CEPHAS. Primùm nominat ministros Evangelij, atque eo ordine quo nominaverat eos capite primo. Cujus ordinis rationem illic exposuimus. *Sive Paulus*, inquit, qui plantavit, *sive Apollo*, qui rigavit: *sive Cephas*, id est, Petrus: quamvis Apostolorum princeps, & ut ait Thomas, *universalis Pastor ovium Christi*. Nam hi non aliud sunt quàm *ministri per quos credidistis*, uti suprà dixit; & paulò post repetit, dicens: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi*. Nec solùm Christi sunt ministri, sed & ipsorum fidelium, quatenus ipsorum ministerium subservit fidelium utilitati. Sic enim ait 2. Cor. 4. *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos vestros per Jesum*.

Apostoli fidelium ministri.

SIVE MUNDUS. Id est, universa corporea creatura, quæ sine dubio propter electos est. Tale quid etiam legitur in Apocrypho libro qui inscribitur quartus Esdræ cap. 9. Verba sunt: *Inquire quomodo justi salvabuntur, quorum sæculum, & propter quos sæculum*, id est mundus.

SIVE VITA, SIVE MORS. Chrysostomus & Theophylactus subaudiunt, nostra, hoc est, eorum qui vobis ministravimus Evangelium: nempe secundùm id quod alibi Paulus dicit; *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur*. 2. Timoth. 2. Quam rem latiùs etiam exsequitur capite sequenti. Quamquam & verum est juxta aliorum expositionem, unicuique electo suam vitam & mortem utilem esse ad salutem. Quod hoc loco benè declarat Aquinas. Hinc & de se Paulus ait, *Mihi vivere Christus est; & mori, lucrum*, Philip. 1.

SIVE PRÆSENTIA, SIVE FUTURA. *Præsentia*. Græcè ἐνεστῶτα, quod Rom. 8. vertit *instantia*. Possunt hîc intelligi præsentia & futura mala ministrorum Evangelij; id est, afflictiones, persecutiones & pericula, quæ vel sustinent, vel in horas exspectant: tametsi & hoc generaliter intellectum de prosperis & adversis, tam propriis quàm alienis, veritatem habet; sicut & illud Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti*.

OMNIA ENIM VESTRA SUNT. *Enim* hoc loco non additur in Græco, nec in textu Ambr. & officit sensui. Nam repetitio est & confirmatio generalis sententiæ, quasi dicat: Omnia, inquam, vestra sunt; uti jam per partes ostendi.

Fideles sunt Christi ut hominis & ut Dei.

23. VOS AUTEM Christi. Nimirum ut capitis ac Domini vestri: non solùm quà Deus est, sed etiam quatenus homo: secundùm quam naturam vos morte sua redemit. Nam servus id quod est, Domini est. Quod posterius propriè Paulum hoc loco putamus attendisse: quemadmodum in eo quod ait Rom. 14. *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus*. Et ad eamdem naturam referendum quod sequitur.

CHRISTUS AUTEM DEI. Nam Christus ut homo subjectus est Deo, imo servus Dei. Similis locus infrà cap. 11. *Omnis viri caput Christus est: caput verò Christi Deus*. & cap. 15. *Tunc & ipse filius subjectus erit ei qui subjicit sibi omnia; ut sit Deus omnia in omnibus*. Atque hoc est quod concludendum hîc relinquit Apostolus; in solo Deo, ad quem ut finem omnia alia reducuntur, etiam Christus ipse quatenus homo: gloriandum esse. Græci ita supplent: Christus autem Dei filius. Qui sermo etsi verissimus sit, non tamen explicat quod hîc intendit Apostolus.

In solo Deo gloriandum

CAPUT IV.

2. Cor. 6. a. 4. 1. SIc nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispentatores mysteriorum Dei. 2. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. 3. Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die: sed neque meipsum judico. 4. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. 5. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo. 6. Hæc autem fratres, transfiguravi in me & Apollo, propter vos: ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 8. Jam saturati estis, jam divites facti estis: sine nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus 9. Puto enim, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo & Angelis, & hominibus. 10. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. 11. Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus. 12. & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur & sustinemus. 13. blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. 14. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. 15. Nam si decem millia pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. 16. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi. 17. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu,

Act. 20. g. 34. 1. Thess. 2 b. 9 2. Thess. 3. b. 8.

ſicut ubique in omni Eccleſia doceo. 18. Tamquam non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt quidam. 19. Veniam autem ad vos citò, ſi Dominus voluerit: & cognoſcam non ſermonem eorum, qui inflati ſunt, ſed virtutem. 20. Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. 21. Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?

SUMMARIUM.

DOcet quo loco habendi ſint prædicatores Evangelij: nec eſſe judicandos ante tempus, ſed Domini judicium exſpectandum. Reprehendit eos qui de acceptis donis gloriabantur, ac ſi illa à ſeipſis haberent, Apoſtolorum ſortem humilem & laborioſam cum aliorum magiſtrorum conditione comparat. Paternum erga Corinthios amorem declarat: quibus & ſuum adventum promittit.

1. SIC NOS EXISTIMET HOMO UT MINISTROS CHRISTI. Proſequitur Apoſtolus id quod egit in ſuperioribus, præſertim cap. 1. & 3. non eſſe gloriandum in magiſtris, nec alios præ aliis efferendos. Huc enim ſpectat quod ſtatim initio docet, quo loco ſint à fidelibus habendi magiſtri ſeu doctores ipſorum, tam Apoſtoli quàm alij; ne videlicet aut pluris, aut etiam minoris eos faciant quàm oporteat: quin potiùs ab iis judicandis abſtineant: eorum fideli miniſterio contenti. Id verò agit uſque ad eum locum, *Quis enim te diſcernit?* Jam antè quidem attigit hanc rem, ubi dixit: *Quid igitur eſt Apollo, quid vero Paulus? Miniſtri ejus cui crediſtis.* Sed nunc repetit ut ampliùs declaret. Dicit ergo: quiſque nos Apoſtolos cæteroſque Evangelij prædicatores exiſtimet ac reputet quales revera ſumus, nimirum ut Chriſti miniſtros: ut dum miniſtros nos cogitant, non nimiùm extollant; dum Chriſti, non contemnant.

Prædicatores Evangelii quo loco habendi.

ET DISPENSATORES MYSTERIORUM DEI. Malè quidam codices *miniſteriorum*. Nam Græcè eſt μυστηρίων. Myſteria quidam interpretantur ſacramenta novæ legis, id eſt, ſenſibilia ſigna ad ſanctificationem noſtram à Chriſto Domino inſtituta: quorum primum eſt baptiſmus. Sed cùm ipſe Paulus dixerit 1. capite, *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare*: rectius eſt ut myſteria Dei intelligantur fidei noſtræ dogmata à Deo revelata. Quæ quidem myſteria dicuntur, quia ſecreta ſunt, ut abſque Dei revelatione cognoſci nequeant. Ea myſteria ſunt incarnationis, paſſionis & reſurrectionis Chriſti, redemptionis noſtræ, vocationis Gentium: & cætera quæ complectitur Evangelica doctrina. Nec tamen ab his myſteriis Sacramenta novæ legis ſeparamus: ſed pariter ſub iis, ut ſigna corporalia gratiæ ſpiritualis efficacia comprehendimus. Quorum proinde diſpenſatio ad eoſdem Chriſti miniſtros pertinet.

Myſteria Dei quænam intelligantur.

Rurſus autem in eo quod dicit, *diſpenſatores myſteriorum Dei*, duo cogitanda ſignificat: quod diſpenſatores, ne nimium extollantur: (nam diſpenſator alienæ rei miniſter eſt) & quod myſteriorum Dei, ne contemnantur. Eſt autem diſpenſatoris, ut quibus & quomodo & quantum opus eſt eroget ac diſtribuat. Hinc Paulus ſapientiam loquebatur inter perfectos, non apud animales, qui non percipiebant ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. *ſuprà cap. 2.*

Nota, Diſpenſator quis ſit, & quod ejus officium.

2. HIC JAM QUÆRITUR INTER DISPENSATORES. Græcè, ὧδε λοιπὸν ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις. *Quod autem reliquum, quæritur in diſpenſatoribus*: licet nonnulli codices, Oecumenio teſte, habeant ζητεῖτε, *quærite*: quod minùs probum exiſtimo. Vulgatus interpres legiſſe videtur ὧδε *hîc*. Cæterùm, inquit, id quod in diſpenſatoribus potiſſimum requiritur, quæque præcipua virtus œconomi eſt, id nimirum eſt quod ſequitur.

Nota Diſpenſatoris fidelis deſcriptionem.

UT FIDELIS QUIS INVENIATUR. Ordo: ut quis inveniatur fidelis, id eſt, ut aliquis inveniatur qui ſit fidelis: nimirum utiliter agens Domini ſui negotium: rem Domini tractans non ut ſuam, ſed ſuæ fidei commiſſam: nec ſuam, ſed Domini ſui gloriam ex ſua adminiſtratione quærens. Spectatur quidem etiam induſtria in diſpenſatore: ſed primum quod quæritur, eſt fides. Unde Dominus Luc. 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens?*

3. MIHI AUTEM PRO MINIMO EST, UT A VOBIS JUDICER. *Pro minimo*, Græcè εἰς ἐλάχιστον, *ad minimum*. Pro quo paſſim Auguſtinus, omiſſa præpoſitione, legit *minimum*: quemadmodum & Ambroſiaſtrum legiſſe indicat ejus commentarius. *Judicer*, Græcè ἀνακριθῶ, *dijudicer*. Significatur enim comparatio cum aliis. Cum, inquit, talis eſſe debeat diſpenſator; jamque dixerim, nos doctores veſtros, eſſe myſteriorum Dei diſpenſatores: nolo tamen vos eſſe judices noſtros, ut dicatis quis noſtrûm melius aut pejus, quiſve ſincerè aut minus ſincerè ea myſteria vobis diſpenſet. Nam, ad me quidem quod attinet; qui nullius malæ fidei mihi conſcius ſum, parvi facio, tametſi à vobis judicer aut melior aliis aut deterior, in hoc Evangelicæ diſpenſationis officio.

Magiſtriâ diſcipulis non judicandi.

Particulam illam *pro minimo eſt*, Græcè, εἰς ἐλάχιστόν ἐστιν, *ad minimum eſt*, Hentenius Oecumenij interpres ad mentem ſui authoris ita reddit, *indigniſſimum videtur*. In quem ſenſum etiam Chryſoſtomus accepit. Sic enim Paulum refert loquentem: *Indignum judico meipſum à vobis judicari*. Deinde ſubjungit: *Nemo autem arrogantiæ arguat Paulum ſi nullum hominem dicat eſſe dignum, qui de eo ferat ſententiam*, &c. Verùm prior ſenſus, quem omnes ferè tradunt, germanior videtur: eſtque minùs obnoxius offenſioni.

AUT AB HUMANO DIE. Humanum diem B. Hieron. *in epiſt. ad Algaſ. quæſt.* 10. interpretatur humanum judicium; quomodo dies Domini pro judicio Dei frequenter accipitur: ut ſit ſenſus: Atque omninò non moror hominum de me judicia. Nam (ut paulò pòſt dicit.) *Qui judicat me, Dominus eſt.* Sermo planè ſimilis apud Jeremiam cap. 17. ſic loquentem Deo; *Laus mea tu es; & diem hominis non deſideravi*, id eſt, in judicio tuo inveniar laudabilis: hominum judicia quibus me laudent non ambio. Ex quibus etiam apparet phraſim hanc qua dies pro judicio ſumitur, non eſſe Paulo Tarſenſi homini, ratione patriæ peculiarem, ut ſuſpicatur Hieronymus: ſed Hebræis olim uſitatam. Ratio phraſeos eſſe videtur, quia reis dies dici ſoleat ad ſiſtendum ſe judicio.

Quid Paulo humanus dies.

Rem verò clarè explicant Chryſoſtomus & Oecumenius, dum ſic interpretantur: *Nec à quovis alio*, ſcilicet homine, & Syrus alio Hebraiſmo, *aut ab ullo filio hominis*. Eraſmus autem non dubitavit transferre: *aut ab humano judicio*. Alii quidem aliter humanum diem interpretati ſunt; ut Ambroſiaſter, leges mundo creditas; Theodoritus, humanæ vitæ brevitatem; Theophylactus, hominem quempiam celebrem & præclarum. Sed quod ex Hieronymo dictum eſt, maximè placet.

Admonitio contra ſectarios.

Illud adjicio, propter ſectarios qui ſuam doctrinam ſubtrahunt omni judicio humanæ poteſtatis, idque ſe facere dicunt exemplo Pauli, qui pro minimo ducit humanum judicium; hoc loco non agi de judicio publicæ poteſtatis; nec id quæri, num Paulus habuerit in terris aliquem ſuperiorem à quo judicari poſſet de his quæ docebat: ſed tantùm agi de judicio cujuſque privato; ſive in bonum, de quo Propheta Jeremias; ſive in malum, de quo Dominus Matth. 7. *Nolite judicare, ut non judicemini.*

Paulus ſeipſum non judicat.

SED NEQUE MEIPSUM JUDICO. Rurſus Græcè ἀνακρίνω, *dijudico*. Senſus: Imò nec ipſe quidem de me certum fero judicium, quàm rectè, ſincerè, & integrè coram Deo verſer in diſpenſatione mihi credita, ut cum aliis me conferre poſſim, qui tamen ipſe mihi notior ſum quàm vobis, aut cuipiam alteri mortalium. Cum hoc Apoſtoli dicto cur non pu-

gnet, quod *infrà cap.* 11. præcipit ut nos ipsos dijudicemus; ex ejus loci interpretatione patebit. At verò nec illud pugnat quod alibi suam coram Deo sinceritatem in ministrando Evangelio commendat & prædicat: ut *in 2. ad Cor. ep.* per *aliquot capita.* Scribit enim illis locis quod animo sentiebat, non quod planissimè certum habebat; id est ea certitudine cui falsum subesse nequeat. Undè & hîc, objectionem ejusmodi præoccupans, subjungit.

4. NIHIL ENIM MIHI CONSCIUS SUM: SED NON IN HOC JUSTIFICATUS SUM. *Mihi* Græcè ἐμαυτῷ *mihi ipsi.* Dicere quis poterat; quid causæ est cur teipsum non judices: quum optimè tibi sis conscius quod ex fide rem Domini dispenses? *Respondet* Apostolus: Nullius quidem infidelitatis in mea dispensatione, mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum. Id est; conscientia me non accusans non certò me justum arguit ac immunem à culpa malefidæ dispensationis: quippe qui mihi-ipsi non penitus ac perfectè cognitus sim. Nam *delicta quis intelligit?* Psalm. 18. & ideo meipsum non judico.

Obs. contra Sectarios fidem specialem ex hoc loco destrui.

Rectè hoc Pauli testimonio catholici scriptores utuntur ad destruendam novitiam fidem hæreticorum, quam specialem vocant: id est, eam persuasionem qua quisque fidelis certò statuat se justificatum esse. Rectè, inquam; quando nec ipse Paulus id certò de se potuerit affirmare. Neque enim ille tantùm negat hanc sequelam. Nihil mihi conscius sum, ergo scio me justum: sed dicit se, quamtumvis nihil sibi malè conscium, non tamen judicare nec pronunciare se justum; eò quòd occultæ sint cordium nostrorum latebræ, etiam nobis-ipsis; quemadmodum sequentia declarant. Certè si sciebat Paulus ea certitudine cui falsum subesse non potest, se justum esse; poterat ergo judicare seipsum, dicendo: Justus sum. Atque id ipse disertè negat, dicens, *Neque meipsum judico.*

Unum Calvini effugium.

Quare quod pro solutione Calvinus adfert, eam certitudinem non ex operibus haberi, ideoque Paulum dixisse, *nihil mihi conscius sum*: sed ex promissione gratuita misericordiæ Dei, quæ nobis offertur in Christo, futile est, & ad labefactandum catholicorum argumentum prorsus nihil facit. Nam sive ex operibus sive ex promissione certus fuerit Paulus se esse justum; dicere potuit, Meipsum judico. Atqui dicere hoc non potuit; igitur ne quidem ex promissiona de sua justitia certus erat.

Nec verò aliter hunc Apostoli locum intellexerunt orthodoxi commentatores tam Græci quàm Latini. Nec aliter Augustinus: ut ea probant quæ ex illo Beda descripsit in collectaneis. Hinc & Bernar. *in serm. de convers. ad clericos cap.* 16. testatur Apostolum etsi nihil sibi conscium, tamen propter humani cordis abyssum, judicantis sese Domini sententiam magnopere formidasse: de qua sequitur.

QUI AUTEM JUDICAT ME DOMINUS EST. Et hic Græcè ἀνακρίνει, *dijudicat.* Christi, inquit, judicio, qui Dominus omnium nostrûm, reservandus sum; non à vobis conservis judicandus. Illius judicium certissimum est: vestrum incertum & fallax.

5. ITAQUE NOLITE ANTE TEMPUS JUDICARE. Græcè, *Itaque ne ante tempus quicquam judicate.* Et ita legit Augustin. *tract.* 90. *super Joan.* quo loco pulchrè differit de proximis non judicandis. Concludit Apostolus generali præcepto, quæ de doctoribus non judicandis præmisit. Et *sensus* est: Ne judicetis quicquam occultorum, & omninò eorum quæ vobis non satis cognita sunt; velut quis nostrûm sit aut non sit fidus Christi minister & Evangelij dispensator; quis magis minusve talis. Addit autem *ante tempus*; quia quamdiu non habetur certa rei judicandæ notitia, nondum est tempus judicandi. Unde declarando subjungit.

Occulta & incerta nobis non judicanda.

QUOAD USQUE VENIAT DOMINUS. Id est, donec Christus Dominus venerit ad judicium. Non significat nos tunc judicaturos: sed sensus est, Ne judicetis ante illud tempus, quo veniet omnium judex Christus, qui omnia occulta revelabit & judicabit: ut non sit opus vos judicare. Postquam enim omnia per judicem Christum manifestata fuerint; non opus erit ut vos judicia vestra privata interponatis: quia judicium est earum rerum quæ per se non satis patent. Unde *Rom.* 14. ex judicio generali per Christum exercendo, concludit absolutè; *Non ergo amplius invicem judicemus.* Igitur *quoadusque* seu *donec* accipitur, ut alibi in scripturis sæpissimè. Denotat enim tempus ad quod usque futurum sit quippiam aut non sit; faciendum sit, aut non sit; sive deinceps idipsum continuandum sit sive non. Qua de re Hieronymus & alibi exponentes illud Matth. 1. *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Confirmatur hic commentarius ex eo quod subjicit. *Et tunc laus erit unicuique à Deo.* Non enim dicit, Et tunc poteritis magistros vestros judicare.

Donec in scripturis quomodo usurpetur.

QUI ET ILLUMINABIT ABSCONDITA TENEBRARUM. *Illuminabit*, Græcè φωτίσει *illustrabit*, id est in lucem proferet occultas & quasi in tenebris gestas aut repositas hominum actiones, seu bonas seu malas. Quidam solis malis actionibus interpretantur, propter nomen tenebrarum, quod in malam partem frequenter accipitur in scripturis, potissimùm apud Joannem *in Evangelio, & prima epist.* Verùm idem nomen alibi nudam habet significationem occulti; ut etiam ad bona dicta aut acta referatur, velut Matth. 10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* Et Luc. 12. *Quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur.* Atque eo modo tenebras hîc accipi multò probabilius est. Opponitur enim lumini, id est, manifestationi, tam bonorum operum quàm malorum; de quibus non ante tempus judicandis, sed divino judicio reservandis Apostolus loquitur. Nam & id quod sequitur, utrique generi commune est.

Tenebrarum nomine quid hîc intelligatur.

ET MANIFESTABIT CONSILIA CORDIUM. Id est, manifestum omnibus faciet, quo consilio, quo fine & intentione, quisque fecerit opera sua, etiam in speciem bona. Vel consilia cordium generaliter intelligit latentes cogitationes animorum.

ET TUNC LAUS ERIT UNICUIQUE A DEO. Apud Oecumenium, neque in textu neque in commentario legitur, ἑκάστῳ *unicuique*, sublatum, ut opinor, ab aliquo, cui falsus alioqui videbatur Apostoli sermo; unumquemque hominem in illo judicio laudem à Deo reportaturum. Atqui quod Apostolus dicit, tale est: Unicuique bono & laudem merenti tunc erit laus, non tantùm apud homines, quomodo multi in hoc sæculo laudantur minimè laudabiles; sed apud Deum atque ab ipso Deo dicente: *Euge serve bone & fidelis*, Matth. 25. quæ sunt utique verba laudantis. Est igitur hîc distributio quam vocant accommodam, in dictione *unicuique*. Vel certè nominata laude relinquitur intelligendum vituperium; nempe contrarium ex contrario; sicut illud à quibusdam exponitur Galat. 6. *Et sic in semetipso tantùm gloriam habebit & non in alio.* Quamquam prior sensus aptior videtur. Institutum enim Apostoli est eos reprimere, qui per contentionem suos magistros laudibus extollebant, ac si dicat: Tunc apparebit quis magistrorum fuerit honore dignus, aut aliis dignior: de quo nunc contenditis. Nam illud erit tempus distribuendi à Deo honoris unicuique. Id Apostolum velle monstrant etiam sequentia.

Unicuique bono laus à Deo.

6. Hæc autem FRATRES TRANSFIGURAVI IN ME ET APOLLO. Quarti casus sunt *me* & *Apollo*. Cessaret ambiguitas si scripsisset interpres *meipsum*. Nam Græcè est ἐμαυτὸν. Hæc, ait, quæ dixi de magistris in quibus gloriamini, alius in alio; schemate quodam transtuli in meipsum & Apollo, hoc est me & Apollo magistros nominavi, quorum gratia in factiones divisi

Transfigurationem quam dicat Paulus.

ſi fueritis: (intellige etiam Cepham, quem, puto, honoris cauſa reticet) ſed ſub his alios volo intelligi humanæ ſapientiæ ſectatores, in quibus ſtultè & factiosè gloriati eſtis; quos, pudori veſtro conſulens, nominare nolui. Non negat Paulus Corinthios in ſe & Petro & Apollo fuiſſe gloriatos; quod ita eſſe oſtendimus in expoſitione 1. capitis: ſed transfiguratione uſum ſe dicit; quia his nominatis, alios magis voluit intelligi. Si enim malum erat gloriari in veris Apoſtolis Chriſti, multò minùs ferendum, ut gloriarentur in quibuſdam hujus ſæculi ſapientibus, minimè verò, ut in pſeudapoſtolis.

PROPTER VOS. Id eſt, inſtructionis veſtræ cauſa id feci. Pronomen *vos* hoc loco poſitum comprehendit generatim fideles qui erant Corinthi, id eſt, tam magiſtros quam diſcipulos: ut patebit ex vero intellectu partis ſequentis.

UT IN NOBIS DISCATIS, NE SUPRA QUAM SCRIPTUM EST, UNUS ADVERSUS ALTERUM INFLETUR PRO ALIO. Græca ſic habent: *Ut in nobis diſcatis non ſuprà quam ſcriptum eſt ſapere: ut ne unus pro uno inflatur adverſus alterum.* Secundùm hanc Græcam lectionem prior ſententiæ pars ad magiſtros pertinet; poſterior ad diſcipulos. Et ad eum modum Theophyl. exponit; ut ſenſus totius ſententiæ ſit hujuſmodi: Idcircò perſonam aliorum in nos tranſtuli, ut vos magiſtri in nobis Apoſtolis, qui profitemur nos non aliud eſſe quàm miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, velut in exemplari vobis propoſito, diſceretis non ſentire de vobis ſupra id quod de nobis ſcripſi; ſcilicet non aliud nos eſſe quàm Dei miniſtros, utilitati fidelium ſubſervientes.

Magiſtrorum & diſcipulorum inſtructio.

Et quod ad diſcipulos attinet; ne alius pro alio, ſcilicet diſcipulus pro magiſtro qualicumque adverſus alterum, id eſt, alterius magiſtri diſcipulum, inſolentiùs glorietur: quando nec nos Apoſtoli patimur diſcipulos noſtros pro nobis adverſus alios gloriari. Eſt autem poſterior pars conſequens ex priori. Nam ſuperbia magiſtrorum plerumque excitat factiones diſcipulorum. Ad hunc ſenſum, ſanè probabilem & perſpicuum, facile eſt aptare verſionem vulgatam: modò ſuppleas verbum *ſapere*, quod in ea neſcio qua ratione vel caſu prætermiſſum eſt; & negationem repetas in ſecundo membro.

Illud *ſupra quam ſcriptum eſt*, quidam referunt ad ſcripturam Jeremiæ 9. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua* &c. Alii ad illud ab ipſo Paulo ſcriptum ſuperiùs cap. 1. *Qui gloriatur in Domino glorietur.* Rurſus alii ad illud Chriſti præceptum Matth. 23. *Ne vocemini magiſtri: quia magiſter noſter unus eſt Chriſtus.* At verò Cajetanus refert ad ſcripturam ſacram in genere. Vult enim hunc eſſe ſenſum: ne magiſtri ſapiant ſupra id quod traditum in ſacris libris; id eſt, ne admiſceant Evangelio ſapientiam mundanam: ſed contenti ſint doctrina ſacræ ſcripturæ; quemadmodum Paulus & alii Apoſtoli docebant. Nobis id maximè probatur, quod primùm dixi: quæ etiam S. Thomæ expoſitio eſt.

7. QUIS ENIM TE DISCERNIT? Hîc jam magiſtrum alloquitur, ſibi placentem, ſeque ſupra alios efferentem vel doctrinæ, vel eloquentiæ, vel ſapientiæ nomine. Alloquitur autem ut unum, cum multi eſſent: quò magis premat his erotematis. *Quis*, inquit, *te diſcernit* ab aliis quibus te anteponis? Quis te præſtantiorem aliis facit? Id enim, inter alia, Græcum verbum διακρίνειν ſignificat: pro quo minùs rectè verterunt alii, *dijudicat*; cum ſit diverſum ab eo verbo quod ſuprà bis terve poſuit in ſignificatione dijudicandi. Quis, inquam, te diſcernit, niſi Deus? Hoc enim utique reſpondendum Apoſtolus relinquit ut ſequentia declarant.

Hominem non diſcernit niſi Deus, & quo ſenſu.

Nec verò alia ratione magis humana jactantia comprimitur, quam ſi cogitet homo ſe nihil habere à ſeipſo: ſed omne bonum quo alios antecellere videtur, ſibi datum à Deo. Quod quidem ex hac Apoſtoli ſententia conſequens eſt. Nam quod de uno genere bonorum dicitur homini: *Quis enim te diſcernit?* idem de omnibus aliis ſimiliter dici verè poteſt: cùm Deus omnium æquè ſit author & dator. Rectè proinde S. Auguſtinus hanc Pauli ſententiam uſurpat & inculcat *adverſus Pelagianos*, ut doceat omne bonum quo quis ab alio diſcernitur, atque alium præcellit, à Deo dari; ideoque nec gratiam dari ſecundùm merita, neque ex meritis prævisis quemquam à Deo ad vitam prædeſtinari: ſed tam prædeſtinationem quàm gratiam, quæ prædeſtinationis effectus eſt, prorſus ac merè gratuitam eſſe. Vide quæ ſcribit Auguſt. *lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 7. & lib. de correp. & grat. cap. 7. & epiſt. 46. ad Valent.* Jam ex his etiam illi redarguuntur, qui dicunt, æquali dato vel oblato gratiæ auxilio perſæpè contingere ut hic agat, ille non agat; aut ut alius alio plus minuſve, ut diſcretio ſit ex libero hominis arbitrio, non ex gratia Dei. Quod Apoſtolicæ doctrinæ contrarium eſſe non dubitamus.

Notanda Pauli ſententia contra Pelagianos.

Cum æquali auxilio Dei non contingit hunc agere, illum non agere.

QUID AUTEM HABES QUOD NON ACCEPISTI? Ne fortè ſuperbus doctor interrogatus, *quis te diſcernit?* ex adverſo reſpondeat, Ego me diſcerno ſtudio, labore, induſtria mea ab aliis, quibus præſto: ſecunda hac interrogatione preſſiùs eum urget Apoſtolus dicens: *Quid autem habes quod non accepiſti?* ſcilicet ab alio? nec aliunde quàm à Deo: videlicet atteſtante Domini præcurſore Joan. 3. *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cælo*, & Jacobo Apoſtolo c. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum.* Eſt autem vera Pauli ſententia, tam de bonis naturalibus, quàm de iis quæ naturæ terminos excedunt. Nam de naturalibus potiſſimùm gloriabantur Corinthiorum magiſtri, hoc loco taxati; velut de eloquentia & ſapientia ſæculari. Quamquam illud eſt diſcrimen inter naturalia & ſupernaturalia; quod illa quomodocumque ſint à Deo, hæc à Deo per Chriſtum.

Nil habet homo quod non acceperit.

Diſcrimen inter naturalia & ſupernaturalia.

Rurſus autem ex hac ſententia docent Patres, idque certiſſimo & efficaciſſimo contra Pelagianos argumento, hominem nihil boni à ſeipſo habere: ſed quicquid habet boni, ut virtutes, bona opera, ſtudium, conatum, cooperationem, conſenſum, motum ac nutum voluntatis, id totum in Deum authorem & largitorem eſſe deferendum: adeò ut affirmare non dubitent, hominem de ſuo non habere *niſi mendacium & peccatum*: uti definitivum eſt in Concilio Arauſicano *can.* 22. verbis deſumptis ex Auguſtino *tract. 5. in Joan.* Inſpice & cæteros ejuſdem concilii canones; nominatim ſextum & ultimum: in quibus ſua decreta patres illi comprobant hujus ſcripturæ teſtimonio. Frequens eſt Auguſtinus in hac ſcriptura citanda pro confirmatione catholicæ doctrinæ quam dixi. Vide quæ dicit *libr. 2. de pecc. meritis & remiſſ. cap. 18. & quæ lib. de prædeſt. ſanct. cap. 3. 4. & 5.* ubi inter alia refet ac repetit, beatum Cyprianum dixiſſe, ac pro titulo poſuiſſe, *In nullo gloriandum, quando noſtrûm nihil ſit*; atque ut hoc oſtenderet, adhibuiſſe Paulum dicentem: *Quid autem habes quod non accepiſti?* &c. Refert id & alibi; *ut lib. 4. cont. duas epiſt. Pelag. cap. 9.* addit. que teſtimonium hoc Apoſtolicum ejuſmodi eſſe, quo vel maximè Pelagianorum ora claudenda ſint. Locus autem apud Cyprianum eſt *lib. 3. teſtim. ad Quir. cap. 4.* Vide & Proſperum ad excerpta Genuenſium *dubio 4. & contra Collat. cap. 29.* ac præcipuè *lib. 1. de vocat. gen. cap. ult.* Verùm his & Chryſoſtomus accedat, cujus in commentario hæc ſunt verba: *Nihil habes domo allatum, ſed à Deo acceptum.* Et iterum: *Acceptum habes non hoc aut illud; ſed omnia quæ habes. Non enim tua ſunt hæc rectè facta, ſed Dei gratia*, & quæ ſequuntur.

Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum.

In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.

SI AUTEM ACCEPISTI; QUID GLORIARIS QUASI

NON ACCEPERIS ? Græcè, *Si autem & accepisti*, quomodo passim legit Augustinus : tametsi & redundare videtur, ut aliàs interdum apud Paulum, nisi sic intelligas; Quod si etiam tu accepisti, sicut & alii quicquid habent, à Deo acceperunt ; quid tu gloriaris ac si non accepisses ? Nam primùm falsa gloriatio est, de eo quod acceperis, gloriari quasi non acceperis. Quod si à Deo accepisti, à quo est omne bonum, nihilominus erit falsa gloriatio, ac minùs etiam ferenda : si de eo glorieris tamquam à Deo non acceperis. Porrò qui in Deo gloriatur, hoc ipse sese humiliat, Deum agnoscens boni sui datorem. Itaque talis non se insolenter efferet supra alios, ut faciebant isti contra quos agit Apostolus.

In Deo gloriari, humilitas est.

8. JAM SATURATI ESTIS. Hæc verba cum sequentibus plerique generatim ad Corinthios dicta interpretantur : alii verò speciatim dicta ad eosdem ipsorum magistros, ad quos præcedentia, numero rursus in pluralem mutato. Quorum sententia nobis probatur ; cum ob alia, tum propter illud quod infrà dicit ; *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo ; sed non multos patres.* Et hunc sensum Cajetanus prosequitur. Est autem ironicus sermo, quo doctores illos irridet, non solùm gloriantes in seipsis & non in Deo, de bonis quæ habebant ; verùm etiam asscribentes sibi bonorum copiam ac præcellentiam quam non habebant. *Jam*, inquit, *saturati estis*, Id est, ad satietatem usque repleti sapientia ac cæteris donis. Sic enim de se sentiebant.

Ironia apud Paulum.

JAM DIVITES FACTI ESTIS. Seu *ditatis estis*, ἐπλουτήσατε : id est ; abundantes usque adeò, ut etiam in alios dona vestra possitis effundere. Contra hujusmodi sua opinione divites loquitur spiritus in Apoc. cap. 3. *Dicis, quod dives sum & locupletatus, & nullius egeo : & nescis quia tu es miser & miserabilis & pauper & cæcus & nudus.*

SINE NOBIS REGNATIS. Græcè ἐβασιλεύσατε *regnastis*, pro quo benè Erasmus & alii : *regnum adepti estis.* Nam & B. Pacianus epistola 3. ita legit : *Sine nobis regnare cœpistis.* Est autem Hebraismus, in scriptura frequens, ut Psalm. 92. 96. 98. *Dominus regnavit*, id est, regnum sibi paravit, idque jam possidet, & Apoc. *Accepisti virtutem tuam magnam & regnasti.* Ut proinde non aberrarit à sensu Pauli vulgatus interpres, dum vertit in præsennti, *regnatis.* Quod etiam apud Tertull. legitur *lib. de pudic. cap. 14.* Sensus enim est : Jam inter Corinthios, tamquam magistri inter discipulos, velut regnum consecuti, summam dignitatem vobis vendicatis : nobis etiam Christi Apostolis (quod indignum est) à societate regni vestri excluisis : me præsertim, qui Corinthios in Christo Jesu per evangelium genui, eoque jure eorum pater sum, quod infrà dicit.

Regnare quis dicatur usu scripturæ.

ET UTINAM REGNETIS. Vel, ut multi codices, *regnaretis.* Græcè, *Et utinam sanè regnaßetis*, sive *regnum adepti essetis.* Regnum, inquit, vobis non invidemus, sed optamus : modò verè regnetis, id est, Corinthios ad eorum salutem regatis ac dirigatis. Nam rex gratia populi est, non contrà.

UT ET NOS VOBISCUM REGNEMUS. Alii codices, *regnaremus.* Hoc dicit, non appetens regimen super fideles ; sed quia concors societas Apostoli cum illis in regendo populo, futura erat populo maximè salutaris. Perstringit autem magistros, quod soli regere velint, cum è diverso Paulus eos non recusset socios ; modò regnant ut oportet, id est, salutis fidelium studeant, non suæ gloriæ.

Alia hujus loci expositio.

Potest autem totus hic locus etiam aliter exponi : ut in vocabulo regnandi securitas & prosperitas exercentis potentiam intelligatur : qualis est regum hostibus devictis & subactis, quomodo post victoriam Michaelis & angelorum ejus pugnantium cum dracone & angelis ejus, cœlesti voce dictum legitur Apoc, 12. *Nunc facta est salus & virtus & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus*, & alia voce Apoc. 19. *Quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.* Sic enim & illud accipiendum quod suprà citabam ex ejusdem libri cap. 11. *Quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti*, & quod ibidem præcedit, *Factum est regnum hujus mundi Domini nostri & Christi ejus.*

Ita breviter hic erit sensus : Vos securè & fœliciter agitis in ista apud Corinthios eminentia, tamquam in regno pacato, quieti à laboribus, & longè positi extra pericula : cum nos interim in extremo contemptu, laboribus & periculis assiduè versemur. At utinam benè & secundùm Deum illo regno vestro utamini : ut & nos tandem his malis liberati, ejusdem pacifici regni vobiscum simus participes. Huic sensui benè quadrat antithesis sequens.

9. PUTO ENIM QUOD DEUS NOS APOSTOLOS NOVISSIMOS OSTENDIT TAMQUAM MORTI DESTINATOS. *Ostendit* præteriti temporis est, ἀπέδειξεν. Hæc quoque verba tamquam ironicè dicta ab Apostolo, multi interpretantur : ac si dicat ; Tales à vobis habemur ac reputamur, quales nos hic describo ; id est, homines abjectissimæ sortis. Sed quia rem ad Deum refert qui tales eos exhibeat inter homines : melius est ut *affirmativè rectaque sententia*, quemadmodum Oecumenius loquitur, verba hæc accipiantur ; ut sensus sit, Arbitror & ita se res habet, Deum, qui (sicut dictum est *cap.* 1.) stulta & infirma & ignobilia mundi elegit, ut confundat sapientes, & fortes & nobiles ; ad propagandum suum evangelium, nos, id est, Apostolos, ut omnium hominum extremos, & secundùm sæculum vilissimos (tantùm abest ut regnemus) mundo exhibuisse tamquam morti destinatos : ut exhiberi solent homines fontes ad publica supplicia damnati.

In Græco nomen est ἐπιθανατίους, id est, addictos, aujudicatos morti : pro quo Tertull. *lib. de pud.* legit, *bestiarios*, speciem ponens pro genere. Nam bestiarii Romanis dicebantur, qui cum bestiis depugnare damnati erant. Huc pertinet illud *Psalm.* 43. ab eodem Apostolo citatum Rom. 8. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Hoc enim maximè in Apostolos competebat ; & quidem specialiter in Paulum, quotidianis periculis expositum propter evangelii prædicationem ; sicut ipse de se pluribus commemorat in 2. epist. cap. 11.

Bestiarii qui dicantur.

Quidam *Apostolos novissimos*, Græcè ἐσχάτους *ultimos*, interpretantur, postremos tempore ; id est, qui post ascensionem Christi in cœlum, accesserunt ad numerum Apostolorum. Hi namque non tanti habebantur. Et id vult Erasmi versio : *Nos qui sumus Apostoli postremi.* Sed obstat huic intellectui, quod etiam de primis Apostolis vera sunt quæ hîc dicuntur. Igitur omnes Apostoli noviſſimi erant sensu priùs expositio. Nam comparationem hoc loco Paulus instituit inter sinceros Christi Apostolos, & istos Corinthiorum magistros, suam ipsorum gloriam & commoda sectantes ; quod ex sequentibus ampliùs patebit.

Apostoli novissimi qui dicantur.

QUIA SPECTACULUM FACTI SUMUS MUNDO. *Spectaculum* Græcè θέατρον. Hieronymus in epitaphio Paulæ Græcam vocem retinuit, *Theatrum facti sumus*, &c. Usurpatur autem hîc ab Apostolo pro ea re quæ spectanda proponitur. Nam alibi locum ipsum publicis spectaculis deputatum significat. *Sensus est* ; Velut in ampliſſimo theatro spectandi proponimur toti mundo ; non secus atque damnati ad bestias, aut ad ludum arenarium, publicis spectaculis exhibentur.

ET ANGELIS ET HOMINIBUS. Non hoc addit tamquam angeli & homines sint à mundo diversi, quod volebat Marcion hæreticus, mundum interpretans Deum mundi, id est, Deum malum ; quemadmodum refert Tertull. adversus eum scribens *lib. 5. cap. 7.* Sed ut benè respondet illi Tertull. ex-

ponit Apoſtolus dividendo, quod dixerat *mundo*. Nam mundus qui ſpectari poteſt, ſolis conſtat angelis & hominibus. Simul etiam inſinuatur angelos eſſe partem univerſi, quem mundum dicimus. Diviſionem eſſe, ſatis intelligitur ex eo quòd in Græco neque angelis neque hominibus articulus præfigitur, ſed ſolùm mundo.

Angeli ſunt pars univerſi.

Porrò tam angelos quàm homines plerique malos & bonos intelligunt. Omnes enim ſpectatores ſunt, licet diſpari ſtudio favoris aut odii; quemadmodum & in humanis ſpectaculis contingit. Non tamen improbabile eſt ad malos tantùm referri & homines & angelos. Loquitur enim Paulus, ut dictum eſt, de ſpectaculo, quo Apoſtoli velut homines damnati ludibriis ſpectantium expoſiti videbantur. Quod patet ex præcedentibus æquè & conſequentibus.

10. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo. In hac pericope & duabus ſequentibus ironiam ſubeſſe putat Cajetanus poſt Oecumenium: eò quòd res ſecundùm veritatem contrario modo ſeſe habeat. Verùm ſi reſpiciamus ad locum *cap. 1.* ubi ſimilia ſunt antitheta, nulla tamen irriſionis ſpecie: potiùs videbitur his verbis adhibenda, ſecundùm mentem Apoſtoli, commoda interpretatio, quàm ut ad ironiam recurratur: quum præſertim ea quæ de ſe dicit, ipſe exponat ut verè & ſine antiphraſi dicta, *verſu ſeq.* Hîc autem tam bona quàm mala contrariis appellat nominibus, tum opinione vulgi, tum ob ſimilitudinem vel affinitatem quamdam: ut contingit in vitiis & virtutibus. Nam *ſenſus eſt*: Nos Apoſtoli ſtulti ſumus ſecundùm ſæculum ac veſtro judicio: idque propter Chriſtum, cujus evangelii prædicandi cauſa videamur imprudenter ac temerè noſmetipſos objicere tot periculis & incommodis: Vos autem ſecundùm ſæculum ac veſtro judicio prudentes in Chriſto; quia ſic prædicatis Chriſtum, ut tamen cautè proſpiciatis, ne quas adverſitates ejus cauſa patiamini.

Apoſtoli ſtulti propter Chriſtũ, quo ſenſu.

Nos infirmi, vos autem fortes. Nos, inquit, imbecilles ſecundùm ſæculum ſumus; quia multa mala patimur nec reſiſtimus: quod eſt infirmitatis. Vos autem fortes ac validi; quia freti eloquentia & ſapientia & amicitia hujus ſæculi, mala ſi qua occurrunt, facilè repellitis.

Vos nobiles, nos autem ignobiles. Græcè, *Vos glorioſi* ſeu *clari*, *nos autem inhonorati*. Neque enim hîc eadem vocabula ſunt in Græco quæ cap. 1. verſu 26. *Non multi nobiles* & verſ. 28. *Ignobilia mundi elegit Deus*. Senſus eſt: Vos magno eſtis in precio apud Corinthios propter eloquentiam & philoſophiam, quibus animos eorum vobis conciliatis: Nos autem contempti, qui talibus ornamentis careamus.

11. Usque in hanc horam et esurimus et sitimus. Enumeratione eorum quæ Apoſtoli patiebantur, declarat illa duo quæ dixerat, ſcilicet eos ignobiles ſeu contemptibiles eſſe, & infirmos. Ex quibus etiam tertium ſequitur, eos ſtultos eſſe propter Chriſtum. Simili malorum congerie ſuam & aliorum fidelium evangelii miniſtrorum conditionem explicat in *epiſt. 2. cap. 6.* Suam verò ſpeciatim, ejuſdem epiſtolæ cap. 11. Quæ duo loca cum iſto conferenda ſunt, ut ejuſdem argumenti. *Senſus hujus partis*: Quamvis nos ut Apoſtoli Chriſti meritò deberemus ab omnibus honorari; & ſtipendia percipere ab eis quibus evangelium prædicavimus: tamen ad hoc uſque tempus inediam patimur, ac tenuiſſimo cibo contenti vivimus; ne diſcipulis noſtris ſimus oneroſi. Hîc ex antitheſi intellige de magiſtris adverſùm quos agit, omnia contraria: ſicut expreſſiùs id oſtendit in 2. epiſtola cap. 11. illis verbis: *Suſtinetis enim, ſi quis in ſervitutem vos redigit; ſi quis devorat; ſi quis accipit*, &c.

Fideliũ evãgelii miniſtrorũ conditio.

Et nudi sumus. Id eſt, laceri ac penè nudi incedimus, veſtibus ad arcenda frigora neceſſariis deſtituti. Sic enim in 2. epiſt. 11. *In frigore & nuditate*. Et colaphis cædimur. Græcè uno verbo κολαφιζόμεθα. Significare vult contumelioſam tractationem, maximè quæ fit inflictis verberibus. Et instabiles sumus. Id eſt, *incertis vagamur ſedibus*, ut Eraſmus vertit; non habemus certum habitandi locum. Id enim ſignificat verbum Græcum ἀστατέω.

12. Et laboramus operantes manibus nostris. Græcè, *propriis manibus*, quod magis emphaticum eſt. Id Paulum feciſſe teſtatur de eo Lucas *Actor.* 18. & ipſe Paulus de ſe *Actor.* 20. *1. Theſſ. 2.* & *2. Theſ. 3.* Atque interim hîc obliquè taxat Corinthios qui cum divites eſſent, & alios magiſtros haud ſincerè Chriſtum prædicantes lautè alerent, ſuum Apoſtolum paterentur egere & opere manuum quærere victum.

Paulus manibus laborat.

Maledicimur et benedicimus. In hoc membro & duobus ſequentibus, loco prioris verbi Græcè perticipium eſt paſſivum præſentis temporis: quod tamen interpres rectè & concinnè (quamvis improbet Valla) reddidit per verbum addita conjunctione *&*; præſertim quod Latini ferè careant ejuſmodi participio, quamquam Eraſmus & alii participia participiis reddiderunt; at ſenſu prorſus eodem. Illis, inquit, qui maledictis & probris nos impetunt (id enim ſignificat vox Græca λοιδορούμενοι) nos viciſſim, juxta Chriſti præceptum, Luc. *6. benedicimus*, id eſt, benè precamur: tantùm abeſt ut maledicta regeramus. Quid in ſacris literis ſignificet benedicere, vide pleniùs explicatum à nobis ad illud Rom. *12. Benedicite perſequentibus vos*, &c.

Persecutionem patimur et sustinemus. *Suſtinemus* ἀνεχόμεθα, id eſt, patienter & æquo animo ferimus. Non reſiſtimus nec cogitamus vindictam.

13. Blasphemamur et obsecramus. Id eſt, conviciis affecti benignum ac molle reſponſum damus; humiliter loquimur obſecrantium more; quò ſic vincamus malitiam adverſariorum ſecundùm illud ipſius Apoſtoli Rom. 12. *Vince in bono malum*. Cajetanus obſecrationem interpretatur ſacras orationes fuſas ad Deum. Sed prior expoſitio Græcorum eſt, eaque melior. Nam verbum Græcum παρακαλεῖν ſignificat obſecrare cum adhortatione, quomodo ſæpè Paulus in ſuis Epiſtolis obſecrat eos ad quos ſcribit. Quæ res ſtudiosè annotata eſt à Theophylacto. Sic & paulò pòſt Corinthios obſecrat eadem Græca voce: *Rogo ergo vos*. Porrò blaſphemia generaliter ſignificat convicium aliquod grande; non id ſolùm quod fit in Deum, ſed etiam quod in homines.

Quid blaſphemia.

Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus. *Hujus* non additur in Græco. *Purgamenta*, Græcè περικαθάρματα, dicuntur ſordes quæ abſterguntur ab ea re quam circumcircà mundamus; ut exponit Theophylactus· *Senſus*: Reputamur velut ſordes, fæces, colluvies, excrementa humani generis: contemptiſſimi & abjectiſſimi ſumus omnium mortalium ac digni habiti qui ex hominum conſortio procul ejiciamur. Rurſus idem ſignificat per id quod ſequitur.

Purgamẽta quæ dicãtur.

Omnium peripsema usque adhuc. Supple ex priori membro: tamquam omnium peripſema facti ſumus, &c. *Peripſema* Græcum vocabulum, quod & Tertullianus retinuit, hunc locum citans *lib. de pudicitia*, ſonat abſterſionem. De cujus ſignificato multa ex variis authoribus congerit Eraſmus *in annotat.* multa etiam ab aliis dicuntur. Theophylact. putat hoc & ſuperiori vocabulo rem eamdem ſignificari; nempe quicquid abradendo vel abſtergendo tamquam impurum & inutile, relinqui-

Peripſema quid ſignificet.

tur pedibus conculcandum: quod alii ramentum, alii rejectamentum vertunt. Oecumenius interpretatur pannum quo laborantibus sudores abstergi solent: ac si dicat Paulus; Omnium sumus penicillus ac spongia, qua suas sordes extergant. In summa, significatur hac & priori parte extrema vilitas & contemptus. Quod autem tam apud verum Ambrosium *ser. 8. super Psal. 118.* quàm apud putativum in hujus loci commentario, legitur *lustramenta*; neutrius Græci vocabuli significatum exprimit. Sunt enim lustramenta purgationes factæ per sacrificia. Porrò quod addit Apostolus, *usque adhuc*, repetitio est ejus quod antè dixerat, *usque in hanc horam.*

14. NON UT CONFUNDAM VOS HÆC SCRIBO. Hîc jam non Corinthiorum magistros, sed Corinthios ipsos alloquitur, qui in talibus magistris gloriabantur, quales suprà depinxit. Græcè est. *Non pudefaciēs vos hæc scribo.* Quod tamen rectè vertitur, *Non ut pudefaciam*, seu *rubore suffundam vos, hæc scribo.* Nam confundere quod dixit interpres, in hac significatione minus est Latinum. *Sensus:* Quæ scribo de nostra vilitate & contemptu, deque magistrorum vestrorum honore & gloria: non scribo ut vos pudore afficiam. Subindicat reverà Corinthiis pudendum fuisse, quod posthabitis & neglectis Apostolis, qui tanta patiebantur ipsorum causa, sectarentur glorioſulos quosdam magistros; ac pulchrum sibi ducerent, si eorum discipuli vocarentur.

SED UT FILIOS MEOS CHARISSIMOS MONEO. Quædam Græca νουθετῶν *monens, admonens*: ut respondeat parti præcedenti: *Non pudefaciens vos hæc scribo, sed ut filios meos dilectos admonens*, tametsi id sensum non variat. Sed, inquit, hæc scribo, quo vos commoneam (quos ut filios meos paterno affectu diligo) ut sciatis quo loco nos Apostolos, & quo vestros illos magistros habere debeatis.

15. NAM SI DECEM MILLIA PÆDAGOGORUM HABEATIS IN CHRISTO, SED NON MULTOS PATRES. *Decem millia*, Græcè μυρίους: quod quidem propriè decies mille significat, sed pro numero magno & indefinito passim usurpatur, quomodo sexcenti apud Latinos. Alii vertunt *innumeros*. Videntur autem Corinthii gloriati fuisse etiam in multitudine magistrorum. Igitur quod Apostolus dicit, tale est: Illi quos ut magistros suspicitis, ut maximum pædagogi vestri sunt in Christo, non patres. Non enim vos in Christo genuerunt: sed ab alio genitos susceperunt instituendos; quod est pædagogi, qui ad eam rem plerumque mercede conducitur. Unde & patris multo vehementior est in filium amor quàm pædagogi. Quare etiamsi innumeros pædagogos in Christo, id est, in doctrina Christi, habeatis; scire tamen debetis vos non multo habere patres.

Multi pædagogi Corinthiorum, sed unus pater.

NAM IN CHRISTO JESU PER EVANGELIUM EGO VOS GENUI. Probat quod dixit, *sed non multos patres.* Nam, inquit, ego pater vester sum in Christo, quippe qui vos in Christo genui, hoc est, Christianos feci per evangelium à me primò vobis annunciatum. Id superiori capite sub aliis metaphoris dixit; *Ego plantavi, fundamentum posui.* Colligendum autem relinquit se solum esse eorum patrem. Nam pronomen *ego* cum emphasi legendum: ac si dicat; non illi, non alii, sed ego solus. Id verò non exprimit, ne videatur arrogantiùs loqui.

16. ROGO ERGO VOS. *Rogo*, Græcè παρακαλῶ, quod alii vertunt *adhortor*. Utrumque rectè. Nam qui adhortantur, etiam rogare solent. Quod in quibusdam codicibus additur *fratres*, quamvis etiam Thomas legat & exponat; adjectitium est. Nec admodum congruit huic loco, ubi se patrem vocavit, & illos filios.

IMITATORES MEI ESTOTE. *Estote*, Græcè γίνεσθε *efficiamini*. Syra versio sic habet: *mei similes fiatis.* Quia dixerat se patrem: meritò monet, ut sui sint imitatores, scilicet ut patris. Decet enim filios imitari patrem. Hoc autem dicit, conscius sibi suæ integritatis: cum è diverso magistri illi seu pædagogi multa haberent non imitanda. Quos proinde ne imitentur, indirectè suos filios hac cohortatione revocat.

SICUT ET EGO CHRISTI. Hæc pars non est in Græco nec in Syriaco, nec in emendatioribus Latinis. Veteres quoque non agnoscunt. Videtur huc temerè ascripta ex loco simili, id est, ex initio *capitis* 11. *hujus epist.*

17. IDEO MISI AD VOS TIMOTHEUM. Græcè, *Propter hoc misi vobis Timotheum*; nempe ut ex eo discatis vitæ meæ institutum & conversationem quam imitemini. Id enim mox explicat. Hinc colligunt quidam per Timotheum missam esse hanc epistolam: idque habet annotatio Græca ad calcem epistolæ. Sed falsò id colligi, docebimus ad illud capitis ultimi, *Si autem venerit Timotheus.*

QUI EST FILIUS MEUS CHARISSIMUS. Timotheum filium suum vocat, non quòd eum aut mundo genuerit, aut Christo: (Nam Timotheus Christianus erat, priusquàm in eum Paulus incidisset *Act. 16.*) sed ut senex juvenem peregrinationis comitem ac socium laborum; quem meritò ob vitæ morumque ejus sinceritatem, paterno amore complectebatur. Cur autem in epist. 1. ad ipsum Timotheum scripta, *cap. 1.* vocet eum dilectum filium in fide, in *ejus loci comment.* dicemus.

Paulus cur Timotheum suum filium vocet.

ET FIDELIS IN DOMINO. Id est, fidelem mihi operam præstans in iis quæ ad Christum & ejus evangelium propagandum pertinent. Quo nomine egregiè eum commendat in *epist. ad Philip. cap. 2.* & jam antè commendaverat Thessalonicensibus, 1. *epist. 3.*

Laus Timothei.

QUI VOS COMMONEFACIET VIAS MEAS QUÆ SUNT IN CHRISTO JESU. In Græcis plerisque non additur *Jesu*. Sensus est: Qui in memoriam vobis reducet, (id enim significat Græcum verbum ἀναμνήσει) meam conversationem, prædicationem, pericula, labores, & horum tolerantiam; denique totum vitæ meæ institutum, quod sequor in religione Christi: Quibus cognitis habeatis quod in me, ut filii in patre, imitemini. Vias pro conversatione vitæ dixit phrasi Hebræa: tametsi quidam hîc etiam ad doctrinam extendunt, ne per novos magistros ab Apostoli sui doctrina se patiantur abduci.

Viæ pro actionibus vitæ.

SICUT UBIQUE IN OMNI ECCLESIA DOCEO. Nihil, inquit, peculiare vobis injungo: sed illud exigo quod passim ab aliis, ut scilicet exempla Apostolorum imitentur. Quod si vias ad doctrinam placeat extendere; sensus commodior erit: ut hinc quoque discamus veritatem Christianæ religionis, apud omnes & semper, eamdem esse: nec loco nec tempore variare. Utrumque sensum videre est apud Aquinatem.

Veritas Christiana apud omnes eadem.

18. TAMQUAM NON VENTURUS SIM AD VOS, SIC INFLATI SUNT QUIDAM. *Sic* additum est ab interprete, ut plenior esset sententia. *Venturus* Græcè quidem participium est præsentis temporis ἐρχόμενος, sed significationem habet futuri. Unde in evangeliis ὁ ἐρχόμενος, *ille qui venturus est.* De quo vocabulo alibi plura. Ne Corinthii suspicarentur Paulum non venturum ad ipsos, eò quòd Timotheum misisset; ideoque securiores ac segniores minus præstarent officium vitæ Christianæ; præmonet eos de suo adventu; maximè propter quosdam, qui, quemadmodum mali discipuli absente præceptore, & mali domestici absente domino, ferociùs atque insolentiùs se gerebant, non sine contemptu ecclesiasticæ disciplinæ. Hoc est enim quod ait, *inflati sunt quidam*, tametsi præcipuè hoc in illos sapientiæ professores dicitur. Inflat enim sapientia sæcularis. Parcit autem nominibus, ne quasi injuria affecti irritentur, & insanabiles se cùm venerit, exhibeant.

Sapientia sæcularis inflat.

19. VENIAM AUTEM AD VOS CITO. *Citò*, Græcè quidem ταχέως id eſt, *citò, celeriter*: quod tamen non ad celeritatem profectionis, ſed ad brevitatem temporis quo venturus ſit, referendum eſt. Hinc alii vertunt, *brevi, actutum*. Non ita tamen brevi id ſe facturum ſentit, ut non pertranſita prius Macedonia: quod declarat *infrà cap. ult.* Deinde non eſt hic ſermo prædicentis quod futurum ſit, ſed ſimpliciter ſignificantis animi ſui propoſitum, vel etiam promittentis: quod tamen promittentis propoſitum multipliciter impediri poterat; ſicut & revera impeditum fuit; ſaltem ne brevi veniret: quemadmodum ex ſecunda epiſtola cap. 1. patebit. Unde & prudenter addit.

Promittit Paulus, non prædicit.

Nota pium monitum.

SI DOMINUS VOLUERIT. Præceptum eſt Jacobi Apoſtoli cap. 4. ut quoties dicimus nos aliquid eſſe facturos, addamus; *Si Dominus voluerit*. Addamus, inquam, ſi non ſemper voce, ſemper tamen animo ac cogitatione. Et meritò. Nam ut dicitur Proverb. 16. *Cor hominis diſponit viam ſuam: ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus.*

ET COGNOSCAM NON SERMONEM EORUM QUI INFLATI SUNT, SED VIRTUTEM. Græcè δύναμιν *potentiam*, Multi ſic exponunt: Cùm venero, experiar & probabo, non quam pulchrè loquantur illi inflati & arrogantes magiſtri; ſed quàm benè operentur, id eſt, quàm Chriſtianè vivant. Nam virtus in opere conſpicitur. Atqui viriſimilius eſt virtutem intelligi in effectu doctrinæ quam tradebant; ut ſenſus ſit; Videbo non quam ſcitè loquantur: ſed quantum apud vos ſua ſcientia & doctrina quam jactant, profecerint: id eſt, quàm per eos ſitis benè reformati: quàm omnia rectè ſe habeant apud vos per illos magiſtros eloquentes & ſapientes quos admiramini. Tranſitum enim parat occulto quodam artificio ad ſequentem objurgationem. Satis etiam hinc apparet, per eos quos jam ſecundò inflatos vocat; illos precipuè notari, ſicut dixi, qui ſe pro magiſtris venditabant apud Corinthios.

Non in ſermone, ſed in virtute regnum Dei.

20. NON ENIM IN SERMONE EST REGNUM DEI, SED IN VIRTUTE. *Eſt*, additum ab interprete. Partem hanc ita exponunt: Regnum Dei nobis exhibitum per Chriſtum, quo nimirum Deus in nobis regnat, non conſiſtit in ornatu ſermonis inſtructi ſapientia ſæculari, ſed in virtute, ſcilicet ea quæ bonis operibus demonſtratur. Sic Oecumenius & alii plerique: ut hoc dictum ſit non diſſimili ratione cum eo quod dicit *Rom.* 14. regnum Dei non eſſe cibum & potum, ſed juſtitiam & pacem, &c.

Verùm probabilius eſt, ut antè expoſui, virtutem intelligi in effectu ſermonis. Per hoc enim regnum Dei promovetur, ſi ſermo prædicatoris ſit efficax in animis auditorum, ut juſtitiam & pacem & cætera quæ regni Dei ſunt, operentur. Senſus hic acceptior erit, ſi ſecundo loco tam in hac parte, quàm in præcedenti, ſuppleas id quod ex priori loco videtur Apoſtolus intelligendum relinquere, nimirum hoc pacto: *ſed virtutem* ſermonis, *ſed in virtute* ſermonis. Virtus enim ſermonis apparet in opere auditoris. Illud haud placet, quod Theophylactus & Cajetanus utrobique virtutem interpretantur poteſtatem miraculorum. Non enim probandus eſt bonus doctor per miracula, ut ita demum approbetur ſi miracula faciat quando nec Joannes Baptiſta ſignum ullum fecit, *Joan.* 10. Neque regnum Dei conſiſtit in miraculis niſi ſecundariò; ſed maximè probatur ſermo doctoris ex vero ac ſpirituali profectu diſcipulorum.

21. QUID VULTIS? Hîc ſcholia Græca novum caput inchoant. Pertinent enim iſta hujus capitis extrema ad argumentum ſequentis: & ſic ea tractat Auguſtinus *lib. 3. contra epiſt. Parmeniani cap.* 1. Senſus: Optionem vobis do eligendi alterum ex duobus. Liberum vobis eſt utrum velitis, eligere. Locus manifeſtus pro libero arbitrio.

IN VIRGA VENIAM AD VOS? *Veniam* ſubjunctivi modi eſt, Græcè ἔλθω. Subauditur enim, ut. *In virga*, Hebraiſmus; id eſt, cum virga. Significat autem virga metonymicè ſeveritatem diſciplinæ, cum authoritate eam exercendi. Erat enim Apoſtolis data à Chriſto poteſtas, pœnis quibuſdam animadvertendi in eos qui gravius delinquerent: quæ & procul dubio tranſivit ad eorum ſucceſſores. Hanc poteſtatem Paulus exercet *cap. ſeq.* Meminit autem ejus & *in 2. epiſt. cap.* 10. & 13. dicens eam ſibi datam à Domino *in ædificationem & non in deſtructionem*. Porrò virgam nominat, non gladium: tametſi gladium abſciſſionis, id eſt, excommunicationis jam cogitans: quia patrem ſe dixerat. Patris enim eſt virga caſtigare filium.

Obſerva locum pro libero arbitrio.

Quæ poteſtas virgæ nomine ſignificata.

AN IN CHARITATE ET SPIRITU MANSUETUDINIS. Id eſt; an vultis ut veniens oſtendam erga vos amorem & manſuetudinis ſeu lenitatis affectum. Quamvis enim Apoſtoli ſemper animo gererent charitatem & manſuetudinem erga fideles; non tamen eam ſemper oſtendebant. Nam percutere & punire non videtur eſſe amoris ſed odij, licet dum à patre fit, ex amore latente proficiſcatur. Cæterùm in poteſtate Corinthiorum erat, utrum ex his duobus faceret Apoſtolus; quia ſi permanerent in peccatis, in virga venturus erat ad eos; ſi pœnitentiam agerent, venturus erat in charitate & ſpiritu manſuetudinis.

Virga non pugnat cum charitate.

Hunc locum paulò aliter intellexit Auguſtinus ſuprà citatus. Sic enim ſcribit: *Numquid & virga ſine charitate eſt: quia ita contexuit: In virga veniam ad vos, an in charitate? Sed quod ſequitur, ſpiritu manſuetudinis; admonet intelligi, quia & virga charitatem habet: ſed aliud eſt charitas ſeveritatis, aliud charitas manſuetudinis. Una quidem charitas eſt, ſed diverſa in diverſis operatur.* Hæc Auguſtinus: ſecundùm quem non hîc facit antitheſim Paulus inter virgam & charitatem, ſed inter virgam & charitatem cum ſpiritu manſuetudinis. Atque id eſt quod dicit Hugo Victorinus: *nomen charitatis hic ex adjuncto reſtringi circa ſuavia & delectabilia quæ ex charitate fiunt.* Verùm hæc interpretatio coactior eſſe videtur: nec uſquam legimus charitatem manſuetudinis, aut ſeveritatis. Certè priorem ſenſum, qui obvius eſt, plerique omnes tradunt, tam Græci quàm Latini. Porrò quod non ſine cauſa virgam comminatus fuerit Apoſtolus, ſequentia verba declarant.

CAPUT V.

Lev. 18. 12 & 20. *b* 11. *Col.* 2. *a.* 5.

1. OMninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat. 2. Et vos inflati eſtis: & non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrùm qui hoc opus fecit. 3. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens eum, qui ſic operatus eſt. 4. In nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu, 5. Tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalus ſit in die Domini noſtri Jeſu-Chriſti. 6. Non eſt bona gloriatio veſtra. Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? 7. Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azimi. Etenim Paſcha noſtrum immoeſt Chriſtus 8. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: ſed in azimis ſinceritatis, & veritatis. 9. Scripſi vobis in epiſtola: Ne commiſceamini fornicariis. 10. Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis ſervientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe. 11. Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri; ſi is qui frater nominatur eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum ejuſmodi nec cibum ſumere. 12. Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? Nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis? 13. Nam eos, qui foris ſunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipſis.

Gal. 5. *b.* 9.

SUMMARIUM.

GRaviter eos increpat, quòd inceſtum hominem in ſuo cœtu tolerarent. Eumdem ſatanæ tradendum judicat in interitum carnis. Monet ut expurgato veteri fermento epulentur in azimis puræ converſationis. Alios quoque palam criminoſos fratres vitari præcipit.

OMNINO AUDITUR INTER VOS FORNICATIO. Incipit à narratione ; ſed quæ cum exaggeratione facinoris ſeveram habeat objurgationem, non ejus tantùm qui facinus admiſerat, quod hîc narratur ; ſed totius eccleſiæ Corinthiorum, quæ ſinebat impunitum, non ſine gravi culpa negligentiæ. *Omninò*, inquit, *auditur inter vos fornicatio*, id eſt, non levis rumor ſed conſtans fama eſt, ac res notior, quàm ut negari poſſit, fornicationem apud vos committi. Nam illud *inter vos* ad fornicationem, non ad auditum refertur. Fornicatio, Græcè πορνεία (*ſtuprum* alij vertunt) more ſcripturæ generaliter accipitur pro quovis concubitu non conjugali: ut etiam adulterium, inceſtum, & ejus generis alia comprehendat.

Fornicatio quid ſignificet in ſcripturis

ET TALIS FORNICATIO QUALIS NEC INTER GENTES. Græcè *Quæ nec in Gentibus*, ſive *inter Gentes nominatur*. Quamquam illud *nominatur*, non à Paulo ſcriptum, ſed à Græco quopiam aſſcriptum ſuſpicari licet, ſive explendæ ſententiæ cauſa, ſive ex occaſione ſimilis loci Eph. 5. *nec nominatur in vobis*. Nam in Latinis certè nullis ſcriptum reperitur, ac ſermonem reddit nimis hyperbolicum : ut non immeritò cenſeat Eraſmus Latinorum codicum lectionem eſſe ſinceriorem ; ſecundùm quam repetendum eſt ex parte priori verbum *additur* ; ut ſenſus ſit : Et quidem ejus generis fornicatio, quæ nec inter Gentiles à Dei notitia alienos, audiri ſolet. Cæterùm fornicarius iſte Judæuſne fuerit an Gentilis, haud liquet. Illud ſatis conſtat, inter Corinthios fideles etiam Judæos aliquos fuiſſe ; qua de re diximus in argumento epiſtolæ. Si Judæus fuit, dictum eſt ad majorem ejus pudorem, *qualis nec inter Gentes*. Nam turpiſſimum erat in Judæo qui legem à Deo acceperat, inveniri flagitium quale nec inter Gentes. Sed veriſimilius eſt Gentilem fuiſſem. Nam tantum in Judæo facinus eccleſia Gentilium non perinde toleraſſet.

Uxor patris quæ dicatur.

ITA UT UXOREM PATRIS ALIQUIS HABEAT. Nomen non exprimit, parcens auribus legentium. Nam nec erat neceſſe, quum ſatis eſſet notum ob publicum rumorem. Uxorem patris intelligit novercam, non matrem ; ut accepiſſe videtur Liranus. Loquitur autem Apoſtolus non de relicta patris demortui, ſed de uxore patris viventis, id eſt, de ea quæ jam tum adhuc erat uxor patris ; ut in eodem facinore duo non ferenda crimina notari intelligas, inceſtum & adulterium. Id ſatis apparet tum ex graviſſima exaggeratione facti ; tum quia 2. *Cor.* 7. dicit tamquam de vivente ; *nec propter eum qui paſſus eſt injuriam*. Primaſij commentarius, qui concubinam patris interpretatur, admitti non poteſt ; niſi quo ſenſu ſecundùm ſcripturas eadem eſſe poteſt uxor & concubina : tametſi nec ſic appareat, cur putemus fuiſſe concubinam.

Jam in eo quod dicit Apoſtolus *habeat*, non ſentit quòd eam duxerit uxorem, aut uxoris loco habeat, quemadmodum exponit Eraſmus in ſua paraphraſi : quamvis & Syrus interpres ita videtur intellexiſſe, dum vertit ; *adeo ut acceperit filius uxorem patris ſui*. Et quomodo ducere potuit eam uxorem, quando ne Gentilium quidem leges aut mores ejuſmodi conjugium ſuſtinebant ? Atqui nec illud modò ſignificat, quod cum ea ſemel aut ſæpius concubuerit, jam ceſſans à facinore : non enim dicit, habuerit, ſed *habeat* : Verùm ſentit quòd cum ea uſque adhuc commiſceatur & conſuetudinem habeat carnalem. Nam habere pro eo quod eſt uti, in uſu habere, frequens eſt in ſacris litteris. Unde Matth. 11. *Qui habet dabitur ei ; qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo*. Et quod ad preſentem materiam attinet, Ezech. 23. ubi de duabus mulieribus ſermo eſt, dicitur : *Et habui eas, & pepererunt filios & filias*. Sic infrà *cap.* 7. hujus epiſt. *Propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaqueque ſuum virum* ; id eſt, utatur. De quo ſenſu plura dicturi ſumus eo loco.

Habere pro uti in ſcripturis.

Quæret aliquis, quomodo dixerit Apoſtolus hujuſmodi fornicationem non eſſe, vel non audiri inter Gentes : cùm Dominus in Levitico *cap.* 18. poſtquam inter alia vetuiſſet dicens : *Turpitudinem uxoris patris non diſcooperies. Turpitudo enim patris tui eſt*, ſubjunxit in fine : *Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ ſunt univerſæ Gentes, quas ego ejiciam ante conſpectum veſtrum*. Nam & in aliis Gentibus ſimilia, vel etiam turpiora quædam facta produnt hiſtoriæ. Quin & in familia Patriarchæ Jacob conſimile flagitium perpetratum legitur *Geneſ.* 35. Tale etiam David paſſus à filio ſuo Abſalomo, 2. *Reg.* 16.

Quæſtio.

Primum *Reſpondeo*, Moyſen loqui de uxore patris defuncti, aut ſaltem ea quæ repudiata eſſet, ut jam pro uxore non haberetur. Nam alioqui generalis erat & capitalis in lege prohibitio, *Non mœchaberis*. Hic autem ſermo eſt, ut dixi, de uxore patris viventis. Deinde ſi quid ſimile huic aliquando factum eſſet inter Gentes, vel etiam in populo Dei ; id & rarum fuit, & non ſine horrore audiebatur. Quamquam non arbitror Apoſtolum loqui de Gentibus in univerſum : ſed de Gentibus illo tempore notis ; quæ ut plurimùm regebantur legibus Romanis ad publicam honeſtatem accommodatis : ut non facilè apud eas audiretur, quempiam habere conſuetudinem cum uxore patris viventis.

Reſponſio.

2. ET VOS INFLATI ESTIS ? Hæc legenda videntur interrogativè. Sic enim vehementior erit objurgatio. Cum ſitis, inquit, conſcij turpitudinis apud vos admiſſæ, cumque ejus rei fama paſſim pervagetur ; voſne adhuc inflati eſtis, & contentionibus vacatis, & vobis placetis ? Non hoc ad omnes pertinet Corinthios fideles : ſed partim ad magiſtros, de quibus dixerat : *Inflati ſunt quidam*, & iterùm, *Cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem*, partim ad factioſos diſcipulos, de quibus, *ne unus adverſus alterum infletur pro alio*. Græci interpretes ſuſpicantur hos inflatos fuiſſe propter doctrinam quam ab illo fornicario percipiebant : ut qui unus eſſet illorum quos ſapientiæ nomine Corinthij venerabantur. Huc etiam referunt id quod infrà dicit Apolus : *Non eſt bona gloriatio veſtra*. Quo loco dicemus quid de hoc commentario nobis videatur.

Corinthius fornicarius an unus ex ſapientibus.

ET NON MAGIS LUCTUM HABUISTIS. *Luctum habuiſtis*, ἐπενθήσατε *luxiſtis*. Ita Tertullianus : *Et non luxiſtis potiùs*. Interpres amphibolum vitare voluit. Nam *luxiſtis* etiam dicitur à luceo. Luctum exigit Apoſtolus, velut de publico dedecore & ſcandalo. Quippe ea res luctum etiam publicum merebatur.

UT TOLLATUR DE MEDIO VESTRUM QUI HOC OPUS FECIT ? Ac ſi dicat : Lugere debuiſtis & dolere, non quocumque modo ; ſed cum ſtudio tollendi tantum malum è vobis. Eum qui tantum flagitium perpetravit, ejicere debuiſtis aut ejiciendum curare è veſtro conſortio, per excommunicationis cenſuram. Hoc enim genus ejectionis ſignificari, patebit ex ſequentibus : atque ex eo maximè, quòd ad extremum præcipit, dicens, *Auferte malum ex vobis ipſis*.

Quid tollere quempiam de medio fratrum.

3. EGO QUIDEM ABSENS CORPORE, PRÆSENS AUTEM SPIRITU. Poſt objurgationem remedium nunc præſcribit, malè ab illis dilatum : remedium, inquam, excommunicationem, utrique valiturum ; eccleſiæ, ne corrumpatur ; & ei qui peccavit, ut cor-

rigatur. Græcè, *Nam ego quidem ut abſens corpore*, &c. tametſi vocula ὡς *ut*, *tamquam*, ſuperflua videtur hoc loco. Quare nec Syrus interpres eam reddidit. Addita fortè, quò reſponderet ei quod ſequitur, *judicavi ut præſens*. Porrò ſpiritu præſentem ſe dicit, hoc eſt animo, affectu, ſolicitudine. Nonnulli præſentem ſpiritu interpretantur, quod per ſpiritum noſſet ea quæ apud Corinthios agebantur, atque ſi præſens eſſet: quomodo dictum eſt ab Eliſæo 4. Reg. 5. *Nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo?* Meminit etiam hujus expoſitionis Aquinas. Sed priorem priori loco poſuit; quam & confirmat ex loco ſimili ejuſdem Apoſtoli, Col. 2. *Etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum, gaudens & videns ordinem veſtrum*

Quid ſpiritu præſentem eſſe.

JAM JUDICAVI UT PRÆSENS. Hoc eſt, tamquam præſens, ac ſi præſens eſſem etiam corpore, *jam judicavi*, id eſt, decrevi, apud me ſtatui. Cajetanus ſic apponit, *Jam jus dixi decernendo ſententiam*. Non enim Apoſtolus ſententiam excommunicationis jam tulerat; quamvis id affirmare videtur Theophylactus: Sed auctoritate juriſdictionis decreverat ſententiam ferendam. Unde adhuc poſteà dicit: *Auferte malum ex vobis ipſis*. Inde enim manifeſtè apparet hunc inceſtum nec priùs fuiſſe ab Apoſtolo excommunicatum, quàm hæc ſcriberet; nec, ut alii quidam putant, his ipſis verbis ab Apoſtolo excommunicari: ſed hoc tantùm ſignificari quod jam decreverit ſeu judicaverit excommunicandum; quemadmodum id ab eodem Cajetano ſtudiosè eſt annotatum. Quamquam ſive excommunicaverit, ſive excommunicandum decreverit,

Paulus inceſtum non excommunicat, ſed excommunicandum decernit.

Quæſtio. Occurrit *quæſtio*; Cur non injuſtum ſit hoc Pauli judicium ſive decretum: quandoquidem jus etiam naturale vetat quemquam abſentem & inauditum condemnari. Nam & Feſtus proconſul *Act.* 25. negat Romanis eſſe conſuetudinem, ut aliquem tradant puniendum, priuſquam *præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina*. Nec ſatis eſt quod Paulus ſpiritu ſe preſentem dicit. Nam ea præſentia non ſufficit ad audiendum reum, cauſamque ejus cognoſcendam & examinandam.

Reſponſio Verùm facilis eſt reſponſio, jus illud ceſſare, ubi crimen eſt notorium, quale iſtud fuiſſe conſtat ex initio hujus capitis. Quo loco *notandum* quamdam eſſe famam, quæ tantùm gignit præſumptionem, ut juriſperiti loquuntur: & hæc inquiſitionem requirit, ut ad punitionem criminis procedatur: aliam verò quæ certitudinem faciat, ut de re notoria; præter quam non ſit opus inquiſitione, ut crimen puniatur. Hujuſmodi famam ſignificavit Apoſtolus, quando dixit, *Omninò auditur*.

Quo caſu abſens judicari & confirmari poſſit.

Alia quæſtio. At rurſum *quæres*, quomodo juſta ſit excommunicatio, quam nulla monitio præceſſit: quum ita demum excommunicari quis poſſit, ſi contumax fuerit in delicto, id eſt, ſi eccleſiam monentem & corripientem non audierit, *Matth.* 18. Nec dici poteſt eum jam antè ab eccleſia Corinthiorum monitum fuiſſe. Nam ſi id factum fuiſſet, non ita durè Corinthios Apoſtolus propter hoc factum increparet. Accedit quod Apoſtolo videtur ſufficiens eſſe cauſa excommunicandi hominem illum: quia hoc opus fecerat; non habita ratione monitionis alicujus ſubſecutæ. Dicit enim, *qui operatus eſt*, & ſuprà, *qui hoc opus fecit*.

Nemo niſi contumax excommunicandus.

Reſponſio qua docetur inceſtum illum contumacem fuiſſe. Primùm *reſpondeo* manifeſtè ſignificari perſeverantiam in delicto, tum ſuperioribus illis verbis: *Ita ut uxorem patris aliquis habeat*: tum iſtis ſequentibus, *ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini*. Nam ſi jam pœnitens receſſerat à peccato, ſalvus erat in ſpe. *Cum* enim *converſus ingemueris, ſalvus eris*, Iſaiæ 30. ſecundum LXX. Præterà nec dubium quin à quibuſdam piis fidelibus admonitus & correptus jam antè fuerit; licet eccleſia in eo corripiendo negligentior eſſet. Ac nihilominus, ut jam dixi, non eum Apoſtolus hîc excommunicat, ſed excommunicandum decernit; cum eo tamen intellectu, ut debitam monitionem præmitti velit: ut ſi eam contempſerit, ad excommunicationem procedatur. Neque enim Apoſtolo propoſitum fuit, totum rei gerendæ ordinem, qui per manus tradebatur, hîc præſcribere.

Denique ſi minùs hæc ſatisfaciunt, dici poteſt præceſſiſſe monitionem canonis ab ipſo Apoſtolo lati. Id enim ſignificari per hoc quod inferiùs ait: *Scripſi vobis in epiſtola, ne commiſceamini fornicariis*. Et iterùm, *Scripſi vobis non commiſceri, ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens*, &c. *cum ejuſmodi nec cibum ſumere*. Ecce canonis Apoſtolici præmonitio, qua excommunicationem talibus denunciat. Et quamvis in his verbis, minor quædam excommunicatio ſignificata ſit, ut infrà docebimus: tamen de majori excommunicatione, reſpectu graviorum criminum, par ratio eſt.

EUM QUI SIC OPERATUS EST. Græcè & Syriacè, *eum qui ſic hoc operatus eſt*, id eſt qui tale ac tantum facinus perpetravit, intellige, & in eo adhuc perſeverat. Regitur accuſandi caſus à verbo *tradere*, inferiùs poſito.

4. IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI. Dubium, quònam hæc pars referenda ſit; utrum ad verbum *judicavi*, quod præceſſit; an ad illud *congregatis vobis & meo ſpiritu*, quod proximè ſequitur; an denique ad illud remotius, *tradere hujuſmodi ſatanæ*. Poteſt ſanè ad quodlibet horum non ineptè referri. Ad *primum* quidem, quia judicandi poteſtatem habebat Apoſtolus ut Chriſti vicarius & miniſter. Atque eò refert Thomas in commentario. Ad *ſecundum*, quia ſcriptum eſt: *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo*. *Matth.* 18. Quò reſpexiſſe Paulum nonnulli putant; ut ſenſus ſit, congregandos eſſe propter Chriſtum, ſeu cauſam ad eum pertinentem; qualis eſt omnis cauſa eccleſiæ: nimirum ut gloria Chriſti & ſalus eccleſiæ promoveatur. Ad *tertium*, quia & ipſa poteſtatis exſecutio fit nomine Chriſti, id eſt, ejus vice & authoritate, ſive ad ligandum ſive ad ſolvendum. Sic enim & in 2. *epiſt. cap.* 2. dicit ſe donare quod reliquum erat pœnæ, *in perſona Chriſti*. Et hoc poſtremum magis videtur Paulus voluiſſe, qui & tradere & donare ſe ſignificat in Chriſti nomine & perſona; nec privatæ ac præſumptæ poteſtatis arbitrio rem tantam agere quoquo pacto videretur.

CONGREGATIS VOBIS. Uult rem agi in conventu publico; ut omnes intellecta gravitate criminis, juſtam agnoſcant eſſe pœnam: nec ſit poſteà qui perſonam aut factum velit defendere. Proinde non eſt ex hoc loco conſequens, excommunicandi poteſtatem ad multitudinem fidelium pertinere, tametſi multitudo quodam etiam ſenſu excommunicat: nempe quatenus ad excommunicationem, tam approbando & ſuffragando ut fiat, quàm ipſum jam excommunicatum vitando, cooperatur.

Excommunicandi poteſtas non eſt penes multitudinem fidelium.

Quæres, quiſnam igitur hunc inceſtum excommunicaverit; ſi neque Paulus id fecerit, neque Corinthij fideles. *Reſpondeo*, ſententiam excommunicationis latam fuiſſe à Corinthiis, non omnibus, ſed iis qui præerant eccleſiæ, vel certè ab aliquo eorum; ex judicio tamen ac juſſu Pauli prævio.

Quæſtio.

Reſponſio.

ET MEO SPIRITU. Scilicet vobiſcum congregato: id eſt, me quoque, licet abſens ſim corpore, Spiritu tamen & affectu, atque etiam per hoc decretum, vobis adfuturo, & unà vobiſcum facturo id quod vobis injungo.

CUM VIRTUTE DOMINI NOSTRI JESU. Multi codices aſtipulantibus Græcis & Syriacis addunt *Chriſti*. Partem hanc quidam conſtrunt cum eo quod ſequitur, *tradere hujuſmodi ſatanæ*. Hoc enim facturi

erant per virtutem, id est, potestatem Christi; vel ut Cajetanus exponit, assistente sibi potestate Christi; eo quod ad istiusmodi traditionem opus esset peculiari potestate, solis Apostolis, ut ait, communicata. Sed si id vellet Paulus, suo ac scripturæ more diceret, *in virtute*, non autem *cum virtute*. Rectiùs igitur qui præcedentibus adjungunt: ut significet Apostolus non modo se spiritu præsentem fore Corinthiis in unum congregatis; verùm etiam Christum iis adfuturum cum virtute sua, qua res perficiatur: id quod expressit Erasmi versio: *unà cum potestate Domini nostri*, &c. Atque ita partem hanc exponunt Primasius, Hervæus, Aquinas & author glossæ ordinariæ. Chrysostomus & post eum Thophyl. utriusque constructionis sensum indicarunt.

5. TRADERE HUJUSMODI SATANÆ. *Hujusmodi* scilicet hominem, id est, *eum qui sic operatus est*. Hoc enim illius repetitio est. Jam, inquit, judicavi tradendum hujusmodi hominem satanæ, id est, in diaboli adversarij nostri potestatem; idque per sententiam excommunicationis in eum ferendam. Similis locus 1. *Tim.* 1. ubi se dicit Hymenæum & Alexandrum tradidisse satanæ: Sed quis fuerit hujus traditionis effectus non uno modo ab omnibus explicatur.

Quid tradere hominem satanæ.

Chrysostomi ac reliquorum Græcorum sententia est, hominem qui id mereretur, ita tradi solere satanæ in potestatem, ut corporaliter ab eo vexaretur, vel per morbum, vel aliter, citra mortem tamen; quomodo S. Job. legitur potestati satanæ traditus à Deo, vita salva. Nam ejus exemplum à plerisque huc adducitur. Probant autem ex eo quod Paulus addidit, *In interitum carnis*, id est (ut illi exponunt) ad afflictionem, seu vexationem corporis. Atque huc referunt quod Christus in evangelio *Marc. 6.* dedisse legitur Apostolis *potestatem spirituum immundorum*: utpote non ad hoc tantùm ut illos ejicerent ex obsessis hominum corporibus, verùm ut homines quos hac pœna dignos judicarent, corporaliter ab illis obsidendos atque vexandos traderent. Unde & de S. Ambrosio refert in ejus vita Paulinus: quod cum aliquando quemdam hominem satanæ tradidisset, *eodem momento spiritus immundus arreptum discerpere cœpit*. Et quidem hunc Apostoli locum idem Ambrosius *lib. 1. de pœnit. cap. 12. & sequentibus* interpretatur ut Græci, de corporis afflictione, eaque citra mortem; ut esset castigatio carnis, non absumptio.

An hujus traditionis effectus afflictio corporalis, opinio Græcorum.

Nec diversa fuisse videtur sententia Paciani in *epist. 3. ad Simpronian.* Dicit enim hunc hominem traditum satanæ *ad colaphizandum*: deinde nominat *carnis angustias & detrimenta membrorum*. Accedit his Primasius *in comment.* & inter alios Haimo, locum hunc exponens de gravi ægritudine, quæ tamen amentem aut phreneticum non redderet: atque id rectè quidem. Nam amentis hominis nec pœnitentia posset exspectari, nec salus sperari in die Domini. Subscribit expositioni Græcorum etiam Cajetanus; nisi quod hanc istius Corinthij satanicam vexationem durasse dicat usque ad mortem, etsi non repentinam, ut contigit Ananiæ & Saphiræ, quos itidem dicit à Petro satanæ traditos fuisse. De morte confirmat, quia dicit Apostolus *In interitum carnis*.

Effectus traditionis non erat amentia,

Verùm id haud consentaneum est iis quæ de fornicario in gratiam recepto, facta ei pœnæ condonatione, scribuntur in 2. epistola capite 2. etiam juxta ejusdem Cajetani commentarium. Mortis quidem meminit etiam August. *lib 1. de serm. Dom. in monte cap. 20. & lib. contra epist. Parmen. cap. 1.* non tamen affirmans eam sententiam, sed ut incertam referens.

Græcorum sententia refellitur.

Sanè quod ad Græcorum opinionem in universum attinet, eam alij non probant, hujusmodi rationibus adducti. Primùm quia nulla vetus historia prodit eos quos Apostoli satanæ tradidisse leguntur, corporaliter ab eo vexatos fuisse. Nam de Anania quidem & Saphira, qui ad horibilem Petri increpationem statim mortui conciderunt: nec scriptura nec veterum quisquam dixit id quod Cajetanus: eos satanæ traditos fuisse à Petro. Judas verò proditor quem satanæ traditum à Christo testantur August. *tract. 62. in Joan.* & Chrysost. *hom. 5. super 1. Tim. 1.* non tamen corporaliter à satana possessus legitur, sed tantum spiritualiter. His accedit quod *in 2. epist. cap. 2.* & 7. quibus locis resumitur sermo de fornicario jam conversо & pœnitente, nulla fit mentio vexationis aut infirmitatis corporalis, quam passus esset à dæmone, sed tantùm abundantis tristitiæ, qua nimirum affectus fuerat propter ejectionem suam è consortio fidelium. Quamobrem monet Corinthios Paulus, ut illum consolentur & confirment in eum charitatem.

Judas proditor satanæ traditus.

Quod si dæmoni traditus fuisset corporaliter exagitandus; debuisset posteà conversus, eodem Apostolo jubente, à dæmonis vexatione liberari. Atqui nihil tale circa eum factum fuisse legimus, nec in secunda epistola, nec apud ipsos Græcos commentatores. *Deinde* si traditus fuit satanæ ad vexationem corporalem, sive per morbum, sive per aliquid simile; non ergo tam vitandus erat fratribus, quod Paulus præcipit, quàm officiis humanitatis ab eis adjuvandus, & ægrotorum aut energumenorum more curandus. *Adde* quod vexatio corporis parum commodè vocatur interitus carnis, illis præsertim qui vexationem hanc nolunt esse ad mortem: quoniam nec ita loqui solet scriptura. *Denique* si Apostoli morbos immittebant hominibus, vel arrepticios reddebant; convenire potuissent apud judices infideles tamquam malefici, non sine ipsorum periculo & Christianæ religionis infamatione. Nam quod de S. Ambrosio narratur, hominem ab eo satanæ traditum, repentè factum arrepticium: sub Christiano principe gestum fuit, & specialem habuit rationem. Fuerat enim ille homo multò antè dæmoniacus, & Dei beneficio liberatus. Itaque justum & congruum erat, ut ob novum facinus perpetratum, in priorem pœnam recideret.

Nec pro Græcis illud facit, quod Marcus refert Apostolis datam à Domino *potestatem spirituum immundorum*. Nam ut plenius apud Mathæum legitur, cap. 10. *dedit illis potestatem spirituum immundorum ut ejicerent eos*, ac sequitur, *& curarent omnem languorem & omnem infirmitatem*, non autem ut languores & infirmitates immitterent. Leguntur quidem Petrus & Paulus sententiam pronunciasse formidabilem, alter mortis in Ananiam & Saphiram, alter cæcitatis in Elymam magum, *Act. 5. & 13.* sed hæc prorsus extraordinaria fuerunt. Hîc autem de ordinaria potestate qua adversus contumaces ecclesiæ filios utebantur Apostoli, sermo est.

Cum igitur ex his appareat quam non multum probalitatis habeat Græcorum commentarius; aliorum sententiæ potiùs accedendum videtur, qui traditionem hominis in potestatem satanæ, de qua Paulus agit, interpretantur ejectionem ejus ac separationem à societate fidelium, id est, excommunicationem majorem, maximè eam quæ nominatim ac publicè solemnibus adhibitis, adversus aliquem fulminatur; sive per Apostolum fiat, sive per quemlibet Apostoli in ea potestate successorem: non habita ratione corporalis alicujus vexationis per satanam inferendæ.

Verior sententia, per hanc traditionem significari excommunicationem majorem.

Dicuntur enim qui ad hunc modum excommunicantur, tradi satanæ: quia projecti extra societatem fidelium, quæ est ecclesia Christi, & per hoc privati bonis omnibus illi societati propriis ac peculiaribus, veluti sunt orationes ac suffragia communia, sacramentorum participatio specialis, divina protectio, cura pastoralis eorum qui præsunt, & cætera talia;

Cur excommunicati dicantur traditi satanæ.

tyrannidi & incurſibus diaboli, cujus regnum eſt extra eccleſiam, ita relinquuntur expoſiti; ut jam multò quàm antè cum adhuc eſſent in eccleſia, faciliùs ac propenſiùs in omne genus vitiorum, ab illo impulſi, præcipites ruant.

Non igitur directè tradit hominem ſatanæ, quì eum excommunicat, ſed ex conſequenti. Nam eo ipſo quo quis ejicitur extra eccleſiam, quæ regnum eſt Chriſti; conſequens eſt illum eo conſtitui loco, ubi liberè tamquam in ſuo regno graſſatur diabolus. Hic commentarius eſt apud Latinos, ut nuncupatum Ambroſium, Pelagium, Primaſium, Hugonem, Lombardum, Hervæum, Aquinatem, & authorem gloſſæ ordinariæ. Quorum etſi plerique etiam priorem ſenſum referant; hunc tamen poſteriorem ex propria ſententia potiùs adferre videntur; ut eis hoc ſit tradi ſatanæ, quod eſt excommunicari; quamvis nulla corporalis infeſtatio quæ fiat à dæmone, conjuncta fuerit. Qui ſenſus etiam eſt apud Theodorum quemdam Græcum Pauli interpretem (Heracleoten ſuſpicor:) cujus verba recitat Gaignæus.

Sed & Auguſtinus *lib. 3. contra epiſt. Parmen.* quum prius dubiè de hac re locutus fuiſſet: poſteà capite 2. ſatis apertè traditionem hujuſmodi ſimpliciter interpretatur anathema. Quo nomine non aliud quam excommunicationem, quæ in uſu eſt Eccleſiæ, eum ſignificare voluiſſe, liquet ex ejus libro de fide & operibus capite vigeſimo-ſexto, ubi rurſus traditionem illam exponens, excommunicationem nominat: qua nimirum peccata quædam graviora ab eccleſia plecti ſolent. Imò diſertè pœnam hanc anathematis non corporalem eſſe, ſed ſpiritualem animas obligantem, affirmat in epiſtola ſeptuaginta-quinta, quæ eſt ad Auxilium epiſcopum.

Excommunicatio non corporalis pœna, ſed ſpiritualis, animas obligans.

Quod autem ob rationem ſupradictam excommunicati dicantur ſatanæ traditi, declarant Innocentii primi pontificis ad concilium Carthaginenſe ſcribentis, illa verba, quibus monet epiſcopos, ut eos qui per hæreſin erant ab eccleſia ſeparati, revocent ad ovile Domini: *ne foris poſiti*, inquit, *& tanto præſidio à fide munitionis excluſi, periculis omnibus exponantur, devorandi luporum dentibus atque vexandi.* Nec aliud arbitror Hieronymum ſentire, cùm dicit ejectos *de eccleſia, rabido dæmonum ore* diſcerpi, in epiſtola prima, quæ eſt ad Heliodorum cap. 7.

Quid, quod & ipſe Chryſoſtomus hanc eamdem rationem adfert & explicat, tractans illud 1. Tim. 1. *quos tradidi ſatanæ*, & cum iſto loco conferens: Sic enim loquitur: *Ejiciebatur* inceſtus ille *à communi fidelium cœtu, abſcindebatur à grege, fiebat nudus: atque ita deſtitutus lupis patebat, & prodebatur incurſibus. Nam ſicut olim nubes Hebræorum caſtra tegebat, ita & eccleſiam protegit Spiritus-ſancti gratia. Si quis igitur extra eccleſiam fieret, comburebatur: fiebat autem extra eccleſiam Apoſtolorum judicio. Ita & Dominus Judam tradidit ſatanæ. Continuò enim poſt buccellam introivit in illum ſatanas.* Hæc Chryſoſtomus, quæ jure ſufficiant, ut profectò nihil ei neceſſe fuerit ullam afflictationem corporalem in hac traditione requirere: quemadmodum nec in Judæ proditore quærimus.

Ac ſanè poſteriorem hunc commentarium ipſe contextus verborum Apoſtoli non obſcurè ſuggerit. Cum enim dixiſſet: *Et non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrûm, qui hoc opus fecit*: mox præcipiens ut id fiat, quod dixerat fieri debuiſſe, dicit ſe jam judicaſſe tradendum hujuſmodi hominem ſatanæ. Quod rurſus exponens in fine capitis, ita præcipit; *Auferte malum ex vobis ipſis*: ut ſatis ex his appareat eadem eſſe Paulo, auferre ſeu tollere malum hominem de medio fratrum, ſcilicet per excommunicationem; & eum tradere ſatanæ.

Interitū carnis quē dicat Apoſtolus.

In interitum carnis. Græcè εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, *ad interitum* ſeu *perniciem carnis*. Id quo pacto exponant qui traditum hominem ſatanæ ſecundùm corpus intelligunt, ſuprà diximus; nempe de vexatione per morbum, aut ejuſmodi quamdam affectionem, qualis eſt energumenorum. Unde dicunt his verbis præfigi terminum ſatanæ; ut corpus dumtaxat tangeret; animæ parceret: ſicut & in Job factum eſt. At juxta alios ſenſus eſt; ad interitum & deſtructionem carnalis cupiditatis, quæ in illo homine dominabatur: ut nimirum caro, ſicut alias frequenter, accipiatur pro concupiſcentia carnali; vel, quod eodem recidit, pro homine quatenus carnali concupiſcentiæ ſubjectus eſt. Hoc modo carnem interpretatur Auguſtinus, ſcribens *adverſus Parmenian.* ubi dicit hunc hominem ſatanæ traditum, *ut interimeret in ſe ſceleratam carnis concupiſcentiam*: ſcilicet eam qua ad tantum facinus perpetrandum fuerat incitatus. Sic & alii qui pro poſteriori ſenſu partis præcedentis ſuprà citati ſunt.

Caro pro concupiſcentia carnali.

Ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu-Christi. *Salvus ſit* Græcè σωθῇ *ſalvetur*: ſive *ſalvus fiat*, id eſt, ſalutem conſequatur. Et loco ſequentium in Græco tantùm legitur, *in die Domini Jeſu.* Quæ lectio in quibuſdam etiam eſt Latinis mss. & apud Auguſtinum *lib. 22. contra Fauſtum cap. 79. & alibi.* Commentator Amb. ſpiritum hoc loco Spiritum-ſanctum intelligit, quemadmodum & in illis verbis 1. *Theſſ. 5. Ut integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu-Chriſti ſervetur.* Quam expoſitionem videre etiam eſt apud Oecumenium. Volunt autem hi Spiritum-ſanctum ſalvari non in ſeipſo, ſed in homine per donum ſpirituale: dum videlicet habetur ab homine Spiritus-ſanctus, atque in eo manet per ſuam gratiam.

Spiritus variè exponitur.

Et quamvis durus hic ſermo videatur, ut Spiritus-ſanctus dicatur ſalvari, probabilitatem tamen aliquam accipit, tum ex eo quod locutione non diſſimili dicitur alibi Spiritus-ſanctus contriſtari & extingui, *ut Epheſ. 4. 1. Theſſal. 5.* tum quia ſpiritum carni oppoſitum, ut opponitur hoc loco, Paulus *Galat. 5.* Spiritum-ſanctum intellexiſſe videtur. Verùm hîc iſtius intelligentiæ nulla neceſſitas, cùm per ſpiritum poſſit ipſum ſpirituale donum intelligi. Cujus expoſitionis Chryſoſt. & Theophyl. meminerunt: quamquam iidem cum aliis pleriſque, præſertim iis qui carnem corpus interpretati ſunt, per ſpiritum intelligunt animam. Imò ſic habet verſio quædam vetus, qua uſus eſt Auguſtinus libro primo de ſermone Domini in monte capite vigeſimo, *ut anima ſalva ſit.* Animam intellige quatenus eſt rationalis. Qui quidem ſenſus promptus ac facilis eſt.

Nec obſtat quod in die Domini, id eſt, in extremo judicio, non ſola anima, ſed etiam corpus ſalvum fiat. Nam in ſalute animæ potiſſimùm ſalus hominis conſiſtit: & ex ea ſalus corporis conſequitur ac dependet; quemadmodum annotant Græci commentatores. At verò ſecundùm eos qui nomine carnis intellexerunt carnalem cupiditatem, vel hominem quatenus carnalis eſt: ſpiritum conſimiliter interpretari poſſumus ſpiritualem hominis vitam, vel ipſum hominem quatenus ſpiritu renovatus eſt; ut totius periodi ſit hic ſenſus: Hominem iſtum ſatanæ tradendum, ut mortificentur in eo vitia carnis: atque ita ipſe homo ſpiritu renovatus ſalutem adipiſcatur in die quo Chriſtus Dominus venturus eſt ad judicium: videlicet auditurus illam judicis vocem cum cæteris electis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Matth. 25.

Nam quod quidam diem Domini interpretantur de judicio particulari quod fit in morte; non eſt conſonum ſcripturis, in quibus dies Domini relatus ad ſæculum futurum, ſemper indicat tempus univerſalis judicii; licet huic etiam particulare judicium ſuo modo reſpondeat. Notandum eſt igitur Apoſtolum his verbis: *in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit,* &c. declarare cauſam finalem excommunicationis

Dies Domini quis intelligatur.

ex parte ejus qui excõmunicatur. Ea namque est emendatio illius & salus. Quam causam excommunicationis etiam significavit. 1. *Timoth. 1.* dicens: *ut discant non blasphemare, & 2. Thess. 3. ut confundatur.*

Quomodo cedat excõmunicatio ad salutem excommunicati.

Sed *quares*: quî fieri possit ut ad interitum carnis & salutem spiritus homini cedat excommunicatio, qua satanæ traditur; quum illi qui sub diaboli sunt potestate, sicut dictum est suprà, multò jam liberiùs ac propensiùs serviant carni; magisque reddantur à salute spiritus alieni. *Respondemus*, excommunicationem ad effectum emendationis & salutis homini excommunicato proficere, non sua natura, sed ex occasione: dum ea pœna admonitus incipit cogitare propter quid patiatur, atque illud odisse propter quod patitur, id est, peccatum suum, quo pœnam illam commeruit: nimirum vexatione dante intellectum. Agitur autem hoc totum per Dei misericordiam, & piam excommunicantis intentionem; quæ est, ut peccator hujusmodi per corporalem ejectionem ac separationem pudefactus & contristatus, ad mentem redeat, & culpam agnoscat: denique humiliter petat illuc recipi unde fuit ejectus.

Orandum pro excommunicatis.

Hinc porrò consequens est, orandum esse pro excõmunicato. Nam salus ejus à Dei misericordia non rectè, nisi precibus ad Deum fusis, exspectatur. Ad quod faciendum ipsa etiam admonet excommunicationis pœna. Dum enim vident fideles fratrem à corpore suæ societatis separatum, periclitari ne prorsus pereat, excitatur eorum pietas ad orandũ Deum, ut membrum illud corpori rursus uniat, vitæque ac sanitati reddat. Hac de re plura à nobis & ab aliis, atque ex professo, dicta sunt *in 4. sent. dist.* 18.

6. NON EST BONA GLORIATIO VESTRA. *Est*, additum fuit ab interprete. Quidam Latini codices Augustini tempore, sicut ipse testatur *lib. 3. contra Parmen. cap. 2.* sine negatione legebant, *Bona gloriatio vestra*. Nec eam lectionem improbat; cum intelligi possit ironica exprobratio. Verùm hodie codices omnes constanter addunt negationem. Porrò gloriationem hanc Corinthiorum Græci interpretantur de infami isto homine, tamquam uno ex magistris ipsorum & sapientibus, quemadmodum & illud superiùs, *& vos inflati estis*? At nescio quàm probabiliter. Nam nec in posteriore epistola, ubi rursus istius fornicarii mentio fit, ulla significatio est, eum doctum & sapientem fuisse.

Quam Corinthiorum gloriationẽ Paulus hîc reprehendat.

Nec admodum verisimile est fideles Corinthios de homine palàm adultero & incesto, propter ejus doctrinam sæcularem, si qua præditus erat, putasse sibi gloriandum. Et alioqui sapientes hujus sæculi, cum gloriæ sint percupidi, ab iis maximè vitiis in publico temperare solent, quæ gignunt infamiam. Unde & in pseudapostolis qui sese Corinthiis venditabant, nullum infame crimen notat Paulus: sed vocat operarios subdolos, transfigurantes se in Apostolos Christi & ministros justitiæ. 2. *epist. cap. 11.* Quocirca Latinorum magis placet commentarius, qui generaliter eam intelligunt gloriationem, quam *præced. cap.* Paulus in Corinthiis reprehendit: qua nimirum partim magistri nomine sapientiæ & eloquentiæ sibi placebant, partim discipuli gloriabantur in magistris: ut hæc sit repetitio ejus quod paulo antè dixit; *& vos inflati estis?* juxta sensum ibi redditum. Dicit ergo: *Non bona*, Syrè *non pulcra*, id est, valde mala ac turpis est ista gloriatio vestra, flagrante inter vos tam fœdo crimine, quod luctum magis exposcebat. Non bonum pro valde malo, litotes est scripturis familiaris.

NESCITIS QUIA MODICUM FERMENTUM TOTAM MASSAM CORRUMPIT? Ostendit eos non habere quod glorientur, sed magis quod timeant & caveant. *Corrumpit*, Græcè ζυοῖ *fermentat*. Quod vocabulum medium est, ut possit & in bonum & in malum accipi sententia: quum sit veluti γνώμη generalis: tametsi Paulus tam hoc loco quàm ad *Gal. 5.* ubi eam repetit, in malam partem usurpet; atque in lege veteri fermentum ferè significationem habeat corruptionis: imò & in evangelio ubi præcipit Dominus cavendum à fermento Pharisæorum & Sadducæorum, *Matth. 16.* Quamquam & nonnumquam sumitur in bonam partem; ut in parabola, Domino dicente: *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum*, *Matth. 13.* Sed & hanc ipsam Apostoli sententiam Cyrillus Alexandrinus *lib. 3. in Joan. cap.* 17. in comparationem rei sanctæ assumit, ita scribens: *Sicut parum* (uti Paulus ait) *fermenti totam massam fermentat sic parvula benedictio totũ hominem in seipsam attrahit, & sua gratia replet.* Ita Cyrillus. Ac sanè fermentum ipsum non corrumpit massam dum eam fermentat, sed magis aptam reddit usui humano. Proinde Hieron. *in comment. epist. ad Galat.* utriusque loci versionem emendat, prò *corrumpit* volens *fermentat* legendum esse.

Fermenti significatio in scripturis.

Hieronymus versionem vulgatam emendat.

Ex quo colligitur (ut id obiter admoneamus lectorem) hanc novi testamenti versionem, quam in manibus habemus, non eamdem prorsus esse, quam emendatam ecclesiæ dedit Hieronymus: Pro massa Græcè est φύραμα Hieronymus *conspersionem* vertit: quemadmodum & noster interpres in versu proximè sequenti. Significat autem φύραμα farinam vel aliam similem materiam, aqua, vel oleo, vel alio liquore conspersam ac temperatam, atque redactam in massam. Dico vel similem materiam: Siquidem in epistola ad Romanos 2. dicitur de massa figuli, id est, luto. Quem locum citans August. *in tract. de quarta feria cap. 4.* pro massa conspersionem legit. Nam & Græcum verbum φυρᾶν generaliter significat subigere, miscere, temperare. Porrò Latinum vocabulum massa multò latiùs patet quàm φύραμα Græcis, aut conspersio Latinis. Legimus enim massam caricarum, ficorum, ferri, plumbi, quæ φύραμα aut conspersio dici non potest. Itaque conspersio meliùs hîc convenit quàm massa.

φύραμα massa, conspersio.

Est autem in his Apostoli verbis occupatio. Nam dicere poterant Corinthii: Unus est qui peccavit: quid hoc ad cæteros? Respondet Apostolus: An nescitis modicum fermenti satis esse ad totam farinæ conspersionem sapore sui imbuendam? id est, unum paucosve homines facilè suis moribus totam afficere multitudinem? ac certè facilius malè afficere quam benè: vitiare quàm sanare. Significatur hac parte, finis ac scopus excommunicationis ex parte ecclesiæ: Qui quidem excommunicationis proprius ac primarius est finis. Nam excommunicatione potissimùm id agitur in ecclesia, ut unius morbidi membri separatione totum corpus à morbi contagione servetur.

Finis excõmunicationis ex parte ecclesiæ.

7. EXPURGATE VETUS FERMENTUM. Quidam vetusti codices, Græcis plerisque suffragantibus legunt, *Expurgate igitur vetus fermentum*. Illationis omittendæ fuit occasio, quod sine ea legeretur hæc scriptura in sacro paschali officio. Cæterùm optimè quadrat hîc illativa particula. Ratiocinatur enim Apostolus ad hunc modum: Si modicum fermenti totam conspersionem fermentat: igitur expurgate, hoc est purgando ejicere debetis fermentum vetus, id est, separare à vobis hominem malum, cujus exemplo cæteri possent infici, sicut fermento tota afficitur massa.

Vetus fermentũ quid significet.

Dicit autem vetus fermentum, proprio fermenti epitheto; ut denotet vetustatem hominis secundum carnem viventis. Alludit Apostolus ad ritum legis Mosaïcæ, qua populus jubebatur, instante solemnitate paschali, è suis domibus eliminare omne fermentum ac fermentatum: atque ita sine fermento novam facere conspersionem, & panes azymos; & cum his pascha celebrare. Quæ omnia quoniam *in*

figura contingebant illis, infrà *cap. 10.* meritò Paulus ea ad correctionem & inſtructionem vitæ Chriſtianæ figuraliter accommodat. Quod ergo dicit, *expurgate vetus fermentum*, idem eſt cum eo quod abſque metaphora dicit in fine; *Auferte malum ex vobis ipſis.*

Nonnulli fermentum vetus generaliter interpretantur peccati vetuſtatem, ſeu prioris vitæ corruptionem: ut hæc ſit generalis exhortatio ad vitæ puritatem; ſicut paulò pòſt, *Non in fermento veteri*, &c. Utrumque ſenſum indicat Ambroſius *lib. 1. de pœnit. cap. 14.* Sed priorem contextus ſermonis magis exigere videtur. Et nihil vetat fermenti metaphora nunc hominem vitioſum, nunc ipſum vitium aut vitia ſignificari.

UT SITIS NOVA CONSPERSIO. Nunc conſperſionem dicit interpres quam ſuperiùs maſſam. Atqui clarior eſſet analogia Pauli ſi eadem utrobique Latina vox audiretur, vel maſſa vel conſperſio. *Senſus*: ut remoto fermento veteri, quod cœtum veſtrum inficit ſui contagio, ſitis populus ſanctus, ambulans in novitate vitæ. Nam ſi vel modicum fermenti remanſerit in maſſa; adeò non manebit nova conſperſio, ut etiam tota contrahat ſaporem ac naturam veteris fermenti.

SICUT ESTIS AZYMI. Ἄζυμοι, id eſt, *infermentati.* Sic eos vocat quod ad eorum ſtatum & profeſſionem attinet. Vult enim ut vita profeſſioni reſpondeat, ac ſi dicat; ut par eſt eos facere, qui ſunt profeſſione azymi, id eſt, ſinceri & puri à fermento peccati. Nam Chriſtiani per baptiſmum conſtituuntur in ſtatu novitatis ac puritatis; eumdemque ſtatum poſt baptiſmum profitentur. Eam puritatem ſignificabant panes azymi, quibus tempore paſchali Judæi veſcebantur. Unde perſiſtens in alluſione figuræ veteris, adhuc ſubjungit.

Chriſtiani per baptiſmum azymi.

ETENIM PASCHA NOSTRUM IMMOLATUS EST CHRISTUS. Græcè & Syriacè: *Nam & Paſcha noſtrum pro nobis immolatum*, ſive *immolatus eſt Chriſtus.* Valla credit interpretem omiſiſſe particulam *pro nobis*, hallucinatum ſimilitudine dictionum: quia cum bis in Græco legatur ἡμῶν, ſemel tantùm legerit, mediam tranſiliens præpoſitionem. Alius ſuſpicabitur omittendæ illius particulæ datam occaſionem ex officio paſchali; in quo tantùm canitur: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Verùm hinc argumentum accipi poteſt pro Latina lectione. Non enim eccleſia prætermittere voluiſſet illud *pro nobis*, in tam brevi verſu cantando, ſi in Paulo legiſſet. Itaque non abs re ſuſpicatur Eraſmus, eam partem in Græcis codicibus adjectitiam eſſe.

Paſcha pro agno paſchali.

Paſcha ſumitur hîc ut aliâs ſæpè, pro agno paſchali, ſed hîc myſtice intellecto. Aliæ ejus acceptiones aliis locis occurrunt, ut pro ſolennitate paſchæ, pro cœna paſchali: ſive pro ipſius agni immolatione & uſu ſecundum legem. Qua de re, ſimul & de vocis etymo, plura dicemus ad illud de Moyſe dictum *Hebr. 11. Fide celebravit paſcha.*

Senſus Apoſtoli: Meritò vitam azymam à vobis exigo; quandoquidem agnus noſter paſchalis immolatus eſt: nempe Chriſtus, pro nobis in ara crucis oblatus. *Ipſe enim verus eſt agnus qui abſtulit peccata mundi.* Quare ſicut Judæi fermento abſtinebant, quamdiu paſcha celebrabant: ita & vos Chriſtianum ac perpetuum paſcha agentes, ſemper oportet abſtinere à fermento veteris ac pravæ converſationis. Ad hoc enim Chriſtus pro nobis immolatus eſt. Rem explicat ſequenti cohortatione.

Ἑορτάζειν quid ſignificet.

8. ITAQUE EPULEMUR. *Epulemur*, Græcè ἑορτάζωμεν. Quod verbum propriè ſignificat diem feſtum agere. Et quidem ſic legit Cyprianus libro de habitu virginum, *feſta celebremus.* Et Origenis interpres homil. 5. ſuper Leviticum ita vertit, *diem feſtum celebremus.* Quæ eadem Auguſtini lectio eſt *lib. 3. contra Parm.* Haimo quoque teſtatur aliam editionem habere: *Itaque feſtivitatem celebremus.* Verùm quia feſtis diebus ſolemnes epulæ ex carnibus immolatis exhiberi ſolebant; hinc etiam uſurpatur hoc verbum pro eo quod eſt, feſtum & ſolemne epulum celebrare. Et ita ſumitur hoc loco: ut ſit alluſio ad epulum agni paſchalis typici. Porrò quibus epulis paſcha noſtrum celebrandum ſit, docet conſequenter.

NON IN FERMENTO VETERI. Id eſt, non cum fermento veteris vitæ: quoniam & Iſraelitis cum fermento ſuum paſchale epulum celebrare nefas erat. Sequitur expoſitio fermenti veteris.

NEQUE IN FERMENTO MALITIÆ ET NEQUITIÆ. Pro nequitia alii verſutiam, alii pravitatem vertunt. Auguſt. malignitatem legit. Hæc enim ſignificatur Græca voce πονηρία. Nam quod Cajetanus omiſſionis peccata putat intelligi, nullam ex Græco rationem habet. Rectius illud, quod Theophyl. admonet, πονηρίαν nequitiam, aliquid pejus eſſe quàm ſit κακία malitia. *Malus enim eſt*, inquit, *quiſquis malè agit: ne quam autem qui meditatè & cum dolo malè agit.* Unde diabolus ad malè agendum verſutiſſimus Græco nomine πονηρὸς paſſim appellatur in ſcripturis: quod interpres vulgatus variè vertit, ut malum, malignum, nequam, nequiſſimum. Præcipit igitur Apoſtolus paſcha nobis celebrandum eſſe, non cum fermento malorum, vel, quod deterius eſt, pravorum operum; id eſt, quæ fraudem & pravam machinationem habeant adjunctam: alioqui futurum ut exterminemur è populo Dei, quomodo lex minatur Iſraelitis, qui fermentatum ederent diebus paſchalibus, exterminationis pœnam è populo, *Exodi 12.*

Πονηρία & κακία qui differant.

SED IN AZYMIS SINCERITATIS ET VERITATIS. Per azymos panes, id eſt fermento carentes, quibus Iſraelitæ in epulo paſchali & per omnes dies paſchæ veſcebantur, ſignificari vult Apoſtolus ſinceritatem ac veritatem converſationis: ut, quemadmodum annotavit Theophyl. vita ſincera & pura opponatur malitiæ: vita autem vera, id eſt, hypocriſi ac dolo vacans opponatur nequitiæ. Nam alii ſenſus, quos idem adfert Theophylactus, minùs huic loco congruunt.

Azymi panes quid ſignificent.

9. SCRIPSI VOBIS IN EPISTOLA; NE COMMISCEAMINI FORNICARIIS. Poſt decretum quo mandavit inceſtum illum excommunicari, ſtatuit nunc, ſeu potius repetit anteà ſtatutam à ſe regulam generalem de vitandis fornicariis, ac cæteris palam criminoſis fratribus. Hinc autem apparet aliam ante hanc à Paulo ſcriptam fuiſſe epiſtolam ad Corinthios, quæ poſt interciderit. Nec enim dubium, quin & aliæ exciderint epiſtolæ ab Apoſtolis ſcriptæ. Et ita de ea cujus hic mentio fit, multi ſentiunt expoſitores, tam veteres quàm recentiores, præſertim Latini. Pro argumento poteſt etiam illud adduci, quod ante ſecundam epiſtolam ſcriptam dicebatur ab æmulis Pauli, epiſtolas ejus quas ad Corinthios ſcriberet, graves eſſe & fortes; ut ipſe refert 2. *Cor.* 10. Jam igitur ad eos ſcripſerat plures epiſtolas.

An Paulus aliam ante hanc ſcripſerit ad Corinthios epiſtolam.

Atqui Chryſoſtom. ac cæteri Græci non de alia epiſtola quàm de hac ipſa Paulum loqui cenſent. In hac enim paulò antè juſſerat fornicarium tolli è medio congregationis. Quod deinde iterum præcepit ſub metaphora expurgandi veteris fermenti. Ne igitur errarent Corinthii exiſtimantes omnes omninò fornicarios ſibi vitandos eſſe & à ſe repellendos, exponit Apoſtolus de quibus hoc intelligi velit. Ad id verò quod adfertur *ex 2. epiſt.* reſponderi poſſet eſſe enallagen numeri. Nam de epiſtola quæ apud nos prima eſt ad Corinthios, id intelligi volebant illi adverſarii, propter quædam dura & authoritatis plena, quæ hoc capite & ſuperiori continentur.

Utra harum opinionum vera ſit, non omninò conſtat: fateor tamen in priorem me propenſiorem. Etenim qui dicit, *Scripſi vobis in epiſtola*, ex ipſo loquendi modo magis ſignificat priorem quampiam

epistolam, quam eam ipsam in qua scribit. Ita quum ait *in 2. epist. cap. 7. Etsi contristavi vos in epistola*, de epistola prius scripta loquitur. Et ejusdem *epist. cap. 2.* bis terve dicens: *scripsi vobis*, ad priorem utique epistolam respicit: sicut eo loco ostendemus. Quod si voluisset Apostolus illud significare quod proximè scripserat de fornicario è medio fratrum auferendo non diceret: *scripsi vobis in epistola*, sed: nunc modo scripsi vobis, vel, jam nunc audistis. *Adde* quod nec illuc quidem referri potest, quod hîc dicitur, si res benè consideretur. Non enim sunt eadem, de medio congregationis fidelium aliquem tolli, & convictum ejus vitari. Neque mens Apostoli est, eamdem pœnam excommunicationis quam hic statuit in hominem adulterum & incestum, extendi ad omnes, de quibus nunc loquitur: Sed leviori quodam excommunicationis genere vult eos puniri, quemadmodum infrà à nobis declarabitur. Ex his ergo valdè probabilis fit eorum sententia, qui putant Apostolum de diversa quadam epistola loqui: quæ Corinthiorum negligentia posteà perierit. Porrò commisceri fornicariis hoc loco, non est turpitudinem cum fornicariis exercere, sed vitæ commercium & consuetudinem cum eis habere.

Affirmativa responsio probabilior.

10. NON UTIQUE FORNICARIIS HUJUS MUNDI. Græcè, *& non omninò fornicariis mundi hujus*. Sensus est: id quod scripsi, nolo intelligatis universè dictum de fornicariis, ac si comprehensos velim etiam infideles. Per mundum hunc intelligit universitatem eorum qui per baptismum non sunt separati à mundana conversatione, id est, qui nondum facti sunt Christiani. Non igitur omnes fornicarii secundum Apostolum sunt fornicarii hujus mundi; non enim illi qui sunt in ecclesia; quos & fratres paulo pòst vocat, & intus esse affirmat, & à quorum consuetudine abstinendum docet. Ex quibus manifestè contra sectarios ostenditur, etiam malos & sceleroſos homines esse in ecclesia.

Qui fornicarii hujus mundi.

Obs. contra Sectarios, In ecclesia esse etiam malos.

Negat autem Apostolus se locutum de fornicariis hujus mundi; non quod illorum non sit etiam vitanda conversatio, quatenus nostris moribus contagium adferre possit; hoc enim ipsa naturæ lex præcipit: sed peculiariter ac majori studio, pluresque ob causas, ab illorum abstinendum est consortio, qui fratres cum sint, & Christi fidelium nomine censeantur; professionem suam malè vivendo dehonestant, fratribus exemplo nocent, ipsumque nomen Christianum probris ac maledictis infidelium exponunt, si præsertim ut tales, notati ac nominati sint ab ecclesia. Quod erat genus quoddam excommunicationis, etsi minus eo quo satanæ quidam tradebantur.

Nota ad mores, De conversatione perversorum diligenter vitanda.

Objectio.

At dices, Christi lege non ampliùs præcipi, quàm ut frater ecclesiam non audiens, sit nobis *sicut ethnicus & publicanus*, Matth. 18. Non magis igitur abstinendum nobis erit à consuetudine cum fratribus fornicariis (quod vult Paulus) quam cum fornicariis hujus mundi. Motus hoc argumento Cajetanus dicit *Domini sententiam mitiorem esse* quam Pauli, qui censeat, fornicarium fratrem *plus vitandum quam ethnicum*.

Solutio.

Sed vera responsio est, verborum Domini, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, hunc esse sensum: Habete illum eo loco, quod ad exteriorem conversationem pertinet, quo Judæi habent ethnicos & publicanos. Nam ad Judæos ea verba Christus loquebatur, qui consuetudinem & ethnicorum publicanorum adeò declinabant, ut nec salutandos putarent. Qua in re nobis Christianis non sunt imitandi. Quocirca nihil prohibet quosdam fratres, etsi nondum satanæ traditos, ut de quibus hîc Paulus, magis à nobis vitandos esse quam ethnicos.

Avari Paulo qui dicantur.

AUT AVARIS, AUT RAPACIBUS. Ad singula repetendum, *Hujus mundi*. Avaros intelligit eos qui quomodocumque res alienas injustè vel auferunt vel detinent; præsertim si furto aut fraude id faciant. Nam qui apertè & per vim tollunt rem alienam, rapaces sunt. Dicuntur illi quoque avari, qui sua tenaciùs retinent absque aliorum injuria. Sed de iis non diceret Apostolus, *ne commisceamini*. Nec hi tam propriè dicuntur Græcè πλεονέκται. Deducitur enim hoc nomen à plus habendo; & eos significat qui plus semper appetentes, per fas & nefas, per fœnus & fraudes student augendæ rei. In hunc avarum dicit Ecclesiasticus *cap. 40. Avaro nihil est scelestius. Hic enim & animam suam vænalem habet.*

Idololatræ qui dicantur. Triplex peccatorum genus.

AUT IDOLIS SERVIENTIBUS: Græcè εἰδωλολάτραις, id est, *simulacrorum cultoribus*. Cultum intellige Deo debitum, quem λατρείαν ferè in scripturis significat. *Unde idololatræ dicuntur*, ait Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 6. *qui simulacris eam servitutem exhibent, quæ debetur Deo.* Observa Paulum ea peccata nominasse, sub quibus omnia cætera possint intelligi. Nam fornicarius peccat in seipsum; avarus & rapax in proximum; idolorum cultor in Deum. Omne autem peccatum ad aliquod genus istorum trium pertinet.

ALIOQUIN DEBUERATIS DE HOC MUNDO EXIISSE. Græcè *Quandoquidem*, sive *alioqui debetis sane de mundo exire*. Tametsi permodica differentia est inter ὀφείλετε, *debetis*, & ὠφείλετε, *debebatis*, id est, deberetis. *Sensus*: Si vobis abstinendum esset à consuetudine fornicariorum ac cæterorum hujus mundi criminosorum hominum; deberetis mundum relinquere, & ut ita dicam, in alium mundum commigrare. Quo in sermone hyperbole quædam est, qua significatur infideles, apud quos memorata vitia regnant, per totum mundum sparsos esse, & ubique obvios, ut proinde difficillimum sit, ac penè impossibile eorum commercia vitare. Quod nec oportebat; quandoquidem tunc infideles sancta Christianorum inter ipsos conversatione erant alliciendi ad fidem. Ita Augustinus contra Parmenianum scribens, hæc Apostoli verba, *alioquin debueratis de hoc mundo exiisse*, suis verbis prosequitur: *Opus enim vestrum in hoc mundo illud est, ut peccatores Christo ad salutem lucremini. Quod fieri non poterit, si eorum colloquia, convictumque fugiatis.* Quam eamdem rationem adfert *homilia 50. cap. 4.* Hinc & Apostolus infrà *cap. 7.* præcipit ne fidelis dimittat conjugem infidelem cohabitare consentientem: & capite 10. permittit ei cibum sumere cum infidelibus: *Si quis*, inquit, *vocat vos infidelium, & vultis ire*, &c.

Alii alios hujus loci commentarios adferunt, sed obscuros ac parum certè probabiles: Nec illud placet, quod quidam mundum, vel hunc mundum, Græciam interpretantur. Non enim sola Græcia vitiorum hujusmodi quæ hic recitantur, ferax erat, sed totus mundus infidelium. Taceo de Cajetano, qui Græca non benè intelligens, ab illo loco; *Scripsi vobis in epistola*, &c. non parum à mente Pauli peregrinatur in suo commentario; quem videat apud ipsum qui volet.

Cæterùm ex Apostoli sententia quàm hîc tradit, colligere licet, in iis regionibus ubi plerique sunt hæreticis erroribus imbuti, non esse fidelibus illicitum cum illis versari, quantum quidem ad ecclesiæ legem attinet. Non enim vult ecclesia præcepto suo fideles obstringere, ut civitates suas ac regiones relinquant. Dico, quantum attinet ad legem ecclesiæ. Nam ut antè dixi, lege naturæ tenetur quisque, quoad potest, suum periculum vitare.

Convetsari cum hæreticis non semper & ubique illicitum.

11. NUNC AUTEM SCRIPSI VOBIS NON COMMISCERI. Plenius exponit de quibus & quomodo velit intelligi quod scripserat non conversandum cum fornicariis. *Nunc* particula est attentionem postulantis ad id quod dicit, non autem significantis se diversum aliquid jam scribere ab eo quod olim scripserat, ut imaginantur Cajetanus & alii quidam. Sensus enim

enim eſt. At vero quod ſcripſi vobis, tale eſt; ut ne commiſceamini, &c. Sermo continuandus cum eo quod ſequitur.

SI IS QUI FRATER NOMINATUR, EST FORNICATOR AUT AVARUS. Græcè, *Si quis frater nominatus aut fornicator aut avarus:* niſi quod quidam codices pro ἢ πόρνος *aut fornicator*, habent ἢ πόρνος, *ſit fornicator & avarus*, &c. Utriuſque lectionis meminit Theophylactus. Juxta priorem, ſententia caret verbo: quod tamen Græci ſubintelligunt. Et alioqui familiare eſt Hebræis verbum ſubſtantivum ſupplendum relinquere. Verſio qua Pacianus uſus eſt, utrumque conjungit: *Si quis frater nominatur, & ſit aut fornicator, aut ſimulacris ſerviens aut avarus*, &c. Nec ferè ſecus contra Parmenianum ſcribens Auguſtinus. Nam legit & ſubinde repetit: *Si quis frater nominatur, & eſt aut fornicator*, &c. idque ſecundum omnes codices mss. in caſtigatione Plantinianæ editionis adhibitos; licet in aliis locis apud Auguſtinum illud *& eſt*, non legatur additum, ut *libro de fide & operibus cap. 2. & homil. 50.*

Varia lectio.

Græca lectio, ſicut ab Oecumenio diligenter eſt annotatum, duobus modis intelligi poteſt: Vel ſic ut participium *nominatus* (quod in Græco eſt præſentis temporis ὀνομαζόμενος) fratrem determinet; ac ſenſus ſit, Si quis cum frater appellatur, id eſt, Chriſtiani nomen gerat, ſit fornicator aut avarus, &c. Quem ſenſum ſpectat textus noſtræ verſionis. Vel ut idem participium referatur ad ſequentia: Si quis frater fuerit nominatus fornicator aut avarus, &c. hoc eſt; ſi quis Chriſtianus adeò manifeſtè fornicator ſit aut avarus aut quicquam tale, ut etiam hujuſmodi nomine paſſim ab hominibus deſignetur, & commune nomen ſibi quodammodo fecerit proprium, id eſt, ſi eo nomine ſit diffamatus. Hunc ſenſum priori præfert Oecumenius, haud immeritò. Nam famoſi more ſcripturæ nominati dicuntur; Græcè ὀνομαζόμενοι vel ὀνομασθὲ, ut 1. Mach. 3. de Juda: *Et nominatus eſt uſque ad noviſſimum terræ.* Eccleſiaſtici 39. *Narrationem virorum nominatorum conſervabit*, Baruch. 3. *Ibi fuerunt gigantes nominati.*

Nominati qui dicantur in ſcripturis.

Cæterùm nominatus, quando idem valet quod appellatus, Græcè dicit ſolet καλούμενος, λεγόμενος. Rectiùs igitur ὀνομαζόμενος ſequentibus adjungitur ſenſu jam dicto; quem & Auguſtinus tradit adverſus Parmenianum diſputans: *In verbo nominatur*, inquit, *hoc intelligi voluit* Apoſtolus, *parum eſſe ut ſit quiſque talis, niſi etiam nominetur, id eſt famoſus appareat*, & in libro de fide & oper. *Nominantur, id eſt, noti famoſique ſunt.* Eidem ſenſui patrocinantur & alii veteres, qui partem hanc ita legunt, ut verbum *nominatur* ad ſequentia referri oporteat, velut Ambroſius *lib. 1. de pœnit. cap. ult. & in epiſt. 82. quæ eſt ad eccleſ. Vercell.* Interpres Irenæi *lib. 4. cap. 46.* & interpres Origenis *homil. 5. ſuper Levit.* Sic enim apud eos legitur: *Si quis frater nominatur fornicator, aut avarus, aut idololatra*, &c. Sed & codex Paulinus vetuſtiſſimus, cujus Eraſmus meminit, ita legit: *Si quis frater nominatur inter vos fornicator aut avarus.* Expreſſiùs autem id voluit Cyprianus, ſeu quiſquis author *libri de aleatoribus*, dum verbum rejecit in finem. *Si quis, frater*, inquit, *fornicarius, aut idolorum cultor, aut avarus, aut raptor ſive injuſtus nominatus fuerit.*

Quæ nominatio intelligatur hoc loco.

Porrò ſciendum eſt Auguſtino in *homilia citata*, nominationem eam quæ dicta eſt, non ſufficere. Cum enim dixiſſet: *Nos verò à communione prohibere quemquam non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari, ſive eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictū*; poſteà probans ex Apoſtolo quod dixerat, ita ſubjungit; *Alioquin, illud cur dixit: Si quis frater nominatur aut fornicator aut idolis ſerviens, & cætera, niſi quia eam nominationē intelligi voluit, quæ fit in quemquam, cum ſententia ordine judiciario atque integritate profertur? Nam ſi nominatio ſola ſufficit: multi damnati ſunt innocentes; quia ſæpe falsò in quoquam crimine nominantur.* Hæc eo loco Auguſtinus; quem allegat & ſequitur Thomas Aquinas in commentario.

Verùm non apparet in vocabulo nominationis, ut hîc uſurpatur à Paulo, totum illud includi quod Auguſtinus requirit: quamquam procul dubio mens Apoſtoli eſt, id quod præcipit, agendum ordine judiciario, quem alibi præſcribit, ut *2. Theſſ. 3. verſ. 14.*

Non ſemper exſpectanda judicis ſententia, ut frater improbus vitetur.

Quod ſi tamen adeò notorium ſit crimen, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, quale erat illius Corinthii, qui uxorem patris habebat: non videtur ex Apoſtoli mente ſententia judicis exſpectanda ad hoc, ut ejuſmodi frater criminoſus vitetur. Fornicator eſt, quiſquis mulieri copulatur extra conjugium. Avarus qui rem alienam vel aufert vel detinet injuſtè: vt dictum eſt ſuprà. Unde pro avaro apud Tertull. *lib. de pudic. cap. 18.* legitur, *fraudator.*

Quomodo idem frater & idololatra.

AUT IDOLIS SERVIENS. Græcè εἰδωλολάτρης, *ſimulacrorum cultor.* Quærunt commentatores, quomodo idem ſit & frater & idolorum cultor. Reſponſio eſt, id fieri quoties is qui baptiſmo & profeſſione Chriſtianus eſt, ſive ex animo, ſeu metu, ſeu placendi voluntate, ſeu quavis alia ratione inductus, infidelium ſacris ſeſe admiſcet, ut vel idolum colat, opere ſaltem externo, vel de idolothytis edat; contra illud, *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum.* infrà cap. 10. Ubi & illa ſunt præcepta: *Neque idololatræ efficiamini, & Fugite ab idolorum cultura.* Sic & Joannes præcipit in fine primæ epiſtolæ: *Filioli, cuſtodite vos à ſimulacris.*

AUT MALEDICUS. Græcè λοίδορος, id eſt, *conviciator*, contumelioſus, item maledicentiæ morbo laborans. Qui enim facilis eſt ad convicia, facilè etiam maledicit, id eſt, malum imprecatur. Et hujus criminis gravitatem ex eo diſce, quod communem pœnam mereatur cum cæteris hîc enumeratis. Vide accuratiùs ad *cap. 6. verſ. 10.*

Ebrietas ſuo genere mortale peccatum eſt.

AUT EBRIOSUS. Ebrietas ſuo genere peccatum mortale eſt, quemadmodum & alia hujus loci. *Quod enim quis propter delectationem vini* (inquit Thomas in commentario) *velit perdere uſum rationis, exponens ſe periculo multa alia peccata perpetrandi, videtur eſſe contrarium charitati. Contingit tamen per accidens, ebrietatem non eſſe peccatum mortale, propter ignorantiam fortitudinis vini, vel debilitatis proprii capitis. Quæ tamen excuſatio tollitur per frequentem experientiam. Et ideò Apoſtolus ſignanter non dicit ebrius, ſed ebrioſus.* Hæc ille. Quæ eadem fere ſcripſit ad illud *Rom. 13. Non in comeſſationibus & ebrietatibus.*

Nota, quod ebrietas etiã citra deliquium rationis peccatum mortale ſit.

Ex quo tamen Apoſtoli loco, ſimul & ex altero qui eſt *Gal. 5.* ubi ſimiliter comeſſationes ebrietatibus adjungit, haud temerè videri poteſt; ſicut comeſſatio damnatur propter immoderatum ſtudium gulæ, etiamſi non privet hominem uſu rationis; ſic etiam ſentiendum eſſe de ingurgitatione vini; præſertim cum & alibi ſcriptura in ebrietate ſpectet non tam rationis defectum, quam exceſſum potus inebriativi: ſive potantem inebriet uſque ad deliquium rationis, ſive non.

Quapropter in hoc genere etiam illi damnantur & graviter increpantur in ſcriptura, qui quod vini potu non facilè dejiciantur, copioſiùs illud hauriunt. Hinc illæ comminationes, *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem*, Iſa. 5. &, *Væ his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis.* Prov. 23. Huc accedit quod nec apud Græcos μεθύζος, apud Latinos ebrius, tunc ſolùm quis dicitur, quum ex potu ratio prorſus conſopita fuerit; verum etiam ſi ſic obnubilata, ut plenum & perfectum ejus uſum non habeat. Jam nec illud conſtat, Græco nomine, quod interpres ebrioſum vertit, frequentiam ebrietatis hoc loco ſignificari: cum & de ebrio dicatur, qui fortè non aliàs ſeſe inebriaverit.

Quare ſicut alia vitia ſeu peccata quæ Paulus *hoc*

Peccata damnabilia etiam non frequentata.

& ſeq. cap. recenſet, ut fornicarium, adulterum, rapacem, furem, maledicum eſſe, & quæ rurſus enumerat *Gal.* 5. nec frequentiam includunt in ſua ratione, nec de frequentia exponenda ſunt, ut verum ſit quod dicit Apoſtolus; *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt:* ita & de ebrietate, atque eo quem μεθύσον Apoſtolus vocat, dicendum videtur. Neque tamen Apoſtoli mens eſt, cum fratre qui ſemel fornicatus fuit, aut furatus, aut conviciatus, aut ſeſe inebriaverit, ſi poſteà ceſſet, non eſſe cibum ſumendum: ſed ita demum, ſi hæreat in hujuſmodi vitio, etiam poſtquam admonitus fuerit. Nam unus aut alter actus in talibus non reddit hominem nominatū, id eſt, famoſum. Quæ res etiam argumento eſt, vocabulum ὀνομαζόμενος *nominatus*, ad ſequentia potiùs, ſicut oſtendimus, quàm ad id quod præcedit, attinere.

Aut rapax. Qui dicantur rapaces, ſuprà dictum eſt. Cum ejusmodi nec cibum sumere. Subjungit hoc Apoſtolus per epitaſin: cum alioqui ſine eo abſoluta eſſet oratio. Itaque exaggeratione explicat quomodo accipiendum quod dixerat, *non commiſceri*, quaſi dicat; Hoc ſenſeram, quando ſcripſi vobis ne commiſceamini cum fratre nominato fornicario, &c. conſortium ejus ita vobis fugiendum eſſe, ut nec menſam cum eo habeatis communem. Rurſum his verbis excommunicationis pœna ſignificatur, minor tamen ea qua ſuperiùs plecti voluit inceſtum illum. Plus enim eſt, tradere quempiam ſatanæ, quàm ſola fidelium conſuetudine & convictu eum privare. Nam qui traditur ſatanæ, prorſus abſcinditur ab eccleſia, adeò ut frater eſſe deſinat, nec jam illi ſuffragia eccleſiæ communia quicquam proſint. Is autem de quo nunc agitur, frater permanet: à quo tamen propter improbam ejus vitam ſeſe ſubtrahunt alii fratres; ut eo pudore revocentur ad meliora.

Excommunicationis pœna, minor tamen priore.

Excommunicatio major aut minor pro diverſitate criminum.

Nec verò ſatanæ quiſquàm tradebatur, niſi propter crimen aliquod graviſſimum ac prorſus intolerandum, quale eſt hæreſis, propter quam ſatanæ traditi Hymenæus & Alexander *1. Tim. 1.* & quale inceſtus de quo actum eſt ſupra. Vitabantur autem à fidelibus etiam quorum minora erant crimina. Scio quoſdam commentatores hoc genus excommunicatorum à priori non diſtinguere. Quin & Auguſt. *lib. 3. contra Parmen.* id quod Paulus dicit, *cum ejuſmodi nec cibum ſumere*, de pœna anathematis intellexit, tamquam eadem cum pœna illius inceſti: tametſi poſteà refert etiam ad minores excommunicationes, juxta germaniorem hujus loci ſenſum. Quem præter ea quæ ſupra dicta ſunt, admodum confirmat locus ſimilis *in epiſt. 2. ad Theſſal.* 3. ubi denunciat eis Apoſtolus, ut ſeſe ſubtrahant *ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem* ab ipſo acceptam. Ac poſteà declarans inordinatam eorum converſationem, dicit; *Audivimus enim inter vos quoſdam ambulantes inquietè, nihil operantes; ſed curiosè agentes.* &c. Deinde pœnam ſtatuit iis qui tales ſunt, & admoniti non ſe corrigunt: *Quod ſi quis* inquit, *non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate: & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur.*

An ſententia neceſſaria ad vitandum fratrem criminoſū.

Sanè liquet hæc crimina, ambulare inquietè, nihil operari, ſed curiosè agere, non eſſe ejus generis, ob quæ quis tradendus ſit ſatanæ; & proinde minorem quamdam excommunicationem eo loco ſignificari, per quam non deſinat eſſe frater, qui ſic punitur. Unde etiam continuò ſubjicit. *Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem.* Patet etiam, ita demum fideles ſubtrahere ſe debuiſſe ab iſtiuſmodi fratris conſortio, ſi ab eccleſia notatus fuiſſet, utique per ſententiam; ſine qua non poterat ab omnibus cognoſci quod vitandus eſſet: ac proinde non ſatis fuiſſe ad obligationem vitandi, quod lex generalis ab Apoſtolo data eſſet, ut nonnulli putant: niſi fortè tunc quando palàm conſtaret quempiam ſub lege comprehendi: ſicut antè dictum eſt. Quamvis autem iſta excommunicatio minor eſſet illa priore; major tamen erat ea quam hodie minorem excommunicationem vocamus. Qua de re plura ad locum memoratum 2. *Theſſal.* 3. Quot autem & qui ſint aut antiquitus fuerint, ſeu gradus ſeu ſpecies excommunicationis, petendum ex *comment. in 4. ſentent. diſtinct.* 18.

12. Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? Græcè: *Quid enim mihi etiam eos qui foris ſunt judicare?* Tertull. quoque lib. de pudic. cap. 19. legit, *eos qui foris ſunt.* Quamquam & Erasmus vertendum putavit, *de his qui foris ſunt.* Rationem reddit Apoſtolus cur de ſolis locutus ſit Chriſtianis. *Quid mihi*, Hebraiſmus. Latinè dicas, *Quid meâ?* Senſus Apoſtoli: Quid ad me attinet, ut præter fratres noſtræ curæ & poteſtati ſubjectos, etiam eos judicare velim ac punire meo decreto, qui ſunt extra eccleſiam, ideoque & extra meam juriſdictionem? Hæc enim juriſdictio cum ſpiritualis & eccleſiaſtica ſit, extra limites eccleſiæ non extenditur.

Eccleſiæ juriſdictio non extenditur ad eos qui foris ſunt.

Dicit aliquis: ergo nec prohibendum fidelibus, ne converſentur cum excommunicatis; quandoquidem & illi foris ſunt. *Reſpondeo*, excommunicatos, etiam eos qui ſatanæ traditi ſunt, non omninò foris eſſe: ſed ſecundum aliquid intus atque in eccleſia remanere: quatenus nimirum manent eccleſiæ ſubditi. Nam ea dum aliquos excommunicat, haudquaquam illos abdicat à ſua poteſtate ſeu juriſdictione: (quod nec facere poteſt) ſed tamquam noxia membra à ſe reſecat, manente poteſtate quam in eos habebat.

Excommunicati non omnino foris ſunt.

Igitur Apoſtolo foris eſſe dicuntur, qui ita ſunt extra domum quæ eſt eccleſia, ut ad ejus regimen nullo modo pertineant: cujuſmodi ſunt qui in eccleſia numquam fuerunt. Utitur hac locutione Paulus etiam alibi, *ut Col. 4. verſ. 5. 1. Theſſ. 4. verſ. 12. 1. Tim. 3. verſ. 7.*

Qui Paulo dicantur eſſe foris.

Eſt autem conſequens ex hoc loco, eccleſiam excommunicando judicium exercere in eum ipſum quem excommunicat. Itaque non hac ſolum ratione cenſetur excommunicare quempiam, quia fidelibus prohibet ne cum illo converſentur, (ſic enim etiam ethnicos excommunicare poſſet:) ſed ipſum propriè abjungit & ejicit, utendo poteſtate quam ſuper eum habet ac retinet. Unde & inobediens judicabitur excommunicatus, ſi ſe nolit abſtinere à conventibus fidelium, ſed adhuc iis ſeſe ingerat: quemadmodum & ſi nolit obſervare leges eccleſiæ de jejuniis, diebus feſtis, ac cæteris hujuſmodi: quibus utique adhuc tenetur.

Eccleſia excommunicando judicium exercet in eum quē excommunicat.

Quæſtio.

Sed quare non judicat eccleſia de iis qui foris ſunt, quando judicat aliquem admittendum ad baptiſmum vel non admittendum? *Reſponſio*: Non judicat tamquam poteſtatem juriſdictionis ſuper eum habens; nec enim punire eum poteſt dum nondum eſt baptizatus: ſed tantùm admittit vel rejicit judicio diſcretionis ac prudentiæ; quomodo reſpublica quempiam exterum ſupplicantem recipi in civitatem, recipit aut non recipit, nondum habens ſuper eum juriſdictionis poteſtatem. Hic autem ſermo eſt de judicio quod eſt actus juriſdictionis, quæ non poteſt exerceri niſi in ſubditum.

Reſponſio.

Nonne de iis qui intus sunt vos judicatis? Græcè rurſus accuſandi caſu, *Nonne eos qui intus ſunt*, &c. Rem probat etiam ex more eorum ad quos ſcribit. Nam, inquit, & qui præſunt inter vos, id eſt, in eccleſia ſunt, judicant ac puniunt, nempe Chriſtiani Chriſtianos: videlicet agnoſcentes ad eos qui foris ſunt, poteſtatem ſuam non extendi.

13. Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. Græcè, *Eos qui foris ſunt, Deus judicat*, vel *judicabit.* Utroque enim modo verti poteſt Græcum verbum κρίνει, codicibus accentum aut non habenti.

bus aut variantibus: tametſi magis convenit huic locum futurum ἀεὶ τὸ judicabit. Senſus eſt: Nec ideò putetis eos qui foris ſunt impunes futuros, ac proinde melioris eſſe conditionis quàm Chriſtianos, quod à nobis non judicentur. Habent enim Deum judicem, qui non relinquet impunitos; ſed etiam ſeveriùs in eos animadverteret. *Horrendum eſt* enim *incidere in manus Dei viventis.* Hebr. 10.

AUFERTE MALUM EX VOBIS IPSIS. Græcè & Syriacè, *Et auferte*; particula copulante poſita loco inferentis: *Auferte igitur malum.* In verbo *auferte* Græca variant quatuor modis, ut annotat R. Stephanus: ἐξαρεῖτε, ἐξωρεῖτε, ἐξαίρετε, ἐξάρατε. Sed eadem omnium ſignificatio eſt. *Malum* non neutrum eſt, ſed maſculinum Græcè τὸν πονηρὸν: ut ad hominem referatur. Tolles ambiguitatem, ſimulque vim exprimes articuli Græci ſi ſic vertas: *Auferte iſtum malum.* Auguſtinus quidem *lib. 3. contra Parmen. cap. 2.* accepit ut neutrum, tamquam velit Apoſtolus, ut ex ſeipſo quiſque auferat malum, id eſt, peccatum. Sic & Pacianus intellexit *epiſt. 3.* & ante eum Tertull. *in lib. adv. Herm. cap. 11.*

Malus auferendus è medio fratrum: & quis.

Verùm Auguſt. id corrigit & retractat, *tum quæſt. 39. ſuper Deut.* tum *lib. 2. retract. cap. 17.* docens ex Græco textu, *ſic potiùs* intelligendum, *ut homo malus auferatur ex hominibus bonis: quod fit per eccleſiaſticam diſciplinam.* Quamquam non generatim de malo homine Paulus loquitur: ſed ſpecialiter illum inceſtum deſignat; addito, ſicut dictum eſt, articulo, τὸν πονηρὸν. Præcipit igitur hoc velut epiphonemate, iis qui præerant in eccleſia Corinthiorum, illud quod initio dixit fieri oportuiſſe, nempe, *ut tollatur de medio fratrum qui hoc opus fecit.* Utitur autem ad hoc verbis à Moyſe dictis & inculcatis ad populũ *Deut. 13. 17.* & *19.* quodque ab illo dictũ fuit de ſeparatione quæ fiebat morte corporis, refert ad abſciſſionem quæ animam attingit, id eſt, ad excommunicationem. *Hoc enim nunc agit in eccleſia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio:* ſicut ait Auguſt. in prædicta quæſt. *ſuper Deut.*

Hoc agit in eccleſia excommunicatio, quod in veteri lege interfectio.

Jam verò patet ex ſupradictis hanc ſententiam, *Auferte malum ex vobis ipſis*, diverſam eſſe ab ea qua paulò antè dixerat: *Si is qui frater nominatur, eſt fornicator aut avarus,* &c. *cum ejuſmodi nec cibum ſumere.* Ut enim crimen hoc de quo agitur, enormius eſt illis ibi recenſitis: ita plus eſt in eccleſiæ diſciplina, hominem auferri ſive ejici è cœtu fidelium, quàm vitari ut cibum cum eo non ſumas: quemadmodum in ſuperioribus ſatis eſt declaratum.

CAPUT VI.

1. AUdet aliquis veſtrûm habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos, & non apud ſanctos? 2. An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis? 3. Neſcitis quoniam angelos judicabimus? quantò magis ſæcularia? 4. Sæcularia igitur judicia, ſi habueritis: contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum. 5. Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum? Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles? 7. Jam quidem omninò delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? 8. Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus. 9. An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, 10. neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt. 11. Et hæc quidam fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, in nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. 12 Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. 13. Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc, & has deſtruet: corpus autem non fornicationi, ſed Domino: & Dominus corpori. 14 Deus verò & Dominum ſuſcitavit: & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam. 15. Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. 16. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. 17. Qui autem adhæret Domino, unus Spiritus eſt. 18. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. An neſcitis, quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritus-ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? 20. Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.

Matth. 5. f. 39. Luc. 6. e. 29. Rom. 12. d. 17. 1. Theſſ. 4. b. 6. Gen. 2. d. 24. Matt. 19. d. 5. Marc. 10. a. 8. Epheſ 5. g. 31. Sup. 3. d. 1. 2. Cor. 6. c. 16. Inf. 7. d. 23 1. Pet. 1. d. 18.

SUMMARIUM.

REprehendit quod judiciis contendant apud infideles: & omninò quod judicia habeant inter ſe. Docet quæ peccata excludant à regno Dei. Corpora noſtra cum ſint membra Chriſti, & templum Spiritus-ſancti, non eſſe polluenda fornicatione.

AUDET ALIQUIS VESTRUM, HABENS NEGOTIUM ADVERSUS ALTERUM, JUDICARI APUD INIQUOS? Alia Corinthiorum reprehenſio, quod judicia ſeu lites agitarent apud judices non Chriſtianos. *Audet* dictum pro ſuſtinet; quo ſignificat rem Chriſtianis indignam *judicari*, id eſt, judicio experiri. Pro quo Cyprianus *diſceptare*, lib. 3. teſtimon. *cap. 44.* Syra vox litigare ſignificat. *Apud iniquos.* Græcè ἐπὶ τῶν ἀδίκων, *apud injuſtos*, vel *ſub injuſtis*, quomodo Latinè dixit Horatius, *adhuc ſub judice lis eſt.* Dirigitur hic Apoſtoli ſermo contra actorem, cujus in poteſtate erat ethnicum judicem agere vel non agere, non contra reum qui compellebatur; cui nec integrum erat judicem ethnicum declinare, modò competentem. Peccatum ergo Corinthiorum in eo erat, quod cum poſſent cauſam agere apud fideles, ſaltem ut delectos arbitros; mallent apud infideles judices experiri; non ſine ethnicorum ſcandalo, & Chriſtianæ religionis injuria. Nam eo pacto vitia Chriſtianorum detegebantur apud infideles, primùm diſſidia, deinde avaritia, tum injuriæ mutuæ.

Judiciis apud infideles contendere, quare peccatum.

Infideles cur injuſti vocentur.

Eccleſiaſtica negotia nec ab infidelibus, nec à laïcis judicanda.

Senſus eſt: Poteſtne quiſquam veſtrûm in animum inducere, ut ſi pro aliquo negocio controverſiam habeat cum altero, eam agitet in judicio apud injuſtos? Quæ notatio eſt infidelium. Unde hujus loco poſtea *verſ. 6.* dicit *apud infideles.* Hos enim quia fide carent, ex qua juſtus vivit, generaliter injuſtos appellat Apoſtolus: ſimul inſinuans ab injuſtis judicandi juſtitiam non perinde exſpectandam eſſe. Meritò autem injuſtos vocat, etiamſi de ſpeciali juſtitia ſermo ſit: Hujus enim pars quædam eſt religio; quam virttutem apud infideles reperiri impoſſibile eſt. Loquitur autem de negotiis ſæcularibus, uti ſtatim declarat. Nam eccleſiaſtica negotia nullo modo tractari debebant apud infideles, utpote judices incompetentes: quando nec fidelibus laïcis competit de iis judicare.

Notandum quoque non hîc agi niſi de litibus Chriſtianorũ adverſum ſe mutuò. Sic enim intelligendum illud, *adverſus alterum*, ſcilicet fratrem. Nam ſi frater non erat is contra quem agebatur; non poterat ea lis terminari apud infideles: quod conſequenter vult Apoſtolus. Unde ſub ejus reprehenſionem minimè cadit factum S. Julittæ martyris, quæ referente Baſilio *homil. 5.* res ſuas injuſtè occupatas à quodam homine potente, eoque infideli, repetivit apud judices infideles; ea tamen animi Chriſtiani integritate ſervata, ut cum jus ei ab impiis judicibus negaretur, niſi priùs Chriſtum abjuraret; magis elegerit unà cum terrenis facultatibus vitam amittere, quàm Chriſtum verbo negare.

Factum Julittæ martyris excuſatur.

ET NON APUD SANCTOS. Græcè ἐπὶ τῶν ἁγίων

ſub ſanctis, id eſt, fidelibus ſeu Chriſtianis. Quos ſanctos appellat, eò quòd eccleſia fidelium ſancta ſit; etſi non ſinguli quique ſancti. Utitur autem hoc vocabulo Paulus, ut inſinuet eos meritò judices adhibendos eſſe, qui & profeſſione & re ſancti ſunt. Ab his enim rectum & æquum judicium exſpectandum. Et quamvis Chriſtiani non eſſent judices, à principe conſtituti cum poteſtate, poterant tamen, ut dictum eſt, eligi & aſſumi tamquam arbitri, quorum ſententiis ex compromiſſo ſtarent, qui controverſias habebant.

Epiſcopi quondã arbitri cauſarũ ſæcularium, deinde & judices: & qua ratione.

Unde ex hac Apoſtoli doctrina, Chriſtianis olim in more fuit, etiam tempore Chriſtianorum principum, ut ad epiſcopos cauſas ſuas deferrent dijudicandas: non quòd propriè epiſcoporum ſit ſæcularia negotia tractare, cognoſcere, judicare: ſed ita fieri placebat, ut fideles, qui non abſque Chriſtianæ charitatis ac pacis detrimento, de rebus terrenis adverſum ſe mutuò diſceptabant; authoritate epiſcopi, cauſas eorum judicantis, redigerentur ad concordiam: ſimul & cohortatione ejus paterna diſcerent quantum præ bonis temporalibus, pro quibus aut conſequendis aut retinendis ardentiùs æquo certabant, amanda eſſent æterna. Quod quidem proprium epiſcopi munus eſt.

Exemplum Auguſtini cauſas ſæculares multorum dirimentis.

Idque feciſſe beatum Auguſtinum teſtis eſt Poſſidius in *ejus vita cap.* 19. referens, eum interpellatum non ſolum à Chriſtianis, verum etiam à cujuſcumque ſectæ hominibus, cauſas eorum audiviſſe diligenter ac piè: & ut eas dirimeret, aliquando tota die jejunantem perduraſſe, ubi etiam hoc addit, quam ſancta intentione, genus illud occupationis, alioqui moleſtiſſimæ, fuerit ab illo ſuſceptum. Quia de re & ipſe Auguſtinus *lib. de opere monach. cap.* 29. verbis etiam huc à Beda relatis, ita ſcribit; *Dominum Jeſum teſtem invoco ſuper animam meam, quoniam quantum attinet ad meum commodum, multò mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in benè moderatis monaſteriis conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de divinis literis agendum, liberas; quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati, de negotiis ſæcularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis: quibus nos moleſtiis affixit Apoſtolus, non utique ſuo, ſed ejus qui in eo loquebatur arbitrio.* Et infrà: *Quem tamen laborem non ſine conſolatione Domini ſuſcipimus pro ſpe vitæ æternæ, ut fructum feramus cum tolerantia. Servi enim ſumus ejus eccleſiæ, & maximè infirmioribus membris: qualialibet in eodem corpore membra ſimus.* Hæc Auguſtinus. Quibus ſimilia refert *concione* 24. *ſuper Pſalm.* 118.

Imperatorũ leges id ipſum ſanxerunt.

Exſtat apud Gratianum, 11. quæſt. 1. lex imperatoris Theodoſii cap. *Quicumque*, & altera Caroli magni cap. *Volumus*, qua Theodoſianam in uſum revocat: quibus legibus ſancitum fuit, ut liceret cuique tam actori quàm reo, quamvis etiam lite jam apud judicem ſæcularem conteſtata, judicium eccleſiaſticum adire. Ex quo patet epiſcopos non ſolum arbitros hujuſmodi cauſarum fuiſſe, ſed per dictas imperatorum conſtitutiones, dum illæ vigebant (nam poſtea ſunt abrogatæ) judicandi poteſtatem habuiſſe. Conſule notationes Gregorianas iis capitulis additas. Vide etiam quæ de hac re ſcribit Franciſcus Turrianus *lib. 3. pro epiſtolis pontificum.*

2. AN NESCITIS QUONIAM SANCTI DE HOC MUNDO JUDICABUNT? Mss. *de mundo* ſine pronomine. Porrò Græca & Syriaca ſic habent, *Neſcitis quod ſancti mundum judicabunt?* quemadmodum & Cyprianus *loco priùs citato* legit: nec non Hilarius *in enarr. Pſalm.* 2. & Poſſidius *in vita Auguſtini.* Sanctos aſſumendos eſſe judices ſuadet Apoſtolus, ex eorum dignitate: quæ tanta eſt, ut etiam mundum, ſcilicet reliquum, hoc eſt, totum genus infidelium & reproborum ſint judicaturi. Quod fiet in extremo judicio, ubi boni malos judicabunt, non ſola comparatione, verum etiam approbatione ſententiæ divinæ. Imò & qui Apoſtolicæ vitæ veſtigia ſecuti fuerint, judicabunt ut aſſeſſores Chriſti, ſecundùm ipſius promiſſionem Matth. 19. *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Quæ aſſeſſoria judicandi poteſtas quomodo ſit accipienda, declarat Thomas *in comment.* licet eam rem alii aliter explicent; ut videre eſt in iis quæ diſputantur à Theologis *in 4. ſent. diſt.* 47. Quamquam videtur Apoſtolus hoc loco non de aliquibus, ſed de omnibus ſanctis loqui. Sequitur enim.

Sancti mũdum judicaturi: & quo ſenſu.

ET SI IN VOBIS JUDICABITUR MUNDUS. *In vobis* Hebraiſmus, id eſt, à vobis, per vos. *Judicabitur.* Græcè κρίνεται *judicatur*: quemadmodum & legitur in commentario Ambr. & apud Poſſidium. Explicatio eſt ſuperioris argumenti. Si igitur, inquit, per vos mũdus judicatur, ſeu judicabitur, id eſt, ſi vos eſtis mũdi judices, utpote mundum aliquando judicaturi: Abſolvitur n. à tempore verbum, *judicatur.* Sequitur.

INDIGNI ESTIS QUI DE MINIMIS JUDICETIS? Græcè, *indigni eſtis judiciis minimis?* Poſſidius Græco caſu retento legit, *Indigni eſtis judiciorum minimorum?* Quod tamen rectè, & Valla teſte pereleganter, vulgatus interpres vertit, *qui de minimis judicetis?* Senſus enim eſt: Cum ſitis judices univerſales, de maximis rebus judicaturi, ut per quos omnium impiorum vita condemnanda ſit; an vos indignos cenſetis qui præficiamini minimis judiciis? veluti cum diſceptatur de negotiis hujus ſæculi, plerumque frivolis atque exigui momenti, certè extremo loco habendis à Chriſtiano. Græca vox κριτήριον etiam forum ſignificat, id eſt, locum judicii, ubi cauſæ aguntur. Et ita Faber accepit dum ſic interpretatus eſt. *Indigni eſtis prætoriorum minimorum.* Sed eam ſignificationem huic loco non convenire, ſatis declarat illud quod ſtatim ſequitur, *ſæcularia judicia ſi habueritis.* Eſt enim idem in Græco vocabulum. Quamquam & ibi Faber *prætoria tranſtulit*, ut ſibi conſtaret. κριτήριον quid ſignificet.

3. NESCITIS QUONIAM ANGELOS JUDICABIMUS? Amplificatio eſt ejuſdem argumenti ſumpti ex dignitate Chriſtianorum, qui non ſolùm judicaturi ſint mundum, id eſt, homines; verum etiam angelos, utique malos, id eſt, dæmones. Unde Tertull. lib. de pœnit. cap. 7. *Dolet diabolus*, inquit, *quod ipſum & angelos ejus Chriſti ſervus ille peccator judicaturus eſt.* Apparet ſanè tum ex Apoſtolo, tum ex Tertulliano, judicium hoc de quo dicitur, quòd *angelos judicabimus*, ad omnes omninò Chriſtianos electos pertinere, & non tantum ad certum genus Chriſtianorum, id eſt, ad perfectos. Paulus enim in ſequentibus etiam contemptibiles comprehendit, Tertullianus pœnitentes. Judicabunt autem omnes electi Chriſtiani angelos, non ſola, ut ſuprà dictum eſt, comparatione, quomodo viri Ninivitæ & Regina Auſtri condemnabunt Judæos incredulos, *Matth. 12. & Luc. 11.* ſed quia cùm diaboli & angelorum ejus victores fuerint, malitiam ejus & ſuperbiam, atque etiam imbecillitatem, coram toto mundo traducent: eique tamquam victo, & vili & contemptibili, & à Deo projecto, & in æternum damnato, inſultabunt. Quæ res erit ſuperbiſſimis illis ſpiritibus maxima & moleſtiſſima pœna. Facient autem hoc electi homines imitatione quadam Chriſti capitis ſui; de quo dicit Apoſtolus *Coloſſ.* 2. quod per crucem ſuam *exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palàm, triumphans illos in ſemetipſo.*

Chriſtiani angelos judicaturi, malos utique.

Quomodo homines electi angelos judicaturi.

QUANTO MAGIS SÆCULARIA? Græcè, μήτιγε βιωτικά, *nedum mundana, temporaria.* Poſſidius, *nedum ſæcularia*: tametſi Græcum vocabulum haud commodè poteſt una Latina dictione exprimi. Significat enim ea quæ pertinent ad uſum hujus vitæ, ut eſt victus, veſtitus, agri, domus, pecunia, ſuppellex; circa quæ verſantur quotidianæ lites. Quidam ver-

Sæcularia quæ dicat, interpres.

tunt *vitalia* : ſed vitale Latinis aliud ſignificat. Alij *victualia*, ſed id contractius eſt. Syra verſio ſic ſonat: *Quantò magis ea quæ ſunt mundi*, ſeu *ſæculi hujus?* Leguntur & apud Lucam cap. 21. μεριμναι βιωτικαι, id eſt, *curæ hujus vitæ*. Ceterùm vox primitiva βίος legitur 2. Tim. 2. *Nemo militans implicat ſe negotiis ſæcularibus*, Græcè ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, id eſt negotiis ad hanc vitam victumque pertinentibus. Et ita locum hunc exponunt Laurentius & Eraſmus. Si, inquit, Apoſtolus, judicaturi ſumus angelos, id eſt, creaturam omnium præſtantiſſimam; quantò magis digni habendi, qui inter nos de rebus infimis, ut ſunt ea quæ ſpectant ad uſum vitæ præſentis, judicemus? Dicit enim hoc ſub perſona fidelium in genere.

4. SÆCULARIA IGITUR JUDICIA SI HABUERITIS. Græcè Βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια, &c. Eraſmus: *Proinde judicia ſiquidem habueritis de iis quæ ad vitæ uſum attinent:* Sequitur.

CONTEMPTIBILES QUI SUNT IN ECCLESIA, ILLOS CONSTITUITE AD JUDICANDUM. In Græco tantum legitur: *contemptos in eccleſia eos conſtituite*, ſeu *collocate*. Sed & Auguſtinus ita legit: *Eos qui contemptibiles ſunt in eccleſia hos collocate*, *lib.* 5. contra Fauſtum *cap.* 9. & de opere monachorum. Pro *conſtituite* verti quidem etiam poteſt *conſtituiſtis*: idque malunt Laurentius & Faber; at neſcio quam ob cauſam: quum certè modum imperativum huic loco magis congruere ſatis appareat, totam ſermonis ſeriem conſideranti. Eſt autem in Græco verbum καθίζετε, id eſt, *ſedere facite*. Nam ſedere judicantium eſt. Et id voluit noſter interpres, quando explicandi gratia de ſuo addidit, *ad judicandum*. Quod & Syrus fecit ita vertens: *eos collocate vobis in judicio*. Poſſidius quoque legit ad hunc modum; *Hos collocate ad judicandum*. Rectè etiam noſter, quod Græcè eſt, τοὺς ἐξουθενημένους, id eſt, *contemptos*, *nihili habitos*, vertit *contemptibiles*, eadem ratione qua Gal. 2. reprehenſibilem ſcripſit pro reprehenſo, & Heb. 12. accenſibilem pro accenſo. Quod ſcitè ab eo factum oſtendemus, quum ad ea loca pervenerimus.

Contemptibiles in eccleſia qui Paulo dicantur.

Porrò contemptos ſeu contemptibiles in eccleſia vocat non laïcos in univerſum, ut quibuſdam videtur; Neque enim arbitror Apoſtolum epitheto tam odioſo totum genus laïcorum notare voluiſſe, præſertim quum inter eos quidam digni ſint qui ad eccleſiaſticam functionem vocentur, eoque nomine honorabiles; nec niſi ex laïcis clerici fiant: Sed eos intelligit qui in eccleſia, id eſt, inter Chriſtianos ſive laïcos ſive clericos, minimi ſunt; aut certe inepti habentur ad majora magiſque propria eccleſiæ miniſteria. Tales, inquit, potius vobis negociorum ſæcularium judices arbitrios deligite, quàm ut conferatis vos ad infidelium tribunalia: *ut ipſi videlicet diſpenſationibus terrenis inſerviant, quos dona ſpiritualia non exornant*, ait Gregorius parte 2. *curæ paſtor.* c. 7.

Quod tamen non ita accipiendum, tamquam præcipiat Apoſtolus eos qui contemptibiles in eccleſia ſunt adhibendos judiciis ſæcularium negociorum; nam alioqui malè quondam epiſcopi judicia hujuſmodi exercuiſſent, accedente etiam voluntate principum; ſicut oſtendimus ſuprà: ſed comparativè loquitur, docens hoc agendum potiùs, etſi parum deceat, quàm ferendum ut Chriſtiani litigent apud infideles. Unde ſequitur.

5. AD VERECUNDIAM VESTRAM DICO. *Ad verecundiam*, Græcè πρὸς ἐντροπήν, *ad erubeſcentiam*, ſeu *pudorem*. Hoc, inquit, quod dixi de contemptibilibus conſtituendis ad judicandum inter vos, non dixi quod ita fieri debeat; ſed ut ab eo quod agitis, pudor vos avocet. Sic enim confugitis ad profana tribunalia, quaſi deſint apud vos viri ſapientes & honorati, qui cauſas veſtras dijudicent. Quod vobis profectò pudorem incutere debet. Atque hoc eſt quod ſequitur.

SIC NON EST INTER VOS SAPIENS QUISQUAM, QUI POSSIT JUDICARE INTER FRATREM SUUM? *Quiſquam* Græcè οὐδὲ εἷς, id eſt, *ne unus quidem*. Qui ſermo expreſſior eſt, & rei indignitatem auget. *Judicare*, Græcè διακρίναι, *dijudicare*; quomodo legit Poſſidius. Et illud, *inter fratrem ſuum*, ſive ad verbum in Græco: *inter medium fratris ſui*, dictum eſt Hebræa phraſi, pro eo quod Latinè plenius dicitur, inter fratres. Priori modo locum hunc citat Auguſt. *ench. cap.* 78. Senſus eſt; Adeone non eſt vel unus ſapiens apud vos, qui fratrum inter ſe diſceptantium cauſas poſſit, judicando ſive arbitrando, ſecundum jus & æquitatem dirimere?

Sapientem intelligere videtur, quoad materiam præſentem, id eſt, doctum & peritum judicandi de negotiis ſæcularibus; ut ſunt legum periti. Sic enim Thomas exponit: tametſi nec malè ſapientem intelligas abſolutè, id eſt, eum qui veræ ac Chriſtianæ ſapientiæ cauſa in eccleſia ſit honoratus: qui proinde cum authoritate judicare poſſit; ut maximè ſunt epiſcopi. Nam ſapientem Paulus opponere videtur ei qui contemptibilis eſt in eccleſia. Et ſic Apoſtolum intellexit Auguſtinus in *lib. de opere monach.* verbis ſuprà recitatis, in eo quod dicit: *quibus nos* (utique epiſcopos) *moleſtiis affixit Apoſtolus*. Nec non concione 24. ſuper Pſal. 118. ita ſcribens: *Conſtituit enim talibus cauſis eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores, in foro prohibens jurgare Chriſtianos*. Ubi forum intellige, in quo judices erant non Chriſtiani.

Sapiens hoc loco quis dicatur.

6. SED FRATER CUM FRATRE JUDICIO CONTENDIT, ET HOC APUD INFIDELES? Quod in quibuſdam Græcis legitur ὅτι ἀδίκων, *apud injuſtos*: oſcitanti librario imputandum reor, qui hîc reſcripſit quod ſuperiùs ſcriptum meminerat: quum & in Syriaco textu legatur, *apud infideles*, & in omnibus Latinis. Porrò quod nos habemus *judicio contendit*, Græcè una dictio eſt κρίνεται *judicatur*, ut legit Auguſtinus, vel ut alij vertere malunt, *litigat*. Id autem eſt judicio contendere. Atque idem Græcum verbum eodem modo ab interprete redditum habemus, *Matth.* 5. *verſ.* 40. Duplex malum, inquiunt Theophylactus & Oecumenius poſt Chryſoſtomum, & quod frater adverſus fratrem judicio agat; & quod apud judices infideles. Non refert autem magnopere, ſive cum interrogatione, ſive quod magis placet, enunciativo ſermone legatur hæc ſententia: quemadmodum & illa huic ſimilis, paululum infrà, *Sed vos injuriam facitis*, &c.

Duplex malum hic reprehenſum.

7. JAM QUIDEM OMNINO DELICTUM EST IN VOBIS, QUOD JUDICIA HABETIS INTER VOS. Proſequitur prius membrum verſus præcedentis, quo dixit fratrem cum fratre judicio contendere. Nam de poſteriore jam antè ſatis egerat. Græca ſic habent ad verbum: *Jam quidem igitur omninò minoratio in vobis eſt, quod judicia habetis cum vobis ipſis*, aut *vobiſcum*, ut paſſim legit Auguſtinus: tametſi rectiùs noſter interpres, *inter vos*, etiam Eraſmo teſte, qui explicatiùs vertit *inter vos invicem*. *Judicia* Græcè κρίματα, pro quo ſuperius dixit κριτήρια. *Lites* vertit Eraſmus, id eſt, diſceptationes forenſes. Porrò *delictum* Græcè non eſt παράπτωμα, quod proprie delictum ſignificat; eſtque in ſcriptura Græca frequentiſſimum, ſed ἧττημα, quod ſignificat minorationem, vel ut *Rom.* 11. verterunt plerique, dimunitionem. Interpres Oecumenij hoc loco dejectionem; Theophylacti, defectum interpretatur.

Delictum hoc loco quid ſignificet.

Eſt autem ἧττημα cum quis qui ab alio vincitur, & per hoc deterius habet, utpote viribus aut numero diminutus: ut exponunt Græca ſcholia. Sic uſurparunt alicubi LXX. ἔσονται εἰς ἧττημα, *erunt in diminutionem*, id eſt vincentur. Quidam igitur hîc non intelligunt peccatum, ſed imperfectionem; ac ſi diceret Apoſtolus: Hoc ad veſtram imperfectionem pertinet, quod veſtra judicio repetitis; cùm ſit evangeli-

cæ perfectionis, *non resistere malo*, *Matth.* 5. Domino ibidem dicente, *Et ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* & Luc. 6. *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.* Huc allegatur Theodoritus, qui dicit ea quæ Paulus hîc tradit, esse perfectionis.

At verò sciendum est ea ipsa jam recitata Domini verba præceptum continere, sic ut saltem ad venialem culpam obligent, si non præstentur secundùm animi præparationem. Qui verus est ejusmodi præceptorum intellectus. Quare & hic Pauli locus sic accipiendus est, ut vere proprieque delictum sit, Christianos habere judicia inter se: quatenus scilicet hoc contrarium sit memoraris Christi præceptis. Et ita locum hunc acceperunt veteres: ut commentator Ambros. Sedulius, Primasius, qui delictum interpretantur peccatum. Item Chrysost. qui crimen vocat, id est, peccatum justa Pauli accusatione dignum. Nec aliter Theophyl. & Oecumen. A quibus nec admodum dissentit Theodoritus, qui hæc monita Pauli *legem perfectiorem* vocat: ut intelligas oppositam ei imperfectionem per ἥττημα significatam esse ἀνομίαν quamdam, ideoque vitiosam & culpabilem. Quam proinde meritò noster interpres atque etiam Erasmus verterunt *delictum*. Hujuscemodi namque minorationem quæ ex delicto nascitur, aut ipsa delictum est, haud dubiè Paulus intellexit.

Peccatum est Christianos habere judicia inter se.

Porrò sunt nonnulli inter quos Cajetanus, qui peccatum significari quidem non abnuant, sed sic Apostolum exponunt: Delictum in vobis est quod judicia seu lites inter vos habeatis: propter quod judicia non exerceantur sine peccato saltem alterius collitigantium. Nam ubi duo disceptant in judicio, necesse est alterum eorum injustam habere causam, ideoque peccato teneri: nisi fortè per ignorantiam excusetur. Verùm non id Paulum velle, satis ex antecedentibus liquet. Nam, ut initio monui, non adversus eos agit qui in jus vocantur; quos certè necesse est comparere apud legitimum judicem, quamvis ethnicum: sed tota ejus reprehensio circa actores versatur; quos primùm increpat, quod apud judices infideles actionem instituerent; deinde culpat quod omninò judicia haberent, id est, lites facerent; nec admittit excusationem qua dicant se injuria affectos à fratribus. *Quare enim*, inquit, verbis consequentibus, *non magis injuriam accipitis?*

Hujus loci sensus quorumdam refellitur.

Verus sensus astruitur.

Sic Apostolum intellexit August. *ench. cap.* 78. *& alibi.* Sic & commentatores quos dixi. Verba Augustini in enchiridio tractantis hunc Pauli locum, ista sunt: *Hic posset putari, judicium habere adversus alterum, non esse peccatum, sed tantummodo extra Ecclesiam velle judicari, nisi secutus adjungeret: Jam quidem omnino delictum est inter vos, quia judicia habetis vobiscum. Et ne quisquam hoc ita excusaret, ut diceret justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati, quam velit judicum sententia removeri; continuò talibus excusationibus occurrit, dicens: Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini?* Deinde Pauli doctrinam ad Christi magisterium referens, subjungit, *Ut ad illud redeatur quod Dominus ait. Si quis voluerit tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium*, &c. *Prohibuit itaq*; Dominus *suos de sæcularibus rebus cum aliis hominibus habere judicium. Ex qua doctrina dicit Apostolus esse delictum.* Hæc & plura Augustinus eo loco. Vide eumdem his consentanea scribentem in *enarr. Psalm.* 80. ubi Christianum sua repentem, & pro iis habentem cum fratre judicium, numerat inter eos qui super fundamentum, quod est Christus ædificant lignum, fœnum, stipulam: allegato Pauli testimonio, qui ejusmodi judicia *delicta esse dicit* Et *concione* 24. in *Psalm.* 118. ubi sic litigantium vocat vitiosas & negotiosas cupiditates.

Igitur ex Apostoli Pauli sententia, sicut eum interpretati sunt Augustinus & alij scriptores memorati, delictum, id est, peccatum est in judicio sua repetere: non quod id per se malum sit, sed quia malum non unum, sed multa ferè conjuncta habet. Nam suscipiuntur hujusmodi lites ut plurimùm ex inordinato rerum temporalium amore. *Contendit enim Christianus* (inquit Augustinus in dicta Psalm. 80. enarratione) *pro rebus terrenis amplius quam decet eum cui promissum est regnum cœlorum. Nec totum cor sursum levat, sed aliquam partem ejus trahit ad terram.* Deinde nec carent certo periculo multarum offensionum, quæ ex illis nascuntur: ut sunt siniſtræ de fratre suspiciones & judicia, obtrectationes, odia, acerbitates, malevolentiæ.

Quomodo malum, sua judicio repetere.

Nec leve malum est jactura temporis quam patiuntur omnes qui litigant; non sine detrimento pacis ac tranquillitatis internæ, quam omnes quærere debemus. Propter quod malum vitandum præcipit Apostolus ut tempus redimamus, *Ephes.* 5. *Coloss.* 4. Quocirca, nisi bono aliquo majore dispendium hoc spirituale compensetur, cum studio cavendi pericula quæ dixi; non sine peccato lites hujusmodi forenses suscipiuntur; ac minus sine peccato aguntur: quantumvis quidam nimis cupidi rerum suarum possessores reclament.

Nota, quam exosæ homini Christiano debeant esse lites forenses.

Compensationem excipio: Nam certis casibus delicto caret, imò laudabile & pium & necessarium est, injuriam judicio repellere: velut ubi quis non suum ac privatum, sed publicum alicujus communitatis agit negotium, ut Ecclesiæ, monasterij, collegij, maximè si ex obedientia aut ex officio id faciat: ubi quis bona pauperum, pupillorum, viduarum vel ablata, seu malè alienata reposcit, vel ne tollantur obsistit: vbi quis sua repetit quæ conjugi & liberis alendis sint necessaria: ubi quis in judicio vitam suam defendit, præsertim multis profuturam: quemadmodum ipse Paulus fecit Cæsarem appellans. *Act.* 25. Denique cum adversarius videtur futurus ad nocendum audacior, ac plures alios injuriis affecturus, si non authoritate judicis reprimatur.

Nota, quibus casibus licitum & laudabile injuriam judicio repellere.

QUARE NON MAGIS INJURIAM ACCIPITIS? Græcè ἀδικεῖσθε, *injuriamini*, passivè, id est *injuriam patimini.*

QUARE NON MAGIS FRAUDEM PATIMINI? Græcè, ἀποστερεῖσθε, *fraudamini*, ut legunt Cyprianus & Augustinus, id est, *damnum accipitis.* Id enim propriè vox Græca significat. Particula *magis* seu *potius*, in utroque membro sensum suspendit, explendum hoc modo: Cur non potiùs injurias & damna patienter accipitis, quàm ut judicio agatis adversus eum qui injuriam aut damnum fecit? Hinc liquet Apostolum in eo quod præcessit, egisse propriè contra actores. Nec sanè hujusmoodi erotematis urgeret eos qui ad judicia provocant, nisi propter delictum dignos increpatione putaret, quamvis justum habentes negocium. Nam ad eos qui injustis litibus fratres vexant, aut quomodolibet injustè eos lædunt, ideoque multo graviùs delinquunt; pertinet objurgatio sequens.

8. SED VOS INIURIAM FACITIS ET FRAUDATIS. Repetit eadem verba activè; quæ passivè posuerat: quo manifestior sit antithesis. Differunt autem ἀδικεῖν & ἀποστερεῖν, quod illud significet actionem injustam, istud verò magis importet effectum actionis, id est, damnum illatum. Tantum, inquit, abest à vobis hoc quod exigo, quodque non præstando delictum habetis: ut ipsi sitis injuriarum authores.

ET HOC FRATRIBUS. Græcè καὶ τοῦτο ἀδελφούς, *& hæc fratres.* Erasmus, *idque fratres*, accusandi casu, quem regit utrumque verbum Græcum præcedens: nec non Latinum *fraudatis.* Interpres vertens *fratribus*, ad prius verbum à se redditum, id est, *injuriam facitis*, respexit; aut certè ad rem utroque verbo significatam, id est, injuriam & damnum, subaudito verbo *facitis.* Est autem emphasis insignis in hac

parte. Nam si omnis injuria in crimine est ; maximè ea quæ fratri infertur.

9. AN NESCITIS QUIA INIQUI REGNUM DEI NON POSSIDEBUNT? *Iniqui*, Græcè *injusti* quomodo Cyprianus legit. Nam sermo est non de omnibus iniquis, id est, peccatoribus, ac legis divinæ transgressoribus, quos scriptura Græca passim ἀνόμους appellat: sed de injustis sive injuriosis, qui dicuntur ἄδικοι: quod Hentenius vertit *injuriam inferentes. Possidebunt*, Græcè κληρονομήσουσι, *hæreditabunt*, id est, *hæreditate consequentur*, in possessionem hæreditariam accipient. Observa Apostolum non dicere de iis qui non potius injuriam patiuntur, quam judicio contendant, quòd regnum Dei non possidebunt : quamvis & illos delicti accuset ; sed id dicere solum de injustis. Qua in re manifestè nobis innuit discrimen venialium & mortalium peccatorum; quod negant novatores. Regnum Dei intellige, quo Deus in futuro sæculo regnaturus est. Cujus regni hæreditatem injusti non consequentur ; quia non filii. Solis namque filiis debetur hæreditas.

Differunt ἄνομοι & ἄδικοι.

Obs. contra novatores, Discrimen venialium & mortalium peccatorum à Paulo inditatum.

NOLITE ERRARE. Vetus error est ; salutem sibi promittere ex sola fide sine operibus. Cujus authorem ferunt Simonem magum. NEQUE FORNICARII. Simplicem fornicationem intelligit, quia ab his adulteros & molles & masculorum concubitores distinguit. NEQUE IDOLIS SERVIENTES. Græcè *idololatræ*. De his actum est semel & iterum capite superiori. Nunc illud addo, ex specie genus intelligendum : ut comprehendantur quicumque pro Deo colunt quod Deus non est. NEQUE ADULTERI. Adulter est quisquis torum violat conjugalem.

Vetus error, fidem absq; operibus ad salutem sufficere.

10. NEQUE MOLLES. Theophylactus *molles* interpretatur *turpia patientes*. Thomas *muliebria patientes*. Sic enim legendum : non *facientes*, ut mendosè scriptum in quibusdam codicibus. Turpitudinem hanc acerrima oratione flagellat Salvianus *lib. 7. de providentia Dei*. NEQUE MASCULORUM CONCUBITORES. Græcè ἀρσενοκοῖται uno composito vocabulo. Hi sunt turpia agentes, quæ nec nominari debent. De quibus etiam *Rom.* 1.

NEQUE FURES, NEQUE AVARI. Cyprianus pro avaris *fraudatores* legit super orationem Dominicam, & *testim. lib. 3. cap. 65*. De hoc vitio vide quæ dicta *cap. præced.* Igitur differunt hoc loco fures & avari : quod illi clàm aliena surripiunt nullo colore juris ; hi fraude circumveniunt proximum, ut contingit in contractibus : aut certè justum aliquid prætendunt, ut fœneratores.

Avari qui dicantur hoc loco.

NEQUE EBRIOSI, NEQUE MALEDICI, NEQUE RAPACES. *Maledici*, hic rursum λοίδοροι, id est, *conviciatores*: qui iidem maledici : tametsi non omnis maledicus conviciator. Nam convicium, λοιδορία, dicitur homini in faciem : maledictum etiam obtrectatio est de absente. Quamquam hic ex specie genus intelligi facilè potest. Alias maledicere in scripturis est exsecrari, malè precari, Græcè καταρᾶσθαι. Ebriosi & rapaces qui dicantur, vide capite superiori.

Convicium & maledictum differunt.

REGNUM DEI POSSIDEBUNT. Græcè *hæreditabunt* ; ut suprà. Libenter meminit Apostolus hæreditatis regni, cum de futuro præmio loquitur vel reddendo quibusdam vel non reddendo. Sic ad Galat. 5. *Qui talia agunt regnum Dei non consequentur*, Græcè *hæreditabunt*. Ephes. 5. *Omnis fornicator*, &c. *non habet hæreditatem in regno Christi & Dei*. Significatur autem electorum magna dignitas, ut qui non solum futuri sint in regno Dei : sed etiam regni consortium habituri cum Deo & Christo, videlicet ut hæredes Dei & cohæredes Christi, *Roman. 8*. Nam idcircò & reges vocantur *Apoc. 1. & 5.* & regnaturi cum Christo dicuntur, ibidem *cap. 20*.

Electorum dignitas, quod regni Dei consortes futuri.

Quod verò ad rem ipsam attinet, non est aliud regnum Dei quàm vita æterna nobis in scripturis promissa. Proinde malè quidam olim sibi blandientes in suis peccatis, existimaverunt sese, quamvis ad regnum non admittendos propter hanc scripturam & similes; vitam tamen æternam merito fidei consecuturos: Malè, inquam, & perversè ; cùm apertissimè dicat Dominus in evangelio, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19. Contra quos Augustinus cum alibi, tum ex professo multa disserit in *lib. de fide & operibus*. Quæ eadem æquè valent adversus hujus sæculi Solifidianos hæreticos.

Obs. contra Sectarios Solifidianos.

11. ET HÆC QUIDAM FUISTIS. Pro *quidam* in multis codicibus *quidem* legebatur vitiosè. Græca sic habent : καὶ ταῦτα τινες ἦτε, *Et hæc quidam eratis*. Annuit textus Syriacus, & Latinus Ambros. atque Irenæi interpres *lib. 4. cap. 46*. suffragantibus item vetustis quibusdam exemplaribus ut meritò lectionem hanc nobis restituerint castigatores Romani. Sunt autē qui voculam τινες *quidam*, putent superfluam esse, tantumque ornatus causa additam, non restrictionis. Atqui id inusitatum est.

Verisimilius, additum ab Apostolo moderandi sermonis gratia, (ne videretur omnia memorata vitia singulis impingere) tamquam si diceret : quidam hoc, quidam aliud fuistis eorum quæ enumeravi. Neque enim omnes fuerant adulteri, molles, fures, &c. tametsi idololatriæ peccatum omnibus fuit commune. Non ergo propterea addit Apostolus *quidam*, quod inter Corinthios existimaret aliquos ab his omnibus quæ percensuit, esse liberos : sed ut significaret non omnes omnia, sed alios alia commisisse ; non negans interim fuisse quædam omnibus communia.

SED ABLUTI ESTIS. Dixit quales suo vitio fuerint : nunc addit quales facti beneficio Dei per Christum : utens gradatione quadam, qua à minori progreditur ad majora. Per ablutionem intelligi potest vel ipse baptismus, qui est ablutio corporalis & exterior, vel baptismi effectus qui est ablutio spiritualis & interior, quam exterior illa significat. Priori modo sensus est : Abluti estis aqua, baptizati estis, *abluti corpus aqua munda*. Heb. 10. Magis tamen arbitror spiritualem ablutionem significari, tamquam effectum ablutionis corporalis, ut *sensus sit* : Ab his omnibus vitiorum sordibus abluti atque mundati estis lavacro aquæ, per quod omnia vobis peccata remissa sunt. At ne in sola ablutione, id est, peccatorum remissione consistere putaretur justitia Christiana : addit alterum gradum.

SED SANCTIFICATI ESTIS. Id est puritatem consecuti, ita ut jam verè & coram Deo sancti sitis. Nam sanctitas non solum significat absentiam sordium, ut sentire videtur Cajetanus, verùm munditiam sonat positivam & inhærentem, qua quis applicatur ad Deum; quemadmodùm justitia significat rectitudinem, de qua sequitur.

Sanctitas quid significet.

SED JUSTIFICATI ESTIS. Id est, veram justitiam adepti, quæ non aliud est quam interioris hominis rectitudo, principaliter sita in conformitate mentis ad legem Dei. Planè monstrat hic locus contra sectarios, justitiam hominis Christiani non esse imputativam : qua nimirum is qui reverà justus non est, justus per imputationem dicatur, vel quod ei peccata non imputentur ; vel quod imputetur ei justitia Christi ; sed talem prorsus esse, qua quis à peccatis ad Deum verè conversus, accepta eorum remissione, novum induerit hominem ; atque ita mente renovatus ambulet in novitate vitæ, & in observatione mandatorum Dei.

Quid verà justitia.

Obs. contra Sectarios, Justitiam imputativam ex hoc loco destrui.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI. Græcè tantum legitur, *In nomine Domini Jesu*. Sensus; per meritum Domini ac redemptoris nostri Jesu Christi. Tota namque justificatio & renovatio nostra à principio usque ad finem & consummationem, asscribenda est merito passionis Christi.

Tota nostra justificatio asscribenda Christo.

ET IN SPIRITU DEI NOSTRI. Id est, virtute Spi-

ritus-ſancti à Deo noſtro procedentis. Huic enim authori ea quæ ad ſanctificationem noſtram pertinent, peculiariter in ſacris literis aſſcribi ſolent.

12. OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA EXPEDIUNT. *Expediunt*, ſive *conducunt*, Græcè συμφέρει. Tertull. *lib. de exhort. caſt. cap.* 8. legit & inculcat, *ſed non omnia pro ſalute*. Hanc eamdem ſententiam Paulus infrà repetit *cap.* 10. ubi ab idolothytis edendis Corinthios revocat. Verùm diverſa occaſione eam profert hoc loco. Nec tamen inter expoſitores convenit, quorſum huc adferatur. *Quidam* referunt ad judicia de quibus egit ſuperius : quaſi dicat Apoſtolus ; Repetere ſua judicio licet quidem, quatenus ſimpliciter non prohibitum, nec per ſe malum : non tamen expedit ob cauſas ſuprà dictas. Sed quia mox eſcarum & ventris, & deinde fornicationis mentio ſubſequitur : ideò putant *alii*, Paulum hîc reſpicere ad fornicationem, contra quam ſuperiori capite pluribus egit ; & docere unde ea nata ſit, aut naſci ſoleat, ſcilicet ex ingluvie ventris : ut ſenſus ſit : Cibo & potu ſaturari, quamvis per ſe non ſit illicitum, ſæpè tamen non expedit : ne ſaturitas libidinem provocet.

Triplex hujus loci commentarius.

Rurſum *alii* ſunt qui exiſtiment Apoſtolum his verbis præludere argumento quod ex inſtituto tractaturus eſt *cap.* 9. ac velut in tranſitu ſignificare Corinthiis, uti ſe potuiſſe apud eos poteſtate omnibus evangelij miniſtris à Chriſto conceſſa, nempe vivendi ex evangelio ; ſed uti noluiſſe, quòd non expediret. Faciunt autem hanc connexionem : Idcircò liberiùs taxo vitia veſtra, & dicere vobis audeo quòd tales & tales regnum Dei non conſequentur, quales tamen inter vos ſunt non pauci, quia ſtipendia prædicationis meæ à vobis non accipio ; & per hoc minus ſum vobis obnoxius, quàm alij qui vos devorant evangelii prætextu, ſed ulcera veſtra tangere non audent. Quamvis enim abſolutè licitum mihi ſit accipere à vobis honoraria mei laboris, non tamen id expedit me facere, *ne quod offendiculum ponam evangelio Chriſti*, quemadmodum infrà dicit cap. 9.

Tres expoſitiones jam datas videre eſt apud Lombardum, Hervæum & Aquinatem. Specialiter autem primam tradunt poſt utramque gloſſam Liranus & Burgenſis : item Carthuſianus, additis hoc loco quatuor rationibus, propter quas non ſemper expedit ſua repetere judicio : Deinde Cajetanus, Titelmannus & alii recentiores.

Secunda expoſitio Græcorum eſt, atque etiam Latinorum quorumdam veterum, Pelagij, Primaſij & Sedulij.

Tertia extat apud commentatorem Amb. quem ſequuntur Haimo & Eraſmus in Paraphraſi. Ac pro ea facere videtur, quod Paulus hæc loquatur in prima perſona, tamquam de ſeipſo. Quamquam infirmum eſt hoc argumentum. Nam & cap. 10. rurſus eamdem ſententiam in prima perſona pronuncians, alios inſtruit. Ita cap. 13. dicit : *Si linguis hominum loquar*, & plura quæ ſequuntur, utique ad exhortationem fidelium. Sanè ut de cibis, ita de ſtipendiis in textu nihil præceſſit, quo poſſet hæc pars referri juxta ſecundam vel tertiam expoſitionem. Præceſſit autem ſermo de judiciis, & quidem ejuſmodi qui ſcrupulum relinqueret à Paulo eximendum.

Senſus hujus loci maximè probabilis.

Quamobrem prima expoſitio maximè nobis videtur accommoda loco præſenti. Nam Paulus occaſione eorum quibus dixerat, *Sed vos injuriam facitis & fraudatis* : paululum digreſſus ad locum communem de judicio & miſericordia Dei, hîc jam declarat quod in priori doctrina de judiciis obſcurum ac minus explicatum videri poterat. Nam diceret aliquis : An non licet cuique jure agere pro re ſua ? Reſpondet Paulus : *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Quam puto ſententiam ore ſapientum tritam fuiſſe. Argumento eſt, quod invariatam infrà repetat. Cæterùm prorſus univerſaliter eam accipi non poſſe, manifeſtum eſt.

Etenim quàm multa ſunt, quæ nullo modo licent? Proinde ſic exponatur : Multa mihi licent, quæ non expediunt : vel hoc modo ; Non quæcumque mihi licent, etiam expediunt ; ut ſignificetur quædam univerſalitas eorum quæ licent, quæ tamen non omnia expediant. Omnia mihi licent, quo ſenſu.

Ea licere dicuntur Apoſtolo, quæ adiaphora vocantur, id eſt, quæ abſolutè non ſunt prohibita ; ut edere carnem, bibere vinum, matrimonio copulari. Expediunt autem, quæ ſecundùm particulares circumſtantias conſiderata, bona ſunt & eligenda. Patet igitur multa licere quæ non expediunt. Atque tale eſt rem ſuam ab injuſto occupatore apud judicem repetere. Tale etiam ad ſatietatem edere & bibere, juxta alterum ſenſum. Denique tale erat Apoſtolo Paulo ſtipenda prædicationis à Corinthiis accipere : de quo tertius erat ſenſus. Judicio ſua repetere licet, ſed non expedit.

OMNIA MIHI LICENT, SED EGO SUB NULLIUS REDIGAR POTESTATE. Græcè, *ſed non ego redigar in poteſtatem à quoquam*, vel *ſub quoquam*. Eſt autem inter duo verba ἐξεστι & ἐξουσιασθήσομαι, id eſt, *licet*, & *in poteſtatem redigar*, quorum alterum ab altero deducitur, jucunda quædam alluſio : quam Faber & Eraſmus ſuis verſionibus exprimere conati fuerunt ; ſed felicius Eraſmus, *Omnium mihi poteſtas eſt, at ego non redigar ſub ullius poteſtatem* : tametſi jam antè verterat, *omnia mihi licent*. Senſus autem eſt ; Multa mihi licent, quæ tamen facere nolim, ne redigar ſub alienam poteſtatem. Sed hoc ad diverſas expoſitiones ſupradictas aliter & aliter applicatur.

Ubi primò *notandum* illud τινος, *ſub quoquam* non neceſſariò referri ad perſonam, id eſt, hominem ; ſed eſſe commune perſonis & rebus ; ut ita verti poſſit, *Non redigar ſub ullius rei poteſtatem*. Nam & *qui nimis rem aliquam amat*, inquit Thomas, *quodammodo ſervus illius efficitur.*

Igitur qui putant Apoſtolum reſpicere ad fornicationem tamquam gulæ filiam, ſic exponunt hanc partem : Cùm ſim dominus cibi potuſque, committere non debeo ut immoderatè illis utens, ſervus eorum pro domino inveniar. Unde de talibus dicit idem Apoſtolus Rom. 16. *Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri*, & Philip. 2. *Quorum Deus venter eſt.* Ita Græci Triplex item hujus loci intellectus.

Qui verò Paulum agere exiſtimant de poteſtate vivendi ex evangelio, partem hanc plano & obvio ſenſu ſic ediſſerunt ; Potui vos gravare ſumptu tamquam veſter Apoſtolus : verùm ea poteſtate uti nolui, ne cuiquam veſtrûm devinctus viderer ; ſed integram mihi libertatem ſervarem vos admonendi, & vitia veſtra caſtigandi ; ut facio in hac tota penè epiſtola. *Nec enim* (ait quidam) *facilè offendit libertas admonentis, qui nullo nomine ſit obſtrictus ei quem corripit.*

Commentarius hic plauſibilis fortè : ſed, ſi benè conſideres, non convenit. Nam Paulo non ea potiſſima ratio fuit abſtinendi à ſtipendiis apud Corinthios, quod retinere ſibi vellet eos corripiendi libertatem ; ſic enim nec à Macedonibus, nec ab ullis aliis, quibus prædicavit, accipere debuiſſet : ſed propter Pſeudapoſtolos id fecit, ut haberet de quo adverſus eos gloriaretur : uti patebit infrà cap. 9.

Porrò quibus prima placet expoſitio de tribus antè dictis, hanc partem ſic explicant : *Sub nullius redigar poteſtate*, id eſt, Non patiar me propter res pecuniarias ac temporales, velut eſſem ſub earum poteſtate, vel abſtrahi, vel diſtrahi, quò minùs liberè & abſque impedimento ſerviam Deo. Quod non potero, ſi tempus & cogitationes impendam litibus. Senſus maximè probabilis illuſtratur.

Pro quo ſenſu notandum eſt, Apoſtolum fideles paſſim avocare ab implicamentis curarum hujus ſæ-

ſæculi: quò ſint expeditiores ad ſerviendum Deo. Hinc inter alia dicit capite ſequenti: *Volo vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori: & diviſus eſt*, utique tamquam duorum dominorum ſervus, Dei & conjugis. Quo etiam loco virginitatem commendans hortari ſe dicit ad id *quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* Quod non poſſunt qui conjugio ſunt alligati; utpote ſibi invicem ἐξουσιαζόντες, id eſt, ſub mutuam poteſtatem redacti. Nam hac Græca voce etiam illic utitur, cùm dicit, *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir*, &c. Huc etiam ac propriè pertinet quod alibi præcipit fidelibus, ut tempus redimant. *Eph. 5. & Col. 4.* ſcilicet ut ſibi vindicent libertatem ſerviendi Deo: quam retinere non poterunt, curis ſæcularibus detenti, tamquam rerum temporalium ſervi.

Denique ad hæc ſuum ipſius proponit exemplum: *Volo*, inquit, *omnes eſſe ſicut meipſum*, infrà cap. 7. ut non ſit mirum ſi & hîc de ſe loquens alios exhortetur, in eo quod dicit, *ego ſub nullius redigar poteſtate.*

Ratio præcipua, cur non expediat litigare.

Igitur juxta hunc ſenſum, quem benè declarat Carthuſianus, indicat Apoſtolus rationem inſignem ac præcipuam, cur hoc quod licet, id eſt, ſua judicio repetere, non expediat. Redigit enim hominem in quamdam ſervitutem, qua adimitur ei libertas cogitandi quæ Dei ſunt.

13. ESCA VENTRI ET VENTER ESCIS. *Eſca* Græcè βρώματα pluraliter *eſcæ, cibi*. Ita Tertullianus lib. de pudicitia cap. 16. *Cibi ventri & venter cibis.* Subauditur autem verbum in utroque membro, debentur, deſtinantur, aut quid ſimile: ut ſit *ſenſus*; cibos ventri deſtinatos eſſe, ſcilicet ut in ventre concocti cedant in nutrimentum corporis; ac viciſſim ventrem cibis recipiendis & decoquendis ſervire. Quomodo hæc pars à diverſis aptetur ad diverſas expoſitiones antè dictas, mox indicabimus.

Venter quo ſenſu deſtruendus.

DEUS AUTEM ET HUNC ET HAS DESTRUET. *Deſtruet*, Græcè καταργήσει, *abolebit*, pro quo Tertull. *conficit*, Auguſt. *evacuabit*, quomodo vulgatus alibi vertit eam vocem. Et ſenſus eſt: Deus tam ventrem quàm eſcas abolebit, aliquando ceſſare faciet, nempe quoad uſum prædictum. Id autem futurum poſt hanc vitam. Filii namque reſurrectionis qua venter cum cæteris membris reſtituetur, ſicuti *neque nubent neque nubentur*, ita nec comedent nec bibent; ſed erunt *ſicut Angeli Dei in cœlis.* Matt. 22.

Hujus partis connexio cũ ſuperioribus.

Sed quomodo hæc de eſcis & ventre cohærent ſuperioribus? Qui ſecundam expoſitionem tradunt, ita connectunt: Si igitur hæc abolenda ſunt, quia uſum non habent niſi temporarium; non debeo me eorum ſervum reddere, etiam cum periculo ne me propellant in fornicationem. Nam ut ſequitur: *Corpus non fornicationi ſed Domino.* Juxta tertiam expoſitionem hæc connexio eſt: Utique non debeo propter rem temporariam & abolendam, ut ſunt cibus & venter, ſubjicere me alienæ poteſtati: non debeo propter hæc pati detrimentum meæ libertatis, idque cum diſpendio veſtræ ſalutis æternæ.

At verò juxta primam expoſitionem, quæ nobis viſa probabilior, hîc rurſus occupatio eſt. Nam replicare quiſquam poterat ex tenuioribus; Res meæ ſunt mihi ad alendam familiam neceſſariæ: cogit me domeſtica neceſſitas, ut eas repetam judicio. Hinc ipſe Paulus ſupra vocat ejuſmodi judicia βιωτικὰ, id eſt, *victualia.* Reſpondet autem cum quadam conceſſione, dicens: *Eſca ventri*, &c. quaſi dicat: Iſta tantum habent uſum temporarium: ideoque nobis qui ſectamur æterna, non eſt propter illa laborandum, niſi quantum poſtulat hujus mortalis vitæ neceſſitas; ne propter res perituras detrimentum patiamur in iis quæ ſemper manſuræ ſunt.

CORPUS AUTEM NON FORNICATIONI, SED DOMINO. Redit ad exhortationem fugiendæ fornicationis, de qua capite ſuperiori. Connexio autem hujuſmodi eſt: Docui vitandam fornicationem, deinde dehortatus ſum à judiciis forenſibus; quæ tamen oſtendi licere, ſed ut plurimum non expedire: Non ſic autem ſentire debetis de fornicatione, nec de ea uſurpare illud, *omnia mihi licent*, quantumvis vulgo permiſſa ſit apud Gentiles, nec ullis legibus coërcita. Non enim ſicut *eſcæ ventri, & venter eſcis* ut propter ventris neceſſitatem temporariam, liceat res ſuas judicio repetere, nec omninò peccet qui id facit: ita corpus attributum eſt fornicationi, ne quidem in hac vita & ad tempus; ut proinde liceat aliquando fornicari; quum ſit res per ſe illicita.

Fornicatio per ſe illicita.

Igitur hîc rurſus ſupplendum verbum, quale in parte præcedenti, debetur, deſtinatur, attributum eſt. Significat enim uſum corporis à Deo inſtitutum non eſſe ut fornicetur ac libidini obſequatur, ſed ut ſerviat Chriſto Domino, qui precio ſui ſanguinis totum hominem ſibi ſervum mancipavit. Non ſervit autem corpus Domino, niſi ſanctum & purum ab omni immundicia. Quia verò totum hominem Chriſtus redemit; idcircò & totum corpus hic intellige, conſtans omnibus membris, etiam illis quibus ad libidines abutuntur fornicarii: quæ etſi deputata ſint ad uſum gignendæ prolis, non tamen ad fornicationem, nec ad ullum actum turpem & inordinatum.

Oſtendit hic locus, etiam in ipſa copulatione carnali, poſſe conjuges Domino ſervire; ſi non ad turpitudinem, ſed ob finem à Deo inſtitutum, opus illud exerceant. *Dices*: Si totum corpus Domino, igitur & venter Domino. *Reſpondeo.* Paulum id non negare: ſed quemdam uſum ventris ſignificare voluiſſe licitum ac neceſſarium, quando dicit *venter eſcis*, qui tamen uſus abolendus ſit, fornicandi verò poteſtatem omninò denegare corpori; quia totum ſervire debet Chriſto.

Nota, Opus conjugale meritorium eſſe poſſe.

ET DOMINUS CORPORI. Partem hanc Aquinas ſic exponit: Chriſtus Dominus ad hoc datus eſt hominibus, ut eorum corpora per reſurrectionem ſuæ gloriæ conformet: ſecundum illud Philipp. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Alii totum hoc, *corpus Domino, & Dominus corpori*, referunt ad analogiam membrorum & capitis. Nos enim non ſolùm ſecundum animam, ſed etiam ſecundum corpus membra ſumus Chriſti capitis, & per hoc ei ſubjecti atque conjuncti. Viciſsim autem Chriſtus nobis conjunctus & agglutinatus eſt ut caput corpori. Quæ analogia ſtatim explicatur in eo quod corpora noſtra vocat membra Chriſti. Ita ſenſus hujus partis eſt; Chriſtum attributum eſſe corpori caput, à quo regatur & motus accipiat. Jam ne dicat quis, ſicut ventrem ita & corpus deſtruendum eſſe; ſequitur.

Fideles membra Chriſti ſecundum animas & corpora.

14. DEUS VERO ET DOMINUM SUSCITAVIT, ET NOS SUSCITABIT. Quemadmodum, inquit, Deus Chriſtum Dominum reſuſcitavit à morte ad vitam immortalem; ita & noſtra corpora donabit immortalitate: ut ipſa quidem ſemper vivant, ceſſet autem uſus membrorum ad ea quæ ſunt hujus corruptibilis vitæ. Sic Rom. 8. *Qui ſuſcitavit Jeſum-Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra.* Id autem facturus eſt ut ſequitur.

PER VIRTUTEM SUAM. Id eſt, eadem poteſtate qua Chriſtum Dominum à morte ſuſcitavit. Et quoniam Chriſtus etiam Deus eſt, ipſe quoque ſeipſum ſuſcitavit; uti ſe facturum Judæis prædixerat Joan. 2. *Solvite templum hoc; & in tribus diebus excitabo illud.* Porrò notandum eſt Apoſtolum non ſimiliter loqui de ventre & corpore: quia ventris uſus nobis notiſſimus, qui eſt cibos recipere convertendos in nutrimentum totius corporis, abolebitur, animali vita ceſſante: corporis autem uſus in genere eſt, ut

animæ ſit inſtrumentum, eique ſubſerviat. Id quod etiam in vita ſpirituali, qualis poſt reſurrectionem exſpectatur, locum habebit.

15. NESCITIS QUONIAM CORPORA VESTRA MEMBRA SUNT CHRISTI? Hîc jam expreſſiùs urget analogiam membrorum & capitis inter corpora noſtra & Chriſtum; ut ea ratione doceat quàm ſit indignum corpora noſtra fornicatione commaculari. Scire debetis, inquit, corpora veſtra eſſe Chriſti membra; quatenus ſcilicet Chriſtus caput myſticum eſt, non modò totius eccleſiæ, ſed etiam ſingulorum fidelium; nec ſolùm ſecundùm animas, verum etiam ſecundum corpora: quoniam & corpus & animam de noſtro genere ſuſcipere dignatus eſt.

Chriſtus caput myſticũ totius eccleſiæ.

Obſerva Paulum hac ſententia comprehendere etiam eos qui fornicatione corpora ſua fœdabant, ut patet ex ſequẽtibus. Itaque rectè ex hoc loco colligitur non ſolum bonos, ſed etiam malos Chriſtianos eſſe membra Chriſti, quatenus adhuc ſunt in corpore ejus quod eſt eccleſia; non tantum ut partes, ſicuti quidam diſtinguunt, ſed verè ut membra, certis in corpore miniſteriis aut actionibus deputata. Vide commentarium noſtrum ad illud Epheſ. 1. *Quæ eſt corpus ipſius.*

Obſerva Fideles etiam malos eſſe Chriſti & Eccleſiæ membra.

TOLLENS ERGO MEMBRA CHRISTI, FACIAM MEMBRA MERETRICIS? ABSIT. Oſtendit gravitatem peccati ejus qui fornicatur, ut qui Chriſtum caput ſuum contumelia afficiat, dum membra ejus ad fornicationem proſtituit, faciendo ea membra meretricis ſeu fornicariæ mulieris. Quod quidem ſummopere debet refugere Chriſtianus. Hinc rurſus diſce fornicationem etiam ſimplicem eſſe peccatum mortale. Neque tamen ex eo quod dicit, *tollens membra Chriſti*, conſequitur fornicatorem dum ſe facit membrum meretricis, deſinere eſſe membrum Chriſti. Nam ut omittam (quia minus placet) quod quidam Græci codices pro ἄρας *tollens*, habent ἆρα *numquid*, ad quem modum verterunt Eraſmus & Theophylacti interpres: non ita dictum eſt ab Apoſtolo, *tollens membra Chriſti*, quaſi dicatur avellens & ſeparans ea à corpore quod eſt Chriſtus, ſic ut membra ejus eſſe deſinant: ſed tollens, id eſt, *accipiens*, Carthuſianus *aſſumens*, & ut Thomas exponit, *injuſtè ſubtrahens ſervitio Chriſti* cui deſtinata ſunt.

Simplex fornicatio peccatum mortale.

Locus Auguſtini declaratus.

Dicit quidem Auguſt. *lib. 21. de civit. Dei cap. 25. Non poſſunt ſimul eſſe & membra Chriſti & membra meretricis:* Et iterùm; *Non ſunt autem membra Chriſti qui ſe faciunt membra meretricis: niſi malum illud pœnitendo eſſe deſtiterint, & ad hoc bonum reconciliatione redierint.* Sed intelligit membra Chriſti viva, id eſt, per charitatem in Chriſto manentia, ac proinde membrorum Chriſti nomine digna. *Nam fides*, ut habet Synodus Tridentina Seſſ. 6. cap. 7. *niſi ad eam ſpes accedat & charitas, neque unit perfectè cum Chriſto, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Alioqui plana eſt Auguſtini ſententia in enarratione Pſalm. 56. *Tota eccleſia conſtans ex omnibus fidelibus: quia fideles omnes membra ſunt Chriſti*, &c. Qui etiam lib. 1. de nuptiis & concup. c. 10. *de quibuſque fidelibus conjugatis* loquens ait: *qui ſine dubio membra ſunt Chriſti.* Ac ſanè conſtat Chriſtum paſci in membris ſuis, quando propter ipſum paſcuntur pauperes Chriſtiani ſeu boni ſeu mali. Jam quomodo fornicator membra Chriſti faciat membra meretricis, cùm eam non conſtituat caput ſuum; declarat Apoſtolus verbis ſequentibus.

16. AN NESCITIS QUONIAM QUI ADHÆRET MERETRICI, UNUM CORPUS EFFICITUR? Græcè, *unum corpus eſt.* Sic enim paulò poſt dicitur, *unus ſpiritus eſt.* Intellige verò; *unum* cum ea *corpus*; ſicut infrà *unus* cum eo *ſpiritus*. *Qui adhæret*, Græcè ὁ κολλώμενος, *qui agglutinatur*, quemadmodum & Tertullianus legit *lib. de pudic. cap. 16.* & Cyprianus *libr. 3. teſtim. cap. 62.* Uſi ſunt eadem voce Græca LXX. interpretes, *qui agglutinatur* Geneſ. 2. ubi nos habemus *& adhærebit uxori ſuæ.* Quod quidem agglutinandi verbum pulchrè quadrat cum eo quod ſequitur, *unum corpus efficitur.* Glutinum enim unum ex duobus facere ſolet. Res, inquit, manifeſta eſt, eum qui commiſcetur meretrici, ipſa commixtione fieri cum ea velut unum corpus. Itaque ipſe & meretrix ſunt unius corporis quaſi duo membra.

Fornicator unum corpus cum meretrice.

Hoc igitur ſenſu dixit Apoſtolus, eum qui fornicatur, membrum Chriſti, id eſt, corpus ſuum, facere membrum meretricis, ſcilicet non ut corporis aut capitis; ſed ut commembri, ad unum corpus conſtituendum. Dicitur enim hoc ſecundùm eam locutionem qua dixit Rom. 12. *Singuli alter alterius membra*, & Eph. 4. *Quoniam ſumus invicem membra.* Quod non videntur conſideraſſe, qui fornicarium interpretantur effici membrum meretricis tamquam corporis; eò quòd corpus ſuum faciat unum cum illius corpore. Quem ſenſum non arbitror intentioni Paulinæ convenire, maximè ſpectato ſcripturæ teſtimonio, quo conſequenter probat id quod dixit, *unum corpus efficitur.*

ERUNT ENIM, INQUIT, DUO IN CARNE UNA. *Inquit* ſupple Dominus per Moyſen, vel per Adam, cujus verba Moyſes commemorat. Nam & Chriſtus Matth. 19. citat Dominum hoc dicentem: *In carne una*, Græcè *in carnem unam.* Atque ita legunt Tertullianus *lib. de pudic.* & Hieron. *in epiſt. ad Ageruchiam* de monogamia; cujus verba ſunt: *Erunt duo in carnem unam: non in duas, nec in tres.* Sic enim & LXX. locum Geneſ. 2. rẽddiderunt, retento videlicet Hebraiſmo; pro eo quod diceretur, erunt duo una caro; quomodo dixit Jacob Patriarcha Geneſ. 28. *Erit mihi Dominus in Deum*, id eſt, Dominus erit mihi Deus. Et Dominus de Salomone 2. Reg. 7. *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Hoc modo phraſim explicat ipſe Chriſtus Matth. 19. dum eodem teſtimonio prolato, ſubjungit: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* In Hebræo quidem tantum legitur. *Et erunt in carnem unam*, non addita numerali voce *duo.* Senſus tamen eam adjectionem poſtulat intelligi; quia dictum erat; *Et adhærebit uxori ſuæ*, non uxoribus.

Hebraiſmus, in carnem unam, explicatur.

Porrò ſenſum reddere conatus eſt Eraſmus dum vertit, *Redigentur enim duo in carnem unam*, imitatus, ut opinor, Hieronymum, qui in commentario epiſtolæ ad Epheſ. 5. de coſta protoplaſti ita ſcribit, *Tollitur de Adam & ædificatur in conjugem: & ipſa rurſum conjux in unam viri carnem redigitur.* Alter Hebraiſmus eſt in vocabulo carnis poſito pro corpore. *Una caro*, id eſt, unum corpus. Id enim præceſſerat, fornicantes unum corpus effici. Jam etſi illa verba Geneſ. 2. dicta ſint de conjugibus; benè tamen ea refert Apoſtolus ad fornicantes: quia, ut ait Thomas, actus externi conjugum & fornicantium; *ſecundùm ſpeciem naturæ non differunt.*

Caro pro corpore, Hebraiſmus eſt.

17. QUI AUTEM ADHÆRET DOMINO, UNUS SPIRITUS EST. *Qui adhæret*, iterum Græcè ὁ κολλώμενος, *qui agglutinatur.* Eaque rurſus Tertulliani lectio eſt. *Senſus*: Qui fide & charitate Chriſto Domino ſeſe agglutinavit, is quodammodo fit unus cum eo ſpiritus: nimirum conjunctione ſpiritus ſui cum ſpiritu Chriſti. Non diſſimili ſermone dictum eſt Actor. 4. quod *multitudinis credentium erat cor unum & anima una*; nempe propter animorum concordiam. Cæterùm hoc ſpirituali glutino non adhæret Domino fornicator, utcumque per fidem mortuam aut functionem aliquam membrum ejus ſit. Non enim mortui membri agglutinatio eſt cum corpore, id eſt, tenax adhæſio, ſed facilè ſeparabilis.

Boni fideles unus ſpiritus cũ Chriſto.

18. FUGITE FORNICATIONEM. Peculiare eſt vitio fornicationis, fugiendo magis quam repugnando ſuperari. Nam in cæteris quidem, ut annotant Thomas & alii, quantò magis quis particularia conſide-

Nota ad mores, vitio fornicationis fugiẽdo potiùs quàm repugnando ſuperari.

rat, eò minus invenit unde delectetur, ac verò magis quod abhorreat. In hoc autem vitio particularium conſideratio & cogitatio vehementiùs afficit atque incendit; propterea quod ex imaginatione facillimè caro commoveatur ad opus quod maximè ſecundum carnem eſt. Hunc igitur hoſtem vincere qui volet, fugiat, id eſt, ipſas etiam primas & ſolas hujus generis cogitationes atque phantaſmata penitus ex animo repellat; & horum quoque occaſiones ſeduló vitet. Quidam ſimpliciter præcipi putant diligens ſtudium cavendæ fornicationis. Nam & de ſpirituali vitio ſic loquitur infrà cap. 10. *Fugite ab idolorum cultura.* Poteſt autem hæc pars accipi, vel ut concluſio præcedentium; *fugite* ergo *fornicationem*: vel ut propoſitio, quam nova ſubſequenti ratione confirmet Apoſtolus; quemadmodum Aquinas eam accepit.

OMNE PECCATUM QUODCUMQUE FECERIT HOMO, EXTRA CORPUS EST. Ratio præcedens ſumpta fuit à contumelia quæ fit Chriſto, cujus membra ſumus. Hæc verò ſumitur à contumelia, quam fornicator infert proprio corpori: ac ſi dicat Apoſtolus; Si injuria Chriſti non te movet, tùa ſaltem ipſius te revocet ab hoc vitio. Nam omne peccatum, quodcumque admiſerit homo, extra corpus eſt, id eſt, tale quo non peccet in corpus ſuum. Pendet tam ſententia, quàm ſenſus ejus, ex eo quod ſequitur.

QUI AUTEM FORNICATUR, IN CORPUS SUUM PECCAT. *In corpus ſuum*, Græcè εἰς τὸ ἴδιον σῶμα, *in proprium corpus.* Quod ἐμφατικώτερον eſt. Et ita legit Auguſtinus apud Bedam. Valla quidem mavult ablativum, *in corpore ſuo*; ſicut paulò ante dixit interpres, *in carne una*; licet in Græco ſint quarti caſus: Nam ita congruet, inquit, cum illo ſequenti, *Portate Deum in corpore veſtro.* Atque nihil opus ut congruat in caſu: quin potiùs diverſum caſum res poſtulat, quem dedit Apoſtolus & reddunt omnes interpretes. Cæterùm hæc pars exceptio eſt ab univerſali præcedente: tamquam dicat Apoſtolus: Omne peccatum quodcumque quis fecerit, excepta fornicatione, extra corpus perpetratur. Nam ſolus is qui fornicatur, in proprium corpus peccat. Sic autem Hebræi exceptionem ſignificare ſolent, ut Matth. 12. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur*; pro eo quod diceretur, excepta blaſphemia Spiritus. Obſervavit hunc modum locutionis Auguſt. *quæſt. 8. ſuper Levit. Notandum* quoque ſub nomine fornicationis omne genus impudicitiæ in hac ſententia comprehendi. Non enim dubium quin peccet in ſuum corpus, qui quicquam ejuſmodi commiſerit, ſive illud ſit ſecundum naturam, ſive contra naturam.

Exceptionis ſignificandæ forma apud Hebræos.

Quod ad intellectum attinet hujus loci, quî ex eo difficultatem habet, quod dicat ſolum eum qui fornicatur, in corpus ſuum peccare, tanta varietas eſt apud commentatores, ut ex ſolis Græcis authoribus ſenſus ſuprà decem collegerit Oecumenius.

Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat, quo ſenſu.

Una igitur expoſitio eſt ab Oecumenio præ cæteris probata, qua nomine corporis uxor intelligitur. Sic enim Apoſtolus Epheſ. 5. *Viri*, inquit, *debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua.* Sed facilè refellitur hic ſenſus: quia multi fornicantur non uxorati: qui proinde fornicando non peccant in uxores ſuas. Sanè juxta hanc expoſitionem totum genus ſimplicis fornicationis huc non pertineret; ſed ſolum penè adulterium. Quod quidem facilè conceſſerint Tertullianus & Cyprianus, qui loco verbi *fornicatur*, legerunt *adulteratur*, aut *mœchatur.* Imò diſertè affirmat Cyprianus libro de bono pudicitiæ, *ſolum adulterum in corpus ſuum peccare.* Verùm ut hæc illorum lectio præter textum eſt; ita ſenſus præter mentem Apoſtoli; *qui ſuprà, hoc eodem cap.* ſeorſum à fornicariis adulteros nominavit. Nec verò ſolet fornicationis vocabulum ad adulterium reſtringi. Deinde manifeſtum eſt ex toto contextu hujus loci, Paulum loqui de proprio corpore fornicantis, eo nimirum quo fornicationis actum exercet. *Corpus*, inquit, *non fornicationi, ſed Domino; & Dominus corpori.* Item; *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti*, &c. Et infrà; *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus-ſancti?* Et ad extremum, *Glorificate & portare Deum in corpore veſtro.* Quibus in ſententiis nullo modo convenit per corpus uxorem intelligi. Sed nec ibi; *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur;* per corpus intelligitur meretrix; multò minus uxor. Senſus autem eſt quem dedimus.

Corpus non intelligitur uxor.

Valent hæc eadem ad refellendum commentarium quorumdam, qui proprium corpus interpretantur nos Chriſto conjunctos tamquam cum eo unum myſticum corpus conſtituentes. Nuſquam enim his locis corpus eo modo ſumitur. At neque verum ſenſum facit hujuſmodi commentarius. Nam ut alia peccata taceam, quibus illa noſtra cum Chriſto conjunctio læditur ac violatur: an non per idololatriam in illius corporis dignitatem graviſſimè peccatur?

Alius ſenſus refellitur.

Sunt alii qui interpretentur, fornicarium in corpus ſuum peccare, quia fornicando debilitat corpus, & vires ejus exhaurit. At hoc modo nec ſoli nec omnes qui fornicantur in corpus ſuum peccant. Nam ut de invidis & iracundis nihil dicamus, quas affectiones in corporis nocumentum redundare ſatis compertum eſt; certè multò magis plerumque gulóſi & ebrióſi per intemperantiam corpus ſuum lædunt, & ætatem minuunt, juxta illud decantatum: *Plures occidit crapula quam gladius.* Sæpè etiam qui fornicatur, non magis debilitat corpus ſuum quàm qui miſcetur cum propria conjuge. Quin, ſi medicis creditur, actus hujuſmodi interdum conducit ſanitati corporis.

Item alius.

Alii, quorum ſententiam Thomas refert magis quàm approbat; cenſent peculiariter eum qui fornicatur, in corpus ſuum peccare: quia cùm cætera peccata in ſpirituali inordinata delectatione conſiſtant; unde & ſpiritualia peccata dicuntur; ſolum fornicationis peccatum in carne conſummatur. Quod ſi *objicias* id commune eſſe peccato gulæ; duo ſunt enim carnalium peccatorum genera, gula & luxuria: reſpondent, peccatum gulæ ſub luxuria comprehendi tamquam ſub principaliori in hoc genere. Nam & Philoſopho guſtus eſt quidam tactus. Verùm non dicit Apoſtolus eum qui fornicatur, in corpore ſuo peccare, quod commune eſt gulæ cum fornicatione, ſed in corpus ſuum. Adde quod nec ſolet Apoſtolus gulæ peccata nomine fornicationis comprehendere: ſed paſſim utrumque propriis vocabulis exprimit: ut in hoc ipſo *cap. verſ. 9. & 10.* & *cap. præced. v. 11.*

Alius ſenſus.

Refellitur.

Proinde alii ſic Apoſtolum exponunt: *Omne peccatum*, id eſt, penè omne quod homo fecerit, excepta fornicatione, extra corpus eſt: quod nimirum inſtantia non ſit, niſi in peccato gulæ. Verùm hæc inſtantia non exigua eſt. Nam potus ac cibi intemperantia inter homines latiſſimè regnat.

Porrò Cajetanus cum *in comment.* tum plenius *in jentaculo 8. quæſt. 2.* interpretatur fornicantem in corpus ſuum peccare, quia corpori ſuo facit injuriam, *ponendo illud*, ut loquitur, *pro indiviſo cum corpore meretricis.* Per hoc enim, inquit, *dehonoratur corpus; velut ſi quis poneret pro indiviſo rem nobilem cum re vili, is injuriam faceret rei nobili.* At juxta hunc intellectũ non peccarent in corpus ſuum, qui privatis immunditiis ſeſe polluunt, non miſcentes ſuum corpus cum alieno corpore. Quin nec ipſa meretrix admittendo ſcortatores peccaret in corpus ſuum, ſed magis illud honoraret: quia ſicut res nobilis dehonoratur, ut cum Cajetano loquar, ſi miſceatur cum re vili: ita viciſſim res vilis honoratur, quando miſcetur cum re nobili,

Expoſitio Cajetani refutata.

Igitur his expoſitionibus dimiſſis, ut alias quas Oecumenius refert nihilo certè magis probabiles,

Senſus hujus loc germanus.

omittamus ; ſenſus hujus loci germanum arbitramur hunc eſſe ; Eum qui fornicatur , aut quocumque modo peccat per immundiciam carnalem , peccare in corpus ſuum ; quia dehoneſtat illud & ignominia afficit , excitans in eo brutalem ac fœdam libidinem ; qua nimirum ita prorſus abſorbetur animus , ut in eo actu nihil aliud cogitare poſſit. Quod in aliis peccatis non contingit, ne quidem in gula & ebrietate. Quo fit ut voluptas etiam immoderata aliorum ſenſuum turpitudinem hujuſmodi non habeat , ſicut voluptas Venerea. Quæ propter hanc cauſam etiam in coitu conjugali non poteſt non eſſe pudenda ; tametſi in conjugibus per bona matrimonii , quæ ſunt fides , proles , ſacramentum , excuſetur hoc malum à peccato ſaltem mortali. Qua de re tota latè diſſerit Auguſt. *in utroque lib. de nup. & concupiſcen.* & in *libris penè* omnibus *adverſus Julianum ſcriptis.*

Senſum verò hujus loci quem dedimus , tradit in ſermone quodam qui incipit , *Propter hoc ipſum.* Cujus magna pars exſtat apud Eugyppium *tomo 2. cap. 331.* Et apud Bedam in collectaneis. Quo in ſermone ſic inter alia dicit : *Liberum eſt animo humano in aliis quibuſcumque ſceleribus ; & unum aliquid eorum operari , & eo ipſo tempore alibi cogitatione diſtendi : quod in fornicationis ipſo opere atque tempore non licet ; animo ad aliud aliquid cogitandum liberum eſſe. Sic enim totus homo abſorbetur ab ipſo & in ipſo corpore , ut jam dici non poſſit ipſe animus ſuus eſſe , ſed ſimul totus homo dici poſſit quod caro ſit.* Hæc ille : ex quo ſumptum illud gloſſæ ordinariæ : *In aliis licet animo aliud operari , & alibi intendere : ſed non in fornicatione , ubi totus homo caro eſt.* Similia Thomas habet in comment. citans gloſſam Auguſtini.

Confirmat hunc intellectum conſuetudo ſermonis Apoſtolici , quo ſolum fornicationis peccatum ita generaliter acceptum , ut ſuprà diximus hîc accipi oportere, paſſim immundicia vocatur. Confirmat etiam quod per ſolum actum carnalem pollui & inquinari corpora dicuntur , quodque membra quibus actus ille exercetur, etiam vulgo obſcena & pudenda nuncupantur ; & à Paulo inhoneſta *cap. 12. hujus epiſtol.* non ob aliud , quàm propter legem in membris repugnantem legi mentis ; quemadmodum illic ex Auguſtino docebimus. Hinc & turpitudinis nomine ſignificantur. *Exod.* 20. & 28. & identidem *Levit.* 18. & 20. & ſemen ipſum genitale vocatur immundum *Job. 14.* & fœdus humor, *Levit. 15.* Propter eamdem cauſam arcebantur à ſacris , etiam qui uxoribus paulò ante commixti fuiſſent , *ut* 1. *Reg.* 21. Signum hujus immundiciæ adferunt Græci commentatores Chryſoſtomus ac cæteri , quòd poſt coitum, præſertim fornicarium , ſoleant homines ad balnea currere & ſe lavare : quod nõn faciunt poſt alia peccata. Pluribus hac de re egimus ad *diſtinct.* 31 *lib.* 4. *Sentent.* tractantes quæſtionem : quid in matrimonio malum ſit & excuſatione egeat.

19. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est ? Græcè : *An neſcitis quod corpus veſtrum templum ejus qui in vobis, Spiritus-ſancti?* Nec diverſa eſt lectio Syriaca. Veteres Latini ferè legunt plurali numero *corpora* , quemadmodum *ſuprà verſ. 15.* ut Hieron. *lib. 2. contra Jovinian. cap. 12. & 18.* Auguſtin. *libr. 2. de Trinit. cap. 13. lib. de bono conjug. cap. 11. & epiſt. 66.* & commentator Ambroſ. Quæ lectio etiam Græcorum quorumdam codicum eſt apud Robertum Stephanum. Atque ita vertit Faber, *corpora veſtra.* Quamquam quod in pluribus eſt Græcis τὸ σῶμα *corpus* , congruit cum eo quod proximè præceſſit , eum qui fornicatur peccare *in corpus ſuum :* tamquam ſubjungendo dicat Apoſtolus : Atqui corpus uniuſcujuſque veſtrûm templum eſt Spiritus-ſancti : ideoque non polluendum, ſed ſanctificandum. Et ad hunc modum legiſſe videtur Sedulius. Legit & Auguſtinus alicubi , *ut libro de bono viduitatis cap. 6.* quemadmodum ex contextu patet.

Igitur Apoſtolus alio nunc argumento ex dignitate corporum noſtrorum deſumpto , oſtendit fugiendam eſſe fornicationem : vel potiùs , ut hoc doceat, oſtendit quantum ſit malum per immunditiam fornicationis peccare in corpus noſtrum. Id enim eſt contaminare & profanare templum Spiritus-ſancti. Membra ſeu corpora noſtra Spiritus-ſancti templa vocat , non ob id ſolum , quia per baptiſmum Spiritui-ſancto ad inhabitandum conſecrata fuerunt : verùm quia Spiritus-ſanctus eorum inhabitator eſt. Addit enim, *qui in vobis eſt.* Unde ſic vertit Eraſmus: *An neſcitis quod corpus veſtrum templum eſt habitantis in vobis Spiritus-ſancti ?* Corpora fidelium templa Spiritus-ſancti: & quare.

Nec tamen inde conſequens eſt , unumquemque fidelem certò ſcire quod Spiritum-ſanctum in ſe inhabitantem habeat. Nam illud, *An neſcitis* non ad omnes & ſingulos omninò fideles dicitur qui Corinthi erant ; Non enim ad fratres fornicarios & cæteros , cum quibus ſuperiori capite vetat cibum ſumere : Sed ad fideles in genere , qui ſciebant fidelium ſanctè viventium & profeſſioni ſuæ reſpondentium , corpora eſſe templa Spiritus-ſancti. Quod & de ſeipſo quiſque cognoſcebat , quantum ſibi notus erat ſe talem eſſe. *Notandum* hîc corpora ſingulorum dici templum vel templa Spiritus ſancti ; quum *ſupra cap. 3.* cœtum fidelium , id eſt , eccleſiam vocaverit templum Dei. Docet ex hoc loco B. Auguſt. *epiſtola 66.* Spiritum S. eſſe Deum : quoniam ſoli Deo templa conſtituuntur. Argumentum contra pneumatomachos efficaciſſimum. Spiritus Deus, quia templum habet.

Quem habetis a Deo. Proinde futuri in Deum, tanti muneris authorem, ingrati & injurioſi , ſi Spiritum-ſanctum per fornicationem à vobis expuleritis.

Et non estis vestri. *Veſtri* , Græcè ἑαυτῶν , quaſi dicat , *veſtri ipſorum*: id eſt, *non eſtis veſtri juris* , ut vertit Eraſmus. Diverſum argumentum à ſuperiori, quo docet fideles debere ſua corpora ſervare pura & illibata ab omni corruptela immunditiæ , propterea quod toti ſecundum corpus & animam non ſui ſint juris , ſed Domni qui eos redemit. Unde ſequitur.

20. Empti enim estis precio magno. Epitheton *magno* non additur in Græco , nec in Syriaco , nec apud Tertull. Pauli verba referentem *lib. de pudic. cap. 16. & ad uxorem libr. 2. cap.* 3. Quin & commentatores Ambroſ. Pelagius , Primaſius & Sedulius non exponunt , ut nec legiſſe videantur. Et hoc modo abſolutè repetitur ſententia proximo capite, *Precio empti eſtis.* Nec verò contextus Apoſtoli plus requirit. Tantum enim probare vult quod dixit, *Non eſtis veſtri* , ad quod ſufficit , *Empti enim eſtis pretio.* Nam empticius non eſt ſuus. Cæterùm alibi Tertullianus tantùm legiſſe videtur , *magno* , ut libr. 5. contra Marcionem *cap. 7. de carne Chriſti cap. 4. de fuga in perſecut. cap. 12.* atque etiam *de pudicitia cap. 6.* ut idem ſit Tertulliano , *empti precio, & empti magno.* Nam cum emphaſi legendum τιμῆς , *precio* , apud Apoſtolum. Et alioqui ſatis fuiſſet dicere *empti eſtis.* Non enim fit emptio propriè ſumpta ſine precio. Sed & Cyprianus alicubi legit *magno* , ſine *precio* ; ut lib. de diſciplina & habitu virginum juxta codicem Anglicanum , Pamelio teſte : licet in aliis à tergo aſſcriptum ſit *precio : Empti enim eſtis magno precio.*

Verùm hæc lectionis varietas ſenſum non immutat, qui talis eſt: Non eſtis juris veſtri. Nam ſervi empticii eſtis , utpote precio redempti , ſanè permagno & ineſtimabili ; nempe ſanguine filii Dei. Quamobrem vos ipſos & corpora veſtra tamquam rem precioſam debetis intemerata ſervare Domino veſtro. Precii magnitudinem explicat Petrus Apoſtolus 1. epiſt. 1. *Non corruptibilibus* , inquit , *auro vel argento redempti eſtis , ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati , Chriſti.* Chriſtiani quo precio empti.

Glori-

GLORIFICATE ET PORTATE DEUM IN CORPORE VESTRO. Conclusio est totius exhortationis de fugienda fornicatione. Deum hîc intelligi Spiritum-sanctum, observat Augustinus *locis suprà citatis*, scilicet eum de quo jam dixerat, corpora nostra esse templum Spiritus-sancti. Quare & hic locus divinitatem Spiritus-S. planè declarat. Porrò *glorificate* dicit, quia Deum ignominia & contumelia afficit, qui templum ejus polluit. Contrà, glorificamus Deum in corpore nostro tamquam templo ejus, quando servamus illud purum ab omni munditia & ornamus bonis operibus. Per hæc enim Deus glorificatur apud homines; secundum illud Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Portamus autem Deum in corpore nostro, quando corpus totum obsequio Dei mancipamus. Metaphora sumpta à jumentis quæ portant sessorem, & ad ejus voluntatem moventur. Simile illud Rom. 6. *Exhibete membra vestra arma justitiæ Deo.*

Divinitas Spiritus S. rursum astruitur. Quid glorificare & portare Deum in suo corpore.

Notandum, Græca à Latinis hoc loco non parum discrepare. Nam ex parte minus habent, ex parte redundant: Sic enim legunt: *Glorificate igitur Deum in corpore vestro; & in spiritu vestro; quæ sunt Dei.* Græcis Syra consentiunt. Sed & Augustinus libr. 2. de Trinitate cap. 13. *portate* non legit, sed citat hoc tantummodo, *Clarificate ergo Deum in corde vestro*, tametsi in epistola 66. additum habetur *portate*, sed non suo loco. Sic enim ibi legitur, *Glorificate Deum & portate in corpore vestro.* Sensus Græcæ lectionis clarus est. Non enim: ut Cajetanus exponit, admonemur iis verbis glorificare Deum in corpore; & glorificare ea quæ Dei sunt in spiritu; sed glorificare Deum in utroque, & corpore & spiritu, quia utrumque Dei est; & proinde utrumque suo famulari debet authori ac Domino. Respicit enim ad illud quod dixit: *& non estis vestri.* Estque tacita probatio à partibus ad totum: Corpus vestrum & spiritus vester Dei sunt, ergo non estis vestri.

Verumtamen nostræ Latinæ lectioni, quam omnes Latini codices exhibent, etiam vetustissimi scriptores suffragantur: Cyprianus in *exposit. orat. Dom. & lib. de discip. & hab. virginum*, nec non *libro de exhort. mart. cap. 6. & lib. 3. testim. cap. 11. & 63.* & ante eum Tertull. *lib. de resur. carnis cap. 10. & 16. & de pud. cap. 16. & adv. Marc. lib. 5. c. 7.* nisi quod loco verbi *portate* legit *tollite*, sed eadem significatione: quemadmodum iisdem authoribus hanc Apostoli sententiam referentibus, eadem sunt glorificare, clarificare, magnificare & honorare. Nec illud omitto partem extremam Græcæ lectionis, ἅ ἐστιν τοῦ θεοῦ, *quæ sunt Dei*, in nonnullis Græcis exemplaribus non haberi: sed quorum fides mihi incomperta. Finitur hoc loco juxta distributionem Theodoriti primus hujus epistolæ tomus: & inchoatur secundus à capite sequenti.

CAPUT VII.

1. Pet. 3. b. 7. 1. DE quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: 2. Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat. 3. Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. 5. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterùm revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. 6. Hoc autem dico secundum indulgentiam; non secundum imperium. 7. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. 8. Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. 9. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri. 10. Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. 11. quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. 12. Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. 13. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. 14. sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. 15. Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus. 16. Unde enim scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies? 17. nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus ecclesiis doceo. 18. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. 19. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed observatio mandatorum Dei. 20. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 21. Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere. 22. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. 23. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. 24. Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. 25. De virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. 26. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. 27. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. 28. Si autem acceperis uxorem: non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. 29. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint: 30. & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes. 31. & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. 32. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. 33. Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. 34. Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt; ut si sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. 35. Porrò hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. 36. Si quis autem turpem se videri existimat super virginem suam, quod sit superadulta, & ita oportet fieri; quod vult faciat: non peccat, si nubat. 37. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis: & hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit. 38. Igitur & qui matrimonio jungit, virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit. 39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino. 40. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium: puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.

Sup. 6. d. 20. 1. Pet. 1. d. 18.

Matth. 5. c. 32. & 19. b. 9. Marc. 10. b. 9. Luc. 16. d. 18.

Rom. 7. a. 2.

SUMMARIUM.

HOrtatur ad continentiam à concubitu, debitum conjugale reddendum præcipit. Usum conjugii causa vitandæ fornicationis indulget. Conjux conjugem ne dimittat. Christiano conjugi quatenus ab infideli liceat discedere, docet: & ut quisque in sua vocatione maneat. Virginitatem commendat ac matrimonio præfert. Viduam quoque si sic maneat, fore beatiorem affirmat.

DE QUIBUS AUTEM SCRIPSISTIS MIHI. Sermo supplendus in hunc sensum: Jam quod attinet ad ea de quibus me per epistolam consuluistis, ita vobis respondeo. Nam scripto transmiserant ad Paulum Corinthii sua quædam dubia de matrimonio, deque ejus usu & abstinentia. Apparet enim fuisse quosdam apud eos, qui dicerent debere Christianum hominem omninò à complexu mulieris abstinere. Qua occasione tradit Apostolus toto hoc capite saluberrimam & valde necessariam doctri-

nam de matrimonio, virginitate & continentia.

BONUM EST HOMINI MULIEREM NON TANGERE. *Bonum*, Græcæ καλὸν quod nonnulli vertunt *pulchrum*, id eſt, res præclara & eximia, quemadmodum exponit Theophylactus. *Mulierem*, alii *uxorem* vertunt; Nam Græca vox ad utramque ſignificationem ambigua eſt. Et cum ſæpè repetatur in hoc capite, ipſe noſter interpres pro ſuo arbitratu nunc mulierem, nunc uxorem tranſtulit. Quamquam hoc quidem loco uterque ſenſus in altero continetur. Nam ſi bonum eſt omninò mulierem non tangere; bonum quoque eſt uxorem non attingere. Et ſi bonum eſt uxorem non tangere; bonum etiam eſt, imò neceſſarium, quamcumque aliam mulierem non attingere. Neque enim ullam mulierem præter ſuam tangere cuiquam fas eſt. Porrò non tangere mulierem non eſt, ut exponunt Eraſmus & Cajetanus, non ducere uxorem; ſed cum uxore ſive muliere non commiſceri; à mulieris amplexu ſeſe continere. Erat enim à Corinthiis Apoſtolo propoſita quæſtio generalis; num ad vacandum orationi & pietati, ab opere carnali prorſus eſſet abſtinendum, etiam iis qui uxores haberent. Atque ille ſenſus patebit ampliùs ex iis quæ ſtatim ſequuntur.

Quid mulierem non tangere.

Quæstio.

Quæres, quomodo non pugnet hæc Apoſtoli ſententia cum eo quod ſcriptum eſt Geneſ. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*. Hanc enim ſcripturam adverſus continentiæ conſilium quod hîc ab Apoſtolo datur, objicere nobis ſolent hæretici.

Reſponſio.

Reſpondeo nullam eſſe repugnantiam. Nam illic ſcriptura loquitur de bono ſpeciei; Paulus hic de bono individui. Illud dictum pro eo tempore quo mundus erat hominum vacuus; iſtud pro tempore quo mundus erat plenus. Item Moyſes loquitur de bono vitæ temporalis; Paulus de bono conducibili ad vitam æternam. Sanè quod attinet ad bonum individui, non minus bene fuiſſet Adamo ſi ſolus manſiſſet, quàm fuit Antonio, Paulo & aliis qui ſolitariam duxerunt vitam cum magna tranquillitate corporis & animi; eò præſertim quod Adam in illo ſtatu integritatis nullo movebatur incentivo ad coitum; Cui proinde non minus facilè fuerit abſtinere ſe à muliere, quàm ea uti.

Obſerva contra Sectarios conjugii nimis ſtudioſos, cœlibatum aptiorem eſſe Dei ſervitio, quã conjugium.

Bonum autem hic intelligi morale, & ſpirituale bonum, & per ſe conducens ad pietatem & ſalutem (quod ſectarii negant, & cum his Eraſmus, qui tam in *annotat.* quàm *in paraphraſi bonum* interpretatur commodum, videlicet moleſto contrarium) liquet ex ſequentibus: nominatim ex eo quod dicit, innuptos ſolitos eſſe & cogitare quæ Domini ſunt, quomodo placeant Deo; conjugatos autem tam virum quàm mulierem, cogitare quæ mundi ſunt, quomodo alter alteri placeat. Ab hac enim ſive inordinata affectione, ſive indigna ſervitute, quam adfert homini carnalis concupiſcentia conjugio per peccatum adhærens, liberat abſtinentia conjugii propter Deum. Amplius autem idipſum conſtat ex eo quod adjicit, Mulierem innuptam & virginem cogitare *quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu*. Quibus verbis quale & quàm excellens ſit bonum, de quo hîc præfatur Apoſtolus, evidenter exprimitur. Qua de re videat qui volet, Auguſtinum multa præclarè differentem *libro penè toto de ſancta virginitate*.

Taceo cætera hujus capitis, velut ubi hortari ſe dicit *ad id quod honeſtum* eſt, &c. Ubi bene facere affirmat eum qui matrimonio jungit virginem ſuam; ſed melius, qui non jungit; ubi beatiorem pronunciat viduam ſi ſic permanſerit. Quæ omnia de commoditate vitæ præſentis interpretari, nimis violentum eſt, & à Pauli mente alienum: præſertim cùm ille diſertè nominet bonum honeſtum: quod ipſo genere à bono commodo diverſum eſt.

Ex dictis intelligi poteſt, non abſurdè B. Hieronymum ſcribentem adverſus Jovinianum lib. 1. cap. 4. ad hunc modum ratiocinari: *Si bonum eſt* homini *mulierem non tangere, malum eſt ergo tangere*. Non enim infert peccatum eſſe, ſed malum; quia tangere mulierem in ſtatu hujus corruptionis, non contingit ſine malo turpis & inordinatæ delectationis. Quod tamen malum excuſatur per bonum conjugii.

Cur malum mulierem tangere.

Verùm, utcumque ſe habeat argumentatio Hieronymi, quam accepit ex Tertulliani lib. *de monog. cap.* 3. non improbabile eſt quod quidam *bonum* exponunt comparativè, id eſt, melius, quemadmodum exponitur infrà: *Bonum eſt illis ſi ſic permaneant*, id eſt, melius. Subauditur enim comparationis alterum membrum: quàm ſi nubant. Ita & hic, *Bonum eſt homini mulierem non tangere*, id eſt, melius quam tangere. Eſtque Hebraiſmus; niſi quod exprimi ſoleat alterum membrum, ut Pſalmo 117. *Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus*. Obiter hîc obſerva, in uno ſexu etiam alterum intelligi. Sicut enim viro bonum eſt, mulierem non tangere; ſic & mulieri bonum, virum non tangere. Sexum utrumque exponit ſententia ſequens.

2. PROPTER FORNICATIONEM AUTEM UNUSQUISQUE SUAM UXOREM HABEAT, ET UNA QUÆQUE SUUM VIRUM HABEAT. *Suum* Græcè ἴδιον, *proprium*; dumtaxat poſteriori loco. Sed & illud, *propter fornicationem*, ſubaudi, vitandam, Græcè plurali numero legitur διὰ τὰς πορνείας, *propter fornicationes*: quemadmodum & legit Hieron. *lib. 1. contra Jovinian. cap.* 4. & Auguſtin. *lib. de adulter. conjugiis cap.* 2. Ita ſcripſit fortaſſis Apoſtolus, ut innueret diverſas libinis ſpecies. Non præcipit autem, ut unuſquiſque vir Chriſtianus uxorem ducat, & unaquæque mulier virum capiat; uti perversè quidam hæreticorum hanc Apoſtoli ſententiam acceperunt, ex ea docentes conjugium omnibus Chriſtianis eſſe in præcepto. Quæ doctrina non modò refellitur ex conſenſu totius eccleſiæ, & tot ſanctorum exemplis; verum etiam palam repugnat iis quæ Paulus ipſe docet hoc capite. Mox enim profitetur ſe hæc dicere *ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*. Vult autem omnes homines eſſe ſicut ſeipſum. Non nuptis etiam & viduis bonum eſſe dicit, ſi ſic permaneant. Denique eum qui virginem ſuam non jungit matrimonio, melius facere dicit, eo qui jungit.

Obſerva contra hæreticos, conjugium non omnibus præcipi.

Senſus igitur eſt: Quamvis dixi bonum eſſe homini mulierem, etiam uxorem, non tangere: tamen propter fornicationem & omne genus immunditiæ vitandum, permittitur atque indulgetur, ut unuſquiſque maritus ſua utatur uxore, eique commiſceatur, & unaquæque uxor ſuo marito. Habere pro eo quod eſt uti, phraſim eſſe ſcripturæ ſacræ, ſuprà oſtendimus ad illud cap. 5. hujus epiſt. *ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat*. Et hunc locum ita exponunt Hieron. *lib. 1. contra Jovin. cap.* 4. & Chryſoſt. *in comment.* ac cæteri interpretes. Quamquam, ſicut uti conjuge, ita & accipere conjugem fornicationis vitandæ gratia, ponendum eſt inter ea quæ ſecundum indulgentiam conceduntur. Sunt qui exponant: *habeat*, id eſt, retineat. Verùm Paulus nondum hic agit an dimittere conjugem liceat: quod reſervat ſuo loco, infrà verſu 10 & ſequentibus. Et quidem de uſu conjugii, non de ducenda aut retinenda conjuge eum loqui declarat etiam quod ſequitur.

Habere pro uti in ſcripturis.

3. UXORI VIR DEBITUM REDDAT; SIMILITER AUTEM ET UXOR VIRO. Vir pro marito accipitur toto hoc contextu. Pro voce *debitum*, duæ dictiones ſunt in Græco, *debitam benevolentiam*. Quo honeſtiori nomine rem alioqui pudibundam, id eſt, carnalis operis debitum, texit Apoſtolus: ſimul inſinuans cum benevolentia & ex amore conjugali

Debitum conjugale quo Græco nomine appellatum à Paulo.

reddendum eſſe hoc debitum. Quod annotamus, ſi tamen Apoſtolus ſcripſit *benevolentiam*. Nam veriſimile nobis eſt; quod & Eraſmus cenſet, à Paulo ſcriptum id ſolum quod eſt in noſtra verſione, nimirum hac Græca voce, τὴν ὀφειλὴν, id eſt, debitum; non autem quod in Græcis codicibus nunc legitur, τὴν ὀφειλομένην εὐνοιαν, *debitam benevolentiam*. Nam ὀφειλὴ pro debito, & non ſolum ὀφείλημα, legitur in ſacris literis, ut Matth. 18. *Omne debitum dimiſi tibi*, & Rom. 13. *Reddita omnibus debita*.

Conjecturæ nobis ratio eſt, quod in hanc lectionem omnes Latini tractatores conſentiunt, etiam antiquiſſimus Tertull. *lib. de pudic. cap.* 16. & poſt eum Cyprianus *lib.* 3. *teſtim. cap.* 32. & Hieronymus paſſim: Græci autem codices varient nonnihil. Sunt enim in quibus non εὐνοιαν legatur ſed τιμὴν, id eſt, *honorem*. Quæ & ipſius Chryſoſtomi lectio fuit, ut liquidò probat ejus commentarius. Atque eò reſpexiſſe videtur Hieronym. quando in epiſt. ad Celant. cap. 9. ſcripſit: *Debitam honorificentiam viro exhibe*. Quod ergo ſimpliciter à Paulo ſcriptum erat τὴν ὀφειλὴν *debitum*, id declarandi gratia (quod ſuſpicari licet) alii mutarunt in *debitam benevolentiam*, alii in *debitum honorem*, nomine videlicet in participium converſo, & additis vocabulis, quibus res parum verecunda verecundè notaretur. Nec verò apparet cur alteram dictionem Latinus interpres omittere voluiſſet.

Senſus Apoſtoli eſt: Item propter fornicationem jam non in ſe vitandam, ſed à conjuge avertendam, vir debitum conjugale reddat uxori: ſimiliter & uxor viro; intellige, dum exigitur; & omninò quoties infirmitas conjugis ob incontinentiam periclitantis id admonet, excepto tamen, uti Thomas annotat, impedimento legitimo. Rectè autem debitum vocatur, quia ex juſtitia quadam debetur. Cujus ratio ſequitur.

4. MULIER SUI CORPORIS POTESTATEM NON HABET, SED VIR. SIMILITER AUTEM ET VIR SUI CORPORIS POTESTATEM NON HABET, SED MULIER. Rurſum pro *ſui* in utroque hoc membro, Græcè ἰδίᾳ, *proprii*. Et conveniebat huic loco potiùs *uxor* quàm *mulier*: ſicut & in duobus verſibus præcedentibus tranſtulit. Atque ita legunt Cyprianus & Hieronymus locis antè citatis. Corpus intelligitur ſecundùm ea membra, quæ ſexum diſtinguunt, & quatenus ea ſerviunt uſui conjugali: quemadmodum explicat Auguſtinus *lib.* 5. *contra Jul. cap.* 5. Senſus eſt: Uxor non habet poteſtatem, ſive jus ſui corporis. (Nam Græcè eſt ἐξουσιάζει) ita ſcilicet ut liberum ei ſit pro ſua voluntate, vel continere, vel alteri cuipiam ſe conjungere; ſed maritus jus habet corporis uxoris ſuæ: & contra, maritus non habet jus ſui corporis, ſed uxor: ut proinde neutri liceat alteri conjugale debitum poſcenti denegare. Hac enim in parte pares ſunt ambo, & ſibi mutuò quadam ſervitute ſubjecti: licet in aliis impares, ſecundum id quod ad mulierem dictum eſt Gen. 3. *Sub viri poteſtate eris*.

Quid corporis ſui poteſtatem nō habere.

5. NOLITE FRAUDARE INVICEM. Id eſt: Ne fraudetis alter alterum. Fraudationem vocat denegationem debiti conjugalis, etiamſi fiat ſtudio continentiæ. Adverſatur enim juſtitiæ, cujus præceptum eſt: *Reddite omnia debita*, Rom. 13.

NISI FORTE EX CONSENSU AD TEMPUS. Græcè, *Niſi quod utique ex conſenſu ad tempus*. Hoc eſt: niſi aliquantulum, modo ex conſenſu mutuo fiat, idque *ad tempus*; Græcè πρὸς καιρὸν. Quod etiam verti poteſt, *ſecundum tempus*, & ut Eraſmus interpretatur, *pro tempore*, id eſt, pro temporis opportunitate & exigentia: quando videlicet hujuſmodi abſtinentiam res poſtulare videtur. Ut enim eſt *tempus amplexandi*, ita eſt *& tempus longè fieri ab amplexibus*, Eccleſiaſtæ 3. quale maximè eſt tempus orationis, ut hic ſequitur. Ita Sophocles in Ajace dixit, ἀρὸς καιρὸν πονεῖν, opportunè laborare. Quamquam meliùs, opinor, ſeſe habet *ad tempus*: ut ſignificetur abſtinentia à concubitu temporaria, ad diſcrimen perpetuæ. Sic enim & alibi ſumitur πρὸς καιρὸν, ut Luc. 8. *Qui ad tempus credunt*, & 1. Theſſ. 2. *Deſolati à vobis ad tempus horæ*. Quadrat huic intellectui quod ſtatim ſubjungit, *Et iterùm revertimini in idipſum*. Atque hanc noſtri interpretis verſionem ut planiſſimam, alii ferè omnes ſecuti ſunt.

Porrò quod tamquam exceptivè dicit Apoſtolus, *niſi fortè ex conſenſu*, &c. non ſignificat fraudem eſſe in hac mutua abſtinentia. Nam fraus ſemper peccatum eſt, ſi propriè dicatur. Sed vel fraudare dixit pro eo quod eſt privare, ut exponit Cajetanus: vel quod veriſimilius, Hebræa phraſi uſus eſt, qua *niſi* pro ſed tantum accipitur non infrequenter in ſcripturis: velut 4. Reg. 5. loquente ad Elizæum Naaman Syro: *Non faciet ultra ſervus tuus holocauſtum aut victimam diis alienis, niſi Domino*, id eſt, ſed tantùm Domino, & Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni*, & apud ipſum Paulum ad Galat. 2. *Non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu-Chriſti*.

Niſi prō ſed tantum Hebræis dicitur.

Itaque *ſenſus* hujus loci eſt: Ne fraudetis invicem, ſed tantum ex conſenſu mutuo abſtinete vos interdum. Nam hujuſmodi verbo ſupplenda eſt oratio alioqui imperfecta. Dixi veriſimilius. Nam fraudare propriè accipiendum eſt. Sentit enim Paulus eos qui debitum conjugale negant, verè & propriè conjugem fraudare. Jam ex hoc Apoſtoli præcepto non rectè collegeris, illicitam eſſe conjugibus ex conſenſu perpetuam abſtinentiam, eò quòd dicat, ad tempus. Nam illud quidem *ex conſenſu*, pro quo Cyprian. legit *ex conventione*, juris eſt conjugalis. Neque enim aliter licet. Quod autem id non abſolutè dicit, ſed cum addito *ad tempus*, indulgentiæ eſt, uti mox ipſe explicat: quum profectò ſit per ſe multò melius, perpetuò abſtinere.

Debiti cōjūgalis negatio, fraus eſt.

UT VACETIS ORATIONI. Græcè, *ut vacetis jejunio & orationi*. Syra quoque jejunii meminerunt. Quamquam Chryſoſtomus & Theophylactus non plus legiſſe videntur, quàm quod in Latinis eſt: quibus & Græca quædam exemplaria aſtipulantur. Cyprianus item & Hieronymus tantùm legunt *orationi*. Adde quod *vacandi* verbum, ut benè monet Eraſmus, *non perinde congruit jejunio*. Declarat Apoſtolus id quod dixerat *ad tempus*, oſtendens quodnam tempus abſtinentiam operis conjugalis depoſcat: id eſt, tempus orationis, quod idem à Petro Apoſtolo expreſſum eſt 1. epiſt. 3. dicente, *ut non impediantur orationes veſtræ*. Quippe conjugalis actus quo animus quodammodo carni totus immergitur, ineptum reddit hominem ad orationem, qua mens in Deum elevanda eſt.

Cur actus conjugalis orationem impediat.

Sed objiciet aliquis: Chriſtianis quotidie orandum eſſe, Domino dicente, *Quoniam oportet ſemper orare*, Luc. 18. & ipſo Paulo præcipiente, *Sine intermiſſione orate* 1. Theſſ. 5. Quod igitur tempus erit reliquum conjugibus ad amplexum mutuum? *Reſponſio eſt*, Petrum & Paulum monentes abſtinendum ab uſu conjugii ad vacandum orationi, non de quacumque oratione loqui (quamvis & id verum eſt, ex concubitu ſemper ineptiorem reddi animum ad orandum) ſed de oratione ad quam fideles publicè conveniebant, velut Dominicis, ac ſolennibus diebus. Nam id erat orationi vacare. Non enim dicit Apoſtolus, ut oretis, ſed, *ut vacetis orationi*; ut obſervat & urget Theophylactus.

Objectio.

Reſponſio.

Et quidem nomine orationis arbitror utrumque Apoſtolum comprehendere voluiſſe etiam ſacrificiū euchariſtiæ, cujus participes fiebant fideles illis diebus, quibus ſolemniter ad orationem conveniebatur; quemadmodum & Act. 6. comprehendunt Apoſtoli dicentes: *Nos orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus*: Imò quòd dicit Petrus, *ut non impedian-*

Orationis nomine ſacrificiū euchariſtiæ cōprehenditur.

tur orationes vestræ, sic quibusdam accipiendum videtur : ut à communione corporis Dominici (quæ sub orationis generali nomine continetur) non impediamini: tametsi magis placet sensus jamdictus de oratione publica ; sub qua tamen eucharistiæ perceptio comprehendatur. Sic enim verba Pauli commodiùs accipiuntur.

Actus cõjugalis impedit eucharistiæ sumptionem.

Igitur ex consequenti monet uterque Apostolus fideles, ne sic vacent operi conjugali, ut per hoc impediantur ab eucharistia statis diebus percipienda: præsertim cùm majus sit accipere corpus Christi, quàm simpliciter orare, teste Hieron. *in apol. ad Pammachium cap. 6.* ubi defendit quod dixerat, hunc Pauli locum tractans lib. 1. contra Jovin. cap. 4. *Oro te, quale illud bonum est, quod orare prohibet? quod corpus Christi accipi non permittit?*

Porrò orationis nomine, sicut & adorationis comprehendi sacrificium & reliquum cultum, etiam aliæ scripturæ nos docent, ut illud *Isa. 56.* memoratum à Domino apud tres Evangelistas : *Domus mea domus orationis vocabitur.* Item Joan. 4. *Jerosolymis est locus ubi oportet adorare.* Act. 16. *Die sabbatorum egressi sumus, ubi videbatur oratio esse.* 1. Tim. 2. *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes,* &c. Quem locum Augustinus *epist. 59. ad Paulinum,* & commentatores disertè exponunt de sacrificio missæ & orationibus, quæ sacrificii tempore à sacerdote & populo ad Deum fiunt ; quemadmodum in nostro ejusdem loci commentario ostendemus.

Apparet autem non solùm à perceptione eucharistiæ, verùm etiam ab ipso conventu publico in quo sacrificium offerebatur, abstinendum fuisse illis qui operi conjugali vacassent. Nam quicumque sacrificio intererant, communicare solebant. Quam rem posteà suo decreto firmavit Anacletus Papa. Quare si qui quacumque ratione inepti erant ad communionem, iidem etiam à conventu & publica oratione sese abstinere debebant. Unde & Romanorum vetus fuit consuetudo, ut post coitum nocturnum eodem die sacra loca non accederent. Sic enim de illis Hieronymus loquitur in dicta Apologia: *Quare ad martyres ire non audent? quare non ingrediuntur ecclesias?* Cujus rei meminit etiam Gregorius Pontifex *ad interrogationes Augustini Anglorum episcopi, resp. 10.*

Verumtamen, quod hîc *notandum* est, nec orationis causa permittit Apostolus usum tori conjugalis alterutro petente intermitti; sed tantùm ex consensu. Quod si tantùm debiti reddendi gratia quis uxori commixtus fuerit, non prohibetur eodem die cum cæteris fidelibus eucharistiam percipere. Id quod Gregorius etiam illi concedit, qui solo procreandæ sobolis desiderio conjugi miscetur: quoniam, inquit, *à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere.* Sed quis est hic? & laudabimus eum.

Observa hunc locum contra sectarios pro cœlibatu sacerdotum.

Cæterùm ex hoc loco Pauli rectè probant orthodoxi scriptores, iis qui ex officio sacratioribus ministeriis perpetuò sunt addicti, id est, sacerdotibus, uxores nec ducendas esse, nec habendas Nam ut Hieronymi verbis utar : *Si laicus & quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali: sacerdoti cui semper pro populo offerendæ sunt sacrificia, semper orandum est : si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio.* Sic ille lib. 1. adversus Jovin. cap. 19.

In idipsum quid significet.

Et iterum revertimini in idipsum. Græcè, *Et iterùm ad idem convenitis*, ut sensus sit, orationis tempore finito conjugibus redeundum ad opus consuetum; *quod*, inquit Hieronymus, *erubescit suo vocare nomine* lib. 1. contra Jovin. cap. 4. Potest etiam verti εἰς τὸ αὐτὸ *in unum*, quomodo vertit Erasmus hoc loco, & noster interpres infrà cap 11. *convenientibus vobis in unum.* Est enim particula frequentata à LXX. maximè in Psalmis: pro qua Hebræis est dictio יחדו *jachdaü*, id est, *in simul.* Atqui res eodem redit: & alterum ex altero intelligitur.

Ne tentet vos Satanas. Id est, ne in adulterium aliasve damnabiles corruptelas vos tentando pertrahat diabolus, si diutiùs maneatis toro separati. Significatur enim tentatio cum effectu. Ostendit hic locus, etiam ea peccata ad quæ sola sufficeret carnis tentatio, committi instigante diabolo. Quod tamen utrumne semper fiat, & an omnia peccata dæmonum instinctu committantur, alia quæstio est, & alibi tractanda. Nos ex professo de ea egimus *in 2. sent. dist. 21.*

Propter incontinentiam vestram. Græca dictio ἀκρασία magis intemperantiam significat: quomodo legit Ambros. comment. & August. *lib. 1.* de nupt. & concup. c. 14. tametsi inter voces Latinas incontinentiam & intemperantiam non multum est discriminis. Plerique partem hanc construunt cum ea quæ proximè præcessit, hunc reddentes sensum : Ne Satanas videns incontinentiam vestram & carnis infirmitatem, qua fit ut minus apti sitis ad perpetuò continendum, per eam vos tentet, & tentando impellat in graviora peccata. Hi *propter incontinentiam*, exponunt *per incontinentiam*, tamquam Paulus scripsisset διὰ τὴν ἀκρασίαν. At vero meliùs hæc pars accipitur, ut construenda cum illa, *revertimini in idipsum* ; sitque sensus : Post orationem redite ad opus conjugale; quod ut faciatis, moneo propter incontinentiam vestram, ne alioqui Satanas vos solicitet & inducat ad deteriora. Confirmat hanc constructionem quod jam antè similiter dixerat, *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat*, &c.

Constructio verior hujus loci.

6. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Græcè, *secundum veniam, non secundum præceptum.* Et August. passim hunc locum citans *veniam* legit : quemadmodum & Cyprianus *testim. lib. 3. cap. 32.* Quod autem in nonnullis Græcis, Erasmo teste, legitur κατὰ γνώμην, *juxta sententiam* vel *consilium*, pro κατὰ συγγνώμην, *secundum veniam* : legitur id quidem *in fine hujus capitis*: sed præsenti loco non convenit; cùm hîc non consilium, sed permissio sit. Exponit enim Apostolus hac parte, quemadmodum intelligi velit quod dixerat *revertimini in idipsum* : eademque prorsus est ratio de prioribus illis verbis : *Unusquisque suam uxorem habeat: & unaquæque suum virum.* Poterat enim videri hæc præcipiendo dixisse, quod ita fieri oporteret. Declarans igitur seipsum, affirmat se ea dixisse non ex præcepto, sed ex permissione & indulgentia quadam: quia nimirum solent minora quædam mala concedi ad avertendum majora.

Concubitus per incontinentiã semper est peccatum. Nec fit licitè, nisi sola generandi causa.

Quocircà rectè B. Augustinus & alii patres, ex hoc loco colligunt ac docere non dubitant, concubitum conjugalem quando fit per incontinentiam, semper esse peccatum : etiamsi vitandæ fornicationis causa fiat. Tunc autem solùm culpa carere, quando non expetitur, nisi sobolis procreandæ gratia : ad exemplum ejus qui dicebat in oratione sua ad Deum: *Tu scis Domine quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem: sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum.* Tob. 8. August. de hac re sententiæ sunt apertissimæ, ut hom. 50. cap. 7. *Sola generandi causa est inculpabilis utriusque sexus commixtio,* & in ep. 121. de orando Deo cap. 8. *Sola excusat nuptias procreandorum causa filiorum.* Eadem doctrina ejus est *lib. de bono conjug. c. 6. & sequentib. serm. 63. de diversis cap. 13. & serm. 41 de sanctis, & aliis locis,* quæ longum est hic annotare, & non necessarium : quandoquidem per se clarum est quod ait Apostolus : *Hoc dico secundum veniam. Evidenter* enim, *dum tribuit veniam, denotat culpam,* inquit, Aug. lib. de peccato originali c. 38. *Nam quis ambigat absurdissimè dici non eos peccasse quibus venia datur?* ait idem lib. de bono conjugali c. 10. Et *quis esse peccatil neget, cùm dari veniam facientibus apostolica authoritas fateatur?* enchiridii cap. 78.

Neque tamen ſufficit generandi cauſa, ſi non & ea referatur ad ſanctam prolis educationem, *in qua*, ſicut ait Tobias, *benedicatur nomen Dei*. Nam ut idem Auguſtin. præclarè ſcribit lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 4. *qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant Chriſti; etiamſi tanta ſit obſervantia, ut ſecundùm matrimoniales tabulas non niſi liberorum procreandorum cauſa concumbant, non eſt in eis vera pudicitia conjugalis.* Hæc ille. Dixi concubitum conjugalem tunc ſolùm culpa carere, quando non expetitur niſi prolis generandæ cauſa. Nam ſi non expetitur, nec debitum exigitur, ſed tantùm redditur, non peccatum eſt, ſed actus juſtitiæ, quem jam antè præcepit Apoſtolus illis verbis: *Uxori vir debitum reddat, & uxor viro.* Verùm hac de re tota latè egimus *ad diſt. 31. lib. 4. ſent.*

Reddere debitũ conjugale etiam ſine ſpe prolis, non eſt peccatum.

VOLO ENIM VOS OMNES ESSE SICUT MEIPSUM. Hæc pars variè legitur in Latinis codicibus, etiam pervetuſtis. In multis *autem* pro *enim* ſcriptum eſt. Rurſum in pleriſque non *vos* ſed *homines*, quemadmodum & legit Ambroſ. commentator. In nonnullis nec *vos*, nec *homines*. At alii quidam, ſuffragante textu Aquinatis & Lirani, hæc tria conjungunt, *omnes vos homines*. Porrò Græca conſtanter ſic habent. *Volo enim omnes homines eſſe ſicut & meipſum*. Quam facilè exiſtimem veram eſſe lectionem. Sunt autem hæc verba non abſolutæ voluntatis, ſed optativæ. Nam Hebraiſmus eſt *volo* pro *vellem*, ut legit Auguſtin. *lib. de grat. & lib. arb. cap. 4. & alibi.* Nec diverſo ſenſu commentator Ambroſ. legit *volebam*, nempe præterito imperfecto optativi loco poſito: quomodo Paulus dixit, *optabam* pro *optarim* Rom. 9. verſu 3.

Optat Paulus omnes eſſe liberos à conjugio.

Itaque quod hîc dicit tale eſt: Adeò non præcipio conjugium aut conjugii uſum, ut potiùs velim atque optem omnes ſic eſſe ut ego ſum: id eſt, liberos & expeditos à curis & actibus hujus ſæculi, impedientibus libertatem vacandi Deo, rebuſque divinis, cujuſmodi imprimis eſt ſtatus & actus conjugalis. Id quod ex ſequenti doctrina hujus capitis ampliùs conſtabit. Pro quo ſenſu vide quæ diximus ad illud capitis præcedentis: *Sed ego ſub nullius redigar poteſtate.*

Paulus vixit ſine cõjuge.

Ex hac parte ſic generaliter intellecta, jam conſequens eſt, quod patres ex ea colligunt & docent, Paulum ab omni concubitu ſeſe continuiſſe, & in perpetua caſtitate vixiſſe, ut Epiphanius *hæreſi 58. quæ eſt Valeſiorum*, Hieron. *in lib. de cuſtodia virgin. ad Euſtochium c. 8. & in epiſt. ad Celantiam c. 8.* quamvis hanc epiſtolam alii Paulino tribuant. Item Auguſtinus *lib. de gratia & libero arb. c. 4.* Ac præterea cõmentatores, tam hunc locum explicantes, quàm illud quod paulò poſt ſequitur: *Sicut & ego.* Latini quidem Ambr. Sedulius & omnes poſteriores. Græci verò Chryſoſtomus, ac magis expreſsè Theodoritus, Theophylactus & Oecumenius. Quibus omnibus adde vetuſtiſſimum Tertullianum, diſertè nuptias à Paulo removentem *lib. ſcripto ad uxorem c. 3. De exhort. caſt. cap. 4.* & de *monogamia cap. 3.* & 8.

Refellitur Eraſmus Paulo tribuens uxorem.

Valeat proinde Eraſmus qui in ſuis annotationibus ex hoc ipſo loco conjicit Paulo hæc ſcribenti conjugem fuiſſe: *poſteaquam*, inquit, *de conjugatis agens, ſui facit mentionem.* Quæ conjectura prorſus infirma eſt. *Primùm*, quia non de ſolis conjugatis Apoſtolum loqui manifeſtum eſt. Dicit enim *omnes* homines, ut habet ipſius Eraſmi verſio. *Deinde*, ſi conjugatus erat Paulus quando hæc ſcribebat, quia de conjugatis agens ſui facit mentionem, eoſque ad ſuum hortatur exemplum: igitur etiam innuptus & viduus erat hæc ſcribens, quia ſtatim poſt non nuptis & viduis loquens, ſimiliter ſui facit mentionem, addendo, *ſicut & ego.* Qui locus profectò ſuſpicionem Eraſmi prorſus diſſipat, & Patrum, quos memoravi, ſententiam ampliùs etiam confirmat, ut illic oſtendemus. Certè non ita confidenter Paulus, de continentia diſſerens, ſemetipſum proponeret omnibus exemplum; ſi non in ipſo eſſet, quod non ſolùm conjugati imitarentur, verùm etiam quod virgines & omnes cælibes, id eſt, continentia perpetua. Quo ferè modo ratiocinatur ad hunc locum Theodoritus.

Quo ſenſu Paulus optet omnes eſſe ſicut ſeipſũ.

Cæterùm hæc Pauli optatio qua vult omnes homines eſſe ſicut ſeipſum, de unoquoque eſt homine, non de omnibus ſimul. Aut certè, quod mavult Aquinas antecedente voluntate id voluit, non conſequente, ſciens id non futurum. Unde vanum eſt quod objiciebat Jovinianus apud Hieronymum lib. 1. cap. 21. dicens: *Si omnes virgines fuerunt, quomodo ſtabit genus humanum?* Cui poſt alia benè reſpondet Hieronymus: *Noli metuere ne omnes virgines fiant. Difficilis res eſt virginitas: & ideò rara, quia difficilis*, &c. Ad eamdem objectionem dicentium: *Quid ſi omnes velint ab omni concubitu continere? unde ſubſiſtet genus humanum?* Auguſtin. lib. de bono conjugali c. 10. hoc modò reſpondet: *Utinam omnes hoc vellent, dumtaxat in charitate de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta; multò citiùs Dei civitas compleretur, & acceleraretur terminus ſæculi:* Quod & aliis verbis repetit lib. de bono viduitatis cap. ult. Jam quomodo non pugnet hæc optativa Pauli voluntas cum eo quod dicit. 1. Tim. 5. *Volo juniores nubere*, reperies explicatum in ejus loci commentario.

Ad objectionẽ Joviniani reſpõſio.

SED UNUSQUISQUE PROPRIUM DONUM HABET EX DEO: ALIUS QUIDEM SIC, ALIUS VERO SIC; id eſt, alius tale, alius autem tale. Non ſignificat omnes homines aliqua habere dona à Deo. Nam *multi ſunt*, inquit, Hugo Victorinus in quæſtione hujus loci, *quibus nihil collatum eſt unde ſalvari poſſint*: (quod notent, qui gratiam omnibus ſufficientem introducunt,) ſed de fidelibus agit Apoſtolus; ac dicere vult, non unum omnia habere, ſed alios alia. Quidam enim (ut à re propoſita ſumatur exemplum) donum habent caſtitatis conjugalis, alii vidualis, alii virginalis. Indicat autem Apoſtolus, iis qui donum continentiæ qua omninò à concubitu abſtineant, ſentiunt ſe non habere, nec ad illum ſeriò niti volunt; paratum eſſe remedium ex conjugio.

Multi, quibus nihil collatum eſt, unde ſalvari poſſint.

Aliis alia dona à Deo conceſſa.

Verùm de iis loquitur, quibus non obſtat aut votum continentiæ ſponte emiſſum, aut lex eccleſiaſtica ſponte ſuſcepta; quo minus illud remedium apprehendant. Nam aſtricti voto ſi nubere volunt, aut uti conjugio, *damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt*, ipſo Paulo teſte. 1. Tim. 5. Par ratio de iis qui legi ſe ſubmiſerunt. Tales igitur neceſſe eſt ad alia ſanctiora ſuæ incontinentiæ remedia confugere; cujuſmodi ſunt jejunium, oratio, vigilia, lectio ſacra, piæ meditationes, otii fuga, labores & occupationes honeſtæ, & quicquid his ſimile. Nam commune & obvium illud remedium quod hîc oſtenditur ab Apoſtolo, jam eis factum eſt illicitum; & per hoc, moraliter & in genere agendorum, impoſſibile.

Incontinentiæ remedia pro iis qui conjugium ſibi fecerunt illicitum.

Porrò ſicut ex hoc loco non eſt conſequens hominem conjugatum, ſi non habeat donum continentiæ conjugalis, ad eam ſervandam non teneri: ita nec ſequitur, eos qui non habent donum continentiæ, ſimpliciter, ad hanc præſtandam non teneri; ſi ad eam lege aut voto ſint aſtricti. Etenim ad multa tenentur homines partim lege Dei, partim lege ſuperiorum, partim etiam lege privata, quam quis ſibi vovendo imponit: quorum habitum, facultatem, gratiam ſeu donum non habent; habere tamen poſſunt Deo donante, & habebunt ſi petant, ſecundum id quod Dominus promiſit dicens: *Petite & accipietis.* Ideò non dicit Apoſtolus, Unuſquiſque propriam virtutem habet; ſed, *proprium donum*; & addit, *ex Deo*: ut & donum agnoſcatur, & author doni; & ab eo petatur, ſi nondum habetur.

Donũ continentiæ nõ habens, non excuſatur à debito continentiæ.

Cavendus Pelagii cõmentarius.

Cavendus hoc loco commentatius Pelagii, qui proprium donum quod unuſquiſque accepit à Deo, interpretatur propriæ voluntatis donativum, videlicet more ſuo donum ſeu gratiam Dei conſtituens in facultate naturali & omnibus inſita à Deo, qua quiſque eligere poteſt quod vult. Quæ interpretatio legitur etiam in libro quodam de caſtitate, quem cum duobus aliis ante annos quadraginta in lucem protulit Solanius quidam, inſcriptum Sixto tertio pontifici Romano: cùm ne catholici quidem ſcriptoris ſint libri, ſed, ut ex multis colligitur, Pelagiani cujuſpiam. Tantùm abeſt ut à memorato pontifice conſcripti ſint, quem conſtat hæreſis Pelagianæ fuiſſe acerrimum expugnatorem. Ita de iis libris poſt Vvihelmum Lindanum doctiſſimum epiſcopum cenſuit Cardinalis Baronius *in fine tom. 5. ſuorum annal.*

Liber de caſtitate falſo aſſcriptus Sixto Pontifici.

8. DICO AUTEM NON NUPTIS ET VIDUIS. *Non nuptis*, Græcè τοῖς ἀγάμοις *innuptis*, ut legit Hieronymus: ſeu potiùs, quemadmodum alii vertunt, *inconjugatis*, quod cælibes vocant Latini: ut intelligatur etiam ad viros pertinere, cum in Græco maſculinus ſit articulus. Viduis, Græcè τῶν χηρῶν, feminei ſexus. Sed *quæſtio eſt*, utrum ἀγάμους Paulus intelligat eos qui nuptias non ſunt experti; quos Græci propriè ἀγάμους appellant: an generaliùs eos qui ſine conjuge ſunt, ſive conjugati fuerint aliquando, ſive non.

Quos innuptos vocet Paulus.

Priorem intellectum exigere videtur diſcrimen inter ἀγάμους & viduas. Nam niſi ſtrictè ac propriè ἀγάμους accipias, comprehendentur eo nomine etiam viduæ: quas tamen adjungit Apoſtolus ut diverſas. Nec quo minus comprehendantur, obſtabit genus femineum. Nam mens Apoſtoli eſt ſub utroque nomine utrumque ſexum inſtruere, & de abſtinentia à conjugio & de continentia in viduitate poſt obitum conjugis: quemadmodum hîc annotant Theodoritus & Oecumenius. Viduas autem nominat Apoſtolus, non viduos; tum quod uſitatius ſit fœmininum nomen, ut Latinis vidua, ſic & Græcis χήρα: tum quod hoc genus exhortationis ad fœminas magis dirigi ſoleat.

Altera ſententia probabilior.

Verumtamen poſteriori intellectui favere videtur ipſe Paulus, qui non multò pòſt ἄγαμον vocat mulierem etiam conjugatam, ſed à viro diſgreſſam. *Quod ſi diſceſſerit*, inquit, *maneat ἄγαμος*: Quantò magis eo vocabulo comprehenſurus eos, qui nuptias experti, conjuges amiſerunt? Quod quidem facere videtur infrà verſu 32. dicens: *Qui ſine uxore eſt*, Græcè ὁ ἄγαμος, *ſolicitus eſt quæ Domini ſunt*. Nam ſubjungit: *Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi*, inſinuans utique per ἄγαμον ſe intellexiſſe eum qui conjugatus jam non eſt; etiamſi fuerit. Similiter & in eo quod ibidem ſequitur juxta Græcam lectionem: *Diviſa eſt mulier & virgo. Innupta curat quæ Domini ſunt*. Nam cùm virginem dixiſſet, non repetit, ut diceret, *Virgo curat quæ Domini ſunt*, ἡ ἄγαμος, *innupta curat*, &c. nimirum volens extendere doctrinam ad cæteras continentes, etſi non virgines.

Idque magis etiam apparet ex Latina lectione ejuſdem loci: quæ manifeſtè, etiam Hieron. *teſt. lib. 1. contra Jovin. cap. 7.* indicat diſcrimen innuptæ & virginis, ſaltem ut generis & ſpeciei. Sic enim habet: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt*, ac ſi dicat: Innupta mulier, præſertim ſi virgo ſit, cogitat &c. Ad quem modum etiam hoc loco cum dixiſſet, *Dico non nuptis*, quamvis ibi viduæ comprehenſæ poſſint intelligi; tamen ad majorem expreſſionem addere voluit, *& viduis*: ut non propterea conſequens ſit ἄγαμος hîc dici de ſolis iis qui vel quæ numquam nupſerunt. Quod & Auguſtinus apertè tradit *lib. de bono vid. cap. 2.* quamvis utrumque, *innuptis & viduis*, ad ſolum muliebrem ſexum referens, Græco textu non conſulto, *Innuptarum nomine*, inquit, *illas ſignificat, quæ non ſunt nuptiis alligatæ, ſive fuerint, ſive non fuerint*. Cumque id etiam ex ipſius Pauli verbis infrà poſitis probaſſet; demum concludit ita dixiſſe Paulum: *Dico innuptis & viduis: tamquam diceret, Quod dico innuptis, non eis ſolis dico, quæ virgines ſunt, ſed etiam eis quæ viduæ ſunt*. Ita Auguſtinus. Sed nunc quid innuptis & viduis dicat Apoſtolus, audiamus.

BONUM EST ILLIS, SI SIC PERMANEANT. Græcè. *Bonum eis eſt ſi maneant*. Multi quoque Latini codinis mss. *maneant* habent, non *permaneant*: tametſi ſenſus idem eſt. Bonum eſt, inquit, illis, id eſt, melius ac magis eligendum, ut maneant ſicuti ſunt, innupti & viduæ, quàm ut nubant. *Bonum* ergo *poſuit pro meliore*, ait Auguſt. *lib. de bono. vid. cap. 5.* Eſt enim hoc bonum ſuo genere præſtantius eo quod eſt nubere. Dico, ſuo genere, non prorſus abſolutè, ſed in hoc ſtatu corruptionis. Nam in ſtatu primævæ integritatis non erat melius, imò ſimpliciter nec eligendum.

Bonum pro meliore.

SICUT ET EGO. Supple maneo ἄγαμος innuptus, inconjugatus. Si in parte præcedente ἄγαμοι intelligantur qui nec habent conjugem nec habuerunt: erit hic locus, ut arbitror, evidens pro perpetuo Pauli cælibatu: quem multi hinc colligunt. Nam ad poſterius membrum *& viduis*, quod fœmininum erat, nonniſi incommodiſſimè referri poteſt hæc adjectio, *ſicut & ego*. Sin autem ἄγαμοι Paulo dicantur, (quod ex ſupradictis magis apparet) qui ſine conjugio ſunt, qualeſcumque priùs fuerint: tum ſaltem ex hoc loco planiſſimè conſequens erit, Paulum aut numquam uxorem duxiſſe, aut certè cælibem ac ſine uxore fuiſſe quando hæc ſcribebat: ut hinc optimè refellatur eorum opinio, qui exiſtimarunt Paulo fuiſſe uxorem, vel quando hanc epiſtolam ſcripſit, eò quòd dicat cap. 9. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi?* vel etiam multò pòſt: ut qui in epiſtola ad Philipp. 4. uxorem ſuam compellans dicat: *Etiam rogo & te germana compar*, ut illi legendum contendunt. Quæ duo loca quàm nihil illorum opinioni patrocinentur, oſtendemus, quum uſque ad ea ventum erit. Quamquam & juxta generaliorem hanc acceptionem vocabuli ἄγαμοι, non ineptum ex iſto loco ducitur argumentum pro perpetua Pauli continentia. Nam qui uxorem habuit & ea uſus eſt, etiamſi nunc ea careat & in continentia vivat, is profectò parum idoneus cenſebitur, qui ſuum ad continentiam exemplum communiter omnibus obtendat innuptis, etiam virginibus, atque iis dicat: ita permanete, ſicut & ego.

Pauli cælibatus rursũ confirmatur.

9. QUOD SI NON SE CONTINENT, NUBANT. *Nubant*, Græcè γαμησάτωσαν *matrimonium contrahant*. Nam de utroque ſexu Paulum loqui jam patet ex præcedentibus. Senſus eſt: Quod ſi per infirmitatem carnis continere ſe non poſſunt; amplectantur remedium nuptiarum. Verum hoc quoque ſecundum indulgentiam conſulit Apoſtolus. Dicuntur autem ſe continere non poſſe, non quibus impoſſibile hoc ſit; ſed quibus arduum atque difficile: tametſi difficultatas hæc potiſſimum naſcatur ex defectu bonæ ac firmæ voluntatis continendi. Ideoque non dixit Apoſtolus, Si non poſſunt ſe continere: ſed, *ſi non ſe continent*. Gregorius *part. 3. curæ paſt. admonit. 28.* mentem Apoſtoli ſic extulit: *admonendi ſunt*, inquit, *cælibes, ut ſi tentationum procellas cum difficultate ſalutis tolerant, conjugii portum petant*.

Incontinentibus propoſitũ remediũ nuptiarum. Qui dicãtur non ſe continentes.

Cæterùm etiam hîc loquitur Apoſtolus de iis quibus conjugii contrahendi poteſtas eſt: id eſt, qui à lege ac voto continentiæ ſunt liberi. Unde conſequenter idem Gregorius: *Sine culpa quippe ad conjugium veniunt, ſi tamen necdum meliora voverunt. Nam quiſquis bonum majus ſubire propoſuit* (id eſt vovit) *bonum minus quod licuit, ſibi illicitum fecit*. Hæc ille, & quidem ex ipſius Pauli ſententia, qui alio loco viduas quaſdam non ſe continentes, ideoque nubere volentes, damnationi pronunciat obnoxias, eò

Ad quos incontinentes hæc nubẽdi indulgentia ſpectet.

quòd *primam fidem irritam fecerint*, Tim. 5. Nam fidem illam de qua loquitur, non aliam eſſe, quàm qua ſeſe Deo ad perpetuam continentiam obſtrinxerant, oſtendemus in ejus loci commentario.

Nec verò præſentem Apoſtoli locum aliter quam dixi intellexerunt patres Gregorio priores, ut epiphanius *hæreſ. 61. quæ eſt Apoſtolicorum*, Chryſoſt. *lib. de virgin. cap. 39.* (ad quem librum ſuum in hujus capitis commentario lectorem remittit (Hieron. *lib. 1. contra Jovin. cap. 6. 7. & 8.* Auguſt. *de bono viduit. cap. 8. 9. & 10. & de conjug. adulter. lib. 1. cap. 15.* Item Fulgentius *de fide ad Petrum cap. 3.* Sedulius in *comment.* & denique Ambroſius, ſeu quiſquis author in libro *ad virginem lapſam cap. 5.* Sanè liquet ex his quam perversè locum iſtum Apoſtoli proferant apoſtatæ ſacerdotes & monachi, quo ſacrilega ſua connubia poſt continentiæ votum attentata excuſent. Vide & ea quæ commentabimur ad illa verba quæ ſunt infrà verſ. 28. *Si nupſerit virgo, non peccavit.*

Notent apoſtatæ ſacerdotes & monachi.

Uri quis dicatur.

MELIUS EST ENIM NUBERE QUAM URI. *Nubere* Græcè γαμῆσαι, id eſt, *jungi matrimonio*. Ratio conſilii non ſe continentibus dati: quoniam, inquit, melius eſt conjugem accipere, & nuptiarum uti remedio, quàm uri, id eſt, ab igne concupiſcentiæ lædi per actum vel conſenſum peccati; ita pati libidinis æſtum ut aduraris, aut etiam comburaris. Uritur ergo non qui tentatur incentivo libidinis, ſed qui à tentatione ſuperatur: non qui ſentit, ſed qui conſentit; quomodo dicitur uri igne, non qui calorem ejus qualitercumque moleſtum ſibi ſentit, ſed qui admoto igne læditur ac fauciatur. Quod ſatis declarat Græcum verbum ab igne deductum πυροῦσθαι, igniri, incendi, comburi. Hinc Auguſtinus libr. de ſancta virginitate cap. 34. *Uri*, inquit, *eſt occulta flamma concupiſcentiæ vaſtari.* In eumdem ſenſum uſtionem hanc interpretantur veterum commentarii tam Græcorum quàm Latinorum. Nec ſecus Hieronymus, qui in apologia ad Pammachium cap. 7. *uri* exponit fornicari: nomine fornicationis omne genus impudicitiæ comprehendens, in quodcumque incidere ſolent incontinentes extra conjugium.

Quod ſi uri non plus eſſet quam pati motus libidinis, & inquietari ſtimulis carnis, ut volunt ſectarii; jam ipſe Paulus qui ſuprà dixit, *Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum*, juxta ſuum hoc conſilium uxorem ducere debuiſſet. Nam de ſtimulo carnis alibi queritur; *Datus eſt*, inquit, *mihi ſtimulus carnis meæ*, &c. 2. Cor. 12. Quem locum de ſenſu ac motu libidinis graves authores interpretati ſunt; ut ibi docebimus.

Quibus melius nubere quàm uri.

Jam nec iſta Apoſtoli ratio quicquam facit pro conjugiis eorum, qui continentiæ voto ſunt alligati. Talibus enim non eſt melius nubere quàm uri: cum vel ipſo Paulo teſte, etiam velle nubere ſit iis damnabile malum 1. *Tim. 5.* adeoque illis ipſum nubere ſit uri, idque multò graviùs, quam ſi quis extra hujuſmodi nuptias uratur. Nam qui poſt votum nuptias contrahit, peccatum libidinis peccato voti violati cumulat.

Igitur ſecundùm expoſitionem ſanctorum Patrum, quos antè citavimus, illis nubere quam uri melius eſt, qui adhuc nubere poſſunt Unde & in oratione quadam aſſcripta B. Ambroſio ſic legitur: *Mœchanti in corde ſuo, necdum caſtitatem profeſſo, juxta Apoſtolum melius eſt nubere quam uri. Sed obſecro Domine, ut cui non licet nubere, non contingat aduri.* Ecce orationis remedium, ubi nubere non licet.

Quæſtio. Quo ſenſu nubere melius quàm uri.

Quæritur autem quo ſenſu nubere ſit melius quam uri: num impropria comparatione, ſcilicet boni cum malo: qualis illa Eccleſiaſtæ 7. *Melior eſt patiens arrogante*, an verò impropria acceptione melioris; ut melius dicatur quod minus malum eſt: quomodo melius olim erat in excelſis Deo vero ſacrificare quàm idolis: & quomodo *melius eſt non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum reverti*, 2. Pet. 2. Prior ſenſus veritatem habebit, ſi nubere per ſe conſideretur ac ſine circumſtantiis; quemadmodum nuptias conſiderat Auguſt. *lib. de bono conjugali c. 10.* docens nec ipſis non ſe continentibus nuptias eſſe peccatum: cùm apertè dicat Apoſtolus in conſequentibus nuptias eſſe peccatum: *Si acceperis uxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccavit.* Et poſt multa: *Quod vult faciat, non peccat, ſi nubat.* Ratio manifeſta eſt, quia nuptiæ per ſe ſunt res honeſta à Deo inſtituta: præſertim ſi non de ſolo contractu nuptiarum agatur, ſed de ſtatu conjugali.

Senſus textui convenientior, ut melius dicatur minus malum.

Verùm fortaſſe poſterior ſenſus, ſi benè explicetur, accommodatior eſt textui, ut nubere dicatur melius quam uri, quia nubere minus malum eſt, & ſecundùm veniam conceſſum; uri verò deterius, ac minimè concedendum. Nam ut reverti in idipſum propter incontinentiam, ab Apoſtolo ſecundùm veniam conceditur; ita & nubere per incontinentiam. Cum hac enim circumſtantia nubere accipitur hoc loco. *Quod ſi*, inquit, *non ſe continent, nubant. Melius eſt enim*, intellige non ſe continentibus, *nubere quàm uri.* Sic autem nubere eſt per incontinentiam nubere. Quod profectò tam eſt culpabile, quàm per incontinentiam miſceri cum conjuge. Nam utrobique culpam inducit eadem circumſtantia finis.

Huc reſpexit Hieronymus de nuptiis incontinentium differens lib. 1. contra Jovin. *cap. 4. & 8.* & in *apologia ad Pammach. cap. 6. & 7.* Quibus locis inter alia dicit ac repetit, dictumque defendit, *Ideò melius eſt nubere: quia pejus eſt uri*: quaſi dicat, nubere per incontinentiam de quo loquitur Apoſtolus, non in ſe bonum eſt, ſed in comparatione pejoris. Cujuſmodi verbis etiam Sedulius utitur in commentario. Sed & Thomas *melius* interpretatur *magis tolerandum.* Tale quoque eſt quod S. Martinum dicere ſolitum refert Sulpitius in ejus vita, dialogo 2. *Conjugium pertinet ad veniam, virginitas ſpectat ad gloriam; fornicatio deputatur ad pœnam.* Conſiderabat enim ille ſanctus conjugium, quale à pleriſque, tametſi Chriſtianis ac Deum timentibus ſuſcipitur. Vide etiam quæ infrà dicemus ad ea verba Apoſtoli: *Si acceperis uxorem, non peccaſti.*

Dictum S. Martini.

Illud adjicio, nonnullos uſtionem hanc de qua Paulus interpretari de igne gehennæ; tamquam ſenſus ſit: Melius eſt nubere, quàm ob vitam in fornicatione actam ardere in gehenna. Sic Faber in commentariis, ac rurſum in examinatione literæ. Meminit & Sedulius: eodemque alludunt Pelagius & Primaſius. Sed meritò rejicit hunc ſenſum Eraſmus, ut huic loco minus aptum: quum ſatis liqueat de libidinis incendio ſermonem eſſe.

Senſus de uſtione gehennæ refellitur.

10. IIS AUTEM QUI MATRIMONIO JUNCTI SUNT, PRÆCIPIO NON EGO, SED DOMINUS. Redit ad inſtitutionem conjugatorum, acturus de matrimonii inſolubilitate. Græca breviter: *conjugatis autem præcipio non ego, ſed Dominus:* pro eo quod diceret, non ego præcipio, ſed Dominus, id eſt, Chriſtus, præcipit. In Græco eſt verbum παραγγέλλω *denuncio*, ut quidam vertunt: quemadmodum & legerunt Tertull. *in exhortat. caſtitatis cap. 3.* & Ambroſius *ſuper Lucam cap. 16.* & Ambroſii titulo commentator. Hoc enim proprium eſt illius verbi ſignificatum. Sed ſæpè capitur pro eo quod eſt præcipio, ut hujus epiſtolæ cap. 11. *Hoc autem præcipio non laudans*, &c. Item Act. 4. *Et vocantes eos denunciaverunt*, id eſt, præceperunt, *ut omninò loquerentur*, &c. & cap. 5. *Cæſis denunciaverunt ne loquerentur*, &c. Eſt enim idem Græcè quod ſuperiùs in eodem capite, ubi meliùs tranſtulit interpres, *præcipiendo præcepimus vobis.* Nec dubium quin & hoc loco vertendum fuerit *præcipio*: quemadmodum & alii plerique vertunt. Satis autem inſinuat hic ſermo: *præcipio non ego, ſed*

Ecclesia præcipere potest, quæ Christus per se non præcepit.

Dominus, Apostolus & eorum successores posse quædam præcipere, quæ Christus ipse per se non præcepit.

UXOREM A VIRO NON DISCEDERE. Græcè μὴ χωρισθῆναι, *non separari*; quomodo legit Cyprianus *cap. 90. lib. 3. testim.* Quamquam illud separari non cadit sub prohibitione; tametsi possunt hîc etiam intelligi prohibitæ occasiones separationis: hoc est, ne ea faciat aut cõmittat propter quæ vir eam oderit & à se dimittat: quale maximè est adulterium. Nam & hujusmodi separationem facilè comprehendit pars sequens, *Quod si discesserit*, &c. quemadmodum ibi declarabitur. Sensus: Uxor non separet se, non discedat à viro, virum suum ne relinquat, nec omninò causam det separationis.

Christi præceptũ de non dimittenda conjuge explicatur.

Respicit Apostolus ad præceptum Dominicum quod referunt tres Evangelistæ, *Matth. cap. 5. & 19. Marc. cap. 10. & Lucas cap. 16.* Ex quibus locis inter se collatis hæc colligitur Dominici præcepti plena sententia: non licere viro dimittere uxorem, nec uxori virum, excepta causa fornicationis. Et tam virum mœchari, si uxore dimissa aliam duxerit; quàm mulierem, si viro dimisso alii nupserit. Cujus præcepti seu legis priorem partem Paulus sic extulit: *Uxorem à viro non discedere: & vir uxorem non dimittat*, ita tamen ut exceptionem quam Matthæo referente Dominus expressit *excepta causa fornicationis*, hîc subintelligas, tam ubi de muliere, quam ubi de viro Paulus loquitur. Posteriorem verò partem significavit his verbis, *Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Cur enim manere innuptam aut viro reconciliari; nisi quia nubens alii viro fieret adultera?

Quæ separatio hic intelligatur.

Porrò discessum sive separationem hîc intellige, qua mulier virum nolit ampliùs habere pro marito, aut qua fiat ut ipsam vir habere nolit pro uxore, facto nimirum quoad torum divortio: quod quidem fieri legitimè non potest, nisi propter fornicationem. Nam de separatione quæ tantum fit jure ac via defensionis, ut si conjugem habeat hæreticum, ac scelera cogentem, aut sævum & intolerabilem; alia ratio est. De separatione autem qua vinculum solvitur conjugale, paulò pòst agetur.

II. QUOD SI DISCESSERIT, MANERE INNUPTAM. Græcè, *Si verò & separata fuerit, maneat innupta.* Illud *si discesserit*, intelligit Augustinus *lib. 1. de adult. conjugiis cap. 3. & sequentibus*, ex causa qua discedere licet. Nam aliter non dicturum Apostolum, *maneat innupta*; sed omninò jussurum, ut revertatur ad virum suum. Igitur hîc illam innui vult exceptionem, quam Dominus in suo præcepto expressit dicens, *nisi ob fornicationem*: quæ hoc loco *propterea citata est*, ait Augustinus, *quia notissima est.* Verùm hac tanta restrictione verborum tam generalium, nihil arbitror opus esse.

Uxor digressa vel dimissa qualibet ex causa alteri non nubat.

Nec video quid obstet, quò minus generaliter ut verba sonant, hunc discessum sive separationem interpretemur, ut sensus sit: Quod si separata fuerit à viro, idque vel sponte digressa, sive propter ejus fornicationem, sive propter aliud, vel ab illo dimissa ob quamcumque causam (ut solent tam Gentiles quàm Judæi suas uxores qualibet ex causa dimittere:) non licebit ei cum alio viro conjungi; cùm Dominus expresè dicat, *Si uxor dimiserit virum suum & alii nupserit mœchatur.* Marc. 10. Sed maneat innupta, aut &c. Nam quod objicitur de optione mulieri data, quæ locum non habeat, nisi discesserit ex justa causa; quomodo dilui possit, *infrà dicemus.*

Quid innuptam manere.

Sensus autem generalis quem dedimus, invenitur in Græcorum commentariis: eumdemque brevissimè complexus est Primasius dicens: *Si ob aliquam causam discesserit, alii non nubat.* Innuptam manere, hoc loco non est manere sine conjuge. Nam si per discessum nexus prioris conjugii solutus erat, non prohiberetur ipsa alii viro nubere, maximè si incontinentia laboraret) sed est manere separatam à viro, ac sine usu conjugii: ita nimirum ut nec priore conjugio utatur, nec aliud contrahat. Et hæc est illa servitus, quam *infra vers. 15.* removet à Christianis respectu conjugum infidelium nolentium cohabitare. Qui locus proinde exceptio quædam est, ut illic dicetur, ab hac sententia generali, qua jubetur mulier à viro separata, aut innupta manere, aut (quod sequitur) reconciliari viro.

AUT VIRO SUO RECONCILIARI. Græcè, *aut viro reconcilietur*, id est, revertatur ad virum suum: cum eo redeat in gratiam, correcto tamen, si illius adulterium causam dedit separationis. Nam ad virum adulterii causa dimissum aut derelictum & in eo crimine adhuc perseverantem, non licet mulieri redire; sed eo casu innupta manere debet. Ex vocabulo reconciliandi sumunt argumentum Erasmus & alii nonnulli, quo doceant Apostolum hîc tantùm agere de muliere sine justa causa ac temerè à marito digressa; non de ea quæ discessit ob viri fornicationem: ne videlicet fateri cogantur hanc quæ virum fornicantem dimisit, debere secundùm Apostolum innuptam manere, aut viro reconciliari. Volunt enim per hujusmodi dimissionem solvi vinculum conjugii; ut liberum sit mulieri alium virum accipere.

Objectio ex vocabulo reconciliandi.

Argumentum est; quoniam, inquiunt, reconciliari dicitur is qui offendit, non qui offensus fuit. Quibus respondendum est tam verbum Græcum καταλλαγῆναι quo Paulus utitur, quàm Latinum *reconciliari*, non de eo tantùm dici, qui læsit & in gratiam recipitur; sed & de eo qui læsus est & in gratiam recipit. Est enim partium priùs dissidentium reconciliatio mutua; sicut & rediens in gratiam. Quod manifestè patet, dum numero plurali dicuntur aliqui inter se reconciliari & in gratiam rediisse. Quin & Deus reconciliari hominibus dicitur. 2. *Machab. 1. v. 5. & 7. v. 33. & 8. v. 29.* Et quod ad rem præsentem propius spectat, *Judicum* 19. de Levita, cujus uxor juxta veritatem Hebraicam fornicata fuerat, legitur, quod *secutus est eam, volens ei reconciliari.*

Solutio.

Mulier à viro digressa quando manere innupta, & quãdo reconciliari debeat.

Cum autem Apostolus eam mulierem quæ discessit à viro, disjunctivè jubeat aut *manere innuptam, aut viro suo reconciliari*: restat breviter dicendum quando innupta manere possit aut debeat, & quando reconciliari viro. Primùm igitur innupta manere potest absque reditu ad virum, si propter ejus fornicationem ab eo digressa fuerit. Sic enim agens utitur suo jure, quo potest adulterum ob fidem conjugii violatam simpliciter à carnibus suis abscindere. Poterit nihilominus, imò charitate suadente debebit, operam dare, ut viro resipiscenti reconcilietur; si vel sua, quod sentiat se non posse continere, vel viri salus alioqui in discrimen vocanda, postulet ita fieri. Innupta verò manere debebit, si vir in adulterio propter quod dimissus ab ea fuit, perseveret. Cogetur etiam innupta manere, propter quamlibet causam dimissa aut digressa, si vir eam recipere nolit, nec compelli possit ut recipiat. Hisque casibus ad alia suæ incontinentiæ remedia necessariò confugiendum ei erit: cujusmodi suprà commonstravimus ad illud, *Unusquisque proprium donum habet ex Deo.*

Cæterùm extra casum adulterii, si vir paratus sit aut compelli possit ut uxorem recipiat; debebit ipsa satagere, nisi periculum obstet, ut recipiatur, ac viro suo reconcilietur, sive ipsa causam dederit separationis, sive vir ejus. Excipio casum quo conjuges ex consensu mutuo separantur ad vacandum Deo, servaturi continentiam perpetuam. Ex his intelligitur Apostolum non dare mulieri quæ discessit, optionem liberam, ut quomodocumque discesserit, aut innupta manere possit, aut ad virum redire: sed disjunctivum sermonem Apostoli diversos casus spectare; quorum alii cogant mulierem manere innu-

ptam, alii compellant ad reditum : quamvis & contingat exsistere casum, in quo libera mulieri sit optio utrumlibet eligendi.

Quæstio.

ET VIR UXOREM NON DIMITTAT. Græcè, *Et virum uxorem non dimittere*, quomodo legit Cyprianus. Pendet enim hæc pars ab eo quod dixit, *Præcipio non ego, sed Dominus* : & respondet illi membro priori: *Uxorem à viro non discedere*. Supplenda rursus exceptio Dominica, *nisi ob fornicationem*. Sed quare non hic addidit Apostolus, quod de muliere ; quod si dimiserit, maneat innuptus aut uxori reconcilietur ? Author commentarii qui fertur Ambrosii titulo, rationem hanc reddit ; quod viro liceat aliam ducere uxorem, si priorem adulterii causa dimiserit : *quia non ita*, inquit, *lege constringitur vir, sicut mulier. Caput enim mulieris vir est.* In eamdem sententiam propendent Ambrosii nomine decepti (Nam commentarium illum non esse sancti Ambrosii episcopi Mediolanensis, satis manifestum est) Cajetanus *in expos. Matth. 19.* & Catharinus *in hujus loci commentario, & lib. 5. annotat. in comment. Cajetani.* Sed ut in authore suo, ita & in sententia multùm à vero aberrant : licet eam ecclesiæ judicio ac definitioni submittant.

Responsio quorumdã non probanda.

Verus Ambrosius ea de re quid senserit, perspicuum est ex iis quæ scribit in *comment. super Lucam c.16.* & *lib.1. de Abraham c.4.* Quo utroque loco apertè derogat legi humanæ, quæ contra legem divinam plus juris conjugalis attribuebat viro, quàm mulieri; quasi viro dimittere conjugem & aliam ducere aliquando liceret, mulieri non item: quum lex divina in hoc negocio pares eos fecerit.

Neutri conjugi licet separatione facta aliud inire conjugium.

Nec verò solius Ambrosii, sed totius ecclesiæ hæc doctrina est perpetua, ejusque praxi confirmata : ut hîc agnoscat Cajetanus *torrentem doctorum & judiciorum ecclesiasticorum* (sic enim loquitur) cui se opponere non audeat ; suam interim opinionem non dissimulans; sed quæ cessare jam omninò debeat, posteaquam Synodus Tridentina clarè ac disertè eam rem totam definivit *can. 7. sess. 24.* Sanè si viro post dimissam adulterii causa conjugem liceret aliam ducere ; res vehementer absurda sequeretur : melioris conditionis esse, quantum ad potestatem nubendi attinet, adulteram à viro dimissam, quàm innocentem quæ virum adulterum dimisit. Nam illa posset alteri nubere, soluto per adulterium priori matrimonio, postquam vir aliam duxisset ; hæc autem non posset.

Vera ad quæstionem responsio.

Igitur vera ratio est, Apostolum illud quod de muliere dixerat, hîc non addidisse:quia relinquit intelligendum ac supplendum ex superiori membro:præsertim cùm id de viro satis fuisset à Christo Domino expressum. Et ita docet Augustinus *lib.1. de sermone Domini in monte cap. 14. & 16.*

Alia objectio.

Sed fortè quempiam adhuc moveat, quod suprà non dixit Apostolus, uxorem non dimittere virum : quomodo nunc dicit, *Vir uxorem non dimittat*: sed dixit, uxorem à viro non separari: tamquam hac differentia sermonis insinuetur quædam juris imparitas inter virum & uxorem : ut viro quidem jus competat, ubi causa subest, uxorem à se dimittendi: mulier autem dimittere virum non possit; si tamen viro eam dimittente separetur, ut *maneat*, quod Apostolus præcipit, *innupta, aut viro reconcilietur.* Ex quo deinde consequens sit, hanc præcepti partem ad virum non pertinere : quod volebat Ambrosius ille ψευδεπιγραφος.

Solutio.

Verùm facilè tollitur hic scrupulus. Nam dimittere & separari, pro quo noster interpres vertit discedere, eadem sunt in re præsenti : nisi quod vir dimittere soleat jubendo ac dicendo, *uxor vade foras*, ut est in epigrammate: mulier autem quæ nubere non potest, dimittat discedendo ac virum relinquendo. Patet id ex verbis Domini apud Marcum *cap.* 10. ubi prorsus similiter de utroque conjuge loquitur : *Quicunque dimiserit uxorem suam. Et si uxor dimiserit virum suum.* Quo certe loco facere velle exceptionem in priori membro, & non in posteriori, periniquum est. Quin etiam ex Paulo hoc ipsum liquet qui verbis sequentibus id quod statuit de viro uxorem habente infidelem & consentientem cohabitare, dicens, *non dimittat illam*, statim similiter dicit de muliere, *non dimittat virum.* Sed & separari, sive discedere, æquè viro tribuit ac mulieri, in eo quod subjicit. *Quod si infidelis discedit, discedat.* Nam virilis generis est *infidelis*, ὁ ἄπιστος, etsi muliebre comprehendat.

Cæteros quos intelligat Apostolus, & quo sensu loquatur. Expositio Latinorum authore Augustino.

NAM CÆTERIS EGO DICO, NON DOMINUS. Græcè, *Cæteris autem*, &c. Quæritur quibus cæteris? Multi cæteros intelligunt Christianos habentes conjuges infideles, quibus scilicet ante fidem Christi susceptam fuerant conjuncti. Hos enim consequenter instruit Apostolus, quantum ad conjuges dimittendos, vel non dimittendos : cùm in præcedentibus tantùm egerit, ut volunt, de conjugibus quorum uterque Christianus esset. Sensum autem hunc faciunt : Cæteris ego suadeo, cæteros hortor & moneo. Non enim habeo præceptum Domini quod iis annunciem. Hæc Augustini expositio est *libr. 1. de serm. Domini in monte cap. 16. & lib. 1. de adult. conjug. cap. 13. 17. & sequentibus.* Augustini sententiam ipsius verbis reddidit Sedulius *in commentario.* Juxta quos non præcepti, sed consilii est id quod sequitur, ne fidelis conjugem infidelem dimittat, si consentiat secum habitare. Qua in re Augustinum sequuntur author glossæ interlinealis, Petrus Lombardus *lib. 4. sentent. dist. 39.* & Gratianus 28. *quæst. 1. cap. Sic enim*: approbante glossa. Item Hervæus, Aquinas, Liranus & Carthusianus *in commentariis* : nec non sententiarii plerique quibus & Dominicus Sotus accedit.

Numquam permissum in ecclesia ut fidelis cõjugem infidelem absq; Christi injuria cõmanere volentem dimitteret.

Verùm aliis hæc sententia non probatur, nec vero probanda est. Numquam enim in ecclesia permissum fuit, ut fidelis conjugem infidelem cui in paganismo conjunctus fuerat, absque religionis injuria commanere volentem, à se dimitteret. Quod si licuisset ; uti prudenter Theophylactus & Oecumenius annotant, in magnam reprehensionem venisset religio Christiana, per quam conjugia legitimè contracta, tam facile dirimerentur, non sinè gravi perturbatione societatis humanæ. Quapropter & ipse Augustinus diligenter inculcat hoc quod licitum dici posse putat, non tamen expedire. Sed & *lib. 2. retract. cap. 57.* fatetur se in opere quod de adulterinis conjugiis scripsit, non perveniisse ad perfectam enodationem quæstionis, quam ibi tractavit.

Expositio Græcorum.

Igitur alii cæteros quidem similiter ut priores exponunt; sed hoc sensu verborum Apostoli: Cæteris ego præcipio, videlicet authoritate apostolica, licet Dominus non præceperit. Non enim de ea re extare videtur expressum Christi præceptum. Ita ferè Græci commentatores, & inter Latinos scriptores Hieron. *lib. 1. adversus Jovin. cap. 5. & 6.* item Haimo, Cajetanus & Gaignæus *in comment.* Sed & hanc expositionem improbabilem arguit, quod in superioribus verbis nulla significatio est, Apostolum de iis tantùm loqui qui ambo sint Christiani: ut nec ratio est, cur ad eos solos Apostoli sermo contrahatur.

Tertia ac verior expositio.

Est itaque tertia ac verior expositio, cæteros ad superiora referri, atque intelligi non conjugatos. Nam de conjugatis proximè egerat dicens : *Iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus.* Quod ergo hîc dicit, *Cæteris ego dico, non Dominus*, de non conjugatis accipi debet, ut constet adversativus sermo. Respicit autem ad id quod dixerat, *Dico non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant.* Unde sicut illic dicere non est præcipere, sed magis habet significationem suggestionis & consilii ; ita &

hoc loco; *ut sit sensus*: Cæteris ego dico, non dominus præcipit. Quem sensum planiùs ostendit eadem sententia aliis verbis inferiùs repetita, ubi dicitur: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Atque ideò non ait, *Cæteris ego* dixi, quamvis superiora respiciens, sed *dico*: quia nimirum adhuc de iisdem dicturus est.

Hunc sensum atque constructionem indicat Tertull. *lib. de exhort. castit. cap. 3. & lib. de monog. c. 3.* Tradit autem & solidè probat inter neotericos Ambrosius Catharinus; suffragante etiam Joanne Hesselio præceptore meo, & aliis nonnullis. Hoc ergo quod sequitur de fratre uxorem habente infidelem, novum & à superiori diversum argumentum est: eatenus tamen cohærens illis quæ dixit de conjuge non dimittendo; quia continet peculiarem casum, quo possit conjux dimitti, non obstante Domini præcepto.

Quomodo Paulus dicat: ego dico.

Notandum, quod Apostolus ait, *ego dico*, non eum dicere à seipso, sed doctum & motum à spiritu divino. Quamvis enim præceptum Domini non esset id quod dicit, consilium tamen Domini erat: & ad illud proponendum à spiritu Dei movebatur. Unde posteà de virginibus agens ita scribit: *Consilium do, tamquam misericordiam consecutus, ut sim fidelis.* Et de vidua cum dixisset, *Beatior erit, si sic permanserit, secundum meum consilium*, adjunxit: *Puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.* Ad hunc ferè modum August. *lib. 1. de adulterinis conjugiis c. 18.*

Rescribit Apostolus de imparibus conjugiis.

SI QUIS FRATER UXOREM HABET INFIDELEM, ET HÆC CONSENTIT HABITARE CUM ILLO, NON DIMITTAT ILLAM. Rescribit de imparibus conjugiis. Nam & de iis verisimile est eum à Corinthiis consultum fuisse. *Frater*, id est, fidelis, Christianus, baptizatus. *Infidelem*, id est, non Christianam: cui scilicet ipse in infidelitate fuerat conjunctus. Consensum autem cohabitationis intellige, salvo religionis honore, & ut dici solet, citra contumeliam creatoris: extensa tamen hac locutione ad quamvis notabilem ac permanentem injuriam Christianæ religionis; ubi & studium pertrahendi conjugem ad damnabilia peccata, comprehenditur. Sic enim post Augustinum *epist. 89. quæ est ad Hilar. quæst. 4. & lib. de fide & oper. cap. 16.* mentem Pauli interpretatur ac declarat Innocentius tertius extra de divortiis cap. *quanto*, & cap. *gaudemus*.

Consensus cohabitandi quis intelligatur.

Non dimittere conjugē infidelē consentientem cohabitare, præcepti est, non consilii.

Quod sequitur *non dimittat illam*, præcepti est, non consilii, tam ex eorum sententia qui secundam expositionem partis præcedentis tradunt, quam qui tertiam: præcepti, inquam, quo prohibet vero fideli, ne uxorem infidelem dimittat, modò consentiat cum ipso habitare, eo sensu qui jam expositus est. Ita quoque Tertull. intellexit hunc locum *lib. 2. ad uxorem cap. 2. & 7.* Pertinet autem hoc præceptum ad legem naturæ divinitus propalatam iis verbis, *Et adhærebit uxori suæ*, Gen. 2.

Esdras qua ratione præceperit uxores alienigenas separari.

Nec adversatur huic doctrinæ factum Esdræ sacerdotis: quo jubente Judæi, utique fideles, dimiserunt uxores alienigenas, id est, infideles, ut refertur *Esdræ* 10. Nam facti species est diversa. Non enim in infidelitate sibi conjunxerant illas mulieres. Et illud accedebat, quod Judæis uxorum infidelium dimissio necessaria erat, ne per eas à vera religione abducerentur homines ad peregrinum cultum propensi. Ubi interim dubium manet non hoc loco discutiendum, an per illam dimissionem soluta fuerint quoad vinculum conjugia, an vero nec ante dimissionem verè cohæserint, obstante aliqua lege divina.

13. ET SI QUA MULIER FIDELIS HABET VIRUM INFIDELEM, ET HIC CONSENTIT HABITARE CUM ILLA, NON DIMITTAT VIRUM. Græcè: *Et mulier quæ habet virum infidelem, & is consentit habitare cum ea, non dimittat eum.* Dictio *fidelis* addita videtur à quopiam ad sensum explendum. Nam & multi Latini codices non habent, ut nec editio Syriaca: constat tamen mulierem intelligi sororem, id est, fidelem, Christianam. Et quidem sororis vocabulum paulò pòst exprimit Apostolus. Apparet autem interpretem in Græco pro ἥτις quæ, legisse εἴ τις, si qua. Quamquam in re non est diversitas. Porrò consensum expone velut suprà, sine religionis injuria, &c. *Non dimittat virum*, id est, non se ab eo separet, sive dimittendo illum à se, sive ab eo recedendo.

14. SANCTIFICATUS EST ENIM VIR INFIDELIS PER MULIEREM FIDELEM. Græcè & Syrè *in muliere*, id est, per mulierem, Hebræa phrasi. Nec in Græco additur *fideli*, sed intelligitur. Quod quidem Syrus, quemadmodum Latinus, expressit.

ET SANCTIFICATA EST MULIER INFIDELIS PER VIRUM FIDELEM. Hic quoque Græcè & Syrè *in viro*, id est, per virum; nec in Græco additur fideli, sed intelligendum relinquitur: quod rursus supplent Latinus & Syrus. Cæterùm Tertullianus Hebraismum in utroque membro alia præpositione exponit: *à fideli uxore, à fideli marito*, lib. 2. ad uxorem cap. 1. Citat hunc locum Augustinus ut est in Græco, *lib. 2. de baptis. parv. cap. 26. & lib. 3. cap. 12.* nisi quod pro viro fratrem legit, *in uxore, in fratre*.

Rationem reddit Apostolus cur infidelis conjux à fideli non debeat dimitti, si cohabitare consentiat; sed retineri potiùs. Sic enim per fidelem conjugem sanctificatur. Non quod jam absolutè sanctus aut sancta sit conjugem habens fidelem, cui commanere consentit: Nam quomodo sanctus qui adhuc infidelis? Sed sanctificari dicitur sanctitate quadam analogica sive imperfecta.

Qua sanctitate sanctificetur conjux infidelis per conjugem fidelem.

Quæritur autem quænam sit ea sanctitas? Apostolus sanctitatem exponit munditiem, quum illam immunditiæ mox opponit dicens: *Alioqui filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.* Constat quoque sanctitatem in scripturis habere significationem munditiæ seu puritatis à sordibus & inquinamentis. Sed ut hæc immunditia varia est, ita & munditia sive sanctitas illi oppositа. Commentator Ambros. & post eam Lombardus, Hervæus, aliique nonnulli immunditiam interpretantur adulterium. Nam adulteri essent conjuges, si manente vinculo prioris conjugii, cum aliis jungerentur: ac filii inde nati reputarentur & essent spurii atque adulterini. Verùm hoc pacto non tam conjux infidelis sanctificaretur per conjugem fidelem, quam uterque per alterum; dum pari consensu manent in priori conjugio.

Cajetanus legalem quamdam munditiem hîc significari nomine sanctitatis imaginatur; atque huic opponit immunditiam legalem, quam asscribit tam parentibus in dispari conjugio constitutis, quàm illorum filiis; quos dicit esse minus legitimos, ex eo quod variam trahant à parentibus institutionem, ad quam ordinatur conjugium. Tolli verò hanc illegalitatem tam parentum quàm filiorum ex consensu conjugis infidelis ad commanendum cum fideli. Intelligit autem legale & illegale, non jure Mosaico, sed spectando ordinem rationis. Subtiliter hæc à Cajetano dicuntur, ac modo loquendi inusitato: & haud scio an ad mentem.

Sanctificatio, id est, præparatio ad veram sanctitatem.

Magis placet sensus & sermo eorum, qui sanctificationem hanc interpretantur præparationem quamdam ad veram & Deo probatam sanctitatem. Nam sanctificare pro eo quod est præparare vel deputare ad aliquid sacrum more scripturæ dicitur, ut Isa. 13. *Mundavi sanctificatis meis.* Zach. 7. *Numquid sanctificare me debeo?* & frequenter in Levitico. Sanctificatur ergo conjux infidelis acquiescens atque consentiens habitare cum conjuge fideli: quia *candidatus est timoris*, ut loquitur Tertull. *lib. 2. ad uxorem cap. 7.* Timoris, inquam sancti, id est, veræ pietatis: & quia *candidatus fidei*: quemadmodum imitatione Tertulliani Hieronym. loquitur *lib. 1. contra Jovin.*

cap. 5. Dum enim Chriſto non maledicit, dum pia conjugis exercitia non impedit, dum ſignum crucis domui vel thalamo præfixum æquis aſpicit oculis, dum patitur etiam filios imbui fide Chriſti; per hæc, velut purificationes quaſdam, quaſi præparatur ad Chriſtum; ſpem bonam oſtendens futurum, ut Chriſtianam religionem ipſe quoque ſuſcipiat, præſertim accedente ſancta & pacifica converſatione conjugis fidelis, ſecundum illud 1. Pet. 3. *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, ut & ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant; conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram.*

Tradunt hunc ſenſum Theodoritus, & apud Oecumenium Photius: & Latinorum complures. Imò Paulus ipſe videri poteſt hoc modo ſanctificationem iſtam interpretari, quum non multo pòſt ait: *Unde enim ſcis mulier, ſi virum ſalvum facies? aut unde ſcis vir, ſi mulierem ſalvam facies?* Cum hoc ſenſu ſatis convenit Pelagii commentarius; quem allegat & ſuis verbis explicat Auguſtinus lib. 3. de baptiſmo parvulorum cap. 12. Paulum dicentem in præterito, *Sanctificatus eſt*, &c. ſignificaſſe *quod exempla jam præceſſerant & virorum quos uxores, & feminarum quas mariti lucrifecerant Chriſto: & parvulorum ad quos faciendos Chriſtianos voluntas Chriſtiana etiam unius parentis evicerat.* Quem ſenſum etiam alibi tradit Auguſtinus, *ut lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 16. & lib. 1. de adult. conjug. cap. 13.* atque ex his repetunt in ſuis commentariis Primaſius & Hervæus.

Dubitationis ſolutio.

Hîc ſi *quæras* cur potiùs infidelis ſanctificetur per conjugem fidelem, quàm è contrario fidelis profanetur & immundus reddatur per conjugem infidelem; ratio jam patet: quia ſuum errorem non ſic amat infidelis, quin conſentiat fideli cohabitare. Ex quo ſperandum, ut illius immunditiam & infidelitatem hujus ſanctitas ac munditia tandem vincat atque expugnet: quod notant Chryſoſtomus & Theophylactus.

Alius probabilis intellectus hujus ſanctificationis.

Porro ſunt alii qui non minus probabiliter Apoſtolum exponunt de ea ſanctificatione, qua quis ſanctificabatur ab immunditiis quibus Gentiles turpiter & contra naturam inquinari ſolent. Id quod etiam congruit loco Petri jam citato. Videns enim conjux infidelis ſanctam & caſtam converſationem conjugis fidelis, abhorrentis non adulterium modò, verùm etiam fœdas cum conjuge commixtiones, quæ vel uſum naturalem immutant, vel in menſtruo cruore fiunt, vel aliter torum conjugalem deturpant, ipſe quoque eo exemplo diſcit & aſſueſcit à talibus abſtinere; ſicque quodammodo ſanctificatur. Nam ſanctificationem immunditiis carnalibus etiam alibi Paulus opponit, ut 1. Theſſal. 4. *Hæc eſt*, inquit, *voluntas Dei ſanctificatio veſtra: ut abſtineatis vos à fornicatione: ut ſciat unuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderii; ſicut & Gentes quæ ignorant Deum.* Et paucis interpoſitis: *Non enim vocavit nos Deus in immuntiam, ſed in ſanctificationem.* Hujuſmodi ſenſum in Pauli verbis contineri ſentit Auguſtinus loco memorato de baptiſmo parvulorum. Denique favet admodum huic ſenſui quod ſequitur.

Filii infidelium immundi, quo ſenſu.

ALIOQUIN FILII VESTRI IMMUNDI ESSENT. De filiis adultis loquitur, qui ſanctius & caſtius intuuntur à parentibus ſimul habitantibus, ſi alter eorum fidelis ſit, quàm ſi digreſſo fideli maneant apud parentem infidelem; idque etiamſi ipſi filii nondum fidem Chriſti receperint. Hinc eſt quod idem Apoſtolus vult epiſcopi filios (qui fortè parente adhuc infideli nati & educati fuerant) *ſubditos* eſſe *cum omni caſtitate*, & alienos à crimine, ſive *accuſatione luxuriæ.* Quo vitio potiſſimùm laborare ſolent infidelium filii. Videtur autem ſupplenda conjunctio *&*, dicendo, Et *alioquin filii veſtri immundi eſſent.* Nam duo ſunt argumenta, tametſi ſimilia & conjuncta, quibus ſuadeat conjugem infidelem, ſi commorari non detrectet, dimittendum non eſſe: alterum à ſanctificatione conjugis, alterum à ſanctificatione filiorum. Exponitur autem illud *alioquin* hoc modo: niſi tu fidelis maneas cum conjuge infideli, filii veſtri erunt immundi. Poteſt etiam ſic exponi: *alioquin*, id eſt, ſi non ſanctificaretur conjux infidelis per conjugem fidelem, filii ex illis nati immundi eſſent. Hoc jam avertitur, dum ſanctitas etiam infideli parenti communicatur.

Obſ. contra Hæreticos etiam filios parentum fidelium opus habere baptiſmo.

NUNC AUTEM SANCTI SUNT. Nimirum ea ſanctitate quæ prædictis immundiciis opponitur. Unde Syrus interpres vertit, *Nunc autem mundi ſunt.* Quocirca malè ex hoc loco quondam Pelagiani, & hodie Calviniani, docuerunt filios parentum fidelium non opus habere baptiſmo quo ſanctificentur, utpote ſanctos hoc ipſo, quo ex ſanctis parentibus nati ſunt. Cui argumento reſpondet Auguſt. *lib. 2. de baptiſ. parvul. cap. 25. & 26. & lib. 3. cap. 12.* nec non *ſerm. 14. de verbis Apoſt. cap. 10.* oſtendens ſecundùm ſcripturas multiplicem eſſe ſanctificationem, non rerum modò, ſed etiam hominum, quæ non ſemper cum remiſſione peccatorum ſit conjuncta. Nam & catechumeni priuſquam baptizentur, *ſecundum quemdam modum ſuum*, ut ait, *ſanctificantur per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis.* Et apertè teſtatur *hoc eodem loco* Paulus, ſanctificari conjugem infidelem per fidelem, tantùm quia conſentit cum fideli cohabitare. Quod de juſtificatione ſeu peccatorum remiſſione non poteſt accipi.

Super eadem quæſtione conſultus à Paulino B. Hieronymus, *quomodo ſancti ſint qui de fidelibus, id eſt baptizatis naſcuntur*: epiſt 153. pro reſponſo Tertullianum adducit aſſerentem, *ſanctos dici fidelium filios, quod quaſi candidati ſint fidei, & nullis idololatriæ ſordibus polluantur*, tametſi locum apud Tertull. non reperio: niſi quod in *libro de anima cap. 39.* ſanctos ab Apoſtolo vocari dicat *fidelium filios, quaſi deſignatos ſanctitatis*; *ac per hoc etiam ſalutis.*

Altera pars reſcripti de conjugiis imparibus.

15. QUOD SI INFIDELIS DISCEDIT, DISCEDAT. Græcè, *ſeparatur, ſeparetur.* Syriacè, *ſeparat ſe, ſeparet ſe.* Hæc altera pars reſcripti Paulini de conjugiis imparibus per antitheſin reſpondens illi priori, *& hæc conſentit habitare cum illo*, &c. Eſt autem hæc quædam exceptio ab eo quod ſuprà dixit, *Uxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Senſus eſt: Si infidelis diſcedit, non conſentiens habitare cum fideli, ut fideli, id eſt, ſi religione ejus offenſus eam relinquat; non eſt quod conjux fidelis exiſtimet ſe debere illum ſequi; ſed ſinat eum diſcedere, tamquam per ejus diſceſſum libertati ſuæ relictus. Sub quo caſu ſecundum canones etiam alter continetur, nempe, ſi commaneat quidem infidelis conjux, ſed non ſine religionis injuria, aut generaliter ſine ſtudio pertrahendi conjugem fidelem ad damnabilia peccata. Sic enim poſſe eum dimitti aut relinqui. Id quod etiam ex præcedenti membro perſpicuè datur intelligi. Nam ſi de conſentiente cohobitare, dicitur fideli, *non dimittat illum*; igitur de eo qui non conſentit cohabitare, ſcilicet eo modo quo ſuperius expoſitum eſt, intelligitur fideli dictum, ut vel debeat vel poſſit talem à ſe dimittere. Dixi, tamquam libertati ſuæ relictus. Id enim ſignificant verba ſequentia quæ ſervitutem excludunt.

Quis diſceſſus hic intelligatur.

NON ENIM SERVITUTI SUBJECTUS EST FRATER AUT SOROR IN HUJUSMODI. In Græco & Syriaco non additur *enim*. Et illud *in hujuſmodi*, Græcè ἐν τοῖς τοιούτοις, *in talibus*, vel ad res vel ad perſonas referri poteſt. Ad perſonas apertiùs refert ea lectio quæ propoſitionem omittit: cujuſmodi codicem unum obſervavit Robertus Stephanus. Nec obſtat illi lectioni prior dativus *ſervituti*. Nam totum hoc *ſervituti ſubjectus eſt*, unum eſt verbum in Græco

δεδούλωται, ut, si præpositionem non legas, sic verti possit: *Non est serviliter subjectus frater aut soror talibus*, hoc est, infidelibus qui discedunt, aut cohabitare non consentiunt. Ita Paulus alibi, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ, *servi estis facti justitiæ*, & δουλωθέντες τῷ θεῷ, *servi facti Deo*, Rom. 6. Item Petrus 2. epist. 2. ᾧ πεδούλωται, *huic servus addictus est.*

Cæterùm addita præpositione, melius ad res accommodatur: quemadmodum id plerique intellexerunt: ut *sensus sit*, Christianum & Christianam cum infidelibus matrimonio copulatos, in hujusmodi rebus seu casibus, cujusmodi videlicet sermo proximè præcedens comprehendit, non esse subjectos servituti; ut vel innupti manere, vel cum conjugibus remanere, eisve digressis reconciliari debeant. Ad hanc enim servitutem superiùs expressam in muliere, & intellectam in viro; quæ nimirum debeant separatione facta vel innupti manere, vel conjugibus reconciliari; & non ad eam solam qua conjux sequi deberet conjugem discedentem, omninò respicit Apostolus: ut cujus intentio sit, quemadmodum dictum est, his verbis, *Quod si infidelis discedit, discedat*, exceptionem adferre ab eo quod antè dixerat, *Uxorem à viro non discedere*, &c. Quo præcepto dicta servitus exprimebatur.

Quæ servitus hoc loco significetur.

Cùm igitur eam quam dixi servitutem, à conjuge fideli respectu conjugis infidelis, idque specialiter in casu præsenti, removeat hoc loco Paulus; rectè ex eo tradunt canones Pontificii 28. quæst. 2. cap. *si infidelis*, & extra de divortiis, capit. *quanto*, & cap. *gaudemus*, quæ sunt Innocentii III. conjugem fidelem, si infidelis ob causam aliquam memoratam discesserit aut dimissus fuerit; aliud matrimonium priore soluto contrahere posse. Nam alioqui prædictæ servituti subjectus remaneret. Et ad hunc modum Apostoli mentem exposuerunt Ambrosius *scribens in Luc. 16.* & ejusdem titulo Pauli commentator *in hunc locum*. Item Græci interpretes Chrysost. Theophyl. Oecumen. & apud hunc Photius. Quibus adde Latinos, glossographum, Lombardum, Aquinatem, Liranum, Carthusianum, ac cæteros posteriores: quorum sententiam vel ipsa praxis fidelium ab ecclesia probata, satis superque confirmat.

Casus quo matrimonium consummatum solvitur quoad vinculũ.

Itaque parum consideratè scriptum est à Cajetano, ex Apostoli verbis non haberi quod solvatur hoc casu vinculum conjugale; cùm ipse è diverso, contra sensum Ecclesiæ putet, ut in superioribus dictum est, dissolvi per uxoris adulterium. Jam quomodo Pauli doctrina sic, uti diximus, intellecta, non sit contraria verbis Christi Domini, *Quod Deus conjunxit homo non separet*, Matth. 19. & aliis quibusdam scripturis, nullam vinculi solutionem inter conjuges quoad vivunt, admittentibus, petatur ex iis quæ disputantur *ad dist. 39. lib. 4. sentent.* Qua de re etiam nonnihil egimus *in comm. Rom. 7. versu 2.*

Malè dissentit Cajetanus.

In pace autem vocavit nos Deus. *In pace*, id est, ad pacem. Quod autem dicit tale est; Religio Christiana ad quam à Deo vocati sumus; non cogit nos ad hanc servitutem qua pax Christiana turbetur, hoc est, pacificus & tranquillus Christi cultus in familia impediatur. Quare sicut pater filium & filius patrem potest plena libertate relinquere ex ejusmodi causa; sic & conjux fidelis infidelem. Quidam sic exponunt: Quamvis permitti possit ut discedat, nec discedentem prosequi teneatis; tamen providendum quantum in te est, ne discedat. Nam Deus pacem nostram amat, & aversatur dissidia. Non placet hic commentarius; quia manente hujusmodi conjuge, pax Christiana turbatur, discedente serenatur atque servatur: juxta verbum sapientis, *Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium; cessabuntque causæ & contumeliæ*. Prov. 22.

16. Unde enim scis mulier, si virum salvum facies? *Unde*, Græcè ἢ *quid*, & vocula *si* pro *an* posita est Hebræo more; quemadmodum & in eo quod sequitur.

Aut unde scis vir si mulierem salvam facies? Potest hæc gemina interrogatio referri ad id quod proximè dictum erat de dimittendo seu non retinendo conjuge infideli, si nolit absque Christi injuria cohabitare; simul ad id quod subjunxerat, *In pace vocavit nos DEUS*; ut sit sensus: Non est quod illum, spe ejus convertendi, retinere studeas cum tanto pacis dispendio. Res enim admodum incerta est. Itaque potiùs utere libertate tua, ac sine eum discedere: ne dum tu niteris eum attrahere, ille te retrahat. Hic sensus apud Liranum est, quem Gaignæus & alii nonnulli sequuntur.

Conjugem infidelem fidelis dimittere quatenus debeat.

At verò plerique tam Græci quàm Latini referunt ad superiora, ubi docuit infidelem conjugem non esse dimittendum, si consentiat cohabitare; & hunc faciunt sensum: Si infidelis vult tecum permanere, nec pacem Christi turbat; fortè eum tandem ad Christi fidem pertrahes, sicque eum salutis quæ est in Christo participem facies; quandoquidem perseverans illa & pacifica cohabitatio, benè sperandi de eo materiam præbet: ideóque non debes eum dimittere. Sic & Augustinus intellexit hunc locum *lib. 1. de adult. conjug. cap. 13.* Quæ sanè expositio potior videri potest.

Phrasis Hebræa, quis scit, unde scis, expensa.

Hanc enim vim habet apud Hebræos illa phrasis, *qui scis* vel *quis scit*, ut probabilem, & ut ita dicam, sperabilem faciat affirmantem interrogationis partem, ut Joel. 2. *Quis scit si convertatur & ignoscat DEUS, & relinquat post se benedictionem?* id est: si conversi fueritis *in toto corde vestro*, (id enim præcesserat) omninò sperandum erit Deum quoque conversum iri ad vos, & remissurum pœnas comminatas, & benedictionem, id est, bonorum abundantiam largiturum. Item Jonæ 3. *Quis scit*, ait rex Ninivæ, *si convertatur & ignoscat Deus; & revertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* & 2. Reg. 12. *Dicebam enim*, inquit David, *quis scit si fortè donet eum mihi Dominus, & vivat infans?* Quamquam non est hoc perpetuum. Nam interdum difficultatem significat ea phrasis, ut Ecclesiastæ 3. *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum: & si spiritus jumentorum descendat?* id est, difficile est hoc scire, & paucis notum est. Deinde nec eadem est hoc loco forma locutionis, sed talis quæ rem dubiam indicare soleat, ut Genes. 15. *Unde scire possum?* Lucæ 1. *Unde hoc sciam?* Matth. 15. *Unde nobis in deserto panes?* Equidem censeo Lirani expositionem non esse rejiciendam, maximè quod & textui probè congruat, adeóque per se obvia sit, faveátque quod sequitur; *Nisi unicuique*, &c. Interim notandus sermo, *salvum facies*, id est, fidelem facies: quia per fidem justificamur, & in via salutis constituimur, secundùm illud Ephes. 2. *Gratia estis salvati per fidem*. Rursus observa, quòd uxor virum, & vir uxorem salvam facere dicitur; non utique dando salutem, quod solius Dei est, sed ad ea quæ salutis sunt, monitis ac vitæ exemplis adducendo. Qua in re, teste Chrysostomo, *nullus doctor tantum potuerit valere, quantum mulier*. Sic & alibi loquitur scriptura. Vide quæ diximus ad illud Rom. cap. 11. *Et salvos faciam aliquos ex illis.*

Salvum facere homini tributum, etiam mulieri.

17. Nisi unicuique sicut divisit Dominus. Subaudi, dona sua. Respicit enim ad id quod antè dixit, *Unusquisque proprium donum habet ex Deo. Dominus*, Græcè *Deus*. Sciendum est Oecumenium pro εἰ μὴ *nisi*, quod hodie in omnibus penè Græcis est; legere ἢ μὴ *an non*, ut hæreat cum præcedenti interrogatione. *Unde scis vir si mulierem salvam facies, an non?* Deinde sequatur. *Unicuique sicut divisit Deus.* Atque hujus distinctionis authorem citat Severianum. Meminit quoque Theophylactus utriusque distinctionis: sed ita ut præferat eam quæ in nostris est codicibus. Cui & Erasmus astipulatur, ac meritò.

ritò. Nam cur particula *an non*, posteriori interrogationi potiùs annectatur quàm priori? Ut & hoc addam quod in aliis locis, ubi Latinè legimus *an non*, Græcè non est ἢ οὐ, sed ἢ εἰ, quod certè magis est usitatum. Erasmus hanc partem ita vertit: *Vtcumque fuerit, unusquisque ut ipsi partitus est Deus.* Cujus suæ versionis rationem reddit *in annotat.* docens adverbium εἰ μὴ interdum usurpari, quum omisso quod dubium est, ad id quod certum est redimus.

Alius dixerit ita vertendum esse: *Quod si non*, aut *sin minus, unicuique sicut*, &c. ut sensus sit hujusmodi: Quod si non succedat de conversione conjugis; id tamen servetur quod dico: quisque ambulet, agat & conversetur secundùm talentum sibi creditum à Deo donorum distributore, atque in statu suæ vocationis permaneat: nec conjugem deserat, quamvis infidelem, dum spes est salutis ejus. Nam verbum *ambulet*, quod est in parte sequenti huc revocant, ut serviat utrique membro. In hanc ferè sententiam interpretantur hunc locum, qui præcedentia erotemata referebant ad infideles consentientes cum Christianis conjugibus cohabitare.

Conjux infidelis ne deseratur, dum spes est salutis.

Verùm si referas ad discedentes, juxta alteram expositionem illic datam; nihil opus erit huc adferre insolitam significationem exceptivæ dictionis εἰ μὴ & supplementum hujus partis petere ex sequenti. Nam sensus erit: *Unde scis*, &c. nisi fortè Deus, prout variè sua partitur dona, quempiam seu virum seu mulierem ea gratia dignetur, ut conjugem infidelem etsi religionis nomine sibi molestum & gravem, ac divortium facere volentem, retineat, retentumque patientia, monitis & obsequiis evincat, Christóque lucrifaciat, & ad salutem adducat. Hac parte sic intellecta significatur, fidelem præcepto non teneri ad dimittendum conjugem infidelem discedentem, ut suprà; sed discedere volentem retinere posse cum spe lucrifaciendi eum Christo. Porrò notanda metathesis dictionum, nonnullam faciens obscuritatem, cùm ait, *unicuique sicut divisit*: pro eo quod diceret, sicut unicuique divisit. Similiter in eo quod sequitur.

Deus variè sua partitur dona.

Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet. *Deus*, Græcè *Dominus*. Transitum facit ad doctrinam servandæ constantiæ in statu seu genere & conditione vitæ, in qua reperit unumquemque fides Christiana: ne mutatio status, occasione religionis facta, pariat offensionem, ipsamque religionem reddat odiosam. Dixi, inquit, fidelem infideli conjuge discedente non esse subjectum servituti, ut eum sequatur aut retineat, ne quidem salutis ejus procurandæ causa: non prohibeo tamen quo minus id faciat, si præsertim occulto Dei dono & instinctu ad id moveatur. Imò sententia mea hæc est, ut quisque, quoad fieri potest, ita ambulet, sicut vocavit eum Deus: hoc est, conversetur Deoque serviat, manens in eo genere vitæ in quo ad fidem à Deo vocatus est; sive in conjugio, sive extra conjugium; sive in servitute, sive in libertate; sive in alio quocumque: nec vitæ statum mutet ex imprudenti studio suæ salutis. Sentit ob susceptam Christi religionem non esse necessarium ut quis statum mutet: nec verò id faciendum temerè.

In statu vitæ servanda constantia.

Christiana religio non cogit ad mutandum vitæ genus, modo honestum.

Si quis objiciat de statu quopiam aut artificio turpi, vel injusto, vel aliàs inhonesto; quale meretricum & fœneratorum; quale etiam histrionum, quos ad communionem admitti vetuit B. Cyprianus *epistol.* 61. breviter respondeo, Paulum agere de statu ac modo vitæ licito & inculpato, quales plurimi etiam apud infideles. Cæterùm lector observet, hîc & in sequentibus sermonem esse non de statu ad quem quis vocatus est, sed in quo vocatus, scilicet ad fidem Christi: Quæ duo video à nonnullis hoc loco confundi, præter mentem Apostoli. Significari verò vocationem efficacem, vix opus ut admoneam.

Et sicut in omnibus ecclesiis doceo. Græcè; *Et sic in ecclesiis omnibus ordino*, sive *dispono*, διατάσσομαι; Syriacè, *præcipio*. Sensus: nec vobis solùm, sed omnibus ecclesiis hanc meam sententiam propono & præscribo, Christianismum non cogere ad mutandum vitæ statum, nec, nisi magna ratio cogat, mutandum esse. Meritò doctrinam hanc ecclesiis inculcabat: ne Christiana religio res humanas turbare videretur. Atque vel hinc satis intelligitur illud quod antè dixit: *Si quis frater uxorem habet*, &c. *non dimittat illam*; præcepti esse, non consilij. Nam profectò si consilij tantùm esset, licuisset dimittere. Quæ res haud leviter perturbasset atque offendisset statum publicum. Deinceps suam doctrinam declarat aliquot exemplis, iisque ad instructionem fidelium valde commodis.

Non dimittere conjugem infidelem consentientem cohabitare præcepti est.

18. Circumcisus aliquis vocatus est? Id est: quispiam prius circumcisus, utpote Judæus aut proselytus vocatus est ad fidem. Nec refert sive legas interrogativè, quemadmodum plerique, sive non. *Sensus* enim idem efficitur. Quod etiam observa in sequentibus. Quomodo locum hunc totum usque ad illud *Nolite fieri servi hominum*, exponat S. Hieronymus, infrà dicemus.

Non adducat præputium. Sensum reddidit interpres. Nam Græcè tantum est μὴ ἐπισπάσθω, *ne attrahat*, vel potiùs, *ne attrahatur*, id est, ne se attrahi faciat. Et sensus est; ne sibi curet attrahi præputium. Quid sit attrahere, sive adducere, sive ut alij vertunt, asciscere, accersere præputium, quæri solet: quandoquidem constet præputium semel amputatum reponi non posse. Certè quod hic dicitur, si propriè & sine tropo intelligas, impossibile esse, censent Origenes *lib.* 4. *de principiis*, Hieron. *lib.* 1. *contra Jovin. cap.* 6. & *in comment. Isaiæ* 52. Aug. *lib. de mendacio cap.* 5. & Cajetanus *hoc loco.*

Quid adducere præputium.

Verùm alij rectiùs fieri posse fatentur. Agit ea de re Epiphanius rerum Judaicarum peritus, *libr. de pond. & mens.* ubi cùm retulisset Symmachum veteris scripturæ interpretem, secundò circumcisum fuisse, docet quemadmodum id facere soleant illi qui ex Judæis transibant ad Samaritas, aut contrà; nimirum arte medica & quibusdam instrumentis residuam præputij pelliculam attrahentes, eamdemque rursus amputantes. Quod & Cornelius Celsus posse fieri docet *lib.* 7. *cap.* 25. Meminit etiam hujus modi Photius ex Epiphanio: meminit & Theophyl. Quamquam quod Epiphanius & Photius scribunt, originem facti quosdam referre ad Esau, qui *ad abnegationem Dei, & ad deletionem characteris patrum ipsius*, illud primus invenerit; cui propterea Deus dixerit, *Esau odio habui*; fabulosum esse vix dubito. Nam apud Idumæos circumcisio à patribus accepta, quemadmodum & apud alias quasdam Gentes, mansit in usu, teste Hieronymo super Jeremiæ cap. 9.

Fabula de Esau.

Porrò Judæos qui ad ritum Gentilem se transferebant, aliquid tale facere solere, satis apparet ex 1. Machab. 1. ubi de eis dicitur, *Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto*, id est, à fœdere circumcisionis, quod Deus sancivit ac pepigit cum Abraham & posteris ejus. Hoc quidem Hieron. in Isaiæ comment. *de nascentibus filiis & non de patribus* dictum esse vult. Id enim habebat lex Antiochi Judæis data, de qua eodem capit. *relinquere filios suos incircumcisos.* Unde & Cajetanus existimat Paulum non aliud velle, quàm ut qui circumcisus est, *per everet circumcidendo filios.* Sed profectò diversa sunt, facere sibi præputia, & relinquere filios incircumcisos. Nam ut testatur Josephus antiquitatum Judaicarum libro 12. capit. 6. Propter hoc *adduxerunt sibi præputia, ut nudi quoque Græcis non*

essent dissimiles : videlicet in gymnasio quod Hierosolymis ædificandum à rege impetraverant, exercendi.

Sensus hujus loci plenus.

Quamvis autem hæc ita se habeant ; tamen non id solum vult Paulus, ne qui circumcisus ad fidem vocatus est, arte præputium sibi reparet, quo circumcisionem suam aboleat : sed ne pœniteat eum aut pudeat circumcisionis, nec affectet esse præputiatus ; imò nec propter hoc quia Christianus est, desinat instituta Mosaica servare ; modò sciat legem mortuam esse, quæ cum honore sepelienda sit : quod ipse Paulus & alij Apostoli, plurimique ex circumcisione fideles, fecerunt.

Gentilem circumcidi lex Christiana non permittit.

IN PRÆPUTIO ALIQUIS VOCATUS EST ? NON CIRCUMCIDATUR. Hoc est : præputiatus quispiam vocatus est ad fidem ? nempe quomodo vocati Gentiles, *non circumcidatur*. Hoc enim esset Judaizare & Christum abjicere : Paulo Gentibus denunciante Galat. 5. *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Itaque præputiatum, id est Gentilem circumcidi, non solùm non cogit lex Christiana, sed nec permittit. Quod si quis genere Judæus in præputio vocatus esset tempore Pauli, non prohibebatur circumcidi. Nam ipse Paulus Thimotheum matre Judæa natum circumcidit propter Judæos, cum quibus erat illi conversandum. *Actor.* 16. non tamen alioqui facturus. Quod de circumcisione dicitur, de cæteris legis cæremoniis similiter intellige. Nominat autem circumcisionem, tamquam præcipuam cærimoniam, in qua totius legis esset professio.

In circumcisione totius legis erat professio.

19. CIRCUMCISIO NIHIL EST, ET PRÆPUTIUM NIHIL EST. Sensus : Nihil hæc valent, nihil conferunt ad justitiam & salutem ; ideò non sunt affectanda. *Quæres*, quomodo dicat circumcisionem nihil esse & nihil valere : cum, ut est multorum opinio, valuerit ad tollendum peccatum originale ? Primùm *respondeo*, loqui Paulum pro eo tempore quo circumcisio jam erat sacramentum mortuum. Deinde circumcisionem etiam tempore legis antiquæ nihil valuisse ad salutem & justitiam, quatenus erat illius legis sacramentum. *Nihil ad perfectum adduxit lex*, Hebr. 7. &, *Si per legem justitia, ergo gratis* Christus *mortuus est*, Gal. 2.

Circumcisio quo sensu nihil esse dicatur.

Quid valuerit circumcisio tempore legis antiquæ.

An autem & quid valuerit, per fidem ad legem gratiæ relatum circumcisionis sacramentum ; in quæstione versatur apud Theologos. De qua aliquid diximus ad illud Roman. 4. *Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei*, &c. Illud extra controversiam est, circumcisionem tempore Mosaicæ legis, & ex quo præcepta fuit Abrahæ & posteris ejus quatenus erat observatio divini præcepti, non fuisse nihil, sed aliquid ; ut hîc consequenter dicitur, & à nobis exponitur. Cur autem non pugnet hæc sententia cum illa ejusdem Apostoli Rom. 2. *Circumcisio quidem prodest, si legem observes* ; eo loco à nobis explicatum reperies.

Nota.

SED OBSERVATIO MANDATORUM DEI. Supple, est aliquid, confert ad justitiam & salutem : quia scriptum est : *Factores legis justificabuntur*, Rom. 2. &, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Matth. 19. Repetit hanc sententiam Apostolus ad Gal. 5. & 6. verbis nonnihil diversis : *In Christo Jesu*, inquit, *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur*. Et cap. 6. *Sed nova creatura*. Ex quo intelligitur eadem esse, saltem concomitanter, hæc tria ; observationem mandatorum Dei, fidem quæ per charitatem operatur, & novam creaturam.

20. UNUSQUISQUE IN QUA VOCATIONE VOCATUS EST, IN EA PERMANEAT. Græcè, *Unusquisque in vocatione qua vocatus est maneat*. Repetit generalem sententiam, ut aliud subjungat exemplum de statu servitutis. Vocationem intelligit vitæ statum seu conditionem ; quod & ea qualiscumque sit, vocationis sit divinæ. Nam *hoc ad eas consuetudines vel conditiones vitæ retulit quæ nihil obsunt fidei bonisque moribus*, ait Augustinus in *exposit. epistol. ad Galat.* 2. quod & *suprà* diximus aliis verbis. Et alioqui non erit vocatio ; quæ utique relationem habet ad Deum vocantem : sed humanæ cupiditatis præsumptio. *Sensus est* : Nemo factus Christianus prohibetur manere in statu, in quo erat quando vocatus est ad fidem Christi. Nec verò mutare eum debet, nisi justa ratione : & ita quidem ut non turbetur respublica, nec charitas proximorum lædatur. Igitur hac sententia non tam præcipit Apostolus, quàm significat quid cuique Christiano liceat. Ad quod ipsum tamen etiam hortatur, nisi quid aliter expediat.

Omnis vitæ status honestus, vocatio quædam est.

21. SERVUS VOCATUS ES ? NON EST TIBI CURÆ. Servus eras, inquit, quando vocatus es ad fidem ? non te res illa angat, ne doleas te qui jam religione Christianus es, adhuc conditione servum esse. Nolo te solicitum esse, ut onere servitutis libereris.

Servitus non excutienda.

SED ET SI POTES FIERI LIBER, MAGIS UTERE. Græcè, *Sed si etiam potes*, &c. Sensus est : Etiamsi possis assequi libertatem, magis tamen, id est, potiùs uti re servitute, & in ea permane majoris boni causa, scilicet ad tuam exercitationem, & domini tui salutem. Nam ex tua servitute, si liberaliter & Christianè servias, major spes erit dominum tuum lucrifaciendi Christo, quàm ex adepta libertate. In hunc sensum ferè commentatores exponunt. Nonnulli sic : Si tamen potes fieri liber, potiùs utere libertate, tamquam bono per se desiderabili. Et in hunc sensum Syriaca supplevit Tremellius. Sic enim vertit : *Sed etiam si potes liber fieri, elige tibi potiùs, quàm ut servias*. Verùm hic sensus, ut benè declarat Chrysostomus, repugnat ipsius Pauli scopo. Versatur enim in eo ut suadeat conditionem vitæ non esse mutandam. Unde & sequitur.

Servus & liber in Christo.

22. QUI ENIM DOMINO VOCATUS EST SERVUS, LIBERTUS EST DOMINI. Rationem redit ejus quod dixerat, *non sit tibi curæ* : ac docet servi liberique parem esse conditionem in Christo : quandoquidem & servi sunt liberti Christi, & liberi servi sunt Christi. Qui enim, inquit, servus cùm esset, vocatus est ad fidem Christi Domini, libertus ejus est : hoc est, è servitute peccati in libertatem ab eo vindicatus, eique tamquam liberatori suo obnoxius. Tales enim liberti dicuntur.

SIMILITER QUI LIBER VOCATUS EST, SERVUS EST CHRISTI. Græcè, *Similiter & qui*, &c. Qui, inquit, conditione liber cum esset, vocatus est ad fidem Christi Domini, servus est Christi, quia redemptus ab eo. Nam hoc sequitur.

23. PRETIO EMPTI ESTIS. Emphasis est in eo quod addit, *pretio* : cùm alioqui quicquid emitur, pretio ematur. Significat ergo magnum & inæstimabile pretium, videlicet sanguinis ejus qui emit. Pluribus hoc explicatum est *cap. super. vers. ult.* Dicitur autem tam ad servos quàm ad liberos ; adeoque communiter ad omnes fideles ; quemadmodum & id quod sequitur.

Servi hominum fieri quomodo prohibemur.

NOLITE FIERI SERVI HOMINUM. Infert generalem & salutarē admonitionem. Pretio sanguinis sui Christus vos emit, & servos suos fecit : igitur nolite fieri servi hominum. Id est : ne vos ita subjicite hominibus, ut Christo Domino debitum subtrahatis ; aut quoquo modo minuatis obsequium atque servitium. Velut qui sunt in obsequio regis hominis, si aliis se dedant, quo fiat ut minus queant regi debita præstare ministeria, peccant in regem ; ut milites, à quibus idem Apostolus Timotheum exhortans, exemplum sumit 2. epist. 2. cùm ait : *Nemo militans implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat qui se*

probavit, ac in militem delegit. Fiunt ergo ſervi hominum, qui ſic hominibus ſerviunt, ut Chriſto non ſerviant aut minus ſerviant: & omninò quicumque impenſa hominibus obſequia non referunt ad gloriam Chriſti: ſed ad ſolam reſpiciunt hominum voluntatem, quos vel timent vel amant inordinatè. Non diſſimili ſenſu Paulus alibi in vitio ponit hominibus placere, *ut Gal. 1. verſ. 10. Col. 3. verſ. 22. & 1. Theſſal. 2. verſ. 4.*

Qui partem hanc ad ſolos liberos referunt, ita exponunt: ne libertatem veſtram commutetis in ſervitutem, quantum per vos fieri poteſt: ſed manete in bono libertatis quod habetis. Verùm magis apparet ad omnes fideles referendam eſſe: ſicut ad omnes pertinet illud: *Pretio empti eſtis.* Atque ea eſt expreſſa Chryſoſtomi & ſequacium ejus ſententia. Nec verò opus erat liberos hortari ad retinendam libertatem, ut nec ſervos ad eam adipiſcendam: quum libertas in iis ſit bonis, quæ naturaliter ab omnibus appetuntur.

Totum hunc locum Hieronymus quomodo interpretur.

Scito lector totum hunc Apoſtoli contextum ab eo loco, *Circumciſus aliquis vocatus eſt*, à B. Hieronymo longè aliter exponi. Ulut enim parabolicum eſſe ſermonem, quo ſub parabolis circumciſi & præputiati, liberi & ſervi, diſſerat Apoſtolus de cœlibatu & conjugio: doceatque quomodo tam cœlibes, quos per circumciſum & liberum putat Hieron. ſignificari; quàm conjugatos, quos per præputiatum & ſervum; permanere debeant, illi in cœlibatu, hi in matrimonio, ſicut eos deprehendiſſet Chriſti baptiſma; ſecundùm illud quod proximè præmiſerat dicens, *Unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet.* Hæc docet *lib. 1. adverſ. Jovin. cap. 6.* ac repetit in *Apologia ad Pammach. cap. 2.* rurſus ita docet in *epiſt. 12. ad Gaud.* ſcripta; ubi inter alia, adducere præputium interpretatur quærere *pelliceas tunicas nuptiarum.* Denique in ea ſententia perſiſtit, exponens *Iſaiæ cap. 52.* Quem & Sedulius ſequitur in *hujus loci comment.* Sed & ante iſtos eodem modo locum hunc intellexit Origenes *lib. 4. de principiis.*

Hieronymi commentarius improbabilis.

Certat autem Hieronymus *adverſ. Jovin.* ſcribens, pro hoc intellectu, ſex rationibus: quas apud eum legat qui volet. Puto, comperiet omnes ex contextu Paulino benè conſiderato juxta vulgatum & obvium commentarium quem dedimus, haud ægrè diſſolvi poſſe. Fatetur etiam ipſe Hieronymus in apologia, quoſdam prudentiſſimos interpretes ſcripturarum aliter, hoc eſt ſimpliciter ac ſine metaphora hunc locum expoſuiſſe. Quod autem idem Hieronymus etiam illa verba; *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt*, ad virginitatem & conjugium applicat; ne quem offendat, tamquam virginitati meritum detrahat, aut eam æquet conjugio, contra ſuum in illo opere ſcopum & inſtitutum: audiat quemadmodum ipſe ſe declaret. Additis enim Apoſtoli verbis; *ſed obſervatio mandatorum Dei;* ita ſubjungit: *Nihil enim prodeſt abſque operibus, cælibatus & nuptiæ: cum etiam fides quæ propriè Chriſtianorum eſt, ſi opera non habuerit, mortua eſſe dicatur.* Hæc ille,

Quo ſenſu dicat Hieronymus virginitatem nihil eſſe.

24. UNUSQUISQUE IN QUO VOCATUS EST, FRATRES, IN HOC PERMANEAT APUD DEUM. In multis codicibus erat *frater*, non *fratres*. Sed veram lectionem, id eſt, *fratres* vocandi caſu, reſtitutam habemus ex editione Romana, ſuffragante textu Græco & Syriaco, nec non Latinis expoſitoribus Ambr. & Primaſio, quibus omnibus etiam legitur *maneat* non *permaneat*: tametſi familiare eſt interpreti noſtro compoſitum permanere loco ſimplicis uſurpare. Repetit Apoſtolus jam tertio ſuam propoſitionem, concludens unicuique in ordine, ſtatu, conditione qua ad fidem Chriſti vocatus eſt, manendum eſſe; verùm id ſalva fide & obſequio quod Deo debetur. Hoc enim eſt quod addit, *apud Deum*, exponente Theophylacto. Nonnulli putant verti poſſe *à Deo*: & ſententiam ſic ordinant: Quiſque in quo vocatus eſt à Deo, in eodem permaneat. Nam παρὰ τῷ θεῷ, id eſt *à Deo*, legitur alicubi. Quamquam id rariſſimè, nec uſquam, ut arbitror, in ſacris literis. Simul ab hoc intellectu revocat hyperbaton minimè neceſſarium. Nam prior ſenſus; *maneat apud Deum*, id eſt, Deo ſerviens, & à Deo non recedens, optimè conſtat.

Status vitæ retinendus ſalva religione.

25. DE VIRGINIBUS AUTEM PRÆCEPTUM DOMINI NON HABEO. Redit ad ſermonem de virginibus & innuptis, intermiſſum ac ſuſpenſum ab eo loco, *Cæteris ego dico, non Dominus*: atque de iis nunc agit pleniùs & explicatiùs. Dicit itaque, de virginibus, quæ tamen nondum voverint Deo continentiam, (& eadem ratio de omnibus à vinculo conjugali liberis) nullum ſe habere præceptum à Chriſto traditum: ſcilicet ut vel maneant, vel non maneant ſine conjugio. Quod enim ſuperiùs dixit & inculcavit, unicuique in eo manendum in quo vocatus eſt: tantum admonitio fuit, ne quis factus Chriſtianus temerè mutet conditionem vitæ priorem, quum id religio Chriſti non exigat.

Virginem permanere non præcepti eſt, ſed conſilij.

CONSILIUM AUTEM DO. *Conſilium*, Græcè γνώμην *ſententiam*. Dico, inquit, quod ſentio, quodque melius judico. Hoc autem eſt conſilium dare. Nam utique ſententia de rebus agendis, conſilium eſt. Sic in fine capitis *ſecundum meum conſilium*, Græcè γνώμην. Oſtendit hic locus & alij ſimiles, non omnia bona quæ facimus, eſſe præcepti: quod volunt hujus ævi ſectarij: ſed quædam eſſe conſilij; ad quæ nimirum abſolutè fideles non teneantur ex aliquo Dei præcepto. Nam *præceptum* quidem eſt, ait Aug. lib. de ſancta virginitate cap. 15. *cui non obedire peccatum eſt: conſilium* verò, *quo ſi uti nolueris, minus boni adipiſceris, non mali aliquid perpetrabis.*

Obſ. contra Sectarios. Non omnia bona quæ egimus, eſſe præcepti Quid præceptum, & quid conſilium.

Objectio removetur.

Objicit Calvinus generale præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Verùm eo præcepto non jubentur omnes omnia bona facere quæcumque poſſunt; ſed præcipitur ut quiſque in ſua vocatione Deum diligat, eique ſerviat ex toto corde. Nam etſi *dilectio Dei non cadat ſub præcepto ſecundum aliquam menſuram, ita ut id quod eſt ultra, ſub conſilio remaneat, ut patet ex ipſa forma præcepti, cum dicitur, diliges ex toto corde*: quemadmodum docet S. Thomas 2. 2. *quæſt. 185. art. 3.* non tamen ad diligendum ex toto corde Deum, omnia media ex præcepto omnibus propoſita ſunt; ut nec omnia omnibus conveniunt: tametſi culpa non caret inconſultæ electionis, qui poſthabito bono quod ſibi melius eſt, elegit minùs bonum. Jam ut oſtendat Apoſtolus ſuum etiam conſilium eſſe à Domino, ſubjungit.

TAMQUAM MISERICORDIAM CONSECUTUS A DOMINO, UT SIM FIDELIS. *Ut ſim fidelis*, Græcè πιστὸς εἶναι, *fidelis eſſe*, id eſt, in hoc ut ſim fidelis. *Et ſenſus eſt:* Conſilium do tamquam apoſtolatu dignatus à Chriſto Domino per ejus gratiam & miſericordiam: ut bona fide, ſicut Apoſtolum & internuncium facere oportet, proferam ſuper re propoſita ſententiam & conſilium meum, dicamque quid melius eſſe cenſeam. Sic & in *fine cap.* cum rurſus conſilium ſuum allegaſſet dicens: *Beatior autem erit ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium*: mox addidit, *Puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam*: ſcilicet ut conſilium ſuum oſtenderet à Spiritu-ſancto proficiſci, & conſentaneum eſſe voluntati Domini ſui. Nam revera conſilium hoc ipſe Chriſtus propoſuit in evangelio, quando dixit: *Sunt eunuchi qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.* Matth. 19. Partem hanc ſic exponit Auguſtinus *lib. de ſancta virginit. c. 14.* ut effectus miſericordiæ Domini ſit eſſe fidelem, ac ſi dicat Apoſtolus: *Neque enim invidere debeo fidele conſilium, qui non meis meritis, ſed Dei miſericordia ſum fidelis.* Senſus hic veriſſimus quidem eſt: Sed priorem, quem inter alios apertis verbis tradit Aquinas, germaniorem eſſe

probat locus similis 1. Timoth. 1. *quia fidelem me existimavit ponens in ministerio.*

26. EXISTIMO ERGO HOC BONUM ESSE PROPTER INSTANTEM NECESSITATEM. Hic jam profert suum consilium. Dicit autem *existimo*, sive *arbitror*, Græcè νομίζω, modestiæ causa, cùm de re certa loquatur, sicut & infrà viduis consulens dicit, *Puto quod & ego* &c. *Hoc*, id est, virgines manere, uti statim exponit. *Bonum* intellige non qualecumque, sed eximium & præclarum; quod nonnulli vertunt pulchrum, quemadmodum & initio capitis. Aut bonum pro meliore posuit, ut *suprà versu* 8. Præcellentiam hujus loci breviter explicat Thomas per tria genera. *Bonum*, inquit, *honestum propter puritatem, delectabile propter libertatem, utile propter mercedem: quia debetur ei fructus centesimus.*

Bonum pro eximio aut meliore. Triplex genus bonitatis in virginitate.

Instantem seu præsentem necessitatem nonnulli interpretantur necessitatem moriendi. Quod non placet. Alij ingruentes persecutiones; quas faciliùs ferunt, atque expeditiùs fugiunt qui conjugem & liberos non habent: secundum illud Salvatoris: *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*, Matth. 24.

Instans necessitas quæ dicatur.

Verum quia generalis est Apostoli doctrina, pertinens etiam ad tempora ecclesiæ pacata: magis probo generalem commentarium, quem huc adferunt plerique tam Græci quàm Latini, per instantem necessitatem intelligentes hujus sæculi molestias & incommoda, quæ plurima secum trahit status conjugalis: quas paulò pòst alio nomine tribulationes carnis Apostolus apellat. Unde conjugati comparantur molentibus in mola, Matth. 24. Quum ergo dicit, *propter instantem necessitatem*, subaudi evitandam seu declinandam: quomodo suprà versu 2. *propter fornicationem* vitandam. Atqui considerat Apostolus hujusmodi necessitatem, ut impedimentum quo minùs quis liberè & expeditè possit Deo servire. Talia namque ferè sunt incommoda status conjugalis.

Et hoc modo necessitatem istam à Paulo considerari docet ac probat Augustinus *lib. de sancta virginit. cap.* 13. *&* 64. Probat autem hac firmissima ratione: quia Paulus hæc scribit, *providens & consulens in futurum: cùm omnis ejus dispensatio non nisi ad vitam æternam vocet.* Eamdem rem pulchrè explicat Hieron. in lib. *de custodia virgin. ad Eustoch cap.* 9. *& adversus Helvid. cap.* 10.

Patet igitur quàm nihil hic locus foveat Joviniano & novis hujus sæculi Jovinianistis, qui mirabili insipientia ac sententiæ vanitate (sic enim de talibus *loco memorato* loquitur Augustinus) virginitatem ob id solùm colendam & conjugio anteponendam censent, quod hominem liberet à multis hujus vitæ molestiis: non quod hominem Deo commendet, aut ad regnum cœlorum promoveat. Quin etsi de necessitate nihil impediente spirituale bonum ageretur in his verbis: tamen non hæc sola causa fuisset Apostolo virginitatis conjugio præferendæ. Nam paulò pòst disertè illam ex eo præfert, quod aptiorem reddat hominem ad serviendum Deo.

Observa hunc locum contra Hæreticos Virginitati parum faventes.

QUONIAM BONUM EST HOMINI SIC ESSE. *Quoniam* exegeticum est. Declarat enim quod dixerat, *hoc bonum esse*; & dicens *homini*, consilium suum facit commune utrique sexui: ne quis ad solas fœminas virgines referat. Itaque *sensus est*: Hoc quod dico bonum esse homini tam mari quàm fœminæ, *sic esse*, sive, ut suprà dixit, sic permanere, scilicet ut sint sine conjugio, in virginitate. Nam de virginibus sermonem suscepit; in quibus tamen etiam alios cœlibes, etsi non virgines, comprehendit.

27. ALLIGATUS ES UXORI? NOLI QUÆRERE SOLUTIONEM. Ac si dicat: non ita commendo virginitatem & abstinentiam conjugij, ut eos qui vinculis conjugalibus astricti sunt, adhorter ac solicitem d divortium & separationem. Nam pridem hortabar unumquemque ad manendum in quo vocatus est. Loquitur Apostolus haud dubiè de vinculo matrimonij consummati. Sed etsi sermonem ejus ad inconsummatum matrimonium extendas: non hinc consequens erit eos adversari præcepto Paulino, qui docent inconsummati matrimonij vinculum per ingressum religionis solvi posse: rectéque eos facere, qui ab hujusmodi matrimonio ad religionem transeunt. Non enim his verbis prohibet Apostolus, ne quis solutionem quærat, sive quoad vinculum, sive quoad torum, quando id legitima ratione fieri posset, sed generalem exhortationem solutionis, etiam licito modo faciendæ, à se removet, sciens quia non omnes capiunt verbum hoc.

Non quærenda solutio conjugij.

Conjugium inconsummatum per ingressum religionis solvi posse; non negat Apostolus.

SOLUTUS ES AB UXORE? NOLI QUÆRERE UXOREM. Solutum ab uxore intelligit liberum à conjugio, sive uxorem aliquando habuerit, sive non. Nam & qui numquam habuerunt, vulgo soluti dicuntur. Nec obstat verbum præteriti temporis λέλυσαι, quod Latinis in participium resolvi debet: Nam ut Oecumenius docet, *solutus* per oppositi negationem exponi potest, id est, numquam ligatus. Tertullianus quidem de secundo matrimonio accepit in *exhort. castit. cap.* 4. Verùm antithesis Apostoli inter alligatum esse & solutum generaliorem sensum postulat. Quod si, inquit, à conjugio liber es, ne quæras uxorem; id est, non te hortor ad conjugium, sed magis hortor & consulo, ut sic permaneas. Hoc enim bonum est. Sed quia non omnes capiunt verbum hoc, iis qui non capiunt, consulendo dicitur, *Si non se continent, nubant.* & 1. Tim. 5. de quibusdam viduis, *Volo juniores nubere.*

Solutus ab uxore quis dicatur.

28. SI AUTEM ACCEPERIS UXOREM, NON PECCASTI. Græcè ἐὰν δὲ καὶ γήμῃς. Quod ita vertas: *Sed & si uxorem acceperis*, &c. Ubi nota verbum γήμῃς, pro quo dixit interpres *acceperis uxorem*, utrique sexui esse commune: quomodo nubere ab eodem nostro interprete sæpè sumitur ob inopiam aptioris verbi. Quamquam hoc loco videtur propriè ad virum dici, tum quia præcessit, *Solutus es ab uxore*, tum quia peculiariter ad fœminas pertinet quod sequitur. *Etsi nupserit virgo.*

Sensus Apostoli: Non ita dico, ne quæras uxorem, quasi peccatum sit uxorem ducere, & id à me prohibeatur. Nam nuptiæ non sunt peccatum; sed res bona à Deo instituta: proinde nequaquam consequens est, si quis uxorem duxit, eum peccasse. Quod etsi ita sit; contigit tamen actum seu contractum quo ducitur uxor, vitiari fine, vel aliqua alia circumstantia mala; sicut & alios actus genere suo bonos. Unde Thomas ita locum hunc exponit: *Si acciperis uxorem, scilicet bono fine, non ad expletionem libidinis; non peccasti.* Vide quæ superiùs dicta ad illud, *Melius est nubere quàm viri.*

ET SI NUPSERIT VIRGO, NON PECCAVIT. Diligenter admonent commentatores Photius, Theophyl. Oecumenius & alij post Chrysostomum tam *in comment.* quam *in sermone de libello repudij*, non loqui Paulum de ea virgine quæ Christo dicata sit. Hanc enim si nupserit, adulterum Christo sponso suo superinducere, & proinde graviter admodum peccare. Hieron. quoque *lib.* 1. *contra Jovin. cap.* 7. hæc Apostoli verba, *Si nupserit virgo, non peccavit*, suis verbis ita prosequitur: *Non illa virgo quæ semet Dei cultui dedicavit: Harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.* Et addit; *Virgines enim quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ quàm incestæ sunt.* Incestas vocat, propter id quod dixit eas primam fidem irritam fecisse, ex Apostolo 1. Tim. 5. id est, votum continentiæ Deo factum violasse. Quas & propterea damnationem habere ibidem Apostolus pronunciat.

Virgo Deo dicata si nubat, graviter peccat.

Ex quibus liquet quàm impiè agant authore ac duce Martino Luthero, nostræ tempestatis hæretici,

Obſ. contra Hæret. virgines Chriſto conſecratas malè ad nuptias provocari.

dum hoc Apoſtoli teſtimonio abutentes, quo dicit virginem ſi nupſerit non peccaſſe, virgines voto obnoxias, & per illud Chriſto conſecratas, provocant ad nuptias. Vide quæ diximus ad illud hujus capitis, *Quod ſi non continent, nubant.* Neque tamen exceptione ſeu limitatione opus habet dictum Apoſtoli, *Si nupſerit virgo, non peccavit*: ſed negationem continet hujus conſequentiæ; Si nupſerit virgo, peccavit; quaſi videlicet nubere peccatum ſit, in quem ſenſum etiam priorem partem expoſuimus. Igitur iſtiuſmodi ſententiæ rectè uſurpantur, & à Patribus uſurpatæ ſunt, adverſus veteres quoſdam hæreticos, qui nuptias damnarunt, tamquam diaboli inventum, aut alioqui rem per ſe malam. Quos venturos Apoſtolus prævidit & prædixit illis verbis, *prohibentes nubere.* 1. Tim. 4.

Veteres hæretici nuptias damnant.

TRIBULATIONEM TAMEN CARNIS HABEBUNT HUJUSMODI. Græcè, *Afflictionem autem carni, ſeu carne* (τῇ σαρκὶ) *habebunt tales.* Pro *carne* Eraſmus & Hentenius *in carne* verterunt. Syrus exponit *in corpore.* Et ſenſus eſt: Attamen hujuſmodi, id eſt, virgines, & in univerſum cælibes, ſi conjugio ſe copulaverint, multas ſecundùm carnem moleſtias & afflictiones experientur, à quibus liberi ſunt cœlibes. Eſt enim vita conjugalis plena moleſtiis, curis, & angoribus: quod genus incommodorum enumerat Chryſoſt. *in ſerm. de libello repudii*; ac multò latiùs *lib. de virgin. cap.* 57. Nec minus copiosè ea percenſet Baſilius *lib. de virgin.* vocans inter alia conjugium dolorum.

Nota, vitam conjugalem plenam eſſe moleſtiis & angoribus.

Igitur hîc obliquè deterret Apoſtolus à conjugio, & ad excellentius bonum invitat, propoſitis incommodis conjugii: maximè quod ea talia ſint, quæ mentem hominis plurimùm impediant à Dei ſervitio, vitæque ſpiritualis profectu. Unde rectè B. Auguſtinus in lib. de ſancta virginitate cap. 16. *Iſtam*, inquit, *tribulationem carnis, quam nupturis prædicit Apoſtolus, ſuſcipere tolerandum, perſultum eſſet, niſi metueretur incontinentibus, ne tentante Satana in peccata damnabilia laberentur.*

Triplex hujus loci commentarius.

EGO AUTEM VOBIS PARCO. Hoc quidam ſic interpretati ſunt: Quum dico non peccare eos qui matrimonium contrahunt, id dico parcens veſtræ infirmitati. Sed rejiciendus eſt hîc ſenſus, utpote ſignificens Apoſtolum contrà quàm ſentiret, imò contra veritatem aliquid dixiſſe. Sunt igitur alii duo ſenſus probabiles. *Prior hujuſmodi*: Nolo pluribus commemorare conjugii incommoda, ne etiam incontinentes cum periculo ſuæ ſalutis abſterreantur à conjugio. Conſulo veſtræ infirmitati, dum de his taceo, ac potiùs remedium nuptiarum oſtendo. Sic Auguſtinus *loco proximè citato*, & poſt eum Primaſius, cæterique ferè Latini.

Qui tamen & alterum ſenſum à Græcis traditum attingunt, nominatim commentator Amb. iſtum videlicet: Ego autem vobis tamquam filiis parco, cupiens afflictionum & moleſtiarum quæ nuptias conſequuntur, expertes eſſe, ideoque continentiam ſuadeo. Quem commentarium probabiliorem arbitror: tum propter verbum *parco*, quod ad pœnas & afflictiones referre ſolet Paulus, ut *Rom. 8. Proprio filio non pepercit. 2. Cor. 13. Si venero iterùm, non parcam*: tum propter ea quæ continuò ſubjungit, utique pertinentia ad ſuadendam continentiam & animos à cupiditatibus & curis temporalibus avocandos: ut idem ſit, *Ego vobis parco*, cum eo quod infrà dicit, *Volo vos ſine ſolicitudine eſſe.*

Parcere Paulo quid ſit.

29. HOC ITAQUE DICO FRATRES. Græcè τοῦτο δὲ, *Hoc autem*, &c. TEMPUS BREVE EST. Græcè ὁ καιρὸς συνεσταλμένος, id eſt, *tempus contractum*: pro quo Hieronymus ſuper Eccleſiaſtæ 3. legit: *Tempus nunc in anguſto eſt*, & lib. 1. adv. Jovin cap. 15. *Tempus in collecto eſt*, ſecutus in hoc Tertullianum ita legentem *lib. 5. adverſ. Marcion. cap. 7.* & alibi. Cyprianus autem magis ad verbum, *tempus collectum*, libr. 3. teſtim. cap. 11. Quamquam Hieron. eodem *lib. contra Jovin cap. 7.* ſemel & iterùm, nec non alibi, cum noſtro interprete legit, *Tempus breve eſt.*

Poteſt autem hoc duobus modis explicari, juxta duplicem ſenſum partis præcedentis. *Uno modo*: Quamvis, inquit, vobis indulgeam propter infirmitatem carnis veſtræ: ne tamen immoderatiùs obſequamini voluptati quæ eſt in uſu conjugii, illud non taceo, cogitandum vobis eſſe, quàm tempus iſtius vitæ contractum, acciſum & breve ſit, ac plerumque ſpe noſtra multò breviùs: ut proinde ex eo quam minimum decernendum ſit ad voluptates, aut etiam ad curas hujus ſæculi, cùm totum debeatur ſtudio ſalutis æternæ. *Alter ſenſus eſt*, idemque ſimplicior: Dico, & volo cogitetis, quàm breve ſit tempus hujus vitæ, & quàm citò tranſeat hoc ſæculum: ita fiet ut de uxore ducenda déque rebus hujus ſæculi curandis, quibus animus à Deo avocetur, cogitare minus libeat.

Tempus breve quo ſenſu Paulo dicatur.

RELIQUUM EST. Hæc pars in quibuſdam Græcis codicibus annectitur præcedenti ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ἐστιν, *Tempus contractum de cætero eſt.* Idque voluit Syrus interpres vertente Tremelio: *Tempus deinceps abbreviatum eſt.* Sic & Theophyl. in *comm.* & antè eum Baſilius in *libr. de vera virginitate*, & Chryſ. *in ejuſdem argumenti lib. cap. 73.* videntur hujus loci textum diſtinxiſſe: & inter Latinos Ambr. commentator, qui ſic legit: *Tempus abbreviatum & reliquum eſt*: ut utrumque adjectivum cum tempore conſtruatur: quod de poſteriori Græca lectio non permittit. Cæteri Latini tam veteres, quàm recentiores, particulam, *reliquum eſt*, ad ſequentia referunt: quorum Tertull. *lib. 1. ad uxorem cap. 5.* atque alibi, & Hieron. *in epiſt. ad Ageruchiam* legunt *Supereſt*, quod idem valet. Habet autem vim ſigni illativi quaſi dicat, Ergo agendum quod ſequitur.

UT ET QUI HABENT UXORES, TAMQUAM NON HABENTES SINT. Bifariam hoc intelligi poteſt: *uno modo*, ut qui in conjugio ſunt, non nimiùm rei uxoriæ ſint addicti; parciùs uxoribus utantur: idque temporis ad Deo ſerviendum lucrifaciendi cauſa: quemadmodo ſuprà dixit, *ut vacetis orationi.* Alter, ut qui uxoribus ſuis commiſcentur (id enim interdum ſignificat habere uxorem, *ut ſuprà verſ. 2.*) non id faciant ut obſequantur ſuæ libidini, ſed quaſi inviti, tantùm ob generationis aut reddendi debiti neceſſitatem. Porrò quod de viris dicit habentibus uxores, id ſimiliter intellige de mulieribus habentibus viros.

Uxorati quomodo ſint tamquã non uxorati.

Et obſerva Paulum non dicere: ut qui uxores non habent accipiant & moderatè utantur: ſed, *ut qui* jam *habent*, ac ſolutionem quærere non debent, *tamquam non habentes ſint.* Ex quo colligendum relinquit hoc quod intendit, quodque ei propoſitum erat: ut qui non habent, maneant non habentes. Cùm autem Apoſtolus velit habentes eſſe tamquam non habentes; benè & acriter è contrario S. Baſilius *in lib. de vera virginitate*, notat eos, qui non habentes ſunt tamquam habentes. *Qui*, inquit, *cùm ex virginitatis voto uxoribus careant, ac ſi eas haberent ſe agentes, virginitati contumeliam faciunt.*

In eos, qui non habentes uxores ſunt tamquam habentes.

30. ET QUI FLENT TAMQUAM NON FLENTES. Hoc eſt: Quibus triſtia accidunt, quæ ſunt flendi materia, cujuſmodi plurima occurrunt in matrimonio, non iis admodum commoveantur: ſed patienter & æquanimiter ferant, utpote non diu duratura; ſeque conſolentur ſpe vitæ futuræ.

ET QUI GAUDENT TANQUAM NON GAUDENTES. Id eſt: Quibus læta obveniunt, quæ ſunt gaudendi materia, non ſint effuſi in gaudium: ſed reprimant ſeſe, conſideratione brevitatis ac vanitatis gaudiorum hujus mundi.

ET QUI EMUNT, TAMQUAM NON POSSIDENTES. Hoc eſt: Qui res aliquas hujus mundi emunt, vel licitè quomodolibet acquirunt, (nam in ſpecie genus

Qui hic dicantur possidentes.

intelligitur) non iis cor suum apponant : sed tantùm habeant eas ad usus necessarios suos & proximorum. Annotat Gaignæus verbum Græcum κατεχοντες non significare quomodocumque possidentes, sed eos qui magno studio aliquid tenent seu possident, & ad retinendum tota cura incumbunt. Atqui Græci interpretes nihil urgent hujusmodi. Et constat Græcam vocem sæpè generaliter usurpari pro eo quod est occupare, possidere; quemadmodum & Paulus accepit in 2. ad Cor. epist. cap. 6. cùm ait : *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Sicut ergo media vocabula sunt in tribus membris superioribus, *habentes, flentes, gaudentes*; sic & in isto *possidentes* : sed vis sermonis est in adverbio *tamquam*.

31. Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Græcè, ὡς μὴ καταχρώμενοι *tamquam non abutentes.* Et ita legit Tertullianus lib. de cultu feminarum capit. 9. Hoc autem verbo tam Græcis quàm Latinis usus vitiosus significari solet, ut appareat hunc esse sensum: Et omnino qui rebus hujus mundi utuntur, non immoderatè nec perversè utantur ; quod esset abuti. Sic enim exponunt Theodoritus, Theophylactus & Oecumenius. In quem sensum etiam Syrus interpretatus est: *Et illi qui utuntur mundo hoc, non præter justitiam usus*, scilicet utantur; quæ est periphrasis abusionis.

Quo sensu utentes sint tamquam non utentes.

Sciendum tamen compositum hoc verbum in utraque lingua sumi interdum pro simplici; quomodo & hic rectè sumitur, etiam Erasmo suffragante, qui nostrum interpretem secutus vertit, *tamquam non utantur*: quemadmodum & legit Cyprianus in *libro de habitu virg.* Ita quoque respondebit præcedentibus quatuor vocabulis mediis ; nec redundabit particula *tamquam*. Etenim si vitium sonat καταχρώμαι simpliciter dicendum erat; Qui utuntur hoc mundo, non abutantur. Proinde *sensus* Apostoli esse videtur : ut qui rebus hujus mundi utuntur, utantur obiter, ac velut in transcursu , quantum fert necessitas ; eóque modo sint quasi non utentes.

Præterit enim figura hujus mundi. Ratio suprædictorum, eadem ferè cum eo quod priùs dixit, *Tempus breve est.* Figura Græcè σχῆμα, quod interpres aliàs habitum vertit, ut Philip. 2. *Habitu inventus ut homo.* Sicque legit hanc partem Tertull. *libro de pudicitia cap. 16.* & de *cultu femin. cap. 9.* nec non Irenæus Latinus *lib. 5. cap. 35.* Sensus autem est: Tota hujus mundi facies & dispositio, secundum quod venit in usus nostros, transitoria est, aliquando cessabit, succedente ejus statu longè alio, semperque duraturo. Non ergo debemus præsentibus immorari, & adhærescere: ne & ipsi cum mundo transeunte transeamus. Metaphora est à scenis comicis aut tragicis sumpta, quæ subitò cum personis mutantur.

Hujus mūdi figura quo sensu præterit.

Græcum verbum παράγει significat etiam *seducit, decipit*: atque ita vertit hoc loco & exponit Stapulensis: quem & Cajetanus secutus est : nec improbat Gaignæus. Sed benè refellit hoc in suis annotationibus Erasmus. Nam passim accipitur in sacris literis pro præterire, abire, ut Ps. 128. *Et non dixerunt qui præteribant.* & 143. *Dies ejus sicut umbra prætereunt.* Matth. 20. *Audierunt quia Jesus transiret.* Joan. 9. *Et præteriēs Jesus*, &c. Ubi seducere significet in scriptura, legisse non memini. Quod si vertas decipit; bonum quidem sensum efficies, quo significetur homines falli blanda specie rerum hujus mundi: verùm sensus lectionis vulgatæ multò melius quadrat contextui.

Cælum & terra peritura quo sensu dicuntur.

Ex quo præterea intelligitur, eas scripturas quæ cœlum & terram peritura significant, *ut Psalm.* 101. *Matth.* 24. 2. *Pet.* 3. non de interitu substantiæ illorum accipienda esse, sed de qualitatum immutatione, qua fiat ut mundus quasi novam formam induat. Quod verbo significavit Hier. *super Isaiæ 65.* dicens: *figura præterit, non substantia.*

32. Volo autem vos sine solicitudine esse. Rursus exhortatio est à commodo. *Volo*, id est, velim, ut suprà, *Volo omnes vos esse sicut meipsum. Sine solicitudine*, Græcè ἀμερίμνους, quasi dicas *incurios*, id est, *solicitudinis expertes.* Ideo vos, inquit, dehortor à conjugio, ut eximam solicitudinem rerum temporalium ; quo liberius vacare possitis rebus divinis. Hanc enim solicitudinem intelligi, non autem quamcumque, sequentia declarant, in quibus duplicem solicitudinem distinguit, alteram volens à Corinthiis removere, alteram eis commendans.

Cujus solicitudinis expertes nos esse velit Apostolus.

Duplex solicitudo.

Qui sine uxore est, Solicitus est quæ Domini sunt. Confert cælibem & conjugatum inter se, quantum ad curas & studia cuique propria. *Qui sine uxore est*, Græcè ὁ ἄγαμος, id est, *cælebs*, ut referri possit ad utrumque sexum : tametsi Paulus de viro solum hic intendit loqui, statim acturus etiam de sexu muliebri. *Cælebs* legitur apud Cyprianum *tract. de hab. virg.* & *lib. 3, testim. cap. 32. Solicitus est*, Græcè μεριμνᾷ *curat.* Et est sensus : Qui caret uxore, cùm sit vacuus à curis quibus implicantur uxorati ; magnam habet oportunitatem occupandi se totum cogitatione earum rerum quæ Domini Christi sunt, id est, quæ spectant ad æternam salutem.

Quid solicitum esse quæ Domini sunt.

Quomodo placeat Deo. Græcè. *Quomodo placebit Domino*, scilicet Christo ; ut sit explicatio ejus quod dixit, *quæ Domini sunt.* Placetur autem Christo per opera pietatis. Considerat Apostolus Christum Dominum nostrum, & nos servos ejus empticios ; quorum est ea solicitè curare & agere, per quæ Domino suo placituros se sperent.

33. Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi. *Qui cum uxore est*, γαμήσας *conjugatus, uxoratus. Solicitus est*, μεμέρικε *curat.* Qui, inquit, uxorem duxit, propter matrimonium implicatur, velit nolit, curis hujus mundi, quas secum trahit matrimonii status: ut proinde non possit liberè vacare Deo.

Quomodo placeat uxori. *Placeat* Græcè *placebit.* Ut enim pax conservetur inter conjuges, necesse est ut alter alteri placere studeat, & mutuis officiis invicem obsequantur.

Et divisus est. *In multas scilicet solicitudinum partes miseriarumque distractus*, ut ait Hier. *lib. 1. contra Jovin. c. 7.* Alii sic: *Divisus est*, id est, distractus curis quasi contrariis ; dum hinc nititur curare quæ Domini sunt, quatenus Christianus est: inde cogitur curare quæ mundi sunt, quatenus est conjugatus. Ergo divisus quia duorum quasi dominorum servus, Christi & uxoris ad diversa vocantium. Nam quod vir servus sit uxoris, ut eum appellat Hier. *adversus Jovin. lib. 1. cap. 6.* constat ex superioribus. Non enim ipse sui corporis habet potestatem, sed uxor. Unde & mundo servire cogitur propter uxorem. Et hæc quidem juxta lectionem codicum Latinorum penè omnium. Sicque legunt & exponunt Pelagius, Primasius, Haimo, cæterique post eos Latini commentatores. Juxta quos etiam sequitur.

Quo ensu divisus qui uxorē habet.

Vir servus uxoris.

34. Et mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt. Quæ dixit de viro, repetit in sexu muliebri. *Cogitat.* Græcè μεριμνᾷ *curat*, quod jam semel & iterum verterat *solicitus est.* Sensus est: Mulierem innuptam, quod à curis conjugalibus libera sit, specialiter autem virginem, quæ carnis voluptatem non est experta, totam sine impedimento vacare posse ad ea quæ sunt Christi Domini. Hieron. *lib. 1. contra Jovin. cap. 7.* putat eamdem intelligi posse mulierem innuptam & virginem. Alii mulierem innuptam interpretantur viduam.

Atqui plenior est sensus quem dedimus, quemque dicto loco simpliciter probat Hieron. ut mulier innupta ad viduas etiam, & quascumque continentes extendatur. Hæc, ut antè dixi, lectio Latinorum est codicum atque interpretum. Citantque ad hunc

modum Ambroſius initio *lib. de viduis*,& Fulgentius *epiſt. 2. cap. 5. & epiſt. 3. cap. 7.* Cyprianus autem utroque loco ſuperius indicato non legit illud, *diviſus eſt*, aut *diviſa eſt*: ſed tantum, uno quidem loco; *Sic & virgo & mulier innupta cogitat quæ*,&c. Altero;*Sic & mulier & virgo innupta cogitat quæ*, &c.

Græca lectio diverſa à Latina.

Quod ad Græcorum lectionem nonnihil accedit. Etenim Græci locum hunc aliter omnino quàm Latini legunt ac diſtinguunt. Nam poſt illud, *quomodo placeat uxori*, ſic habent: *Diviſa eſt mulier & virgo. Innupta curat quæ Domini ſunt.* Quibus conſonat textus Syriacus in quo ſic legitur: *Differentia eſt inter uxorem & virginem. Ea quæ virgo non eſt cogitat quæ Domini ſunt.* Græcis codicibus ſuffragantur Græcorum omnium commentarii, (dempto Theodorito, qui partem hanc non attingit) ac præterea Baſilius *in libro de vera virg.* & inter latinos Tertull. *lib. de velandis virg. cap.* 4. Hieron. *de cuſtodia virgin. ad Euſtoch. cap. 7. & adverſ. Helvid. cap. 10.* & commentatores Ambroſiaſter & Sedulius.

Cæterùm Auguſt. *de bono viduit. cap. 2. & de bono conjug. cap. 10.* ſic legit: *Diviſa eſt mulier innupta & virgo. Quæ innupta eſt, ſolicita eſt ea quæ ſunt Domini*, &c. Quæ lectio Græcorum eſt: niſi quod priori parte additum habet *innupta*. Et tamen ſic Auguſtinum ſcripſiſſe, non autem *nupta*, quod legitur in impreſſis exemplaribus *libri de bono conjug.* conſtat ex priori loco, ubi non legit tantum *innupta*, ſed etiam exponit.

Latina lectio ſincerior.

Veruntamen *notandum* quod Hieron. alibi, id eſt, *lib. 1. contra Jovin. cap. 7.* ſcribit; hanc quidem ſuo tempore fuiſſe Latinorum codicum lectionem, quam & ipſe tractaverit alicubi: verùm alteram, quæ nunc in noſtris eſt Latinis, affirmat eſſe veritatis Apoſtolicæ. Ex quo liquet in Latinis codicib. id olim fuiſſe quod nunc eſt in Græcis, id autem quod nunc in Latinis eſt, ex Hieronimi caſtigatione nos habere: ac proinde & ipſa Græca illius temporis variaſſe. Non enim traſtulit quod in Græco non legit. Affirmat autem ſe tranſtuliſſe.

Græca lectio refellitur.

Sed nec hodie deſunt exemplaria Græca Latinis conformia. Annotat ejuſmodi duo mss. Robertus Stephanus. Tertium ex typographia Simonis Colinæi profectum an. 1534. obſervavit Franciſcus Lucas. Quin & ſequitur atque exponit hanc noſtrorum codicum lectionem catena Genevenſis, Græca lectione diſſimulata. Quæ quidem lectio, ſi quis propius attendat, inepta meritò videatur ad ſenſum quem reddunt interpretes. Quis enim vel Græcè vel Latinè ſic loquitur: Diſſidet Ariſtoteles & Plato: pro eo quod diceretur, diſſidet Ariſtoteles à Platone; aut verbo plurali, diſſident Ariſtoteles & Plato? Ita dicendum hic fuiſſet. *Diviſa eſt mulier à virgine*: juxta quam formam vertit Hentenius id quod legit in Oecumenio, *Diviſa eſt conjugata à virgine*: vel potiùs in plurali, *μεμέρισθαι εἰσι diviſæ ſunt mulier & virgo.* Nam cur Eraſmus verterit, *Diviſa ſunt hæc duo, mulier & Virgo*, quum Græcè ſit *μεμέρισται, diviſa eſt*, nec adſit ſuppoſitum plurale neutrum, quod verbo numerum ſuum communicet, ipſe viderit. Illud addo Paulum eſſe locutum more ſcripturæ, quo diviſum aliquid dicitur quia partes habet aut membra inter ſe diſſidentia, ut Matt. 12. *regnum diviſum, civitas, domus diviſa.* Similiter Marc. 3. & Luc 11. Item Act. 14. *Diviſa eſt multitudo*: & hujus epiſt. cap. 1. *Diviſus eſt Chriſtus?* licet interdum addatur *in ſe, adverſum ſe.* Sic Paulo vir uxoratus *diviſus eſt* in ſeipſo, nimirum ſtudiis actibuſque contrariis. Porrò *ſenſus* Græcæ lectionis, ut eam acceperunt Græci commentatores, & Baſilius ſuprà citatus, ejuſmodi eſt quem expreſſit verſio Syriaca: Diviſæ ſunt ac differunt inter ſe ſtudiis & curis quodammodo contrariis nupta mulier & virgo, ſeu mulier innupta. Hæc enim curat ea quæ Domini ſunt juxta ſenſum ſuperius datum,

UT SIT SANCTA CORPORE ET SPIRITU. In Græco geminatur conjunctio *& corpore & ſpiritu*: quemadmodum & in multis Latinis etiam vetuſtis. Exponit Apoſtolus quod dixit, *cogitat quæ Domini ſunt.* Hoc enim ſtudium eſt, hæc cura & cogitatio mulieris innuptæ & virginis; *ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Sancta corpore*, id eſt ut corpus habeat atque conſervet mundum à fœditate libidinis, ſine qua non eſt actus conjugalis. *Sancta ſpiritu*, ut ad mundiciem corporalem etiam animi puritas accedat, qua mulier hujuſmodi Deo propinquior, & ad ea cogitanda quæ Domini ſunt, aptior reddatur.

Innuptæ corpore & ſpiritu ſancta, potius quam nupta.

Quamvis igitur etiam mulier nupta ſuo modo poſſit ac debeat eſſe ſancta corpore & ſpiritu, dum ſe continet intra fines honeſti ac Chriſtiani matrimonii, (nam quomodo non ſancta, per quam *ſanctificatus vir infidelis?* ſuprà verſu 14.) multo tamen eminentior in muliere innupta, præſertim in virgine, ſanctitas commendatur, ut quæ prorſus aliena ſit ab opere & voluptate carnali. Qua conſideratione negat Primaſius nuptam eſſe ſanctam corpore & ſpiritu: Suo tamen modo ſanctam eſſe & corpore & ſpiritu, docet atque ex ſcripturis probat Auguſt. *lib. de bono viduitatis cap. 5. & 6.* & de *bono conjugali cap. 11.* Scripturæ ſunt: *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*, ſuprà cap. 3. *Membra* ſeu *corpora Veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt.* cap. 6. *Sic aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo, ornabant ſe ſubjectæ propriis viris.* 1. Pet. 3. Nam & eccleſia non in ſolis virginibus atque innuptis ſancta eſt, ſed in iis etiam qui caſto conjugio copulati ſunt. Notandus hic locus contra hæreticos, qui docent virginitatis ſtudium ab Apoſtolo commendari ſolùm eo nomine quod hominem expeditum reddat à curis hujus mundi; non autem quod per ſe Deo placeat.

Eccleſia ſancta etiam in conjugatis.

Obſ. contra Sectarios, ſuam virginitati laudem detrahentes.

QUÆ AUTEM NUPTA EST, COGITAT QUÆ SUNT MUNDI: QUOMODO PLACEAT VIRO. Græcè *placebit*. Hæc altera pars eſt diſcriminis; cujus ſenſus patet ex ſuperioribus. Cæterùm non ideo quis ſuſpicetur nuptias eſſe malas, quod ſecundum Apoſtolum, conjugati curare ſeu cogitare cogantur ea quæ mundi ſunt, & quomodo ſuis conjugibus placeant: Nam cogitare quæ ſunt mundi, id eſt rerum temporalium habere ſolicitudinem, non eſt malum; uti nec ſtudium placendi conjugi, dum tamen utrumque refertur ad bonum finem, illud quidem, ut liberi honeſtè ſecundum Deum educentur, hoc autem ut ſervetur pax & amor inter conjuges, & avertantur occaſiones violandi tori conjugalis; denique tam hoc quàm illud, ad Dei ſervitutem, amorem & gloriam. Quanquam ſuo genere multo melius eſt, ſimpliciter & ſine avocamentis ſæculi cogitare ea quæ Domini ſunt, & quomodo placeatur Deo: maximè cùm perdifficile ſi inter ſolicitudines domeſticas & amores conjugales animum purum, & ad ea quæ Domini ſunt intentum ſic conſervare, ut non ſæpè ſordes ex ſæculo & carne contrahat. Vide S. Auguſtinum de *bono conjugali cap.* 12.

Cogitare quæ mundi ſunt, non malum.

Cogitare quæ Domini ſunt multo melius.

35. PORRO HOC AD UTILITATEM VESTRAM DICO. Quoniam ſuperiora verba continent exhortationem ad cælibatum, nunc eam moderatur & exponit, ne videatur eſſe præcipua. Græcè ad verbum: *Hoc autem ad veſtrum ipſorum conducibile dico*, id eſt, *ad veſtram utilitatem*, ut noſter vertit. Eſt enim Paulo frequens concretum ponere pro abſtracto *Senſus autem eſt*; Quod tam ſtudiosè vobis commendo τὴν ἀγαμίαν, id non aliorſum facio, quàm ut veſtram curem ac promoveam utilitatem, nempe ſpiritualem. Hanc enim ſuperius declaravit, & ſtatim rurſus explicat.

NON UT LAQUEUM VOBIS INJICIAM. Quod facerem, ſi præcepti neceſſitate vos conſtringerem ad abſtinentiam matrimonii. Eſſet enim ejuſmodi præceptum laqueus iis qui continere non poſſunt; quia

Paulus non vult laqueũ injicere incontinentibus.

necessitate quadam impelleret eos in peccatum fornicationis; utpote prohibitos à remedio suæ incontinentiæ; id est, à conjugio. Metaphora laquei desumpta ab aucupibus.

Pulchritudo virginitatis cui turpitudini opposita.

SED AD ID QUOD HONESTUM EST. Supplenda sententia repetitione verbi superioris: Sed hoc dico vos adhortans *ad id quod honestum est*, Græcè πρὸς τὸ εὐσχήμον, *ad id quod decorum*, sive *pulchrum est*. Quo nomine pulchritudinem virginitatis oppositam turpitudini, quæ in concubitu est, indicare voluit Apostolus, ut proinde non sit necesse, quod quidam hic faciunt, positivum per comparativum exponere, *honestum*, id est honestius. Nam & membra quædam corporis propter eamdem causam ἀσχήμονα *inhonesta*, *indecora* Paulus appellat *infrà cap. 12.* Cæterùm Erasmus Hieronymum imitatus utrumque conjunxit, *quod honestum, ac decorum est*. Unde refellitur ejusdem Erasmi sententia, quam cum sectariis habet communem, in verbis Apostoli bonum virginitatis & continentiæ prædicantis, bonum accipi pro commodo. Nam genere differunt bonum, honestum & commodum,

Obs. contra Sectarios, Quale bonum Virginitas.

Varia lectio hujus loci.

ET QUOD FACULTATEM PRÆBEAT SINE IMPEDIMENTO DOMINUM OBSECRANDI. Duo postrema verba variè leguntur in exemplaribus Latinis tam mss. quàm impressis. Pleraque recentiora habent *Dominum obsecrandi*: quod sensum habet promptum & facilem, & convenientem cum eo quod suprà dixit Paulus, *ut vacetis orationi*, & quod Petrus 1. epist. 2. *ut non impediantur orationes vestræ*. Quædam verò habent, *Domino obsecrandi*. Quod Liranus sic interpretatur, *Domino obsecrandi, id est, sacrè serviendi*. Carthusianus autem, *Domino obsecrandi, id est, Deum per sacra invocandi*. Vetustiora non pauca, & in his codex Donatianus, & duo Constantienses, citante Erasmo legunt, *Domino observandi*. Atque eo modo legisse se declarat author glossæ interlinealis; dum supplet reciprocum *se*: *Domino se observandi*: licet textus illic habeat *obsecrandi*. Nam *Domino se obsecrandi* non facit sensum.

Similiter exponit Lombardus, *obsecrandi se Domino*. Nec secus Hugo Carrensis: itemque Thomas Aquinas, cujus commentarius sic habet: *Ad illud quod facultatem præbeat alicui observandi se in Domino, id est, ad servitium Domini*. Ubi tamen suspicor *in* adjectitium esse, cùm sine eo legant & exponant alii quos dixi: meliusque dativo *Domino* respondeat expositio S. Thomæ, *id est ad servitium Domini*. Pro eodem casu faciunt Græca τῷ κυρίῳ.

Quamquam sunt alii codices quos in bibliis castigandis secuti fuere Lovanienses, qui pro casu dante legant accusantem. *Dominum observandi*. Quò videtur allusisse Tertull. *lib. 2.* ad uxorem capit. 3. dicens: *Quævis fidelis mulier Dominum observet, necesse est*. Conjicit Erasmus ex eo quod in multis codicibus legitur *Domino observandi*, primam scripturam fuisse, *Domino observiendi*. Ac ita sanè legitur apud Gregorium *parte 3. curæ pastoralis admonitione* 28. in editione Basilienſi & aliis posterioribus. Sed ea lectio an sit incorrupta, multum dubito. Nam in codice Gregorii manuscripto Aquicinctensis cœnobii, qui nobis ad manum erat scribenti, legitur Domino obsecrandi: & in vetusto quodam impresso, qui nec locum nec annum habebat ascriptum, *Domino observandi*: quod facilè posteà per Erasmi conjecturam mutari potuit in *observiendi*: lectionem alioqui nullis hujus epistolæ, quod sciam, autographis probatam.

Certè vel ideò magis placere debet *observandi* quàm *observiendi* vocabulum: quod observire sit inusitatum, quo nec usquam alibi scripturæ interpres utitur, nec quisquam alius scriptor: & obsservare magis, opinor, ad Græcam vocem accedat. Si qui codices haberent *Domino deserviendi*, probari posset ea lectio ex capite 9. *Qui altari deservinnt*. Nam illic Græcè est παρεδρεύοντες, *qui assident*, Erasmus, *qui assistunt*, verbum respondens composito nomini quod hic legitur, ἡ εὐπάρεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως. Nam quod in nonnullis codicibus à Roberto Stephano signatis legitur εὐπαρέδρον, nihil diversum significat. Quod autem in aliis εὐπροσδεκτον, id est, *acceptum* minus quadrat.

Cæterùm plurimi codices habent εὐπρόσεδρον, quemadmodum & Græcos expositores legisse probant eorum commentarii. Sic autem & Hieron. legit *lib. 1. adversus Jovin. cap. 7.* ubi testatur hæc verba *in Latinis codicibus ob translationis difficultatem penitus non inveniri*: quoniam, inquit, *proprietatem Græcam Latinus sermo non explicat*: Ut hæc sit causa, cur apud antiquiores commentatores Ambro. Pelagium, Primasium, Sedulium, Haimonem, hæc pars non legatur expositа; nisi quod Sedulius, nescio quo usus interprete, tantùm habet, *ut sit frequens oratio*.

Cur hæc pars à veteribus Latinis prætermissa.

Nec putabit Augustinum legisse, qui consideret ea quæ differit de bono viduitatis *cap. 5.* Græca quidem verbotenus ita sonant, *Et benè assidens Domino indistentè*, seu *indivulsè*, & *indistractè*. Quæ Hieronymus, adjunctà parte superiori, ita transfert eodem loco: *Sed ut ad id quod honestum est* (infrà, *& decorum*,) *& intentè facit servire Domino absque ulla distractione* (pro qua paulo pòst *distentione*) *vos adhorter*. Erasmus hoc modo: *Sed ut quod honestum ac decorum est sequamini: & adhæreatis Domino absque ulla distractione*. Stapulens. concretis in abstracta mutatis sic interpretatur: *Sed ad honestatem & benam perseverantiam* sive *assistentiam immobiliter Domino præstandam*. Gaignæus Græco propiùs *assidentiam vocat*. Arbitror autem clariorem fore sententiam, si Græca suppleas verbo substantivo, sicque legas: ἡ τὸ εὐπαρέδρευτον εἶναι, &c. Tum vertere licebit ad hunc modum: *Sed ad id quod honestum est, &* (ad id quod est) *assiduum esse Domino sine distractione*.

Loci hujus explicatio germana.

Quod igitur in nostris est *sine impedimento*, hoc est, *sine distractione*: quàm multiplicem adferunt affectus & curæ conjugales. Summa est, Apostolum hortari Corinthios ad id quo facilè & expeditè queant Domino adhærere & assiduè adesse; quomodo, non sine mysterio hujus rei significandæ, Domino assidebat Maria Marthæ soror: de qua refert Lucas cap. 10. quod *sedens secus pedes Domini audiebat verbum ejus*. Similis quædam significatio est in observandi vocabulo ex interpretatione Hieron. 1. Reg. 2. *Cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi*. Quo fit ut præ cæteris magis placeat lectio *observandi* seu *Domino* seu *Dominum*. Nam qui dominum aut magistrum observat, assiduus ei est & adhærens, & perpetuò pendens ab ore vel præcipientis vel docentis.

36. SI QUIS AUTEM TURPEM SE VIDERI EXISTIMAT SUPER VIRGINE SUA QUOD SIT SUPERADULTA. Quia dixerat se hortari ad id quod honestum & decorum est; ne quis objiciat inhonestum atque indecorum haberi, quod virgo jam adulta non detur nuptui: ad id respondet, de patre seu de custode virginis loquens, hoc versu & duobus sequentibus. Hanc partem ex Græco clariùs & magis ad verbum ita reddas: *Si quis autem indecenter agere super virginem suam existimat*. Verto cum nostro interprete *se existimat*. Nam in talibus usu Græci sermonis subauditur pronomen. Quod miror Erasmum & alios quosdam interpretes non animadvertisse. Sic cap. seq. *Si quis se existimat scire aliquid*. & cap. 10. Qui *se existimat stare, videat ne cadat*. & Jacob. 1. *Si quis putat se religiosum esse*, & in fine hujus capitis, *Puto & ego Spiritum Dei me habere*. Sensus igitur est: Si quis turpe & probrosum sibi putat de filia sua virgine, quæ ætatem nubilem dudum impleverit; subaudi, quod eam non elocet viro. Solet enim vulgus obloqui, si quis illocatam servet domi filiam. Et

Virgo superadulta quæ dicatur.

Græca ſcholia de patre carnaliter adhuc ſapiente ſententiam hanc interpretantur.

ET ITA OPORTET FIERI. *Oportet*, Græcè ὀφείλει *debet*. Senſus, & ſi ita potius fieri debere putat, ut eam elocet. Quidam iſtud *oportet* exponunt ob periculum incontinentiæ virginis. Sed ſi id vellet Apoſtolus, potius diceret: ſi ſe non continet, nubat: non autem hoc quod ſequitur.

QUOD VULT FACIAT. Id eſt, liberum fit ei elocare filiam aut non elocare. Neutrum facere prohibetur. Quidam hoc modo: *Quod vult virgo, faciat cuſtos.* Sed præter mentem Apoſtoli, qui in conſequentibus manifeſtè de voluntate patris oſtendit ſe loqui. Cur autem voluntatem patris ſeu cuſtodis nominet, non virginis, infrà dicemus.

NON PECCAT SI NUBAT. Id eſt, non peccat pater, ſi eo authore nubat filia. Verumtamen hoc negativo ſermone quo dicit, *non peccat*, ſatis ſignificatur non eſſe magnum bonum nubere; ut à quo tantum Apoſtolus peccatum removeat. Notandum in Græcis & Syris codicibus, ac nonnullis etiam Latinis, abeſſe conjunctionem *ſi*. Et pro *nubat* in Græco legi verbum pluralis numeri γαμείτωσαν, quod Eraſmus vertit, *jungantur matrimonio*; Theophylacti interpres, *contrahant matrimonium*; Hentenius Oecumenii interpres, *elocent*. Et hoc rectiùs: Nam Græcum verbum activum, vel de eo dicitur qui matrimonio jungit, vel de eo qui ducit uxorem: non autem niſi rariſſimè de muliere quæ nubit. Igitur juxta hanc lectionem, qua repente mutatio fit numeri ſingularis in pluralem, *ſenſus eſt*: Parentes ſi volunt, elocent filiam ſuam in matrimonium. Atque hunc ſenſum obſervare eſt in commentario Theophylacti & Oecumenii. Sequitur nunc de patre ſeu cuſtode virginem ſervante.

Nubere non eſt magnum bonum.

37. NAM QUI STATUIT IN CORDE SUO FIRMUS. Græcè, *Qui autem ſtat firmus in corde.* Nam *ſtatuit*, id eſt, *decrevit*, ex Græco verti poſſe non arbitror. Græci quoque expoſitores *ſtat*, non *ſtatuit*, intellexerunt. Quamquam utrovis modo vertatur, ſenſus eodem redit. Qui verò, inquit, ſtabile ac firmum habet animi propoſitum, nec movetur vulgi ſermonibus, ut ſecus faciat quàm conſtituit apud ſe.

NON HABENS NECESSITATEM. Scilicet, præcepti. Nam ſuprà dixit; de virginibus ſe præceptum Domini non habere, ſed conſilium dare. Quocirca minus rectè Cajetanus & alii quidam neceſſitatem interpretantur eam qua quis ob inopiam dotis, aut deformitatem, aut aliam ſimilem ob cauſam, filiam cogitur illocatam ſervare. Eodem loco habendus eſt & ille cujuſdam commentarius: *Non habens neceſſitatem*, id eſt, qui ſervus non ſit, ut pendeat ex alterius voluntate: ſed liber, ut poſſit elocare filiam cui voluerit. Obſtat etiam hujuſmodi gloſſis id quod protinus ſubjungitur, *ſervare virginem ſuam*: quod emphaticè dici non eſt dubium.

Quæ neceſſitas hic intelligatur.

POTESTATEM AUTEM HABENS SUÆ VOLUNTATIS. Græcè. *Poteſtatem autem habet circa propriam voluntatem*: Hoc eſt, voluntatem habet à neceſſitate ſeu coactione præcepti liberam: ut poſſit ſine peccato utrumvis eligere. Etſi verò his verbis, quemadmodum & illis ſuperioribus, *Quod vult faciat*, expreſsè tantum ſignificetur libertas à præcepto: conſequenter tamen ex iis colligitur etiam libertas arbitrij, quæ in eligendo conſiſtit. Ult enim Apoſtolus ſic liberam eſſe voluntatem cujuſpiam à præcepto, ut ei liceat utrumlibet eligere, prout placuerit. Proinde rectè his ſcripturis utuntur orthodoxi adverſus hæreticos, qui liberum arbitrium hominibus adimunt.

Obſ. contra Sectarios, Libertatem arbitrii ſtatui ex hoc loco.

Simul *notandum*, utrobique in voluntate patris etiam intelligi voluntatem filiæ, ſine qua conſtare non poſſet ejus matrimonium. Solum autem patrem nominavit, quia ſolent honeſtæ puellæ negotium ſui matrimonii parentibus relinquere, ſeque quod ad hanc rem pertinet, eorum voluntati conſentiendo permittere. Qua tamen in re prudentes illos eſſe oportet: ut ut de filia nihil ſtatuant, niſi priùs benè perſpecta ejus voluntate ac propenſione. Nam revera parentum iſta libertas, ſive poteſtas de qua hîc loquitur Apoſtolus, à voluntate filiæ dependet.

In voluntate patris intelligitur voluntas filiæ.

ET HOC JUDICAVIT IN CORDE SUO. Id eſt, maturo judicio apud ſe decrevit ac ſtatuit hoc quod ſequitur.

SERVARE VIRGINEM SUAM. *Servare*, Græcè τὸ τηρεῖν *ut ſervet*. Subauditur enim ἕνεκα cauſale. Itaque non tantùm objectum decreti, ſed & finis conſilii paterni ſignificatur. Is eſt, *ut ſervet ſuam virginem* cogitantem *quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu*: ſicut dictum eſt ſuprà.

BENE FACIT. Hoc ad diſtinctionem patris elocantis filiam: de quo tantum dixerat, *non peccat*. Sed quoniam in humanis actionibus omne quod non eſt peccatum, benè fit, ut annotant Theophylactus & Oecumenius; ac proinde & qui elocat filiam ſuam, ſi non peccat, bene facit: idcircò Paulus ſequentibus verbis apertum profert diſcrimen inter elocantem & non elocantem.

Nullus actus humanus indifferens.

38. IGITUR ET QUI MATRIMONIO JUNGIT VIRGINEM SUAM, BENE FACIT. Græcè tantum eſt: *Itaque qui elocat nuptui, bene facit.* Interpres, ut plena eſſet oratio *virginem ſuam* adjecit, non de ſuo, ſed ex parte præcedenti. Senſus eſt: eum qui filiam ſuam elocat in matrimonium, rem bonam facere. Bonam intellige, non ſolum ratione finis quem ex eo opere intendit & conſequitur pater, dum id agens conſulit pudicitiæ & ſaluti filiæ ſuæ, ac ſuæ famæ: qua ratione dictum eſt ab Eccleſiaſtico cap. 7. *Trade filiam, & grande opus feceris.* Verùm bonam ex natura operis; quia matrimonium res ſecundum ſe bona eſt, inſtitutionem habens à Deo.

Matrimonium res objecto bona.

ET QUI NON JUNGIT, MELIUS FACIT. Græcè, *Qui verò non elocat nuptui, melius facit*, id eſt, rem facit meliorem & præſtantiorem, ſcilicet genere ſuo. Ratio patet ex ſuperioribus. Et vim habet conſilii quod dicit, *melius facit*; ut annotant commentatores. Dixi *bene* & *melius* intelligenda quantum ad naturam & genus operis: Alioqui, contingit interdum ex aliis cauſis & adjacentibus hanc comparationem non eſſe perpetuam. Imò poterit utrumlibet opus ex fine vel alia circumſtantia vitiari, tam à parte filiæ, quàm patris. Quod enim dicit Apoſtolus de patre elocante filiam, *bene facit*: & non elocante, *melius facit*; id totum pari ratione intellige de ipſa filia nubente, vel non nubente; ac generatim de viris & feminis contrahentibus matrimonium, vel ab eo abſtinentibus; cum exceptione tamen eorum qui ſemel ad continentiam ſponte ſeſe voto, aut lege ſuſcepta aſtrinxerunt: qui profectò ſi nuptias appetant, non benè faciunt, ſed prævaricationis rei ſunt, aut etiam perfidiæ in Deum, ac ſacrilegij crimen incurrunt: quemadmodum annotavimus ad illud: *Quod ſi non ſe continent, nubant.*

Continentia melior.

Hæc comparatio quomodo accipienda.

Ex hoc loco, ſimul ex toto ſuperiori contextu palam deſtruitur error hæreticorum noſtri temporis, qui vetus Joviniani dogma renovantes, conjugium æquant virginitati. Refellitur item commentarius, quo bonum *in hoc capite* interpretantur commodum, quod moleſto opponitur. Hoc enim pacto conjugium erit malum, utpote res moleſtiarum plena. Atqui dicit Apoſtolus, eum bene facere qui matrimonio jungit filiam ſuam: ſed melius, qui non jungit. Non ergo bonum intelligit commodum. Sic enim non benè; ſed malè faceret, qui filiam matrimonio jungeret, ut qui multis eam incommodis quæ in matrimonio ſunt, objiceret. Quare conſequens eſt intelligi bonum morale, & in eo quod dicit *bene*, & in eo quod dicit *melius*. Sequitur doctrina de ſecundis nuptiis.

Obſ. contra Sectarios, Qui conjugium æquant virginitati. Item malè bonum per commodum exponunt.

39. MULIER ALLIGATA EST LEGI. Græcè, δέδεται νόμῳ, *ligata est legi*, vel potiùs *lege*, scilicet, matrimonij, ut discedere à suo viro & alii nubere non possit. Quæ interpretatio magis placet propter locum similem, *Rom.* 7. qui sicut in Græco legitur, hujusmodi interpretationem planè videtur exigere, quemadmodum illic ostendimus: ubi & illud expositum est, quam legem Paulus intelligat: eam nimirum quæ continetur his verbis: *Relinquet homo patrem suum & matrem: & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Sciendum tamen illud *legi* à multis veteribus præsertim Latinis non legi. Tertull. *lib. de monog. cap.* 11. & Cyprianus *lib.* 3. *testim. cap.* 62 citant hoc modo: *Mulier vincta est quandiu* vel *quantum temporis vivit vir ejus.* Æquè non agnoscunt Hieron. *lib.* 1. contra Jovinian. *cap.* 8. & in apolog. *cap.* 2. Augustin. *de bono viduitat. cap.* 4. & 12, & *lib.* 2. *de adult. conjug. cap.* 3. & 4.

Nec legisse videntur commentatores Ambr. Pelagius, Primasius, Sedulius & Carthusianus: quia non exponunt: licet textui apud illos, excepto Primasio & Carthusiano, insertum sit. His accedit ex Græcis Basilius *lib. de vera virgin.* & codex Apostoli Græcus Vaticanus miræ antiquitatis, teste Mariano *in scholiis super Hieron.* Huc denique facit antithesis Apostoli, *ligata est, liberata est.* Quam & Hieronymus attendit in epistola ad Ageruchiam, *cap.* 3. dicens: *Vivente viro mulier alligata est, mortuo soluta.* Sanè fieri potuit ut ea dictio *legi*, tam in Græcis quam in Latinis codicibus huc transcriberetur ex loco simili quem dixi, *Rom.* 7. Sensus autem clarus est: mulierem ligatam esse vinculo conjugij.

Conjugium insolubile vivente utroque conjuge.

QUANTO TEMPORE VIR EJUS VIVIT. Pro quo Rom. 7. *vivente viro*, sive, ut est Græcè: *viventi viro.* Ex utroque autem loco rectè docent Theologi, insolubile esse matrimonium utroque conjuge vivente. Idque ex professo tradit, hac potissimum utens scriptura, Chrysost. *in serm. de libello repudii.* Intellige verò dictum Apostoli, extra casum quem ipse dudum excipit illis verbis, *Quod si infidelis discedit, discedat. Non enim servituti subjectus est*, &c. Et quia de matrimoniis consummatis Apostolo sermo est, nihil quoque jus doctrinæ obstat dissolutio matrimonii inconsummati, quæ fit in ecclesia per religionis ingressum alterius conjugum, uti declaravimus ad dictum locum Rom. 7.

Dormire de solis hominibus mortuis dicitur, ob spem resurrectionis.

QUOD SI DORMIERIT VIR EJUS. Græcè, *Si autem & dormierit*, &c. Verum & redundare videtur. Qui pleonasmus Paulo non infrequens. *Dormierit*, id est, mortuus fuerit, ut exponitur *Rom.* 7. Observandum est de solis hominibus mortuis dicere scripturam tam veteris quàm novi testamenti, quod dormiant; propter spem resurrectionis. Nam de brutis animantibus nihil usquam tale legitur. Nec verò in hac locutione nudus charientismus est, velut cum puerum pro servo dicunt scripturæ: sed mysterii significatio. Cujus indicium, quod hæc phrasis sit propria fidelium, id est, eorum qui credunt mortuorum resurrectionem.

LIBERATA EST; CUI VULT NUBAT. Græcè, *Libera est cui vult nubere*, id est, nubendum cui voluerit; & ut legit Cyprianus, *ut cui vult nubat.* Atque eam lectionem Græcam urget Chrysostomus sermone jam citato, dicens Apostolum dixisse, *nubat*; sed, *libera est cui voluerit ut nubat.* Porrò *libera est* legunt etiam Latini, Tertull. *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 2. Hieron. *lib.* 1. *contra Jovin. cap.* 8. & commentator Ambr. Quibus & Augustinus accedit, quatenus pro *libera est*, legit, *in potestate habet*, lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 25. Quod autem in multis codicibus cum addito legitur, *liberata est à lege*: quamvis id Lombardus, Hervæus, & alii posteriores etiam exponant: meliora tamen exemplaria Græcis & Syris consentanea, quibus etiam vult Carthusianus, probant adjecticium esse: videlicet huc ascripum, ut opinor, imitatione ejus quod *Rom.* 7. dicitur, *soluta est à lege viri.*

Secundæ & ulteriores nuptiæ licitæ.

Locus hic manifestus pro secundis & ulterioribus nuptiis, adversus veteres hæreticos Cataphrygas ac Novatianos, & eorum astipulatorem Tertullianum; qui nuptias omnes post primas damnarunt. Rectè etiam ex Apostoli verbis: *Quod si dormierit vir ejus, liberata est*: inferunt Aquinas & Carthusianus, non teneri mulierem ad recipiendum virum à morte resuscitatum.

Nota;

Tantum in Domino nubere quid sit.

TANTUM IN DOMINO. Hoc variè patres exponunt. Græci isto ferè modo: *Tantum in Domino*, id est, secundum legem Dei, quæ præcipit ut cum temperantia & suscipiendæ prolis studio matrimonium contrahatur; non ex impetu libidinis. August. *loco proximè citato* duas alias adfert expositiones, ut *tantum in Domino*, scilicet Christo, sic intelligatur; *aut Christiana permanens, aut Christiano nubens.* Christiana permanens, id est, Christi religionem occasione novi conjugij non deserens. Christiano nubens, non infideli: ne sit impar conjugium. Quarum tamen expositionum priorem sibi magis placere significat ibidem Augustinus, dum ita subjungit: *Non enim tempore revelati testamenti novi, in evangelio, vel ullis Apostolicis literis sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrùm Dominus prohibuerit fideles infidelibus jungi.* Quibus similia scribit, *libro de fide & oper. cap.* 19.

Christiana non nubat nisi Christiano.

Verùm posteriorem expositionem plurimi probant: ut dictum sit, *nubat in Domino*, id est, viro Christiano: quomodo dixit idem Apostolus 2. *Cor.* 12. *Scio hominem in Christo*, id est, hominem Christianum. Ita locum hunc intellexerunt Tertull. *lib.* 2. *ad uxorem, cap.* 1. & 2. *de monog. cap.* 7. & 11. & *adverſ. Marc. lib.* 5. *capit* 7. Cyprian. *lib.* 3. *testim. ad Quirinum cap.* 62. Hiero. *lib.* 1. *contra Jovin. capit.* 5. & *in epist. ad Ageruchiam cap.* 2. ac prætereà commentatores Ambros. Pelagius, Sedulius, Haimo, Lombardus, Hervæus, ac cæteri Latini: & inter Græcos Theodoritus. Quin & Augustinus *loco memoræto* pro hoc sensu tamquam probabili Cyprianum allegat affirmantem, quod *jungere cum infidelibus vinculum matrimonii*, sit *prostituere gentilibus membra Christi.* Quod apud illum legitur *in serm. de lapsis*: & ab Hieronymo similibus verbis repetitur, *adverſ. Jovin.*

Nuptiæ fidelium cum infidelibus prohibitæ:

Proinde scripturam hanc meritò proferunt Theologi, qua doceant illicitas esse, ac lege sive divina, sive Apostolica prohibitas nuptias fidelium cum infidelibus: adjuncto præsertim & altero loco ejusdem Apostoli in 2. epist. cap. 6. ita præcipientis: *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Nam quod de secundis nuptiis hîc dicitur, id pari ratione de primis fidelium nuptiis intelligi debere, nulli dubium esse potest. *Qui enim*, ait Hieronymus, *secundas, tertiasque nuptias concedit* dumtaxat *in Domino*, utique *primas cum ethnico prohibet.*

Exempla quædam in contrarium excusantur.

Si quis objiciat exempla sanctarum feminarum Monicæ matris S. Augustini, Clothildis reginæ Francorum, & aliarum, quæ Christianæ cùm essent, viris nupserunt ethnicis: *Respondeo* factum id partim ignorantia legis, eaque probabili; quando & ipse Augustinus de ea dubitavit; præsertim cùm negotium sui conjugii parentibus ex more & honestate committerent filiæ: partim ipsius legis interpretatione, certis casibus non obligantis; quod exemplis sanctorum virorum & mulierum veteris testamenti, qui conjuges acceperunt infideles, ostendere promptum est.

Quomodo beatior vidua contineus.

40. BEATIOR AUTEM ERIT, SI SIC PERMANSERIT. Græcè; *Beatior autem si sic maneat. Sic*, id est, sine viro. Sic manentem beatiorem vocat, non ob præsentis vitæ commoditatem, quia molestiis con-

jugij careat, ut vult Erasmus in *annotat.* quod tamen in paraphrasi quadamtenus corrigit, Apostolum ita faciens loquentem, *Feliciorem arbitror, quæ studio vacandi Christo tuetur redditam libertatem*: sed ea beatitudine hujus vitæ quam scriptura passim commendat, & quæ propriè ad Christi beneficia pertinet: quomodo *beati* dicuntur *pauperes spiritu*, & *mundo corde*, &c. *Matth.* 5. nimirum beatitudine spirituali inchoata, & promovente ad illam quæ in futuro sæculo perficienda speratur. Beatior ergo vidua si sic maneat; quia non jam cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro; sed per continentiam vidualem à carnali voluptate remota, Deo se propiùs applicat, servitque liberiùs & expeditiùs. Hinc igitur constat vidualem castitatem conjugali potiorem esse, & majoris apud Deum meriti.

Vidualis castitas potior conjugali.

SECUNDUM MEUM CONSILIUM. Græcè γνώμην *sententiam.* Hoc non est referendum ad illud *beatiorerit*: sed ad verba proxima, *si sic permanserit.* Nam & suprà dixit se consilium dare virginibus, ut sic permaneant: atque eodem nunc respicit. Itaque *sensus est*: si maneat sine viro: quomodo manendum ego censeo & consulo; & jam antè consului, quando de virginibus agebam.

PUTO AUTEM QUOD ET EGO SPIRITUM DEI HABEAM. *Puto* Græce δοκῶ *opinor*; *mihi videor & ego spiritum Dei habere.* Minus dicit plus volens intelligi; velut si pater filio parum morigero dicat: Puto me patrem tuum esse, cui debeas obedire. Sæpè loquitur ad hunc modum Paulus modestiæ causa, & ut arrogantiæ speciem vitet. Ita suprà vers. 26. *Existimo hoc bonum esse*, & cap. 4. *Puto* (δοκῶ) *quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit*, &c. Sensus est: Existimo sanè me quoque, perinde ut alios Christi Apostolos, spiritum Dei habere, quo possim bona & sancta consilia fidelibus suggerere. Quod dico, ne quis hoc meum consilium parui-pendat. Sunt qui illud *& ego* dictum putent propter pseudapostolos, qui sibi Paulo contempto, Spiritum Dei vendicabant. Sed priorem sensum arbitror veriorem. Nam cum veris Christi Apostolis sese confert etiam infrà, atque ex professo cap. 9.

Quomodo Paulus de re certa dicat puto.

CAPUT VIII.

1. DE iis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat. 2. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oportet eum scire. 3. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. 4. De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus. 5. Nam etsi sunt qui dicantur dij, sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dij multi, domini multi:) 6. nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus-Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. 7. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. 8. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim, si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus. 9. Videte autem, ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. 10. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? 11. Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. 12. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. 13. Quapropter esca si scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

Rom. 14. *v.* 19

Rom. 14. *v.* 21.

SUMMARIUM.

REprehendit eos qui quod scirent idolum nihil esse, promiscuè etiam cum offendiculo fratrum infirmiorum, cibos edebant immolaticios: admonens eos ne sua scientia ad fratrum pernicem abutantur.

DE IIS AUTEM QUÆ IDOLIS SACRIFICANTUR. Transit ad reprehensionem & instructionem quorumdam qui freti scientia quam de idolis atque idolothytis habebant, passim etiam coram infirmis fratribus utebantur licentia vescendi immolatis. Nam & de his verisimile est Apostolum à Corinthiis fuisse consultum. Græcè περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων *De idolothytis autem.* Qua composita voce significantur ea quæ idolis immolata sunt, id est, carnes immolatitiæ: tanquam si dicat: Quod autem attinet ad immolaticia: Vel, cohærenter cum sequentibus: De immolaticiis autem.

SCIMUS QUIA OMNES SCIENTIAM HABEMUS. Quam scientiam? Postea propositionem absoluit, quadam parenthesi necessariæ admonitionis interim suspensam, quando repetit & dicit, *De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo*, &c. Sed quomodo omnes; cùm ipse Paulus post pauca affirmet, *non in omnibus* esse scientiam? Quod & confirmant sequentia de infirmis, quorum ob scientiæ defectum conscientia polluebatur edendis idolothytis. Dicendum est Apostolum loqui in persona eorum qui inter Christianos doctiores atque intelligentiores erant; quos alibi vocat spirituales, perfectos magistros, &c. De quibus plura diximus suprà cap. 3. Hos enim toto capite alloquitur; & ad eos significandos usus est verbo primæ personæ, *habemus*; quomodo & Rom. 15. dicit, *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.*

Sensus igitur est: Scimus qui perfectiores sumus, ac plenius in religione Christiana instituti, nos omnes scientiam habere; nec vos aggredior docere tanquam scientiæ expertes: sed tamen admonendi estis ut scientia benè & prudenter utamini. Porrò scientiam vocat, etsi de iis esset quæ fides Christiana tradit tenenda, ut, omnem creaturam Dei bonam esse, nihil in ea esse per se immundum, idolum nihil esse: quæ talia sunt, quæ etiam naturalis ratio dictat esse verissima. Sic Rom. 14. *Scio & confido quia nihil commune*, &c. Quare ex hoc loco & ex sequentibus satis intelligitur, ejusdem esse posse in eodem homine scientiam & fidem, ut fuit in Paulo & aliis perfectis. Id jam admonuimus ad *dictum locum epist. ad Rom.*

Scientia & fides ejusdem in eodem esse potest.

SCIENTIA INFLAT. Generali sententia doctos admonet, quàm nihil ipsis prosit scientiam habere, imò quàm sit eis damnosa scientia; si non utantur ut oportet. Scientia inflat, id, facilè extollit hominem in superbiam: non quidem natura sua, cùm omnis scientia sit à Deo, quo authore nemo potest superbire: sed accipienda est hæc scriptura, quomodo multæ aliæ; *Litera occidit*, 2. Corinth. 3. *Luxuriosa res vinum*, Proverb. 10. *Fallacia divitiarum*, Matth. 13. Dicuntur enim hujusmodi res tales aut talium malorum causæ, non propriè, nec suo vitio: sed per modum occasionis, propter ejus qui habet aut utitur, ad mala propensam voluntatem: quemadmodum & dici à quibusdam solet, astra, homines inclinare ad hæc aut illa vitia; nempe propter concupiscentiæ corruptionem, quæ facilè occasione qualitatum & affectionum corpori forinsecus impressarum, excitatur ad actus respondentes. Vide quæ commentamur ad illud Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Scientia inflat quo sensu.

Astra quo sensu dicantur inclinare.

Quidam de sola humana scientia, qualis est grammatica, physica, mathematica, dictum Apostoli exponunt; sed malè: nam scientia quam perfectiores habebant de idolothytis, non omninò humana erat; sed pars quædam doctrinæ Christianæ. Sed & de scientia purè revelata alibi similiter Apostolus lo-

Inflat scientia, non solum humana, sed & revelata.

quitur ; ut 2. Cor. 12. *Ne magnitudo revelationum extollat me.* Generaliter ergo loquitur de ſcientia : ſed eam conſiderat ſolam & ſine charitate. Sic enim inflat ; quomodo & litera ſine ſpiritu occidit, 2. *Cor.* 3. Et lex auget prævaricationem ſine gratia, *Rom.* 5. & caro ſine ſpiritu nihil prodeſt, *Joan.* 6.

Ad hunc modum Apoſtoli ſententiam paſſim exponit Auguſtinus, *ut tract.* 27. *in Joan. lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 19. & plenius contra duas *epiſt. Pelagian. lib.* 4. *capit.* 5. *& aliis locis* à Beda collectis. Item Leo Papa, *erm. in natali ſeptem Machabæor.* & ante eum Cœleſtinus *in e iſtola ad epiſcopos Galliæ, cap.* 10. verbis ex Concilio Milevitano citatis, quod ab eo Carthaginenſe vocatur. Quin ipſe Paulus ita ſemetipſum interpretatur *infrà cap* 13. quum docet nec linguas, nec prophetiam, nec omnium myſteriorum notitiam, nec omnem ſcientiam, nec fidem montes transferentem prodeſſe quicquam ei, qui charitatem non habeat. Quem ſenſum ut ſignificet, etiam hic adjungit.

Quid ædificare.

CHARITAS VERO ÆDIFICAT. Hoc eſt : charitas facit, ut homo non contentus ſuo bono, ſtudeat bono communi, id eſt, proximorum etiam ſaluti. Id enim eſt ædificare, proximos ad ſalutem promovere, cui è contrario opponitur ſcandali peccatum, quo proximus deſtruitur, hoc eſt, damno ſalutis afficitur. Hinc collige eos qui ita quærunt ſalutem propriam, ut de proximo non curent, non habere charitatem, ſed fallere ſeipſos. Quod ad metaphoram ædificandi jam declaratam attinet, ea Paulo familiaris eſt, ac penè propria : quam videri poteſt accepiſſe ex ſcriptura veteris teſtamenti : in qua ſimili tropo ædificare dicuntur, qui rem publicam aut domeſticam augent, promovent, illuſtrem reddunt : ut Deuter. 25. *Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris ſui.* Ruth. 4. de Rachel & Lia, *Quæ ædificaverunt domum Iſraël.* Prov. 14. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam.* Cujuſmodi phraſis & Deo tribuitur, ut Exod. 1. *Quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos.* 1. Reg. 2. de Sadoc ſacerdote, *Et ædificabo ei domum fidelem.* Pſal. 27. *Deſtrues illos, & non ædificabis eos.*

Ædificandi metaphora Paulo familiaris, & unde accepta.

Charitas ædificat etiam ſine ſcientia.

Porrò non eſt hic viciſſim intelligenda charitas, ſine ſcientia ; ſicut in membro priori, ſcientia ſine charitate : ſed charitas ſimpliciter, ſive ſcientiam conjunctam habeat, ſive non. Nam charitatem ſecum non trahit : charitas autem quia vult conſulere proximo, trahit ſecum ſcientiam, vel certè ſtudium ſcientiæ, ſaltem ubi res poſtulat. Ita ſacrificium offerri poteſt ſine obedientia, quemadmodum fecit Saul, 1. *Reg.* 13. *&* 15. At obedientia non eſt ſine ſacrificio, quando illud Deus ſibi offerri præcipit. Eodem modo lex eſſe poteſt ſine gratia ; verùm gratia non eſt ſine lege ; quin potius ad hoc gratia datur ut lex impleatur. Similiter exiſtimandum de litera & ſpiritu. Nam in litera lex intelligitur, in ſpiritu gratia.

Nota, Scientias non fugiendas ſtudio humilitatis.

Patet ex his, quàm ſtultè errent, qui, quaſi ſtudio humilitatis, ſcientias fugiunt, ne in ſuperbiam extollantur. De quibus Auguſtinus in enarr. Pſal. 130. *Sunt*, inquit, *quidam homines qui cùm audierint, quia humiles eſſe debent, dimittunt ſe, nihil volunt diſcere, putantes quia ſi aliquid didicerint, ſuperbi erunt ; & remanent in ſolo lacte. Quos reprehendit ſcriptura dicens: Et facti eſtis opus habentes lacte, non ſolido cibo*; &c. & concludit : *Ergo non debet homo extollere cor ſuum in ſuperbiam : ſed debet elevare in Doctrinam verbi Dei.* Sic ille.

2. SI QUIS AUTEM SE EXISTIMAT SCIRE ALIQUID. Inutilem oſtendit ſcientiam inflantem. In Græco non additur, *ſe*, & verti poterat hoc modo : *Si quis autem videtur* (δοκεῖ) *ſcire aliquid.* Verùm rectiùs, ac pro exigentia textus, ſupplent interpretes ſententiam reciproco pronomine, quod ex conſuetudine linguæ Græcæ ſubintelligitur ; *Si quis exiſtmat, ſibi videtur*, &c. quemadmodum & Galat. 6. *Si quis exiſtimat aliquid eſſe.* Vide quæ annotavimus ad illud capitis ſuperioris : *Si quis turpem ſe videri exiſtimat.*

Dicit ergo Paulus ; Si quis ſe putat aliquid ſcire, vel quod ad idolothyta pertineat, vel in genere de iis quæ ſunt religionis Chriſtianæ ; id eſt, Si quis ſibi placet in hac ſua ſcientia, & in ea tamquam bono ſuo acquieſcit, non referens eam ad aliorum utilitatem, ſed quomodocumque cupiens eam oſtentare : ſequitur ;

NONDUM COGNOVIT QUEMADMODUM OPORTEAT EUM SCIRE. Græcè, *Nondum quicquam novit ſicut oportet noſſe* Nam illud *eum* nec commentator Ambr. legit. Additum videri poteſt, quod putaretur ſenſui deeſſe. Porrò geminatur quidem in Græco negatio, *nondum nihil novit* : ſed ea fortius negat ; ut ſenſus ſit : Haudquaquam adhuc is pervénit ad illam ſcientiæ perfectionem earum rerum quas novit, quam oportet habere ; nondum ſcit eo modo quo ſcire oportet. Modus ille & perfectio eſt, ut ſcientiam habeat cum charitate, id eſt, ut utatur ſcientia ad proximorum ædificationem. Sic enim fiet, ut per ſcientiam charitas ædificet.

De modo ſciendi verba S. Bernardi valde notanda.

Vide quæ de modo ſciendi ſcribit S. Bernardus hunc Apoſtoli locum tractans, *ſermone* 36. *ſuper Cantica.* Cujus verba quia multum ædificant, haud piguit S. Thomam contracta nonnihil, inferere ſuo commentario. Nec certè nos pigebit eadem huc aſſcribere. *Non approbat Apoſtolus*, inquit, *multa ſcientem, ſi modum ſciendi neſcierit. Dicit autem modum ſciendi, ut ſciat quo ordine, quo ſtudio, quo fine ſcire quæque oporteat. Quo ordine*; *ut id prius quod maturius ad ſalutem. Quo ſtudio, ut id ardentius quod vehementius eſt ad amorem Quo fine* : *ut non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, aut aliquid ſimile : ſed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui ſcire volunt eo fine tantum ut ſciant* : *& turpis curioſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt ut ſciantur ipſi : & turpis vanitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt ut ſcientiam ſuam vendant : & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quoque qui ſcire volunt ut ædificent : & charitas eſt Et item qui ſcire volunt ut ædificentur : & prudentia eſt. Horum omnium ſoli ultimi duo non inveniuntur in abuſione ſcientiæ ; quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut benè faciant.* Hæc Bernardus. Igitur de charitate ædificante, quæ præſtat ut ædificet & ipſa ſcientia, nunc ſequitur :

3. SI QUIS AUTEM DILIGIT DEUM, HIC COGNITUS EST AB EO. Hoc eſt : Si quis habet charitatem qua diligat Deum, & conſequenter proximum, ſtudens ſcientiam ſuam cæteraſque dotes divinitus acceptas, conferre ad Dei gloriam & fratrum utilitatem ; hic demum aut dumtaxat cognitus eſt à Deo, id eſt, à Deo dilectus, ac Deo placens ; cùm prior ille in ſua ſententia ſibi, non Deo placeat. Significatur enim notitia approbationis, ut & infrà cap. 13. *Tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* & Galat. 4. *Cùm cognoveritis Deum, imò cogniti ſitis à Deo.* Sic enim & hoc loco ſentit, eum qui ſcientiæ ſuæ charitatem conjungit, non ſolum cognoſcere Deum, ſed etiam cognitum eſſe à Deo ; cùm is qui ſcientiam habet ſine charitate, Deum quidem & res divinas cognoſcat, non tamen viciſſim à Deo cognoſcatur aut cognitus ſit : ſed cum malis Prophetis & miraculariis auditurus ſit à Domino, *Nunquam novi vos*, Matth. 7. *Notandum* eſt enim, Paulum non dicere, cognoſcitur ab eo, quomodo dixerat *diligit Deum*, præſentis temporis verbo : ſed *cognitus eſt* ; utique ad commendandam gratiam Dei prævenientem, ipſamque adeò prædeſtinationem æternam, quæ cauſa eſt ut homo Deum in tempore diligat : ac ſi dicat : Si quis Deum diligit, ideò diligit, quia cognitus eſt à Deo ; id eſt, ad hoc præcognitus, prædilectus ac prædeſtinatus. Quidam illud *cognitus eſt ab eo*, ſic interpretatur

Quid eſſe cognitum à Deo.

Gratia Dei prævenientis.

tatur, cognitione donatus : at minus rectè. Nam & qui ſcire ſe exiſtimat, iſto ſenſu cognitus eſt à Deo, id eſt, ſcientia ab eo donatus.

4. De escis autem quæ idolis immolantur. Redit ad declarandam ſcientiam quam habebant doctiores de idolothytis. Græcè ſic eſt: *De eſu igitur idolothytorum*, id eſt, quod attinet ad eſum eorum quæ idolis & omninò falſis diis immolata ſunt.

Scimus quia nihil est idolum in mundo. Poſſet etiam verti : *Scimus quòd nullum eſt idolum in mundo*, Sed rectiùs *nihil*, ut opponatur ei quod eſt *aliquid*, juxta id quod infrà cap. 10. negatur idolum & idolis immolatum eſſe aliquid. Atque ita legit etiam Tertull. *lib. contra Marc. cap.* 7. vertitque Irenæi interpres, *lib. 3. cap. 6.* Quo ſenſu idolum in mundo nihil eſſe dicatur, variæ opiniones, quas commemorat Hugo Victorinus, *quæſt.* 72. Nobis maximè probatur hic ſenſus : idolum nihil eſſe in mundo, quia quamvis idolum, ſi ſpectes materiam, figuram, colores & lineamenta, ſit aliquid, non tamen formaliter & quatenus idolum ; quia nihil eſt in genere ſigni relati ad rem ſignificatam ; quippe cùm res quæ per idolũ ſignificatur nulla ſit. Nam etſi exſiſtant in rerum natura ſol, luna, ſtellæ, vitulus, hircus, talpa, canis, & hujuſmodi plurima quæ ſtulta gentilitas coluit pro diis : etſi quoque fuerint olim homines, Saturnus, Jupiter, Juno, Venus, atque alii quos ethnici in Deos retulerunt : non tamen illi revera dii ſunt aut fuerunt umquam.

Idolum quo ſenſu nihil in mundo.

Quocirca veriſſimè dicitur idolum in mundo nihil eſſe, veluti nomen ſine re: quia res quæ per illud ſignificatur ut Deus, nuſquam eſt aut fuit in rerum natura; ſed merum eſt humani cordis figmentum. Non igitur repugnat huic ſententiæ quod ait Pſalmographus: *Omnes dii Gentium dæmonia*, Pſal. 95. Nam Gentes dæmonia non colebant ut dæmonia, id eſt, ut malos ſpiritus quales verè ſunt; ſed ut Deos ac divina virtute præditos, cujuſmodi revera non ſunt. Quamquam idem illud Pſalmi hemiſtichium, ut in Hebræo legitur, planè facit ad illuſtrandam hanc Apoſtoli ſententiam. Sic enim habet : *Omnes dij populorum vana*, Hebraicè אֱלִילִים *elilim*. Quo nomine in ea lingua ſignificari ſolent idola Gentium, ut *Levit.* 19. & 26. & *Habac.* 2. eò quod vana ſint & mendacia, videlicet hoc ſignificantia quod non eſt. Unde & idolum mendacium vocatur Iſa. 44. *Neque dicet*, inquit, *fortè mendacium eſt in dextera mea.* Quin & ipſos idolorum fabricatores ibidem Propheta nihil eſſe pronunciat dicens, *Plaſtæ idoli omnes nihil ſunt*, Hebraicè תֹהוּ *thohu*, id eſt, *inanitas*, nempe ſecundum illud Pſal. 113. *Similes illis fiant qui faciunt ea.*

Dii Gentium dæmonia.

Idolum quid.

Porrò idolum εἴδωλον vox eſt à LXX. interpretibus uſurpata, non pro quocumque ſimulacro vel imagine, ſed pro eo peculiariter, quo falſum numen repreſentatur, ſive res cui divinitas affigitur, exſiſtat, ſive non; tametſi vulgatus interpres, quod proprium deſit vocabulum Latinum, plerumque generali nomine vertat ſimulacrum. Jam ex eo quod ſcitur idolum nihil eſſe in mundo, relinquit intelligendum Apoſtolus illud etiam ſciri, quod affirmat *infra cap.* 10. idolothytum nihil eſſe; quatenus ſcilicet idolo conſecratum aut immolatum eſt; ut ab eo poſſit immutationem aliquam ſuſcipere vel in melius vel in deterius. Quare ut ſanctificare edentem non poterat, ita nec contaminare. Atque hæc erat ſcientia qua inflati quidam apud Corinthios, idolothyta liberè edebant, etiam coram infirmis. Porrò ſicut idolum nihil eſt, ita & omne illud quod pro Deo colitur, & non eſt Deus, pari ratione nihil eſt.

Et quod nullus est Deus nisi unus. In Græco poſt *Deus* additur ἕτερος *alter*, ſive *alius*, Atticè. Et illud ſcimus, inquit, nullum alium eſſe Deum, præter unum verum Deum. Hæc pars rationem continet ſuperioris, & quoad rem & quoad ſcientiam. Nam ſi unus tantum eſt Deus, igitur nihil eſt idolum; ut puta ad hoc effectum, ut alium Deum repræſentet. Et ſi ſcimus unum tantùm eſſe Deum, proclive etiam nobis eſt ſcire, idolum nihil eſſe, ſenſu priùs allato. Similis ratio de omni falſo Deo.

5. Nam et si sunt qui dicantur dii. Quædam occupatio eſt in his verbis : Nam unitati Dei quam aſſeruit, obſtare videbatur multitudo Deorum ubique recepta; quibus ſaltem aliquid numinis tribuendum eſſet : ut proinde non omninò nihil in mundo dici debeat idolum : ex quo deinde conſequens ſit, etiam idolothytum non ita prorſus virtute vacuum eſſe, ut edentem nullatenus afficiat. *Qui dicantur dij*, Græcè, λεγόμενοι θεοί, *qui dicuntur, vocantur dij*, ſcilicet ab hominibus à veri Dei notitia alienis : id eſt, dij nomine & appellatione, non veritate.

Sive in cælo sive in terra. Vel *ſuper terram.* Græcè ἐπὶ τῆς γῆς. Referenda hæc partitio ad verbum *ſunt*, non ad *dicantur.* Erant enim Gentilibus dii cæleſtes & terreſtres; ſub quibus etiam dii marini & inferni comprehenduntur. Tot enim deorum genera ab illis colebantur.

Dii Gentilium in quadruplici genere.

(Siquidem sunt dii multi, et Domini multi :) *Siquidem* Græcè ὥσπερ, *ſicut.* Ob quam ſimilitudinis notam nonnulli partem hanc exponunt de iis quos ſcriptura aliquando Deos nuncupat, propter eminentiam poteſtatis inter homines, velut principes ac judices; ut Pſal. 18. *Ego dixi, dii eſtis.* Et Exod. 22. *Ad deos utriuſque cauſa perveniet.* Secundum hos ſenſus eſt quoſdam eſſe deos opinione hominum : ſicut alii quidam dii ſunt participatione quadam poteſtatis.

Dij multi & domini multi, quo ſenſu.

Verùm magis apparet non de aliis diis & dominis Apoſtolum hîc loqui, quàm de quibus antè loquebatur; præſertim cum mox addat, *Nobis tamen unus Deus*, &c. Igitur adverbium *ſicut*, ſeu *quomodo* declarantis eſt, ut non incommodè per *ſiquidem* redditum ſit ab interprete: & pars hæc parentheticè legatur. Eraſmus ſuſpicatur interpretem in Græco legiſſe εἴπερ pro ὥσπερ. Eſt autem urgendum in verbis Apoſtoli, quod ait *multi* : quaſi dicat : paſſim omnia in mundo plena ſunt diis & dominis. Erat enim innumera deorum turba apud Gentiles. Sed ex parte præcedenti ſupplendum *qui dicuntur*, id eſt, ab hominibus habentur & coluntur pro diis, utique falſa opinione. Nam ut ait Tertull. ad hunc Apoſtoli locum reſpiciens, *lib. 1. contra Marcio. cap.* 11. Deus commune vocabulum factum eſt vitio erroris humani : quatenus plures dij dicuntur atque creduntur in ſæculo. Quo modo intellecta ſententia nullam habet offenſionem; cujus removendæ cauſa fortaſſe ſublata fuit olim à quibuſdam è textu : quod aſtruere videretur deorum multitudinem. Nam commentator Ambroſ. hujus partis prorſus non meminit. Tantum vocabulum *Domini* transfert ad partem præcedentem, *licet ſint qui dicantur dii & domini*, &c. Porrò dominos intelligit Apoſtolus eo ſenſu quem ſtatim exponit.

6. Nobis tamen unus Deus pater, ex quo omnia. Græcè, *Sed nobis unus Deus*, &c. quod optimè reddunt interpretes : *non tamen.* Et ſenſus eſt : Attamen nobis, id eſt, fidelibus, qui de Deo per fidem rectè inſtituti ſumus : ideoque & ſecundum veritatem, unus tantum eſt Deus, ſcilicet pater, ex quo vel à quo tanquam primo authore ſeu principio ſunt *omnia*, id eſt, res omnes à Deo diverſæ; nimirum per creationem. Non enim Filium intendit Apoſtolus hac voce *omnia* comprehendere; nihilo magis quam in eo quod ſtatim poſt dicit, *per quem omnia*: quemadmodum nec Joannes comprehendere voluit aut potuit dicens, *Omnia per ipſum facta ſunt.* Neque enim per ſeipſum fieri quicquam poteſt. Ita locum hunc expendit Ambr. *lib. 1. de Spiritu ſancto cap.* 2. Cæterum & illud obſerva,

Omnia ex Deo.

Paulum ſic aſſeverare Dei unitatem, ut tamen etiam innuat numerum perſonarum. Nam Patrem nominando conſequenter & Filium in divinis eſſe ſignificat. Itaque perversè ex hoc loco colligebant olim Ariani Filium non eſſe Deum : cùm oporteat utique Filium ejuſdem eſſe naturæ cum Patre.

ET NOS IN ILLUM. Nonnulli codices *in illo*, ſuffragantibus etiam Ambroſiano commentario & textu Syriaco. Verùm Græcè eſt εἰς αὐτὸν *in eum* vel *ad eum*. Sed & verus Ambroſius loco jam citato legit *in illum*. Itaque ſenſus eſt, juxta quorumdam expoſitionem ; Nos in illum, ſcilicet unum Deum eſſe ; quatenus ad Deum ut finem ultimum conditi ſumus, non ſolùm generali ratione qua cæteræ creaturæ ; ſed ut eum cognoſcentes, per amorem ipſi inhæreamus. Unde B. Auguſt. in libro 1. Confeſ. cap. 1. Deum ſic alloquitur : *Feciſti nos ad te ; & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Sed ſciendum eſt illud ἡμεῖς *nos*, à Paulo dici non in perſona omnium hominum, ſed fidelium tantummodo : de quibus dixerat, *Nobis tamen unus Deus*, &c. quemadmodum & in ſequenti ſententia, quæ huic reſpondet, eadem vocula *nos* ad ſolos fideles refertur. Itaque potior ſenſus hujus partis eſt : Et nos ad illum, tanquam ſalvificum noſtrum principium, ex quo pendemus, adducti ſumus per fidem ac verum ejus cultum. Hic ſenſus eſt in Græcorum commentariis : quem & inter Latinos tradit Amb. commentator, & poſt eum alii nonnulli.

Hujus loci conſtructio duplex.

Quod ad ſtructuram verborum Apoſtoli pertinet, ea duplex eſſe poteſt. *Prior* : ex quo omnia, & ex quo in illum : *Altera* : ex quo omnia, & in quem nos : non quo ſignificetur nos non eſſe ex illo ; ſed præter hoc quod nos ex illo ſumus, inſuper, ac propria quadam ratione, nos eſſe ad eum. Et hanc eſſe germaniorem conſtructionem probat ſententia ſequens ; quæ cùm ſimilis ſit formæ, non aliam conſtructionem admittit.

ET UNUS DOMINUS JESUS-CHRISTUS PER QUEM OMNIA, ET NOS PER IPSUM. Quod ſuprà dixit *nobis*, huc quoque referendum eſt : ut pars hæc reſpondeat ad illud quod dixerat, *& domini multi*. Sicut ergo dixit unum Deum, ita nunc unum Dominum. Quod ſi, ut Ariani volunt, ex priori ſententia conſequens eſt Filium non eſſe Deum : quoniam unus Deus ab Apoſtolo Pater dicatur, pari ratione ex his verbis, quibus unum Dominum vocat Jeſum Chriſtum, inferre licebit Patrem non eſſe Dominum, quod adeò non concedunt Ariani, ut Patrem potiùs ac magis Dominum dicant, quam Filium.

Pater fons deitatis.

Nos ergo dicimus Apoſtolum illic ſolum Patrem nominaſſe, quia Pater eſt fons Deitatis, utpote divinum eſſe etiam aliis perſonis communicans : tum quia ſic ex eo omnia quæ ſunt ab eo diverſa, ut tamen etiam Filius & Spiritus ſanctus ex eo procedant : hic verò ſolum Filium nominaſſe, quia is jure redemptionis in cruce factæ, Dominus noſter ſit. Unde non dixit Filius, ſed *Jeſus Chriſtus*, ſcilicet humanam ejus naturam volens intelligi, ſecundum quam nos redemit.

Chriſtus qua ratione noſter Dominus.

Eadem ratione etiam ad *Epheſ.* 4. diſtinctè dixit ; *Unus Dominus* ſcilicet Chriſtus : &, *Unus Deus & pater omnium*. Vide quæ ad eum locum commentatur Hieronymus, iis quæ jam diximus conſentanea. Certè ad horum ſacræ ſcripturæ teſtimoniorum imitationem, patres tam Nicæni concilij quàm Conſtantinopolitani, in ſymbolis fidei quæ tradiderunt eccleſiæ, profeſſi ſunt ſe credere *in unum Deum Patrem omnipotentem*, Deinde, *Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei*, &c. Qua loquendi formâ adeo nihil detractum voluerunt divinitati Filij, ut eam ſequentibus verbis apertiſſimè aſtruant dicentes : *Deum de Deo, Deum verum de Deo vero : genitum non factum : conſubſtantialem Patri*, &c.

Chriſtus unus Dominus.

Senſus igitur hujus partis eſt : Item nobis fidelibus vera religione imbutis, unus eſt Dominus, nempe Jeſus-Chriſtus ; per quem quidem ut Verbum Patris omnia ſunt ; quoniam ut de eo loquitur Joannes, *omnia per ipſum facta ſunt* : omnia, ſicuti dictum eſt, à Deo diverſa (Quamquam & toti Trinitati commune eſt, *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo* omnia eſſe. Rom. 1.) Sed per quem ut hominem factum, peculiari ratione nos ſumus, quia per ejus meritum redempti ſumus & ſalutem expectamus. Bis ergo ſumus per ipſum : & quod creati, & quod redempti.

Idolum nihil eſſe non omnes Chriſtiani norunt.

7. SED NON IN OMNIBUS EST SCIENTIA. De infirmis & imperfectis nunc agit, quibus ad deſtructionem cedebat aliorum ſcientia. Non omnes, inquit, Chriſtiani ſcientiam habent eorum quæ dixi non ſcire ; videlicet idolum in mundo nihil eſſe ; & nullum eſſe Deum niſi unum. Quamvis enim fide teneant, nec idola, nec res per ea repræſentatas eſſe deos, nec ullum eſſe Deum præterquam unum : non tamen hanc fidem applicant ad concluſiones particulares ; ſcilicet idolum ut tale nihil habere virtutis, ut ſanctificare vel inquinare poſſit cibos ipſi immolatos : ac propterea nullum prorſus eſſe diſcrimen inter eſum talium ciborum & aliorum, ſi in ſe ſpectetur, cùm idolum nihil ſit : atque id quod nihil eſt, haud queat ullam differentiam rebus adducere. Ad hujuſmodi concluſiones applicare principia quæ ſimpliciter credimus, cujuſdam ſcientiæ eſt ; quam negat Apoſtolus omnibus ineſſe Chriſtianis.

QUIDAM AUTEM CUM CONSCIENTIA USQUE NUNC IDOLI, QUASI IDOLOTHYTUM MANDUCANT. Explicandi gratia præpoſitionem addidit quiſpiam ; cùm non ſit in Græcis exemplaribus : ut nec in omnibus Latinis, nominatim in textu commentatoris Ambr. Et quidem in Græcis eſſe non poteſt : quia μετὰ non jungitur dativo caſui. Tertull. *lib. de pud. cap.* 14. legit, *in conſcientia* : quemadmodum & Pelagium, Primaſium atque Sedulium legiſſe, producunt eorum commentarij : ut ſuſpicio ſit olim Græca quædam exemplaria additam habuiſſe præpoſitionem ἐν. Alioqui quæ nunc exſtant omnia, & quibus uſi Græci interpretes, ſic legunt : *Quidam verò conſcientia idoli uſque nunc tanquam idolothytum edunt.*

Ambigua conſtructio.

Ubi ambiguum eſt, utrùm illud *uſque nunc*, præcedentibus adhæreat ; quod voluit noſter interpres, qui eam particulam loco motam poſuit inter duas dictiones præcedentes *conſcientia* & *idoli* : an verò ſequentibus ; quod placet Cajetano. Utrumque probabile eſt : ac plenior erit ſenſus, ſi, quod Græci tractatores facere videntur, ad totam ſententiam referatur, hoc modo : Quidam fideles, quamvis idolis ex animo renunciaverint, & credant illa non eſſe deos ; tamen adhuc ea laborant infirmitate ac ſcientiæ defectu ; ut habentes conſcientiam idoli, quaſi idolothytum manducent.

Conſcientiam idoli quam vocet Apoſtolus.

Conſcientiam idoli vocat Apoſtolus, non ſcientiam qua quis rectè de ſimulacris ſentiat ; ut malè interpretatur & malè probat Cajetanus, in ea re ſingularis ; ſed judicium quo quis exiſtimet idolum eſſe aliquid, id eſt, alicujus virtutis : ac proinde cibos immolaticios ab idolo pati mutationem aliquam, ſicque afficere & coinquinare poſſe edentes. Quod quidem judicium erroneum eſt : atque ex eo ſequitur, ut talem habens conſcientiam, ſi edat idolothytum, edat illud quaſi idolothytum : id eſt, quaſi immutatum aliquo modo per hoc quod idolis ſacrificatum ſit : ut ejus opinione tam idolum quàm idolothytum ſit aliquid.

ET CONSCIENTIA IPSORUM, CUM SIT INFIRMA, POLLUITUR. Illativè pars hæc exponenda eſt, ut ſenſus ſit : Atque ita animus eorum erronea hujuſmodi conſcientia imbutus, cùm ſit infirmus, eò quod ſcientia careat, qua fidem unius Dei quam habet, applicet ad particulares concluſiones, ut ſuprà

dictum est ; polluitur peccato ; dum videlicet contra conscientiam quam de idolothyto habent existimantes edentes contaminari, de illo edunt. Obligat enim erronea conscientia, & peccatorem constituit eum qui contra illam facit; juxta doctrinam ejusdem Apostoli scribentis ad *Rom.*14. ubi de Judaica ciborum discretione differens ait inter cætera: *Qui discernit, si manducaverit damnatus est, quia non ex fide.* Porrò ne dicant firmiores se vesci quibuslibet, etiam immolaticiis ; ut per hoc Deo placeant qui omnia creavit, subjicit.

Obligat erronea conscientia.

Cibus non commendat nos Deo.

8. ESCA AUTEM NOS NON COMMENDAT DEO. Sic eodem ad Rom. loco, *Non est enim regnum Dei esca & potus.* Sensus est : Usus ciborum per se nihil facit ad pietatem, qua Deo placetur ; ideoque non debemus nos firmiores quasi pietatis obtentu passim & indiscretè velle quibuslibet cibis uti. Sequitur probatio.

NEQUE ENIM SI MANDUCAVERIMUS, ABUNDABIMUS. Græcè verba sunt præsentis temporis, hic & in parte sequenti, *manducemus, abundamus,* περισσεύομεν. Sensus : Non enim si quidvis indifferenter comederimus, idcircò meliores erimus coram Deo. Significantius ex Græco vertit Oecumenii interpres; *Neque si comedamus, aliquid nobis magni accedit.*

NEQUE SI NON MANDUCAVERIMUS, DEFICIEMUS. Græcè, *manducemus, desicimus.* Sensus: Neque si non comederimus indifferenter quidlibet, sed à quibusdam cibis abstinuerimus, idcircò minùs quicquam habebimus. (Hoc enim Græca vox ὑστερούμεθα significat) id est, deteriores erimus, minusque Deo grati. Nonnulli totum hunc versum, *Esca autem nos non commendat Deo*, & cætera huc usque, accipiunt ut verba pseudapostolorum obloquentium, quod edere & non edere res sit indifferens : ideoque liberè & inoffensè utrumque agi posse. Quæ verba Paulus sibi deinceps refutanda sumit, dicendo: *Videte autem*, &c. Sed melius est ut ex persona Pauli, prout ea jam exposuimus, continuo sermone dicta accipiantur, congruenter cum loco ad Romicitato, *Non est regnum Dei esca & potus*, &c.

Obj. contra Sectarios, Abstinentiã Ecclesiast. malè hinc oppugnari.

A carnibus aut vino abstinere quatenus actus virtutis.

Atqui perversè locum hunc contra ciborum abstinentiam ecclesiasticam adducunt hæretici, tanquam ea secundum Apostolum nihil faciat ad pietatem. Non enim dicit Apostolus, abstinentiam cibi nos non commendare Deo, sed cibum ; neque negat nos si non manducaverimus, abundaturos, sed si manducaverimus. Nam nec carnes edere, propriè actus virtutis est ; ut nec vinum bibere : sed à carnibus aut vino abstinere, ea ratione qua id ecclesia præcipit ac laudat. Siquidem abstinere ab eo quod vel malè concupiscitur, vel concupiscendi fomitem præbet, ad temperantiæ virtutem spectat. Fit autem actus religionis, quoties hujusmodi abstinentia assumitur, ut per eam carne edomita spiritus promptior reddatur ad Deo serviendum.

9. VIDETE AUTEM NE FORTE HÆC LICENTIA VESTRA OFFENDICULUM FIAT INFIRMIS. Græcè. *Videte autem ne qua modo potestas vestra hæc offendiculum fiat iis qui infirmantur*, id est, *infirmi sunt.* Cæterum potestatem, ἐξουσίαν, intellige jus seu facultatem agendi quippiam, quam vulgo licentiam vocant. Interpres ipse tam *præced. cap. quàm sequent.* & passim alibi vertit potestatem : tametsi Græci in malam partem accipiant, potestatem hanc interpretantes immodestiam & arrogantiam; sed concomitanter, ut arbitror. Removet autem Apostolus tacitam objectionem qua dicere poterant firmiores, se uti suo jure ac libertate ; quod scirent idolum nihil esse, proindeque nihil differre idolothyta à cæteris cibis. Sed videte, inquit, id est, providete & cavete ne potestate hac vestra cum offendiculo fratrum infirmorum utamini. Offendiculum hoc declarat sequentibus verbis.

Quam interpres vocet licentiam.

10. SI ENIM QUIS VIDERIT EUM QUI HABET SCIENTIAM, IN IDOLIO RECUMBENTEM. *Eum qui habet scientiam*, Græcè τὸν ἔχοντα γνῶσιν, *te qui habes scientiam.* Interpres legisse videtur absque σὲ. Verumtamen & in versu proximè sequenti, quo sermonem suum Paulus continuat, pronomen est secundæ personæ, *in tua scientia.* Idolium alibi significat templum idolorum, ut 1. Mach. 10. *Et intraverunt in Bethdagon idolium suum* (sic enim legendum, non *idolum suũ*) *ut ibi se liberarent.* Item 3. Esdræ 2. *Et recluſit ea in suo idolio*, ubi nos legimus, *& consecravit ea idolo suo.* Nam & 1. Esdr. 1. idipsum sic explicatè dicitur: *Et posuerat ea in templo Dei sui.* Similiter usurpasse videtur Aug. *epist. 154. ad Publ.* agens de viatore cibum in idolio positum inveniente. Nam idolium ibi quid vocet non video, nisi sacellum idolo dicatum; cujusmodi in viis publicis erant constructa.

Quid idolium.

Putat Arias Montanus etiam *hoc loco* significari templum aut certè atrium templi idolorum. Nec aliter Theophylacti interpres, qui vertit idolorum locum vel delubrum.

Sed quia non est verisimile eos cum quibus nunc agit Paulus, in templis accubuisse, ubi idolis offerebantur sacrificia ; nec si fecissent, id Paulum fuisse prætermissurum absque graviore & aperta reprehensione : idcircò alii idolium, interpretari malunt epulum simulacrorum sive idolorum, ut Erasmus & Hentenius. *Alii* mensam in qua carnes idolo consecratæ proponebantur : quam Paulus infrà cap. 10. vocat mensam dæmoniorum.

Alii in genere locum destinatum hujusmodi epulo, quod instruebatur ex carnibus immolaticii. Atque hæc vocabuli illius acceptio minùs recedit à prima significatione quam cæteræ ; & quidem optime convenit huic loco : ut sensus sit ; Si enim quispiam frater infirmus viderit te qui de idolis veram habes scientiam, ideoque ab idolothytis non abhorres ; accumbere in loco ubi apposita sunt idolothyta iisque vesci.

NONNE CONSCIENTIA EJUS CUM SIT INFIRMA, ÆDIFICABITUR AD MANDUCANDUM IDOLOTHYTA? *Ejus cum sit infirma*, Græcè τὰ ἀσθενοῦς ὄντος, *ejus qui infirmus est*, aut potius (quoniam hoc cum epitasi dicitur) *ejus cum sit infirmus* : quemadmodum & nostrum interpretem vertisse credibile est : ut posteà femininum genus pro masculino irrepserit, ex eo quod superius habetur, *Et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur.* Quamquam & ex Syriaco translatum habemus hoc loco : *Nonne conscientia ejus cum sit infirma*, &c. In verbo *ædificabitur*, præter metaphoram etiam antiphrasin agnoscit Theophyl. eo quod propriè tantum ad profectum qui in bono est, transferatur, velut suprà, *charitas ædificat*, & infrà cap. 10. *Non omnia ædificant*, & cap. 14. *Omnia ad ædificationem.*

Antiphrasis in verbo ædificandi.

Certè nusquam alibi quam hoc loco, reperitur acceptum in malam partem. Verùm id non tam per antiphrasin, quàm ex adjunctione ejus quod sequitur, *ad manducandum idolotyta*, per quod abstrahitur ædificandi verbum à metaphora consueta : quemadmodum & dicere solent Theologi mala exempla ædificare ad gehennam. Sic proficere per se in bono accipitur ; ex adjuncto in malum : ut 2. Timoth 3. *Mali homines & seductores proficient in pejus, errantes & in errorem mittentes.*

Sensus verborum Pauli: Nonne frater ille hoc videns, tuo exemplo provocabitur & inducetur ad comedendum immolaticia, non cum ea scientia qua tu id facis ; sed, ut suprà dictum est, cum conscientia idoli, videlicet existimans pro sua infirmitate, idolum & idolis immolatum esse aliquid ?

11. ET PERIBIT INFIRMUS IN TUA SCIENTIA FRATER PROPTER QUEM CHRISTUS MORTUUS EST. Non *conscientia*, ut vitiosè quidam codices

habent, reclamantibus omnibus vetuſtioribus, Græcoque ac Syriaco textu, quibus legitur *ſcientia*. Græca ſic habent; *Et peribit is qui infirmus eſt* (ὁ ἀσθενῶν) *frater in tua ſcientia*. Senſus: Et peccabit frater infirmus comedendo idolothytum, quo putat edentem coinquinari, proindeque rem illicitam facere: & peccando peribit, id eſt, à ſalute excidet in æternum periturus, quantum eſt ex parte peccati. Peribit autem in tua ſcientia, id eſt, per tuam ſcientiam; quà dum tu malè uteris, præſtas illi peccandi occaſionem; eumque perdis quem Chriſtus in tantum dilexit, ut pro ejus ſalute mortem oppetere non dubitarit. Ad hunc modum loquens Apoſtolus, planè ſignificat fratrem infirmum ac ſcientia de qua hic agitur, deſtitutum, peccare mortaliter, dum exemplo fratris ſcientiam habentis idolothyto veſcitur. Sic Rom. 14. *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt*. Vide commentarium *ejus loci*.

Idolothyto veſci peccatum mortale fratri infirmo.

Notandum eſt Apoſtolum in iis qui ſcientiam habentes ex idolothyto comedunt, hoc quidem loco non aliud culpare, quam quod fratres infirmos ſcandalizent: Verùm idem *infrà cap.* 10. culpat & aliud non minùs grave, quod menſæ dæmoniorum participando, ſocii fierent eorum, cum Dei injuriâ: nec id ſine ſcandalo infirmorum tam fidelium quàm infidelium: quemadmodum latè & pulcrè docet Auguſt. *ſerm. 6. de verbis Domini c. 4. & ſeq.*

12. SIC AUTEM PECCANTES IN FRATRES; ET PERCUTIENTES CONSCIENTIAM EORUM INFIRMAM, IN CHRISTUM PECCATIS. Gravitatem hujus peccati, id eſt, ſcandali fraterni, nunc exaggerat à perſona ejus in quem peccatum hujuſmodi redundat. Nam injuria membrorum redundat in caput, & ſervi in Dominum, & redempti in eum qui redemit; quemadmodum benè locum hunc explicat Theophylactus. Si vos, inquit Apoſtolus, non moveat interitus fratrum; ſaltem moveat injuria Chriſti, quæ ex fratrum interitu conſequitur. Dum enim tali modo peccatis in fratres, ut percutiatis, lædatis, vulneretis eorum conſcientiam, eamque infirmam atque languentem (eſt enim participium ἀσθενοῦσαν in Græco) provocantes eos exemplo veſtro ad id faciendum quod ſibi minimè licitum credunt: peccatis in Chriſtum, cujus illi membra ſunt; & cujus ſervi ſunt: utpote ſanguine & morte ejus redempti, qua ratione Dominus eorum eſt. Ad hoc poſterius magis videtur reſpexiſſe Paulus in eo quod dicit, *In Chriſtum peccatis*. Dixerat enim, *Propter quem Chriſtus mortuus eſt*.

Peccantes in fratres, in Chriſtum peccant.

13. QUAPROPTER SI ESCA SCANDALIZAT FRATREM MEUM, NON MANDUCABO CARNEM IN ÆTERNUM, NE FRATREM MEUM SCANDALIZEM. Generali ſententia ſuperiorem doctrinam concludit. Hic rurſus in Græco duplex eſt negatio, vehementiam addens orationi: quaſi dicat: Nequaquam edam *carnem*, vel ut in Græco eſt, κρέατα, *carnes*. Quo nomine etiam caro piſcium comprehenditur; ut patet ex hac eadem epiſtola cap. 15. *Alia caro piſcium*. Verbum ſcandalizare, pro eo quod eſt offendiculo eſſe & peccandi occaſionem præbere, ex Græco nobis Latinis uſu receptiſſimum eſt. Dicit ergo Paulus: Quapropter, id eſt, cum tam graviter peccet qui fratrem ſcandalizat, ut etiam in Chriſtum fratris injuria recidat: ſi futurum eſt, ut me comedēte carnes, frater meus ſcandalizetur; potiùs per omnem vitam carnibus abſtinebo, non ſolum immolaticiis, ſed & aliis quibuſcumque pecudum, avium, piſcium; quàm ut fratrem meum edendo ſcandalizem. Illud ſimile Rom. 14. *Bonum eſt non manducare carnem & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur*. Quæ quidem ſententia, perinde ut iſta hujus loci, ſignificat quid Chriſtianus ad evitandum fratris ſcandalum ex charitate facere vel omittere teneatur: quemadmodum illic annotavimus.

Quid ſcandalizare.

Nota; Quantoperè ſcandalum fugiendum.

Quare ſi quis nunquam poſſet ſine ſcandalo fratris comedere carnes, aut alium quemlibet cibum: deberet ille tota vita ab eo cibo abſtinere. Quamquam caſus hujuſmodi non facilè eveniat. Dùm enim intelligatur hæc doctrina de ſcandalo hominis infirmi, non autem malitioſi, id eſt, ut Theologi loquuntur, de ſcandalo dato, non accepto; poteſt is qui infirmus eſt ſufficienter inſtrui & doceri, fratrem benè agere, quodque ejus facto offendi non debeat. Poſt quam ſufficientem ac plenam inſtructionem, ſi adhuc in ſcandalo perſeveret, non erit illud ſcandalum datum ſed acceptum; quia non jam ex infirmitate procedet, ſed ex malitia: quale erat ſcandalum Phariſæorum, quod Dominus in evangelio docuit non eſſe curandum, *Matth. 15*.

Scandalum aliud datū, aliud acceptum.

Hinc igitur reſponſio patet ad iſtam quæſtionem & ſimiles; An Catholicus debeat potiùs emori fame, quàm in ſacra Quadrageſima carnes comedere, conſtitutus inter infideles, aut ab iis detentus, ſi nihil aliud in promptu ſit aut haberi poſſit quod edat: aut ſi ad eſum carnium urgeat valetudinis neceſſitas. Nam ſi qui ſive fideles, ſive infideles per infirmitatem ſcandalum ex ejus facto ſint paſſuri, durante ſcandalo abſtinendum eſt, etiam cum vitæ ſeu valetudinis periculo. Par ratio ſi cederet ejuſmodi comeſtio in detrimentum honoris divini: ut ſi carnes offerantur in contemptum religionis, aut legis divinæ vel eccleſiaſticæ: quemadmodum olim Eleazaro ſeni, & ſeptem fratribus Machabæis; quorum martyria deſcribuntur, 2. *Machab. 6. & 7*.

Quæſtionū quarumdam explicatio.

Abſtinendum, ut evitetur ſcandalum & honoris divini detrimentum.

Porrò locus hic Apoſtoli, totaque ejus diſputatio, ſatis oſtendit quàm grave ſit peccatum ſcandali fraterni: id quod etiā manifeſtiùs declarant verba Chriſti, quibus affirmat ſatius eſſe, ut ſuſpenſa ad collum mola aſinaria demergatur quis in profundum maris, quàm ut ſcandalizet unum ex puſillis, *Matth.* 18.

Nota; Scandalum fraternum quàm grave peccatum ſit.

Quæri hîc poſſet de idolothytis, utrum extra caſus ſupradictos, vel Apoſtolorum tempore, quorum exſtabat decretum de non edendis immolatis ſimulacrorum, *Act.* 15. licitus fuerit eorum eſus; vel nunc licitus ſit. Sed quoniam, *infrà c.* 10. reſumit Apoſtolus argumentum de idolothytis; idcircò nos opportunius ad eum uſque locum hujus quæſtionis explanationem differemus.

CAPUT IX.

NON ſum liber? Non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino? 2. Et ſi aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum: Nam ſignaculum Apoſtolatus mei vos eſtis in Domino. 3. Mea defenſio apud eos, qui me interrogant, hæc eſt. 4. Numquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi? 5. Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? 6. Aut ego ſolus, & Barnabas, non habemus poteſtatem hoc operandi? 7. Quis militat ſuis ſtipendis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundùm hominem hoc dico? 10. An & lex dicit? 9. Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os bovi trituranti: Numquid de bobus cura eſt Deo? 10. An non propter nos utique hoc dicit: Nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe, qui arat, arare: & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. 11. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? 12. Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? ſed non uſi ſumus hac poteſtate: ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti. 13. Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant? 14. Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. 15. Ego autem nullo horum uſus ſum. Non autem ſcripſi hæc, ut ita fiant in me: bonum eſt enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. 16. Nam ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria: neceſſitas

Deut. 25. a. 4. 1. *Tim. 5. c. 18.* *Rom. 15. f. 27.* *Deut. 18. a. 1.*

enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero. 17. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt. 18. Quæ eſt ergo merces mea? Ut Evangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Evangelium, ut non abutar poteſtate mea in Evangelio. 19. Nam cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem. 20. Et factus ſum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer. Iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem (cum ipſe non eſſem ſub lege) ut eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem: 21. iis qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem (cum ſine lege Dei non eſſem: ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucrifacerem eos, qui ſine lege erant. 22. Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos. 23. Omnia autem facio propter Evangelium: ut particeps ejus efficiar. 24. Neſcitis quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. 25. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. 26. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans: 27. Sed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.

SUMMARIUM.

DOcet multis argumentis ſe poteſtatem habere ſumptus exigendi pro miniſterio evangelico: ſed abſtinuiſſe tamen; ne quod offendiculum daret evangelio: cujus cauſa omnibus omnia ſe factum dicit. Ad perſeverantiam certaminis & curſus Chriſtiani, quo coronam aſſequantur incorruptibilem, ſuo hortatur exemplo.

NON SUM LIBER? NON SUM APOSTOLUS? Ingreditur hoc capite Paulus aliud argumentum, ſimile tamen ſuperiori; quo declarat ſe à multis licitis abſtinuiſſe, cauſa promovendæ ſalutis aliorum: ac nominatim ab accipiendis vitæ neceſſariis, quæ ſibi tamquam Apoſtolo, ab iis quibus evangelium annunciabat, ex Chriſti inſtitutione debebantur. Qua in re explicanda pluſculum immoratur, ut ſuo etiam exemplo doceat; non modò quàm ſtudiosè cavenda ſint infirmorum ſcandala, præſertim in re non neceſſaria, & à quâ facile ſit abſtinere, quale erat eſus idolothytorum; verùm in genere, quantum cuique curæ eſſe debeat proximorum ſalus atque profectus. In hoc enim tandem concludit totum hunc ſermonem, ita inquiens: *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* Igitur ſeipſum quidem Apoſtolus hoc capite commendat, ſed juſta ratione: ſcilicet ut doctrinam utiliſſimam, quam de ſcandalo fratrum evitando tradiderat, ab exemplo ſuo confirmet: quemadmodum illud idem facit in ſecunda epiſtola, aliam ob cauſam: nempe propter Pſeudapoſtolos, qui ipſius miniſterium deprimebant. Atque interim libenter occaſionem arripuit preſſiùs exponendi & inculcandi Corinthiis, qui ditiores erant quàm largiores, quid jure deberetur iis, qui prædicarent evangelium.

Paulus ſeipſum commendans, juſta ratione.

Dicit ergo: *Non ſum liber? non ſum Apoſtolus?* vel, ut in Græcis codicibus ordine converſo, *Non ſum Apoſtolus? non ſum liber?* tametſi in editione Syriaca idem eſt ordo qui in Latinis. Sicque legunt veteres, Tertull. *lib. de pudic. cap. 14.* Auguſtin. *de opere monach cap. 4. & alii.* Et ipſa connexio ſermonis cum ſuperioribus, hunc ordinem poſtulat: quemadmodum & cum ſequentibus, ut facile eſt animadvertere. Sunt autem erotemata, quæ vim habeant indubitatæ affirmationis: ac ſi dicat, omninò ac citra controverſiam ſe liberum & Apoſtolum eſſe. Jacobus Faber hæc duo membra cum tertio ſequente, *Nonne Chriſtum Jeſum*, &c. legi mavult ſine interrogatione; tanquam verba detractorum Pauli, ab ipſo reſumpta, ut ea refellat: quod alioqui tumens & arrogans videatur oratio, quæ Paulinæ modeſtiæ non congruat.

Verùm *non eſt quod metuamus*, ut benè Eraſmus annotat, *ne hæc videantur arrogantiùs dicta à Paulo: Nihil enim magis in illum convenit, quam hujuſmodi ſancta quædam oſtentatio, & pia inſolentia: qua aliis quoque locis utitur.* Adde quod in tertio membro non eſt οὐ ſed οὐχί, interrogandi adverbium; nec aliter ferè in ſacris literis uſurpatum.

Porrò liberum ſe dicit Apoſtolus, non ab alieno ſumptu, ut planè contra mentem Apoſtoli Cajetanus interpretatur. Nam nec ea libertas eſſet: ſed ſervitus quædam, etſi voluntaria; Evangeliſtam ab alieno ſumptu abſtinere, ac de proprio vivere. Sed liberum, ut plerique interpretantur, à præcepto vetante ne ex evangelio vivat, & ſumptum accipiat Apoſtolorum more. Non enim hoc Paulo minùs licebat quàm cæteris Apoſtolis.

Paulus quo ſenſu liberũ ſe dicat,

Sunt qui libertatem hîc intelligant veſcendi quibuſlibet; nam proximè dixerat: *non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* Id, inquit, non dixi, quaſi non ſit mihi liberum quidvis edere: Sed charitas fratris admonet, hac libertate mihi non eſſe utendum cum ejus ſcandalo: quemadmodum urget eadem charitas, ne ſumptum à vobis accipiam tamquam veſter Apoſtolus, quamvis accipiendis jus habeam.

Fortè rectiùs liberum intelligas generali ſignificatione, quæ ſenſum utrumque jam dictum comprehendat. Sic enim generaliter liberum ſe vocat infrà dicens. *Cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci.* Itaque liber, id eſt, nemini lege aut præcepto ſpecialiter obnoxius: veluti qui conditione aut pacto ſunt aliis obligati. Apoſtolum verò ſe dicit, ut qui tamquam Apoſtolus, uti poſſit Apoſtolorum jure, quod eſt ex evangelio vivere. Sic enim ait 1. Theſſal. 2. *Cum poſſemus vobis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli.* Quamquam non ſolis Apoſtolis, ſed omnibus evangelii prædicatoribus illud jus ex ordinatione Chriſti Domini competit, ut infrà docet.

NONNE CHRISTUM JESUM DOMINUM NOSTRUM VIDI? In Græcis ordo, *Jeſum Chriſtum.* Ne quis objiciat alios Apoſtolos ipſo majores eſſe, quibus nec comparandus ſit; eò quod Chriſtum quo cum illi fuerant familiariter converſati numquam vidiſſet; ideoque plus juris Apoſtolici illis meritò tribuendum: dicit & affirmat ſe quoque Chriſtum in carne vidiſſe, nimirum oculis corporeis. Neque enim ſufficit huic loco, ubi ſe confert cum aliis Apoſtolis, commentarius de viſione ecſtatica. Sic infrà cap. 15. *noviſſimè omnium tamquam abortivo viſus eſt & mihi.* Cæterùm quando viderit, num in ipſa ſuæ converſionis hora, an intra triduum à converſione proximum, an autem alio quopiam tempore (ſunt enim diverſæ ea de re opiniones) inferiùs *ad locum memoratum* exponemus.

Paulus Chriſtum in carne vidit oculis corporeis.

NONNE OPUS MEUM VOS ESTIS IN DOMINO? *Nonne*, Græcè οὐ *non*, quemadmodum in primo & ſecundo membro. Sed, ut dictum eſt, interrogativè eo utitur Apoſtolus; ita tamen ut interrogando affirmet. Certè, inquit, vos Corinthii negare non poteſtis me eſſe Apoſtolum, neque meam Apoſtolici muneris dignitatem imminuere debetis: ut qui Apoſtolatu maximè functus fuerim apud vos. Nam ego primus omnium vobis Chriſtum prædicavi, voſque fideles feci, & in Jeſu Chriſto vos genui, ideoque *opus meum vos eſtis in Domino*, id eſt, in fide ac religione Chriſti. Sic enim ſuum opus eos vocat in Domino, quemadmodum ſuprà cap. 4. filios à ſe genitos *in Chriſto.*

Corinthii opus Pauli Apoſtoli.

2. ET SI ALIIS NON SUM Apoſtolus, SED

TAMEN VOBIS SUM. *Etſi* duæ dictiones ſunt, tametſi in Græco & in vetuſtis quibuſdam Latinis, nec non in textu & commentario Ambroſ. priorum editionum, *ſi* tantum legitur. Non negat Paulus ſe aliis Apoſtolum fuiſſe, qui *ab Jeruſalem per circuitum uſque ad illyricum* repleverat *evangelium Chriſti*, Rom. 15. & *plus omnibus* laboraverat *infrà cap.* 15. Sed per conceſſionem quamdam loquitur, ac ſi dicat: Eſto, non ſim aliis Apoſtolus: at ſanè negari non poteſt veſtrum Apoſtolum me eſſe.

Corinthii ſigillum apoſtolatus Pauli.

NAM SIGNACULUM APOSTOLATUS MEI VOS ESTIS IN DOMINO. *Signaculum*, Græcè σφραγὶς, id eſt, *ſigillum*, quod haberi ſolet apud homines certum ſignum veritatis. Nam vos, inquit, mei filii, meumque opus in Domino, certum eſtis argumentum apoſtolatus mei. Si quis ſcire voluerit an ſim Apoſtolus, vos oſtendam, apud quos manifeſta & indubitata mei apoſtolatus exſtant indicia ac documenta: primum fides Chriſti, quam me prædicante recepiſtis; deinde multa & varia Spiritus ſancti chariſmata, quæ per fidem apud vos vigent, de quibus *infrà cap.* 12. & 14. Huc referendum & illud quod ſcribit 2. Cor. 13. *Signa tamen apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in ſignis, prodigiis & virtutibus.*

3. MEA DEFENSIO APUD EOS QUI ME INTERROGANT, HÆC EST. Demonſtratio ſpectat ſuperiora, non ſequentia, quod putant nonnulli. *Defenſio* Græcè ἀπολογία, id eſt, reſponſio, quæ fit defendendi cauſa. *Apud eos*, Græcè dativus eſt ſine præpoſitione, τοῖς ἐμὲ ἀνακρίνουσι. Quod benè vertit interpres noſter, Eraſmo ſuffragante, *apud eos qui me interrogant*: nec malè Faber, *adverſus eos*. Nam quod Auguſtinus legit *ad eos*, de opere monachor. *cap.* 4. minus convenit. Porrò verbum ἀνακρίνειν propriè quidem ſignificat dijudicare; ſed fere capitur pro eo quod eſt interrogare modo & via examinis. Sic enim & infrà *cap.* 10. ſemel & iterùm: *nihil interrogantes* (ἀνακρίνοντες) *propter conſcientiam*. Habetque verbum hoc interdum ſignificationem forenſem; ut Latinis, quærere; quod dicunt informationem facere. *Senſus*, Si qui meum apoſtolatum in dubium vocant, meque diſcutiunt, examinant & inquirunt, quo argumento doceam Apoſtolum me eſſe: reſpondeo in vobis exſiſtere certa & evidentia mei Apoſtolatus argumenta; Atque hæc mea apud illos, ſive adverſus illos defenſio eſt.

Significatio verbi ἀνακρίνειν.

4. NUMQUID NON HABEMUS POTESTATEM MANDUCANDI ET BIBENDI? Docuit ſe apoſtolum eſſe; nunc probat ſe liberum. Qui probationis ordo nonnihil favet lectioni Græcorum, juxta quam *initio capitis* prius Apoſtolum, deinde liberum ſe nominavit. Loquitur autem plurali numero; quia mox ſibi ſocium adjuncturus eſt alterum Apoſtolum, Barnabam. Suprà quidem ſingulari numero uſus; quia ſuperiora non perinde erant Barnabæ communia, ut Dominum vidiſſe, & Corinthios eſſe opus ejus; adeoque Apoſtolum eſſe conferendum cum primis. Porrò poteſtatem ex evangelio vivendi vocat poteſtatem edendi & bibendi: quoniam & Chriſtus qui poteſtatem illam dedit, ſic eam expreſſit, Luc. 10. dicens: *In eadem domo manete; edentes & bibentes quæ apud illos ſunt*. Sub his enim cætera vitæ neceſſaria comprehenduntur.

Poteſtas edendi & bibendi quæ ſit.

5. NUMQUID NON HABEMUS POTESTATEM MULIEREM SOROREM CIRCUMDUCENDI? *Mulierem ſororem*, Græcè & Syriacè, *ſororem mulierem*. Quo ordine legitur etiam in vetuſtis quibuſdam Latinis. Atque ita citant Auguſtinus *loco ſuperiùs indicato*, & Hieronymus ad *cap.* 27. *Matth.* ſed hîc quidem plurali numero *ſorores mulieres*. Quamquam idem Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovinian. cap.* 14. & ad *Euſtoch. de cuſtod. virginit. cap.* 8. itemque commentator Ambr. Pelagius ac Sedulius tantum *mulieres* legunt: ut & Tertull. *lib. de pudic. cap.* 14. de *exhortat. caſtit. cap.* 8. & *de monog. cap.* 8. Imò videtur Hieron. *loco jam dicto* contra *Jovin.* eam lectionem quæ ſororis aut ſororum meminit, ita Græcis codicibus propriam facere, ut à Latinis excludat. Qua tamen in re cum Latinis convenit tract. *de ſingular. Cleric.* qui Cypriano perperam aſſcriptus, Origenis eſſe putatur, interprete Ruffino. Nam ſemel & iterùm citans hunc Apoſtoli locum, pluraliter dicit *mulieres*, nec addit *ſorores*. Occaſio mutandi numeri fuiſſe potuit, quia plurali numero dicit Apoſtolus: *Numquid non habemus poteſtatem*, &c. Cur autem ſororis vocabulum omiſſum fuerit, ratio non occurrit. Nunc certè tam Latini quàm Græci codices conſtanter legunt *ſororem*. Quo nomine Chriſtianam intelligi, non eſt dubium apud interpretes. Is enim mos erat eccleſiæ primitivæ, Chriſtianos, fratres; & Chriſtianas ſorores appellare.

Chriſtiani fratres & Chriſtianæ ſorores olim dictæ.

Baronius in *annal. ad annum Domini* 57. putat hunc locum accipi poſſe de ſorore Pauli ſecundum carnem, cujus mentio fit Actor. 23. Verùm textus repugnat, quia loquitur plurali numero, *Numquid non habemus poteſtatem*, &c. & addit, *ſicut cæteri Apoſtoli*. Jam quod dicit *mulierem ſororem*, vel *ſororem mulierem*, ſimile eſt cum eo quod Petrus & Jacobus & Paulus ipſe in Actis apoſtolicis Judæos alloquentes dixiſſe leguntur: *Viri fratres*, utique Judæorum more. Conſtat autem Græcam vocem γυναῖκα communem eſſe ad ſignificandum mulierem & uxorem.

Unde nonnulli ex hoc loco ſuſpicati ſunt Paulum habuiſſe uxorem; idque eo adhuc tempore quo hæc ſcripſit. Hujus opinionis inter veteres fuit Clemens Alexand. ut patet ex ejus *lib.* 3. *ſtrom.* ubi referens hujus loci verba, ſimul & alterius qui eſt ad *Philipp.* 4. confirmat Apoſtolo Paulo uxorem fuiſſe: quam tamen ſororis, non uxoris loco haberet. Sic enim intelligit illud ἀδελφὴν γυναῖκα, *ſororem uxorem*. Neque enim de uxore retenta ad uſum conjugalem quiſquam probus interpres hunc locum intellexit. Unde malè hinc ſibi novi blandiuntur evangelici miniſtri, qui uxoribus ſe poſſe carere negant.

Opinio quorumdam Paulum habuiſſe uxorem.

Eadem porrò ſententia quam tradit Clemens, inter neotericos Laurentio Vallæ placuit in *ſuis ad hunc locum annot.* & Catharino in *commentariis*: item Jacobo Fabro, qui vertit *uxorem*, & eam verſionem in examinatione literæ defendit, plura promittens ad locum Phil. 4.

Horum argumentum eſt, quia Paulus cum dixiſſet *ſororem*, addit *mulierem*; quæ additio nugatoria ſit, niſi uxorem voluiſſet intelligi: cum alioquin omnis ſoror mulier ſit. In quo primùm falluntur, non animadvertentes tam γυναῖκα Græcè quàm mulierem Latinè non dici niſi de ea quæ ſit ætatis adultæ, ut uxor fieri poſſit. Quocirca non eis concedimus omnem ſororem mulierem eſſe. Sed ut hoc diſſimuletur; facilis adhuc reſponſio eſt, frequens eſſe, ut verborum ordine præcedat, quod conſtructione & ſenſu ſequitur: idque interdum etiam fieri in appoſitiva locutione. Cujus rei duplex exemplum eſt Daniel. 8. in his verbis: *Cum eßem in Suſan caſtro, quod eſt in Ælam regione*: quum recto ordine dicendum fuiſſet, In caſtro Suſan quod eſt in regione Ælam. Ita 1. Machab. 3. *Tranfretavit Euphratem fluvium*.

Solvitur argumentum dictæ opinionis ex hoc loco ſumptum.

Et ut de novo Teſtamento proferam exempla: Marc. 1. dicitur, *Et baptizantur ab illo in Jordane flumine*. Sic enim habent Græca: non *in Jordanis flumine*. Et Hebr. 12. *Sed acceſſiſtis ad Sion montem*. Quo loco quum Eraſmus & alii verterint *ad montem Sion*; quid eſt cur hîc diſpliceat vulgatum interpretem ſimili metatheſi vertiſſe (ſi tamen ita vertit) *mulierem ſororem*; niſi quia ſuſpicio de uxore Pauli quibuſdam nimiùm arriſit? Alioqui non magis de uxore cogitationem ingerere debet, quod dicit *ſorem mulierem*; quàm ſi Chriſtianam mulierem

dixiſſet. Nec verò *ſororem mulierem* aliter dicere potuit Græcè, quàm ἀδελφὴν γυναῖκα: etſi minimè vellet uxorem intelligi.

Paulus cœlebs.

Certè Paulum cœlibem fuiſſe, quo tempore ſcripſit hanc epiſtolam, ſatis arbitror conſtare ex ipſius verbis, quæ ſcripſit *ſuprà cap. 7. verſu 7. & 8.* & ex patrum teſtimoniis ibidem à nobis allegatis; Quorum authoritati Clementis opinionem de uxore Pauli inter veteres ſingularem, jure merito poſtponimus. Et quod ad hunc locum attinet, commentarium de uxore ex profeſſo rejicit Hieron. *lib. 1. contra Jovin. cap. 14.* ac docet Apoſtolum *loqui de ſanctis* quibuſdam *mulieribus, quæ juxta morem Judaicum magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant: ſicut legimus*, inquit, *ipſi quoque Domino facultatum.* Eadem tradit Auguſtinus *lib. de opere monach. cap. 4. & 5.* Uterque verò ex ipſius Apoſtoli verbis & verborum contextu convincit falſos eos fuiſſe qui Græcam vocem ambiguam, interpretati ſunt uxorem.

Quam Paulus vocet mulierem ſororem.

Cum his planè ſentiunt commentator Ambroſ. & Sedulius: nec non Primaſius ad Auguſtini verba alludens. Sed & antiquiſſimus Tertull. *lib. de monog. cap. 8.* diſertè negat de uxore Paulum hîc agere: probatque iiſdem argumentis, quibus uſi poſteà fuerunt Hieronymus & Auguſtinus. Quem locum opponimus iis qui pro diverſa ſententia Tertullianum adducunt, utpote *libro de exhort. caſtit. cap. 8.* ita loquentem: *Licebat & Apoſtolis nubere, & uxores circumducere.* Nec enim ea verba Tertullianus ex ſua dicit perſona, ſed eorum qui ſecundas nuptias quas ipſe oppugnat, ex hoc loco Paulino probare nitebantur, hujuſmodi argumento: Si licuit Apoſtolis uxores circumducere, licuit & accipere, etiam priore mortua: cùm ſermo Pauli ſit generalis. Ubi Tertullianus quod de circumducendis uxoribus dicitur, pro loco diſſimulans, tantum reſpondet Paulum, ut ad exemplum nos ſuum provocaret, his uſum non fuiſſe, quæ ſibi licere dixerat. Vide ſcholion Jacobi Pamelii *ad ea verba Tertulliani.*

Tertulliani locus expenſus.

Conſuetudo circumducendi mulieres qualis.

Jam verò Latinis accedunt & Græci commentatores; qui omnes non de uxore, ſed de muliere rerum victualium curatrice, locum hunc interpretati ſunt. Eam quippe fuiſſe Apoſtolorum conſuetudinem, ut divites fœminas comites haberent, quibus neceſſaria vitæ ſubminiſtrantibus, ipſi ſecurius atque expeditiùs evangelio vacarent. Ac ſanè ad hunc intellectum cogit exemplum Chriſti, cujus & authores ſuprà dicti, præſertim Latini, meminerunt. Nam de eo refert Lucas cap. 8. quod eum ſecutæ *mulieres aliquæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Hoc autem erat mulieres circumducere. Quo potiſſimùm exemplo idipſum fecerunt Apoſtoli. Quod ſi nefas eſt eo loco uxorem, vel quod longè eſt abſurdius, uxores ſuſpicari: neque igitur hic de uxore Paulum loqui putandum eſt.

Qui Apoſtoli uxores habuerint.

Et quidem quod ad Apoſtolos attinet, qui cum Chriſto fuere converſati, primùm de nullo eorum conſtare, excepto Petro, quod uxorem habuerit, authores ſunt Tertull. *libro de monog. cap. 8.* & Hieron. *lib. adv. Jovin. cap.* 14. Deinde ut habuerint: quod de omnibus præter Joannem ſentire videtur Ignatius *in epiſt ad Philadelphios*; & nos de quibuſdam non negamus: de nullo tamen omnium doceri poteſt, quod evangelizans uxorem circumduxerit. Nec ratio patitur id opiniari de illis qui Chriſtum ſecuti omnia reliquerant, etiam uxores, *Matth. 19.* Non enim facilè creditur eſſe continens ab uxore, qui eam apud ſe retinet, perque regiones & domos comitem trahit.

Ut igitur ad verba Pauli redeamus; ea *ſenſum* hunc habent planum & perſpicuum: An non ego & Barnabas habemus poteſtatem adducendi nobiſcum, quoties evangelii cauſa terras obimus, aliquam mulierem Chriſtianam, quæ ſuis ſumptibus (aut etiam alienis, ut vult Cajetanus) miniſtret nobis ea quæ ſunt humanæ neceſſitatis? Nominat autem mulierem potius quàm virum: quia ſic erat apud Judæos conſuetudo: propterea quod ad hujuſmodi miniſteria, vel aptiores, vel promptiores ac magis officioſæ, ſoleant eſſe mulieres.

Cur circumducere mulierem non fuerit ſcandaloſum.

Si quæras, quomodo mulierem quæ uxor non eſſet, circumducere, non fuerit apud homines, ſaltem infirmiores, ſcandaloſum: *Reſpondetur*, apud Judæos non fuiſſe; quia fiebat conſuetudine in tantum recepta, ut & Chriſtus Dominus eamdem circa ſe admittere non fuerit dedignatus. Neque enim aſſumebantur ad hujuſmodi miniſterium mulieres, niſi quarum caſtitas cum pietate conjuncta, adeò nota eſſet ac probata, ut omnem excluderet incontinentiæ ſuſpicionem. *Adde* quod & Apoſtolorum ea fuit vitæ perfectio, & perfectionis apud omnes exiſtimatio; ut nemo facilè ſiniſtrum quid, propter fœminas comites, de eis ſuſpicari potuerit, quemadmodum nec Judæi, quantumvis malevoli, tale quid de Chriſto ſuſpicati fuiſſe, ac ne quidem per calumniam objeciſſe, leguntur.

Verùm quia factum hujuſmodi poterat offendere Gentiles, apud quos inopinabile erat mulierem paſſim circumducere & non tangere: propterea Paulus Gentium Apoſtolus, ne quod obſtaculum poneret evangelio, prudenter admodum exiſtimavit ab eo ſibi abſtinendum. Qua de re tota ſic Hieron. in commentario ſuper Matthæum ad illud cap. 27. *Erant autem ibi mulieres quæ ſecutæ fuerant Jeſum à Galilæa, miniſtrantes ei. Conſuetudinis*, inquit, *Judaicæ fuit; nec ducebatur in culpam, more Gentis antiquo, ut mulieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent. Hoc quia ſcandalum facere poterat in nationibus, Paulus abjeciſſe ſe memorat.* Sic ille. De loco Philipp. 4. quem perinde ut iſtum novatores ad uxorem Pauli referunt, agemus illic accuratè: ſimul ad Ignatium Martyrem, quem ſuæ ſententiæ volunt eſſe, reſponſuri.

Sicut et cæteri Apostoli et fratres Domini et Cephas? Hæc pars non ad id ſolum refertur quod proximè præceſſit, de ſorore muliere circumducenda: ſed ſimul ad illud ſuperiùs: *Numquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi?* Quare quod de muliere circumducenda dixit, non eſt neceſſe intelligi factum ab omnibus Apoſtolis cæteris, & à fratribus Domini, & ab ipſo Cepha, id eſt, Petro; ſed ab aliquibus iſtorum. Quod addit, *& fratres Domini, & Cephas*, cum auxeſi dicitur. Intendit enim orationem velut gradibus quibuſdam; ac ſi dicat; An non habemus poteſtatem prædictorum, quam habent, quaque utuntur cæteri Apoſtoli, etiam, qui inter eos præcipui, id eſt, fratres Domini; adeoque ipſe Petrus princeps & caput Apoſtolorum? Nam Petrum ultimo loco nominatum tamquam cæteris majorem atteſtantur Græcorum commentarii. Sic enim & 1. *cap. hujus epiſt.* gradatim ad majores aſcendit, quando poſt ſe nominavit Apollo, Petrum, Chriſtum. Sic & Angelus ad mulieres Marci ultimo, *Ite*, inquit, *dicite diſcipulis & Petro.*

Fratres Domini qui dicantur tam hoc loco, quàm apud Evangeliſtas (ut qui omnes fratrum Domini meminerunt) vetus quæſtio eſt. Ubi primùm cavendus exſecrabilis error infidelium Judæorum, qui fratres germanos Domino Jeſu aſſignant, tamquam natos ex Joſeph & Maria conjugibus, ex quibus & illos genitos volunt. Cavendus item error Helvidii, qui Domino fratres aſſcribebat uterinos. Nam etſi fateretur Dominum ex Maria virgine natum, eos tamen qui fratres Domini in ſcriptura vocantur, ejuſdem Mariæ matris Domini filios ex Joſeph poſteà ſuſceptos dicebat, detrahens perpetuæ ejus virginitati. Quem errorem doctè & ſolidè refutavit ex ſcripturis S. Hieron. *libro adverſus Helvid. ſcripto.*

Fratres Domini qui dicantur.

Error Judæorum.

Error Helvidii.

Ecclesia verò semper ut hæresim detestata est: ipsius potissimùm virginis instructa certissimo fidéque dignissimo testimonio, sic loquentis ad Angelum divini partus nuncium: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1.

Aliorum opinio de fratribus Domini: sed improbanda.

Cæterùm multorum opinio fuit fratres Domini vocari filios Joseph ex alia conjuge priore; qua mortua duxerit beatam Mariam: ut quomodo Joseph pater Domini fuit putativus, sic & illi fratres ejus putativi fuerint; fratres, inquam, ex eodem patre, licet matre diversa geniti. Ita senserunt Origenes *super Matth. cap.* 13. Eusebius *hist. eccles. lib.* 2. *cap.* 1. Hilarius *canone* 1. *in Matth.* Epiphanius *in hæres* 28. *& 78.* item commentator Ambros. *in epistolam ad Galat.* 1. & his omnibus antiquior Hyppolitus Portuensis, citante Nicephoro *lib.* 2. *suæ hist. cap.* 3. Sic quoque Theophyl. *passim*; ut scribens *in Matth.* 13. *& 27. & Joan.* 10. *& epist. ad Galat.* 1. Item Euthymius *in Matth.* 12. *&* 27. Oecumen. *in hunc locum*; & Cajetanus *in epistolam ad Gal.*

Verùm hanc opinionem Hier. *in comment. Matth.* 12. ad apocryphorum deliramenta rejicit: & *adv. Helvid. differens c.* 9. refellit; vocans non tam piam quàm audacem temeritatem eorum qui hujusce figmenti sunt authores. Certè scriptura nusquam aliquid tale significat: nec verò congruit dignitati beatissimæ Virginis, attribuere ei virum non virginem, sed priùs uxoratum, & è priore conjugio liberis onustum; atque eorum cura distentum, cui custodia mandanda erat pueri Salvatoris, simul & matris, inter pericula persequentium. Ut & hoc addam, parum decere matrem Domini, novercam esse filiorum Joseph. Prætereà si fratres Domini putativè tantum dicerentur, non honoris causa Jacobum fratrem Domini Paulus appellaret *Gal.* 1. ut nec fratres Domini hoc loco. Non enim verus est honor ab excellentia putativa. Qua ratione etiam illorum infirmatur opinio, qui fratres Domini interpretantur propinquos ejus ex parte Joseph: extenso videlicet fratrum nomine ad cognatos in genere. Nam & sic à putativa fraternitate non receditur, ut quæ nitatur patre putativo.

Alia quorumdam opinio refellitur.

Communis & vera sententia de fratribus Domini.

Dicamus igitur, quod habet sententia verior, eademque apud Latinos communior fratres Domini veros intelligi, id est, ex parte B. Mariæ virginis, quæ verè & propriè mater Domini fuit: extenso tamen, ut dictum est, nomine fratrum ad quoslibet cognatos seu carne propinquos: idque juxta morem Hebraici ac Syriaci sermonis, qui frequens est in sacris literis: quod benè declarat Hieron. *adversus Helvid. cap.* 8.

Confirmatur hæc sententia, primùm ex eo quod fratres Domini nusquam nominantur cum Joseph, sed cum matre Jesu, tamquam ex ejus parte fratres, id est, propinqui ipsius. Loca sunt. *Matth.* 12. *&* 13. *Marc.* 3. *&* 6. *Luc.* 8. *Joan.* 2. *& Act.* 1. Deinde ex narratione Joannis, qui *capit.* 19. Mariam Cleophæ sororem matris Domini disertè nuncupat. Erat autem Maria Cleophæ eadem cum Maria matre Jacobi & Joseph, sive ut in Græco Josæ (Hieronymus Josetem vocat) fratrum Domini: quemadmodum ex collatione *Matth.* 27 *&* *Marc.* 15. cum dicto loco Joannis, perspicuè deducit idem Hieron. *contra Helvid. cap.* 7. & alii post eum.

B. Maria unigenita.

B. Anna monogama.

Nec tamen hinc colligas Mariam Matrem Domini non fuisse unigenitam suis parentibus. Nam ut secundum & tertium Annæ matris ejus maritum prorsus repudiamus; ita duas aut tres illi filias ejusdem nominis fuisse, quod vulgo putatur, non est verisimile: cum nomina filiis & filiabus imponantur ad distinctionem. Sed sororem matris Domini dixit Joannes, eo sensu quo fratres Domini dixerat, ejusdem sui Evangelii *cap.* 2. *&* 7. & quomodo sorores Domini dictæ sunt apud *Matthæum* 13. & *Marcum* 6. Fuit igitur Maria Cleophæ soror matris Domini, id est, cognata, fortè consobrina, certè ita propinqua, ut ejus filii fratres Domini possent appellari. Qui quidem fuerunt juxta Matthæi & Marci locis proximè citatis enumerationem, *Jacobus & Joseph*, Græcè *Joses & Simon & Judas*; licet opinentur nonnulli duos posteriores non fuisse germanos priorum, sed ex alia quapiam matre propinquitatem habuisse cum Christo: propterea quod Maria tantùm legatur Jacobi & Joseph mater *Matth.* 27. *&* *Marc.* 15. Quod si ita est, fatendum erit Judam qui se fratrem Jacobi nominat in sua Epistola, nec germanum nec uterinum Jacobi fratrem fuisse, sed tantùm ea generali ratione, qua fratres, ut antè dictum est, vocantur propinqui.

An filii Zebedæi fratres Domini.

Porrò multi hoc loco etiam Joannem, & consequenter fratrem ejus Jacobum, inter fratres Domini numerant, ut Haymo, Aquinas, Carthusianus, glossam interlinealem secuti: & his recentiores Erasmus, Gaignæus, Hofmeisterus, Titelmannus, Guilliaudus: addo etiam Calvinum. Ac simile quid habet Theophylactus *in Prologo super Evangelium Joannis.* Sed & vulgo putatur hos duos fratres cognationis fiducia ausos petere à Christo primas sedes in ejus regno, *Matth.* 20.

Negativa probatur.

Verùm hæc opinio nata videtur ex apocryphis nec fide dignis historiis, partim ea quam refert de Joseph viro P. Mariæ Theophylactus *loco jam dicto*: partim altera passim recepta, quæ B. Annæ tres filias ascribit, quarum unam dicunt illam quæ ex Zebedæo Jacobum & Joannem suscepit. Certè patres antiquiores hujus cognationis non meminerunt. Et quidem Epiphanius utroque *loco suprà citato*, disertè negat Joannem Christo fuisse carne propinquum. Quam sententiam meritò probant hac ætate viri doctissimi Corn. Jansenius & Jo. Hesselius in *suis ad locum Matth.* 20. *comment.* & Joan. Molanus *lib.* 3. *historiæ SS. imaginum cap.* 28. Etenim cum frequenter horum fratrum mentio fiat in scriptura; nusquam tamen quod fratres Domini fuerint indicatur: Imò potiùs negatur. Cùm enim inter Apostolos Christi duo fuerint Jacobi; non uterque, sed alter ad discrimen alterius, frater Domini legitur appellatus.

6. AUT EGO SOLUS ET BARNABAS NON HABEMUS POTESTATEM HOC OPERANDI? Græcè *Aut solus ego & Barnabas.* Ita dictio *solus* commodius etiam Barnabam comprehendit. Cæterùm Barnabæ meminit, quod eum in prædicando Gentibus evangelio, & per hoc in abstinentia sumptuum alienorum, habuisset socium. Pariter enim ad Gentium conversionem Paulus & Barnabas missi fuerunt à Spiritu-sancto, *Act.* 13. Hic observa Pauli candorem, qui laudem hanc abstinentiæ non sibi soli vendicat, sed Barnabam ejus participem libenter ac sponte declarat. *Hoc operandi*, id est faciendi quod cæteri faciunt, vivendi ex evangelio & mulierem circumducendi. Sic ferè Latini exponunt, ac nominatim commentator Ambros.

Nota, Pauli candorem.

At sciendum in Græco & Syriaco legi *non operandi.* Atque ita vertisse nostrum interpretem verisimile est. Sic enim etiam Augustinus *libr. de opere monach. cap.* 7. & legit & exponit. Cujus verba Beda quoque in sua collectanea retulit. Ac meminit hujus lectionis glossator interlinealis, inquiens: *vel potestatem non operandi, id est, cessandi à labore manuum.* Quæ eadem verba inter lineas scripta vidimus in pervetusto codice Laudensi. Utramque verò lectionem adfert & interpretatur Lombardus.

Estque sensus Græcæ lectionis perspicuus. Alii, inquit Apostolus, non operantur manibus, sed vivunt ex evangelio, utentes potestate sibi data à Christo. An solus ego & Barnabas potestatem non operandi manibus non habemus, ut & nobis liceat ex evangelio vivere? Constat autem ex aliis locis Pau-

um operatum fuisse manibus, præcipuè Corinthi: ne qua remora fieret evangelio currenti, si sumptum acciperet ab iis quibus evangelium ministrabat. Idque de se jam suprà testatus est cap. 4. dicens: *Laboramus operantes manibus nostris*. Vide quæ illic à nobis annotata. Sensum hunc confirmat Græcum verbum ἐργάζεσθαι, *operari*; quo significari solet opus manuum: atque eo passim utitur Apostolus cùm de opere manuum loquitur. Hæc omnium Græcorum expositio est. Itaque miror Erasmi fluctuationem in annotationibus: ubi cùm præsentem locum benè ex Chrysostomo & Theophylacto exposuisset; posteà ad diversum sensum delabitur, tamquam *duabus negationibus* ὁ μὴ *unius vice sit abusus* Apostolus: quod Græca minimè permittunt, obstante articulo τῷ, verbum infinitum determinante τὸ μὴ ἐργάζεσθαι, id est, (ut crassè explicem) *ejus quod est non operari*.

Potestas vivendi ex evangelio multis argumentis probata.

7. Quis militat suis stipendiis unquam? Deinceps argumentis quibusdam ostendit, tam se quàm alios evangelii ministros habere potestatem vivendi ex evangelio. Est enim tota probatio communis omnibus evangelii prædicatoribus, & in universum ecclesiæ ministris, quatenus indigeant sumptu ad vitam in obeundis ministeriis sustentandam. Primùm autem argumentatur ab exemplis humanis, scilicet militum, agricolarum & pastorum. Neque enim miles tenetur suo sumptu militare; sed à provincialibus, ut Augustinus loquitur, accipit decreta sibi stipendia.

Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Id est: Quis prohibetur edere de fructu vineæ, vel cujuslibet arboris à se plantatæ? quasi dicat, nemo. Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat? Græcè, *Aut quis?* Et *edit* potiùs quàm *manducat*, ut in parte præcedenti vertit idem verbum ἔσθει. Porrò sensus est similis. Significant enim hæ percontationes, non tam quid fiat, quàm quid jure fiat, ac fieri possit.

Vult autem Apostolus ex his similibus intelligi, quod ei qui Christo militat in evangelii prædicatione, debeatur stipendium ex quo vivat: & quod plantanti vineam Christi, sicut apud Corinthios ipse se feciisse commemorat *suprà cap. 3.* dicens, *Ego* plantavi, debeatur fructus ex vinea plantata; quodque pascenti gregem ovium Christi debeatur lac & lana ex ipso grege. Benè Chrysostomus admonet Paulum non dixisse: *Quis militat, & non est dives? Quis plantat vineam, & aurum non colligit? Quis pascit gregem, & de agnis non exercet mercaturam?* Sed multi stipendium, quod Græcè est ὁ ψώνιον, plantatori de fructu, pastori de lacte cibum assignat: ostendens *quod oportet doctorem parvo solatio esse contentum, soloque necessario*.

Admonitio Chrysostomi.

Quid secundum hominem loqui.

8. Numquid secundum hominem hæc dico? Græcè λαλῶ *loquor*. Plerique tam Græci quàm Latini subaudiunt exclusivam particulam; &, *secundùm hominem*, exponunt secundum humanam rationem: ut sensus sit, An solum ex rebus humanis mihi suppetunt argumenta ad probandum quod dico, scilicet me & Barnabam habere potestatem ex evangelio vivendi? *Alii sic*; Numquid hæc dico ex humano & carnali affectu; tamquam mihi meisque commodis consulere volens? Favere videtur huic sensui phrasis ipsa, *secundum hominem*, prout ea Paulus aliàs utitur, ut Rom. 3. *Secundum hominem dico*, & hujus epistolæ cap. 3. *Secundum hominem ambulatis*, & infrà cap. 15. *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi*. Verùm in priori sensu phrasim hanc usurpavit *Gal. 3.* ubi similiter, ut hic fecit, à rebus humanis allaturus exemplum, id est, à validitate testamenti humani, sic ait; *Fratres secundum hominem dico*, &c. Denique eidem sensui meliùs respondet quod sequitur.

An et lex hæc non dicit? Græcè, *Aut nonne & lex hæc dicit?* videlicet sub allegoria hoc ipsum docens evangelii ministros habere potestatem ex evangelio vivendi. Legem veterem intelligit; quæ certè divina est, non humana.

9. Scriptum est enim in lege Moysi. Non Moysi legislatoris, si propriè loquendum sit, sed ministri: qui legem à Deo acceptam Israëlitis attulit. Neque enim scriptura Moysen usquam legislatorem vocat. Et utique plus est esse Dei ministrum in lege ejus ferenda, quàm suam ferre legem.

Non alligabis os bovi trituranti. *Alligabis* Græcè φιμώσεις, significantiùs *obligabis*, ut alii verterunt. Locus est Deut. 25. Ubi quamvis *os* non exprimitur, includitur tamen in verbo tam Hebræo quàm Græco: ut obturare, sive obligare bovem, sit ligare os ejus. Noster interpres eamdem vocem, 1. Tim. 5. transtulit *infrænabis*. Liranus super Deuteronomium scribens *inrostrare* vocat. Nos ibidem ex versione S. Hieronymi sic legimus; *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*. Mos enim erat apud orientales, ut & hodie in quibusdam Galliæ locis, boum opera uti ad fruges pedibus triturandas. Qui verò tenaciores erant, bobus ora obligabant, ne de frugibus quas terebant, edere possent. Quod erat inclementiæ cujusdam & injustitiæ, quam lex inhibet. Hebraismum nota, *ligabis* pro *ligabo*.

Providentia Dei pertingens ad omnia & singula.

Numquid de bobus cura est Deo? Omnium quidem & singularum rerum curam & providentiam habet Deus, etiam in particulari, testante scriptura quòd Dei sapientia *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, Sap. 8. Hinc scriptum est, *Homines & jumenta salvabis Domine*, Psal. 35. & iterùm, *Qui dat jumentis escam justorum*, Psal. 146. Quare & de pecoribus ita præcipit Ecclesiasticus c. 7. *Pecora tibi sunt? attende illis*. Ipsumque adeò præceptum seu Dei seu Sapientis datum homini de jumentis & pecoribus, arguit illa Deo curæ esse.

Quo sensu non sit Deo cura de bobus.

Non igitur absolutè curam boum à Deo removet Apostolus: sed quod dicit, hunc sensum habet; Num Deo cura est de bobus; ut propter illos det hominibus præcepta, ac non potiùs propter ipsos homines? Nam præceptum istud de ore bovi trituranti non obligando, non boum sed hominum causa datum est, tum ut clementiæ & humanitati assuescerent; Unde Salomon, *Novit justus jumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia*. Prov. 12. tum propriè, ut quod de bobus præcipitur, intelligerent sibi multò magis observandum erga homines: id est, ne eos quorum utuntur opera, fraudarent alimonia debita. Maximè verò, ad significandum quid ministris verbi divini tamquam bobus in area dominica triturantibus, debeatur ab illis quibus ministrant. Id enim est quod sequitur.

10. An non propter nos utique hoc dicit? Græcè, *An propter nos omnino dicit?* absque *non* & *hoc*: quæ voculæ etiam in multis Latinis ac probatis codicibus non habentur. Posterior asscripta videtur à nonnullis ad supplendum sensum: tametsi & in Græcis quibusdam, atque in Syris legatur. Sensus autem est: An potiùs existimandum est, omninò seu principaliter hoc Deum præcepisse propter nos evangelii ministros? ut jam explicatum est.

Nam propter nos scripta sunt. Græcum verbum ἐγράφη, cum sit numeri singularis, rectiùs vertas *scriptum est*: quemadmodum paulò antè γεγράπται. Nihil enim est quod cogat aut suadeat pluraliter vertendum. Nam de eodem adhuc testimonio scripturæ loquitur, affirmans id quod interrogatione quærebat, an propter nos hoc dictum esset.

Quoniam debet in spe qui arat arare. *In spe*, id est, cum spe, Hebraismus. Hæc nova sententia est, qua ad thesim probandam, scripturæ rationem subjungit. Ubi verbum *debet* sic expone, ei debetur; quomodo si quis dicat, Ego debeo patri succe-

dere in hereditate: tale est ac si diceret: hæreditas patris mihi debetis. Igitur sensus est: Siquidem & homo qui arat, meritò sperat fructum. Nam debetur ei pro suo labore: proinde fraudandus non est spe fructus inde percipiendi. Hanc enim spem explicat id quod sequitur.

ET QUI TRITURAT, IN SPE FRUCTUS PERCIPIENDI. Græca sunt obscuriora, sic enim habent; *Et qui triturat, spei suæ particeps esse in spe.* Supple *debet.* Hoc enim repetendum ex membro præcedente. Sensum verò benè reddidit interpres. Est autem hujusmodi: Et homo qui triturat fruges suas, id jure facit cum spe percipiendi fructum speratum, hoc est, utendi frumento à palea separato: neque ab ea spe prohibendus est. Itaque nota in Græco spem priori loco poni pro re sperata; quemadmodum & alibi interdum, ut Galat. 3. *Ex fide spem justitiæ expectamus*, & Tit. 2. *Expectantes beatam spem.* Erasmus ita vertit, *Et qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse debet*, videlicet extrema particula *in spe*, vel *sub spe*, reducta ad verbum *triturat* initio positum.

Spes pro re sperata.

Sequuntur hoc Cajetanus & alii quidam recentiores. Sed revera coactior est ea versio: nec respondet priori membro: nec sensum facit perinde commodum. Quod verò quidam codices hoc loco non addunt *in spe*, inde factum arbitror, quia putabatur esse superfluum. Jam hinc colligi rursum vult Apostolus, evangelii ministrum, utpote spiritualiter arantem & triturantem in agro & familia Dei, jus habere percipiendi fructum sustentationis ex opere suo spirituali. De quo jam sequitur.

11. SI NOS VOBIS SPIRITUALIA SEMINAVIMUS, MAGNUM EST SI NOS CARNALIA VESTRA METAMUS? Græcè θερισομεν *metemus.* Ratiocinatur ab inæqualitate dati & accepti; idque sub metaphora seminantis & metentis: qui multò plus exspectat è terra, quàm in eam projecit. Hîc verò contrarium accidit. Nam spiritualia quæ seminantur, incomparabiliter meliora sunt carnalibus quæ metuntur. Unde nihil magnum, inquit, nobis præstatur, nec vobis oneroſum videri debet, si nos spiritualia vobis submini-strantes vicissim carnalia recipiamus. Quamquam autem propter dictam inæqualitatem non potest alterum pro altero velut pretium dari vel accipi: tamen ita dantur spiritualia, ut inde nascatur in dante jus & potestas carnalia percipiendi; & in accipiente debitum reddendi. Spiritualia vocat doctrinam evangelicam & sacramenta per Spiritum-sanctum efficacia, quibus anima pascitur. Carnalia verò dicit alimenta, ac cætera subsidia quibus caro, id est, corpus nutritur atque fovetur. Eamdem sententiam Apostolus Rom. 15. sic extulit: *Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.* Vide quæ nos eo loco diximus.

Carnalia nō sunt pretia spiritualium jure tamen debita.

11. SI ALII POTESTATIS VESTRÆ PARTICIPES SUNT, QUARE NON POTIUS NOS? *Quare*, de suo addidit interpres, ut expressior esset interrogatio. Nam absque eo legunt etiam Latini, Tertullianus, & commentator Amb. quorum ille partem hanc sic recitat lib. de pudicitia cap. 14. *Si alii de potestate vestra consequuntur, non magis nos?* Iste verò legit hunc ad modum: *Si alii potestate vestra utuntur, nonne magis nos?* Argumentatur Apostolus ab exemplo aliorum, qui cum minùs laborassent apud Corinthios in negotio evangelii, tamen ab illis alimenta sumebant. Videtur autem notare Pseudapostolos, qui sub occasione qualiscumque sui ministerii Corinthiis impensi, permultum potestatis sibi apud eos vendicabant: de quibus in 2. epist. cap. 11. ita scribit; *Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit.* Pro *vestræ* clarius ad sensum, atque etiam ex Græco ad verbum reddi potuit *vestri*, id est, in vos.

Pseudapoli notati.

Nam sensus est: Si alii potestatis erga vos participes sunt, hoc est, utentes apud vos potestate ministrorum evangelii: dum pro suo qualicumque ministerio recipiunt à vobis temporalia subsidia, an non potiori jure ego & Barnabas à Spiritu-sancto missi ad opus evangelii, ac primi Gentium Apostoli, fieri potuimus hujusmodi potestatis participes? Ego quidem apud vos, quos per evangelium in Christo genui: Barnabas autem apud alias Gentes quibus evangelium prædicavit. Nam Barnabam Corinthiis prædicasse non apparet, neque *ex actis Apost.* neque *ex epistolis Pauli.*

SED NON USI SUMUS HAC POTESTATE. Negat se & Barnabam passim usos fuisse ea potestate. Nam Paulum apud Macedones usum fuisse, constat ex iis quæ scribit *in 2. epist. cap. 11. & ad Philip. c. 4.* Cur autem usus non fuerit, statim dicet.

SED OMNIA SUSTINEMUS. *Omnia* mala ex non usu potestatis antedictæ provenientia: nempe famem, sitim, frigus, nuditatem, vigilias, manuum laborem, cujusmodi *in 2. ep. cap. 6. & 11.* recenset.

NE QUOD OFFENDICULUM DEMUS EVANGELIO CHRISTI. En causam cur ipse & Barnabas non fuerint usi potestate ex evangelio vivendi: ne scilicet ullum darent offendiculum evangelio Christi. *Offendiculum*, Græcè εγκοπην, id est, *intercisionem, interruptionem*: & sumitur pro obstaculo ac remora: ut sensus sit; Ne utentes potestate & jure nostro, moram injiciamus evangelio, quò minùs celeriter ac feliciter currat atque fructificet. Quod contingit apud eos, qui vel sumptu gravati, vel suspicantes Apostolum evangelizare sui quæstus & commodi causa, reddantur ab evangelio quod prædicat, alieniores.

Offendiculū evangelii quod.

Addit & alia nonnulla offendicula Cajetanus. Quamquam ipsi Paulo præcipua ratio cur apud Corinthios abstinuerit à sumptu capiendo, fuisse videtur, quam in consequentibus aperit; ut adversus Pseudapostolos, authoritatem ipsius ac ministerium cum manifesto evangelii dispendio deprimentes, integram sibi servaret materiam gloriandi. Cæterùm apud quoscumque offendiculi periculum erat, tenebantur Apostoli abstinere ab usu potestatis; secundum ea quæ de scandalo infirmorum vitando *dicta sunt cap. superiori.*

Ratio præcipua Paulo abstinendi à sumptu.

13. NESCITIS QUONIAM QUI IN SACRARIO OPERANTUR, QUÆ DE SACRARIO SUNT EDUNT? Redit ad confirmandam amplius suam propositionem, adferens argumentum ab exemplo ejusdem generis, cóque fundato in lege divina: scilicet eorum qui quod sacrorum ministri sunt, ex oblationibus & sacrificiis vivunt. Hæc pars in Græco sic legitur: *Nescitis quod qui sacra operantur, è templo edunt.* Atque ita transtulit Hentenius: Erasmus quidem aliter: *ex sacrificio vivunt.* Nam Græca vox ιερον & sacrificium & templum significat: sed templum multò usitatius, maximè in sacris literis Græcè editis in quibus passim hoc nomen attribuitur templo Hierosolymitano, non sine allusione ad nomen urbis. Namque de certo templo Paulum loqui, significat articulus εν τῳ ιερῳ.

Sacrarium pro templo scripsit interpres.

Sed & Græci tractatores de templo Judaico exponunt: tametsi interpretes Chrysost. & Theophyl. rem minus fuerint assecuti, vertentes *ex sacro*: cum Apostolus ita conjungat hæc duo, è templo edere, & (quod sequitur) cum altari participare: quomomo conjungit Christus *Matth.* 23. jurare in templo, & jurare in altari. Quod ergo noster interpres sacrarium dixit, templum intelligere debemus, quemadmodum disertè Sedulius exponit: idque juxta aliam quamdam veterem translationem, quæ citante Augustin. *libr. de serm. Dom. in monte capit. 16.* & de opere monachor. cap. 9. sic habet: *Nescitis quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt edunt?* Cui consonat traslatio Syriaca: *Nescitis quod qui in domo sancta ministrant, ex domo sancta*

alantur? Ex quibus etiam perſpicitur, Apoſtolum hac parte non voluiſſe ſignificare legem Gentilium; ut in altari legem Judæorum; quod putat Ambroſ. commentator, & poſt eum alij: ſed potiùs utroque membro ad eamdem legem Judæis datam reſpexiſſe, ut procedat argumentatio à miniſtris veteris legis ad miniſtros novæ.

Sacra operantes edere è templo, quid ſit.

Porrò ſacrificium quod Eraſmus reddere maluit, in ſcripturis non ἱερὸν, ſed θυσία ſolet appellari. Sacra operantes, ſive in templo operantes vocat Apoſtolus eos qui ſacra obeunt miniſteria: quæ quidem varia erant, ſed præcipuum illud quod in offerendis ſacrificiis verſabatur. Edere è templo eſt vivere ex oblationibus templi qualeſcumque eæ ſint: erant enim & oblationes variæ, partim lege præſcriptæ, partim ſpontaneæ: & inter has etiam pecuniariæ, quæ mittebantur in gazophylacium.

Quid altari deſervire.

ET QUI ALTARI DESERVIUNT, CUM ALTARI PARTICIPANT? Voculam *&*, Græca ac multa Latina non addunt. *Altari*, Græcè θυσιαστηρίῳ. Qua voce cum paſſim altare ſignificetur, & Eraſmus quoque ſic vertat alibi, mirum ſanè cur hoc loco ſacrarium, *& cap. ſeq. verſ.* 18. ſacrificium pro altari ſcripſerit: Qua in re neſcio num quis alius interpres ei ſuffragetur. *Qui deſerviunt*, Græcè οἱ παρεδρεύοντες, *qui aſſident.* Cujus vocis emphaſim Chryſoſtomus & Theophylactus annotarunt, ut quæ ſonet continuam & perſeverantem ſervitutem: quam & Latinè vocamus aſſiduam. Atque eamdem vim habere poteſt Latinum verbum interpretis *deſerviunt.* Nam præpoſitio *de* interdum auget in compoſitione, ut demiror, deamo. Porrò ſimilis erat conſideratio in vocabulo huic cognato συμπαρεδρεύειν, ſuprà *cap. 7. verſ.* 35.

Senſus Apoſtoli eſt: eos qui aſſiſtunt altari, ſive ipſi ſacrificia offerentes, ſive offerentibus miniſtrantes, ſuas accipere partes ex oblatis. Nonnulli membrum hoc à priori ita diſtingunt, ut illud ad ſacerdotes pertineat, iſtud ad Levitas. Magis veriſimile eſt utrumque utriſque eſſe commune. Nam & ſacerdotes & Levitæ ſacra templi atque altaris miniſteria exercebant, etſi non eadem omnia. Utrique etiam ex oblatis templi atque altaris participabant. Exſtant de his in lege præcepta, *Num.* 18. *Deut.* 10. *&* 18. & paſſim *in Levitico.*

Ordinatio Chriſti, ut qui evangelium prædicant, de evangelio vivant.

14. ITA ET DOMINUS ORDINAVIT IIS QUI EVANGELIUM ANNUNCIANT DE EVANGELIO VIVERE. Sic igitur, inquit, etiam Chriſtus Dominus, in ſua, id eſt, nova lege ordinavit atque conſtituit, ut qui Evangelium annunciant, ex Evangelio vivant. Igitur hæc pericope partim infertur *ex præcedentibus*, argumento, ut dictum eſt, à veteri lege ad novam. (Si enim miniſtris antiquæ legis attributum fuit à Deo jus ex ſuo miniſterio vivendi; quantò magis æquum erat idem jus à Domino conſtitui pro miniſtris novæ legis?) partim nova probatio eſt thematis Paulini, eademque præcipua, qua ad extremum allegat ſuper hac re conſtitutionem expreſſam Domini Jeſu ſcilicet eam quam fecit tunc quando mittens Apoſtolos ſuos ad prædicandum regnum cœlorum, dixit eis: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris*, & quæ ſequuntur, hac denique ſubjecta ratione: *Dignus enim eſt operarius cibo ſuo.* Et iterùm quando mittens ad idem opus diſcipulos ſuos ſeptuaginta duos, eis dixit: *In quamcumque domum intraveritis, in eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: Dignus eſt enim operarius mercede ſua.*

His enim & hujuſmodi verbis, poteſtatem dedit Dominus ſuis diſcipulis & omnibus Evangelij miniſtris, ſumendi vitæ neceſſaria ab iis quibus Evangelium prædicant. Ordinavit ergo Dominus, non præcipiendo ut accipiant, ſed dando poteſtatem accipiendi. Quæ tamen ordinatio continet præceptum, quo teneantur illi quibus Evangelium annunciatur, alere Evangelij miniſtros. Unde & horum debitores illos vocat Apoſtolus *Roman. 15. verſ.* 27. Nam ipſis Evangelizantibus non eſſe præceptum ut accipiant, liquet exemplo Pauli & Barnabæ, qui ne quod offendiculum Evangelio Chriſti darent, ea poteſtate non ſunt uſi; quod utique erat magnæ & perfectæ charitatis: tantùm abeſt, ut præcepto Domino contravenirent. Hanc illorum perfectionem imitantur hodie religioſi qui cum annuncient populo verbum Dei, quædam etiam ſacramenta miniſtrent; nihil tamen pro jure exiguunt; ſed mendicando victum quærunt.

Paulinæ perfectionis imitatores hodie religioſi mendicantes.

15. EGO AUTEM NULLO HORUM USUS SUM. Cum, inquit, tot ſint argumenta poteſtatis noſtræ, hactenus à me producta, ab authoritate, ratione, exemplis; nullo tamen eorum uſus fui, ne quidem ordinatione Chriſti, ut à vobis alerer: ac ſi dicat: pro poteſtate mea non certavi argumentis, quum apud vos eſſem: ſed magis eam diſſimulavi, ſuſtinens inediam meque meo labore tranſigens: quemadmodum ſcribit in 2. epiſt. capit. 11. *Cum eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui.* Hîc jam ſe ſolum nominat Paulus Barnaba prætermiſſo: quia cauſa cum Corinthiis & pſeudapoſtolis, quam deinceps tractat, erat Paulo propria.

NON AUTEM SCRIPSI HÆC, UT ITA FIANT IN ME. *Fiant*, Græcè γένηται. Quod hoc loco numeri eſt ambigui: ut etiam verti poſſit: *fiat.* Idque loco magis quadrat. Nam *ſenſus eſt*: Ac ne nunc quidem ideò hæc ſcripſi, ut ſimiliter erga me fiat; ſed ad hoc ut oſtendam quod initio propoſui, me tamquam Apoſtolum Chriſti & miniſtrum Evangelij, jus & poteſtatem habere vivendi ex Evangelio,

BONUM EST ENIM MIHI MAGIS MORI, QUAM UT GLORIAM MEAM QUIS EVACUET. Specialem nunc rationem indicat inſtituti ſui, cur à ſumptu apud Corinthios abſtinendum ſibi ſtatuerit. Dictio *magis* determinat *bonum*: ac ſi dicat, *Melius eſt enim mihi mori*; quomodo tranſtulerunt Theophylacti & Oecumenij interpretes. Nam quod ipſum comparativum Apoſtolus non expreſſit, idiomatis eſt Hebræi, quo poſitivus accipit vim comparativi ſequente vocula *quàm*, etiam non addito *magis*, quod addere non ſolent: licet hoc loco Paulus ſuppleat ex uſu ſermonis Græci. Porrò gloriam ſeu gloriationem, (eſt enim Græcè καύχημα, tam hic quàm in verſu proximo) eam intelligit, qua gloriabatur adverſus pſeudapoſtolos, qui Corinthiis graves erant & ſumptuoſi, quemadmodum expreſsè dicit *in 2. epiſt. cap.* 11. verbis ſuperius allatis. Adverſus hos enim gloriam ſibi pepererat gratis evangelizando: quam & omni ſtudio conſervare volebat; adeò ut potiùs eligat mori, id eſt, fame & egeſtate confici, quàm ut patiatur à quoquam Corinthiorum volente ſibi victum ſuppeditare, gloriam illam evacuari; id eſt, inanem & caſſam reddi: quod contingeret hac erepta ſibi gloriandi materia.

Gloria Pauli adverſus pſeudapoſtolos.

Obſ. contra Sectarios, eſſe opera ſupererogationis.

Senſum hunc tradit Auguſt. *lib. 2. de ſerm. Dom. in monte cap.* 16. deſumptum videlicet ex iis quæ *in poſteriore Epiſt. cap.* 11. ſcribit idem Apoſtolus: ubi cum de hac eadem gloriatione mentionem feciſſet, iſta ſubjecit: *Quod autem facio, & faciam: ut amputem occaſionem eorum qui volunt occaſionem: ut (in quo gloriantur) inveniantur ſicut & nos.* Sed de ſenſu horum verborum ſuo loco pleniùs.

Qui verò de gloria regni cœleſtis locum præſentem interpretati ſunt, non ſatis attendiſſe videntur ad ſignificationem vocabuli Græci, & ad ſcopum Apoſtoli. Quamquam ex conſequenti, rectè contra hereticos, ex his & ſequentibus verbis ſtatuatur gloria ſingularis, quam apud Deum conſequuntur, qui opera faciunt ſupererogationis atque conſilij, id eſt, ea quæ ſic commendantur, ut tamen de iis abſolutè non ſint tradita præcepta.

16. NAM SI EVANGELIZAVERO, NON EST MIHI GLORIA. Quidam Latini codices legunt. *Nam & ſi evangelizavero.* Verum particula & nec in Græcis eſt, nec in melioribus Latinis : adeoque quoad ſenſum, redundat. Nam, inquit, ſi evangelizem, Græcè εὐαγγελίζωμαι, id eſt, ſi Evangelium prædicem, non eſt unde gloriari poſſem adverſus pſeudoapoſtolos, tamquam aliquid faciens ſupra id quod ex Chriſti præcepto me facere oporteat. Unde ſequitur.

NECESSITAS ENIM MIHI INCUMBIT. Scilicet evangelizandi. Neceſſitatem intellige ex præcepto Chriſti. Nam ut alij Apoſtoli expreſſo Chriſti præcepto juſſi fuerant prædicare Evangelium, *Matth.* 28. *Marc.* 16. & *Act.* 1. ſic & Paulus non ſemel, ſed ſæpiùs : primum quando ei cælitus vocato à Domino dicta ſunt illa, quæ ipſe pleniùs coram Agrippa rege narrat *Act.* 26. Deinde quando ei reverſo Hieroſolymam & in templo oranti, per revelationem à Chriſto dictum eſt, *Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te* : quemadmodum de ſe refert Actor. 22. Rurſus, quando dixit Spiritus-ſanctus ad eccleſiam Antiochenam : *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.* Actor. 13. His adde juſſionem ei factam, quando ſuum Evangelium accepit, per revelationem Jeſu-Chriſti, ut ipſe ſcribit ad Galat. 1. Quæ tamen an diverſa ſit à ſuperioribus, & quando facta fuerit, haud ſatis conſtat. Nos ad *dictum locum epiſtol. ad Gal.* ea de re quid nobis videatur, annotabimus.

VÆ ENIM MIHI EST, SI NON EVANGELIZAVERO. Græci codices paucis exceptis habent οὐαὶ δέ, *væ autem.* Quod tamen illativè videtur exponendum, hoc ſenſu : Ideoque æternam maledictionem mihi accerſam, tamquam Dominici præcepti tranſgreſſor, ſi non evangelizem, id eſt, ſi munus Evangelij prædicandi deſeram. Hoc væ Dominus exponit, ubi ſervum qui talentum ſibi commiſſum non dederat ad uſuram, ſed abſconderat in terra, damnat hac ſententia : *Servum inutilem ejicite in tenebras exteriores. Illic erit fletus & ſtridor dentium* Matt. 25. Commentarius iſte Græcorum eſt : & inter Latinos Hier. *in enarrat. Jerem. cap.* 21.

Pœna miniſtri non evangelizantis.

Minus probabile quod Aug. *lib.* 2. *de ſerm. Dom. in monte cap.* 16. & *de oper. monach. lib.* 10. Putat hîc intelligi neceſſitatem accipiendi vitæ neceſſaria, premente ſcilicet egeſtate, & væ interpretatur eamdem egeſtatem ; quod nempè ſine Evangelio Paulus non poſſet vitam tranſigere : non quod ita res haberet, ſed quod ſic homines opinarentur, videntes eum accipere victum ex Evangelio. Minus, inquam, probabile. Nam abſolutè dixit Apoſtolus: *ſi evangelizavero*, non addendo : victum accipiens ex evangelio, vel aliquid tale. Deinde priorem ſenſum confirmant quæ ſequuntur.

17. SI ENIM VOLENS HOC AGO, MERCEDEM HABEO. *Volens*, Græcè ἑκών, *ultroneus*, *voluntarius*. Et ſenſus eſt : Quod tamen ſi volens, id eſt, libenter & ex animo faciam, hoc eſt evangelizem ; nimirum ſtudens promovere gloriam Chriſti, & quærens Evangelij fructum, id agens ut quam plurimos Chriſto lucrifaciam ; mercedem habeo repoſitam apud Deum. Mercedem enim intelligit bonis doctoribus promiſſam, de qua dixerat capit. 3. *Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet*, & de qua Daniel capit. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad injuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Merces igitur hæc diverſa eſt à gloria, ſeu gloriatione, de qua paulò antè.

Merces evangelizantis ex animo.

SI AUTEM INVITUS, DISPENSATIO MIHI CREDITA EST. Id eſt, ſi non ex animo & prompta voluntate ſerviendi gloriæ Chriſti id faciam : ſed vel coactus timore pœnæ, quoniam alioqui væ mihi eſſet ; vel in eo munere privata ſpectans commoda, quemadmodum multi qui in Evangelio Chriſti prædicando, quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu-Chriſti : nihilominus tamen Evangelij diſpenſatio mihi commiſſa eſt, ſaltem ut ſervo ; quaſi dicat, etiam ſic per me diſpenſatur Evangelium Chriſti, licet non ad meam ſed aliorum tantum utilitatem. Nam invitus evangelizat, non ſolum qui timore compulſus evangelizat, ne puniatur ; quomodo Balaam benedixit filiis Iſraël, *Numer.* 22. verùm etiam qui id facit, non ipſum amans Evangelium ſed ſuas utilitates ex Evangelio, cujus alioqui prædicandi moleſtiam nollet ſuſtinere.

Invitus evangelizare quis dicatur.

Iſto ferè modo locum hunc tractant expoſitores Latini, plerique ſecuti gloſſam ordinariam ex Auguſtino deſumptam. Meminit autem Apoſtolus diſpenſationis concreditæ, ne quis contemnendum putet Evangelium quod prædicatur per ſervum malum & ſua quærentem. Non enim quod ſuum eſt, annunciat, ſed quod Domini, diſpenſat.

Græcorum improbabilis expoſitio.

Aliter interpretantur hunc locum Græci, iiſque conſentientes Gaignæus & Cajetanus. Nam volentem intelligunt eum qui facit nullum habens præceptum, ſed ſponte ac motu proprio; quem dicunt habere mercedem, non qualemlibet Evangeliſtis debitam, ſed magnam & multam, ſcilicet præ aliis qui ſumptum accipiebant. Invitum autem interpretantur eum qui facit ex præcepto & injuncta ſibi diſpenſatione : etiamſi libenter & ex animo faciat.

Sed hic commentarius nimirùm profectò violentus eſt. Nam ut de mercede taceam, quæ nuſquam eo modo ſumitur ; iſta ratione fatendum eſſet, omnes Apoſtolos invitos Evangelium prædicaſſe ; & tam angelos quàm homines invitos facere, quæcumque faciunt ex Dei præcepto ; denique Chriſtum hominem invitum prædicaſſe Evangelium ; & cætera quæ pro noſtra ſalute in carne geſſit, invitum egiſſe ; quæ ut ageret, mandatum habebat à Patre. Quod quidem dicere quàm ſi abſurdum, quis non videt?

18. QUÆ EST ERGO MERCES MEA? *Mea*, Græcè, μοι, *mihi*. Interpres legiſſe videtur μὲ *mea*. Verùm ſenſus unus eſt : Quid faciendo mercedem accipiam, præmium conſequar à Deo? Huic interrogationi reſpondet, ſubjungens quod ſequitur.

UT EVANGELIUM PRÆDICANS, SINE SUMPTU PONAM EVANGELIUM. *Sine ſumptu*, Græcè ἀδάπανον, ac ſi dicas, *inſumptuoſum*, hoc eſt *gratuitum*, ut vertit Eraſmus. Sic enim loquitur ipſe Paulus in Epiſt. 2. cap. 11. *Gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis.* Neque hîc in Græco ſimpliciter eſt *Evangelium*, ſed *Evangelium Chriſti.* Senſus : Ita demum mercedem ac præmium boni doctoris à Deo exſpectabo, ſi prædicans Evangelium Chriſti, ſumptum ab iis quibus prædico non accipiam. Hoc eſt enim Evangelium ponere ſeu facere inſumptuoſum atque gratuitum. Nam ponere pro facere frequens eſt in ſacris literis. Porrò ſequentibus verbis explicat, quatenus teneatur Evangelium ſine ſumptu ponere, ſic ut aliter mercedem non ſit habiturus : quum jam ſuprà ſatis oſtenderit accipiendi jus ac poteſtatem ſibi nequaquam deeſſe.

Quid ſine ſumptu ponere Evangelium.

UT NON ABUTAR POTESTATE MEA IN EVANGELIO. Græcè εἰς τὸ μὴ καταχρήσασθαι, *ad non abutendum.* Eraſmus, *In hoc ne abutar*, &c. Significat ergo ſe eatenus teneri ad ponendum ſine ſumptu Evangelium, ne in Evangelio prædicando poteſtate ſua qua ſumptus accipere poterat, abuteretur. Hoc autem faceret, ſi paſſim & indifferenter apud quoſcumque prædicaret, ſumptus acciperet. Unde dicit alibi : *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt* : & iterùm, *ſed non omnia ædificant*, ſuprà *cap.* 6. & infrà *cap.* 10. Multa namque licita ſunt in genere, quæ nullo præcepto leguntur prohibita ; quæ tamen in particulari ſæpe redduntur illicita ſeu propter ſcandali periculum, ſeu propter aliud.

Multa in genere licita, in particulari ſunt illicita.

Huic

Huic ſenſui planè reſpondent ea quæ ſequuntur. Ex quo illud etiam liquet, quomodo negave rit Apoſtolus ſe habiturum mercedem, ſi ſumptum ex Evangelio accipiat. Nam ſi habita ratione profectus Evangelii quis ſumptu gravet auditores, nec infirmorum ſcandala curet; is utique non volens evangelizat, ſed invitus, juxta ſuperiorem expoſitionem. Oſtendit enim ſe non id facere ſtudio propagandi Evangelii, & promovendæ gloriæ Chriſti; ſed ſui commodi; ideoque mercede fruſtrabitur.

Rurſus hunc locum aliter exponunt Græci, mercedem intelligentes ut antè, majorem & excellentiorem: abuſum verò per uſum interpretantes. Sed & hæc mihi coactiora videntur. Nec verò convenit Paulinæ modeſtiæ majorem ſibi mercedem & gloriam apud Deum promittere, quam eſſent accepturi alii ſincerè Evangelium prædicantes, etſi ſumptum acciperent; quum præſertim etiam in illos competeret, quod ſuprà dixit, nullum dare offendiculum Evangelio Chriſti: & quod hîc deinceps de ſe prædicat, omnibus omnia factum eſſe: maximè verò in Petrum qui plus cæteris Dominum diligebat, *Joan.* 21. Atqui non omnibus eædem occurrebant cauſæ, cur id facerent apud ſuos, quod apud Corinthios Paulus ſe feciſſe memorat.

Nec dubium quin & illi uſu poteſtatis hujus abſtinuerint, ubicumque ſpiritus ac ratio dictabant abſtinendum eſſe, quemadmodum Paulo. Qui & ipſe cauſis abſtinendi ceſſantibus, aliorum Apoſtolorum more ſumptus non renuebat, velut apud Macedones & alibi.

Quæſtio, quomodo Paulus fecerit opus ſupererogationis.

At *quæres*, quomodo Paulus non accipiendo ſumptum ex Evangelio, fecerit opus ſupererogationis; ſi ad non accipiendum vinculo ſaltem charitatis obſtrictus erat; ne vel ſcandalum daret infirmis, vel occaſionem relinqueret adverſum ſe gloriandi pſeuſtapoſtolis? *Reſpondeo*, ſupererogationis opus dici, non quod dum fit, nullam vel minimam ex lege charitatis obligationem habet: ſed quod ſimpliciter ac nudè conſideratum non eſt præcepti, ſed conſilii: licet ex circumſtantiis aliquam, nunc majorem, nunc minorem accipiat obligationem, quemadmodum & per circumſtantias vitiatur interdum. Tale erat ſine ſumptu ponere Evangelium. De quo Paulus *Actor.* 20. ad Epiſcopos Aſiæ ſic ait: *Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.* Vide quæ de hujuſmodi operibus ſcribit Auguſtin. *libr. 1. de adult. conjug. cap. 14. & ſeqq.*

Reſponſio.

19. NAM CUM LIBER ESSEM EX OMNIBUS, OMNIUM ME SERVUM FECI. Græcè, ἐλεύθερος γὰρ ὢν, *Liber enim exiſtens.* Quod poteſt etiam ita verti, *Nam cum liber ſim.* Superiùs enim dixerat, *Num ſum liber?* Sicque legit Auguſtin. de opere monach. cap. 11. Quod ſequitur, *ex omnibus*, alii vertunt, *ab omnibus*, ut liberum ab omnibus ſe dicat, quod non ſit alienæ poteſtatis, quod nulli ſervus. Rurſus illud, *omnium me ſervum feci*, Græcè eſt, πασιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα, *omnibus meipſum ſervum dedi, feci, ſubjeci.* Dicere vult Apoſtolus, non ſolùm ſe non uſum fuiſſe apud Corinthios poteſtate vivendi ex Evangelio: verum etiam ſtudiosè ſemetipſum omnibus, quibuſcumque Evangelium miniſtrabat, accommodaſſe: nec id ut gloriam apud homines captaret; quod videri cuiquam poſſet, quia gloriationis mentionem ſuprà fecerat; ſed ex amore ſalutis proximorum, & ut ipſe etiam præmii in Evangelio promiſſi, quod paulò antè mercedem vocaverat, particeps fieret. Cùm, inquit, liber ſim vel eſſem ab omnibus, id eſt, nemini mortalium ſubjectus, nec Judæo, nec Gentili, ſed meæ poteſtatis, meique juris; tamen omnibus me ut ſervum ſubjeci, omnium utilitatibus uſque hodie ſubſervio.

Paulus omnium ſervus quo ſenſu.

UT PLURES LUCRIFACEREM. Vel *lucrifaciam*, id eſt, ut quàm plurimos acquiram Chriſto, ſalvoſque faciam. Sic enim infrà: *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.*

20. ET FACTUS SUM JUDÆIS TAMQUAM JUDÆUS, UT JUDÆOS LUCRARER. Erat quidem Paulus Gente Judæus, ex tribu Benjamin: ſed hîc religione & ſecta Judæos intelligit, hoc eſt, eos qui legalium obſervationem ſibi neceſſariam ad ſalutem arbitrabantur; Judaizantes vocari ſolent. Judæis, inquit, cum quibus mihi converſandum fuit, factus ſum *tamquam Judæus*, id eſt, ſimilis illis; intellige quoad actiones quaſdam & obſervationes exteriores: non tamen quoad fidem internam: qua certiſſimè tenebat legis Moſaicæ cærimonias eſſe per Chriſtum abolitas; proindeque non ampliùs cuiquam ad ſalutem obſervatu neceſſarias. Quas tamen ipſe quum apud Judæos ageret obſervabat, velut circumcidens Timotheum, tondens ſibi caput cum voto ſecundùm legem: ac rurſus ex voto ſeſe purificans, dieſque purificationis in templo cum oblationibus annuncians (quæ leguntur *Act.* 16. 18. 21. & 24.) item abſtinens à cibis ſecundùm legem immundis ac vetitis: ut per hæc & hujus generis alia, ſeſe Judæis aſſimilans, faciliùs eos ad Chriſtum attraheret.

Paulus Judæis factus tamquam Judæus.

Neque verò, ſicut opinati ſunt quidam, ſimulata erat illa legis obſervatio. Verè enim Paulus in talibus legem ſervabat; dicente ad eum Jacobo, *Ambulas & ipſe cuſtodiens legem.* Actor. 21. non tamen ut legi obnoxius, quam ſciebat eſſe jam mortuam, ideoque vim obligandi penitus amiſiſſe; ſed propter aliorum ſalutem. Nam & Chriſtus Dominus legem ſervavit, legi non obnoxius. Senſum hunc probat id quod explicando ſequitur.

Legalia Paulus obſervabat, non ſimulatè, ſed verè.

21. IIS QUI SUB LEGE SUNT, QUASI SUB LEGE ESSEM. Græcè *iis qui ſub legem, tamquam ſub legem*, tametſi rectè vertit & ſupplet interpres, Eraſmo ſuffragante. *Senſus* enim eſt: Judæis, qui legem Moyſi tamquam adhuc neceſſariam, ſervant, aut ſervare ſe profitentur, ideoque legis ſervitute premuntur, à Chriſti gratia adhuc alieni, ſimilis factus ſum, obſervans ea quæ legis ſunt. Erant ergo Judæi ſub lege, quamquam abolita; & adhuc hodie ſub lege ſunt, non per legis vigorem, ſed per conſcientiam errantem: dum falsò credunt legem adhuc vigere; ſibique neceſſariò obſervandam eſſe. Vide quæ de hac phraſi Paulina, ſub lege eſſe, diximus ad illud epiſt. ad Rom. 6. *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.*

Judæi ſub lege quamquam abolita.

Chryſoſt. & Theophyl. eos qui ſub lege ſunt, interpretantur proſelytos, aut cerrè eos, qui ex Judæis Chriſti religioni acceſſerant, & adhuc tamen lege detinebantur. Quod poſterius Theodorito placet. Ambroſiaſter & alii poſt eum Latini de Samaritanis exponunt, qui receperant quinque libros legis. Adjungunt his Liranus & Carthuſianus Sadducæos. At verò nihil prohibet generaliter hanc partem accipi, velut explicationem, ut dixi ſuperioris. Nam & id ſuggerit Chryſoſtomus: & ita ſentit Cajetanus.

(CUM IPSE NON ESSEM SUB LEGE. Id eſt: cum probè ſcirem me lege Moſaica non teneri. Hanc parentheſim Græci & Syri codices non habent. Auguſtinus tamen legit, *cùm non ſim ipſe ſub lege.* Habetur etiam in textu commentarii Ambroſiani, ſed non exponitur.

UT EOS QUI SUB LEGE ERANT, LUCRIFACEREM. Nempe Chriſto: ad ejus fidem illos adducendo. Hunc enim finem Apoſtolus in obſervandis legalibus habebat propoſitum. *Erant* interpretis ſupplementum eſt, quemadmodum ſuprà *ſunt*: quod & hic ſcribi potuit, & in parte ſequenti.

IIS QUI SINE LEGE ERANT TAMQUAM SINE LEGE ESSEM. In Græco tres tantum dictiones ſunt, τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος, id eſt, ad verbum; *exlegibus, tamquam exlex.* Quod tamen interpres benè & explicatè pluribus verbis reddidit, niſi quod hoc loco *ſunt* malim quàm *erant*. Eſt enim Gentium epitheton

Gentiũ epitheton eſſe ſine lege.

perpetuum, esse sine lege, id est, scriptam legem non accepisse: quomodo de iis etiam ad Christum conversis loquitur Apostolus Rom. 2. *Gentes*, inquit, *quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.*

Sensus: Iis quibus lex scripta non est data à Deo, id est, Gentilibus, factus sum similis in eo quod legem scriptam apud eos non servavi: idque ne meo exemplo viderer inducere eos ad subeundum jugum legis Mosaicæ: tum ne legis observatione eos alienarem à Christo. Hoc quemadmodum fecerit Apostolus, liquet ex iis quæ scribit in *epist. ad Gal. cap. 2.* Græca vox ἄνομος, etiam iniquum & impium significat: sed ea significatio præsenti loco non quadrat. Jam ne malè quis intelligat quod dicit, *tamquam sine lege essem:* quasi sine lege fuerit, quomodo Gentiles Dei legem omnino non servantes; subnectit parenthesin.

(CUM SINE LEGE DEI NON ESSEM, SED IN LEGE ESSEM CHRISTI) Græca, si verbum verbo reddas, ita sonant: *non existens exlex Deo, sed inlex Christo.* Sunt enim in Græco compositæ dictiones ἄνομος ἔννομος, jucundam inter se paronomasiam habentes. Sensus est: Quum tamen revera non sim nec vivam sine lege Dei, sed observem legem Christi cui sum obnoxius. Quod apud Chrysostomum & Theophylactum pro tertio casu θεῷ legitur secundus θεόν, sensum non variat: tametsi & Syriaca versio habet *Deo.*

Christus Deus, idemque non solùm redemptor noster, sed & Legislator.

Hîc duo sunt *observanda*: contra veteres quidem hæreticos, Christum vocari Deum. Probat enim Apostolus se non esse sine lege Dei, ideò quod sit in lege Christi. Quæ probatio firma non esset, nisi Christus sit Deus. *Contra novos* autem, Christum nobis datum esse, non solùm ut redemptorem cui fidamus; verum etiam ut legislatorem, cui obediamus ut definiendo loquitur Synodus Tridentina *sess. 6. can. 21.*

UT LUCRIFACEREM EOS QUI SINE LEGE ERANT. Græcè, *ut lucrifaciam exleges*, hoc est, Gentiles. Proinde vel *erant*, vel potiùs *sunt* exprimendum in Latino.

22. FACTUS SUM INFIRMIS INFIRMUS, UT INFIRMOS LUCRIFACEREM. Græca constanter habent: *Factus sum infirmis, tamquam infirmus*, textu Syriaco suffragante. Quod etsi ab Apostolo scriptum non esset; ex superioribus tamen intelligi poterat, atque etiam oportebat, si infirmum accipit eodem modo. Neque enim Paulus infirmis verè infirmus factus erat, qui dicit Rom. 15. *Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere*: non autem: debemus propter infirmos infirmari. Verumtamen nostra lectio omnium est codicum Latinorum: & ab omnibus Latinis tractatoribus exponitur. Nec aliter referunt Cyprianus *in epist. 52. ad Anton.* & August. *epist. 9. ad Hieron.* Ambr. quoque *in enarrat Ps. 104.* ita se legisse ostendit cùm dicit de Paulo: *Et infirmis volens fiebat infirmus, ut eos confirmaret.* Facilè verò adducor ut credam hanc esse lectionem germaniorem. Nam proclivius erat in Græcis asscribere adverbium ὡς *tamquam*, quod legebatur in tribus membris præcedentibus; quam in Latinis expungere aut omittere nulla occasione. Probabilitatem auget alter locus similis 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?*

Nota, quomodo Paulus infirmis factus infirmus.

Quamquam fatendum, quod ad sensum attinet, nihil interesse. Factum enim se dicit infirmis infirmum, sive quasi infirmum, id est, infirmis similem, animo quidem per affectum commiserationis; opere verò per hoc quod infirmis accommodaverit sese, similia quædam faciens; veluti legales observationes exercens, ab idolothytis abstinens, & omninò offensiones illorum & scandala diligentissimè cavens, quemadmodum dicere solemus nutricem puerascere cum infantulo quadam actionum similitudine: & medicum ægrotare quodammodo cum ægroto, dum se ejus infirmitati quoad potest attemperat. Hoc autem quomodo Paulus fecerit ostendit ejus doctrina *ad Rom. 14. & hujus epist. cap. super. & rursum cap. proximè sequenti*: quibus locis de infirmis agit partim Judæis, partim Gentilibus, ex charitate fovendis & supportandis. Denique ne longiùs discurrat per singula; quod generatim dixerat, se factum omnium servum, nunc repetit & concludit aliis verbis, dicens.

OMNIBUS OMNIA FACTUS SUM. Id est, omnium moribus & affectibus quantum licet, me accommodo. Qui sensus jam patet ex præcedentibus. Hac Paulina sententia, ac toto hoc loco abutuntur, qui, ut in proverbio est, cum Cretensibus Cretizandum dicunt: id est, exemplo Pauli Christianum debere apud homines omnia simulare ac dissimulare, ne quos offendat, aut etiam ut quamplurimos Christo lucrifaciat; non attendentes quod idem Apostolus *ad Galat. 2.* scribit se nec ad horam cessisse falsis fratribus, in hoc ut Titum qui Gentilis erat circumcideret; ipsique Petro cum reprehensione in faciem restitisse, quod simulatione quadam usus non rectè ambularet ad veritatem Evangelii.

Paulus omnibus omnia factus.

Non suffragatur exemplum Pauli simulatoribus.

At neque cum ebriosis inebriatus est Paulus, neque cum rapacibus aliena rapuit, neque cum idololatris idola coluit, aut aliud tale fecit: sed omnibus omnia factum se dicit, ut antè dictum est, partim commiserando, partim similia quædam cum illis agendo, quæ tamen cum lege Dei minimè pugnarent. *Omnibus omnia factus est*, inquit Augustinus, *compassione misericordiæ, non simulatione fallaciæ*, & iterùm: *non mentientis astu, sed compatientis affectu.* Epist. 9. & 19. utraque ad Hieronymum scripta. Vide eumdem libr. *quæst. 83. quæst. 71. & lib. contra mendacium cap. 12.*

UT OMNES FACEREM SALVOS. Quod aliquoties dixit lucrifacere, id nunc expressiùs dicit salvos facere. Græca sic habent: *ut omninò aliquos salvos faciam.* Per quod, ut Græci commentatores annotant, declaratur magna charitas Apostoli Pauli, quod omnium servum se fecerit, ut ex omnibus saltem aliquos, etsi paucos ad salutem perduceret: quando sciret se non omnes salvos facere posse.

Notanda & imitanda magna Pauli charitas omniũ saluti studentis.

Secundum nostram lectionem, quæ eadem est in Syriaco, non minor Pauli charitas significatur; qui omnibus omnia factus sit, omnium studens saluti: id est, circa singulos quosque excluso nemine; hoc agens ut salvi fiant. Non enim studium ejus erat, ut nulli perirent, quod sciebat non futurum: sed ut quoscumque posset, ad salutem adduceret. Propter hoc Pauli & aliorum piorum desiderium, conatum & studium quod Deus in illis operatur, rectè intelligitur dictum ab eodem Apostolo. 1. Tim. 2. Deum velle *omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*: quamvis absoluta voluntate id non velit.

Porrò notandum, quod ad textum attinet, ut jam antè indicavi, verba modi subjunctivi ab illo loco, *Nam cum liber essem*, &c. quæ interpres noster ita vertit, ut præteritum tempus respicere videantur, *essem, lucrifacerem, salvos facerem*, convenientius ex Græco verti verbis partim præsens, partim futurum indicantibus, *sim, lucrifaciam, salvos faciam.* Non enim sentit Apostolus se hæc olim egisse, nunc autem desiisse: sed etiamnum agere & acturum esse.

23. OMNIA AUTEM FACIO PROPTER EVANGELIUM, UT PARTICEPS EJUS EFFICIAR. Græcè & Syriacè, *Hoc autem facio*, &c. tametsi commentarii Græcorum sonant ac si legissent, *omnia.* Hactenus ostendit Apostolus tanto studio se laborasse in evangelio propter aliorum salutem: Nunc declarat se id

faciendo etiam ſuam ipſius ſalutem ſpectaſſe. Hæc, inquit, omnia quæ commoravi, feci & facio propter evangelium, id eſt, ut ex evangelio fructus quàm uberrimus ſequatur; cujus ego quoque cum cæteris particeps efficiar, hoc eſt, ut unà cum illis aſſequar ea bona quæ promittit Evangelium. Nam Græca vox συγκοινωνὸς comparticipem ſignificat. Et eum ſenſum explicat quod in fine capitis ait: *ne fortè cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Qua in re Chryſoſtomus, ejuſque ſequaces admonent, conſiderandam inſignem Pauli modeſtiam; qui cum excellentiori premio dignus eſſet, ſimpliciter ſe fidelibus ut æqualem & ſocium adjungat in fructus Evangelij participatione.

Notanda Pauli inſignis humilitas.

Hinc rectè ſtatuitur non eſſe ſervilis animi, minuſve quam oporteat Deum diligentis, ſi *cum hoc ut in primis glorificetur Deus* (quomodo loquitur ſynodus Tridentina ſeſſ. 6. ca.) 11. in bonis operibus *mercedem* quis *intueatur æternam:* quandoquidem ipſe Paulus id ſe facere teſtatur, non hic ſolùm ſed & alibi. Sic enim ait Phil. 3. *Si quo modo occurram ad reſurrectionem quæ eſt ex mortuis.* Et iterùm, *Ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſuperna vocationis.* Eodem pertinent quæ hîc deinceps ſequuntur.

Mercedem æternam ſpectare in opere bono, non eſt imperfectionis.

24. NESCITIS QUOD II QUI IN STADIO CURRUNT, OMNES QUIDEM CURRUNT, SED UNUS ACCIPIT BRAVIUM? Ex ſimilitudinem eorum qui curſu certant præmio propoſito, oſtendit tam ſibi quàm aliis in doctrina & vita evangelica ſic currendum eſſe, ut præmium quod Evangelium promittit de quo dixerat, *ut particeps ejus efficiar*, aſſequantur. *Stadium* locus erat in quo curſu certabatur pedibus aut equis. *Bravium*, ſed potiùs brachium, propriè ſignificat præmium quod datur iis qui ex certamine victores ſunt.

Quid ſtadium & bravium.

Utrumque vocabulum Græcum eſt, στάδιον, βραβεῖον, ſed hoc illo minus uſurpatum Latinis. Et pro eo palmam legunt commentator Ambr. & Cypria. *lib. 3. teſtim. cap. 26. & de exhortat. martyrij c.* 8. Cæterùm ſimilitudo quam Apoſtolus adducit, non eſt in eo, quod ſicut in illo currendi certamine unus ſolus præmium aufert, ita & hîc; ſed ſicut ibi non omnes qui currunt præmium accipiunt; ſed unus tantum: ita & hîc non omnes qui currunt, comprehendunt; ſed ii ſoli qui benè, legitimè & perſeveranter currunt. Hoc enim declarat exhortatio ſubjuncta.

SIC CURRITE UT COMPREHENDATIS. Sic igitur, inquit, & vos currite ſtadium vitæ Chriſtianæ, ut præmium accipiatis vitæ æternæ. Modus quem ſignificat dicens, *ſic currite*, is eſt, ut benè & perſeveranter curratur. Quidam enim currunt benè, ſed in bono curſu non perſeverant: quales Galatæ, quibus ait cap. 5. *Currebatis benè*; quos tamen in illo curſu queritur impeditos. Unde & hîc paulò pòſt de ſeipſo loquens, affirmat ſe currere, haud dubium bene: & tamen adhuc ſe caſtigare corpus ſuum dicit, ne fortè cum aliis prædicaverit, ipſe reprobus fiat. Conſtat igitur ex hoc ſcripturæ loco, quemadmodum ex multis aliis, veram juſtitiam amitti poſſe: quod negant hæreſes novæ.

Obſ. contra ſectarios veram juſtitiam amitti poſſe.

25. OMNIS AUTEM QUI IN AGONE CONTENDIT, AB OMNIBUS SE ABSTINET. Docet quid obſervandum ei qui velit ſic currere, ut comprehendat: idque rurſus ab exemplo eorum qui corporali certamine contendunt ad præmium. Græca verbatim ſic habent: *Omnis autem agonizans omnia temperat;* id eſt, per omnia. Subauditur enim κατὰ. Cyprianus legit: *Omnis autem qui agonizatur, in omnibus continens eſt.* Loca ſunt *in epiſt. ad mart. & confeſ. de Mappalico, & de exhort. martyrij c.* 8. Sic etiam reddidit hunc locum Irenæi interpres *lib. 4. cap. 72.* Sed his *qui agonizatur* activè dicitur, reſpondens participio apud Græcos medio ἀγωνιζόμενος. Valla monet in vulgata verſione ſupervacuam eſſe præpoſitionem *in. Eſt enim agon certamen, non locus.* Rectiùs *in* loco *ab* reponas, *in omnibus abſtinens eſt*: ſicut in illa vetuſta verſione.

Senſus enim Apoſtoli eſt: Omnis qui certat publico aliquo certamine, ſive curſu, ſive pugillatu (tale enim genus certaminis propriè Græcis ſignificat ἄγων,) per omnia temperans eſt & abſtinens. Solent enim athletæ temperatiſſima victus ratione ſervata ad certamen ſe præparare. Quo exemplo tam ſeipſum quàm alios fideles excitat Apoſtolus, ut ſimiliter faciant in ſuſcepto certamine curſus hujus ac pugillatus Evangelici; tantoque magis, quantò glorioſior ex hoc certamine corona ſperatur. Unde ſequitur.

Agon propriè quid ſignificet.

ET ILLI QUIDEM UT CORRUPTIBILEM CORONAM ACCIPIANT. Græcè, *Illi quidem igitur*, ſaubaudi, id faciunt; *ut corruptibilem coronam*, id eſt præmium aliquod temporale ac periturum *accipiant.*

NOS AUTEM INCORRUPTAM. Vel, *incorruptibilem:* ut ſic expreſſior antitheſis, ſicut in Græco φθαρτὸν ἄφθαρτον. Et ſenſus eſt: Nos autem ſimiliter facimus, aut faciamus, moderatiſſimè utendo rebus hujus ſæculi, & ab omnibus quæ curſum noſtrum remorari, pugnam ve impedire poſſent, abſtinendo idque ut incorruptibilem, id eſt, æternam coronam, in cælo repoſitam iis qui benè certaverint & curſum conſummaverint, aſſequamur.

26. EGO IGITUR SIC CURRO, NON QUASI IN INCERTUM. Græcè ὡς οὐκ ἀδήλως, *tamquam non incertè.* Singulariter de ſe loquitur Apoſtolus, ſed ſic ut ſuo exemplo Corinthios excitet, ac doceat quemadmodum certandum ſit pro corona incorruptibili. Perſiſtit autem in aſſumpta ſimilitudine curſorum & pugilum. Itaque ego, inquit, more bonorum athletarum, ſic curro in Evangelico miniſterio, tamquam non in incertum, id eſt, non temerè, & quamlibet in partem: quo modo ſi quis currat, nihil aſſequetur præmij: ſed recto curſu, totoque niſu tendens ad metam deſtinatam, uti faciunt qui in ſtadio currunt, & vincere volunt. Hoc eſt quod ait Phil. 3. *Ad deſtinatum perſequor.*

SIC PUGNO. Græcè οὕτω πυκτεύω, pro quo textus commentarij Ambr. *Sic enitor.* Quod & apud verum Ambroſium lego *lib. de Elia & jejunio cap. 21. & lib. 4. in Lucam cap.* 4 Sed enim conſtat Græco verbo propriè eam pugnam ſignificari quæ pugilum propria eſt. Unde Auguſtinus in enarratione Pſalm. 57. legit: *pugillor*, idque interpretatur *pancratium facere.* Rurſum Ambroſius lib. de paradiſo cap. 12. *pugnis percutio*, quod probat Valla. Alij verterunt, *pugilem ago.* Senſus eſt: more bonorum pugilum ſic certo in pugna Chriſtiana.

NON QUASI AEREM VERBERANS. Etiam hîc interpres negationem tranſpoſuit, abſque ſenſus tamen diſpendio. Nam Græcè, *tamquam non aerem verberans.* Aerem verberat in pugna, qui irrito conatu verbera intentat adverſario; cujus verbera adverſarius eludit. Dicit ergo, ſic ſe pugnare tamquam qui non aerem verberet: ſed ſuum, quod eſt boni pugillatoris, aut agoniſtam. Hinc ſequitur.

Quid aerem verberare.

SIC CASTIGO CORPUS MEUM. Significat adverſarium in hac pugna ſe habere corpus ſuum, utique ratione carnis, id eſt, carnalis concupiſcentiæ de qua dicit Galat. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem. Hæc enim ſibi invicem adverſantur.* Ideoque nobis perpetua pugna debet eſſe contra carnem, atque adeo contra corpus noſtrum quatenus per carnem adverſatur ſpiritui. Pro *caſtigo* alii vertunt *ſubigo, ſubjicio*, quidam *obculco.* Irenæi interpres libr. 4. capit. 72. vertit, *lividum facio corpus meum*: quemadmodum & legit Paulinus *in Epiſtol. quæ eſt apud Auguſtinum* 58. Quæ verſio proprietatem Græci verbi ὑπωπιάζω, quo Paulus uſus eſt, expreſſit. Nam

Corpus noſtrum adverſarius noſter.

Quid caſtigare hoc loco.

ὑπωπιάζειν (quod annotat Erasmus) *est livore seu sanguinis nota fugillare, propriè oculos, quos Græci ὤπας vocant, & ὑπώπια notas ejusmodi.* Id verò contingit ubi pugnis certatur. Adhuc enim perstat Apostolus in metaphora pugilum: ac dicit se more boni pugilis adversarium, id est, corpus suum non leviter ferire, sed usque ad deformationem & vulnera.

Denique in hunc sensum Græcam vocem diligenter expendit Theophylactus. Observavit quidem R. Stephanus exemplar unum quod habebat ὑπωπτεύειν, id est, siccum & squalidum reddo, ut intelligas Paulum fame & inedia corpus suum attenuare & affligere. Verùm Theophylactus eam lectionem negat: ac reverà non perinde congruit metaphoræ in qua versatur Apostolus.

Nota ad mores, qualiter corpus servituti subjiciendum.

ET IN SERVITUTEM REDIGO. Quod eleganter uno verbo Græco dixit, δουλαγωγῶ, id est, ut servum ago, ac subjectum mihi teneo: sic tracto ut cogatur & assuescat servire. Id autem fit, dum ita nutritur & fovetur corpus, ut tamen in officio contineatur: dum ea subtrahuntur quæ provocant ad rebellionem, & sola suppeditantur necessaria, veluti servo aut jumento. De quo utroque sic Ecclesiasticus cap. 33. *Cibaria & virga & onus asino; panis & disciplina & opus servo.* Alludit autem Apostolus ad id quod de pugile dixerat: *ab omnibus se abstinet.* Jam quomodo corpus suum castigaverit & in servitutem redegerit, alibi significat, ut illis verbis 2. epist. cap. 6. *in laboribus, in vigiliis, in jejuniis.*

Cum tribus hostibus nobis pugna est, & cur unius solùm hîc Apost. meminerit.

Porrò notandum est Apostolum solius corporis sui hîc meminisse, non autem relinquorum duorum hostium cum quibus nobis pugna est, diaboli & mundi: quia corpus seu caro domesticus hostis est, quo superato facilius sit externos hostes, diabolum & mundum debellare: Ut & hoc addam, quod circa diabolum & mundum non id agendum, quod circa corpus ut castigentur & in servitutem redigantur, sed tantùm ut velut hostes arceantur ac profligentur ne noceant.

Quid reprobum effici.

NE FORTE CUM ALIIS PRÆDICAVERIM, IPSE REPROBUS EFFICIAR. *Ne fortè*, Græcè est, *ne quomodo.* Sensus: Ne quo pacto contingat, ut *cum aliis prædicaverim*, & ad salutem mea prædicatione perduxerim, *ipse reprobus efficiar*, id est, abjiciar tamquam salute indignus; eò quòd secundùm carnem vixerim, contra quam aliis prædicavi. Non significat Apostolus fieri posse, ut quis ex electo reprobus efficiatur, id est, ex prædestinato ad salutem prædestinatus ad interitum: quod est impossibile, (Non enim mutari potest æternum Dei decretum) sed ut quis posteaquam aliis Evangelium prædicavit, ipse tamquam reprobus abjiciatur ac damnetur: vel quia non vixit secundùm Evangelium à se prædicatum, vel quia in tali vita non perseveravit. Quæ damnatio effectus est divinæ reprobationis. Atque id de se ipso Paulum metuisse, locus hic apertè declarat. Nec aliter eum sancti Patres interpretati sunt. *Si Paulus hæc timuit*, ait Chrysost. (illud nempe, ne reprobus efficeretur) *quitam multos docuit; & timuit postquam prædicavit, quid nos dixerimus.*

Ex electo reprobus fieri non potest, nec contrà.

Paulus metuit abjici & damnari.

Augustinus serm. 19. de verbis Apost. citante etiam Beda: *Suo timore nos terruit. Quid enim faciet agnus, ubi aries tremuit?* Addo Gregorium Papam, qui *lib. 6. regist. epist. 22. ad Gregoriam scripta*, affirmat Apostolum Paulum hæc scribentem, quamvis jam ad tertium cœlum ascendisset, & in paradisum ductus arcana verba audiisset, quæ homini loqui non liceret, tamen adhuc trepidasse, & timuisse ne à salute excideret. Notanda sunt hæc adversus hæreticos Specialistas. Hieronymus quidem *in epith. Paulæ*, & Augustin. passim legunt, *reprobus inveniar*, tamquam id sit reprobum effici quod reprobum inveniri. Quod æquè servit iisdem hæreticis refellendis, qua parte docent certissimè persuasum nobis esse debere, quod sumus justi & electi. Verùm prior sensus germanior est.

Observa hunc locum contra fidem hæreticorum specialem.

Ex his postremò etiam illud satis apparet, Apostolos hac vita durante non ita fuisse confirmatos in justitia, quin excidere ab ea potuerint, contrà quam nonnulli opinantur absque solido fundamento. Lege Prosperum *lib. 2. de vocat Gent. cap.* 18. ubi docet excepto Christo, *in cæteris hominibus, donec caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, incommutabilem animi fortitudinem non posse reperiri*: idque post alia probat evidenti argumento ex oratione Dominica, qua *non solum ab incipientibus, verum etiam à provectissimis sanctis* (inter quos Petrum nominat) *uniformiter Domino supplicatur & dicitur, Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.*

Apostolos in hac vita non fuisse confirmatos in gratia.

CAPUT X.

1 NOlo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, 2. Et omnes in Moysi baptizati sunt, in nube, & in mari: 3. Et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt. 4. Et omnes eumdem potum spiritualem biberunt (bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus. 5. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. 6. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. 7. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. 8. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria milia. 9. Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt. 10. Neque murmuraveritis sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. 11. Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. 12. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. 13. Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. 14. Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura: 15. Ut prudentibus loquor; vos ipsi judicate quod dico. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 17. Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. 18. Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? 19. Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid aut quod idolum, sit aliquid? 20. Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: 21. non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. 22. An æmulamur Dominum: Numquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. 23. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. 24. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. 25. Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 26. Domini est terra, & plenitudo ejus. 27. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 28. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis: nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam: 29. conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia? 30. Si ergo cum gratia participo, quid blasphemor pro eo, quod gratias ago? 31. Sive ergo manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite. 32. Sine offensione estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei: 33. Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

Exod. 13. d. 21. Num. 9. d. 22. Exod. 14 c. 22. Exod. 16. d. 15. Exod. 17. b. 6. Nu. 20. b. 10. Num. 26. g. 65. Ps. 105. c. 14. Exod. 32. b. 6. Num. 25. a. 1. Num. 25. b. 5. 6. Num. 11. a. 1. & 14. a. 1. Sup. 6. c. 12. Eccl. 17. d. 31. Psal. 25 a. 1. Gol. 3. c. 17

SUMMARIUM.

AB idololatria, fornicatione & aliis vitiis deterret exemplo veteris & ingrati populi, propter eadem à Deo variè puniti: cui in figura contigerunt omnia. Admonet ut à mensis idolorum abstineant: omnia ad Dei gloriam faciant: & proximis offendicula ne præbeant.

NOLO ENIM VOS IGNORARE FRATRES, à ſua perſona ſermonem transfert Apoſtolus ad exhortationem eorum quibus ſcribit, generatim docens qui vitia fugere debeant; ut ne excidant à ſtatu juſtitiæ, in quo per Chriſti fidem & baptiſmi ſacramentum erant conſtituti. Id autem facit adducto exemplo populi Iſraelitici: qui etſi permagna beneficia à Deo accepiſſet, eorum quæ per Chriſtum acceperant Corinthii præfigurativa; propter peccata tamen & ingratitudinem magna parte rejectus fuit & graviſſimè punitus. Græca non *enim*, ſed *autem* legunt. Cæterùm, inquit, fratres, nolo vos ignorare, id eſt, commemoro vobis ne ignoretis.

QUONIAM PATRES NOSTRI OMNES SUB NUBE FUERUNT. Græcè πάντες *erant*. *Communes patres appellat Hebræos*, ait Cajetanus *quia patres ſunt fidei*. Cauſam alii reddunt, quia typum geſſerunt earum rerum quæ accidunt in eccleſia. Neutri rectè, quantum æxiſtimo. Nam patres populi fidelis novi teſtamenti vocari populum illum veterem & carnalem, inſolens videtur, ac præter morem ſcripturæ: quæ Judæorum ex eis genitorum, præſertim carnalium, patres illos appellare ſolet, ut Matth. 23. *Implete menſuram patrum veſtrorum.* Joan. 6. *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt.* Actor. 7. *Sicut patres veſtri, ita & vos.*

Patres noſtri, qui Paulo dicantur.

Rectiùs igitur illi qui cenſent pronomen *noſtri*, non complecti in univerſum Corinthios ad quos ſcribit; ſed Judæos, ex quibus Paulus, & quorum aliqui etiam Corinthii, non gente, ſed patria & habitatione: quaſi dicat, patres gentis noſtræ. *Omnes* autem dicit, qui tunc erant quando hæc quæ memorat acciderunt; omnes inquam, tam bonos quàm malos, fuerunt enim hæc beneficia utriſque communia. Nam ut paulò poſt dicitur: *non in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo.*

Quomodo omnes Iſraelitæ ſub nube.

Quæri poteſt quomodo dicat omnes ſub nube fuiſſe: quum nubis illius exhibitæ populo Iſraelitico officium fuerit, non ſtare ſupra populum, ſed ipſum præcedere, & ducatum præbere per deſertum: ut refertur, *Exod. 13. & 14. & alibi.* Verùm conſtat ex aliis ſcripturæ locis uſum ejuſdem nubis fuiſſe etiam in operiendo tabernaculo per omne tempus, quo populus quieſcebat, ut habetur *Num. 9.* adeoque in protegendo & obumbrando populo per diem adverſus æſtum ſolis. Hunc enim uſum cum priori conjungit Moyſes *num. 14.* Dominum ſic alloquens: *Audierunt quod nubes tua protegat illos* (Hebraicè, *ſtet ſupra eos*) *& in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem.*

Uſus nubis in deſerto duplex.

De hoc uſu poſteriore loquuntur & aliæ ſcripturæ, Pſalm. 104. *Expandit nubem in protectionem eorum.* Sic enim eſſe legendum, non autem, *profectionem*, ut quidam codices habent, ex Græcis & Hebræis liquet. Item Sap. 10. *Fuit illis in velamentum die*, ſive, *per diem*; *& in lucem ſtellarum nocte.* & cap. 19. *nubes caſtra eorum obumbrat.* Fuit autem hoc beneficium nubis præcedentis ac protegentis, perpetuum Iſraëlitis ab egreſſu ex Ægypto, uſque ad ingreſſum in terram promiſſionis; ut & beneficium ignis lucentis per noctem. Sic enim legitur Exod. 13. *numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.*

ET OMNES MARE TRANSIERUNT. Iidem omnes, inquit, per mare rubrum traducti ſunt, ingenti miraculo ac beneficio divino, perſequentibus eos Ægyptiis, *Exod. 14.* Traductos intellige, non in adverſam oram maris, ſed ad eamdem, ſinu maris medio, quod conſtat ex ipſius maris & manſionum, ad quas proximè poſt egreſſum appellabant, geographica deſcriptione. Idque etiam Aquinas hîc annotat. Cur autem illud mare rubrum fuerit appellatum: (quoniam non hoc loco ſic appellatur) exponemus ad illud Hebr. 11. *fide tranſierunt mare rubrum.*

2. ET OMNES IN MOYSE BAPTIZATI SUNT IN NUBE ET IN MARI. *In Moyſe*, Græcè εἰς τὸν μωσῆν, *in Moyſen*, quemadmodum legit Hilarius enarrans Pſalm. 134. Id Græci ſic exponunt, freti Moyſe ductore. Alii vertunt, *ſub Moyſe*, id eſt, tempore Moyſi; quomodo dici ſolet, aliquid geſtum ſub hoc aut illo pontifice, rege, conſule aut proconſule, ut Luc. 3. *Sub principibus ſacerdotum Anna & Caipha. Act. 11. Sub Claudio Cæſare.* 1. Tim. 6. atque in ſymbolo fidei, *ſub Pontio Pilato.* Verùm Græca præpoſitio non reſpondet; nec omninò eum uſum habet εἰς apud Græcos. Auguſtinus *in enarratione Pſalm. 77. & tract. 11. & 26. ſuper Joannem* legit, *per Moyſen*, quaſi ſenſus ſit: authore & velut adminiſtro Moyſe.

Quid baptizati in Moyſen.

Denique ſunt qui ſic exponant, *In Moyſen baptizati ſunt*, hoc eſt, cultui ac legi per Moyſen ſibi tradendæ, ſpecie quadam baptiſmatis initiati; quomodo nos in Chriſtum baptizari dicimur, id eſt, Chriſto ac religioni Chriſtianæ per baptiſmum initiari. Qui quidem ſenſus non modò percommodè ex ſignificato Græcæ præpoſitionis habetur; verùm etiam contextui quàm optimè quadrat; idemque confirmatur ex ipſa hiſtoria *Exod. 14.* ubi poſt deſcriptum maris rubri tranſitum, de Iſraelitis dicitur, *Crediderunt Domino & Moyſi ſervo ejus*, id eſt, Dominum quidem ut Deum, Moyſen verò ut principem ac divinæ voluntatis interpretem, agnoverunt. Baptizatos in nube & in mari S. Thomas interpretatur, viſis tantis miraculis purgatos ab ignorantia & peccatis per fidem. Cajetanus ablutos à diffidentia divinæ protectionis.

Verùm quia Paulus commemorat beneficia tam malis quàm bonis communia; tantumque ſignificare vult, quid viſibiliter ab illis aut circa illos tunc actum fuerit: ideò meliùs alii baptizatos in nube & in mari intelligunt, quatenus in figura ſacri baptiſmatis, per mare & ſub aquoſa nube ambularunt, ita ut credibile ſit eos etiam guttis, tum, ex aquis maris hinc inde qua tranſibant in altum erectis, tum ex nube ſupra ipſos expaſſa fuiſſe nonnihil aſperſos; quo baptiſmi ſacramentum evidentiùs ſignificaretur. Hanc enim myſticam ſignificationem Apoſtolus innuere volens, baptizatos dixit. Atque hunc ſenſum ſecundo loco adfert etiam Aquinas.

Nubes & mare figuræ baptiſmi.

Appoſitè verò nubes illa & mare baptiſmum novæ legis præfigurarunt. Nam quomodo nubes populum Hebræum protegebat ab æſtu per diem, eademque noctem illuminabat, ut habetur. *Exod. 14.* ita Chriſti baptiſmus animas ſanctificans, æſtum concupiſcentiæ refrigerat; & infuſo lumine fidei tenebras ignorantiæ noſtræ diſpellit. Unde qui baptizati ſunt, illuminati vocantur, *Hebr. 6. & 10.* Et quomodo mare rubrum tranſitum præbens Hebræis, Ægyptiorum manibus eos eripuit, ipſos autem Ægytios ſubmerſit ac perdidit: ita nos ſalvos facit baptiſma, demerſis & extinctis hoſtibus, id eſt, peccatis noſtris. Rurſus quomodo populus ille per mare rubrum traductus pervenit ad manna typicum: ſic abluti baptiſmo Chriſti ſanguine conſecrato, perducuntur ad verum illud manna, quod ſoli norunt fideles. Ad hunc modum ſuper figura tranſitus Hebræorum per mare rubrum, philoſophatur Auguſt. *tract. 11. in Joann.* Nam & de manna nunc ſequitur.

3. ET OMNES EAMDEM ESCAM SPIRITUALEM MADUCAVERUNT.

Spiritualem eſcam & potum eumdem, quomodo omnes acceperint.

4. ET OMNES EUMDEM POTUM SPIRITUALEM BIBERUNT. *Quæritur* utrùm quod dicit eamdem eſcam omnes comediſſe, ſit intelligendum, eamdem omnes inter ſe, an eamdem nobiſcum; & de potu ſimiliter. Auguſtinus *tract 26. ſuper Joannem*, intellexit tam eſcam quàm potum eumdem nobiſcum;

videlicet ſpiritualem, ut ait Apoſtolus; etſi corporalem eſcam potumque diverſum. Nam illi manna & aquam de petra; nos aliud. Spiritualem verò eſcam & potum illorum nobiſcum interpretatur eumdem, id eſt, Chriſtum, quem olim & manna ſignificavit de cœlo deſcendens, & petra fundens aquas: & quem apud nos ſignificat ac repræſentat altare Dei. Nam, inquit, *ſacramenta illa fuerunt, in ſignis diverſa; ſed in re quæ ſignificatur, paria.* Hunc intellectum videri poteſt exigere ſeries verborum Apoſtoli. Monet enim in conſequentibus Corinthios, ne ſibi promittant impunitatem ſi concupiſcentes ſint malorum, ſi idolorum cultu polluantur; ſi fornicentur, & cætera; etiamſi Chriſti participes facti ſint, utpote in Chriſtum baptizati, & myſtico cibo potuque refecti: quia nec Iſraelitæ impunè tulerunt, ſimilia peccantes; quamvis & illi ſuo quodam baptiſmo eſſent abluti, & cibum potumque divinitus ſubminiſtratum percepiſſent, ac per iſta Chriſti quoque participes effecti fuiſſent, tamquam unius ejuſdemque nobiſcum alimoniæ ſpiritualis, ſub ſignis diverſis. Huc Auguſtinus allegat & illud quod Apoſtolus ſubjungit bibiſſe illos de ſpirituali petra quodque hanc petram interpretatur Chriſtum. Senſum hunc etiam Græci in ſuis commentariis inſinuant magis quàm tradunt.

Aliorum intellectus probabilior.

At verò Latini plerique intelligunt patres illos eamdem inter ſeipſos eſcam ediſſe, eumdemque potum bibiſſe; ut totius loci ſenſus ſit: Etſi patribus noſtris omnibus communia fuerint hæc beneficia, nubis protectio, & baptiſmus ſub nube & mari; item manna, & aqua de petra, quemadmodum & alia multa: non omnes tamen in terram promiſſionis introducti fuerunt; quia, ſicut infrà dicitur: *non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo.* Sic igitur, inquit, & nos, quamvis omnes eumdem cibum ac potum myſticum de menſa Domini ſumamus, quemadmodum & omnes uno Chriſti baptiſmo ſumus abluti; non tamen impunitatem ſperare debemus, ſi peccaverimus. Hic ſenſus planus ac perſpicuus eſt, idemque germanior. Nondum enim eſcæ potuſque noſtri mentionem ullam fecerat Apoſtolus, ut illuc referri poſſent hæ voces *eamdem & eumdem.* Neque ſaltem dixit eamdem nobiſcum; quod dictum aut indicatum oportuit, ſi relationem ad nos intelligi voluiſſet: ſed abſolutè τὸ αὐτὸ βρῶμα, τὸ αὐτὸ πόμα, *eumdem cibum, eumdem potum.* Ut ſi dicam; omnes Hiſpani eumdem habent regem, nec addam cum quibus eumdem, utique ſignifico quod eumdem inter ſe.

Manna & aqua de petra, cur eſca & potus ſpiritualis.

Prior autem ſenſus vel ex eo refelli poteſt, quod verum non ſit omnes illos patres, de quibus Apoſtolus loquitur, Chriſti participes factos fuiſſe per fidem, ut Auguſtinus intelligit. Nam ſæpiſſimè eorum incredulitatem & rebellionem increpaſſe leguntur Dominus & Moyſes. Et Paulus ipſe ſtatim ſubjicit, in multis eorum non fuiſſe beneplacitum Deo.

Porrò ſpiritualem vocat Apoſtolus eſcam illam & potum, id eſt, manna & aquam de petra, vel quia non humanâ operâ, ſed præter naturam divino miraculo ſuppeditabatur utrumque; quemadmodum multi exponunt; vel potius, uti docet Liranus, propter ſignificationem ſpiritualem ſeu myſticam. Erant enim illa ſpiritualia, non in ſe, ſed in rebus ſignificatis quarum erant figuræ: ſicut & alia multa, quæ in illo populo vel exhibebantur vel gerebantur in typum futurorum.

Quid autem manna myſticè ſignificaverit, hoc loco non dicit Apoſtolus, ſed *infrà* declarat, ubi meminit unius panis de quo omnes participamus, id eſt, corporis Dominici. Item aqua populo data quid myſticè ſignificaverit, non explicat, ſed intelligendum relinquit, videlicet ſanguinem Dominicum, cujus ſub nomine calicis eodem loco mentionem facit. Eſt autem aqua de petra, ſanguis de latere Chriſti. Quas quidem myſticas ſignificationes luculenter expoſitas videre eſt in commentariis Græcorum *Quomodo enim*, ait Chryſoſtomus, *tu comedis corpus Domini, ſic illi manna: & quomodo tu bibis ſanguinem, ſic illi aquam de petra.* Et infrà: *Illis manna & aquam; tibi corpus præbuit & ſanguinem.* Jam quod ipſa petra Chriſti figuram geſſerit, confeſtim audiemus.

(BIBEBANT AUTEM DE SPIRITUALI, CONSEQUENTE EOS PETRA. Græcè *Biberunt enim de ſpirituali ſequente petra*: ut ſit probatio partis præcedentis, qua dictum eſt omnes eumdem potum bibiſſe. Similiter habet textus Ambr. omiſſo etiam pronomine *eos*, licet quidam codices addant: ſed hæc lectio Græcis conſona, antiquorum eſt Amb. codicum; & facilè colligitur ex verbis commentarii. Nam & in eodem commentario ad illud cap. 14. *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjectus eſt*, citantur eadem hæc verba abſque pronomine. Rurſus exſtat hæc Græcorum lectio apud Irenæum *lib. 4. cap. 28. & 45.* & apud Auguſtinum paſſim, *ut homil. 27. inter 50. tract. 26. & 45. in Joan. lib. 12. contra Fauſtum cap. 20. & alibi.*: item apud Hieron. (ſeu quiſquis author) in *enarr. Pſal. 41.* tametſi pronomen *eos* ad ſenſum commodè ſuppletum eſt, non ſolum à noſtro interprete, verum etiam ab aliis nonnullis.

Refellitur opinio Hieronymi ab Oleaſtro de petra percuſſa.

Porrò cùm legamus bis Moyſen è petra baculo percuſſa populo ſitienti aquas eduxiſſe, primùm *Exod.* 17. deinde *Num.* 20. quæritur ad utram ſcripturam hîc reſpiciat Apoſtolus. Quod enim Hieronymus ab Oleaſtro ſcribens in Numeros ſentit unum idemque eſſe aquæ fluentis è petra miraculum, quod utroque loco deſcribitur, *in Exodo* breviùs, *in Numeris* prolixiùs ac pleniùs, eam opinionem Cajetanus illo antiquior, in utrumque locum ſcribens benè refellit, tum ex temporum differentia, tum ex ordine rerum geſtarum. Nam alterum contingit in undecima manſione apud Raphidim, priuſquàm ventum eſſet ad montem Sinai, id eſt, anno primo poſt egreſſionem populi, tabernaculo nondum exſtructo: alterum commemoratur in manſione trigeſima tertia, quæ erat in deſerto. Sin apud Cades, id eſt, ſub initium anno quadrageſimi: ac proinde longè poſt tabernaculi ſtructuram. Quod vel ex eo liquet: nam ibi narratur Moyſes tuliſſe virgam, quæ erat in conſpectu Domini, id eſt, in tabernaculo fœderis, ubi ſcilicet Domino jubente fuerat anteà repoſita, *Num.* 17. Quibus adde quod Numer. 20. murmurantes dicunt: *Utinam periiſſemus inter fratres noſtros coram Domino*: quod Exod. 17. dicere non poterant, quando populus nulla adhuc plaga percuſſus fuerat à Domino.

Movetur Oleaſter eo argumento, quoniam qui in libro Numerorum ob aquæ penuriâ murmurarunt, erant ex iis qui egreſſi fuerant ex Ægypto. Dicunt enim: *Quare nos feciſtis aſcendere de Ægypto?* Atqui quadrageſimo poſt egreſſionem anno nulli eorũ qui de Ægypto aſſcenderant ſuperſtites erant, præter Moyſen, Aaron, Joſue & Caleb. Sed facilè *reſpondetur*, & quidem dupliciter: *vel* ut aſſcendiſſe dicantur non in ſe, ſed in parentibus. Nam parentes eorum aſſcenderant. *Vel* quia revera etiam ipſi cum parentibus aſſcenderant de Ægypto, nondum tamen nati viginti annos. Quod enim dicitur, omnes qui educti fuerant ex Ægypto, periiſſe in deſerto, de iis intelligendum conſtat, qui *Numer. 1.* leguntur numerati fuiſſe à viginti annis & ſuprà, ſicut expreſsè Dominus ſuis verbis id declarat *Numerorum* 14.

Solvitur argumentum Oleaſtri.

Cùm igitur manifeſtum ſit diverſas eſſe aquæ fluxiones è petra, quæ in Exod. & Numeris deſcribuntur, Cajetanus *in hujus loci commentario* cenſet Apoſtolum ad utrumque reſpicere. Nam & uterque ſcripturæ locus hic ad marginem annotari ſolet.

Aliorum opiniones.

Lirani ſententia melior.

Aquinas tantùm refert ad hiſtoriam *Numerorum*. Liranus verò tantùm ad locum *Exodi*.

Petra baculo percuſſa myſticè quid ſignificet.

Quod poſtremum etiam nobis maximè probatur. Etenim licet utraque petra baculo percuſſa Chriſti figura fuerit in ligno paſſi, lanceaque perforati; de ſola tamen priori petra Paulum loqui docent verba ſequentia, cùm dicit: in pluribus eorum non fuiſſe beneplacitum Deo; proſtratos enim eſſe in deſerto. Nam hæc pœna quam infrà ſuo loco exponemus, antecеſſit eam populi de aquæ defectu murmurationem quæ *Numerorum* 20. deſcribitur, ut patet ex *ejuſdem lib. cap. 14.* Quare ad eam referri non poteſt, ſed ſolùm ad illam de qua *in Exodo*; quam ſine dubio pœna illa ſecuta eſt, etſi non continuò.

Petra ſpiritalis quæ dicatur.

Nunc videndum quam Apoſtolus intelligat petram ſpiritualem. Chryſoſt. aliique Græci Chriſtum ipſum interpretantur, propter id quod ſequitur, *Petra autem erat Chriſtus*; atque etiam propter hoc quod dicit; petram conſecutam ſeu comitatam illos fuiſſe; quod de petra materiali quæ de ſuo loco manſit immota, non videtur accipi poſſe. Sic igitur Apoſtolum exponunt: Bibebant de aqua quam eis præbebat petra ſpiritalis, id eſt, Chriſtus, qui per divinitatem tunc erat, & nuſquam aberat: quique toto itinere varia beneficia præſtando, eos comitabatur, repræſentatus per angelum populi ductorem: de quo dicemus infrà. Verùm ſi Chriſtus ſignificaretur, non diceret Apoſtolus, *ſequente*, ſed præcedente petra. Angelus enim velut ductor populum præcedebat, ut loquitur ſcriptura, *Exod. 23. & 32.*

Petra cõſequens quo ſenſu.

Quocirca magis placet petram materialem intelligi, illam ipſam ex qua aquæ eruperant in deſerto: quæ ferè Latinorum interpretatio eſt; ut ſit ſenſus: Bibebant ex petra (Græcè πέτρας) fundente aquas; quomodo bibere quis dicitur è dolio, ex quo vinum depromitur. Hæc autem petra comitata dicitur Iſraelitas, eò quòd aquæ quas petra copioſiſſimè fundebat, pro commoditate populi in rivos diviſæ, longo ſpacio profluerent, donec veniretur ad locum, ubi eſſet aquarum copia. Unde Pſal. 77. de illis aquis dicitur, *Et deduxit tamquam flumina aquas, & torrentes inundaverunt*, & Pſalm. 104. *Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in ſicco flumina.* Hanc expoſitionem comitantis petræ videre eſt in gloſſa ordinaria, & apud B. Ariam, alioſque recentiores. Et huc revocari poteſt ille multorum commentarius, qui petram comitantem interpretantur obſequentem populi deſiderio.

Fabula de petra ſequẽte.

Quod verò quidam referunt, filios Iſrael hanc petram ſecum tuliſſe per viam: addit etiam fabula de ejus parvitate, ut à Maria ſorore Moyſi in ſinu geſtaretur: deque ejus ſpontaneo per caſtra motu: totum id meritò velut Judaïcum ſomnium rejicit atque explodit Haimo. Spiritualis autem vocatur eadem petra, quomodo manna & aquas è petra fluentes dictum eſt vocari eſcam & potum ſpiritualem; propter ſpiritualem videlicet ſignificationem.

Nec verò contextus Apoſtoli diverſum intellectum ab eo quem dedimus facilè recipit. Sic enim nubes & mare, omnium interpretum conſenſu, intelliguntur illa materialia, myſticè tamen aliud ſignificantia: igitur & eſca, potus, petra, materialia debent intelligi; quamvis ſpiritualia dicta propter ſignificationem; ſecundùm id quod in ſequentibus teſtatur; hæc omnia in figura noſtri facta eſſe. Et quidem petra quomodo ſpiritualis fuerit ſignificatione, continuò declarat.

Syntaxis hujus loci ambigua.

PETRA AUTEM ERAT CHRISTUS.) Hujus enunciati ſubjectum an petra ſit, an Chriſtus, haud liquet, ne quidem ex Græco. Nam utrique præponitur articulus; ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ χριστός. Certè non improbabile eſt vocem *Chriſtus* ſubjecti locum tenere, ut ordo & ſenſus ſit: Chriſtus erat illa petra, id eſt, Chriſtus erat res per illam petram ſpiritualiter ac myſticè ſignificata. Neque enim inſolitum eſt in ſermone, ſubjecti & prædicati, etiam ſubſtantivorum ordinem inverti. Exempla ſunt Joan. 1. *Deus erat verbum*, &c. 4. *Spiritus eſt Deus*. & Pſal. 94. *Deus magnus Dominus.* Quæ recto ordine ſic efferas: Verbum erat Deus. Deus eſt Spiritus. Dominus eſt Deus magnus. Confirmatur autem hæc ſyntaxis ex eo quod Petrus Act. 4. ſimili ſenſu de Chriſto dixit, *Hic eſt lapis qui reprobatus eſt*, &c. Plerique tamen ordinem verborum ſequentes, vocem *petra* ſubjecti loco ſtatuunt. Pro quibus facere fortaſſe videatur verbum præteriti temporis *erat*: cum alioqui dicendum videretur in præſenti, Chriſtus eſt petra, id eſt, res per illam petram ſignificata; quomodo Petrus dixit Chriſtum eſſe lapidem angularem, non fuiſſe. Quamquam nec hoc convincit. Nam propter ſignificationem olim factam, utrumque dici potuit, & petram fuiſſe Chriſtum, quia Chriſtum ſignificat: & Chriſtum fuiſſe petram quia per petram ſignificabatur. Nam & Joannes non dixit, Verbum eſſe Deum, ſed fuiſſe: ut ejus ſignificaret æternitatem. Itaque parum refert utrum ordinem hîc ſequamur: Utraque enim conſtructio redit in eumdem ſenſum.

Eſt pro ſignificat nuſquam acceptum.

Utrovis autem modo ordinentur Apoſtoli verba; non eſt exiſtimandum (*erat*) pro (ſignificat) poſitum eſſe, quod volunt Sacramentarii; ut hoc exemplo ſuadeant etiam in illis Chriſti verbis, *Hoc eſt corpus meum*, verbum *eſt*, idem valere quod ſignificat. Quam verbi *eſt* ſignificationem, nec in ſcriptura reperies uſquam, nec grammatici tradunt. Sed ſicubi repugnantia eſt inter ſubjectum & prædicatum propriè ſumpta; neceſſe eſt in altero eorum improprietatem agnoſcere; ut ſi hominem ſtupidum voces aſinum aut ſtipitem. Itaque ſi (petra) conſtruatur ex parte ſubjecti; ſenſus enunciationis Apoſtolicæ erit: illius petræ ſignificatum erat CHRISTUS; ſive, quod per petram ſignificabatur, eſt Chriſtus: ut nimirum (petra) pro re per ipſam ſignificata ponatur, retenta propria ſignificatione verbi copulantis; quomodo exponendum eſt illud Apocal. 7. *Aquæ multæ ſunt populi multi*: & alia hujuſmodi. Cùm autem inter extrema hujus propoſitionis, *Hoc eſt corpus meum*, nulla ſit repugnantia (nam operatorius eſt Chriſti ſermo:) nequaquam conſequens eſt ad conſimilem modum ea verba rectè exponi. Sed hac de re latiùs egimus, & ex profeſſo, *ad diſtinctionem 8. lib. 4. ſentent.* rurſus aliquid dicturi ad *verſ. 24. cap. proximè ſeq.*

Petra, Chriſti figura qua ratione.

Cæterùm qua ratione petra à Moyſe percuſſa Chriſtum ſignificaverit, non eſt difficile declarare. Chriſtus enim ut petra firmiſſima totam ſuſtinet eccleſiam; idemque percuſſus & occiſus à Judæis, quorum figuram Moyſes gerebat, exundavit aquas uberrimas gratiarum, quibus ſalubriter reficimur in hujus vitæ deſerto, quicumque tendimus ad terram promiſſionis ſpiritualem ſeu myſticam, id eſt, patriam cæleſtem. Jam verò ſicut petram Apoſtolus Chriſtum dixit, ita dicere potuit nubem & mare eſſe baptiſmum, & manna eſſe corpus Domini, & aquam de petra ſanguinem; ſcilicet per ſignificationem. Verum hæc inſinuare quàm exprimere maluit, interpretibus enucleanda relinquens.

5. SED NON IN PLURIBUS EORUM BENEPLACITUM EST DEO. Negatio ſecundum ſenſum ſequitur: Sed in pluribus eorum non fuit beneplacitum Deo: Hebraiſmus, id eſt, plurimi eorum Deo non placuerunt: imò vehementer diſplicuerunt: utique propter incredulitatem, murmurationes, & alia peccata, quibus iram Dei adverſum ſe provocaverunt; uti mox ſpeciatim ipſe Paulus explicat. Benè autem dicit *in pluribus*, id eſt, quàm-plurimis: quoniam è ſexcentis millibus altero egreſſionis anno in numerum relatis, duo tantum Caleb & Joſue, poſt annum quadrageſimum, terra promiſſa potiti ſunt:

E 600000. numeratis duo tantùm ingreſſi terram promiſſionis.

Cæteri omnes in ſolitudine per annos quadraginta variis plagis ac mortibus exſtincti. Lege Numer. *cap. 14. & 26.* Hinc ſequitur.

NAM PROSTRATI SUNT IN DESERTO. Synecdochicus ſermo. Nam de cadaveribus eorum loquitur. Reſpicit enim ad id quod dicitur ac repetitur Num. 14. *In ſolitudine jacebunt cadavera veſtra.* Sic Heb. 3. de iiſdem: *quorum cadavera proſtrata ſunt in deſerto.* Ex his intelligi vult Apoſtolus etiam nobis nihil profuturum, quod per Chriſtum è dæmonum ſervitute liberati & baptiſmo mundati, cæteriſque Chriſti ſacramentis refecti ſumus, ſi Iſraëlitas peccando fuerimus imitati. Ideo ſequitur.

6. HÆC AUTEM IN FIGURA FACTA SUNT NOSTRI. Græcè ad verbum; *Hæc autem figuræ noſtræ*, vel *noſtri fuerunt*, vel *facta ſunt*. Et hoc ferè modo citant iſtam ſententiam Cyprianus, *epiſt. 77. ad Magnum*, & Auguſtinus *lib. 4. contra Fauſtum cap. 2.* ubi legit *noſtri*, & lib. 16. cap. 28. aliiſque locis, in quibus legitur *noſtræ*: ut & apud Bedam *in collectaneis ex Auguſtino*. Legit ad hunc modum etiam Tertull. *lib. de corona militis cap. 9.* Alibi verò aliter, ut *lib. 5. contra* Marcionem cap. 7. *Hæc autem exempla nobis ſunt facta.* Senſus tamen idem eſt: Hæc, inquit, quæ commemoravi contigiſſe patribus noſtris fuerunt typi quidam ac figuræ, & exempla eorum quæ fiunt, aut futura ſunt circa nos, qui ſumus aſſcripti in populum Dei: & ita quidem, ut ad noſtram doctrinam, inſtructionem & cautelam referenda ſint; ut infrà dicit verſ. 11. *Scripta ſunt autem ad correptionem noſtram.* Quod & hîc conſequenter ac per ſpecies peccatorum declarat.

Nota Locũ contra vitiũ Gulæ.

UT NON SIMUS CONCUPISCENTES MALORUM. In Græco expreſſiùs ſignificatur cauſa finalis; *ad hoc ut nos non ſimus concupitores malorum.* Qua parte notat in Corinthiis concupiſcentiam gulæ: qua titillante miſcebant ſe epulis ſacrorum Gentilium. Dicitur autem mala concupiſcere, quicumque vel rem illicitam ſeu prohibitam concupiſcit, ut primi parentes; vel rem licitam malè atque illicitè, ut Iſraëlitæ in deſerto: de quibus ſequitur.

SICUT ET ILLI CONCUPIERUNT. Non res aut natura malas aut prohibitas, ſed bonas licitaſque malè & inordinatè, velut carnes, piſces, pepones, cucumeres, porros, allia, cæpe: non contenti cibo quem illis Deus tanto miraculo cælitus mittebat. Reſpicit enim Apoſtolus ad hiſtoriam, *Num. 11.* ubi ejuſmodi concupiſcentia & plaga ſubſecuta deſcribitur, eaque tam gravis, ut loco nomen remanſerit *Sepulcra concupiſcentiæ*. Significat autem futurum ut & nos ſimilia patiamur, ſi ſimiliter ut illi malorum concupiſcentes fuerimus. Similia dico, juxta proportionem pœnarum hujus ſæculi, cum pœnis ſæculi futuri. Nam & plagæ Iſraëlitarum figuræ fuerunt pœnarum, quas infliget Deus iis qui poſt baptiſmum ac menſæ Dominicæ participationem, ad priora vitia relapſi fuerint.

Plaga Iſraelitarũ figura pœnarum fururi ſæculi.

7. NEQUE IDOLOLATRÆ EFFICIAMINI. Mutat perſonam more Hebræis familiari. Nam priùs dixerat: *Ut non ſimus concupiſcentes malorum.* Hanc mutationem rurſus obſervare eſt in ſequentibus. Senſus: Ad idolorum, & omninò falſorum deorum cultum ne redeatis; ſive ex animo per apoſtaſim, ſive opere qualicumque externo per communionem cum infidelibus idola falſoſque deos ex animo colentibus. Propter quod infrà dicit; *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum.* Hunc enim poſteriorem modum idololatriæ in conſequentibus ab eo loco, *Fugite ab idolorum cultura*, apertiùs exponit ac prohibet. Addidi generatim de falſis diis: Nam ſpeciem poſuit pro genere, cùm hîc, tum alibi, quoties ab idololatria fideles revocat, eo nomine comprehendens omnem cultum, quo pro Deo colitur quod non eſt Deus.

Quidã idolatræ participatione.

SICUT QUIDAM EX IPSIS. Græcè, *ſicut quidam eorum*, quomodo vertit infra verſ. 9. Supplendum, facti ſunt idololatræ, videlicet aureum vitulum quem ſibi erexerant, pro Deo ſuo colentes ac dicentes: *Hi ſunt dii tui*, quemadmodum legitur, Exod. 32. pro quo Nehemiæ 9. *Iſte eſt Deus tuus.* Quod in Hebræo unum idemque eſt. Dicit autem *quidam ex ipſis.* Nam illi per quos Moyſe jubente trucidati fuerunt idololatræ, non ſunt idololatris annumerandi.

QUEMADMODUM SCRIPTUM EST. *Exodi loco jam citato.* SEDIT POPULUS MANDUCARE ET BIBERE, ET SURREXERUNT LUDERE. Latinius hoc modo: *Conſedit populus ad edendum & bibendum: & ſurrexerunt ad ludendum.* In his verbis ſignificatio eſt idololatriæ. Nam ederunt & biberunt epulo conſtructo ex hoſtiis pacificis quas aureo vituli ſimulacro obtulerant. Proximè enim illud præcedit: *Surgenteſque mane obtulerunt holocauſta & hoſtias pacificas.* Simul hac parte Corinthios, qui in menſa talibus inſtructa dapibus accumbebant, perſtringit Apoſtolus, tanquam idololatriæ participes. Quæ res infrà pleniùs ab eo docetur. Porrò ſaturi ac temulenti cœperunt ludere, choros ducendo, cantando, tympana pulſando, & his ſimilia faciendo pro ſolemnitate erecti idoli, uti liquet ex hiſtoria. B. Auguſtinus, *quæſt. 61. inter. 83.* & ex eo gloſſa ordinaria, luſum hunc interpretantur idoli cultum. *Quid enim*, inquit Auguſtinus, *luſui puerili tam ſimile eſt, quàm idola colere?* Verùm ſcriptura, *Exod. 32. v. 6. 18. & 19.* non aliter illos luſiſſe ſignificat, quàm eo modo quo dixi; licet id fecerint ob idoli ſolemnitatem: eaque ratione cultus idoli rectè vocetur: ut ab Aquinate, Lirano & aliis annotatum eſt.

Ludus Iſraelitarum adorato vitulo quis fuerit.

8. NEQUE FORNICEMUR. Rectè poſt epulas fornicationis meminit: quia ciborum vinique ſatietas libidinem provocare ſolet. Fornicari in ſcriptura generale vocabulum eſt, comprehendens omnem concubitum viri cum muliere non conjugalem: ut annotavimus *ad initium cap. 5.* tametſi interdum ſtrictiùs ſumatur. Erat hoc vitium apud Gentiles adeò commune, ut de eo qui ex Gentibus crediderant, ſpecialiter admonendi eſſent Apoſtolico decreto. *Act. 15.* Nominatim verò Corinthios ſcortationi deditos fuiſſe, colligi poteſt ex iis quæ ſcripſit, *cap. 5. & 6.* Paſſim quoque ſcriptores ethnici Corinthia ſcorta commemorant: videlicet ad publicam proſtitutionem Veneri conſecrata, cujus in ea civitate templum erat celebre.

Nota locum de vitanda fornicatione.

Fornicari generale vocabulum in ſcripturis.

SICUT QUIDAM EX IPSIS FORNICATI SUNT. Reſpicit ad hiſtoriam, *Num. 25.* ubi leguntur Iſraëlitæ fornicati fuiſſe cum mulieribus Madianitarum, conſilio Balaam, de quo *Num. 31.* in caſtra ſubmiſſis: à quibus & ad ſacrificia vocati, ex iis comederunt, & deos ipſarum adoraverunt. Solam tamen fornicationem hic nominat Apoſtolus: quia fornicatio principalior erat. Non enim ſtudio peregrini cultus, quomodo patres eorum peccaverant in adoratione vituli; ſed ut mulieribus quarum amore capti erant, obſequerentur, deos earum venerati ſunt.

ET CECIDERUNT UNA DIE VIGINTI TRIA MILLIA. Ceciderunt interfecti à judicibus Iſraël, quibus præceperat Moyſes dicens: *Occidat unuſquiſque proximos ſuos qui initiati ſunt Beelphegor*: quod erat idolum Madianitarum: cùm priùs juſſu Domini principes populi ſuſpenſi fuiſſent contra ſolem in patibulis. Verùm numerus occiſorum convenire non videtur. Nam in lib. Numerorum *occiſi* leguntur *viginti quatuor millia hominum.* Cajetanus putat errore ſcribarum factum, ut alterum numerum pro altero poſitum vel hic, vel in Numeris habeamus. Quam ſolutionem etiam Aquinas ſuggerit. Oecumenius referens ipſa veteris ſcripturæ verba, numerum exprimit eumdem quem Paulus: ac ſubjun-

De numero variæ conciliationes Pauli & Moyſi.

git: *Quidam autem veterum ſcriptorum poſuerunt viginti quatuor millia.* Ex quo apparet exemplaria Græca memorati loci ſcripturæ quondam variaſſe: licet nunc conſtanter habeant *viginti quatuor*, ut & in Hebræo. Certè in verbis Pauli falſitas eſſe non poteſt; cùm minor numerus contineatur in majore. Qua reſponſione multi ſunt contenti.

Quamquam & illud dici poteſt, Moyſi non fuiſſe propoſitũ, ut numerum occiſorum exactè redderet: nec enim id ſolent hiſtorici. Quum ergo numerus occiſorum eſſet inter tria & quatuor milia ſupra vinginti: Moyſes ulteriorem numerum ſcripſit, Paulus citeriorem.

Eſt & alia conciliatio quam adfert Catharinus. Urget enim illud quod Paulus, non Moyſes, ſcripſit *una die*. Ut pridie quidem principes, id eſt, illuſtres ex populo viri circiter mille fuerint interfecti: altera verò die è reliquo populo viginti tria milia. Hoc ſolùm à Paulo dictum: Moyſen utrumque numerum fuiſſe complexum. Mihi prima reſponſio, quæ eſt utriuſque Thomæ, ſuffragante Oecumenio, plus cæteris probatur.

Judaicum eſt Chriſtum tentare & ſigna petere.

9. NEQUE TENTEMUS CHRISTUM. Chriſtum tentare, & ſigna requirere Judaïcum erat. *Judæi*, inquit, *ſigna petunt*: ſuprà cap. 1. Qui & in Evangelio Chriſtum ita compellant; *Quod ergo tu facis ſignum, ut videamus & credamus tibi?* Joan. 6. Sed & ſcribæ & Phariſæi Chriſtum tentaſſe leguntur, ſignum de cælo quærentes ab eo. *Matth.* 12. & *Luc.* 11. Quidam igitur hunc locum ſic exponunt: Ne tentemus Chriſtum, diffidentes ejus promiſſis, & ex ejuſmodi diffidentia ſigna petentes: quales Apoſtolus Petrus 2. *epiſt.* 3. prænonet venturos, nempe qui dicerent: *Ubi eſt promiſſio adventus ejus?* Nam & veriſimile eſt inter Corinthios fuiſſe, qui de Chriſti promiſſis hæſitare inciperent: velut eos qui fidem reſurrectionis mortuorum vertebant in dubium, *ut infrà cap.* 15, Primaſius huc refert illam tentationem de qua Paulus *in* 2. *ad* eoſdem Corinthios epiſt. cap. 13, dicens: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus?* Mihi magis videtur illud ad rem præſentem pertinere, quod dicit infrà verſ. 22. *An æmulamur*, ſeu *provocamus Dominum? Numquid fortiores illo ſumus?* Hoc enim erat Chriſtum tentare, potentiæ ejus periculum facere.

Quæ Chriſti tentatio hîc intelligatur.

SICUT QUIDAM EORUM TENTAVERUNT. Græcè hoc & ſequenti verſu: *Sicut & quidam*, &c. Cajetanus in hac parte ex Græco legendum annotat *eum* pro *eorum*, Stapulenſem ſecutus authorem: qui id prior annotavit: ideoque ſua verſione expreſſit: *quemadmodum & aliqui ipſum tentaverunt.* ſed haud dubiè vitioſo uſus exemplari, in quo ſcriptum eſſet αὐτὸν pro αὐτῶν. Nam in textu Paulino tam ſuprà quàm infrà legitur ἀυτῶν *eorum*. Sed quem tentaverunt? *Deum vel Chriſtum*, ait Thom. in comment. Si repetas Chriſtum, ut ferè Latini interpretes (nam & planus textus id omninò videtur exigere, nimiſque coactum eſt, aliud quàm quod præceſſit, velle ſubaudire) valebit hic locus ad deſtruendam hæreſin Photinianam, quæ negat Chriſtum fuiſſe ante Mariam: imò generaliter adverſus eos qui Chriſtum Deum negant. Nam tentationis peccatum propriè committitur in Deum. Sic & Auguſtinus accepit hunc locum, *lib. contra Maxim. cap.* 26. verbis etiam à Beda citatis.

Iſraelitæ Chriſtum in deſerto tentarunt.

Chriſti divinitas aſtruitur.

Vetus traditio quod angelus Iſraelitarum ductor Chriſti perſonam geſſit.

Favet hic locus opinioni à veteribus Theologis tam Latinis quàm Græcis traditæ de angelo qui duxit filios Iſrael per deſertum in terram promiſſionis: nempe Chriſti in carne venturi perſonam in eo fuiſſe præfiguratam, ac quodammodo repræſentatam: ut propterea quæ ab illo vel adverſus illum geſta aut facta fuerunt, ad Chriſtum referant, tamquam ab eo vel adverſus eum geſta aut facta. Eſtque eadem traditio de angelo qui patribus antiquis apparuiſſe legitur, ut Abrahæ in convalle, ſive juxta LXX. ad quercum Mambre, *Geneſ.* 18. Jacob in Bethel, *Geneſ.* 18. Moyſi in rubo & in monte, *Exod.* 3. & 24. & *Act.* 7. Joſue in campeſtribus Jericho, *Joſ.* 5. Denique & regi Nabuchodonoſor in fornace ignis, *Dan.* 3.

Item Angelus qui patribus antiquis apparuit.

Nam unum & eumdem Angelum fuiſſe, qui in typum Chriſti venturi, inque ejus ſpecie omnibus illis apparuerit, cenſent dicti theologi. Etenim quia Deus Pater inviſibilis eſt, & Spiritus ſanctus inviſibilis: ſolus autem Filius Dei futurus erat naturaliter viſibilis, quia carnem aſſumpturus: idcircò eum ſolum Angelus ille viſibiliter referebat, apparens videlicet in ea ſpecie, in qua Dei Filius aliquando erat aſſumpta carne conſpiciendus. Hinc rex ille dicebat ſe videre ſpeciem Angeli ſimilem Filio Dei. Et Chriſtus ipſe ad Judæos: *Abraham*, inquit, *pater veſter exultavit ut videret diem meum: & vidit & gaviſus eſt*, Joan. 8. Quin & illud Iſaiæ 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum*, &c. de Chriſto Domino à Propheta viſo dictum eſſe, idem Joannes affirmat, *cap.* 12. quum poſt alia recitata ejuſdem Prophetæ verba ſubjungit: *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo.* Nam *relativum ejus, eo, proculdubio refertur ad Jeſum*, inquit Janſenius, *cap.* 111. commentarij ſui Evangelici.

Quomodo antiqui Chriſtum vidiſſe dicantur.

Dicuntur autem hi Dominum, & Chriſtum, & Dei Filium vidiſſe, quia propriam ac manifeſtam carnis ejus ſpeciem, angelico miniſterio ſuis oculis oblatam viderunt: quomodò qui in ſpeculo videt expreſſam alicujus hominis imaginem, ipſum hominem videre dicitur. Jam iſtuc & aliæ ſcripturæ alludunt: *Jeſus*, inquit Apoſtolus Judas, *populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundò eos qui non crediderunt, perdidit.* & Paulus *Hebr.* 12. de Chriſto loquens: *Cujus vox movit terram tunc: nunc autem repromittit*, &c. Stephanus quoque *Act.* 7. eum qui Moyſi locutus eſt, & ductor populi fuit, nunc Angelum, nunc Dominum vocat. Eodem referri poteſt illud Sap. 18. *Omnipotens ſermo tuus de cælo durus debellator in mediam exterminij terram proſilivit.* Huc igitur & Paulum reſpicere cum dicit, Chriſtum ab Iſraelitis olim fuiſſe tentatum, veriſimile eſt. Ita commentator Ambr. *Chriſtum tentaſſe dicuntur*, inquit, *quia Chriſtus erat qui ad Moyſen loquebatur.*

Tradunt hanc quam retuli ſententiam, primùm Græci ſcriptores, Juſtinus *in dial. adverſus. Tryph.* Irenæus *lib.* 3. *adverſ. hæreſes cap.* 6. & *lib.* 4. *cap.* 23. Euſebius *lib.* 5. *demonſt. Evang. cap.* 9. & *ſequentibus*, nec non *in præmio hiſt. eccl.* & Athanaſius *in apol. ſuæ fugæ.* Quibus accedunt Latini, Tertull. compluribus locis à Pamelio annotatis *Paradoxo* 19. Cyprianus *lib.* 2. *teſtim. cap.* 5. & 6. Hilarius *lib.* 5. *de Trin.* & *in expoſit. pſal.* 68. Ambroſius *præfat. in Lucam*, & *lib. de fide ad Grat. cap.* 5. Prudentius *in apotheoſi adverſus Patripaſſ.* & *Judæos.* Auguſtin. *in conc. ad catechumenos cap.* 15. & author quæſt. *vet.* & *novi teſtamenti quæſt.* 117. & rurſum, *parte* 2. *quæſt. veteris teſtamenti quæſt.* 18.

Eadem traditio vocibus Eccleſiæ confirmata.

Poſtremò valde confirmat hanc patrum traditionem vox Eccleſiæ in adventum Dominicum canentis illam antiphonam: *O Adonai, & dux domus Iſrael, qui Moyſi in igne flammæ rubi apparuiſti, & ei in Sina legem dediſti, veni ad redimendum nos in brachio extento.* Quam orationem, ut & cæteras ejuſdem ordinis antiphonas, ad Chriſtum Dei Filium propriè dirigi, non eſt dubium. Talis eſt & illa paſchalis antiphona: *Surrexit Chriſtus de ſepulchro, qui liberavit tres pueros de camino ignis ardentis.* Secundum hæc igitur, tentaverunt Iſraelitæ Chriſtum in illo angelo ductore ſuo, Chriſti perſonam eo quo dictum eſt modo repræſentante. Ac ſæpè quidem populus ille Dominum tentavit in deſerto: ut *Exod.* 17. quando deficiente aqua dixit, *Eſtne Dominus in nobis, an non?*

Et vocatum est nomen loci illius tentatio. Item *Exod.* 16. quando panem petiverunt; & *Num.* 11. quando carnes. Hæc enim eos feciſſe tentando Deum, ac de ejus potentia dubitando, teſtatur David Pſal. 77. dicens: *Et tentaverunt Deum in cordibus ſuis, ut peterent eſcas animabus ſuis: Et malè locuti ſunt de Deo; dixerunt, Numquid poterit Deus parare menſam in deſerto*: Et iterùm; *Numquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo*? & quæ ſequuntur. Denique Dominus ipſe, *Num.* 14. teſtatur dicens; *tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ.* Verùm hoc loco reſpicit Apoſtolus ad hiſtoriam, *Num.* 21. ubi populus pertæſus itineris ac laboris, locutus eſt contra Dominum, dicens: *Deeſt panis, non ſunt aquæ*, &c. Tunc enim illos ſecuta eſt ultio divina, de qua ſubjungit.

Serpentes igniti.

ET A SERPENTIBUS PERIERUNT. Scilicet morſibus eorum interfecti. Scriptura ſerpentes ignitos, id eſt, urentes vocat. Putantur fuiſſe quas Græci dipſades appellant, nomine deducto à ſiti. Id enim conſonat hiſtoriæ. Nam in Arabia præcipuè naſcuntur: & morſu ſitim ardentiſſimam inducunt; quæ nec potu reſtringui queat, ſed omni humore conſumpto, mox hominem exſtinguat. Meminit Apoſtolus hujus peccati atque vindictæ; dans occaſionem myſterij cogitandi. Nam qui hoc modo peccaverunt, *à ſerpentibus perierunt, donec ſerpens æneus erectus eſt: quem qui intuebantur, à morſibus ſerpentium ſanabantur*, ut annotat Lombardus. Qua quidem in re fuit expreſſa Chriſti ſalvatoris in cruce exaltati figura, ab ipſo Chriſto expoſita; Joan. 3.

Myſterium, ſerpentes ænei.

Nota locum de cavenda murmuratione contra ſuperiores. Murmuratio quid.

10. NEQUE MURMURAVERITIS. Vel contra Deum, vel potiùs contra homines vobis præfectos: quæ tamen murmuratio in Deum redundat; proteſtante Moyſe, *Non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum*, Exod. 16. Eſt autem murmuratio, quando ſine juſta ratione, præcepto ſeu voluntati ſuperioris contradicitur, aut de ejus adminiſtratione querimonia ſuſcitatur. Tale quid apud Corinthios fideles accidiſſe, mirum non videbitur reputanti factiones & ſchiſmata, quæ inter eos erant, de quibus, *cap.* 1. 3. & 11. Nam & Philippenſes, utique laudatiores admonet dicens, cap. 2. *Omnia facite ſine murmurationibus.*

SICUT QUIDAM EORUM MURMURAVERUNT. Sæpiſſimè legitur populus ille in deſerto murmuraſſe contra Deum & Moyſen. Itaque videri poteſt incertum, de quo eorum murmure Paulus loquatur. Verum ex pœna ſubjuncta, colligitur eum loqui propriè de murmure quo *contra Moyſen & Aaron murmuravit omnis multitudo filiorum Iſrael, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini.* (his enim verbis deſcribitur *Num.* 16. *ſub finem*) non autem de alio quopiam murmure. Nam murmurationem unam & alteram quæ narrantur *Exod.* 16. & 17. nulla punitio legitur ſubſecuta. Nondum enim populus legem acceperat.

Sed neque ſermo eſt de murmuratione quæ *Num.* 11. deſcribitur; nec rurſum de ea quæ *cap.* 14. *ejuſdem libri.* Quæ duo loca ferè ſolent hîc in margine notari. Nam *cap.* 11. puniuntur qui carnes concupierant; de quibus jam antè locutus eſt Apoſtolus. Et *cap.* 14. murmuratio quidem populi deſcribitur, non tamen punitio, ſed generalis quædam comminatio, ſcilicet morituros eſſe in deſerto nec viſuros terram promiſſam. Rurſus initio *cap.* 11. fit mentio cujuſdam plagæ per ignem devorantem extremam partem caſtrorum: quæ & ipſa propter murmur populi divinitus immiſſa fuit. Non eò tamen Apoſtolum hîc reſpicere, ſed ad hiſtoriam, *Num.* 16. patebit ex eo quod ſequitur.

Exterminator non ignis, ſed Angelus intelligitur.

ET PERIERUNT AB EXTERMINATORE. Exterminatorem nonnulli interpretantur ignem egreſſum à Domino: propterea fortaſsè quod in Numeris legatur multitudinem fuiſſe vaſtatam incendio, juxta verſionem quidem vulgatam. Verùm in Hebræo nulla fit ignis aut incendij mentio: quemadmodum nec in Græco; ſed tantùm plagæ ſeu percuſſionis. Latini interpretes ferè intelligunt Angelum percuſſorem; Græci potentiam quamdam ultricem, quod eodem recidit. Quæ eſt enim ultrix illa potentia, niſi Angelus Dei miniſter? quo & alias ſæpenumerò legitur uſus ad punienda hominum peccata: velut, *Geneſ.* 19. 3. *Reg. ult.* 4. *Reg.* 19. *Act.* 12.

Quod verò Latinorum quidam exterminatorem exponunt eum qui percuſſit extra terminos terræ promiſſæ: parum ſcienter ab illis dicitur. Nam Græca vox ὀλοθρευτὴς nullam habet termini ſignificationem; ſed eum ſignificat qui penitus vaſtat ac perdit; quem & Cicero Latinè dixit exterminatorem, in oratione pro domo ſua. Porrò hujus exterminatoris fit etiam mentio, *Judith.* 8. illis verbis: *Exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt*: ut videri poſſit Apoſtolus hæc ſcribens illum locum in mente habuiſſe. Ejuſdem exterminatoris mentio fit. *Sap.* 8. in fine, cùm dicitur, *His autem ceſſit qui exterminabat, & hæc extimuit.* Ex quo etiam loco docemur ad quam plagam his ſuis verbis reſpiciat Apoſtolus; nimirum ad eam, quam populo immiſſam ac ſævientem compeſcuit Aaron ſacerdos; quando ſtans inter mortuos ac viventes, atque incenſum offerens, pro populo deprecatus eſt. Hanc enim rem geſtam Sapiens illo loco diſerta oratione commemorat.

Quæ plaga hic ſignificata.

Rationem verò cur hæc plaga præ aliis aſſcribatur exterminatori, id eſt, perdenti Angelo, hanc eſſe exiſtimo: quia modus plagæ, fuerit ne ea per ignem, an per ſerpentes, an aliter facta, non fuit à Moyſe expreſſus; aut certè, quia genus plagæ inſolitum fuit, & extraordinaria quadam operatione virtutis Angelicæ inflictum. Quod & dici poteſt de percuſſione exercitus Aſſyriorum ſub Ezechia Rege, 4. *Reg.* 19.

Quis Angelus exterminator.

Quæritur qualis fuerit hic exterminator Angelus, bonus aut malus: & omninò quis fuerit. Librum Sapientiæ legenti videbitur de numero malorum fuiſſe: eò quòd ſacerdoti pontificalibus ornamentis induto ceſſiſſe dicatur atque extimuiſſe: imò & victus ab illo fuiſſe. Nam pro eo quod nos ibi legimus, *Vicit autem turbas*, in multis Græcis habetur ἐνίκησε δὲ τὸν ὀλοθρεύοντα, *vicit autem exterminantem*, ſive *vaſtantem*: & mox ſequitur quod *verbo illum qui vexebat*, Græcè τὸν κολάζοντα *ultorem ſubjecit.* Verùm hæc, ut figurato ſermone dicta, non incommodè etiam de bono Angelo poſſunt accipi. Nam & Angelus qui luctatus fuit cum Jacob, ſuperatus ab eo legitur, *Geneſ.* 32. & fleviſſe ac rogaſſe eum, *Oſeæ* 12. qui utique bonus erat, ipſiuſque adeò Dei perſonam repræſentabat: ut propter eum in lucta ſuperatum Jacob dictus ſit Iſrael, id eſt, prævalens Deo. *Geneſ.* ibidem.

Angelus bonus, idemque Deus; & Chriſtus & Jeſus nominatus.

Quare & hunc bonum Angelum fuiſſe, mihi valde probabile eſt; nec verò qualemcumque, ſed illum ipſum qui ductor fuit Iſraelitici populi per deſertum, & Chriſti in carne venturi perſonam prætulit; ideoque Deus & Chriſtus & Jeſus nominatus legitur. Nam de Angelo ductore, quod idem ultor ſcelerum futurus eſſet, ita teſtatur Dominus, Exod. 23. *Ecce ego mittam Angelum qui præcedat te, & cuſtodiat in via; & introducat in locum quem præparavi. Obſerva eum, & audi vocem ejus; nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris.* Quod autem geſſerit perſonam & nomen Dei, docet id quod proximè ſequitur, *Et eſt nomen meum in illo*, videlicet πτεραγράμματον. Hoc enim nomine ſæpè vocatur, & vocat ſeipſum, ut *Exod.* 3. 13. 14. 20. *Deut. ult.* & alibi. Quod Chriſtus appellatus ſit, jam ſupra habuimus ex illis Apoſtoli verbis, *Neque tentemus*

Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt. Quod Jeſus dictus, oſtendunt verba Judæ Apoſtoli dicentis in epiſtola, quod *Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundò eos qui non crediderunt perdidit.* Quibus etiam ex verbis patet ipſum incredulorum exterminatorem fuiſſe. Dicitur autem hæc feciſſe Dominus Jeſus, per Angelum, de quo loquimur, perſonam ipſius gerentem.

Jam nec ab hoc Angelo diverſum fuiſſe putamus eum qui percuſſit Ægypti primogenita (neque enim illis aſſentior, qui malum eum fuiſſe putant) & cujus miniſterio lex data fuit in monte Sina; quique cum Moyſe locutus fuit in deſerto: & cum Joſue in agro urbis Jericho: & qui populum legis obſtrum objurgavit dicens: *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram pro qua juravi patribus veſtris*, &c. Judicum 2. Denique ipſum fuiſſe Michaelem Archangelum principem populi Dei; qui corpus Moyſi ſepelivit: de quo *in epiſt. Judæ.* Sed hæc ſingula ſuis argumentis oſtendere, non eſt hujus loci. Vide quæ commentabimur *in epiſt. Judæ v. 5. & 9.*

Exterminator Michael Archangelus.

11. HÆC AUTEM OMNIA IN FIGURA CONTINGEBANT ILLIS. Hic rurſum Græce eſt τύποι *figuræ*, plurali numero. *Hæc autem omnia figuræ*, id eſt, tanquam figuræ *contingebant illis*: ac ſi dicat: Hæc omnia quæ illis antiquis contigiſſe memoravi, fuerunt typi, figuræ, ſeu tabellæ quædam prænunciæ eorum quæ in Eccleſia Chriſti contingerent. Quia de re B. Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. cap. 24. *Dico*, inquit, *illorum hominum non tantùm linguam, verum etiam vitam fuiſſe propheticam; totumque illud regnum Gentis Hebræorum, magnum quemdam, quia & magni cujuſdam, fuiſſe Prophetam.* Sic ille. Porrò codex unus & alter obſervatus eſt, in quo ſcriptum eſſet τυπικῶς συνέβαινεν αὐτοῖς, id eſt, *typicè* ſeu *figurativè contingebant illis.* Sed qui ita ſcripſit, explicare voluit, quod ab Apoſtolo obſcurius dictum videbatur. Erat enim prior ille populus totus figurativus ac propheticus reſpectu populi Chriſtiani. Obiter admoneo S. Thomam paſſim in Summa Theologica legere quarto caſu *in figuram*, ut *1.2. quæſt. 102. art. 2. & 6. & quæſt. 103. art. 1. & quæſt. 104. art. 2. item 2. 2. quæſt. 87. art. 1.* Quæ lectio ad ſenſum clarior eſt. Idem tamen in commentario legit *in figura.*

Hebræo populo omnia contingebāt in figura.

SCRIPTA SUNT AUTEM AD CORRECTIONEM NOSTRAM. Græcè πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν, *ad*, ſeu *propter admonitionem noſtri*, pro quo Tertullianus *ad commonendos nos*, lib. 5. adverſus *Marc. cap. 7.* Senſus: ut iis lectis vel auditis admoniti ſapiamus, ne ſimiliter peccantes ſimilia patiamur.

IN QUOS FINES SÆCULORUM DEVENERUNT. Græcè, κατήντησεν *occurrerunt*, id eſt, *inciderunt*, ut Eraſmus vertit. Irenæus *lib. 4. adverſ. hæreſ. cap. 28. & 45.* & Auguſtinus *lib. 32. contra Fauſt. cap. 9.* & alibi legunt numero ſingulari, *In quos finis ſæculorum devenit*, aut *obvenit.* Græci tamen codices conſtanter habent pluralem numerum, quem & legit Tertullianus: *in quos*, inquit *fines ævorum decurrerunt*; adverſus Marcionem, *loco prius citato*, & adverſus Praxeam, *cap. 16.* Eſt autem in his verbis hypallage. Nam recto ordine diceretur: qui in fines ſæculorum, id eſt, in ultima tempora mundi, incidimus. Ultimam quippe mundi ætatem ſignificat, quæ ab adventu Chriſti protenditur uſque ad ſæculi conſummationem. Eamdem Joannes vocat noviſſimam horam, *1. epiſt. 2.* & rurſus Paulus, conſummationem ſæculorum, *Hebr. 9.* Hoc autem tempus eſt decurrentis Eccleſiæ, quo implendæ ſunt figuræ priorum temporum. Loquitur enim Apoſtolus non tantum in perſona fidelium ſui temporis; ſed & eorum qui pòſt futuri erant uſque ad finem ſæculi. De hac phraſi ſcripturæ plura reperies à nobis annotata ad dictum, *cap. 9. epiſt. ad Hebræos.*

Fines ſæculorum ultima mundi ætas.

12. ITAQUE QUI SE EXISTIMAT STARE, VIDEAT NE CADAT. Scilicet alieno cautus exemplo. Significat enim quorſum ſuperiora de Iſraelitis adduxerit. Et quamvis ſententia generalis eſt, tamen præcipuè notat eos, qui ſcientiæ nomine ſibi placentes, cum deſtructione proximorum & idololatriæ periculo, cibos idolis immolatos comedebant: de quibus dixerat, cap. 8. *Si quis ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum ſcire.* Ad hoc enim nunc à digreſſione revertitur. Et obſerva Paulum non dicere *qui ſtat*, ſed *qui ſe exiſtimat ſtare*, Græcè δοκῶν ἑστάναι, quod Eraſmus & alii vertunt ſenſu prorſus eodem, *qui ſibi videtur ſtare.* Multi namque ſibi ſtare videntur, qui non ſtant. Fallunt enim ſemetipſos, aut certè falluntur. Quales utique erant, quos inflabat ſcientia charitate deſtitutos ædificante.

Igitur ex hac Apoſtoli ſententia, adverſus duo ſpecialis ac novitiæ fidei capita, duo ſtatuuntur fidei catholicæ dogmata: *alterum*, non eſſe nos certos infallibiliter quod ſtemus, id eſt, juſti ſimus; *alterum*, nec eum qui juſtus eſt, certum eſſe quod ſit perſeveraturus, ſed timendum illi eſſe & cavendum ne à juſtitia cadat in peccatum, & peccati merito pereat in æternum. Unde patres hanc ſententiam interdum abſolutè citant de homine ſtante, abſque vocabulo *videtur*: ut S. Leo ſerm. 5. de quadrag. *Dicente namque Apoſtolo*, inquit, *Qui ſtat videat ne cadat: nemo eſt tanta firmitate ſuffultus, ut de ſtabilitate ſua debeat eſſe ſecurus.* Imò Chryſoſtomus ad ipſum Paulum extendit, in comment. ita loquens: *Cave caſum. Nam ſi timuit Paulus, qui erat omnium fortiſſimus; multò magis nos timere oportet.* Porrò Auguſt. *lib. de dono perſever. cap. 8.* locum hunc ita legit. *Qui videtur ſtare*, &c. non addito pronomine *ſibi*, quod nec in Græco eſt. Sed id rectè noſter interpres & alii ſuppleverunt. Intelligitur enim ex conſuetudine Græci ſermonis; ſicut & ſuprà cap. 7. *Si quis turpem ſe videri exiſtimat.* Vide quæ illic annotata.

Obſ. contra Sectarios, hunc locum, ex quo refelluntur duo fidei ſpecialis articuli: certitudo juſtitiæ præſentis, & perſeverantiæ.

Paulus non erat de perſeverantia ſecurus.

13. TENTATIO VOS NON APPREHENDAT NISI HUMANA. In libris Complutenſibus ac regiis, aliiſque nonnullis tam vetuſtis quàm recentioribus, atque in Miſſali Romano, legitur *apprehendit*, cum tertia vocali. Quæ lectio ſincerior eſt. Nam Græci codices habent ἔλαβε *cepit*, verbo præteriti temporis. Conſentiunt & Græci tractatores; & verſio Syriaca. Sed & apud Cyprianum, *lib. 3. teſtim cap. 91.* pro verbo *apprehendit*, legit *occupavit.* Legunt quidem exhortandi ſive optandi modo, *apprehendat*, Ambroſiaſter & Primaſius in commentariis, item Auguſtin. *lib. 2. de ſerm. Dom. in monte cap. 9.* & author quæſt. vet. & novi teſtam. *quæſt. 99.* Verùm reprehendit & corrigit eam lectionem Sedulius, ita ſcribens: *Quod Apoſtoli teſtimonium non intelligentes, quidam poſuerunt pro indicativo optativum modum.* Alioqui Pelagium quoque indicativum legiſſe, ſatis arguit ejus expoſitio.

Nomine tentationis id intelligitur hoc loco, quod in oratione Dominica: *ne nos inducas in tentationem*: ea nimirum tentatio, qua quis tentatur, hoc eſt ſolicitatur ad peccatum; ſive diabolo incitante, ſeu mundo, ſeu carne: Licet hic potiſſimùm reſpicere pleriſque videatur Apoſtolus ad eas tentationes quæ ſunt à mundo, id eſt, à malis hominibus bonos perſequentibus. Cujuſmodi tentationes non admodum graves adhuc paſſi fuerant Corinthii. Nondum enim, ut annotat Cajetanus, à præfectis provinciarum erant vexati propter fidem Chriſti. Ita tentationem hîc accipi, ſuadet illud quod ſequitur, *qui non patietur vos tentari*, &c. ut ſit ſenſus: Moneo vos, ut qui ſtare vobis videmini, lapſum metuatis; nec vobis placeatis, quaſi valde graves tentationes ſuperaveritis. Nam hactenus quidem non niſi humana, id eſt, modica, mediocris ac ſuperatu facilis tentatio vos occupavit, vobis incubuit. Nondum

Quid hoc loco tentatio.

Tentationē à mundo plerique intelligunt.

Humana tentatio.

gravia passi estis. Quod aliis verbis ad Hebr. 12. dixit: *Nondum usque ad sanguinem restitistis.* Igitur tacitè Corinthios admonet, ut sese præparent ac muniant adversus graviores tentationes superventuras: ne qui sibi placent de levioribus superatis, gravioribus succumbant.

Humanum autem esse Paulo quod moderatum ac facile est, tamquam humanis accommodatum viribus, probat locus Rom. 6. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ.* Et huic opponitur tentatio supra hominem; qualis illa Pauli de qua 2. Cor. 1. *Quoniam*, inquit, *supra modum gravati sumus, supra virtutem.* Et hic quidem commentarius de tentatione quæ fit à mundo, probabilis est.

Alii tentationem à carne.

Quamquam sunt qui Paulum loqui putent de tentione quæ à carne est, id est, à gula tentante ad idolothyta comedenda. Quem sensum, ut scopo præsentis doctrinæ viciniorem, minimè rejiciendum arbitror. Nam & tentatio quam excitat gula, levis est comparatione tentationum quas commovet mundus, persequendo fideles usque ad bonorum direptionem & mortem ipsam. Et has tamen etiam superare se posse ne diffidant, ostendit à quo victoriam sperare debeant, dum subjungit, *Fidelis Deus*, &c.

Humanæ tentationis expositio quorumdam rejecta.

Quod verò commentator Ambros. & author *quæstionum supradictus* distinguunt tentationem humanam à divina, docentes humanam esse tentationem propter spem Dei diffidere de homine; divinam verò desperare de Deo, humanum auxilium requirendo: prorsus alienum est ab hoc loco; & sensum Apostoli magis obscurat, quàm explicat. Quis enim dixerit, opus bonum & sanctum, quale est, propter spem Dei diffidere de homine, esse tentationem; præsertim ejus generis, de quo hic agitur?

FIDELIS AUTEM DEUS EST QUI NON PATIETUR VOS TENTARI SUPRA ID QUOD POTESTIS. *Patietur*, Græcè ἐάσει *sinet.* Post terrorem subjicit consolationem. Nonnulli locum hunc in eum sensum exponunt, quasi Deus nullum hominem supra vires tentari permittat; idque pertineat ad fidem promissorum Dei. Qui commentarius hactenus admitti potest, quia Deus nihil homini præcepit impossibile; & quia ad implenda præcepta suum auxilium promisit. Est autem ejus præceptum ut tentationibus resistamus, eaſdemque resistendo superemus. Et sic intelligendum illud Cypriani capitulum 91. *lib. 3.* testimoniorum, *Tantum unumquemque tentari, quantum potest sustinere.* Quod confirmat Paulino hujus loci testimonio. Sic etiam intelligendus Augustin. *in Tract. de pastoribus*; ubi semel & iterùm hæc Apostoli verba sic accipere videtur, tamquam universè de omnibus hominibus dicta sint. *Neque* enim *imperaret* quicquam *Deus ut faceremus, si impossibile judicaret, ut ab homine fieret*; ait idem August. *in exposit. Psal. 65.*

An Deus aliquem supra vires tentari sinat.

Quo sensu omnibus possibile tentationes omnes superare.

Verùm constat quamplurimis hominibus, præsertim infidelibus, & in profundum peccatorum demersis, non esse possibile tentationes omnes superare, nisi potentia multum remota: nempe quatenus adhuc in via hujus vitæ constituti, dum utiliter pro eis orari potest, Deo miserente possunt ad bonum converti, & tentationibus evadere superiores.

Promissio victoriæ facta petentibus.

Sed neque promissio divina de non permittenda supra vires tentatione, pertinens ad omnes homines, invenitur in scripturis alia, quàm qua Deus adjutorem se promittit afflictis & tentatis. Atqui non iis simpliciter omnibus promittit, sed petentibus. Ait enim, *Petite & dabitur vobis*: & *Omnis qui petit accipit*, Matth. 7. Quam multi verò tentati non petunt? imò quàm multi nec petere possunt? ii maximè qui Deum non noverunt? Nam *quomodo invocabunt in quem non crediderunt*? Rom. 10. Sanè quòd ad hunc locum attinet, non dicit Apostolus: *Fidelis Deus* qui neminem sinit; sed *qui vos non sinet tentari supra id quod potestis.* Ex quo satis apparet, quod sententiam suam restrictam esse velit ad certum genus hominum: utpote vel ad fideles, vel ad justos, vel ad electos.

Optimus hujus loci sensus de electis.

Est autem optimus commentarius eorum qui de electis exponunt. Solet enim Paulus ad electos respicere, sicubi fidem Dei allegat: ut hujus epistolæ cap. 1. ubi cùm dixisset: *Qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine*, mox addidit, *fidelis Deus.* Et manifestiùs 1. Thess. 5. *Fidelis est*, inquit, *qui vocavit vos, qui etiam faciet.* & 2. Thess. 3. *Fidelis Dominus est, qui confirmabit vos & custodiet à malo.* Loquitur enim ad hunc modum Apostolus, propterea quod promissiones novi testamenti principaliter ad electos pertineant; quibus Deus absolutè promisit ac præordinavit vitam æternam, & omnia bona ad eam consequendam necessaria; quale est vincere tentationes, & hoc ipsum à Deo petere. Nam hujusmodi promissio nec omnibus fidelibus, nec omnibus justis facta est, sed solis & omnibus electis: eo nimirum sensu, quia quamvis interdum Deus sinat eos supra vires tentari, ac tentatione dejici; quemadmodum accidit Petro, qui ante tentationem *putabat se posse quod se velle sentiebat, quando dicebat Domino, Animam meam pro te ponam*, inquit Augustinus, *lib. de grat. & lib. arbit. cap. 17.* sed non fallebatur qui dixerat ei, *Non potes me modo sequi*, Joan. 13. Verumtamen finaliter nulla tentatione à Deo separantur; secundum illud quod in eorum persona dicit Apostolus Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et iterùm: *Quis nos separabit à charitate Christi?* & quæ sequuntur.

Promissiones novi testamenti principaliter electos spectant.

Exstant autem promissiones illæ partim apud Prophetas, partim in Evangeliis, potissimùm apud Joannem, Domino de suis ovibus, id est, electis, inter alia sic loquente cap. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

Nec obstat huic expositioni quod aliqui Corinthiorum ad quos scribebat Paulus, non erant electi; ut nec omnes erant justi. Nam in hujusmodi sermone sive primam personam exprimat Apostolus, ut ad Romanos scribens; sive secundam, ut hîc & alibi; respicit electos qui in illis erant ad quos scribit: ut sensus hujus loci sit; Fidelis Deus qui suos electos, quorum in numero multos vestrûm esse confido, non sinet tentari supra vires.

Sensus de electis confirmatur testimoniis patrum Latinorum.

In hanc sententiam, id est, de electis, præsentem locum acceperunt Romani Pontifices Hormisdas & Gregorius primus. Hormisdæ verba sunt in epistola ad Possessorem episcopum. *Deus qui per beatum Apostolum dixit; Qui vos non dimisit tentari super quod potestis; ipse pro sua pietate, quos suos elegit esse, de laqueis adversariorum, sicut semper, eripiet.* Eosdem intellexit Gregorius sub nomine filiorum Dei, *lib. 14. mor. cap. 17.* Citatis enim Apostoli verbis, infert eos non esse filios, sed hostes, quorum vires flagella superant. Electos autem se intelligere declarat, *lib. 28. cap. 7.* ubi scripturam hanc repetit. Nec ab his diversum sensit Leo Pontifex utroque anterior. Nam in *serm. 7. de jejunio decimi mensis*, hæc Apostoli verba sic allegat, ut satis ostendat ea se intelligere dicta propriè de redemptis & sacro baptismate renatis, iisque militantibus atque pugnantibus: quod fit potissimùm (juxta Domini præceptum) vigilando & orando, ne intremus in tentanem. Quare etiam ex hujus pontificis sententia, pertinet hic locus ad electos, ut qui soli perseveranter orant.

Consimili intellectu tractat eumdem hunc locum Augustinus, *lib. de dono persev. cap. 9. & inenarr. Psal. 61. 77. & 120.* Quo postremo loco rationem hanc adfert,

adfert, *quia novit Dominus qui ſunt ejus*, quæ eſt electorum notio. Quos & illa ſpecialiter indicat memorati Leonis ſententia, qua dicit in *epiſt.* 27. ſcripta ad Flavianum epiſcopum: *Providentia Dei ſemper ſuis neceſſarium præſtat auxilium.*

¶ Sed & Haimo de perventuris ad regnum cæleſte, & Hugo de iis qui cum Deo ſunt, utique perſeveranter, Apoſtoli mentem exponunt, id eſt, de electis. Apertiſſimè verò de iiſdem gloſſator interlinealis, ac totidem verbis Lombardus, ita ſcribentes, *Deus eſt fidelis, id eſt, verus in promiſſionibus, qui ſe protectorem ſuorum electorum fore promiſit.* Unde & ſtatim addunt quod electis eſt proprium. *Qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis ferre; quia vel cadere non ſinit, vel à caſu erigit.*

Quamquam non minus apertè ſenſum hunc tradidit iſtis omnibus antiquior interpres Pauli, vulgo dictus Ambroſius, diſertè & graviter inculcans vim promiſſionis divinæ, videlicet ejus quæ ſpectat electos: eoque allegans illud Evangelicum, de magnis tribulationum tentationibus à Domino dictum: *Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi.*

Eadem ſententia Græcorum.

Nec verò diſſonant à ſupradictis Græci commentatores Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius, licet expreſsè electorũ non meminerint. Dicunt enim omnem tentationem vires noſtras ſuperare, niſi Chriſtus auxilietur, & felicem eventum præbeat. Quod quidem finaliter ſolis præſtatur electis. Nec de aliis intellexit Theodoritus. Exponit enim de iis qui divinum petunt auxilium, nempe ſicut oportet, ac imprimis perſeveranter. Quod ſoli faciunt electi.

De eadem re ſententia Concilij Tridentini.

Jam nec aliud exiſtimandum eſt ſenſiſſe patres Concilij Tridentini quando *Seſſ.* 24. *Can.* 9. loquentes de iis qui continentiam voverunt, dicunt Deum *rectè petentibus non* denegare donum caſtitatis: cùm *non patiatur nos ſuprà id quod poſſumus tentari*: nos, inquam, rectè petentes. Id enim relinquitur intelligendum ex eo quod proximè præceſſit. At rectè petentes finaliter, ut dictum eſt, ſoli ſunt electi. Nam alioqui, in eo quod dicunt donum illud rectè petentibus non denegari, ſatis profectò ſignificant, denegari, ſive non dari, non rectè petentibus, aut non petentibus omninò: qui proinde ſupra id quod in præſenti poſſunt, tentantur. Quod ipſum apertiùs docent iidem patres ſeſſ. 6. can. 11. ubi cùm dixiſſent, *Deus impoſſibilia non jubet*; addunt ex Auguſtino de natura & gratia, cap. 43. *Sed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*: deque ſuo; *& adjuvat ut poſſis*: adjuvat, inquam, petentem. Hinc & Catechiſmus Romanus in expoſitione precationis Dominicæ docet, *petendum à Deo, ne nos tentari ſinat ſupra id quod poſſumus, ſed faciat etiam cum tentatione proventum.*

Orandus Deus ne ſinat nos tentari ſupra vires,

Idque etiam admonet Auguſtinus libro de Catechiſ. rudibus cap. 25. his verbis: *Humilis eſto Deo, ut non te permittat tentari ultra vires tuas.* & capit. ultimo: *Opera miſericordiæ cum pia humilitate, impetrant à Domino, ut non permittat ſervos ſuos tentari pluſquam poſſint ſuſtinere.* Idem in fine tractatus de urbis excidio: *Oremus & gemiſcamus ad Dominum, ut ſervetur erga nos, quod Apoſtolus dicit: Fidelis Deus qui non vos ſinet tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentione etiam exitum.* Rurſus idem Auguſtinus, *lib.* 2. *de ſerm. Domini in monte cap.* 9. exponens illam partem orationis Dominicæ, *Ne nos inducas in tentationem*: *Deus*, inquit, *induci patitur eum quem ſuo auxilio deſeruerit, ordine occultiſſimo.* Et quibuſdam interjectis adferens hæc Apoſtoli verba, *Fidelis Deus*, &c. ita proſequitur: *In qua ſententia ſatis oſtendit non id nobis orandum eſſe ut non tentemur, ſed ne in tentationem inducamur. Inducimur autem, ſi tales acciderint, quales ferre non poſſumus.* Quem locum Auguſtini cum aliis huc adducit Beda in collectaneis.

De eadem re B. Hieronymus exponens illa Domini verba Matth. 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*, ſic ait: *Unde & in oratione Dominica dicimus: Ne nos inducas in tentationem, quam ferre non poſſumus: non tentationem penitus refutantes, ſed vires ſuſtinendi in tentationibus deprecantes.* Sic ille rectiſſimè. *Neceſſe eſt enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*; Uti præclarè ſcripſerunt Innocentius I. *in epiſtola ad Concilium Carthaginenſe*, & Cæleſtinus I. ſui præceſſoris verba repetens, *in epiſtola ad epiſcopos Galliæ, cap.* 6. Poſſent huc & alia multa ex ſcripturis & patribus adferri, quibus oſtendatur non omnibus hominibus, nec ſemper, adeſſe vires, quibus tentationi reſiſtant. Sed hoc argumentum alterius eſt loci. Denique non ad omnes homines, ſed ad ſolos electos Apoſtoli verba referenda eſſe, manifeſtè probat quod ſequitur.

Nota.

Non omnibus, nec ſemper adeſſe vires quibus tentationi reſiſtant.

SED FACIET ETIAM CUM TENTATIONE PROVENTUM. Græcè, *Sed faciet cum tentatione etiam exitum, eventum, evaſionem.* His enim modis ἔκβασιν, rectè vertas. Exitum legunt Hieronymus in *commmentario Jonæ Prophetæ cap.* 2. Et Auguſtinus, *in verbis paulò antè recitatis ex tractatu de urbis excidio*; idemque *in expoſitione Pſal.* 61. *& in epiſtola* 89. *ad Hilarium quæſtione* 2. *nec non lib.* 2. *de ſermone Domini in monte cap.* 9. *juxta citationem Bedæ.* Sic & Caſſianus *collatione* 7. *cap.* 20. Porrò Cyprianus *in teſtimoniis* ad Quirinum ita refert hunc locum: *Sed faciet cum tentatione etiam evadendi facultatem.* Quæ verſio probari non poteſt, niſi facultatem intelligas in actu poſitam, id eſt, evaſionem ipſam. Exitus autem iſte, ſive evaſio, ſine dubio proventus eſt tentati, quia victoria. *Senſus enim eſt*; is qui vos permittit tentari, faciet ut bonum exitum habeat tentatio, hoc eſt, ut eam ſuperetis, ac victoriam inde reportetis. Quod quidem perſpicuum eſt non omnibus præſtari, ſed ſolis electis, eo ſanè modo quo dictum eſt ſuprà, id eſt, finaliter.

Quid proventus cum tentatione.

UT POSSITIS SUSTINERE. Pro verbo *ſuſtinere*, Græcè eſt in Regiis & omnibus Robertinis, ὑπενεγκεῖν, id eſt, *ſufferre*, *ſuſtinere*. In aliis verò quibuſdam legitur ὑπερενεγκεῖν, id eſt, *ferendo prævalere*, quaſi dicas *ſuperferre*. Sic legit Eraſmus, & exponit, *ita ferre ut oneri ſuperſis ac ſuperes*: quomodo dictum ad Roman. 8. ὑπερνικῶμεν, *ſupervincimus*. Scito tamen hoc poſterius in ſacris literis vix eſſe uſitatum. Quod ad ſenſum hujus partis attinet, Origines *libro* 3. *Periarchon. cap.* 2. ſcribit ideò dixiſſe Paulum, *ut poſſitis ſuſtinere*, non autem, ut ſuſtineatis; quia Deus dat poſſe ſuſtinere & vincere; non autem ipſum ſuſtinere & vincere. Qui locus, ut & alij multi ſimiles apud illum authorem, cautè legendi ſunt; ut qui ad hæreſim Pelagianam apertis tibiis præludant. Veriſſimè namque dictum eſt ab Hieronymo in epiſtola ad *Cteſiphontem*, *adverſus Pelagium ſcripta*; Pelagij doctrinam Origenis eſſe ramuſculum.

Pelagij doctrina Origenis ramuſculus.

Senſus igitur Apoſtoli catholicus ac germanus eſt: Deum ſubminiſtraturum vires, quibus reipſa & actu ſuſtineant ac ſuperent tentationem; ita nimirum, ut ad Dei beneficium non tantùm referenda ſit vincendi poſſibilitas, quod vult Origines, quodque poſteà docuit Pelagius: ſed ipſa victoria tentationis, id eſt, ipſum pugnare & vincere: id quod perſpicuè teſtatur idem Apoſtolus infrà cap. 15. dicens: *Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Atque hunc ſenſum planè exigit particula præcedens, *faciet cum tentatione proventum.* Non enim facit proventum, ſed proventus tantummodo poſſibilitatem; qui non dat ſuſtinere, ſed tantum poſſe ſuſtinere.

Non ſolùm poſſe vincere, ſed ipſum vincere tentationes, Dei donum eſt.

Jam quò manifestius etiam hæc pars ad electos pertinet, Lombardus glossam secutus interlinealem, ita supplet, *ut possitis perseveranter sustinere.* Thomas quoque perseverantiam hic notari dicit. Unde patet ex hujus etiam doctoris sententia præsentem locum de electis accipiendum esse. Ex dictis intelligitur, hac parte, *ut possitis sustinere*, non significari causam finalem, sed expositionem contineri præcedentis vocabuli *proventum*: quasi dicat: faciet proventum per hoc quod vires dabit efficaces ad sustinendum usque in finem. Sic enim usurpatur interdum infinitivus Græcus præfixo vel subintellecto articulo τό: quod observare est in canticis beatæ Mariæ Virginis & Zachariæ. *Luc.* 1.

14. PROPTER QUOD CARISSIMI MIHI, FUGITE AB IDOLORUM CULTURA. *Carissimi mihi*, Græcè, *dilecti mei*; pro quo Theophylactus legit *fratres*, & expendit. Videtur & Chrysostomus legisse. Dicit enim: *Mitigat eos nomine consanguinitatis.* Regia Biblia conjungunt utrumque, *Fratres mei dilecti.* Nunc apertius exponit quò tendat proximè præcedens admonitio: nimirum ad revocandum eos à contagione cultus idolorum, propter quam superiùs dixerat, *Neque idololatræ efficiamini.* Cujus criminis participatione coinquinari docet fideles idolothytis vescentes: etiam illos qui sibi inter eos primi videbantur, id est, præ aliis scientia præditos. Nam *suprà* quidem cap. 8. de iis agens, qui scientia sua freti, sine respectu fratrum infirmorum, idolothytha comedebant, ostendit quàm graviter illi in fratres peccarent.

Idololatriã non fugit qui idolothytum comedit.

Hîc verò, quò magis ab ejusmodi mensis eosdem retrahat, præter scandalum fratrum, de quo postea sermonem repetit, etiam idololatriam quamdam subesse commonstrat: utique ratione participationis. Unde non dicit, Ne colatis idola, sed *fugite ab idololatria*, ut in Græco, id est, *ab idolorum cultu.* Christianus enim idolothytum unà cum idololatris comedens, etsi non propriè colebat idolum; tamen ab idoli cultu non satis recedebat. Nam esus ille idolothyti, participatio quædam erat cultus idololatrici: quemadmodum in sequentibus ipse Paulus explicat. Simili sensu Joannes Apostolus præcipit fidelibus in fine primæ epistolæ dicens: *Filioli, custodite vos à simulacris.*

15. UT PRUDENTIBUS LOQUOR. Græcè, λέγω, *dico*: scilicet id quod sequitur, ac si dicat; Cum prudentibus & intelligentibus mihi sermo est. Nam ab hujusmodi charismatis eos laudavit initio epistolæ: tametsi propriè eos appellat, quos suprà cap. 8 comprehendit illis verbis, *Scimus quoniam omnes scientiam habemus.*

VOS IPSI JUDICATE QUOD DICO. Græcè, *judicate vos quod dico*: Ubi in Græco non jam λέγω, sed φημὶ, quod idem tamen valeat. *Sensus*: Id quod volo dicere tale est, ut vos ipsi, tamquam prudentes, facilè de eò judicare possitis. Ad prudentiam quippe pertinet judicium de agendis. Hac delatione judicij cum laude conjuncta, mirè benevolentiam conciliat. Est autem sermo de judicio non potestatis, sed discretionis: quod ad unumquemque prudentem spectat. Ideo præmisit, *ut prudentibus loquor.* Sic & suprà *cap.* 2. ubi dixit, spiritualem omnia judicare: quemadmodum illic annotavimus, propter eos qui scripturas ejusmodi detorquent ad potestatem judicandi de rebus fidei controversis, quam vel omnibus Christianis, vel omnibus saltem doctis ac prudentibus, volunt esse communem.

Judicium discretionis, non potestatis, eis defert.

16. CALIX BENEDICTIONIS CUI BENEDICIMUS, NONNE COMMUNICATIO SANGUINIS CHRISTI EST? *Cui benedicimus*, sive *quem benedicimus*, ut legitur apud Irenæum lib. 3. cap. 20. & commentatorem Ambros. Nam Græcè est, τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν, *poculum benedictionis quod benedicimus*, &c. Duobus argumentis, altero sumpto ex spirituali sacrificio Christianorum, altero ex carnali sacrificio Judæorum, revocat Corinthios ab idolothytis; quibus indiscretè vescebantur, excusationem hanc prætexentes, quod homini Christiano nullus cibus sit immundus, quodque idolum nihil sit; ut vidimus, *cap.* 8. Cùm autem Christianorum sacrificium duarum rerum constet oblatione, corporis videlicet sanguinisque Dominici: prius sanguinis meminit, ut postea de corpore loquens sub nomine panis, aliud quiddam adjiciat eodem pertinens, nempe de significatione ejus mystica.

Benedictio hujus loci neque consecratio est, neque gratiarum actio.

Porrò benedictionem quam hîc nominat Apostolus, alij consecrationem, alij gratiarum actionem interpretantur. Quorum neutrum dici posse nobis videtur. Etenim haud dubiè Paulus de ea benedictione loquitur, de qua Evangelistæ Matthæus & Marcus in descriptione cœnæ Domini novissimæ. Atqui illa benedictio neque consecratio fuit, neque gratiarum actio. Consecrationem non fuisse, quamvis ita multi sentiant Latini posteriores, ex eo patet, quia prolationem verborum quibus fit consecratio, præcessit; ut ex Græco textu apud utrumque Evangelistam, ubi de pane loquuntur, perspicuum est. Utuntur enim participio aoristo εὐλογήσας, habente significationem præteriti temporis; ut locus ex Græco commodissimè reddatur hoc modo; *Cum benedixisset, fregit, & dedit discipulis, & dixit, Accipite comedite, Hoc est corpus meum.* Nam quod quidam respondent aoristum positum esse loco participij præsentis temporis, ut interdum fit; ejus rei haud facilè exempla dederint in aoristis hujus flexionis & formæ. Et omninò rarissima sunt aorista, in quibus usus obtinuit ut præsens tempus indicent, velut ἀποκριθείς respondens, εἶπεν dicens: & si quod aliud tale.

Consecrationem non esse probatur.

Certè cum Evangelistæ tam in discretione cœnæ, quam in narratione utriusque miraculi panum multiplicatorum (de quo legantur etiam Lucas & Joannes) nunc utantur participio εὐχαριστήσας, nunc εὐλογήσας, utroque aoristo simillimæ formæ; quî convenit, ut hoc potiùs quàm illud resolvas in verbum præteriti temporis? quomodo noster interpres resolvit εὐχαριστήσας, Joan. 6. *cùm gratias egisset.*

His accedunt pro confirmatione verba concilij Tridentini, *Sess.* 13. *cap.* 1. quibus, ut equidem arbitror, exponere voluerunt illius Concilij patres id quod à duobus Evangelistis Matthæo & Marco scriptum est. Verba Concilij de Eucharistiæ Sacramento loquentis hæc sunt: *Hoc tam admirabile Sacramentum in ultima* (cum discipulis) *cœna redemptorem nostrum instituisse: cùm post panis vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est.* Quod si post benedictionem panis & vini Christus testatus est se suis discipulis præbere corpus suum & sanguinem, testatus, inquam, iis verbis quibus fit consecratio; quæque à tribus Evangelistis & Paulo capite sequenti referuntur (constat enim non de aliis verbis synodum loqui:) palàm certè consequens est, consecrationem fuisse benedictione posteriorem, & proinde benedictionem per consecrationem, tamquam eadem sit, non rectè exponi. Nec video post tam aperta concilij verba quis locus esse possit tergiversationi.

Benedictionem non esse gratiarum actionem probatur.

Jam nec dici potest, illam benedictionem fuisse eamdem cum gratiarum actione. Nam benedictio ad symbola proposita refertur, gratiarum actio non nisi ad Deum. Quod utrumque docere non est difficile. Et quidem benedictionem ad symbola referri, quamvis ex descriptione cœnæ apud Matthæum & Marcum non liquidò pateat (non enim exprimunt ad quid refertur; & loquuntur de gra-

tiarum actione ſimiliter ;) tamen ex hoc loco Pauli manifeſtum eſt. Dicit enim non ſine inculcatione, *Calix benedictionis, cui* ſeu *quem benedicimus.* Eſtque eadem ratio de pane : ut dicere potuerit, Panis benedictionis quem benedicimus. Nec minus manifeſtum ex verbis concilii ; *poſt panis vinique benedictionem.*

Idem oſtenditur ex benedictionibus quas adhibuit Dominus in aliis ſeu miraculis ſeu factis ſuis ; nominatim in miraculo multiplicationis quinque panum & duorum piſcium : in quo deſcribendo iiſdem ferè verbis, quibus in inſtitutione Euchariſtiæ narranda, utuntur Evangeliſtæ : quorum Lucas, *cap.* 9. benedictionem definitè retulit ad panes & piſces, dicens: εὐλόγησεν αὐτούς, *benedixit illos,* ſeu *illis,* ut habet noſtra verſio. Nec aliter accipienda benedictio cujus mentio eſt in miraculo ſeptem panum apud Matthæum & Marcum: & cujus in cœna Domini cum duobus diſcipulis in Emmaus *apud Lucam cap.* 24. licet iis locis caſus rei patientis non fuerit expreſſus. Rurſum autem expreſſit Lucas *in fine ejuſdem capitis,* dicens ac repetens, Chriſtum aſcenſurum in cælum benedixiſſe ſuis diſcipulis : & Marcus cap. 10. referens quemadmodum Chriſtus manibus ſuper parvulos impoſitis benedixerit eos.

Gratiarum actio refertur ad Deũ.

Porrò gratiarum actionem, cujus in hoc myſterio deſcribendo tres Evangeliſtæ & Paulus meminerunt, ad Deum referendam eſſe; quamvis nec id quiſquam eorum expreſſerit, dubitari tamen non poteſt, poſteaquam in ſacro canone miſſæ, tam ante panis conſecrationem quàm vini, idipſum clarè expreſſum habemus : ut taceam de ea re conſenſum interpretum Pauli & Evangeliſtarum ; quorum nulli venit in mentem hæc violenta ſyntaxis, εὐχαριστήσας τὸν ἄρτον: quæ nec Latinè poſſet efferri. Sanè diſtinguenda eſſe hæc duo, gratias agere & benedicere ; vel inde colligas, quod in eodem canone, ante utriuſque ſymboli conſecrationem, ſimul ambo junguntur, *gratias agens benedixit,* tamquam ſignificatu differentia: & ita quidem ut gratiarum actio benedictionem præcedat.

Benedicere pro bene precari in ſcripturis uſitatiſſimũ.

Cùm ergo ſatis jam oſtenſum ſit, benedictionem de qua nunc agimus, neque conſecrationem eſſe, neque gratiarum actionem, unum id reliquum eſt, ut eam accipiamus in ſignificatione, dum ad res aut perſonas creatas refertur, in ſcripturis uſitatiſſima, qua benedicere eſt benè precari, & benedictio bona precatio, qua ſcilicet alicui rei vel perſonæ benè precamur. Quæ quidem benedictio, quatenus precatio, Deum reſpicit : ipſum tamen benedicendi verbum tranſit in rem vel perſonam, quæ ſeu cui benedicitur. Sic igitur, & non aliter, in Evangelica narratione capitur hoc verbum, ubi Chriſtus acceptum panem benedixiſſe legitur. *Senſus enim eſt,* eum pani benè precatum fuiſſe, nimirum oratione ſuper eum fuſa ad Deum Patrem, oculis in cælum elevatis (ut in canone miſſæ dicitur) qua ipſe ut homo & ſacerdos, peteret illius creaturæ quam manibus tenebat, ſanctificationem utique mox futuram per mirabilem ejus in ſuum corpus tranſmutationem : quam idem ipſe ut Deus omnipotenti ſua virtute ſimul cum Patre & Spiritu-ſancto eſſet effecturus. Quo Chriſti ſacerdotis exemplo, miniſter ac vicarius ejus ſacerdos, ad altare priùs Deum precatur, ut propoſita dona fiant Chriſti corpus & ſanguis : ac deinde procedit ad eorum conſecrationem. Nam quod de panis benedictione diximus, id de calicis benedictione ſimiliter intellige. Quamvis enim de calice loquentes Evangeliſtæ, benedictionem non nominent; canon tamen liturgicus nominat, ut & hoc loco Paulus.

Quo ſenſu Chriſtus panì benedixerit.

D. Janſenii laudata ſententia.

Itaque mihi videtur optimè reverendiſſimus Janſenius, præceptor meus, *benedictionem panis & calicis* definiviſſe *precationem ſuper illa effuſam, & invocationem divinæ beneficentiæ ſuper illa,* Commentariorum in Concordiam Evangelic. *cap.* 131. Quam ejus ſententiam etiam Cardinalis Bellarminus meritò collaudat, *lib. 1. de Euchariſtia cap.* 10. licet eam non ſatis explicat.

Quod igitur Evangeliſtæ in deſcriptione cœnæ myſticæ, nunc benedictionem, nunc gratiarum actionem nominant; non eo factum, quod harum vocum ſignificationem confundant, ut quidam opinantur : ſed quia Chriſtus in ſua ad Patrem oratione, quam conſecrationi præmiſit ; utrumque fecit, & gratias illi pro beneficiis acceptis agens, & precationem adjungens ſuper pane in melius commutando, quod eſt panem benedicere : quorum alterum alteri, in eadem ratione, conjunctum erat ; quemadmodum hanc rem idem Janſenius doctè explicat. Siquidem & aliàs illa duo, gratiarum actionem & benedictionem, Chriſtus Dominus velut ex more conjunxiſſe legitur: ut quando reſſuſcitaturus erat Lazarum, *Joan.* 11. & quando panes piſceſque multiplicaturus ſemel & iterùm. In quo gemino miraculo deſcribendo, ſimiliter ut in cœna myſtica, videre eſt Evangeliſtas modò gratiarum actionem nominaſſe, modò benedictionem : non quod hæc eadem ſint, ſed quod, ut dixi, conjuncta, tamquam ejuſdem orationis partes ſeu membra quædam, ex quorum utrolibet ſynecdochicè totum poſſit intelligi; nec non alterum ex altero.

Benedictio cum gratiarum actione conjungi ſolet.

Hinc illa fidelium conſuetudo, ut cibos ſumpturi Deum agnoſcant donatorem, quod eſt gratias agere; rogentque ut ſumentibus faciat ſalutares, quod eſt benedicere. Id enim à Chriſto acceptum Apoſtoli fidelibus tradiderunt: ac meminit Paulus, 1. Tim. 4. quum de *cibis quos Deus creavit ad percipiendum,* loquens, & gratiarum actionem nominat & orationem, id eſt, benedictionem. Qui & in omnibus penè Epiſtolis ſuis eum morem ſervat, ut priùs Deo gratias agat de beneficiis in eos collatis ad quos ſcribit; deinde perſeverantiam iiſdem imprecetur, & gratiam uberiorem.

Menſæ benedicendi fideliũ conſuetudo à Chriſto manavit.

Denique ut intelligas hæc tria, gratiarum actionem, benedictionem & conſecrationem eſſe inter ſe diverſa, reſpice ad id quod ab Eccleſia Chriſtum imitante agitur in ſacrificio miſſæ. Nam ut ille gratias egit, benedixit, conſecravit: ſic & illa per ſacerdotem hæc eadem agit eodem ordine. Primùm namque tota canonis præfatione gratias agit Deo cum laude: deinde dona propoſita benedicit tum initio canonis, tum rurſus ac potiſſimum illis verbis. *Quam oblationem tu Deus,* &c. Poſt hæc conſecrat eadem dona verbis Chriſti. Et quoniam ille ſubjunxit præceptum, *Hoc facite in meam commemorationem,* idcircò & ipſa, repetitis præcepti verbis, ſubjungit, *Unde & memores Domine nos ſervi tui,* &c. Quarum quidem actionum duas medias, eorum ordine ſuiſque nominibus, ſcilicet benedictionis & ſanctificationis, etiam Auguſtinus diſtinxit, *epiſt.* 59. *ad Paulin. quæſt.* 5. ubi tractans locum Pauli 1. Timoth. 2. *Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes,* &c. *orationes* interpretatur eas quæ fiunt, *cùm benedicitur & ſanctificatur & ad diſtribuendum comminuitur illud quod eſt in Domini menſa.* Quæ ſanè verba benedictionem à ſanctificatione, id eſt, conſecratione, non minus ſecernunt, quam à comminutione, id eſt, fractione.

Gratiarum actionẽ, benedictionem & conſecrationem eſſe diſtinctas, amplius probatur.

Ex dictis intelligitur, Christi benedicere ~~juxta~~ definitionem à Janſenio datam & à nobis probatam, non idem eſſe quod benefacere, ſicut aiunt quidam; niſi ſenſu conſecutivo, propterea quod omnis ejus precatio ſit efficax, ſeu potius efficaciter imperatoria ejus quod petit ; ipſo videlicet unà cum Patre & Spiritu-ſancto hoc ipſum quod petit præſtante ; non quidem ſemper ſtatim cum ipſa petitione, ſed cum voluerit ; velut in re præſenti, ad

An Chriſti benedicere ſit benefacere.

illa verba prolata, tamquam instrumentaliter operatoria, *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Et in Lazari resuscitatione, ad illa, *Lazare veni foras.* In panum autem pisciumque miraculo, tunc, quando fiebat illorum in turbas distributio.

Calix bene dictionis, id est, calix Eucharistiæ & sanguinis Christi quo sensu.

Jam quod Theophylactus in commentario *calicem benedictionis* interpretatur *gratiarum actionis*; nec id quidem suprà dictis adversatur, ubi benedictionem ab actione gratiarum distinximus. Non enim illis verbis exponit quid benedictio significet: sed declarat quem Apostolus calicem benedictionis vocet; eum videlicet quem fideles calicem Eucharistiæ seu gratiarum actionis appellare solent. Alioqui Theophylacto non eadem esse hæc duo, probant verba ejus sequentia: quibus utriusque vocabuli rationem distinguens ait: *Manibus enim eum tenentes, benedicimus ei* (nempe calici, de quo Apostolus, *cui benedicimus*) *& gratias agimus ei, qui sanguinem suum pro nobis effudit.* Sic & Oecumenius, *Calicem benedictionis*, inquit, *calicem vocant sanguinis Christi:* non quod benedictio sanguinis sit Christi, sed quod calix ille fidelibus hoc nomine sit notissimus. Hæc de vocabulo benedictionis, ut ab Evangelistis, & hoc loco à Paulo usurpatum est, dicta sufficiant.

An benedicere, & εὐχαριστεῖν, aliquando significent consecrare.

Non enim hic discutimus quid εὐλογεῖν interdum significet usu patrum Græcorum; quidve benedicere usu Latinorum: & an usurpent ea alicubi pro consecrare, sicut multis videtur. Quod si ita est; non adeò mirum, quandoquidem & verbum εὐχαριστεῖν in ea significatione Græci quidam veteres usurpasse videntur: nominatim Justinus martyr *in apolog. 2.* ubi panem vinumque mysticum vocat ἄρτον καὶ οἶνον εὐχαριστηθέντα, & τροφὴν εὐχαριστηθεῖσαν, ac si dicat, panem, vinum, cibum eucharistizatum. Et Irenæus *lib. 1.* adversus hæreses, cap. 6. ubi habes (Epiphanio Græca citante, hæresi 34.) ποτήρια οἴνῳ κεκεραμένα εὐχαριστεῖν, *pocula vino mista eucharistizare.* Verùm id propter nomen Eucharistiæ inditum pani & vino in corpus & sanguinem Domini consecrato; ut iis in locis quibus sic loquuntur, εὐχαριστεῖν sit Eucharistiam facere. Sed non ideo consequens, eam vocem in scripturis sic accipi.

Vocabula ad peculiarē usum extra scripturam vendicata ab Ecclesia.

Constat enim multa vocabula, partim à scriptoribus ecclesiasticis docendi causa (quod in disciplinis tradendis fieri necesse est) partim communi consensu fidelium, ad aliqua significanda quæ Christianæ sunt religionis aut observantiæ, fuisse introducta, quæ non eamdem in scripturis inveniantur habere significationem: cujusmodi sunt sacramentum, character, ordo, clerus, lector, ostiarius, confirmatio, chrisma, pœnitentia, absolutio: ut hæc sunt nomina quibus sacramenta vel eorum partes aut adjacentia quædam significantur; item præscitus, id est, reprobatus, indulgentia, aureola. Quibus & verbum εὐχαριστεῖν, ut consecrare significat, liceat annumerare: siquidem & εὐχαριστία pro sacramento corporis & sanguinis Domini sumpta, non scripturæ, sed Ecclesiæ vocabulum est: quemadmodum & ejusdem significationis εὐλογία, licet minus usitatum. Atqui nobis propositum fuit explicare, quæ propria sit horum verborum εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν apud Paulum & Evangelistas significatio.

Alia responsio ab authore suggesta.

Verumtamen dispiciat Theologus, anne Patres tam Latini, quàm Græci, iis ipsis locis, ubi benedictionem pro consecratione, & εὐχαριστεῖν pro consecrare videntur accepisse, respiciant ad illam significationem quam ostendimus eas voces habere in scriptura: ut apud Latinos panis & vinum dicantur consecrari benedictione, id est, invocatione prævia sacerdotis super panem & vinum effusa, qua petit ut fiant corpus & sanguis Christi; quemadmodum de Christo benedicente dictum est suprà: ac similiter apud Græcos ἄρτος καὶ οἶνος εὐχαριστηθέντα, sint panis & vinum oratione prævia (quam synecdochicè gratiarum actio significat) per sacerdotum sanctificata; aut super quibus sanctificandis Deus cum gratiarum actione fuit invocatus. Nam & apud Paulum 2. *Cor.* 1. passivè legitur χάρισμα εὐχαριστηθὲν, id est, donum pro quo actæ sunt gratiæ. Sanè quantum ad benedictionem attinet, quæ in precibus super aliqua re fusis consistit, quod eâ seu per eam res sanctificari & consecrari dicatur, ut altare, templum, aqua, oleum, vasa, vestes, usitatissimum est. Quo loquendi more etiam dicimus sanctos homines suis precibus mortuos suscitasse, cæcos illuminasse, morbos fugasse, aliaque miracula fecisse; sive verba hujusmodi, surge, respice, sanus esto, subjunxerint, sive non.

Precibus sacerdotū consecrari Eucharistiam quid sit.

Convenit autem cum hoc sensu quem suggessimus, etiam illud quod Patres interdum dicunt sacerdotum precibus Christi corpus & sanguinem consecrari: ita tamen ut intelligamus complementum precibus addi per verba Dominica, quæ consecratoria vocantur. Hæc enim sunt quæ præstant sacrificio firmitatem: ut loquitur Chrysost. in *serm. de prodit. Judæ.* Sed ab Apostoli verba redeamus: quæ vel hoc modo possunt exponi; Calix qui vocatur *calix benedictionis*, quia in mysteriis preces super eo fundimus (hoc est enim quod addit, *cui* vel *quem benedicimus*) est calix sanguinis Christi, quem unum & eumdem omnes sumimus: Vel isto modo; Id quod est in calice benedictionis, sanguis Christi est, quem unum, &c. Nam calicem metonymicè poni pro liquore contento, frequens est in scripturis.

Triplex expositio verborū Pauli.

Potest sermonis improprietas etiam sic explicari: quomodo Aquinas & Cajetanus explicant: Usus calicis mystici, dum à nobis potatur, est communicatio sanguinis Christi, omnibus nobis de calice potantibus. Ubi *notanda* duplex relatio in vocabulo communicationis; altera communicantium ad rem communicatam, ut hoc loco, sanguinem Christi: altera communicantium inter se. Quam utramque relationem Paulum præ oculis habere, sed magis ac principalius priorem, animadvertet qui totum sermonis ejus contextum usque ad versum 22. attentè perlegerit.

Dupler relatio in vocabulo cōmunicationis.

Porrò quod dicit, *benedicimus*, plurali numero; vel in persona presbyterorum dicit, qui soli mysteriorum sunt administri: vel generaliter in persona fidelium qui mysteriis interfunt. Qui quidem omnes calici benedicunt eo modo & sensu, quo omnes ibidem præsentes dicuntur unà cum sacerdote offerre, videlicet animi consensu ac devotione, cum desiderio fructus ex sacrificio percipiendi; tametsi fateor priorem sensum, quem & glossa tradit ordinaria, mihi magis probari.

Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? *Et* abest in Græcis ac nonnullis etiam Latinis mss. *Participatio*, Græcè κοινωνία *communicatio*, ut in priori membro. Sicque in utroque legit Augustinus *apud Bedam.* Unde & Theophyl. post Chrysost. notanter observat, Apostolum non dixisse μετοχὴ, id est, participationem, sed κοινωνίαν, id est communionem seu communicationem; nimirum ad significandam, ut volunt, excellentem quamdam unionem. Quæ illorum observatio, licet in priori parte posita, pertinet æquè ad hanc partem.

Communicatio & participatio Paulo synonyma sunt.

Utrùm tamen Apostolus ex consilio sic fuerit locutus, dubito. Nam μετοχὴ paulo pòst nominat: ut potius videatur his duobus vocabulis tamquam synonymis usus fuisse, quemadmodum utitur, 2. *Cor. 6. v.* 14. Sensus autem est: Panis quem in mysteriis frangimus, est Corpus Domini; quod unum & idem omnes fideles accipimus. Nam, ut mox ait, *omnes de uno pane participamus.* Aquinas & Caje-

tanus conformiter cum parte ſuperiori ſic exponunt: Uſus panis myſtici, dum à nobis editur, communicatio corporis Domini eſt, omnibus nobis illum panem edentibus.

Corpus Domini panem Apoſtolus vocat: tum quia ex pane factum eſt: qua ratione homo pulvis ſeu terra vocatur, *Gen.* 3. tum potiſſimè quia ſpeciem panis totamque ejus operationem retinet: non autem, ut hæretici volunt, quod in hoc ſacramento vera maneat panis ſubſtantia. Fractionem quoque intelligit eam, qua panis ille, id eſt, corpus Domini, ſecundum externam atque viſibilem ſpeciem frangitur, ut in multos diſtribuatur. Cujus fractionis etiam Lucas meminit in *Act. Apoſtol. cap.* 2. & 20.

Corpus Domini quo ſenſu panem vocet Apoſtolus.

Quæ fractio panis.

Fiebat autem hujus panis fractio tempore primitivæ Eccleſiæ, primum quidem à preſbyteris & diaconis; deinde verò magiſque particulatim à cæteris fidelibus, quibus Euchariſtia dabatur in manus, ut eam ipſi porrò vel in ipſo cœtu inter ſe, vel domi inter ſuos diſtribuerent. Nam & hoc indicat Lucas *in Actis*, quum fractionem panis in genere fidelibus attribuit dicens, cap. 2. quod *erant perſeverantes in communicatione & fractione panis*, ut habet Græca lectio. Et iterùm: *Frangentes circa domos panem*, Græcè κατ' οἶκον, *per ſingulas domos*: quomodo Tit. 1. κατὰ πόλιν *per ſingulas civitates*. Non enim preſbyteros habebant, qui domeſticatim conſecrarent & frangerent.

A quibus illa fractio ſolita fieri.

Quod autem & in conventu idipſum fieret, indicant hæc ejus verba, cap. 20. *Una Sabbathi, cùm convenìſſemus ad frangendum panem*; vel ut in Græco, *cùm convenìſſent diſcipuli ad frangendum panem*. Sic autem & Chriſti diſcipulos in ultima cœna feciſſe non eſt improbabile: ut quibus dixerit Chriſtus, *Accipite, & dividite inter vos*, Luc 22. Quod etſi de calice dictum ſit, nihil tamen vetat de pane ſimiliter intelligi. Prima tamen & principalis fractio, ſicut illic à Chriſto facta eſt, ita deinceps ex illius inſtitutione per miniſtros altaris fieri debet. Quare & hoc verbum *frangimus* in perſona miniſtrorum Eccleſiæ dictum arbitror à Paulo, ſicut verbum *benedicimus*.

Jam ex hoc loco manifeſta probatio eſt adverſus Sacramentarios, in Euchariſtæ ſacramento ſumi à fidelibus ipſum Corpus & Sanguinem Domini: non autem, ut illi volunt, nudum corporis & ſanguinis Dominici ſignum: Nam & ipſa percontandi forma qua dicit, *Nonne*, &c. vim habet affirmationis vehementioris, tamquam de re apud fideles nota & confeſſa, cui nullus audeat contradicere. Sic Paulò pòſt. *Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* & Chriſtus apud Joannem cap. 11. *Nonne duodecim ſunt horæ diei?*

Obſerva contra Sacramentarios locum pro veritate corp. & ſang. Domini in Sacramento Euchar.

Denique in hunc iſtius loci ſenſum omnes interpretes Orthodoxi tam Græci quàm Latini conſpirant. Sed & iis omnibus antiquior Irænæus Epiſcopus & Martyr haudquaquam aliter hæc Pauli verba ſe intellexiſſe declarat verbis admodum perſpicuis, *lib.* 5. *adverſ. hæreſ. cap.* 2. quæ nos hîc omittimus, ne juſto prolixiores ſimus. Locum Irenæi diligenter expendit & ab Oecolampadij corruptionibus vindicat Joan. Fiſcherus *itidem Epiſcopus & Martyr lib.* 4. *de Euch. cap.* 23. 24. & 25.

17. QUONIAM UNUS PANIS, UNUM CORPUS MULTI SUMUS. Explicat myſterium ſignificatum in Euchariſtiæ communione, quod & ejuſdem ſacramenti effectus eſt. Nam quia multi ſumimus unum eumdemque panem myſticum, ideò multi per ſignificationem & effectum ſacramenti, ſumus unus panis: & quia idem ille panis corpus Chriſti eſt; ideò multi ſumus unum corpus. Multos intellige cœtum fidelium, id eſt, Eccleſiam, tam particularem quamlibet, quàm univerſalem. Porrò *unus panis & unum corpus Eccleſia Chriſti dicitur*, *ait* gloſſator ex Auguſtini ſententia, tract. 26. ſuper Joannem & alibi, *quia ſicut unus panis ex multis granis conficitur, & unum corpus ex multis membris componitur; ſic Eccleſia Chriſti ex multis fidelibus, charitate copulante, connectitur.* Quæ res etiam à Græcis expoſitoribus hoc loco eſt annotata. Propter quod & à Patribus Euchariſtia ſymbolum unitatis appellatur. De quo ſic exclamat in tract. jam dicto S. Auguſt. *O ſacramentum pietatis, ô ſignum unitatis, ô vinculum charitatis!* Aquinas verò ſubtiliter ac ſublimiter in his Apoſtoli verbis *duplicem* obſervat *unitatem*: *primam incorporationis, qua in Chriſtum transformamur, cùm dicit, unus panis: alteram vitæ & ſenſus, quam à Chriſto capite accipimus, cum addit, unum corpus.*

Myſteriũ in Euchariſtiæ communione ſignificatum.

Eccleſia unus panis, unum corpus.

Euchariſtia ſymbolum unitatis, ejuſque duplicis.

Nec abs re eſt quod Apoſtolus juxta fidem Græcæ lectionis & optimorum codicum Latinorum, Auguſtino etiam ſuffragante, ſine media conjunctione dixit, *unus panis, unum corpus.* Voluit enim ſignificare in ſigno hujus unitatis non aliud eſſe panem, aliud corpus Chriſti, ſed unum & idem: quia panis ipſe eſt corpus Chriſti (quomodo diſertè Chryſoſt. Theoph. & Oecumen. *in ſuis commentar.* loquuntur) ſicuti res ſignificata una eſt & eadem, ſcilicet myſticum Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia.

OMNES QUI DE UNO PANE PARTICIPAMUS. In quibuſdam codicibus cum addito legitur: *Omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.* Idque totum à Latinis pleriſque mediæ ætatis tractatoribus exponitur. Verùm codices Latini meliores eam partem, *& de uno calice*, non agnoſcunt; ut nec Græcus textus, nec Syriacus. Et in Græco quidem atque Syriaco ſic habetur: *Nam omnes ex*, ſeu *de uno pane participamus.* Quæ lectio etiam in compluribus exſtat Latinis mss. Similiter Auguſt. lib. 1. contra adverſar. legis cap. 17. *Omnes enim de uno pane participamus.* Textus Ambroſ. *Omnes enim qui.* Lombardus ita legit, *Quoniam omnes.* & Hervæus: *Quia omnes de uno pane participamus*: ut hic author nec illud, *& de uno calice*, legiſſe videatur.

Utrovis autem modo legas; continet hæc pars probationem ſuperioris, valetque ratio à ſigno & cauſa; quemadmodum illic explicatum eſt. Unum panem rurſus juxta ſenſum & expoſitionem omnium orthodoxorum, intelligit ipſum corpus Domini. Nec verò aliter abſque manifeſta falſitate exponi poteſt. Nam de pane materiali falſiſſimum eſſe conſtat omnes fideles de uno pane participare.

Unus panis, ipſum corpus Domini.

Quare & ex hoc loco Sacramentariorum hæreſis apertè redarguitur. Quod ſi dicant adverſarij ſenſum eſſe; Omnes fideles ejuſdem Eccleſiæ & ejuſdem ſynaxeos, de eodem pane participare: eò quòd unus panis in omnes qui ad eamdem cœnam Dominicam convenìſſent, divideretur; idque ad ſignificandam eorum omnium in Chriſto, tamquam membrorum ejuſdem corporis unitatem: facile & hoc *refellitur.* Sic enim dicendum fuerat in ſecunda perſona, Vos Corinthij eſtis unum corpus, quia de uno pane participatis. Nam Paulus qui procul aberat, ſecundum hunc ſenſum non participaſſet cum illis de eodem pane. Nunc autem dicit, *unum corpus ſumus, & de uno pane participamus*, in prima perſona. Ubi ſicut in priori parte non poteſt intelligi ipſe qui loquitur excluſus: ita nec in poſteriori.

Obſerva contra Sacramentarios pro verit. corp. & ſang. Domini.

Objectio.

Reſponſio.

Ut & hoc addam, non eſſe veriſimile omnes Corinthios in Cœna Dominica congregatos participaſſe de uno pane materiali: ſiquidem pro tanta multitudine hominum plures panes apponi debebant. Dixerat enim Paulo Dominus: *Quoniam populus eſt mihi multus in hac civitate.* Actor. 18. Certè pro totius Eccleſiæ inſtructione hæc ſcribebat Paulus: Atqui futurum non ignorabat, ut aliquando tam numeroſus eſſet unius Eccleſiæ vel parochiæ populus, cui panis unus ſufficere non poſſet: quando nec de eo ſoliciti fuerunt Apoſtoli,

ut in quantocumque fidelium conventu, tantum unus panis apponeretur.

Num igitur apud eos quibus unus panis sufficeret, locum non haberet hoc tam salutare documentum: *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*? Quis hoc dixerit? quum profecto dubium esse non debeat, quin etiam & maximè de corpore Christi quod est universalis Ecclesia, loqui Paulus intendat. Itaque prorsus evanescit effugium hæreticorum.

Alia objectio. Obluctantur tamen & aiunt, Eucharistiam panem propositum per omnes Ecclesias unum dici, *quemadmodum unus agnus, Exod. 12. vers. 3. dicitur, qui ab universa filiorum Israel multitudine per cunctas familias immolabatur: quum numero quidem plures essent, significatione tamen & mysterio unus.* Hæc enim adversarij cujusdam verba sunt. Atqui primum falsa est allegatio. Nam nec *eo loco Exodi*, nec alibi scriptum legitur, omnes unum agnum accepisse & edisse, aut de uno agno participasse: sicut hic omnes de uno pane participare dicimur. Imò locus citatus apertè contrarium significat. Sic enim habet ad verbum ex Hebræo: *Loquimini ad omnem cœtum Israel, dicendo: In decimo mensis hujus accipient sibi vir* (id est, *unusquisque*) *per domum patrum, agnum per domum*, hoc est, singuli per familias agnos singulos, ut tot sint agni quot familiæ.

Refutatio. Sed & hoc quod addunt, unum esse panem significatione & mysterio, nihil eos adjuvat. Non enim quæcumque multa aliquid unum mysticè significant, continuò dici possunt res una, velut unus agnus, unus hœdus, unus vitulus, si multi sunt: sed duntaxat unum dicentur secundum quid, nempe secundum illud quod mysticè significant. Nam quis alioqui sic loquatur; Omnes antiquæ legis sacerdotes unum agnum, aut hædum, aut vitulum toto legis tempore mactarunt? omnes cum universo populo de uno agno comederunt? nisi quis velit intelligi, unum ejusmodi animal omnium mactationi & esui potuisse sufficere? quomodo rectè dicas, omnes homines ejusdem familiæ unum agnum, aut de uno agno comedisse. Jam adversus Sectarios, & illud obiter observa, Paulum dicentem, *de uno pane participamus*, alludere, sive respicere ad morem sacrificij; in quo de una re per sacerdotem oblata multi participant. Unde & hic quædam insinuatio est externi sacrificij Christianorum. Sed de eo clariùs infrà loquetur *vers. 21.*

Obs. contra Sectarios, apud Christianos esse externum sacrificium.

Quæstio. *Quæret aliquis*, cur Apostolus mysterium unitatis Ecclesiæ non declaraverit ex parte vini & sanguinis Domini: quemadmodum fecit ex parte panis & corporis. Hæc ratio videri potest, quia satis ei fuit mysterium illud declarasse ex principaliori parte Sacramenti, & ea quidem quæ semper futuris sæculis ab omnibus fidelibus esset participanda. Aut sanè quia in superiori sententia vinum non nominaverat, sed calicem, ideò nec de unitate per vinum significata quicquam adjiciendum putavit. Quamquam Augustin. etiam hujus partis mysterium non reliquit inexplicatum: quum *loco supra citato* docet ita ex multis fidelibus Ecclesiam congregari, sicut ex multis acinis vinum confluit. Cæterùm ostendit utraque explicatio, quàm convenienter in pane & vino

Responsio. ad unitatem Ecclesiæ significandam efficiendamque, corporis & sanguinis sui mysteria Christus instituerit.

Eucharistia convenienter in pane & vino instituta. Sed jam restat ut argumentum quod in prædictis verbis urget Apostolus, applicetur ad id quod instituerat de fugiendis idolothytis. Sic ergo ratiocinatur: Nos Christiani quicumque de uno pane, id est, corpore Domini, & de uno calice, id est, sanguine Domini communicamus, hoc ipso cum Christo Domino & inter nos societatem sanctæ religionis habemus atque fovemus; adeoque unum inter nos & cum illo tamquam capite, mysticum corpus efficimur: ergo fideles unà cum infidelibus ex immolaticiis idolorum edentes, societatem impiæ religionis cum eis ineunt, atque idololatriæ participes efficiuntur; imò sicut infra dicit, ipsorum dæmoniorum socij fiunt. Quod quidem peccatum vobis Christo sociatis & incorporatis summopere fugiendum est.

Argumentatio Pauli.

18. VIDETE ISRAEL SECUNDUM CARNEM. Alterum hoc argumentum est eodem spectans. Israel quarti casus est τὸν Ισραὴλ. Quod admoneo propter glossam (quæ etiam Lombardum & Aquinatem fefellit) exponentem vocativo casu: *ô Israel*: tametsi & veriorem sensum adferunt, qui talis est: Vos quibus tamquam prudentibus loquor, videte Israelem, id est, populum secundum carnem ex Israele progenitum; & attendite quæ apud eos fiunt. Ideo dicit, *Israel secundum carnem*, quoniam est & Israelita secundum spiritum, de quo Rom. 9. *Non enim omnes qui ex Israel, ij sunt Israelitæ*, qui etiam, *Gal. 6.* vocatur *Israel Dei*. Quidam inter quos Cajetanus, particulam *secundum carnem*, referunt ad totum illud, *videte Israel*; & exponunt, secundum carnales hostias illius populi. Pro quo sensu nonnihil facere videtur, quod in Græco non est additus articulus τὸν, qui illud *secundum carnem*, annectat Israeli. Quod etiam ab Erasmo observatum est. Verùm, eo non obstante, priorem sensum etiam Græci interpretes uno consensu tradunt. Nec enim in ejusmodi sermone perpetuum est ut articulus exprimatur: nec Paulus repetendum putavit proximæ dictioni jam præpositum.

Israel secundum carnem, Israel secundum spiritum.

NONNE QUI EDUNT HOSTIAS, PARTICIPES SUNT ALTARIS? *Participes*, Græcè κοινωνοὶ socij, ut legit August. *lib. 1. contra adverſ. legis*, id est, societatem & communionem cum aliquo habentes. *Socios* noster vertit infrà versu 10. *Altaris*, θυσιαστηρίου pro quo minus rectè Erasmus *sacrificij*: quum constet Græca voce passim in literis altare significari, non sacrificium. Id jam *superiori cap. vers. 13.* ubi similiter impegit Erasmus, annotavimus. Quamquam hoc loco Paulus ex consequenti sacrificium vult intelligi. Nam *sensus est*: Nonne qui edunt de hostiis immolatis secundum legem, participes ac socij sunt altaris, ipsiusque sacrificij; quod in altari Deo oblatum est? ac si dicat, omninò. Nam utique in veteri lege, quicumque admittebantur ad edendum de hostiis oblatis, censebantur ipsius sacrificij tamquam etiam pro ipsis oblati, fieri participes, & per illud sanctificari. Ex quo rursus colligendum relinquit, eos qui cum infidelibus idolothyta comedunt, unà cum illis effici participes altaris & sacrificij idolis oblati, ac per illud coiquinari.

Erasmi versio castigata.

Participes corporis Domini, participes sunt sacrificij. Discimus ex hac Apostoli sententia, similiter omnes eos, quibus communicatur corpus Domini etiam extra locum & tempus sacrificij, prout in Ecclesia fieri consuevit; ipsius sacrificij quod illud oblatum est, fructum participare: quando quidem & in veteri lege extta tempus & locum sacrificij de immolatis edebatur, idque cum effectu sanctificationis legalis, ut dictum est.

19. QUID ERGO? DICO QUOD IDOLIS IMMOLATUM SIT ALIQUID? AUT QUOD IDOLUM SIT ALIQUID? In Græcis alia distinctio est, & diversus ordo. Sic enim habent. *Quid ergo dico? quod idolum aliquid est? aut quod idolothytum aliquid est?* Nec secus habet textus Syriacus. Quamquam ad sensum non multum interest. Hoc enim est quod sentit Apostolus; Dum ab esu idolothytorum vos revoco, tamquam in eo sit periculum contaminationis; non dico quod idolum aut idolothytum aliquid sit, ut possit idolum per idolothytum, id est, per cibum sibi immolatum edentes occulta vi quapiam afficere: quomodo verus Deus per oblata sibi sacrificia sanctificat eos qui de oblatis participant. Movet itaque Paulus

Nec idolum nec idolothytum aliquid est.

hiis verbis objectionem, qua dicere poterant qui ſcientiam habebant : Idolum & idolothytum nihil eſt, ſicut tu ipſe jam antè docuiſti, dicens, *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo*; ſuprà cap. 8. Non igitur ex idolothyto, ſi eo veſcamur, metuere debemus aliquam coinquinationem peccati. Quo autem ſenſu idolum & idolothytum Apoſtolo nihil ſit, dicto loco ſatis expoſitum eſt. Sequitur objectionis ſolutio.

Gentes immolant dæmoniis, & quo ſenſu.

20. SED QUÆ IMMOLANT GENTES, DÆMONIIS IMMOLANT, ET NON DEO. Græcè pleniùs : *Sed quod quæ immolant Gentes*, &c. & eſt ſenſus. Sed dico quòd ea quæ Gentes infideles in ſuis ſacrificiis immolant, dæmoniis immolant & non vero Deo. Immolant enim diis ſuis, de quibus *in Pſalm.* 95. ſecundum LXX. ſcriptum eſt, & per totam Eccleſiam canitur, *Omnes dij Gentium dæmonia.* Quamvis enim plerique idololatræ non haberent intentionem colendi dæmonia, ſed deos quos ſibi finxerant aut fecerant, revera tamen omnis potentia, quæ ſe exſerebat in illo cultu tamquam à diis profecta, ſive in reddendis oraculis, ſive in præſtandiis interdum beneficiis, opera dæmonũ illic aſſiſtentium, exercebatur. Nam omnibus ſimulacris immundos ſpiritus aſſidere, teſtatur Hieron. exponens illud Habac. 2. *& omnis ſpiritus non eſt in viſceribus ejus.* Igitur quando Gentiles colebant talium operationum effectores, iiſque victimas immolabant; reipſa totum eum cultum impendebant dæmonibus, id eſt, apoſtatis angelis, quorum princeps eſt diabolus. Eos ſcriptura dæmones ſeu dæmonia vocat, Græco nomine: quo ferè ſignificabantur apud Ethnicos, dij minores quos Latini genios ſeu lares appellant. Hinc, ipſo nomine declarat Apoſtolus, deorum cultum revera non aliud eſſe quàm cultum malignorum ſpirituum.

Omnibus idolis immundi ſpiritus aſſident.

Deorum cultus non aliud quam cultus dæmonum.

NOLO AUTEM VOS SOCIOS FIERI DÆMONIORUM. *Socios* κοινωνούς, id eſt, *communicatores*, communionem habentes, quod paulò antè vertit, *participes*. Socij dæmoniorum in univerſum ſunt quicumque agunt aliquid, per quod ſocietate cum dæmonibus jungantur. Quales *imprimis* ſunt qui eos expreſsè vel per ſe, vel per alios invocant, aut conſulunt, ut vèl bene faciant vel malè. *Deinde* quicumque cum eis paciſcuntur, ut certis quibuſdam ſignis vel poſitis vel ablatis aut noceant aut nocere deſinant. *Nec non* quicumque ejuſmodi ſignis in alterutram partem utuntur. Huc *denique* pertinet innumera multitudo vanarum obſervationum, id eſt, quarum nulla ratio reddi poſſit: quas ſive pro ſanitate ſua aut ſuorum, ſive pro aliis effectibus uſurpat, hominum curioſa cupiditas.

Socij dæmoniorum qui ſint.

Ad *primum* genus referuntur, qui invocantibus ſeſe conſociant, ſive in ſacrificiis offerendis, ſive in edendis idolothytis ; etiamſi fideles ſint, & dæmonum cultum ex animo deteſtari videantur.

Igitur oſtendit Apoſtolus qui miſcebant ſe infidelibus ad edendum idolothyta, non leviter peccare, quamvis idolum & idolothytum nihil eſſe ſcirent, ut qui cum ipſis dæmonibus quadam ſocietate jungerentur. Quod tale eſt, ac ſi quis regi ſubditus atque juratus, ſocietatem ineat & conſilia communicet cum ejus hoſte jurato : imò tantò pejus ac deteſtabilius, quantò Dei quam regis hominis dominium univerſalius eſt atque perfectius. Eodem pertinent quæ ſequuntur.

Quam grave peccatum dæmonibus ſocietate jungi.

NON POTESTIS CALICEM DOMINI BIBERE ET CALICEM DÆMONIORUM. Ex antitheſi ſeu repugnantia monſtrat indignitatem facti. Nulla enim major inimicitia quàm inter Chriſtum & dæmonia. Nam ad hoc Chriſtus venit ut regnum diaboli deſtrueret. Itaque rem agit vehementer abſurdam & perverſam, ac moraliter, ut loquuntur, impoſſibilem, (id enim eſt quod ait, *non poteſtis*) qui modò communicat cum Domino, bibendo de calice Domini inter fideles ; modò communicat cum dæmoniis, bibendo de calice dæmoniorum inter infideles. Calix Domini qui dicatur, notum eſt ex ſupradictis. Calicem autem dæmoniorum dicit, in quo vinum aut quicumque alius potus continebatur, idolo, & per hoc dæmoniis conſecratus : quia quicquid Gentes quæ Deum non noverunt, conſecrant, dæmoniis conſecrant.

Inter Chriſtum & diabolum inimicitia ſumma.

Calix Domini.

Calix dæmoniorum.

21. NON POTESTIS MENSÆ DOMINI PARTICIPES ESSE ET MENSÆ DÆMONIORUM. Eadem abſurditas & perverſitas hîc ſignificatur, quæ in parte præcedenti. Menſa Domini eſt, ex qua fidelibus miniſtratur cibus & potus myſticus, id eſt, corpus & ſanguis Domini. Quæ menſa, eadem eſt & altare Domini : ſicut menſa dæmoniorum erat quæ cibos præbebat dæmoniis immolatos. Vocat enim menſam dæmoniorum eam quæ ſternebatur in idolio, de quo ſuprà cap. 8. deſtinata videlicet epulis idolothycis : ut proinde menſa ſignificetur hoc loco, quæ vel altare ſit, vel altare faciat intelligi ; qualis eſt menſa ciborum immolatorum : quomodo per metalepſin, eorum quæ conjuncta ſunt, alterum ex altero intelligitur ; ut ex fumo, ignis. Qua ratione etiam nomen altaris ad ſacrificium cogitandum nos ducit : maximè cum ſacrificium in altaris definitione claudatur.

Menſa Domini eadem ac altare Domini.

Menſa dæmoniorum.

Rectè igitur hoc Apoſtoli teſtimonium, inter alia, patres concilij Tridentini adducunt *ſeſſ. 22. capit. 1.* quo doceant euchariſtiam à Chriſto Domino inſtitutam eſſe non ſolùm ut ſacramentum, verum etiam ut ſacrificium. Id enim, inquiunt, *non obſcurè innuit Apoſtolus Paulus Corinthiis ſcribens, cùm dicit non poſſe eos qui participatione menſæ dæmoniorum polluti ſint, menſæ Domini participes fieri ; per menſam altare utrobique intelligens*, modo videlicet jam explicato ; ut menſa vel propriè ſit altare, vel ipſum præſupponat. Id verò Paulum velle, etiam ex eo facilè colligitur, uti doctè Cajetanus obſervat ; quia de immolatis agit hoc loco, ſive cùm loquitur de eo quod apud Gentiles. Quare & cùm pro argumento adducit participationem menſæ Domini ; credendum eſt intelligere ea quæ de menſa Domini percipiuntur, oblata ſive immolata eſſe.

Obſerva contra Sectarios, euchariſtiam eſſe ſacrificium.

Porrò menſam pro altari legimus & alibi in ſcripturis, ut Iſa. 65. *Qui ponitis Fortunæ menſam, & libatis ſuper eam.* & Malach. 1. *Menſa Domini deſpecta eſt.* Id enim menſam vocat quod priùs altare, dicens: *Offertis ſuper altare meum panem pollutum.* Similiter infrà. *Menſa Domini contaminata eſt : & quod ſuperponitur, contemptibile eſt, cum igne qui illud devorat.* Ubi perſpicuum eſt per menſam altare ſignificari. Exſtat apud Auguſtinum locus *ſerm. 113. de diverſis*, de menſa Cypriani ſic appellata à reliquiis ejus ſub ea conditis, ubi & martyrio fuerat affectus. *In eodem*, inquit, *loco menſa Deo conſtructa eſt : tamen menſa dicitur Cypriani, non quia ibi eſt umquam Cyprianus epulatus, ſed quia ibi eſt immolatus ; & quia ipſa immolatione ſua paravit hanc, non in qua paſcat ſive paſcatur, ſed in qua ſacrificium Deo, cui & ipſe oblatus eſt, offeratur. Sed ut menſa illa quæ Dei eſt, etiam Cypriani vocetur, hæc cauſa eſt : quia ut illa modo cingatur ab obſequentibus, ibi Cyprianus cingebatur à perſequentibus*, &c.

Menſa pro altari.

De menſa Cypriani locus apud Auguſtinũ.

22. AN ÆMULAMUR DOMINUM? *Æmulamur* Græcè παραζηλοῦμεν : quod verbum ſignificat irritare, laceſſere, ſive, quomodo vertit idem interpres, *Rom.* 10. & 11. ad æmulationem adducere, ad æmulationem provocare. De quo verbi iſtius ſignificato Vallam conſule. Num, inquit Apoſtolus, audemus Chriſtum Domninum ad iram & zelotypiam concitare, quaſi contemnentes ejus potentiam ; & probare volentes an punire nos poſſit, ad rivalem & hoſtem ipſius diabolum tranſeuntes? Id enim facit qui particeps effectus menſæ Domini, poſteà ſeſe men-

Quid æmulari Dominum.

ſæ dæmoniorum aſſociat. Sumpta metaphora à mulieribus, quæ, viris ſuis contemptis, non verentur adulteros admittere. Similes autem hi ſunt Judæ proditori, qui è menſa Domini paſtus, ſtatim ſe contulit ad diabolicum pertractandum cum Judæis, hoſtibus Domini ſui, commercium.

Obſerva Paulum ea quæ paſſim in ſcripturis de Deo dicuntur, Chriſto tribuere. Eſt enim Deus zelotes, qui gloriam ſuam non patitur ad alios transferri: de quo Moyſes in cantico Deut. 32. dicit: *Provocaverunt Deum in diis alienis, & in abominationibus ad iracumdiam concitaverunt*, & alia quæ ſequuntur. Significat igitur Apoſtolus hujuſmodi ſermone, Chriſtum Deum eſſe, videlicet illum de quo ſcriptum eſt: *Dominus zelotes nomen ejus: Deus eſt æmulator.* Exod. 34. Porrò de peccantibus in prima perſona loquitur, quaſi ſeipſum illis annumerans: ut oſtendat factum illorum cedere in injuriam totius eccleſiæ, cujus membra ſunt: ut in illis ipſa quadamtenus Eccleſia Chriſtum ſponſum ſuum ad zelotypiam commovere, & iram ejus adverſum ſe provocare videatur.

Quæ Deo propria, Chriſto paſſim tribuit ſcriptura.

NUMQUID FORTIORES ILLO SUMUS? Scilicet ut eum laceſſamus ac provocemus velut ad pugnam adverſum nos; ac ſi dicat, Minimè. Ille enim fortiſſimus eſt ac potentiſſimus: & proinde non impunè nobis cedet iſtiuſmodi provocatio.

OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA EXPEDIUNT. Occupatio eſt ejus quod objici poterat, & à ſciolis dicebatur, Omnia nobis licent, intelligentibus adiaphora, quæ nulla peculiari lege prohibita ſunt: quale erat idolothyto veſci. Reſpondet Apoſtolus multa licere, quæ tamen ob rerum circumſtantiam non expediant, ac per hoc illicita reddantur. Habetur eadem ſententia *ſupra cap. 6.* ubi pleniùs à nobis expoſita eſt. Hoc autem loco eam repetit propter illos de quibus nunc agit, imprudenter ac temerè comedentes idolothyta: tamquam dicat eſum idolothytorum eſſe quidem de genere eorum quæ per ſe non illicita; plerumque tamen non expedire, propter occurrentes circumſtantias.

Non omnia quæ licent, expediunt.

Eſus idolothytorum non per ſe malus: ſed ob circumſtantias illicitus.

Quæ duæ potiſſimùm erant, ut fieret in idolio, vel coram infirmo: quarum illa lædebat honorem Dei & Chriſti ejus; iſta ſalutem proximi. De priori circumſtantia egit hactenus; nunc illa dimiſſa tractat alteram, admonens & inſtruens eos qui ſcientiam de idolothytis habebant, quemadmodum ea deberent uti ſine aliorum offenſione. Quod argumentum jam ex parte tractaverat *ſupra c. 8.*

Verùm hîc generaliùs loquitur, offenſionem prohibens non tantùm fratrum infirmorum, ſed etiam infidelium, ut patebit ex iis quæ ſequuntur. De licitis quatenus expediant aut non expediant, prudenter æſtimandis, vide quæ diſſerit Aug. *lib. 1. de adult. conjug. cap. 14.* & aliquot ſequentibus.

Non omnia quæ licent ædificant.

23. OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA ÆDIFICANT. Hoc eſt: Non omnia quæ mihi licent, etiam faciunt ad promovendum publicum eccleſiæ bonum, quod conſiſtit in ſalute hominum; ſed quædam magis deſtruunt. Vult enim ex boni negatione malum oppoſitum intelligi; ſicut & in parte priori; cujus hæc repetitio eſt: niſi quod ædificare plus aliud ſonat quàm expedire. Nam expreſſiùs reſpicit commune bonum eccleſiæ, prout à Paulo paſſim uſurpatur hoc vocabulum. De quo latiùs ſuprà ad illud cap. 8, *charitas ædificat.* Explicatur ea ſignificatio præcepto ſubſequente.

Alter & proximus eadem Paulo.

24. NEMO QUOD SUUM EST QUÆRAT, SED QUOD ALTERIUS. Pleniùs in Græco ἀλλα τὸ τοῦ ἑτέρου ἕκαστος, *ſed quiſque, quod alterius eſt.* Alter & proximus, eadem ſunt Apoſtolo. Sic ait Roman. 13. *Qui diligit proximum*, Græcè, τὸν ἕτερον, *legem implevit.* Itaque & hîc verti poterat, *ſed quod proximi*, ad commendandam expreſſiùs proximi dilectionem. Quærere quod ſuum eſt, phraſi ſcripturæ dicitur, qui privatis commodis & utilitati ſtudet, neglecto & poſthabito communi multitudinis bono. Ad quod ſignificandum plerumque aliquid additur; ut hoc loco, *ſed quod alterius*, id eſt, bonum cujuſque proximi, quem debes diligere ſicut teipſum; & in fine hujus capitis: *Non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis.* Item Phil. 2. *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.* Ibidemque rurſus: *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti.* Cæterùm *in hujus epiſt. cap. 13.* abſolutè dicitur, & ſine addito: *Charitas non quærit quæ ſua ſunt.* Quo loco de hac phraſi pluribus agemus. Unde & intelligetur non opus eſſe ſupplemento particulæ excluſivæ in dicta phraſi interpretanda, ſcilicet ad hunc modum. Nemo tantùm quod ſuum eſt quærat, ſed etiam quod alterius: quomodo quidam interpretantur. Abſolutè enim dictum eſt ab Apoſtolo; charitatem non quærere quæ ſua ſunt: ſicut abſolutè, *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, &c.*

Quid quærere quod ſuum eſt.

25. OMNE QUOD IN MACELLO VENIT MANDUCATE, NIHIL INTERROGANTES PROPTER CONSCIENTIAM. Græcè, πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον, &c. *omne quod in macello venditur.* Et pro verbo *interrogantes* in Græco eſt ἀνακρίνοντες, id eſt, *diſquirentes*, ut legit infrà verſ. 27. commentator Ambroſ. ſeu *diſcutientes*, ut vertit Oecumenij interpres, meliùs quàm Theophylacti *hæſitantes.* Accipitur enim ut ſuprà c. 9. *Mea defenſio apud eos qui me interrogant.* Et ſic exponunt commentatij Græcorum. Applicat Apoſtolus hac parte ſententiam generalem, qua dixerat multa licere quæ non expediant, nec ædificent, ad præſentem doctrinam de eſu idolothytorum; quæ non ſolùm in idoliis edenda ſolebant apponi, verum etam publicè cum aliis carnibus in macello proponi venalia, deinde & in menſis privatis infidelium apponi.

Idolothyta publicè venalia.

Quæ duo nunc ordine tractat, inſtruens quid in his agendum. Quaſlibet, inquit, carnes in macello ſeu foro venales, emere poteſtis & comedere: ita ut nolim vos interrogare & diſquirere, num carnes immolaticiæ ſint, quantum quidem ad rationem conſcientiæ veſtræ pertinet, ne ea maculetur; ut qui ſciatis nullum cibum eſſe immundum, idolum atque idolothytum nihil eſſe, proindeque comedentis animum maculare non poſſe. Hæc enim ſcientia debet omnem iſtiuſmodi inquiſitionem excludere. Qui cùm ſit planus hujus loci ſenſus; liquet profectò quâ inſulsè vulgus hæreticorum detorqueat Apoſtoli ſententiam adverſus Eccleſiaſticam carnium abſtinentiam certis diebus præſcriptam; quaſi lege eccleſiæ non obſtante licitum Chriſtiano ſit quovis tempore quidvis comedere. Quod ab Apoſtoli mente prorſus alienum eſſe, qui *Heb. 13.* præcipit dicens: *Obedite præpoſitis veſtris*; quique ſequentis capitis initio laudat Corinthios, quod præcepta ſibi ab ipſo tradita tenerent; nemo ſanæ mentis dubitaverit. Supponit autem Apoſtolus in hac generali ſententia, tam id quod legis eſt divinæ & Eccleſiaſticæ, quam quod legis naturæ. Quare ſicut carnes inſalubres & nocituras in macello venum expoſitas, edere tibi non licet, quoniam id lex naturæ prohibet: ita certis temporibus ſimpliciter à carnibus abſtinendum eſt tibi Chriſtiano, quoniam id eccleſia præcipit, quam Chriſtus jubet audiri *Matth. 18.*

Obſ. contra ſectarios, hunc locum pravè detorqueri adverſus eccleſiaſticam carnium abſtinentiam.

Verus ſenſus explicatur.

Nec verò aliud vult Apoſtolus hac ſententiæ generalitate, quàm quod alibi docet: *Omnia munda mundis*, Tit. 1. &, *Omnis creatura Dei bona eſt: & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*, 1. Timoth. 4. Unde & hîc ſubjungit, *Domini eſt terra*, &c. Sunt qui conſcientiam hîc intelligant alienam, eò quòd Apoſtolus *infrà verſ. 29.* ſic interpretetur: *conſcientiam dico non tuam, ſed alterius.* Itaque ſenſum hîc eſſe volunt: ne tua interrogatio dubita-

tionem aut ſcrupulum pariat aſtanti cuipiam dum emis, aut aſſidenti dum edis aut edere paras. Sed puto falluntur. Nam illa Pauli interpretatio tantum eſt de eo quod proximè præcedit. Alioqui diſcrimen eſt; quia præcipiens non interrogandum, pacare vult conſcientiam mentis aut edentis: dicens autem, *Nolite manducare*, jam providet alterius conſcientiæ.

26. DOMINI EST TERRA ET PLENITUDO EJUS. In Græcis & Syriacis exemplaribus, nec non apud interpretem Ambr. additur cauſalis particula, *Domini enim terra*, &c. quæ in noſtris omiſſa videtur, eò quod in Pſalterio non legatur: Eſt enim verſiculus initialis *Pſalm. 23.* quem ſic intellige: Terra & quicquid terra copiosè gignit ac profert, aut nutrit, Deum habet authorem ac Dominum. Ex quo colligi vult Apoſtolus ea omnia bona eſſe & munda: nam quicquid Dei eſt, ut authoris ac Domini, bonum ac mundum eſt. *Rurſus*: Si Domini Dei ſunt omnia quæ terra profert ac nutrit, ſive in cibos hominum ceſſura, ſive in alios uſus: nihil ergo dæmonum eſt, ut ab illis tamquam dominis, immutari poſſit, noſque propterea de cibis an de ſacrificio veniant, interrogare debeamus.

Quicquid Dei eſt, bonũ ac mundum eſt.

27. SI QUIS VOCAT VOS INFIDELIUM. Nunc docet qua libertate & cautela fidelibus utendum ſit in menſis privatis infidelium. Græcè, *Si quis autem vos vocat*, &c. Sicque legerunt Lombardus & Aquinas. Quod verò quidam Latini codices addunt *ad cœnam*, in Græcis & Syriacis non habetur, ut nec in Latinis caſtigatioribus. Quamquam ſubaudiendum eſt aliquid tale, ad menſam, ad convivium.

Fidelium cũ infidelibus commercia licita.

ET VULTIS IRE. Significat hoc non eſſe illicitum. Neque enim prohibebantur fideles cibum ſumere cum infidelibus inter quos habitabant; nec eorum conviviis intereſſe: ut nec commercia cum iis exercere, quemadmodum idem Apoſtolus *ſuprà* docuit *cap. 5.* ubi & idolis ſervientes numerat inter homines hujus mundi; quorum conſortium negat ſe fidelibus inhibere. Nam *alioquin*, inquit, *debueratis de hoc mundo exiſſe*. Erat igitur & hoc inter ea de quibus dixit, *Omnia mihi licent*. Verùm an & quatenus expediret & ædificaret; ex circumſtantiis erat dijudicandum. Ideo tamquam de re media & rationis arbitrio relinquenda loquitur, *& vultis ire*.

OMNE QUOD VOBIS APPONITUR, MANDUCATE; NIHIL INTERROGANTES PROPTER CONSCIENTIAM. Hoc totum intellige juxta ſenſum priùs datum. Nam & hîc conſcientiam intelligit eorum quos alloquitur; non alienam, ut voluntii de quibus antè dictum eſt.

28. SI QUIS AUTEM DIXERIT. Subjungit exceptionem à generali conceſſione præcedente. In Græcis & Syriacis additur, *vobis*. HOC IMMOLATUM EST IDOLIS. Multi codices mss. non *immolatum*, ſed *immolaticium* legunt. Quo modo ſi vertit interpres, verſimile eſt non fuiſſe ab eo additum *idolis*. Certè commentator Ambroſ. abſque eo legit, *Hoc immolaticium eſt*. At in Græco ſemper eadem eſt dictio; idolothytum; quam noſter interpres variè transfert.

NOLITE MANDUCARE, PROPTER ILLUM QUI INDICAVIT. Cùm dixiſſet, *nolite manducare*, ne quid videatur idolo tribuere; continuò cauſam adjecit; *propter illum qui indicavit*, ne videlicet ei ſcandalum præbeatis manducando, ſive fidelis ille ſit, ſive infidelis. Uterque enim ex facto tuo ſcandalizari poterit: fidelis quidem infirmus, exemplo tuo contra ſuam conſcientiam de idolothyto comeſſurus; aut certè judicaturus velut malè agentem; infidelis autem, quia putabit te præ metu aut pudore non audere religionem tuam, quæ omnem idololatriam exſecratur, liberè confiteri; aut certè per intemperantiam gulæ prodere ſinceritatem tuæ religionis; & per hæc minùs benè de Chriſtianis ſentiet, atque iis etiam inſultabit, non ſine Chriſti injuria: tantum

Nota, tam fidelium quã infidelium ſcandala vitanda.

aberit ut eum Chriſto ſis lucrifacturus; cujus rei potiſſimum cauſa ad menſam hominis infidelis accedere debueras. *Illum qui indicavit* exponimus tam infidelem quam fidelem, quia ſermo eſt de convivio ad quod promiſcuè fideles & infideles invitabantur: poteratque indicium ab utrolibet fieri. Solicitus eſt autem Apoſtolus ne vel his vel illis offendiculum detur. Unde concludens infrà ſic ait: *Sine offenſione eſtote Judæis & gentibus & Eccleſiæ Dei*. Cæterùm quod ſequitur, ad ſolum fidelem infirmum arbitramur pertinere.

ET PROPTER CONSCIENTIAM. Ac ſi dicat, Specialiter autem propter conſcientiam, nempe fratris: uti ſtatim ipſe Paulus exponit. In Græcis codicibus penè omnibus poſt hæc verba repetitur illud Pſalm. *Domini enim eſt terra & plenitudo ejus*; repetuntque ejus hoc loco mentionem omnes enarratores Græci. Videri poteſt repetitum errore ſcribæ propter homœoteleuton clauſulæ præcedentis. Alioqui nec Syrus interpres repetivit; & huic loco parum aptè quadrat: niſi fortè Paulus hîc adjecit ad aliud docendum quàm ſuprà, tamquam diceret: Cùm terra copiosè præbeat cibos à Domino creatos, quos citra cujuſquam offenſionem edere poteſtis; non eſt quod hunc cibum idolo conſecratum edas cum alterius offendiculo.

In Græcis codicibus ſuperfluum.

29. CONSCIENTIAM AUTEM DICO NON TUAM, SED ALTERIUS. Dicendo *non tuam*, mutat numerum velut unum compellans è pluribus ſcientiam habentibus, ad quos ſuperiorem direxerat ſermonem: idque facit quo doctrina ſit in ſingulorum animis efficacior. Qua ratione & ad *Galat. 6.* repentè numerum mutat, cùm poſt allocutionem multorum ſubjungit, *Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris*. Cæterùm Atticè dixit, ut notat Valla, τὸν ἑαυτὸ, pro τὸν σεαυτὸ *tuam ipſius*. Conſcientiam, inquit, propter quam prohibeo ne manduces, *non tuam* dixi, de qua priùs loquebar (nam ea cùm benè ſit inſtructa; manducatione non lædituɾ) *ſed alterius*, ſcilicet fratris infirmam habentis conſcientiam, uti dictum eſt *cap. 8.* Qui ſi ſimiliter ut tu, conſcientiam haberet informatam, non oporteret te propter illius conſcientiam abſtinere. Theophylact. & Oecumen, atque etiam Theodoritus conſcientiam alterius interpretantur Græci ſive Gentilis nondumad fidem converſi. Quibus & Amb. commentator accedit. Verùm id ſenſu minùs commodo. Nam & Chryſ. hac quidem parte nobiſcum facit.

Quam dicat alterius conſcientiam.

UT QUID ENIM LIBERTAS MEA JUDICATUR AB ALIENA CONSCIENTIA? *Aliena*, Græcè & Syriacè *alia*, quod & in mss. quibuſdam Latinis legitur, aſtipulantibus Ambroſ. commentatore & Primaſio; tametſi probè redditum *aliena*, id eſt, alterius hominis *conſcientia*. Nam quod veteres quidam legunt *ab infideli conſcientia*, ut Hieronym. *in epiſtol. ad Ageruchiam*, & author ſive interpres libri *de ſingul. cleric.* apud Cyprianum, nec non Sedulius *in commentario*; tamquam aliena conſcientia reſtringenda ſit ad conſcientiam hominis infidelis: primùm à Græca voce ea lectio recedit; deinde nec congruere mihi videtur cum mente Pauli, qui non de infideli nunc agit, ſed de fratre infirmo. Probat enim non eſſe veſcendum idolothyto coram fratre infirmo, qui tibi indicavit hoc immolaticium eſſe; quia ſi veſcaris, anſam ei dabis graviter in te peccandi, ſicque vulnerabitur ejus conſcientia. Mutat autem nunc perſonam ſecundam in primam, ut ex ſua perſona alios doceat.

Interrogandi modus ἵνα τί, *ut quid, ad quid, quorſum*, apud Hebræos plerumque ſignificationem habet improbantis & averſantis aliquid, tamquam ingratum, inutile, illicitum, aut quovis modo abſurdum, velut Jerem. *6. Ut quid mihi thus de Saba adfertis?* Mar. 14. *Ut quid perditio iſta unguenti facta*

est? Ita Paulus hoc loco ; quasi dicat ; Nulla ratione committere debeo, nec occasionem dare, ut alius erroneam & infirmam habens conscientiam, judicet, id est, damnet libertatem meam qua possum indifferenter quidvis edere. Atque id futurum est, si comedam postquam mihi ille dixerit hoc immolaticium esse.

Libertas Christiana, quoad cibos.

Nonnulli putant hæc cum sequentibus esse verba libertate Christiana abutentium, quæ per mimesin huc inferat Paulus : ac si dicat quispiam illorum, Cur ego mea libertate spolior alio malè de ea judicante ? & cætera. Quibus respondeat Apostolus, *Sive ergo manducatis*, &c. Sed refellunt hunc commentarium conjunctiones *enim*, & *ergo* : quarum illâ probantis est, non objicientis ; ista concludentis, non ad objecta respondentis.

Triplex hujus loci sensus.

30. SI EGO CUM GRATIA PARTICIPO. *Cum gratia.* Græcè χάριτι. *Si autem ego gratia participo.* Quod potest exponi tribus modis : Si comedo per gratiam & beneficentiam Dei, cujus *est terra & plenitudo ejus*, ut suprà dixit : & *qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum*, 1. Timoth. 6. Vel ; si comedo per gratiam mihi à Deo concessam, qua scio & credo idolum nihil esse ; & proinde nihil mihi metuendum ab idolothyto. Quæ Græcorum expositio est. Vel aliter : si comedo cum gratiarum actione, sciens *nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*, 1. Tim. 4. Nam χάρις pro gratiarum actione non infrequens est, etiam in sacris literis, ut Luc. 6. semel & iterùm, *Quæ vobis est gratia*, & cap. 17. *Numquid gratiam habet servo illi ?* & 2. Cor 8. *Gratia Deo qui dedit*, &c. Denique sensum hunc exigere planè videtur, quod sequitur, *pro eo quod gratias ago.* Nam quod legitur apud Ambros. commentatorem atque Sedulium, & in libro de singul. cleric. *Si ego gratia participio*, sive *particeps sum* ; eam versionem Græca syntaxis non admittit : licet etiam Theophylacti interpres, sed præter sensum sui authoris, ita transtulerit.

QUID BLASPHEMOR PRO EO QUOD GRATIAS AGO? *Pro eo quod*, &c. Græcè, *pro quo gratias ago?* Clariùs hanc partem alii verterunt. *Cur ob id mihi maledicitur, pro quo ego gratias ago?* Sensus enim est : Committere non debeo, ut alius mihi maledicat, aut malè de me loquatur, propter id pro quo ego Deo gratias ago ; id est, propter cibum. Sed potiùs abstinebo, quamvis alioqui (juxta triplicem intellectum superiùs datum) cum gratia participaturus. Quod ait, *blasphemor*, facere cupiam videbitur pro sensu Græcorum qui hæc referunt ad infidelem. Nam infidelium mos esse blasphemare Christianos. Verùm si locus hic conferatur cum eo qui est *Rom. 14.* ubi dicit Apostolus, *Non ergo blasphemetur bonum nostrum* : facilè verus sensus apparebit. Nam utrobique significatur fratrem infirmum offensum libertate fratris, qui vel cibis utitur lege vetitis, vel sacrificatis, malè de eo loqui, tamquam de homine guloso, qui per intemperantiam aut immundum se faciat aut idololatriæ participem.

Blasphemari quid hoc loco.

An extra periculum scândali licitum vesci idolothyto. Argumenta partis negantis.

Nunc ad pleniorem intelligentiam doctrinæ quam de esu idolothytorum vitando, tam *hoc loco* quam superiori *cap.* 8. tradit Apostolus ; *quærendum*, An extra periculum scandali sit, aut aliquando fuerit licitum vesci idolothyto, quod scias idolothytum esse. Nam id simpliciter ac per se, & non solum causa scandali illicitum esse, putaverit aliquis ex eo, quod Apostolus *suprà v. 20.* in hujusmodi esu constituit societatem cum dæmonibus, rem utique per se illicitam. Atque ita sensisse videtur August. *in epi. 154. ad Public.* ubi propositâ sibi quæstione *de viatore Christiano*, qui fame pressus *nihil inveniat nisi cibum in idolio positum, ubi nullus alius est hominum : utrum ei satius sit fame emori, quam illud in alimento sumere : Breviter*, inquit, *respondeo : Aut certum est esse idolothytum, aut certum est non esse, aut ignoratur. Si ergo certum est esse ; melius Christiana virtute respuitur : si autem vel non esse scitur, vel ignoratur ; sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur.* Sic ille. Cujus & hæc est absoluta sententia libr. de bono conjugali cap. 16. *Satius est mori fame, quàm idolothytis vesci.*

Sed & Hieron. huc adfertur : qui in *comment. super Matth. cap. 15.* ita sibi opponit : *Si quod intrat in os, non coinquinat hominem ; quare idolothytis non vescimur ?* Deinde respondet : *sciendum, quod ipsi quidem cibi & Dei creatura per se omnis munda sit : sed idolorum ac dæmonum invocatio ea faciat immunda.* Quod rursus significare videtur, exponens illud epist. ad Titum cap. 1. *Omnia munda mundis.* Excipit enim idolothyta, tamquam simpliciter ad esum illicita, propter Apostolicam hujus loci doctrinam. Similis est locus ad Cyrillum Hierosol. catechesi. 3. *Quæ* inquit, *in aris* idolorum *offeruntur, cum natura sint pura, invocatione dæmonum impura efficiuntur.* Hinc & eos qui immolaticiis cibis erant polluti, pœnitentiæ satisfactione purgandos esse, rescripsit Leo pontifex ad Nicetam Episcopum epist. 79 c. 5. *Sive*, inquit, *hoc terror extorserit, sive fames suaserit.*

Accedit argumentum ex Apostolorum decreto, quod describitur Actor. 15. quo gentibus ad Deum conversis præcipitur, ut abstineant ab immolatis simulacrorum, nulla addita limitatione scandali ; sed absolutè, quomodo prohibentur cætera in eodem decreto comprehensa.

Pars affirmãs ut certa probatur.

Verùm profectò nihil horum obstat, quo minus atque indubiè tenendum sit, esum idolothytorum, extra certos casus, licitum Christianis esse & fuisse. Id enim planissimè liquet ex ipsius Pauli doctrina, qui *cap. 8. hujus epist.* rem istam facit adiaphoram, nec aliter prohibet, quàm si frater infirmus eo facto sit passurus scandalum. Similiter & *hoc capite*, esum idolothyti palàm inter ea censet de quibus dicit, *Omnia mihi licent ; sed non omnia expediunt.* Ac rursum libertatem hominis Christiani extendit ad esum hujusmodi. Quapropter & prohibet de eo disquiri propter ipsius edentis conscientiam. Denique nota sunt ejusdem Apostoli de cibis axiomata : *Omnia munda, nihil immundum, nihilque commune per seipsum.* Tit. 1. & Roman. 14. &, quod in hac epist. docet, *idolum & idolothytum nihil esse.* Nec non illa superiùs à nobis citata ; Deum præstare *nobis omnia abundè ad fruendum, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* ; quia *Domini terra est, & plenitudo ejus.* Et quid multa ? quum universaliter ipse Christus pronunciet Marci 7. dicens : *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare* ; subjuncta hac certissima ratione ; *Quia non intrat in cor ejus*, id est, animum ac voluntatem ejus afficere non potest. Astipulantur huic sententiæ omnes hujus loci commentatores, veteres ac recentiores, tam Græci quàm Latini. Nec mirum, ubi textus per se tam apertus.

Reſpondetur ad argumenta partis negantis.

Ut igitur ad priora respondeamus ; Illud primum non adversatur, quod de societate dæmonum objicitur. Nam ea secundum Apostolum non contrahitur ex esu edolothyti, nisi quando quis idolothytum edendo sacris idololatricis communicat ; ut si cum infidelibus in idolio mensæ accumbat, quam vocat Apostolus *mensam dæmoniorum* ; vel alias religionis causa, jussus aut rogatus de idolothyto comedat. Neque enim sacris illis communicabit, si vel solus nemine conscio, vel etiam una cum aliis extra locum hujusmodi convivio deputatum, quamvis sciens, idolothyto vescatur. Vide Cajetanum hanc rem *in commentario* diligenter explicantem.

Explicatur mens Augustini.

Ad Augustinum porrò quod attinet, etsi verba ejus *ad Publicolam* scripta difficultatem habeant, ut verisimile sit ea retractaturum fuisse, si illuc usque retractationum suarum opus perduxisset ; *aut monitus*

rem propiùs expendisset, ut Erasmus loquitur *in annot. cap.* 8. constat tamen eum non loqui prorsus generaliter, sed solùm de cibo in idolio reperto ; quem si comederet Christianus, videri posset iis, quibus fortè ejus factum innotesceret, cum diis, id est, dæmonibus quibus oblatus putaretur ille cibus, communicasse. Quamquam non dicit malè facturum si comedat, *sed melius*, inquit, *Christiana virtute respuitur*. Alioqui idem August. *lib.* 32. *cont. Faust. Manich. cap.* 13. mentem suam satis aperit, cum solam hanc adfert rationem, *cur*, ut ait, *non expediat immolaticio vesci Christiano: ne dæmonibus communicasse videatur*: adducto Pauli testimonio ex hoc loco, *Nolo vos socios fieri dæmoniorum*. Certè in eo quod dicit, *non expediat*; sicut & ad Publicolam, *melius respuitur*, planè significat hoc esse de iis quæ licent, etsi non expediant. Quæ autem licent, utique licitè fiunt aliquo casu. Convenit eadem responsio ad locum de bono conjugali. Nam & ibi comparativè dicit *satius* esse; non absolutè damnas si quis edat urgente fame, modò cum debita cautione, *ne dæmonibus communicasse videatur*, ut antè dictum est ex eodem Augustino.

Invocatio dæmonum quo sensu cibos faciat immundos.

Quod verò ex Hieronymo & Cyrillo adferebatur, hunc sensum habet: invocationem dæmonum facere cibos immundos, non simpliciter : sed invocantibus & consentientibus, seu quovis modo communicantibus. Ut enim omnia munda mundis ; ita immundis & malè utentibus omnia immunda. Id enim sequitur, *Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum*. Nam & *ei qui existimat quid commune esse, illi commune est*. Roman. 14. Dicit autem Hier. *idolothytis non vescimur*: quia vix est occasio Christianis idolothytho vescendi, scientibus esse tale ; nisi cum periculo peccandi. Nam sive sit infidelis qui judicaverit idolothytum esse, sive fidelis ; utrinque periculum est, si comedas : inde sacrilegæ communionis, hinc scandali fraterni : ut ita demum, & vix aliter evadas, quàm si secretò comedas, adhibita cautione ne factum tuum prodatur.

Cur idolothyta comedentibus imposita pœnitentia.

Martyres qui recusarunt edere carnes immolaticias aut pro talibus oblatas. Exempla Eleazari & Sabæ martyrum.

Ad rescriptum Leonis responsio facilis est. Agit enim de Christianis quibusdam, qui quum apud infideles essent captivi ; vel errore vel fame compulsi fuerant edere cibos immolaticios : per quod utique dæmonibus communicaverant, aut communicasse videbantur. Unde è diverso laudatur fortitudo quadraginta rusticorum, qui carnes immolaticias, compellentibus Longobardis, edere quum nollent ; *simul omnes occisi sunt*, ut refert S. Gregorius *lib.* 3. *dial. cap.* 27. Quæ quidem fortitudo non tantum in viris immolaticiis respuendis necessaria est : sed tunc etiam si non immolaticiæ pro talibus edendæ exhibeantur, exemplo nimirum Eleazari senis, qui nec simulato esu carnis lege vetitæ, vitam redimere sustinuit, 2. *Mach.* 6. Nam ad exemplum nihil interest, utrum facias an facere te simules. Ita legimus in vita S. Sabæ martyris conscripta ab ecclesia Gothiæ ; cum illius Gentis principes ac magistratus cepissent cogere Christianos, ut ederent ea quæ essent idolis immolata ; & Gentiles quidam Christianis propinquis suis pro immolatis quæ immolata non essent, proponerent, quo eos servarent: re cognita B. Sabam non solum ipsum eos cibos edere recusasse, sed palàm omnibus protestatum fuisse dicentem : *Si quis ex carnibus illis comederit, Christianus esse non potest. Atque ita cavit*, inquit Ecclesia, *ne omnes in diaboli laqueum inciderent*. Habetur historia apud Surium 12. *Aprilis*.

Decretum Apostolorum quale fuerit.

Restat argumentum quod ex Apostolorum decreto petebatur, solvendum : Ad quod in primis respondeo, decretum illud *pro tempore* sicut Augustinus scribens *contra Faustum* loquitur, ab Apostolis conditum fuisse, in cujus observatione *cum Israelitis etiam Gentes* convenirent, quò facilius uterque populus coalesceret in unam religionem: paulatim verò legem illam, utpote humanam, causa cessante, vim legis amisisse, atque in desuetudinem abivisse.

Quomodo Paulus illi decreto non sit contrarius.

Verumtamen quia lex illa vigebat adhuc eo tempore quo Paulus hanc epistolam scripsit ; adeoque scrupulus remanet, quomodo Paulus extra periculum sacrilegæ communionis & scandali fraterni liberum faciat Corinthiis idolothyto vesci, propterea pleniùs argumento satisfaciendum est.

Quorumdam responsio parum firma.

Dicunt igitur aliqui, præceptum Apostolicum non obligasse quemquam ; nisi exsistente casu seu periculo jam dicto, cujus avertendi causa positum erat decretum. Sed infirma est ea responsio. Nam etsi finis Apostolici præcepti fuerit evitatio scandali, vel aliquid simile: tamen ipsum præceptum non erat de fine, sed de medio ad finem ordinato ; id est, de re præcepto expressa, non addita nec innexa conditione finis. Unde in toto illo decreto nulla fit mentio vitandi scandali : sed absolutè præcipitur fidelibus ut abstineant ab immolatis, &c.

Lex quatenus obliget cessante ratione legis.

Distinguendum est etenim inter hæc duo: rationem constituendæ legis non esse nisi vitationem scandali ; & legem non obligare nisi in casu scandali. Nam lex ob aliquam rationem constituta, non tantùm obligat, ubi ea ratio reperitur : sed simpliciter ac generaliter, uti sonat. *Exempli gratia* : lex jejunij lata ad edomandam carnem, obligat etiam hominem egregiè mortificatum, qui fortè edomatione carnis opus non habeat. Idque verum, quamdiu nondum universaliter cessat ratio legis : salva tamen legis circà quosdam dispensatione.

Aliorum responsio rejicitur.

Sunt qui objectioni respondeant, apostolicam legem aboleri cepisse jam eo tempore quo Paulus hæc scribebat. Sed quis credat legem tam necessariam tanta cum deliberatione nuper ab Apostolis communi decreto sancitam, ut patet ex Act. 15. tam citò evanescere potuisse ; & quidem ratione legis, quæ superiùs ex Augustino adducta est, adhuc durante ? quum, etiam cessante ea ratione, multis post sæculis apud multos in observatione remanserit : uti dicemus infrà.

Alia responsio non bona.

Respondent igitur alij decretum Apostolorum nondum pervenisse ad Corinthios eo tempore quo scripta est hæc epistola. Sed & hoc refellitur. Nam ut prætermittam illud tempus quod à Concilio Apostolorum fluxit usque ad primum Pauli ad Corinthios adventum, qui describitur *Acto.* 18. certè per ipsum Paulum qui Concilio interfuerat, quemque scribit ibidem Lucas annum & sex menses atque eo diutius apud Corinthios moratum fuisse ; facilè potuit illis Apostolicum decretum annuntiari ; præsertim cùm de Paulo & Sila dicatur ejusdem lib. cap. 16. quod *cùm pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus qui erant Hierosolymis*. Quod si Paulus primo ad Corinthios adventu non putaverit id faciendum, metuens fortè ne novitios adhuc & infirmos, hoc velut onere proposito absterreret à lege Christi; saltem hac epistola qua eos accuratè de singulis quæ apud ipsos dubitabantur, instruit, legem Apostolicam eis insinuare debuisset.

Vera solutio difficultatis.

Nobis igitur vera solutio totius difficultatis petenda videtur ex ipsius decreti inscriptione seu titulo, qui sic habet : *Apostoli & Seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex Gentibus, salutem*. E quibus verbis liquet, epistolam ab Apostolis scriptam, qua decretum continebatur, non fuisse directam ab omnes ubique fideles ex Gentibus: sed ad eos solùm, qui in Palæstina aut ejus vicinia agebant; cujusmodi erant provinciæ in titulo nominatæ: quod iis in locis quam plurimi essent Judæi ; non item in locis à Palestina remotioribus ; uti maximè erat Achaia in qua Corinthus. Proinde nequaquam apparet Corinthios hac apostolica lege fuisse com-

Apostolorum decretum non ad omnes pertinebat ex Gentibus fideles.

prehenſos. Paulus quoque & Silas non ubicumque evangelium prædicabant, ſed ſolùm per Syriam & Ciciliam, ut *in fine cap.* 15. *Act.* dicitur, Apoſtolica decreta ſervanda præcipiebant. Circa quæ & illud *notandum* eſt, fideles qui Apoſtolica lege tenebantur, non fuiſſe juſſos interrogare, num quod erat venale expoſitum, aut menſæ appoſitum, eſſet immolatitium: ſed tantùm prohibitos edere, ſi ſcirent eſſe tale: etiam ubi nullum eſſet, ut antè dixi, ſcandali periculum.

Notandum.

Nunc ſi quis *objiciat* Apoſtolicam legem multis poſt annis, imò ſæculis, quando ratio legis ſupradicta jam dudum ceſſaverat, obſervatam fuiſſe etiam in eccleſiis à Judæa remotiſſimis: quæ res ex variis authoribus, atque ex ſynodis quæ diverſis ſæculis habitæ fuerunt, oſtendi poteſt: ut videre eſt apud Carnalem Baronium in *Annal. ad annum Domini* 51. Reſpondeo, non quidem fuiſſe mentem Apoſtolorum, ut hac lege eccleſiam univerſalem, eamque perpetuis temporibus aſtringerent. (Nam hodie nuſquam in catholica obſervatur, maximè quod de ſuffocato & ſanguine conſtitutum fuit: *& qui fortè pauci*, inquit Auguſtin. contra Fauſtum, *adhuc tangere iſta formidant, à cæteris irridentur*:) ſed tamen alias eccleſias eam legem poſteà recepiſſe & multo tempore retinuiſſe, propter honorem ac reverentiam Apoſtolorum, à quibus profecta fuerat: ratione non prorſus abſimili, qua lex vetus, quæ divina erat aliquamdiu poſt Chriſtum à Judæis Chriſtianis obſervata fuit; ut, quomodo loquuntur patres, ad ſepulchrum cum honore deduceretur.

Lex Apoſtolica qua ratione diu in eccleſiis obſervata

31. SIVE ERGO MANDUCATIS, SIVE BIBITIS, SIVE ALIUD QUID FACITIS; OMNIA IN GLORIAM DEI FACITE. *Aliud* interpretis ſupplementum eſt. Nam in Græco & Syriaco non exprimitur, ſuffragantibus Latinis quibuſdam mss. & textu commentarii Ambroſ. Generali ſententia concludit Apoſtolus ſuperiorem doctrinam de non edendis idolothytis: admonens actiones noſtras omnes referendas eſſe ad Dei gloriam. Quod utique non faciunt, qui cum Dei juſtitia aut fratrum ſcandalo quippiam agunt: ſed magis ejuſmodi facto gloriam Dei minuunt. Convenit cum hac ſententia quod ait Col. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti*: & quod Petrus 1. epiſt. 4. *Ut in omnibus honorificetur Deus per Jeſum-Chriſtum.*

Utrum peccent homines in omni opere quod non referunt in gloriam Dei. Quorumdam commentarius hujus loci non plenus.

Quæritur an ita generaliter hoc dictum & præceptum ſit, ut peccent homines in omni opere, quod non referunt in gloriam Dei. Si ita: conſequens ex eo fiet, infideles qui Dei notitiam non habent, in omni opere peccare. Nihil enim facere poſſunt in gloriam Dei, quem non noverunt. Opinantur quidam Apoſtolum loqui non de omnibus in univerſum operibus humanis: ſed de iis tantum quæ coram aliis fiunt, ac talia ſunt ut ex illis proximus vel ædificari vel ſcandalizari poſſit, Deique nomen apud homines vel honorificari vel blaſphemari. Cujuſmodi actiones ſunt edere, bibere, ſermonem miſcere cum aliis. Atque hi gloriam Dei intelligunt, qua glorificatur apud homines in hoc ſæculo: ut conſentaneus ſit hic locus cum præcepto Chriſti, Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus; ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Hic ſenſus ſatis quidem congruit Apoſtoli ſcopo, qui de ſcandalis ſedulò fugiendis toto hoc loco diſſerit; Unde & proximè ſequitur, *Sine offenſione eſtote.*

Etiam quæ ſoli facimus, ad Dei gloriam referenda.

Verùm, præterquam quod per eum ſenſum adhuc non evitatur quò minùs infideles peccent in omni ſaltem opere quod coram hominibus faciunt: profectò non videtur illa ſatis plena tam inſignis Apoſtolicæ ſententiæ, doctrinæque declaratio; ſiquidem & ea quæ ſoli facimus ac ſine arbitris, ad Dei gloriam referre debemus: idque docet Auguſtin. *in epiſt.* 81. *ad Eudoxium Abbatem*: ubi poſt multas actiones enumeratas, etiam quæ à ſolis ac ſecretò fieri ſolent; tandem generaliter infert, *Omnia in gloriam Dei facite*: addita ratione, *qui operatur omnia in omnibus*; ac rurſus in enarrat. *Pſalmi* 146. promiſcuè recenſens actiones hominum diurnas atque nocturnas. Cujus loci verba tranſcripſit Beda *in collect.* Hieron. quoque ſcribens *ad Cteſiphontem adv. Pelag. cap.* 3. Pauli ſententiam extendit ad quaſlibet actiones, etiam ſecretas & ſecundum naturam viles ac ſordidas: quales illic nominat ſputa jacere, nares purgare, veſicam & alvum relevare, quæ S. Thomas *opera neceſſitatis* vocat, comprehenſa ſub illis verbis, *ſive manducatis, ſive bibitis*, quatenus tamen humanæ ſunt actiones.

Item actiones viles ac ſordidæ.

Igitur alij fatentur quidem Apoſtoli ſenſum eſſe generalem: ſed dicunt eum hujuſmodi verbis non præcipere, verùm hortari tantùm & ſuadere, ut omnes actiones noſtras ad Dei gloriam referamus: ideòque non continuò peccare hominem ſive fidelem, ſive infidelem, ſi quas ſuas actiones, alioqui bonas, in Deum non referat. Sed hic commentarius aberrat à ſcopo Pauli; qui ex eo quod omnia in gloriam Dei facienda ſunt, conſequenter intelligi vult eos peccare, qui comedunt idolothyta, non habita ratione divini honoris aut conſcientiæ fraternæ: quod non eſſet conſequens, ſi illud prius tantum eſſet conſilij.

Apoſtoli verba conſilii eſſe, non præcepti, qui dicunt refelluntur.

Itaque meritò ſenſum eorum qui præceptum eſſe negant, rejicit S. Thomas, exponens ſimilem huic ſententiam *Coloſſ.* 3. Ejuſdem doctoris expreſſa verba ſunt, 2. 2. quæſt. 69 art. 1. *ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere.* Quod & repetit verbis idem valentibus *quæſt.* 85. *art.* 14. & *quæſt.* 89. *art.* 4. Probat autem 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 10. ex præcepto quo Deum diligere jubemur *ex toto corde*: *ad quod pertinet*, inquit, *ut omnia referantur in Deum: & ideò præceptum charitatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referat in Deum.*

Ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere.

Pulchrè verò Liranus hanc obligationem præcepti declarat à ſimili: *Tota enim*, inquit, *creatura ordinatur ad Deum, ſicut exercitus ad ducem. Exercitus autem benè ordinatus primò & principaliter quærit gloriam ducis, quæ eſt victoria. Eodem modo omnis creatura, & potiſſimè rationalis, in omnibus operibus ſuis primò & principaliter debet quærere gloriam conditoris.* Hæc ille.

Jam quod ad ſenſum attinet hujus generalis præcepti, S. Thomas *in comment.* relationem iſtam operum ad gloriam Dei, dicit intelligendam, *vel in actu vel in aptitudine referendi.* Et hanc aptitudinem Cajetanus extendit ad opera infidelium quæ moraliter bona vocantur. Hæc enim, qua ratione bona ſunt, apta ſunt referri ad gloriam Dei: ut proinde ex Apoſtolico præcepto non ſit conſequens, infideles ea faciendo peccare.

Omnia actu vel aptitudine referendo in Deum.

Verùm ipſe ſanctus doctor alibi clariùs de ſenſu hujus præcepti ſuam mentem aperit. Nam 1. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 1. *ad* 2. ita ſcribit: *Non facit contra hoc præceptum, quicumque non actu refert ad gloriam Dei omne quod facit. Sufficit* enim *ut habitualiter referat ſe & omnia ſua in Deum.* & in commentario Coloſſ. 3. *Non eſt neceſſarium, ut omnia referantur in Deum actu, ſed habitu.* Similiter Carthuſianus in hunc locum, pluribus rem declarans, *Omnia*, inquit, *in gloriam Dei facite, id eſt, ad Dei honorem finaliter inordinate; ejuſque laudem & glorificationem ſemper intendite vel actu, vel habitu.* Et rationem addit. *Omnia quippe propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Unde ſicut omnia bona fontaliter ab eo profluxerunt; ita ad ejus honorem, laudem & gloriam ſunt referenda.* Sic ille.

Explicatur dicendo, actu vel habitu.

Videntur autem hi doctores, quum dicunt omnia quæ facimus, in Deum actu vel habitu referenda eſſe; vocem *habitu* uſurpare pro *virtute*: quomodo idem

idem S. Thomas 3. part. quæſt. 64. art. 8. ad 3. dicit, *ad perfectionem Sacramenti* in miniſtro ſufficere *intentionem habitualem*, intelligens virtualem. Sic enim explicat: *Puta cùm ſacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Eccleſia. Unde ſi poſteà in ipſo exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur ſacramentum.*

Et quidem hanc eſſe mentem ſancti Thomæ, quod ad ſenſum attinet loci præſentis, ipſe diſertis verbis alibi declarat: ut in diſputatis de charitate articulo 11. ad 2. ubi dicit *hoc pertinere ad perfectionem charitatis ad quam omnes tenentur, quod omnes virtutes referantur in Deum. Et hoc modo*, inquit, *Apoſtolus præcipit, quod omnia in gloriam Dei referantur.* Et ad 3. *Virtualiter omnia referre in Deum, cadit ſub præcepto charitatis.* In eumdem ſenſum etiam Carthuſianus ſeipſum exponere videtur; quum dicit eum qui implet hoc præceptum, *in omni actu, imò & dormiendo mereri, ſaltem propter præcedentem intentionem;* ſcilicet virtute manentem.

Nota piã & utilẽ doctrinam, de recta intentione in omnibus habenda.

Quo magis autem hujuſmodi intentio virtute maneat in actionibus noſtris quotidianis; frequenter actu renovanda eſt. Quod quidem facimus dum orationem Dominicam frequentamus: in qua primo loco petimus, quod intentione primum ac perpetuum eſſe debet, ut ſanctificetur, id eſt, glorificetur nomen Dei. Quod etiam in publicis precibus & canticis facit eccleſia; dum, ut oſtendat gloriæ Dei ſtudendum in omnibus, identidem repetit verſum doxologicum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui-Sancto.*

Duæ aliorũ expoſitiones conformes præcedenti.

Quare & illi cum his quos jam dixi, ferè idem volunt, qui præceptum Apoſtoli ſic exponunt: Studete gloriæ Dei per omnia promovendæ, ſoliciti ne quid committatis quod ejus honorem quoquo pacto lædat aut imminuat. *Item* qui hoc modo: Conari debetis ad eam perfectionem, ut omnia ad Dei gloriam faciatis. Nam ideò ſtudere & conari ad hæc debemus, quia de omnibus ad Dei gloriam agendis præceptum habemus.

Porrò videtur hoc præceptum pertinere non ad omnes homines, ſed ſolum ad fideles, & eos quibus fides Chriſti fuit annunciata: qui proinde habent aut habere debent notitiam finis ſupernaturalis, ad quem ordinat religio Chriſtiana. Nam & in illum finem omnia Chriſti & Apoſtolorum ejus præcepta nos dirigunt: ideoque nobis ille finis ſemper actu aut habitu ſeu virtute præ oculis eſt habendus, nobis, inquam, fide Chriſti imbutis: quomodo loquitur S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 6. *ad* 7. dicens, quod *intentio cæleſtis omnibus operibus noſtris debet adjungi. Noſtris*, utique fidelium; quibus cæleſtia revelata ſunt.

In finẽ ſupernaturalẽ omnia Chriſti & Apoſtolorũ præcepta nos dirigunt.

Ex quo jam fundamento ſolvitur objectio de infidelibus: qui quamvis ſuàs actiones alioqui bonas in hunc finem gloriæ Dei non referunt, adeoque nec referre poſſunt, ii ſaltem qui de Chriſto nihil audierunt: cum tamen in illis ſpectent finem, ad quem dictante ratione naturali referendæ ſunt; non reprehenſionem merentur, ſed laudem, tametſi vix inveniri infidelium hominum facta, *quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemve mereantur, ſi diſcutiatur quo fine fiant*, teſtis eſt Auguſtin. *in lib. de ſpiritu & litera cap. 27.*

Infideles an faciant quædam in gloriam Dei implicitè.

Quod verò dicunt aliqui, infideles opera ſua moraliter bona facere in gloriam Dei implicitè, quatenus ea faciunt propter bonum aliquem finem: eo quod, ut aiunt, ſemper ex bonis operibus ſequatur, ut qui ea vident, Deum glorificent, aut certè glorificare poſſint, id revera non ſatis eſt ut ipſi qui faciunt, facere ea ad Dei gloriam dicantur. Hic enim ſermo præcepti, *In gloriam Dei facite*, intentionem gloriæ Dei in faciente requirit: quam quidem infideles in ſuis operibus nullam habent, ſi præſertim veri Dei notitia ſint penitus deſtituti.

32. SINE OFFENSIONE ESTOTE JUDÆIS ET GENTIBUS ET ECCLESIÆ DEI. *Sine offenſione*, Græcè ἀπρόσκοποι. Quæ vox etſi interdum paſſivè capiatur pro iis qui non offenduntur, hîc tamen activam habet ſignificationem, Latinè *inoffenſivi*, qui non offendunt. *Judæis & Gentibus*, Græcè *& Judæis & Græcis.* Sicque legitur apud commentatorem Ambr. & in libro de ſingularitate clericorum. Sed Græcos ſynecdochicè Gentiles dicit ut alibi, quale illud Rom. 1. & 2. *Judæo primùm & Græco.* Tales, inquit, vos gerite, ut nullum præbeatis offendiculum neque Judæis, neque Gentilibus, neque eccleſiæ Dei. Judæos & Gentiles rectè plerique reſtringunt ad eos qui foris ſunt, id eſt, infideles, & eccleſiam nondum ingreſſos. Nam de fidelibus eſt tertium membrum, *& eccleſiæ Dei.* Hanc verò intellige tam in genere quàm in membris ejus ſingulis, nam & multitudinis & ſingulorum cavendæ ſunt offenſiones.

Græci pro Gentilibus.

Præcipit autem hoc de cavendis aliorum offendiculis, non ut planè diverſum à priori; tamquam illic agatur ne in Deum ejuſque honorem peccetur; hîc ne in fratrem, ut quidam volunt: ſed ut aliquid ad impletionem prioris ordinandum. Nam qui fratrem ſcandalizat, in Deum peccat, cujus opus deſtruit, Rom. 14. *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei.* Peccat & in Chriſtum, perdens illum *propter quem Chriſtus mortuus eſt.* Sic, inquit, *peccantes in fratres, in Chriſtum peccatis.* ſuprà cap. 8. Adde quod hîc non ſoli fratres ſcandalizandi prohibentur, ſed etiam qui foris ſunt; uti dictum eſt.

33. SICUT ET EGO PER OMNIA OMNIBUS PLACEO. Ad ea quæ præcepit, tamquam bonus magiſter ſuo cohortatur exemplo. Nam, inquit, & ego non ſolùm caveo ne cuiquam præbeam offendiculum; verum etiam me per omnia omnibus accommodo, omnibus placere ſtudeo. *Omnia* verò intellige, qualia de quibus ſuprà diſſeruit, ac de quibus dixit, *Omnia mihi licent*, hoc eſt adiaphora, quæ & benè & malè fieri poſſunt: ne quis ad ea trahat quæ legibus adverſantur, maximè divinis. Eadem ſententia cum illa capitis ſuperioris; *Omnibus omnia factus ſum.* Tale etiam eſt quod præcipit Rom. 15. *Unuſquiſque veſtrûm proximo ſuo placeat.*

Paulus omnibus per omnia placens, quo ſenſu.

Nec cum his pugnat quod ſcribit Gal. 1. *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Negat enim illic ſe hominibus placere, id eſt, neglecta veritate id agere, ut hominibus ea quæ carnis ſunt ſapientibus, placeat, eiſque ſuam doctrinam commendet. Quem ſenſum eo loco pleniùs explicatum invenies. Hic verò & aliis duobus locis allegatis, placere vult omnibus ad ſalutem. Dicens enim ſe omnibus omnia factum, addit: *ut omnes facerem ſalvos*: & præcipiens ut quiſque proximo ſuo placeat, adjungit, *in bonum ad ædificationem.* Similiter hoc loco, ne malè intelligatur quod dixit ſe per omnia omnibus placere; ſubjungit.

Hominibus placere, quo ſenſu vitioſum.

NON QUÆRENS QUOD MIHI UTILE EST, SED QUOD MULTIS, UT SALVI FIANT. Græcè, *non quærens meum ipſius commodum*, id eſt, utilitatem, *ſed multorum*, &c. Sic Hilarius enarrans pſalmum 52. *Non quærens quod meum utile eſt, ſed quod multorum.* Et ſenſus eſt. Non anteponens commoda mea privata publicæ multorum utilitati, ſed contrà faciens. *Ecce*, inquit, S. Thom. *optimus modus placendi omnibus, ſi omnium utilitas, non privatum commodum, procuretur.* Id enim argumentum eſt charitatis, quæ *non quærit quæ ſua ſunt*, infrà cap. 13. Quid autem magis efficit hominem omnibus charum, quàm ipſa charitas?

Nota modũ ſe commendandi populo, & placẽdi omnibus, utilẽ prælatis & animarũ rectoribus.

Porrò quis ſecundùm ſcripturam dicatur quærere quod ſuum eſt, quodque ſibi utile; pluribus explicatum habes hoc eodem capite ad illud, *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius*, ac rurſum infrà,

ad dictum locum *cap. 13.* Denique quam multorum utilitatem quærere se dicat Apostolus, exponit dum addit, *ut salvi fiant*, id est, ad salutem adducantur æternam : quæ res maximè cedit in gloriam Dei. Potest etiam hæc particula, *ut salvi fiant*, referri ad illud, *omnibus placeo.* Quod enim sequitur, *non quærens*, &c. modum & viam ostendit omnibus placendi.

CAPUT XI.

1. IMitatores mei estote, sicut & ego Christi. 2. Laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 3. Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir : caput verò Christi, Deus. 4. Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. 5. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: unumenim est ac si decalvetur. 6. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum. 7. Vir quidem non debet velare caput suum : quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. 8. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. 9. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. 10. Ideò debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos. 11. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino. 12. Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem : omnia autem ex Deo. 13. Vos ipsi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum? 14. Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi : 15. mulier vero si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. 16. Si quis autem videtur contentiosus esse : nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 17. Hoc autem præcipio : non laudans, quod non in melius, sed in deterius convenitis. 18. Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo : 19. Nam oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. 20. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. 21. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est: 22. Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis ? Laudo vos? in hoc non laudo. 23. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, 24. & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. 25. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. 26. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annunciabitis, donec veniat. 27. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & sanguinis Domini. 28. Probet autem seipsum homo : & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 29. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. 30. Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. 31. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 32. Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. 33. Itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. 34. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cum venero, disponam.

Ephes. 5. c. 23.

Gen. 2. d. 21.

Matt. 26. c. 26. Marc. 14. c. 22. Luc. 22. b. 17.

Joan. 6. f. 59. 2. Cor. 15. b. 5.

SUMMARIUM.

VT viros aperto capite, sic mulieres velato orare, præcipit ac docet. Reprehendit quod Cœnam Dominicam irreverenter ac tumultuosè celebrarent. Commemorat traditam sibi à Domino eucharistiæ institutionem. Indignè sumentes quàm graviter peccent, & qua punitione digni sint, exponit.

IMITATORES MEI ESTOTE: SICUT ET EGO CHRISTI. Hæc clausula spectat superiora: quò eam manifestè refert Chrysostomus. Unde & Oecumenius, Erasmus, Cajetanus aliique nonnulli eam annectunt capiti præcedenti. Nam quia Paulus suum Corinthiis allegauerat exemplum, dicens: *Sicut & ego per omnia omnibus placeo*: nunc generaliter ad sui imitationem eos invitat. Nec id immeritò: quoniam & optimam gerebat conscientiam, & Corinthiorum doctor & parens erat in Christo. Decet autem discipulos imitari magistrũ, & filios patrem. Ne tamen arrogantiùs hoc dicere videatur, addit; *sicut & ego Christi*, scilicet imitator sum; nominatim in eo quod dixi me per omnia omnibus placere. Nam & *Christus non sibi placuit*, Rom. 15. sed *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, 1. Tim. 2.

Paulus se proponit imitandũ, & quatenus.

2. LAUDO AUTEM VOS FRATRES. Hactenus ea Corinthiorum peccata correxit Apostolus, quæ passim extra cœtus publicos alii in alios committebant. Nunc ad ea transit corrigenda, quæ præter honestatem ac dignitatem in publicis sacrisque conventibus ab iis gerebantnr. Id verò agit usque ad finem capitis 14. quod his tandem verbis concludit: *Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis.*

Et hoc quidem capite duo reprehendit & corrigit: alterum quod mulieres sinerent orare non velatas: alterum quod usum cœnæ Dominicæ perverterent, cum indigna tractatione mysteriorum. Incipit autem à laude qua superiorem eorum obedientiam commendat, dicens: *Laudo vos fratres*, &c. Sic enim paratiores reddit ad doctrinam & admonitionem sequentem obedienter ac prompte suscipiendam: maximè ea parte qua agit de cœna Dominica; circa quam contigerant apud illos quædam minimè laudanda. Verùm ista laudatio quomodo sit accipienda, dicemus infrà.

QUOD PER OMNIA MEI MEMORES ESTIS. Græcè ὅτι πάντα μου μέμνησθε. Verbatim Latinè, *Quod omnia mei meministis.* Id Erasmus vertit, *Quod omnia mea memoria tenetis.* Hentenius, *quod omnium quæ mea sunt memores sitis.* Atqui rectiùs, mea sententia, noster interpres vertit, *per omnia*, pari ratione qua paulò ante tam ipse quàm alii verterunt; *sicut & ego per omnia omnibus placeo* : nimirum præpositione κατὰ Græcis utrobique subintellecta. Quod & Erasmus demum à se animadversum annotationibus suis adjecit. Ita Syrus quoque; *Quod in omni re memores estis mei.* Quamquam sensus eodem redit. Omnia verò, intellige doctrinam, præcepta, traditiones. De his enim subjungit.

ET SICUT TRADIDI VOBIS, PRÆCEPTA MEA TENETIS. Græcè, τὰς παραδόσεις κατέχετε, *traditiones tenetis.* Syriacè, *præcepta tenetis*: scilicet absque pronomine, quod ex priori parte, *sicut tradidi vobis*, satis intelligitur. Textus Ambros. sic habet: *& quomodo ubique trado, traditiones meas tenetis*, quod partim à Græco dissidet, partim convenit. Posset autem pro *tenetis* verti *tenete*; quod in vetustissimo codice fuisse scriptum affirmat Erasmus. Est enim Græcum verbum ambiguum: Sed enim modum enuntiativum omninò postulat conjunctio partis hujus cum præcedenti: ut sensus sit; Non sola tenetis memoria, quæ vobis servanda tradidi & præcepi, id est, traditiones, instituta, præcepta: verùm ipso opere ea præstatis. Ex hoc loco *perspicuum fit*, ait Theophylactus, *quod non pauca quæ literis non mandaverint, tradiderunt & ipse & reliqui Apostoli.* Quocirca locus hic palàm facit pro traditionibus non scriptis, iisque necessariò tenendis.

Obs. contra sectarios, Traditiones etsi nõ scriptas tenẽdas.

Porrò *notandum est* Apostolum cùm laudat Corinthios, quod per omnia memores ipsius sint, & instituta servent, ad bonos respicere, non ad malos; quos infrà de præceptis quæ dederat, malè servatis, reprehendit. Quamquam id quod dicit, *per omnia*, potest intelligi cum exceptione eorum quæ ipse statim excipit, & de quibus eos corripit ac plenius instruit insequentibus. Sunt qui totum hoc, *Laudo vos fratres quod per omnia*, &c. putent ironicè dictum

ab Apoſtolo; ne falſa videatur laudatio propriè intellecta. Sic commentator Ambroſ. Pelagius, Theodoritus, Haimo, Lombardus, S. Thomas. In quam ſententiam Liranus quoque propenſior eſt. Verùm nihil opus eſt hac figura. Siquidem & 1. *capite* magnificè Corinthios laudavit Apoſtolus citra ſpeciem ironiæ: quando verbis utens æque generalibus, dixit eos *in omnibus divites* factos, *ita ut nihil* iis deeſſet *in ulla gratia.* Sanè veram in hoc loco laudationem arguit illa exceptio, quam facit, infrà v. 22. *Laudo vos? in hoc non laudo.*

3. VOLO AUTEM VOS SCIRE. Quamvis, inquit, traditiones & inſtituta mea utcumque tenetis; ut propter hoc jure vos laudare poſſim: de quibuſdam tamen admonendi eſtis, ſimul & inſtruendi; ac primùm volo ſciatis hoc quod ſequitur.

QUOD OMNIS VIRI CAPUT CHRISTUS EST. Multi interpretes ita tractant hunc locum, ac ſi Pauli inſtitutum eſſet, utrumque ſexum reformare: quod ab utroque per luxum & immodeſtiam peccatum fuiſſet, viris orantibus velato capite, mulieribus non velato. Verùm ſi quis benè perpendat ea quæ à Paulo dicuntur; intelliget ejus intentionem propriè dirigi adverſus mulieres: quas ad id quod honeſtum & decorum eſt, revocat; rationibus tamen, inter alias acceptis ab eo quod viros decet, tamquam à contrario. Sumit autem principium ab ordine quem inter virum & mulierem Deus inſtituit; ſcilicet ut vir caput eſſet mulieris, & mulier viro ſubjecta: ſic tamen ut & ipſum virum Chriſto capiti ſubjectum eſſe voluerit. Hoc enim eſt quod primo loco ſtatuit: Omnis viri caput Chriſtum eſſe: caput intelligens, tam hic quàm in duobus membris ſequentibus, metaphoricum ſive analogicum; cui poteſtas competat alium aut alios ſibi ſubjectos regendi.

Quæ Pauli intentio hoc loco.

Ordo divinitus inſtitutus inter virum & mulierem.

Omnis viri caput Chriſtus, quo ſenſu.

Quomodo autem ab hujuſmodi capite, ratio velandi capitis naturalis aut non velandi, convenienter accipiatur, in ſequentibus explicabitur. Illud, *omnis viri*, limitant Græci interpretes ad ſolum fidelem. Neque enim rectè Chriſtum dici poſſe caput hominum infidelium, qui non ſunt ejus membra. Sed hoc non videtur obſtare: nam & angelorum caput eſt Chriſtus, *Col.* 2. *v.* 10. quos tamen membra Chriſti non vocamus. *Et caput Chriſti Deus*: ubi membri reciprocatio minimè quadrat.

An Chriſtus caput infidelium.

Igitur alii generalem Apoſtoli ſententiam generaliter & illimitatè capiunt, ut *omnis viri caput Chriſtus* dicatur, etiam ut homo (Nam ſecundum eam naturam conſideratur hoc loco) ratione poteſtatis ac dominii, quod in omnes homines accepit à Patre, qui *omnia ſubjecit ſub pedibus ejus*, infrà cap. 15. *In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit; ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Rom. 14. Qui etiam apud Prophetam dicit, Paulo ibidem referente, *Mihi flectetur omne genu*, Iſa. 45. Hic ſenſus facilior eſt, imò neceſſarius huic loco; ſi caput metaphoricum uno modo ſit accipiendum: maximè propter illud; *Caput vero Chriſti Deus.* Favet etiam quod in membro ſequenti mulieris nomen non ad feminas Chriſtianas eſt reſtringendum, ſed totum ſexum muliebrem comprehendit: ut ibi declarabitur.

Chriſtus caput viri quatuor modis ſecundum aliquos.

Quod ergo nonnulli quatuor modos huc adducunt, quibus doceant Chriſtum omnis viri caput eſſe, nimirum ratione perfectionis, & ſublimitatis, & influentiæ, & connaturalitatis; quæ omnia ſunt in capite naturali reſpectu membrorum, à quo metaphora ſumpta eſt; eoſdemque modos repetunt in eo quod vir caput mulieris appellatur: doctè quidem hæc ab illis dicuntur, ſed ad locum præſentem minus accommodatè.

CAPUT AUTEM MULIERIS VIR. Chriſtus quidem etiam caput mulieris: ut patet ex iis quæ proximè dicta ſunt; ſed caput ejus eſt viro mediante, veluti capite ſubordinato. Nam ad virum tamquam eum qui ſexus ratione perfectior atque præſtantior ſit, adeoque ſuperior, ſpectat mulieris gubernatio, tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus. Theophylacti recentior interpres hanc pericopen ita vertit: *Caput autem uxoris maritus.* At verò Tertull. *in lib. de virg. velandis cap.* 7. vult etiam ad virgines hoc pertinere: & ejuſdem libri bonam partem in eo conſumit, ut oſtendat mulieris nomen in hac tota Pauli doctrina ad virgines extendi: rationibus ex ipſo contextu Paulino decerptis. Nam & generalis Apoſtoli ſermo eſt de utroque ſexu: *Omnis vir. Omnis mulier.* & ad eccleſiam non ſolæ nuptæ mulieres accedebant: nec ſolæ ut velarentur admonendæ erant: ſed etiam virgines & viduæ.

Certè ad prophetandum virgines nuptis erant aptiores, utpote ſanctæ *corpore & ſpiritu*, ſuprà *cap.* 7. velut illæ quatuor filiæ Philippi diaconi, *Actor.* 21. Sed nec Græcorum commentarii generalem hunc ſenſum refugiunt. Notandum eſt enim Apoſtolum universè loqui de ſexu muliebri; qui ita conditus eſt à Deo, ut regi debeat à viro: ſive nubat viro: ſive ſint quæ non nubant. Unde & virginum monaſteria neceſſe eſt à viris gubernari. Quamquam magis appareret illa ſubjectio mulieris ad virum in illo genere vitæ, quo ſibi invicem inſolubiliter alligati ſunt vir & mulier: ut hæc illius ſupra ſe poteſtatem excutere jam non poſſit; ideoque ſpecialiter de conjugatis alibi dicit idem Apoſtolus, *Quoniam vir caput eſt mulieris*, Epheſ. 5.

Ad prophetandum virgines aptiores nuptis.

CAPUT VERO CHRISTI DEUS. Intellige Chriſti hominis; ut anteà dictum eſt. Nam Chriſtus ut verbum, æqualis eſt Deo Patri; & unum cum eo caput atque principium rerum omnium. Sic ergo *caput Chriſti Deus*; ſicut *Pater major* ipſo *eſt*, Joan. 14. Quo ſenſu rurſum dicit infrà c. 15. Filium fore ſubjectum *ei qui ſubjecit ipſi omnia.* Adjecit autem hoc tertium membrum Apoſtolus, ut ordinem capitum referret uſque in ſupremum caput quod eſt Deus. Igitur hæc quatuor, Deum, Chriſtum, virum, mulierem eo ordine diſponit, ut Deus tantum ſit caput, mulier tantum ſubjecta; duo medii participes ſint utriuſque qualitatis, diverſo reſpectu.

Quo ſenſu caput Chriſti Deus.

Porrò Græci caput Chriſti Deum interpretantur, quod ex Deo Chriſtus genitus ſit: idèoque Deum habeat authorem ac principium, &, ut ipſi loquuntur, cauſam. Quem ſenſum tradit etiam commentator Ambroſ. & ex eo alii quidam Latinorum. Submonent tamen iidem ferè omnes, commodè poſſe locum hunc intelligi de Chriſto ut homine, nempe juxta ſenſum priùs à nobis allatum. Nam revera durè ſonat in divinis Patrem dici caput Filii: quum caput ad eum qui ſubjectus eſt referatur. Quomodo nec dixerit quiſquam, Patrem & Filium eſſe caput Spiritus ſancti: niſi qui voluerit Spiritum S. Patri & Filio ſubjicere, ſecundum hæreſin Eunomianam. Vide S. Ambroſium ſubtiliter & catholicè tractantem hanc ſcripturam adverſus Arianos, *lib.* 4. *de fide ad Gratianum cap.* 2.

Græcorum ſenſus minus probabilis.

4. OMNIS VIR ORANS AUT PROPHETANS VELATO CAPITE DETURPAT CAPUT SUUM. Ordine conſtituto inter virum & mulierem, docet quid utrumque dedeceat, tamquam illi ordini contrarium. *Velato capite* non eſt Græcè κατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ, cujus negatio ponitur in parte ſequenti de muliere, ἀκατακαλύπτῳ, &c. *invelato capite.* Sed hic legitur, κατὰ κεφαλῆς ἔχων, quod verti poteſt, *in capite*, vel *ſuper*, vel *circum caput habens.* Supplent autem Eraſmus & alii, *quicquam habens in capite.* Et hoc dictum putat Cajetanus, *ad excludendum omne quod poſſet haberi in capite, cujuſcumque figuræ ac materiæ fuerit.* Theophylactus & Oecumenius etiam comam excludunt: quoniam & ipſa caput tegit. Verùm hac lege nec omninò capillos viro oranti liceret habere in capite.

Proinde rectiùs, ſecundùm antiquos interpretes Latinos, idem eſt Apoſtolo velum in capite habere, & eſſe velato capite: quod & declarat antitheſis hujus partis cum ſequenti. Nam de coma, quod viro ſit indecora, mulieri decora, peculiare ſumit argumentum ad rem propoſitam, *infrà v.* 14. *&* 15. Quocirca ſupplendum potiùs, *velum habens in capite. Deturpat*, Græcè κατισχύνει *confundit*, ut legit Auguſt. de opere monach. cap. 31. Latiniùs, *pudefacit* (quod & vox Syriaca ſignificat) id eſt, dedecorat, dehoneſtat, probro afficit caput ſuum.

Quis modus orandi & pſallendi in eccleſia tempore Apoſtolorum.

Porrò in hujus loci intellectu *notandum eſt*, illo tempore quo Paulus hæc ſcripſit, nondum in eccleſias introductum fuiſſe eum orandi & pſallendi morem, qui nunc conſpicitur; ut ſcilicet alternatim id fiat, idque per multos invicem è regione ſpectantes: ſed unus pro omnibus orationem aut pſalmum recitabat publica voce, cæteris tacentibus & auſcultantibus. Quod & fieri præcipit Apoſtolus *infrà cap.* 14. *v.* 30. *&* 31. Itaque de viro taliter orante, non autem de cæteris, Apoſtolum loqui putant aliqui: quamquam aliis magis placet generalis intellectus, tam in hac ſententia quàm in ſequenti; quoniam & rationes Apoſtoli generales ſunt.

Prophetare quis Apoſtolo dicatur.

Porrò quem dicat prophetantem, non ita certum eſt. S. Thomas de eo interpretatur, qui prophetias olim revelatas, vel alias ſcripturas in conventu pronuntiat. *Alii* de eo qui ſcripturas exponit ac referat, ut gloſſa loquitur. Rurſus *alii* de eo qui pſalmis aut hymnis Deum laudat. Sed horum nihil revera ſufficere videtur ad hoc ut juxta mentem Apoſtoli prophetare quis dicatur: utpote qui *infrà cap.* 12. 13. *&* 14. prophetiam cenſeat inter peculiaria Spiritus-S. chariſmata.

Sunt qui prophetantem accipiant propriè, pro eo qui futura annuntiat ex Dei revelatione. Verùm iſti nimium arctant uſum hujus vocabuli quem habet in ſcriptis Apoſtolicis: quemadmodum oſtendemus ad illud cap. 14. *magis autem ut prophetetis.* Unde & intelligitur, generaliter cum Apoſtolo prophetantem dici, qui divino ſpiritu afflatus occulta quædam profert auditoribus, ſive ſint res futuræ, ſive reconditi ſenſus ſcripturarum, præſertim propheticarum, ſive latens quodcumque myſterium. Conferatur etiam locus Rom. 12. *Sive prophetiam, ſecundum rationem fidei:* & alter 1. Theſſal. 5. *Prophetias nolite ſpernere.*

Deturpat caput ſuum, an myſticũ, an naturale.

Jam quod ait Apoſtolus, *deturpat caput ſuum*, non uno modo omnes accipiunt. Quibuſdam placet intellectus de myſtico ſeu metaphorico capite, de quo dixerat: *Omnis viri caput Chriſtus eſt*, ut ſenſus ſit; tale viri factum vergere ad ignominiam Chriſti, qui caput ejus eſt. Tradit hunc ſenſum & pluribus explicat Cajet. Meminerunt etiam Theophyl. & Oecum. At verò plerique idem caput in utraque parte ſententiæ intelligunt, naturale videlicet: ut orans velato capite dicatur deturpare caput ſuum hoc ipſum quod velat. Qui ſenſus & ſimplicior eſt, & congruentior iis quæ de muliere ſequuntur: eumdemque Theophyl. & Oecum. adferunt priore loco.

Quare vir orans velato capite, deturpet caput ſuum.

Verum hujus dicti jam ratio quæritur. Non enim Paulus eam expoſuit, ſed expoſitoribus ſuis inveſtigandam reliquit; ex qua intelligatur adverſus ordinem divinitus inſtitutum fieri, ſi vir caput ſuum velet, mulier revelet. Dicimus igitur cum Oecumenio & aliis, virum capite velato orantem aut prophetantem, ex Apoſtoli ſententia dehoneſtare caput ſuum; quia velando caput quodammodo ſignificat & profitetur ſe in terris aliquem ſupra ſe principem ac rectorem habere. Quod ſignum eſt ei inhoneſtum ac dedecoroſum. Nam eo dignitatem ac libertatem ſui ſexus imminuit: ut cui divina ordinatione ſolus Chriſtus caput ſit.

Eſt autem hujus ſignificationis ratio, quia velamen capiti impoſitum facit reſpicere deorſum, tamquam ad principem in terra conſtitutum. Atqui princeps & caput viri in cœlo eſt: ideoque debet vir ſurſum aſpicere, cui proinde velamen capitis incompetens eſt. Mulier autem quia principem habet in terra poſitum & de terra formatum, deorſum reſpicere debet: quod facit velamen caput ejus contegens. Huc facit quod annotat Theophyl. ad ſignificandam viri eminentiam ac mulieris ſubjectionem, ſymbola quædam utrique eſſe tradita à Deo: ut ſunt, in viro ratio vigens, corpus robuſtum, vox gravis, mentum hirſutum: quibus omnia contraria ſunt in muliere: tale verò & iſtud eſſe, ut vir aperto ſit capite, mulier velato. Quare & naturaliter indecens ac turpe judicatur, ſi vir caput obtegat muliebri more. Neque enim vir utitur tegumento capitis, quaſi naturalem ad hoc inſtinctum habens, ſicuti mulier: ſed vel neceſſitatis cauſa, ut aëris injurias depellat, aut ut calvitiem tegat: vel ad ornatum qui perſonam deceat; quomodo mitra pontifices utuntur, diademate reges. Alioqui nec hiſtoria nec pictura prodit Chriſtum aut ejus Apoſtolos tecto capite vel oraſſe vel docuiſſe, vel omninò in publicum prodiiſſe: excepta corona ſpinea, quam capiti Dominico deriſores ejus impoſuerunt.

Symbola eminẽtiæ viri ſupra mulierem.

Vir quatenus utatur capitis tegumento.

Doctrina Pauli generalis, etiam extra eccleſias.

Quamvis igitur Paulus adjiciat hoc loco determinationes, *orans aut prophetans*; non ideò tamen, ut Græci putant, extra orationem & prophetiam viro permittit velamen in capite. Nam eo pacto (quod iidem Græci non admittunt) etiam mulier extra orationem & prophetiam capite non velato poſſet apparere: quoniam & de ea conſequenter agens Apoſtolus adjicit determinationes, *orans aut prophetans.* Quod ſi dicas Apoſtolum poſteà abſolutè præcipere mulieri, ut *velet caput ſuum*: idem reſpondeo de viro; *Vir quidem*, ait, *non debet velare caput*, &c. Quorſum igitur, inquies, hìc adjecit, *orans aut prophetans?* Quia ſermo inſtitutus erat ei de honeſtate ſervanda in publicis eccleſiæ conventibus: ubi turpitudo quam condemnat, apparebat in iis maximè qui orabant vel prophetabant: tum viris tum feminis. Nam de his ſequitur.

5. OMNIS AUTEM MULIER ORANS AUT PROPHETANS NON VELATO CAPITE, DETURPAT CAPUT SUUM. Erant in eccleſia primitiva non ſolum viri, ſed & mulieres quædam prophetantes, ut Philippi filiæ virgines, de quibus ſuprà, aliæque permultæ; juxta vaticinium Joëlis à Petro memoratum Actor. 2. *Prophetabunt filiæ veſtræ.* Oſtendit autem hic locus eas prophetaſſe etiam in conventu publico. Quod quomodo non pugnet cum ipſius Apoſtoli lege, qua alibi vetat mulierem loqui in eccleſia, *ut infrà cap.* 14. *&* 1. *Tim.* 2. meritò quæritur. Nam etſi tacitè poſſit orare; certè prophetare in eccleſia non poterat niſi palàm loqueretur; qualecumque prophetiæ donum hîc ab Apoſtolo ſignificatum intelligas.

An in conventu publico.

Quod enim reſpondent quidam, mulierem prophetantem intelligi quæ ſibi talis ſit, & apud ſe prophetico ſpiritui intenta: non rectè dicitur; cùm proprius actus iſtius doni tranſeat in alios. *Nam qui prophetat, hominibus loquitur*, infrà cap. 14.

Sed nec illa quorumdam reſponſio placet, qua dicunt ordinariam quidem loquendi functionem mulieribus in eccleſia non fuiſſe permiſſam: ſi tamen interdum à Spiritu Domini moverentur, non eis interdictum, quò minùs aliquid loquerentur: exemplo Annæ prophetiſſæ, quæ de Chriſto ſalvatore loquebatur in templo omnibus exſpectantibus redemptionem, &c. *Luc.* 2. Non placet, inquam, quia ſpiritus propheticus nec invitos impellit ad loquendum: nec movet ad aliquid inordinatum: ut infrà patebit *cap.* 14. Annam verò non in eccleſia locutam legimus, ſed in templo: ſi tamen in templo. Non enim hoc expreſsè dicitur: ac ſenſus eſſe videtur, eam paſ-

ſim omnibus redemptionem exſpectantibus, de Chriſto redemptore jam nato locutam fuiſſe. Et tamen non quiſquis in templo loquitur, in eccleſia loquitur, id eſt in publico conventu fidelium. Nec quoties offerendum erat in templo ſacrificium, fiebat convocatio populi. Nec arbitror apud Judæos aliquando fuiſſe permiſſum, ut mulieres in eccleſiis eorum loquerentur: quando nec hodie loqui permittuntur in ſynagogis.

Judæorum mulieres nō loquuntur in ſynagogis.

Alii Paulum reſpicere putant ad privatos cætus virginum aut matronarum. Sed non eſt veriſimile. Nam inſtitutum ejus eſt reformare ea quæ in publicis eccleſiæ conventibus perperam agebantur.

Igitur dicendum videtur Apoſtolum duo quæ in eccleſia Corinthiorum fiebant, hoc loco reprehendere; alterum quod mulier oraret non velato capite, alterum quod prophetaret non velato capite. Et illud quidem ab eo reprehendi, non quia mulier orabat in eccleſia: poterat enim ſilentio orare, ſicut in ſilentio jubetur diſcere, 1. *Timoth.* 2. ſed quod id faceret non velato capite. Iſtud verò reprehenſionem mereri ex duplici cauſa: & quia prophetabat in eccleſia, & præterea quod id faceret capite non velato.

Verùm hoc quidem loco tantum ex profeſſo reprehendit Apoſtolus, quod non velata mulier vel oraret vel prophetaret in eccleſia. Nam de velando

Mulier non loquatur in eccleſia, ne quidem prophetando.

capite præſentem ſermonem inſtituit: non abſolutè de eo quod eſt prophetare aut loqui in eccleſia. Quæ de re agit inferiùs *cap.* 14. ubi ſimpliciter ſtatuit mulieri non eſſe loquendum in eccleſia, ne quidem ſi promptum ſit ei prophetare. Nam etſi propheticam habeat revelationem; tacere poteſt donec locum & tempus nacta fuerit, ubi & quando ſecretum proferat. Quin & in præſenti idipſum Apoſtolus inſinuare videtur, dum poſt pauca ſolam nominat orationem. *An*, inquit, *decet mulierem non velatam orare Deum?* Vide Cajetanum huic reſponſioni quam dedimus conſentanea ſcribentem ad illud cap. 14. *Mulieres in eccleſiis taceant.*

Mulieris nomen generale.

Quod ad vocabulum mulieris attinet, id eſſe generale, jam ſuprà docuimus ex Tertulliano. Qui etiam ſignum univerſale hîc additum ab Apoſtolo vehementer urget, ejuſdem libri de velandis virginibus cap. 8. *Quis eſt omnis* inquit, *niſi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis?* Quod tamen poſtremum ita reſtringit cap. 11. *ex quo ſe intelligere ceperit, & ſenſum naturæ ſuæ intrare.* Nam antè eam ætatem inſtinctu naturali velandi capitis moveri non ſolet. Ut autem inſtinctus

Varia mulierum conſuetudo velaminis geſtandi.

hic generalis eſt, ita varia fuit olim per orbem conſuetudo tam velaminis geſtandi, quam reliqui cultus atque veſtitus muliebris: uti videre eſt apud Card. Baron. *ad annum Domini LVII.* & in notationibus *ad martyrol. Rom. Maij* 7.

Cur mulier invelata deturpet caput ſuum.

Porrò cur mulier orans aut prophetans, aut quàlibet ex cauſa prodiens in publicum capite non velato, deturpet caput ſuum; jam patet ex ſupradictis. Facit enim contra divinam ordinationem ſimul & modeſtiam naturalem, dum abjicit velum capitis, ad hoc ſibi attributum, ut eo ſigno profiteatur ſubjectam ſe viro, tamquam ſuo in terris principi ac rectori. Cajetanus in hac parte rurſus caput metaphoricum intelligit, id eſt virum de quo dixerat Apoſtolus, *Caput autem mulieris vir*, ac ſi ſenſus ſit, eam hujuſmodi facto virum ſuum qui caput ipſius eſt, ignominiâ afficere. Verùm ut exiſtimo, præter mentem Apoſtoli. Quod ſatis apparet ex eo quod ſequitur.

UNUM ENIM EST AC SI DECALVETUR. Græca ſic habent: *Unum enim eſt & idem raſæ*, pro quo legitur in textu comment. Ambroſ. *Unum eſt enim atque*

Decalvari pro radi poſitum.

idipſum, ut decalvata. Sed decalvari pro radi poſitum ab utroque interprete. Eſt autem argumentatio à pari. Nam, inquit, mulierem habere caput non velatum, perinde prorſus eſt atque ſi raſa eſſet. Quod profectò dedecoroſum eſſe mulieri nemo dubitat. *Nam capilli dati ſunt ei pro velamine*, ut infrà dicitur, utique naturali. Propterea verò naturali velamini, quodam impulſu naturæ etiam aliud ſuperaddit, ut oſtendat ſe voluntate facere quod natura docet faciendum: id eſt, ut viri gubernationi ſe ſubmittat. Itaque dum capiti non adhibet velamen, quantum in ſe eſt, ait Oecumenius, etiam naturale tegumenum excutit, puta capillos. Unde ſequitur.

Cur naturali velamini mulier aliud ſuperponat.

6. NAM SI NON VELATUR MULIER, TONDEATUR. Multa mss. addita conjunctione legunt, *& tondeatur*; aſtipulante tam Græco quàm Syriaco textu. *Senſus*: Si non admittit mulier aſſumptitium velamen; abjiciat eadem opera etiam illud quod dedit natura. Nam ſi decet eam non velari, decebit & tonderi.

SI VERO TURPE EST MULIERI TONDERI AUT DECALVARI; VELET CAPUT SUUM. *Decalvari*; rurſus Græcè ξυρᾶσθαι, *radi*; quod & legit Tertullianus. Nec in Græco eſt, *velet caput ſuum*: ſed tantummodo, *veletur*. At ſenſum interpres expreſſit. Eſt enim ſermo de velando capite. Quamquam Chryſoſt. admonet Apoſtolum non dixiſſe κατακαλύπτεσθω *veletur, operiatur*; ſed κατακαλύπτεσθω, *cooperiatur; ut ſit*, inquit, *perfectè undique compoſita.* Non enim ſatis eſt honeſtati, ſi qualitercumque caput ſuum tegat mulier, ſed obtegat oportet: ita ut velo vultum adumbret: quomodo præceptum Apoſtoli interpretatus eſt Clemens Alexandrinus *libr.* 2. *pædagogi cap.* 10. *& libr.* 3. *cap.* 11. Quam arctiorem velandi conſuetudinem etiam hodie ſervari videmus in multis Galliæ Belgicæ partibus, nominatim per Flandriam & Hollandiam. Porrò concludit Apoſtolus ab oppoſito conſequentis: Si non velatur mulier, tondeatur, aut etiam radatur. Atqui tonderi non debet, multò minùs radi: id enim turpe eſt ac muliebri honeſtati contrarium. Velet igitur caput ſuum. Quàm turpe ſemper habitum fuerit mulierem tonderi, vel illud exemplo ſit, quod olim apud Germanos, ut de eorum moribus refert Tacitus, uxorem adulteram acciſis crinibus coram propinquis expellebat domo maritus, ſupplicii loco.

Quomodò velandū caput mulieris

Ex his Apoſtoli verbis oppugnant ſectarii morem eccleſiæ catholicæ, in qua virgines religionem monaſticam profitentes raduntur capite. Contendunt enim morem hujuſmodi tam Apoſtolico præcepto, quàm ipſi naturæ contrarium eſſe. Nam à natura ſumit Apoſtolus argumentum, tam hoc loco: quàm infrà, quum dicit ipſam naturam nos docere, quod ſi mulier comam nutriat, ſit ei gloria: propterea quod capilli pro velamine ei dati ſint. Proferunt & canonem 17. Gangrenſis concilii, idipſum, ut aiunt, ſub anathemate prohibentem. Sic enim habet ex Gentiana verſione: *Si qua mulier propter eam quæ exiſtimatur pietatem, tondeat comam quam Deus ei dedit ad recordationem ſubjectionis; ut quæ ſubjectionis præceptum diſſolvat, ſit anathema.* Reſpondemus morem illum eccleſiæ & laudabilem eſſe, & cum Apoſtoli doctrina minimè pugnare. Loquitur enim Apoſtolus de ſexu muliebri in genere; non præjudicans perſonis particularibus, quibus ob aliquam cauſam vel neceſſitatis, vel religionis, aliamve ſimilem, conveniat capillorum amputatio. Nam ob valetudinem id licere certum eſt.

Mos attondendi virgines ſacratas, à ſectariorū calumnia vindicatus.

Meritò quoque laudatur factum cujuſdam Chriſtianæ virginis: quæ, ſicuti refert Iſidorus Peluſiota *lib.* 2. *epiſt.* 53. cum ſciret adoleſcentem quemdam ſuam deperire formā; ut illum ea cupidine liberaret, caput ſuum cute tenus abraſit, ac talem ſe ei ſpectandam obtulit. Quo deformi aſpectu mox in illo concupiſcentiæ flamma exſtincta eſt. Cur non igitur

etiam religionis causa, citra Apostolici præcepti injuriam, sacræ virgines comam suam deponant, ut omnem hujus sæculi ornatum abjicere, & contemnere se, ea velut cærimonia profiteantur? accedente præsertim & alia ratione mystica. Cum enim in signum subjectionis dati sint eis capilli, quemadmodum hic docet Apostolus: Christo jam desponsatæ, & in libertatem quodammodo vindicatæ; quod ad subjectionem attinet conjugalem, nihil ampliùs viris debent aut debere possunt. Ad hunc enim modum & servos manumittere solebant Romani, rasis eorum capitibus.

Ratio mystica.

Quod ad rem propositam attinet, de ea B. Hier. in epist. ad Sabinianum diaconum num. 48. ita scribit: *Moris est in Ægypto & Syriæ monasteriis, ut tam virgo quàm vidua quæ se Deo voverint, & sæculo renũciantes omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum: non intecto posteà contra Apostoli voluntatem incessura capite, sed ligato pariter ac velato. Nec hoc quispiam præter tondentes novit & tonsas: nisi quod quia ab omnibus fit, penè scitur ab omnibus.* Hæc ille, subjungens ejusdem rei causas etiam quasdam naturalis necessitatis. Non esse autem id honestati naturali contrarium, quando non incedit nudo capite mulier, sed velato; ex recitatis Hieronymi verbis intelligitur.

Antiquitas dictæ cõsuetudinis ex Hieronymo.

Sanè, ut etiam ex lege veteri proferam aliquid, si tonsura capitis muliebris ita esset inhonesta, ut nullam ob causam admitti fierive posset; non sanxisset Dominus *Numer. 6.* legem Nazaræorum ejusmodi, quam non solum viri, sed etiam mulieres, ut illic expresè dicitur, subire possent. Qua quidem lege inter alia præcipitur, ut completis diebus consecrationis coma Nazaræi amputetur, & igni altaris imponatur. Nec verò Gangrensis canon nobis adversatur. Nam, ut ex iis quæ Sozomenus scribit, *lib. 3. hist. Eccles. cap. 13.* facilè colligitur: Synodus illa non in virgines Deo consecratas, sed in hæreticas quasdam mulieres, quæ viris suis relictis simulatione pietatis caput tondebant, & virilem habitum sumebant, sententiam anathematis tulit. De hoc argumenta plura apud Baronium reperies in *Annalibus loco supra citato*, & in notat. *ad Martyrol. Rom. Septembr.* 20.

Mulieres Nazareæ in veteri lege tondebãtur.

Verus sensus canonis Gangrensis.

7. VIR QUIDEM NON DEBET VELARE CAPUT SUUM. Quod intellige juxta sensum superiùs explicatum. Pronomen *suum* non est in Græco, nec apud commentatorem Ambros. multa etiam Latina mss. non agnoscunt: tametsi sensus postulat ut intelligatur.

QUONIAM IMAGO ET GLORIA DEI EST: MULIER AUTEM GLORIA VIRI EST. Alia ratione propositum confirmat Apostolus: nimirum ex eo sumpta quod vir sit imago & gloria Dei; mulier autem gloria viri. Notandum Græca sine causali vocula sensu tamen causali, sic legere: *imago & gloria Dei existens*, ὑπάρχων, id est, ut qui imago & gloria Dei exsistat. Ubi videtur Apostolus alludere ad etymon Græcè vocis ὑπάρχων: ac si dicas, supprincipans; tamquam insinuare velit hac voce, ita virum esse sub principe Deo, ut tamen ipse etiam principatum habeat in homines, id est, in sexum muliebrem. Alioqui causa non apparet cur non usus fuerit usitatissimo participio verbi substantivi ὤν. Conjecturam auget quod in sequenti parte, *mulier autem gloria viri est*: non repetivit idem verbum ὑπάρχει; quia mulier non est supprincipans, sed posuit consuetum verbum ἐστί.

Vir ὑπάρχων.

Porrò virum dicit imaginem Dei propter naturam intellectualem, ac libero præditam arbitrio, qua Deum velut exemplar suum secundum quod factus sit, repræsentat. Ex qua natura ei competit potestas & dominium in reliquam omnem corpoream creaturam. Respicit autem procul dubio Paulus ad locum, *Genes. 1.* ubi describitur homo factus ad Dei imaginem. Unde intelligitur idem significari; quum dicitur homo sic factus ut sit Dei imago, & esse factus ad Dei imaginem. Qua de re disputatur ad *dist. 16. lib. 2. sent.*

Vir imago Dei, propter quid.

Idem est imago Dei & ad imaginem Dei.

Porrò gloriam Dei virum vocat, vel quia sub solius Dei principatu constitutus est: eaque ratione peculiarem habens causam gloriandi in Deo, ut cujus potestati sit immediatè subjectus; quomodo qui regi aut summo pontifici parent immediatè, solent hoc sibi glorioſum ducere. Quæ est Græcorum expositio. Vel secundum Latinos, Haimonem, Cajetanum & alios: quia Deus in homine tamquam pulcherrimo quodam opificio, quod & ipse fecerit immediatè, & in quo perfectiùs reluceat opificis similitudo, potest jure gloriari. Priori modo gloria Dei intelligitur, qua gloriatur homo in Deo; posteriori, qua Deus in homine.

Vir gloria Dei, quo sensu.

Atque hîc posterior sensus, quem & August. insinuat *lib. de catech. rudibus cap.* 18. mihi magis probatur: primùm quia textui congruit, ut quomodo vir dicitur imago Dei, quia Deus in illo repræsentatur: ita dicatur gloria Dei, quia Deus in illo gloriatur, aut, quod eodem recidit, glorificatur. Deinde quia Paulus alibi sic loquitur, ut gloriam alicujus id vocet, in quo quis gloriatur, velut 2. Corinth. 1. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Et iterùm: *Gloria vestra sumus, sicut & vos nostræ in die Domini.* & cap. 8. *Apostoli ecclesiarum gloria Christi.* Et 1. Thess. 2. *Vos estis gloria nostra & gaudium.* Sic Prov. 17. *Gloria filiorum patres eorum.* Sic & David Deum gloriam suam vocat, quod in eo sibi gloriandum sit: Psal. 3. & 56. Jam quod sequitur: *Mulier autem gloria viri est*, similiter utroque sensu potest accipi; ut gloria viri mulier esse dicatur, vel quod immediatè subjecta sit potestati viri; ut per hoc in viro tanquam capite suo debeat gloriari: vel juxta sensum probabiliorem, quia mulier opificium est ex viro factum: ut proinde in ea tamquam ex ipso facta, vir non immeritò gloriari potuerit, imò gloriatus fuerit dicens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Gen. 2.

Latinorum expositio probabilior.

Mulier gloria viri, quo sensu.

Dubitari potest hoc loco, utrum & mulier sit imago Dei. Id enim negare videtur Apostolus, dum hac ratione docet virum non debere velari, quoniam imago Dei est; quæ ratio nihilo magis de viro concluderet, quam de muliere, si etiam mulier esset imago Dei. Itaque commentator Ambros. absolutè negat mulierem ad imaginem Dei factam esse. Negat id quoque Author, *quæstion. veteris & novi testament. quæst.* 21. 24. & 45. Sed falluntur hi authores, si tamen diversi sunt, & non, ut docti suspicantur, unus idemque. Nam mulierem factam esse ad Dei imaginem, & quod inde consequens esse Dei imaginem, manifestè tradit Moyses, *Genes. 1.* Cùm enim de homine dixisset: *Ad imaginem Dei creavit illum*, ut intelligeretur hoc ad utrumque sexum pertinere, mox addidit, *Masculum & feminam creavit eos.* Itidem capite 5. cùm dixisset: *Ad similitudinem Dei fecit illum*, rursus adjunxit, *Masculum & feminam creavit eos.*

An mulier imago Dei.

Indubitata responsio affirmativa.

Constat idipsum ex propria ratione imaginis Dei, quæ sive constituatur in intellectu, sive in libero arbitrio, sive in potestate dominandi, sive in his omnibus simul, juxta varias orthodoxorum sententias; utique mulier ab ea excludi non poterit. Unde simpliciter & apertè fatentur patres mulierem ad imaginem Dei factam esse, ut Basilius *orat.* in S. Julittam, & *homilia* 10. *hexam.* nec non Ambros. *lib. 6.* ejusdem argumenti, *cap.* 8. Item Augustin. *lib. 12. de Trin. cap. 7.*

Neque verò diversum quid hoc loco sentit Apostolus. Dicens enim virum esse Dei imaginem, non id omninò negat de muliere; sed significare

Vir imago Dei perfectiori ratio-

ne quam mulier.

voluit perfectiùs & principaliùs id viro competere, cum propter rationem naturaliter in eo magis vigentem, ut ait in *Comment.* Petrus Lombardus : tum propter dominium, quod viro competit amplius atque univerſalius quàm mulieri. Siquidem vir etiam in ipſam mulierem poteſtatem ac dominium à Deo accepit, *Geneſ.* 3. Alii cenſent virum peculiariter ab Apoſtolo dici imaginem Dei; quod ex Deo ſit immediatè, ac nullo alio cujus imaginem gerat interveniente : mulierem verò, quod immediatè formata ſit ex viro in adjutorium ipſi ſimile, viri imaginem convenienter appellari. Quod etſi Paulus non expreſſerit, videri tamen poteſt ex priori membro intelligendum reliquiſſe: ſicut intellexerunt Theodoritus & Oecumenius, dicentes ex mente Apoſtoli mulierem eſſe imaginem viri, tamquam imaginem imaginis Dei.

Vir imago Dei immediata, non mulier.

Neque enim alienus eſt hic ſermo à ſcriptura ſacra. Nam *Geneſ.* 5. dicitur Adam genuiſſe filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: ex quo conſequens eſt, filium ejus fuiſſe imaginem patris. Cur non igitur & mulier ex Adam formata, dicatur ejus imago? Sanè apud Hugonem Victorinum, *quæſt.* 109. *ſuper hanc epiſt.* textus Apoſtoli citatur hoc modo: *Mulier verò imago & gloria eſt viri.* Videtur autem & Pſeudambroſius hunc ſenſum ſpectaſſe. Cùm enim negaſſet mulierem eſſe factam ad imaginem Dei; mox ſermonem temperat, de ea dicens: *Hæc autem eſt imago Dei in viro*, videlicet, ut imagine media. Denique valde probabilis efficitur hic Apoſtoli ſenſus ex eo quod ſuprà dixit ſimiliter, *Omnis viri caput Chriſtus eſt: caput autem mulieris vir.* Ubi Chriſtum caput mulieris non negavit, ſed cujus immediatè caput eſſet Chriſtus, indicare voluit.

Ratio Pauli explicata.

Sed nunc *quæritur*, quomodo ex verbis Apoſtoli jam explicatis oſtendatur virum non debere velare caput ſuum. Benè reſpondet S. Thomas, majorum commentarios ſecutus, id colligi dupliciter; *Primò*, quia velamen impoſitum capiti ſignificat poteſtatem ſupra ſe alterius hominis, ordine naturæ ſuperioris; & ideò vir qui Deo ſubjicitur immediatè, ejus rei ſignificandæ ac profitendæ cauſa non debet habere velamen ſuper caput: Mulier autem viro naturaliter ſubjecta, debet velari. *Secundò*, quia gloria Dei non eſt occultanda, ſed revelanda: hominis autem gloria occultanda, juxta celebrem Pſal. 113. verſiculum, *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Velanda eſt ergo mulier, quæ gloria viri eſt, non vir qui gloria Dei.

Dei gloria non eſt occultãda, ſed hominis.

8. NON ENIM VIR EX MULIERE EST, SED MULIER EX VIRO. De prima rerum conditione loquitur, quando non vir ex muliere factus eſt, ſed mulier ex viro. Quod facit ad prærogativam viri; ut meritò propter hoc mulier ſub viri debeat eſſe poteſtate. Cujus rei ſignum eſt velamen capiti ejus ſuperpoſitum. Sic ferè Græci commentatores. Quamquam referri poteſt hoc ad id quod proximè præceſſit, quò refert Aquinas: ut probatio ſit hujuſmodi: Mulier ex viro formata eſt, non contra; & proinde mulier eſt gloria viri, id eſt, ea res in qua tamquam in pulcro opere ex ſe formato, vir meritò glorietur.

9. ETENIM NON EST CREATUS VIR PROPTER MULIEREM, SED MULIER PROPTER VIRUM. Alia ratio principatus viri ſupra mulierem; ſumpta ex cauſa finali. Nam id cujus gratia præcellit ea quæ propter ipſum ſunt aut fiunt: & omninò finis eſt regula mediorum. Atqui palam eſt ex hiſtoria. *Geneſ.* 2. non virum creatum eſſe propter mulierem, ſed mulierem propter virum; *ſcilicet in adjutorium generationis*; *quomodo patiens eſt propter agens, & materia propter formam*, ait S. Thomas, *in Comment.* Debet ergo vir mulierem regere, non mulier virum. Poteſt & hæc eſſe connexio: Mulier eſt propter virum, non contra; & idcircò vir in muliere, tamquam propter ſe formata, gloriari poteſt.

Mulier propter virum facta, non contrà.

10. IDEO DEBET MULIER POTESTATEM HABERE SUPRA CAPUT. Græcè ἐπὶ τῆς κεφαλῆς *ſuper caput*, vel *in capite*, ut Eraſmus vertit. Porrò quidam codices loco vocabuli *poteſtatem* habent *velamen.* At ſincerior lectio eſt *poteſtatem.* Sic enim habent non Græca modò & Syriaca, ſed & omnia penè mss. Latina. Nec aliter veteres commentatores legerunt: & omnibus antiquior Tertull. ut *lib. 5. contra Marc. c. 8. & de vel. virg. c. 7. & ultim.* ubi etiam poteſtatem exponit dicens, *Velamen jugum illarum eſt.* Legitur quidem apud Irenæum etiam Græcum, lib. 1. adverſus hæreſes, cap. 1. *Oportet mulierem* κάλυμμα, *velamen habere in capite*: ſed ex perſona Valentinianorum, qui Pauli ſententiam ita citabant. Nec tamen id corrigit Irenæus, quia ſenſus nihilominus conſtabat: qui quidem ejuſmodi eſt; Propterea quæ dicta ſunt, nempe quia mulier gloria viri eſt, &c. per quæ declaratur eminentia viri ſupra mulierem, debet mulier poteſtatem, id eſt, ſignum poteſtatis viri ſupra ſe, quod eſt velamen, habere ſuper caput ſuum. Eſt enim metonymia, quâ ſigno tribuitur nomen rei ſignatæ. Niſi quis malit accipere poteſtatem pro viro poteſtatem habente: quem mulier habere debet ſupra caput, id eſt, agnoſcere & pati ſuperiorem. Quo locutionis modo dicitur in Pſal. 65. *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Verum prior ſenſus receptior eſt, atque etiam probabilior, & congruens cum eo quod ſequitur.

Poteſtas pro ſigno poteſtatis.

PROPTER ANGELOS. En aliam adhuc rationem, à ſuperioribus diverſam, propter quam mulier in eccleſiæ conventu non niſi velata conſpici debeat. Quidam Latini codices addita vocula copulante legunt: *& propter angelos.* Atqui in pluribus & melioribus non additur, ut nec in textu Græco & Syriaco: tametſi textus Ambroſ. ſic habet; *etiam propter angelos.* Verumtamen interpretes plerique ſeorſum tractant hanc partem: & ut dixi, novam hic rationem faciunt. Unus Cajetan. continuat cum verbis præcedentibus: verùm ſenſu ſubobſcuro, ſatiſque coacto: quem ab ipſo petat lector.

Angelos alii aliter interpretantur. Plurium ſententia eſt, uſitato more vocabulum hoc accipi pro cæleſtibus illis ac beatis ſpiritibus: ac ſi dicat Apoſtolus; Si non homines, ſaltem angelos reverita mulier, geſtet in capite velamen, pudoris ac ſubjectionis ſignum. Sunt enim angeli nobis ubique præſentes, maximè ubi conventus fidelium habentur, & ſacra myſteria celebrantur. Quocirca vel ad eorum reverentiam oportet tam mulieres quàm viros, toto corporis habitu decenter & honeſtè compoſitos eſſe: ut dicere poſſint Deo cum Davide, *In conſpectu angelorum pſallam tibi*, Pſal. 131. Simile præceptum eſt Eccleſ. 5. *Ne dicas coram angelo: non eſt providentia.* Nec diſſimili ratione Chriſtus puſillorum contemptum cohibet, à præcellenti dignitate eorum quos habent cuſtodes: *quia*, inquit, *angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei.* Matth. 18. In quem locum ſcribens Hieron. de iiſdem angelis hominum cuſtodibus hoc Pauli dictum accepit. De iiſdem & Aug. *lib. 12. de Trinit. cap. 7.* hanc adferens rationem; *Grata eſt enim*, inquit, *ſanctis Angelis ſacrata & pia ſignificatio.*

Quos angelos intelligat Apoſtolus.

Angeli ubique præſentes.

Angeli hominum cuſtodes.

Sunt alii qui angelorum nomine ſacerdotes, ſeu Eccleſiæ præfectos ſignificari putant, quales nimirum Joannes in *Apocal. 1. 2. & 3.* commemorat angelos Eccleſiarum, id eſt, Epiſcopos. Qui quidem *angeli dicuntur*, ait S. Thomas, *quia divina hominibus annunciant*, *ſecundum illud*, Malach. 2. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam; & legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum eſt.* Propter hos autem mulier eſſe debet velato capite in Eccleſia; vel pro eorum reverentia, ut de cæleſtibus angelis dicebamus; vel propter eorum cautelam, ne ſcilicet

Angeli ſacerdotes & epiſcopi.

illi feminis administrantes divina sacramenta, ex earum liberiore conspectu scandalum aliquod patiantur. Hic sensus est apud commentatorem Ambros. nec non apud Nicolaum I. respondentem ad consulta Bulgarorum, *cap.* 58. Tradunt eumdem sensum Primasius & Sedulius, atque extendunt ad omnes altaris ministros & universum clerum Ecclesiæ.

Angeli justi & sancti viri.

Est & tertia expositio Clementis Alexand. *lib.* 3. *hypot.* quam referunt Theophyl. & Oecum. ut per angelos intelligantur justi & sancti viri; propter quos jubeatur mulier habere velamen super caput, ne eos aperta facie scandalizet. Harum expositionum prima maximè probabilis est: continetque generalem & salutarem doctrinam; ut quisque in omni loco, quamvis etiam solum se putet, honestè & pudicè se gerat propter angelorum præsentiam. Reliquæ duæ expositiones suam quoque probabilitatem habent, præsertim secunda.

Generalis & salutaris doctrina.

Opinio reproba de angelis cælestibus.

Cæterùm illa prorsus improbanda, propter angelos cælestes idcirco velatas esse debere mulieres, ne illi provocentur ad earum concupiscentiam: ut habet opinio quorumdam, qui scripturam, *Genes.* 6. ubi dicuntur filii Dei filias hominum visas adamasse, de cælestibus angelis intellexerunt, decepti versione LXX. interpretum, prout olim ferebatur in quibusdam exemplaribus, quibus *angeli* pro filiis Dei scriptum erat: ut testatur Augustinus, *lib.* 5. *de civit. Dei, cap.* 23. Verùm hujusmodi sensus & opinio vehementer erronea est: quum ex fide catholica certum teneamus, sanctos illos spiritus amore carnali mulierum affici non posse, non ideo solum quia sunt incorporei, sed quia Dei faciem semper videntes omnino peccare non possunt. Adde quod, cùm angeli non solum in conventibus Ecclesiæ, sed & domi & foris circa nos assiduè versentur: oporteret hac ratione mulieres non in Ecclesia tantum & in publico, sed ubique & semper habere caput obvelatum.

Refellitur.

Angeli incorporei.

De angelis malis Tertulliani sententia refutata.

Minus quidem absurda Tertulliani sententia, qui locum hunc Apostoli intellexit de angelis malis & apostatis, id est, dæmonibus: de quibus dictum suprà capit. 6. *Nescitis quoniam angelos judicabimus?* quasi sensus sit; mulierem velatam esse debere, ne visam ejus pulchritudinem angeli mali concupiscant: iidem scilicet qui quondam filias hominum à se visas, quod essent pulchræ, carnaliter concupierunt. Loca Tertulliani sunt, *lib.* 5. *contra Marc. cap.* 8. *de vel virg. cap.* 7. *&* 8. *de corona mil. cap.* 14. *de cultu femin. cap.* 3. *& de hab. mul. cap.* 2. Verùm & hæc opinio procul est abjicienda, quoniam etsi (quod jam dudum explosum est) dæmones essent corporei, constat tamen inter orthodoxos, neque sexuum in eis distinctionem esse, neque gignendi facultate præditos esse, qua naturaliter incitentur ad commercium cum feminis: licet, ut sunt immundi spiritus, hominum immunditiis, & mulierum velamen aspernantium impudentia, summopere delectentur.

Vir & mulier mutuis egent officiis.

11. VERUMTAMEN NEQUE VIR SINE MULIERE, NEQUE MULIER SINE VIRO IN DOMINO. Quoniam dixerat mulierem esse ex viro & propter virum, non contrà; & per hoc viri potestatem ac dignitatem supra mulierem extulerat: ne propterea mulier animo dejiciatur, ac ne vir insolentius erga mulierem se gerat; nunc sermonem moderatur, ostendens virum & mulierem mutuis egere officiis: ut nec vir sine muliere, nec mulier sine viro possit ea quæ familiæ procurandæ necessaria sunt exercere: maximè quod ad liberorum procreationem & educationem attinet.

Addit autem, *in Domino*, scilicet Christo, ut submoneat tam virum quam mulierem, quomodo domum regere, natos educare & instituere, cæteraque mutuæ obligationis officia præstare debeant; scilicet ad normam legis Christianæ. Pro particula, *in Christo*, quidam Græci codices habent ἐν τῷ κόσμῳ *in mundo*, quod sensum habet perspicuum: favetque Græcorum interpretum expositioni, qui percicopen hanc referunt ad nativitates hominum: ut sensus sit, Quamvis initio non vir ex muliere, sed mulier ex viro facta sit; postea tamen nihilo magis vir nasci potest sine muliere, quam mulier sine viro. Cui sensui convenit quod sequitur.

12. NAM SICUT MULIER DE VIRO, ITA ET VIR PER MULIEREM. *De viro* ἐκ τοῦ ἀνδρὸς, *ex viro.* Quemadmodum, inquit, in principio mulier ex viro facta est; ita nunc vir ex muliere nascitur. Vir, id est, mas aut masculus. Nam hic quidem vir sexus tantummodo, non etiam ætatis nomen est. Mutat autem Apostolus præpositionem *ex viro*, *per mulierem*; quia mulier media est inter virum & virum. Nam primum omnium mulier ex viro: posteà verò etiam vir ex muliere.

Deus universale principium & prima causa rerum omnium.

OMNIA AUTEM EX DEO. Revocat particularia principia ad unum principium universale omnium rerum, quod est Deus, ut sub illo tamquam communi capite & principio, tam vir qui est principium mulieris, quam mulier quæ etiam viri quodam modo principium est, pariter humilientur. Hoc autem quod dicit, *Omnia ex Deo*, latissimè patet; ut intelligamus omne quod est, & Deus non est, in Deum ut originalem primamque causam referendum esse. Sic ad Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

13. VOSIPSI JUDICATE. *Vosipsi*, Græcè ἐν ὑμῖν αὐτοῖς, *in vobis ipsis*, quod quidam vertunt, *inter vosipsos.* At rectius, *intra vosipsos:* sive ut alii vertunt, *apud vosipsos judicate:* id est, in suo quisque animo æstimate quod dico. Permissio rhetorica est, qua rem velut naturæ ac rationi consentaneam defert ipsorum ad quos scribit judicio. Quæ res mire facit ad suadendum. Ita capite superiori dixit, *Ut prudentibus loquor; vos ipsi judicate quod dico.* Qui locus occasionem dedisse potuit, ut quod hic scriptum erat, *in vobisipsis*, mutaretur in *vosipsi.*

Argumentum ab indecoro.

DECET MULIEREM NON VELATAM ORARE DEUM? Interrogatio est. Textus Ambrosii *Decetne mulierem*, &c. *Non velatam* rursus Græcè ἀκατακάλυπτον, à verbo κατακαλύπτεσθαι. De quo superius ex Chrysostomo. Num, inquit Apostolus, decorum est (ita Græcè, πρέπον ἐστὶ) mulierem capite non cooperto Deum orare? quasi dicat, minimè. Siquidem etiam vulgo reputatur id indecorum. Non addit nunc Apostolus prophetare; sed solam orationem nominat: quia nec si velata sit mulier, prophetare ei licet in Ecclesia; quemadmodum docetur *infra capite* 14. Annotat hoc loco Cajetanus, quod initio admonuimus, istum de capitis velamine tractatum, non adversus viros institutum à Paulo, sed adversus mulieres, more virorum invelato capite exhibentes sese in Ecclesia. Porrò quia de eo quod in humanis actionibus decorum aut indecorum est, naturaliter homines judicare solent; ideo subjungit.

Natura pro naturali inclinatione.

14. NEC IPSA NATURA DOCET VOS. Græcè cum notula interrogationis, *An nec ipsa*, &c. Naturam vocat naturalem inclinationem: quæ docere dicitur, quatenus per eam accipitur notitia sive judicium de re quapiam.

Comatus quis dicatur.

QUOD VIR SI COMAM NUTRIAT, IGNOMINIA EST ILLI. Græcè, *Quod vir quidem si comatus sit, dedecus ei est:* id est, quod viro quidem comatum esse decori sit. Comatus dicitur qui promissam gestat comam more muliebri. Tales enim notari solent ut molles & effeminati; & agentes contra decus virile. Non enim damnat Apostolus, si vir capillos aliquantum alat valetudinis causa, ne frigus noceat capiti: quemadmodum est consuetudinis in frigidis

regionibus; verum ſi comam alat intonſam; quod feminarum eſt. Ac eadem penè ratio, ſi cæſariem prolixiorem, ornatui ſtudens: velut olim apud Hebræos Abſalon, cui ſua cæſaries exitio fuit, 2. *Reg.* 18. Quamquam illum & hodie multi non ſine levitatis ac mollitiei nota juvenes imitantur. Quin etiam ex loco B. Auguſt. in *lib. de opere monach. trib. extremis capitibus*, improbare non dubitat morem quorumdam monachorum, ſive Anachoretarum, quos crinitos fratres vocat: quod crines intonſos & in humerum demiſſos geſtarent, quadam, ut videri volebant, imitatione veterum Nazaræorum, Samſonis, Samuelis, & aliorum; revera autem ex eo facto ſanctitatis ſpeciem aucupantes. Attamen ubi more receptum eſt, Anachoretas incedere comatos, ut hodie paſſim; modo bona adſit intentio; non arbitror eſſe damnandum.

Nota contra abuſum crinium, quo nihil turpius & hodie nil uſitatius.

Anachoretæ comati.

15. MULIER VERO SI COMAM NUTRIAT, GLORIA EST ILLI. Græcè, *Si comata ſit, gloria ejus eſt.* Senſus: coma promiſſa decet mulierem, & formam ejus commendat: quemadmodum è diverſo deturpat eam capillorum detonſio. Hinc illud ad ſponſam myſticam, Cant. 7. *Comæ capitis tui ſicut purpura regis.* Sed hæc non ſuffragantur immoderato cultui feminarum circa capillos. Quod ſtudium reprimunt Paulus 1. *Tim. 2.* & Petrus, 1. *epiſt. 3.* Cæterum ex hac ſententia, *Mulier verò*, &c. relinquit Apoſtolus inferendum, ergo mulier debet velare caput. Hanc enim illationem probat id quod ſequitur.

Coma promiſſa mulierem decet.

QUONIAM CAPILLI PRO VELAMINE EI DATI SUNT. Græcè, *Quia coma pro velamine data eſt.* Et eſt ſenſus: Ipſa natura, ſeu Deus naturæ author præbet ſexui muliebri comam pro velamine: videlicet ea re mulierem admonens, quod debeat eſſe velato capite. *Quæres* quare non ſufficiat ei velamen quod natura ſuppeditat, id eſt, capilli, quidve ſit opus, aliud ſuperaddere? Reſpondet poſt Chryſoſtomum Theophyl. *ut non ex ſola natura, verum etiam ex conſilio & voluntatis electione ſubjectionem* mulier *fateatur.* Et breviter Ambr. commentator., *ut naturæ voluntas addatur.* Vult autem Apoſtolus eamdem eſſe rationem velaminis naturalis & aſſumpticii. Nam quæ natura tegit, eadem etiam ſtudio & arte tegenda eſſe monemur. Viro quidem etiam capilli dati ſunt à natura; non tamen pro velamine, ſicut mulieri; ſed tantùm pro capitis conſervatione. Unde & natura brevius eſt capillitium viri quàm mulieris; ſcilicet ad ſignificandum, viro non aliud aſſumendum eſſe velamen, niſi quatenus id poſtularet capitis conſervandi neceſſitas.

Cur mulieri non ſufficiat velamen naturale.

Viro non ſunt dati capilli pro velamine.

Porrò *notandum* eſt, hanc rationem à natura ſumptam, quemadmodum & illam quæ à capite myſtico (de aliis idem fermè judicium) generalem eſſe, qua velamen viro detrahatur, ac mulieri imponatur, non ſolùm in conventibus Eccleſiæ, verum etiam alibi; perinde ut res ſeſe habet de velamine naturali. Neque enim tantum vult Apoſtolus hoc quod vocat decorum naturale, ſervari in Eccleſia, ſed in omni converſatione, quantum naturæ neceſſitas id permittit. Jam de barba ſi quæras; ea viro non eſt data pro tegumento, ſed ad dignitatem & majeſtatem. Eſt enim & ipſa ſymbolum non ignobile poteſtatis viri ſupra mulierem.

Barba non data viro pro tegumẽto, ſed ad dignitatem.

16. SI QUIS AUTEM VIDETUR CONTENTIOSUS ESSE. Hoc eſt: Si quis rationibus à me allatis non acquieſcit, ſed pro ſua contraria opinione, qua negat oportere velari feminas in Eccleſia, certare pergit; & per hoc contentioſum ſe oſtendit. Nam contentioſus is dicitur, qui verbis certat, id agens ut vincat, non ut veritas appareat. Unde Græcè etiam hoc loco φιλόνεικος dicitur, id eſt, amans victoriæ; ut cui victoria potior eſt veritate. Hieron. *in dialog. contra Lucifer. c. 9.* partem hanc ita legit; *Si quis autem putaverit ſe contentioſum eſſe.* Sed quamvis Græca non reſpuant hujuſmodi verſionem, ea tamen non quadrat huic loco.

Contentioſus quis dicatur.

NOS TALEM CONSUETUDINEM NON HABEMUS, NEQUE ECCLESIA DEI. Hoc quod de conſuetudine dicit, dupliciter intelligi poteſt. *Uno modo;* Nos conſuetudinem non habemus contendendi; ſed magiſtrorum præceptis abſque contradictione obtemperandi. Sic Chryſoſt. *in comment.* & Ambroſ. *lib. 5. de fide, in præmio.* Aliter: Nos eam conſuetudinem non habemus, ut mulieres orent in Eccleſia capite non velato, quaſi dicat: Si quis contentioſe mecum agere velit, & diverſam opinionem pertinaciùs defendere; illi ego oppono noſtram & Eccleſiæ conſuetudinem, quæ habet ut mulieres orent velato capite, viri non velato. Hunc ſenſum ſimul cum priore adferunt Theophyl. & Oecum. Sed poſterior ſenſus, quem probat major pars interpretum, ſine dubio germanior eſt.

Duplex intellectus hujus loci.

Ubi notandum Apoſtoli Pauli in docendo & perſuadendo artificium; qui velut bonus orator, optimum argumentum ultimo loco reſervaverit: nempe quod petitur ab authoritate, conſuetudine & traditione populi Dei. Quod quidem ad reprimendos homines præfractos & contentioſos, nec non eos qui rationum minus capaces ſunt, adhibendum eſt: & tunc neceſſariò adhibetur, quando de eo agitur quod in ſcripturis non eſt expreſſum. Unde B. Auguſt. in epiſt. 86. quæ eſt ad Caſulanum preſbyterum: *In his*, inquit, *rebus de quibus nihil certi ſtatuit ſcriptura divina; mos populi Dei, vel inſtituta majorum, pro lege tenenda ſunt.* Sed & Hugo Victorinus ad hunc locum ita generaliter annotat: *Hic habemus authoritatem, quod conſuetudines ſanctæ Eccleſiæ tenendæ ſunt: etſi rationem ignoremus, quare ab illa ſic conſtitutæ ſint. Deus enim ſuam Eccleſiam in his quæ ad ipſum pertinent, non permittit errare.* Sic ille.

Pauli in ſuadendo artificiũ. Optimũ argumentũ ab authoritate Eccleſiæ.

Notanda Auguſtini ſententia.

Igitur exemplo Pauli licebit etiam nobis catholicis hoc pacto reſpondere noſtris adverſariis: ut quoties bonis rationibus & argumentis, quibus Eccleſiæ doctrinam aſſerimus, non acquieſcunt; abſolutè eis dicatur. Nos hujuſmodi conſuetudinem, quam vos impugnatis, ut orandi pro defunctis, invocandi ſanctos, venerandi ſacras imagines, &c. habemus ex antiqua, eccleſiaſtica, & Apoſtolica traditione acceptam.

Obj. contra Sectarios pro Traditionibus.

Dicit autem Paulus. *Nos*, id eſt, Apoſtoli, quorum tamquam magiſtrorum veſtrorum inſtituta debetis ſequi. Vel, ſecundum S. Thomam, *Nos*, id eſt, Judæi, à quibus Evangelium ad vos Gentiles pervenit; quorum proinde bonas conſuetudines imitari vos convenit. Nam Judæorum mulieres ſolere velatas incedere, meminit Tertull. de veteribus traditionibus agens, in lib. de corona militis cap. 4. *Apud Judæos*, inquit, *tam ſolemne eſt feminis eorum velamen capitis, ut inde noſcantur.*

Judaicarum mulierum honeſta conſuetudo.

Pro *Eccleſia*, Græcè pluraliter *Eccleſiæ*, Sic & Latina quædam mss. & veteres concordantiæ: tametſi ſenſus idem eſt. Nam Eccleſia univerſalis ex multis particularibus Eccleſiis conſiſtit. S. Thom. ut membra diſtinguat, interpretatur Eccleſiam per Gentes toto orbe diffuſam. Erant enim & Eccleſiæ Judæorum credentium Hieroſolymis & alibi; quas vult comprehendi priore membro. Quamquam in priore poſſunt intelligi Judæi in genere, ut ſignificetur mos populi, velut in templo, & ſynagoga, & omninò in publico; ſicut ex Tertulliano audivimus: In poſteriore, Eccleſiæ Chriſti undecumque collectæ. Quem ſenſum vult Cajetanus, cùm dicit hic adferri rationem *ab authoritate conſuetudinis tum in veteri teſtamento, tum in Eccleſiis Dei in novo teſtamento.*

Sciendum autem ex hac prima Eccleſiarum per Apoſtolos introductâ conſuetudine, profectum eſſe, ut omnes Chriſtianæ mulieres, tam nuptæ quàm virgines, incederent velatæ; non quidem ſacro,

Conſuetudo Chriſtianarum mulierum.

ab Apostolis introducta.

quod sacratis virginibus proprium est, sed communi tectæ velamine. Nam *etiamsi tunc contendebant Corinthii*, ait Chrysost. *nunc universus orbis terræ hanc legem admisit & custodiit. Tanta est potentia crucifixi.* Ita Sanctus ille.

17. HOC AUTEM PRÆCIPIO NON LAUDANS. Græci codices penè omnes sic habent: *Hoc autem præcipiens non laudo.* Quidam præceptum hoc referunt ad superiora, ac si dicat Apostolus: Hoc quod dixi mulieres debere velatas orare; quodque tam argumentis à ratione ductis, quàm à consuetudine probavi: nunc etiam præcepto meo confirmo; & volo ut ita fiat. Ex quo statim transeat ad aliud, dicendo *non laudans*, &c. Sic August. *de opere monach. cap.* 31. quem sequuntur uterque glossator, Lombardus & alii ex Latinis.

Græci verò, quibus accedit Liranus, ad sequentia referunt, & hunc ferè sensum reddunt: Illud de quo nunc vobiscum agere instituì, & præcepta dare, tale est quod laudare non possum, imò vehementer improbo. Incipit autem à præcepto, non præmissis ad suadendum rationibus, ut in tractatu superiori: quod de re maximi momenti locuturus, ad ea vitia reprehenda accedat, quæ nullum excusationis prætextum admitterent.

QUOD NON IN MELIUS, SED IN DETERIUS CONVENITIS. Id est: quod non ad utilitatem & profectum spiritualem, sicut oportebat, convenitis in Ecclesiam; sed magis ad spirituale detrimentum. Ita conventum agitis Ecclesiasticum, ut ex eo non fructum pietatis, sed dispendium referatis. Siquidem, ut ad hunc locum eruditè S. Thomas annotat, omne animal gregale, puta columbæ, grues, oves instinctu naturali conveniunt in unum, ut sit eis corporaliter melius. Quare & homo, qui est animal sociale, conventus instituere debet propter aliquod melius; idque vel temporale, propter quod fiunt conventus civium; vel spirituale, cujus gratia fiunt conventus fidelium. Atqui finem hunc pervertebant in suis conventibus Corinthii: quemadmodum ex iis quæ sequuntur patebit. Loquitur autem Apostolus non de quocumque fidelium apud Corinthios conventu; sed de eo qui fiebat ad celebrandam cœnam Dominicam. Hanc enim paulò pòst nominat, & quomodo ad eam in deterius convenerint refert. Cæterùm duo potissimùm reprehendit, quorum hoc quod sequitur unum est.

Animalium conventus naturaliter in melius.

18. PRIMUM QUIDEM CONVENIENTIBUS VOBIS IN ECCLESIAM. Græcè, *in Ecclesia*, quemadmodum & Latina quædam mss. legunt, & Aquinas in commentario. Ecclesiam vocat vel locum deputatum conventibus fidelium, vel ipsum fidelium conventum. Utraque enim acceptio hujus nominis apud fideles usitata est; sed prior dependet à posteriori. Nec ferè aliter quàm hoc posteriori modo, nomen hoc in scripturis accipitur. Ita paulò pòst *an Ecclesiam Dei contemnitis*? Dicuntur in Ecclesiam vel in Ecclesia convenire, quia conventus ipse Ecclesiam constituit: quomodo senatorum conventus senatum. Nonnulli illud Græcæ lectionis *in Ecclesia*, jungunt cum eo quod sequitur.

Ecclesia bifariam accipitur.

AUDIO SCISSURAS ESSE INTER VOS. *Scissuras* σχίσματα, Quam Græcam vocem interpres alibi retinet, ut suprà cap. 1. *Non sint in vobis schismata.* Significantur autem dissidia, dissensiones. Quænam ea fuerint, non expressit Apostolus; sed ex sequentibus intelligi potest, vel de loco recumbendi, vel de tempore cœnæ inchoandæ, vel de cibis ipsis ac potibus, aliisve ejusmodi, disceptatum illic fuisse: maximè inter divites & pauperes, quorum isti ab illis contemnebantur. Qui particulam præcedentem *in ecclesia* huc annectunt, ita sermonem ordinant: Convenientibus vobis, audio dissensiones esse inter vos in Ecclesia, id est, in ipso conventu.

Schismata pro dissensionibus.

ET EX PARTE CREDO, *Ex parte*; Græcè, μέρος τι, *partem aliquam.* Erasmus, *aliqua ex parte.* Id intelligi potest, vel de parte rerum, vel de parte personarum. Utroque enim modo exponunt interpretes; vel Apostolum credere partem aliquam malorum quæ sibi narrata essent; vel ea quæ narrata erant, credere de aliquibus illorum, non de omnibus. Neque verò prudentis est statim omnia credere quæ referuntur, etiam à fide dignis. Nam & hos falli contingit. Simul hoc verbo mitigat Apostolus asperitatem objurgationis.

Prudentis est nec omnia nec omnibus credere.

19. NAM OPORTET ET HÆRESES ESSE. Græci codices addunt, ἐν ὑμῖν, *in vobis*, plerique hoc ordine: *Oportet enim & hæreses in vobis esse*; nonnulli verò sic: *Oportet enim & in vobis hæreses esse*: quasi dicat: Vestra Ecclesia non magis exempta est ab hoc malo, quàm aliæ. Quamquam non videntur eam particulam Græci interpretes legisse. Cæterùm ostendit Apostolus hac sententia non esse mirandum, neque rem accidere sibi prorsus inexpectatam, quòd dissensiones sint inter Corinthios. Nam, inquit, oportet & hæreses sive sectas exsistere: sive absolutè sive inter vos; juxta lectionis varietatem.

Hæreses hoc loco quæ dicantur, Græcorum sententia.

Chrysost. Cæterique Græci: quibus assentitur Cajetan. hæreses intelligunt hoc loco, non adversus sanam & Catholicam doctrinam erroneas opiniones: sed dissidia circa mensas, & locum & tempus accumbendi, de quibus superiùs; ut non aliud hîc dicat Apostolus hæreses, quàm quod jam dixerat scissuras seu schismata: quæ exoriri & esse oporteat, propter vitiosas & in malum pronas hominum affectiones: quales multi erant inter Corinthios; ut patet ex *cap. 1. & 3. hujus epist.* Ita dicitur à Domino Matthæi 18. *Necesse est ut veniant scandala.*

Latinorum sententia melior.

Latini verò simpliciter hæreses intelligunt in doctrina: ut sit argumentum secundùm dialecticos à minori: Oportet etiam hæreses suboriri; non igitur incredibile est, dissensiones quæ ad mores & ambitionem pertineant, excitatas esse inter vos. Atque hic intellectus nobis probabilior apparet; tum propter interpositam vocabulam &, id est, etiam, quæ solet diversum aliquid adjungere: tum quia non sine causa vocabulum mutavit Apostolus: ut qui priùs dixerat schismata, nunc diceret hæreses; utique volens non diversum modò, sed & gravius aliquid significare: quando nec vocabulum hæresis in sacris literis usquam ad morum discrepantiam refertur; sed semper ad diversitatem religionis ac doctrinæ.

Hæresis in scriptura semper ad diversitatem doctrinæ refertur.

Neque pro Græcis facit, quod secundùm eorum lectionem addit Apostolus, *in vobis*: cùm hæreses non sint in Ecclesia, sed extra. Nam sicut hæretici latentes ac nondum separati sunt adhuc in Ecclesia, donec inde vel ejiciantur, vel proprio se judicio condemnantes, spontè exeant, secundum illud. 1. Joan. 3. *Ex nobis exierunt*: sic & ipsas hæreses aliquo modo in Ecclesia esse, non est absurdum. Quemadmodum verò propter multorum fidelium imperfectionem oportet esse dissidia de rebus minoribus, ita propter quorumdam malitiam & animosam pertinaciam, oportet esse dissensiones in doctrina fidei.

Hæretici occulti in Ecclesia.

Hæreses quomodo in Ecclesia. Oportet hæreses esse, quo sensu.

Jam quod ex hoc loco quidam faciunt argumentum: Oportet hæreses esse, ergo hæretici non sunt è medio tollendi: nimium futile est: quasi mala quæ impediri non possunt ne eveniant, tollere non liceat postquam evenerint. Qua ratione nec morbi cura medicorum depellendi erunt: quoniam & ipsos propter hominum intemperantiam, & inæquales corporum affectiones, esse necesse est. Cur autem non potiùs sic argumentantur; ut collectionis appareat absurditas: Oportet hæreses esse, ergo hæreses non sunt tollendæ? Hoc enim magis directè consequens videbatur: si id quod necesse est evenire, non sit tollendum.

Non hinc sequitur, hæreticos non esse tollendos.

UT ET QUI PROBATI SUNT MANIFESTI FIANT

IN VOBIS. *Et* abeſt in Græco & Syriaco : multiſque Latinis. Quibus volunt veteres , Tertull. *libro de præſcrip. cap. 4.* Cyprianus *lib. de unit Eccleſ.* & *lib. 3. ad Quir. teſtim. 93.* & Ambroſius *de 42. manſ. manſione 30.* Volunt autem expoſitores Græci particulam *ut* , non cauſam denotare ejus quod præceſſit, ſed eventum conſequentem. Malis enim diſſidia facientibus , manifeſtabantur boni ; ſive pauperes qui patienter ferebant ſe contemni , ſive alii qui morem cœnæ ab Apoſtolo inſtitutum adhuc ſervabant.

Ut an cauſaliter accipiatur.

Verùm rectiùs S. Thomas & Cajetan. cæterique Latini , cauſaliter hanc partem exponunt : non quòd ſignificetur quis ſit finis ipſarum hæreſeon ; ſed in quem finem Deus illas ordinet : non excitando , ſed permittendo ; ut magnum aliquid bonum ex eis eliciat. Etenim , ut ait Auguſt. Enchiridii 27. *melius judicavit* Deus *de malis benefacere , quàm mala nulla eſſe permittere.* Nam dicere quis poterat ; Non ita ſaltem oportet hæreſes eſſe , quin Deus hominum malitiam reprimendo vel corrigendo , poſſet illas impedire. Cur igitur id non facit.

Deus malis bene utitur.

Ad hoc reſpondet hac parte , & ſenſus eſt : hæreſes non impediri , ſed permitti à Deo hanc ob cauſam , ut qui probati ſunt , id eſt , probi , integri ac ſinceri , (id enim ſignificat nomen Græcum δόκιμοι , pro quo Tertull. legit *probabiles* , loco proximè citato & alibi) manifeſti fiant in Eccleſia ; dum ſectis non ſe jungunt , nec ab unitate recedunt , quamvis tentati multorum exemplis ; ſed fidei ſinceritatem cum charitate retinent. Quæ quidem manifeſtatio non ſolum eis honorifica eſt , verum etiam plurimum valet ad confirmandos in fide infirmos.

Probati qui dicantur : & quomodo manifeſti fiant.

Alludit autem Apoſtolus ad probationem auri & argenti per ignem. Unde B. Ambroſius poſt allegata Apoſtoli verba ſubjungit : *Sincerior bonitas è tentationibus prodit : ſicut purius argentum è camino ignis.* Nec malè Tertull. probatos ſeu probabiles interpretatur electos : de præſcript. cap. 39. dicens : *Ut electi manifeſtentur , ut reprobi detegantur.* Nam abſolutè & uſque in finem probati , ſoli ſunt electi. Sciendum eſt , interpretem Syrum particulam *in vobis* : ſive *inter vos* , ad medium reducere : *ut qui probati ſunt inter vos innoteſcant* ; volentem , ut arbitror , eam conſtruere cum dictione *probati.* Quod etſi faciat ſenſum non improbandum , ille tamen videtur præter mentem Apoſtoli , à quo in fine collocata particula non niſi coactè ad priorem dictionem referri poteſt.

20. CONVENIENTIBUS ERGO VOBIS IN UNUM , JAM NON EST DOMINICAM COENAM MANDUCARE. *In unum* , Græcè , ἐπὶ τὸ αὐτὸ , *in idem* ; quod alias , vertere ſolet , *in idipſum.* Et ſenſus eſt , *in eumdem locum* , quomodo tranſtulit Eraſmus. Vocula *jam* in Græco & Syriaco non habetur : concinnè tamen addita ab interprete. *Non eſt* , οὐκ ἔστι , Eraſmus vertit , *non licet* : Atque ita gloſſator interlinealis , Lombardus , S. Thom. & Liranus exponunt : ut ſit ſenſus : Ita agitis ut non liceat Dominicam cœnam celebrare , quemadmodum oporteat. Simili ſenſu vertit Hentenius , *non contingit.* Quamquam id quod noſter interpres ex Græco ſimpliciter expreſſit , percommodum habet ſenſum : Quum convenitis in unum ad celebrandam cœnam Dominicam ; id tamen quod agitis : non eſt edere Dominicam cœnam , ſed longè aliud. Ita Græci , & inter Latinos Hervæus & Cajetanus.

Quod autem quidam ſupplent hoc modo : non eſt ; aut non licet edere ea concordia qua Apoſtoli comederunt : parum aptè ſupplent. Nam Apoſtoli non magna concordia comederunt : quando unus eorum levavit contra Dominum calcaneum ſuum , Joan. 13. & inter alios orta eſt *contentio , quis eorum videretur eſſe major.* Luc. 22.

Porrò quod Apoſtolus hac parte commemorat , id alterum eſt eorum quæ in Corinthiis cœnam agentibus Dominicam reprehendit ; priori tamen conjunctum. Utriuſque verò cauſæ erant divitiæ , luxus , faſtus , intemperantia.

Cœnam Dominicam quam vocet Paulus.

Sed quam Apoſtolus vocet cœnam Dominicam , & quem ordinem ea habuerit ad celebrationem myſteriorum , quæ paulò pòſt ab eo traduntur ; explicandum nobis eſt. Sunt enim ea de re variæ ſententiæ. Quidam cœnam Dominicam intellexerunt ipſum epulum ſacrum , in quo ſumuntur corpus & ſanguis Domini. Quæ quidem Auguſtini ſententia eſt in *epiſt. 118. ad Januar. cap. 5.* ubi affirmat Apoſtolum *ipſam acceptionem Euchariſtiæ Dominicam cœnam* vocaſſe. Quod & ſentiunt commentator Ambroſ. Pelagius , Gloſſator , Lombardus , Hervæus , S. Thomas , Rickelius , & inter Græcos Theodoritus & Oecumenius : quorum verba ſunt , *Dominicam cœnam vocat* Apoſtolus , *Dominicum ſacramentum.* Huic intellectui favere videtur Apoſtolus , in eo quod traditionem Dominicam paulò pòſt , repetens , dicit , *Ego enim accepi à Domino , quod & tradidi vobis.* &c ubi non aliam cœnam , præter eam in qua corpus & ſanguis Domini ſumebantur , commemorat.

Quorumdã opinio.

Refellitur aliquot argumentis.

Verumtamen iſtorum ſententia probari non poteſt ita nudè accepta. Nam in communione ſacræ Euchariſtiæ , nullo modo credibile eſt ea contigiſſe , quæ hîc à Paulo referuntur : ut quiſque ſuam cœnam , id eſt , Euchariſtiam , præoccuparet , & alius quidem eſuriret , alius autem ebrius eſſet. Neque enim illa menſa myſtica ad hoc proponitur , aut aliquando propoſita fuit , ut venter ſatiaretur : ſed tantum ut mens reficeretur. Neque verò poterant ex ea menſa aliqui ita ingurgitari , ut ebrii dicerentur , ne ſenſu quidem inferiùs explicando : quandoquidem à miniſtris Eccleſiæ ſeu Preſbyteris ſeu Diaconis , quorum erat diſtribuere fidelibus corpus & ſanguinem Domini , non pleni calices ſæpius epotandi , ſed certa ac determinata ſacri liquoris portio ſemel ſumenda , ſingulis dabatur : ſicut & inter Chriſti diſcipulos factum fuit in ultima cœna.

Sed nec in hujus celebratione myſterii locum habere poterat reprehenſio Pauli , quæ eſt *in fine capitis* , quod alii alios non expectarent : niſi culpa conjiceretur in ipſos miniſtros , in quorum poteſtate erat non priùs incohare ſacram actionem , quàm omnes conveniſſent. His accedit quod ſola panis & vini ſumptio non poterat eſſe cœna qualis à Corinthiis habita deſcribitur : id eſt , in qua alii lautè ac ſplendidè , alii tenuiter ac malignè tractarentur. Nec verò ſuffragatur dictis authoribus Pauli narratio dicentis : *Ego enim accepi à Domino* , &c. Non enim illic cœnæ Dominicæ hiſtoriam repetit ; quod non erat neceſſe : ſed myſteriorum , occaſione cœnæ à Corinthiis indignè tractatorum , ſacram inſtitutionem exponit. Quod ad rem faciebat quàm maximè , quemadmobum pleniùs infrà declarabitur.

Aliorum ſententia verior.

Igitur aliorum ſententia eſt , cœnam Dominicam ab Apoſtolo vocari convivium commune fidelium , in quo omnes tam pauperes quàm divites reficiebantur ; videlicet inſtitutum ac ſolemni more celebrari ſolitum , ad exemplum & quamdam repræſentationem illius cœnæ quam Chriſtus Dominus ultimam habuit cum ſuis diſcipulis , priuſquam corporis & ſanguinis ſui myſterium inſtitueret. Hanc enim inſtitutionem , & proinde etiam ipſius Euchariſtiæ ſumptionem , non comprehendi in illa cœna , ſed ea poſteriorem fuiſſe ; ſatis apertè ſignificat Lucas evangelii ſui *cap. 22.* & Paulus *hoc loco* , cùm dicunt Dominum calicem diſcipulis porrexiſſe *poſtquam cœnavit* : pro quo in canone liturgico abſolutè dicitur , *poſtquam cœnatum eſt.* Quod idem de pane intelligendum. Non enim diviſum fuit hoc myſterium , ut una pars inſtitueretur ac ſumeretur in cœna ;

Cœna Domini præceſſit inſtitutionem Euchariſtiæ.

pars altera post cœnam: sed actione continuata; post cœnam utraque pars, id est, totum sacramentum institutum fuit.

Hoc ferè modo de cœna Dominica loquuntur Chrysost. & Theophyl. *in comment.* ac rursum Chrysost. in homilia peculiari super verbis Apostoli, *Oportet & hæreses esse.* & inter Latinos Primasius & Sedulius: itemque recentiores Cajetanus, Gaignæus, Hosmeisterus & alii: quibus annumero Galenum nostrum *catechesi* 124. Quamvis illorum nonnulli videantur nomine cœnæ Dominicæ non solùm illud quod dixi, convivium accipere; sed una comprehendere ipsius Eucharistiæ communionem, quæ sub idem tempus fiebat: quemadmodum & factum in cœna Domini cum discipulis. Unde & interdum ita loquimur, ut vocabulum cœnæ Domini extendamus ad totum illud tempus, quo Christus cum discipulis etiam cæna finita, recubuit. Ita vulgo dicimus, eum in ultima cœna corporis & sanguinis sui sacramentum instituisse, & longum sermonem ad discipulos habuisse.

Largior acceptio cœnæ Dominicæ apud nonnullos.

Nobis tamen verisimilius est, solum illud convivium fidelium, ut erat ab Eucharistiæ participatione diversum, Apostolo dici cœnam Dominicam. Quod & Tertullianus non obscurè significat *in Apolog. & aliis locis à Pamelio observatis annot. super Apologet.* 517. Vocabatur autem cœna Dominica, quod, ut dictum est, fieret ad repræsentandam cœnam Domini novissimam, in qua agnum typicum cum discipulis comedit: videlicet nomine rei significatæ ad signum translato. Chrysost. quidem & sequaces ejus Theophyl. & Oecumenius cœnam interpretantur prandium: quod idcircò cœnam vocavit Apostolus, quia cœnam Domini repræsentabat. Sed hujus expositionis nulla necessitas. Nam ad repræsentandam illam Domini cœnam, etiam ad vesperam celebrabatur à fidelibus hoc convivium; idque præmisso jejunio: quemadmodum colligitur ex eo quod dicitur in fine capitis, *Si quis esurit, domi manducet.* Jejunium autem ad vesperam protendebatur.

Cœna Dominica unde dicta.

Non rectè prandium vocatur.

Vestigium cœnæ Dominicæ apud quos hodie.

Ejusdem rei quoddam adhuc vestigium usque hodie cernitur apud monachos & canonicos, cœnam Dominicam agentes ipsa feria quinta cœnæ Domini nuncupata, non utique tempore prandii, sed sub vesperam. Quoniam verò ad alendam inter fideles charitatem mutuam, præsertim inter divites & pauperes, ejusmodi convivia ab initio plurimum conferre visa sunt; propterea Græco vocabulo ἀγάπαι, id est, charitates, appellabantur; velut quædam fraternæ dilectionis symbola: de quibus apud priscos authores frequens est mentio: & exstat insignis locus apud Tertull. *in Apolog. cap. 39.* ubi formam ac modum talium conviviorum describit, tametsi nomen hoc agaparum paulatim latius extensum fuit, ut etiam de aliis quibusdam solemnibus ac publicis Christianorum conviviis diceretur. Qua de re Baron. *in suis Annal.* multa diligenter collegit, *ad an. Dom.* 57.

Agapæ quæ convivia dicta.

Quod verò Primasius & ex eo Sedulius, morem illum celebrandi convivii, de quo loquitur Apostolus, referunt ad gentilem superstitionem, prorsus est improbabile. Neque enim, si ita esset, correxisset Apostolus eum morem apud Corinthios, neque vocabulo cœnæ Dominicæ honorasset: sed tamquam gentilitatis reliquias omnino sustulisset.

Ordo cœnæ Dominicæ cum oblatione mystica.

Jam quod ad ordinem attinet hujus convivii cum oblatione mystica; primum audiendi non sunt, qui medio convivio putant admisceri solitam oblationem & communionem mysteriorum: quod sectarii quidam volunt. Hoc enim est sacra cum profanis confundere.

Græcorum sententia.

Porrò Chrysostomi sententia est, tam oblationem quàm perceptionem Eucharistiæ fuisse convivio priorem. Idem sentiunt reliqui Græci, & ex Latinis Pelagius: fortè quod absurdum, & ab Ecclesiæ more alienum videretur, post epulas accedere ad participationem horrendorum, ut ea Chrysost. identidem appellat, mysteriorum.

Aliorum sententia probabilior, quæ & rationibus probatur.

Sed tamen longè probabilius est id quod August. insinuat *in epist. ad Januar. ante citata:* morem fuisse ut priùs haberetur convivium illud commune; post-eà fieret oblatio & participatio sacræ Eucharistiæ. Quamvis enim opinetur Augustinus Corinthios per abusum mensis suis sacra miscuisse: tamen, ut certo anni tempore post alios cibos Eucharistia sumeretur à fidelibus, eum morem ad rationabilia majorum refert instituta.

Quod autem hoc ordine res acta fuerit in cœtibus primitivorum fidelium, imprimis ea ratio suadet, quod ut dictum est, illa cœna quam Paulus vocat Dominicam, repræsentatio fuerit cœnæ Domini cum Apostolis, & inde nomen acceperit: unde consentaneum est, ut insignior esset commemoratio (quomodo loquitur ibidem Augustinus) celebratam fuisse eodem ordine quo Christus suam cum discipulis cœnam celebravit. Quem profectò constat priùs cænasse cum discipulis: ac deinde corporis & sanguinis sui sacramenta eis tradidisse. Prætereà dicit Apostolus aliquos præsumere cœnam, aliis non expectatis. Quod utique non fieret, si (quod Græci volunt) omnes jam antè congregati Eucharistiam accepissent.

Ex quo satis intelligitur, convivium illud haberi solitum in principio, velut primum actum illius conventus fidelium, de quo hîc agitur. Idem planè ex iis apparet, quæ mox subjiciuntur de indigna sumptione corporis & sanguinis Domini; deque probatione ante sumptionem necessaria. Nam hæc locum non haberent, si convivium & quæ in eo peccata erant, facta fuissent post sumptam Eucharistiam. Neque enim judicatur quis indignè sumpsisse, propter peccata posteà commissa.

Quo die mysteria aliquàndo sumpta à non jejunis.

Denique sententiam hanc confirmat ea consuetudo quæ ad usque Augustini tempora in multis Ecclesiis observata fuit, ut in anniversario die cœnæ Domini, mysteria à non jejunis sumerentur: videlicet ad imitationem & commemorationem ejus quod in illa cœna factum fuerat. Meminit illius consuetudinis Concilium Carthaginense tertium *Canone* 29. Cui concilio B. Augustinum interfuisse prodit ipsius epistola 235. Canon. autem sic habet: *Ut sacramenta altaris non nisi jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur.* Sentiunt cum Augustino quoad ordinem memoratum, commentatores hujus loci Pelagius, Primasius Sedulius, Haimo, Hervæus, Aquinas, Liranus, Cajetanus, atque alii Latini: tametsi eorum nonnulli, nominatim Petrus Lombardus, etiam alterius ordinis ac sensus meminerint.

Universalis consuetudo, ut Eucharistia sumatur à jejunis.

Cæterùm mos ille sumendæ Eucharistiæ post cœnam cibumve communem, excepta feria quinta cœnæ Domini, postmodum justa ratione mutatus est ab ipsis, ut credibile est, Apostolis. *Hoc enim placuit Spiritui sancto* (verba sunt Augustini in eadem epist. cap. 6. *ut in honorem tanti sacramenti, in eos Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideò per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus; propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent. Namque Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem; ultimum hoc voluit arctius insigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideò non præcepit quo deinceps ordine sumeretur: ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum.* Sic ille.

Cur Christus eam dederit post cœnam.

Nunc ad textus expositionem redeamus. Vestra convivia, inquit Apostolus, ad quæ celebranda ex more

more convenitis, ut quidem aguntur à vobis, haudquaquam repræsentant cœnam Dominicam : & proinde eo nomine sunt indigna. Dominus enim unà cum suis discipulis in eadem mensa accubuit, & iisdem cibis usus est; quamvis ipse Dominus, illi servi essent : nec ipsum proditorem suum à communi mensa repulit. Vos autem privatas vobis mensas facitis, & inæquale convivium; qui fratres vestros & conservos, eò quòd pauperes sint, à mensis & epulis vestris excluditis, secundum id quod sequitur.

Judas proditor admissus ad sumendum corpus Domini.

21. UNUSQUISQUE ENIM SUAM COENAM PRÆSUMIT AD MANDUCANDUM. *Suam*, Græcè, *propriam*; ut appareat antithesis inter cœnam istorum & cœnam Dominicam, quæ debebat esse communis. Argumentatur enim ab oppositis. *Ad manducandum*, Græcè ἐν τῷ φαγεῖν, *in manducando*, sive *edendo*, quemadmodum & legitur apud commentatorem Ambr. id est, dum edit hoc quod vocatis cœnam Dominicam. Plerique vestrûm, inquit, pro eo quod cœnam Dominicam edere deberent, suam quique cœnam occupant: dum videlicet edulia domi præparata, atque in Ecclesiam allata, quæ debebant in commune conferre, sibi solis vendicant, aliis exclusis, aut non expectatis. Hoc enim est προλαμβάνειν præsumere, antè seu priùs sumere, quod vocant anticipare. Quidam sic ; Antè comedit quàm veniat in Ecclesiam : Sed obstat quod sequitur; *Numquid domos non habetis ad manducandum*, &c.

Quid præsumere.

Ex hac scriptura missas privatas, ut vocantur, id est, eas in quibus solus communicat sacerdos, calumniantur hæretici; quasi in iis id fiat à sacerdote quod hic reprehendit Apostolus in Corinthiis: qui Corinthii, ut Chrys. atque ex eo Theophyl. & Oecumenius annotant *hoc loco*, cœnam Dominicam quæ communis esse debuit, privatam fecerunt. Sed facilis est responsio; primùm, quia, sicut jam ostendimus, non de mensa mystica loquitur Apostolus, sed de convivio, quod vel post, uti vult Chrysostomus, vel secundum alios, ante perceptionem mysteriorum celebrari solet in gratiam pauperum: idque ad imitationem quamdam cœnæ Domini cum discipulis. *Deinde*, quia Paulus cœnam propriam seu privatam intelligit & damnat, à qua excluduntur alii, non eam ad quam non coguntur. At missæ catholicorum privatæ non excludunt alios communicare volentes. Imò verò optat Ecclesia, ut qui missas audiunt, etiam communicent; teste concilio Tridentino, *Sess.* 22. *cap.* 6. Quare reprehendi non potest sacerdos, velut propriam sibi mensam statuens, si nemo alius velit accedere.

Obs. contra Sectarios, Missas privatas nequaquam huic loco contrarias esse.

Quam Paulus cœnam propriam vocet.

ET ALIUS QUIDEM ESURIT, ALIUS AUTEM EBRIUS EST. Esuriebant pauperes quòd nihil attulissent, & à divitibus negligerentur : illis interim lautè epulantibus, & tam cibo quàm potu replentibus sese supra modum. Quod enim de potu dicitur, id similiter de cibis intellige. Non est necesse ebrietatem hic ita propriè & strictè capi, quæ rationis usum tollat: siquidem & citra deliquium rationis ebrii dicuntur homines, tam vulgo quàm more scripturæ sacræ, si præ nimio potu mens eis obnubilari cœperit. De ea re vide quæ diximus suprà ad illud capitis 5. *aut ebrius*. Dupliciter ergo peccabatur à divitibus in illa cœna ; & quod ipsi gulæ plus satis indulgerent; & quod pauperibus quibus esse debebat cœna communis, nihil aut parum impertirent.

Ebrietas quæ hic intelligatur.

Duplex peccatum divitum.

22. NUMQUID DOMOS NON HABETIS AD MANDUCANDUM ET BIBENDUM? *Numquid*, Græcè μὴ γὰρ, *numquid enim*, *num sanè domos*, &c. Sensus: Si cœnam non vultis facere communem, sed privatam; cur non in suis quisque privatis ædibus comeditis & bibetis? Illic enim locus est privatæ refectionis. Stapulensis ita vertit hanc partem: *Numquid enim domos habetis ad edendum & bibendum* ? sublata videlicet negandi particula quam dicit intelligendam pro responsione;

Interpretatio Stapulensis improbatur.

ac si dicat Apostolus: Ad celebrandam cœnam Domini & spirituale illud convivium, privatæ domus vestræ non sunt institutæ, sed locus publicus & sacer. Verùm hæc interpretatio vim facit textui, negationem è suo loco tollens, & alió transferens: quum alioqui verba, ut ab Apostolo scripta, sensum efficiant planum & perspicuum, quem dedimus.

AUT ECCLESIAM DEI CONTEMNITIS? *Aut* Græcè ἢ, quod æquè verti potest *an*, ut factum ab Erasmo, & aliis quibusdam : item ab interprete nostro capite præcedenti : *An æmulamur Dominum* ? Ecclesiæ nomine Græci locum intelligunt, id est, domum materialem ad quam fideles divina celebraturi conveniebant: ut hæc Apostoli increpatio sit similis cum illa Salvatoris, *Domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam domum negotiationis*, & *speluncam latronum*. Joan. 2. & Luc. 19. Sic & Augustinus accepit in *quæst.* 57. *super Levit.* Atque eum intellectum adjuvare videtur antithesis quam facit Apostolus inter domos singulorum, & Ecclesiam Dei.

Ecclesiæ nomē anceps.

Verumtamen alii juxta perpetuum ferè morem scripturæ, de ipsa fidelium congregatione dictum accipiunt, hoc sensu: An sacrum illum cœtum Christianorum, qui vocatur ecclesia Dei, quia convocata à Deo, despicitis, ac vilem habetis ? per hoc nimirum, quia vacatis in eo commessationi & ebrietati. Nam ea res conventum illum non mediocriter dehonestabat. Sunt qui referant ad contemptum pauperum, qui erant bona pars ecclesiæ: ut de quibus admodum honorificè loquitur Apostolus Jacobus *epist. suæ cap.* 2. Verùm sensus proximè datus liberalior est, & conveniens cum superiore vers. 18 Dicit autem Paulus non ecclesiam simpliciter, sed *ecclesiam Dei* : ut ostendat factum illorum in ipsius Dei injuriam & contumeliam cedere, sub cujus nomine conventus habebatur. Nunc sequitur de pauperum injuria.

Ecclesia unde dicta.

ET CONFUNDITIS EOS QUI NON HABENT? *Confunditis*, καταισχύνετε, *pudefacitis*. Eos, inquit, qui nihil attulerunt, eò quòd non habeant quod conferant, pudore & probro afficitis coram tota ecclesia : dum vobis epulantibus coguntur esurire. Hoc enim erat pudorem illis ingerere, & inopiam quodammodo exprobrare.

QUID DICAM VOBIS? LAUDO VOS? IN HOC NON LAUDO. Græca sic habent: *Quid vobis dixero : Laudabo vos?* &c. Syra similiter. Est autem varia distinctio tam in Græcis quàm in Latinis codicibus. Una à nobis posita juxta Romanam editionem, annuente textu Syriaco quasi dicat Apostolus: etsi in aliis laudare vos possim, & jam antè laudaverim : tamen in hoc facto laudare non possum. Altera ; *Laudo vos in hoc? non laudo.* Sed parum refert utram sequamur distinctionem; cùm sensus utriusque eodem recidat. Respicit autem ad id quod præfatus fuerat initio capitis: *Laudo vos quod per omnia*, &c. Dixi, inquit, me vos laudare, quod per omnia mei sitis memores, & sicut tradidi vobis præcepta mea teneatis. Verùm in eo nunc cogor exceptionem facere. Nam in cœna Dominica & celebratione mysteriorum traditionem meam malè servatis, ideoque hac in re non laude, sed reprehensione digni estis.

Varia distinctio hujus loci.

23. EGO ENIM ACCEPI A DOMINO, QUOD ET TRADIDI VOBIS. *Tradidi;* non diversum aliquid, sed hoc ipsum quod à Domino accepi. Repetit scripto doctrinam, quam verbo tradiderat de institutione sacræ Eucharistiæ. Quod utique non feciisset, si contra eam traditionem à Corinthiis non fuisset peccatum. Ex quo manifestum est, Apostolis non fuisse propositum, ut omnia ad fidem Christianam pertinentia scripto mandarent: sed ea sola ab illis scripta fuisse, quæ pro rerum occasione scribenda occurrebant. Cætera remansisse in traditionibus non scriptis.

Obs. contra Sectarios, non omnia ad fidem pertinentia scripto mãdata.

Verumtamen certo Dei consilio factum esse, ut

mysterium hoc Eucharistiæ etiam scripto traditum haberemus, non est ambigendum. Quod quidem adeò postulare videbatur mysterii magnitudo, ut non ab uno, sed à pluribus scriptum exstaret. Etenim ut non satis fuit Spiritui sancto, testimonium illud Patris de Christo, *Hic est Filius meus dilectus*, &c. à tribus Evangelistis scriptum esse; sed etiam à Petro scribi voluit, tamquam quarto Evangelista, videlicet propter excellentiam mysterii: ita nec satis ei fuit, à tribus Evangelistis commemorari institutionem sacrosanctæ Eucharistiæ; sed etiam à Paulo velut quarto Evangelista, voluit eam describi; quo magis tanti sacramenti fides & veneratio fidelibus esset commendata. Nec verò putavit Joannes sibi faciendum ut scriberet, quod jam à quatuor Evangelistis (Paulum dico quartum) ut pote perfecto scribarum numero, factum intelligebat.

Eucharistiæ mysterium quomodo descriptum à quatuor Evangelistis.

Sed jam *quæres*, quomodo hæc Pauli narratio cohæreat cum præcedentibus: aut quid omninò Paulum moverit ad istius mysterii à Domino instituti descriptionem hoc in loco inserendam: quum in superioribus nihil de Eucharistia dictum sit: sed tantùm de eo reprehensi Corinthii, quod cœnæ Dominicæ, quam ab Eucharistiæ perceptione diversam fuisse monstravimus, formam pervertissent.

Narrationis Pauli connexio cum præcedentibus quæ secundùm Græcos.

Græci interpretes omnes hanc adferunt rationem: ut exemplo Christi, qui omnes discipulos eadem mensa, iisdem mysteriis dignatus fuit, ne quidem ipso traditore suo remoto; doceat Corinthios, quemadmodum & ipsi Dominicam cœnam facere debeant omnibus fratribus communem.

Alia ratio melior.

Verùm certè, ex ipso Paulo longè alia commemoratæ hujus institutionis ratio colligitur. Etenim Corinthii cœnam Dominicam ita agebant, ut contra dignitatem ac reverentiam sacrorum mysteriorum, quorum celebratio cœnam illam continuò sequebatur, gravissimè peccarent: ut qui ad ea participanda prorsus indigni venirent, postepulas, crapulam & ebrietatem, postque pauperum injuriam, & contemptum Ecclesiæ Dei. Id ostendere volens Apostolus, & tam grande peccatum corrigere, commemorat institutionem sacramenti; ex qua nimirum intelligatur mysteriorum magnitudo, simul & peccati gravitas eorum à quibus illa tam indignè tractata fuissent.

Hunc Apostoli scopum manifestè probant ea verba quæ narrationem proximè sequuntur: & quibus illam suo applicat instituto; monens quid inter mysteria agere, & qualiter præparati ad ea sumenda accedere fideles debeant, atque terrorem incutiens eis qui malè & indignè sumere non vererentur.

Est igitur verborum Apostoli consequentia talis; Factum vestrum, ô Corinthii, non laudem meretur, sed severam castigationem. Nam in illa mysteria dudum vobis à me tradita vehementer delinquitis. Quod ut intelligatis (videmini enim obliti traditionis) repetam hoc loco ipsam sacramenti institutionem. Ego enim, inquit, accepi, id est, edoctus sum à Christo Domino. Accepisse se dicit à Domino, non per Apostolos qui cum Domino in carne conversati fuerant, aut per eorum discipulos, ut vult Theodorus Beza: qui etiam probabile putat Paulum ex Evangelio Lucæ totum hunc locum desumpsisse; quum nec illud doceri possit, Lucam scripsisse ante Paulum. Ac isto sanè modo etiam Corinthii à Domino acceperant. Imò sic etiam nos à Domino accepimus, utique per Apostolica scripta & Apostolicas traditiones. Sed à Domino sentit accepisse se immediatè, scilicet per revelationem, quomodo dicit ad Gal. 1. de suo Evangelio: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per revelationem Jesu-Christi.* Libenter hoc commemorat Paulus, ut doctrinæ suæ dignitatem & authoritatem constabiliat adversus æmulos suos & contemptores.

Quomodo Paulus acceperit à Domino Eucharistiæ institutionem.

QUONIAM DOMINUS JESUS IN QUA NOCTE TRADEBATUR, ACCEPIT PANEM. Hoc, inquit, accepi & tradidi; Dominum Jesum eadem nocte; qua paulò post traditus fuit à discipulo proditore in manus Judæorum, finita cum suis discipulis cœna legali, accepisse panem in manus. Meminit Apostolus proditionis Christi; tum ut ejus charitatem commendet, qui in proxima expectatione tantæ injuriæ, quam ab hominibus accepturus erat, symbola summi amoris hominibus tradiderit: tum ut indicet quanti faciendum sit hoc mysterium, quod Christus ad passionem & mortem iturus, in sui memoriam nobis extremum reliquit.

Cur meminerit Paulus traditionis Christi.

Panis quem accepit azymus erat. Quod enim hîc narratur, id factum fuisse prima die azymorum ad vesperam, tres Evangelistæ, Matthæus *cap.* 26. Marcus *cap.* 14. & Lucas *cap.* 22. concorditer affirmant. Atqui illo tempore fermentatum aliquid in domibus Judæorum ne reperiretur, graviter interdictum erat. *Exod.* 12. *v.* 15. *&* 19. Sed neque Christus quamvis legi non obnoxius, aliter omninò, quàm juxta ritum lege præscriptum pascha cum discipulis comedisse putandus est: ut qui legis paternæ per Moysen datæ, per omnem vitam observantissimus fuerit: quod inter alios testatur Chrys. *hom.* 82. *in Matth.* de hac ipsa re differens, de qua nunc agimus.

Christus consecravit in azymo pane.

Christus paternæ legis observantissimus.

Quocirca malignè Græci schismatici Latinos, id est Ecclesiam Romanam criminantur, quod in azymo pane sacramentum corporis Domini conficiant; non ut ipsi, in fermentato: stultè & contra sensum totius antiquitatis, contendentes Christum in fermentato cœnam agni Paschalis celebrasse, aut certè sacramentum hoc instituisse. Quorum argumenta quæ pro suo fermentato adducunt refellere non est hujus loci. Responderunt ad ea rectè & copiosè catholici scriptores, non solùm Latini; verùm etiam ex Græcis nonnulli: inter quos Gennadius Scholarius Patriarcha Constantinop. in *defens. Synodi Florent. cap.* 2.

Græci schismatici Latinos de azymo criminantur.

Tantum illud adjicio; præcipuum Græcorum argumentum, quod petere solent ex illis verbis, Joan. 18. *Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, dilucidè jam olim solutum esse ab ipsorum præcipuo doctore Joanne Chrysost. scribente super *Matth. homil.* 85. Tractans enim illa verba cap. 26. *At illi tenentes Jesum duxerunt ad Caïpham principem sacerdotum, ubi scribæ & seniores convenerant:* dicit eos apud Caïpham *pernoctasse vigilantes; adeò ut Pascha ea nocte comedere neglexerint.* Ad quod probandum interpositis ex Joanne verbis memoratis, ita prosequitur: *Unde liquidò patet, cupiditate interficiendi Christum prævaricatos fuisse, ac alia die Pascha comedisse. Non enim Christus tempus Paschæ transgressus est: sed illi audacissimi homines: & mille transgredientes legis præcepta, quia sic inflammati erant, & sæpè conati ipsum capere, nihil facere potuerant; ex insperato nacti quod cupiebant, tempus Paschæ transposuerunt, ut ardentes cæde animos suos explerent.*

Præcipuum Græcorum argumentū à Chrysostomo solutum.

Pontifices Judæorum Pascha non suo tempore celebrarunt.

Hæc ille, manifestè significans Christum Pascha celebrasse legitimo tempore, quo nimirum & reliquus populus: Pontifices autem ne oblatam à proditore Christi perdendi occasionem amitterent, noctem illam qua Pascha celebrandum erat, transegisse consiliis adversus Christum agitandis, & testibus conquirendis ac subornandis: Pascha verò suum transtulisse in vesperam sequentem. Ita videlicet ipsi secum dispensabant (ut sic loquamur) in lege divina: quod illis non erat infrequens. Hoc enim & Christus objecerat Joan. 7. *Nonne Moyses dedit vobis legem? & nemo ex vobis facit legem*, utique loquens de lege cæremoniali: quam veluti regulam Lesbiam suis illis interpretationibus inflectebant ad affectus & commoditates privatas. Chrysostomi sententiam

Theophyl. itidem Græcus, etſi Latinis iniquior, in ſuo *comment. ſuper Matth.* per omnia ſecutus eſt: eamdemque diſertè explicat Gennadius ſupradictus. Sunt qui ad hoc argumentum Græcorum aliter reſpondeant, neque id uno modo. Verùm nobis id quod ex Chryſoſtomo attulimus, maximè promptum & probile videtur.

24. ET GRATIAS AGENS FREGIT. *Gratias agens*, in in Græco aoriſtus eſt εὐχαριστήσας, præteriti ſignificationem habens. Ordinem temporis exprimunt qui ita vertunt: *Et gratiis actis*, vel, *cum gratias egiſſet*, *fregit*. Significatur enim gratiarum actio præceſſiſſe panis fractionem, nec non verborum, quæ ſtatim recitantur, prolationem. Gratias egit, haud dubium, Deo Patri: quod apertè canon miſſæ declarat verbis ad utriuſque ſymboli conſecrationem præviis. Ubi & hoc legitur: id eum feciſſe *elevatis oculis in cœlum*: quod & aliàs facere ſolet, magnum aliquod miraculum agreſſurus, ut panes multiplicaturus, *Matth.* 14. & Lazarum à morte ſuſcitaturus, *Joan.* 11. Quamquam ſatis veriſimile eſt id illi perpetuum fuiſſe, ut vel gratias agens Patri, vel orans, oculos in cœlum tolleret.

Chriſtus elevans oculos in cœlum.

Egit autem gratias Patri, tum generatim pro beneficiis ab eo vel in ſua perſona acceptis, vel in humanum genus collatis: tum ſpeciatim pro beneficio ſacramenti mox inſtituendi. Quod beneficium etſi nondum reipſa præſtitum eſſet; præordinatum tamen ſciebat & promiſſum à Patre, moxque exhibendum: qua ratione materies erat gratiarum actionis. Ac nihilominus conjunctam habuit hæc gratiarum actio precationem, qua dicti beneficij exhibitionem, id eſt, panis in ſuum corpus tranſmutationem idem Dominus à Deo Patre patebat. Quam bonam ſuper pane precationem, Evangeliſtæ benedictionem vocant; in eo quod dicunt Chriſtum benedixiſſe. Qua de re ſatis egimus ad illud capitis ſuperioris: *Calix benedictionis cui benedicimus*, &c.

Chriſtus agens gratias Patri & pro quibus beneficiis.

Quid Chriſti benedictio ſuper pane.

Ab hac porrò gratiarum actione ſacramentum, cujus hic inſtitutio refertur, *Euchariſtia* vocata eſt: ut ipſo nomine nos etiam ad agendas Deo gratias excitaremur. Hoc enim admonet illa vox ſacerdotis auſpicaturi myſteria, *Gratias agamus Domino Deo noſtro.* In quibus verbis imitatio quædam εὐχαριστίας, id eſt, gratiarum actionis, quam Chriſtus fecit incipiens hoc myſterium: quemadmodum & illis verbis canonis: *Quam oblationem tu Deus*, &c: imitatio eſt εὐλογίας, id eſt, benedictionis ſimiliter à Chriſto factæ. De fractione, cujus hîc mentio eſt, illud quæri poteſt utrum præceſſerit conſecrationem panis, quem fregiſſe dicitur Dominus, an ſecuta fuerit. Sed eam rem explicandi locus erit infrà, ad illa verba: *Quod pro vobis tradetur.*

Unde ſacramentum hoc dictum Euchariſtia.

ET DIXIT. ACCIPITE ET MANDUCATE. *Dixit*, utique diſcipulis ſuis duodecim: quos omnes & ſolos habebat illius epuli convivas. *Dixit*, inquam, *Accipite & comedite.* Quod in Græco ſine copula legitur. λάβετε, φάγετε: quemadmodum & apud Matthæum & Marcum. Sunt autem verba non tam præcipientis, quàm invitantis: tametſi hæc Domini invitatio vim præceptionis in ſe continebat, apud eos ad quos dicta ſunt verba.

HOC EST CORPUS MEUM. Græcè quidem alio ordine: τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, *Hoc meum eſt corpus*, ſed abſque variatione ſenſus. Et ſi qua Græca exemplaria non exprimunt verbum ſubſtantivum (Sunt enim obſervata quædam hujuſmodi;) neque ſic tamen aliquid de ſenſu deperit; haud magis quàm in verbis calicis conſecratoriis apud Lucam, ubi ſimiliter non eſt expreſſum. Nam familiare eſt Hebræis & Syris verbum ſubſtantivum in enunciatione ſubjicere & intelligere: ut veriſimile ſit Chriſtum Hebraicè aut Syriacè loquentem non addidiſſe: ſenſu nihilominus conſtante. Quem ut percipiamus, ſciendum eſt Chriſti Domini verba non ſimpliciter ac nude enuntiativa eſſe, ſed operatoria; quibus nimirum id quod ſignificabat effecit. Non enim per ea Chriſtus intendit affirmare, panem quem manibus tenebat, eſſe corpus ſuum, quæ affirmatio (niſi quis hypoſtaticam hic fingat unionem panis & corporis Chriſti, prorſus abſurdam & prioribus ſæculis inauditam) manifeſtè falſa foret: ſed intendit ac voluit his verbis aliquid operari, id eſt, ex pane corpus ſuum efficere, & hoc ipſum iiſdem verbis ſignificare. Unde & Ambroſ. *lib.* 4. *de ſacram. cap.* 4. ſermonem hunc Chriſti vocat operatorium; ſicut operatorius fuit ſermo quo in principio fecit omnia.

Verbum eſt an à Chriſto expreſſum in conſecratione.

Verba Chriſti operatoria.

Unio hypoſtatica panis & corporis Chriſti figmentum eſt

Et quidem potuiſſet Dominus ad efficiendum quod hîc ſignificatur, uti verbo imperativi modi, dicendo, ſit aut fiat hoc corpus meum: quomodo, dixiſſe legitur in Geneſi mundi, *Fiat lux*; & quomodo dixit operans in carne miracula, *Mundare*, *Surge*, *Reſpice*, Luc. 5. 7. 8. & 18. *Lazare veni foras.* Joan. 11. Verùm ad confirmandam fidem eorum qui ſumpturi eſſent hoc ſacramentum, affirmativo ſermone, eoque præſentis temporis uti maluit: ut ne quis dubitaret ſimul cum verbo prolato illud eſſe; quod veritas Chriſtus enunciando affirmaret. Nam & aliàs interdum, miracula faciens legitur ad hunc modum locutus: ut quando dixit, *Filius tuus vivit*, Joan. 4. *Mulier dimiſſa es ab infirmitate tua*, Luc 13. Quibus utique verbis Dominus id quod enuntiabat, operabatur.

Cur Chriſtus in conſecratione non uſus verbo imperandi.

Sed & nos, ſi poteſtatem haberemus tranſmutandi rerum naturas, ſimili modo poſſemus convenienter loqui: vel accepto lapide dicere, hic eſt panis; & accepta aqua, hoc eſt vinum. Itaque non major eſt difficultas de intellectu verborum Chriſti; quam eſſet de intellectu ſimilium verborum à nobis prolatorum. Cùm enim, ut dictum eſt, operatoria fuerint ea Chriſti verba, & idipſum quod operabantur ſignificantia, (id autem erat tranſmutatio panis in corpus Chriſti:) non poterat pronomen (*hoc*) monſtrare panem, quamvis ipſa probatione durante adhuc ibi exiſtentem; ſed monſtrabat id quod per verba fiebat ex pane, quandoque completa verborum ſignificatione, ſcilicet in termino prolationis, ibi futurum erat, id eſt, corpus Chriſti; ut ſenſus loquentis hoc modo reddi poſſit; Id quod ex hoc pane facere intendo, & facio, eſt corpus meum. Vel, quod eodem redit, iſto modo: Hæc res ſingularis quam demonſtro (nimirum pro tempore completæ enunciationis) eſt meum corpus. Nam demonſtratio eſt rei ſingularis. Fit autem verificatio pro ea re cui competit prædicatum: non quidem durante pronunciatione, quando ſermo eſt operatorius, ſed ea completa: quod omnibus orationibus operatoriis eſt commune. Et hic ſenſus per priorem explicatur.

Pronomen hoc in verbis Chriſti quid monſtret.

Ex his etiam liquet, verbum *eſt* in hac enunciatione & quavis ſimili retinere propriam & conſuetam ſignificationem: ſicut & in verbis quibus calix conſecratur. Nam ſic exponere, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, hoc ſignificat corpus meum, hæreticorum eſt commentum jam olim ab Eccleſia damnatum. Neque enim verbum *eſt* uſquam accipitur, ut idem valeat quod ſignificat: quemadmodum oſtendimus ſuprà ad illud, capitis 10. *Petra autem erat Chriſtus.* Et ſi ſic aliquando caperetur, tranſlativum eſſet verbum: & proinde caſum obliquum regere deberet; veluti quum ſumitur pro comedit, ut apud poëtam: *Eſt flamma medullas*: ita pro verbis, *Hic eſt ſanguis meus*, vertendum eſſet, Hoc eſt ſanguinem meum. Quæ ſunt abſurda. Denique nec conſtat verbum *eſt* à Chriſto prolatum fuiſſe, ut antè docuimus.

Obſ. contra Hæreticos, perversè exponi Est per ſignificat.

Igitur alij plerique ad metonymiam confugiunt, qua ſignum pro re ſignificata ponitur: ſenſum hu-

Obſ. contra alios Sectarios.

Qui corpus pro ſigno corporis poſitum dicunt.

juſmodi facientes, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt ſignum, typus ac figura corporis mei : quaſi non ſimili interpretatione, ut alias ſcripturas taceam, perverti poſſet illud Dei Patris de Chriſto teſtimonium, *Hic eſt Filius meus*, dicendo ſenſum eſſe, Hic eſt typus & imago quædam Filij mei. Nimirum in iſtos veriſſimè competit quod ſcripſit Auguſt. *lib. 3. de doct. Chriſt. cap.* 10. dicens : Si quorum *animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quicquid aliter aſſeruerit ſcriptura, figuratum arbitrantur.* Sanè cum in his Domini verbis quæ tractamus, non magis repugnantia ſit inter prædicatum & ſubjectum, quàm in verbis illius teſtimonij paterni (non enim ait, Panis eſt corpus meum, ſed, *Hoc eſt corpus meum*) : ſicut illa propriè, ſic & iſta propriè ſunt intelligenda ; cum eo tamen diſcrimine, quod alter ſermo ſit æternæ veritatis, alter operatorius ejus quod antè non erat: quemadmodum intellexerunt omnium ſæculorum orthodoxi Patres atque ſcriptores.

Omitto cæteras adverſariorum expoſitiones (ſunt enim complures ac variæ) in id conſpirantes, ut panem piſtorium in ſacramento retineant, & veritatem tranſmutationis eludant. Quibus omnibus nunc mihi ſatis ſit opponere ſynodum œcumenicam Tridentinam, quæ *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. inter alia docet ac declarat ex traditione totius antiquitatis, Chriſtum *redemptorem noſtrum in ultima cœna* quam cum diſcipulis habuit, *poſt panis vinique benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus ac ſuum ſanguinem illis præbere, diſertis ac perſpicuis verbis* teſtatum eſſe. *Quæ verba*, inquit, *à ſanctis Evangeliſtis commemorata, & à divo Paulo repetita, cum propriam illam & apertiſſimam ſignificationem præ ſe ferant, ſecundum quam à patribus intellecta ſunt ; indigniſſimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam contentioſis & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & ſanguinis Chriſti negatur, contra univerſæ Eccleſiæ ſenſum detorqueri*, & quæ ſequuntur.

Verba concilij Tridentini notanda.

Porrò nomine corporis in Chriſti verbis ſignificatur non tota hominis ſubſtantia, ſicut nonnulli malè ſenſerunt : ſed altera ſubſtantiæ pars, ſcilicet materialis & ſolida ; quæ non ſolùm ab anima, verùm etiam à ſanguine diſtinguitur. Sanguinis enim conſecratio ſeorſum ac peculiaribus verbis perficitur. Et proinde nec ſanguis illic exiſtit ſub ſpecie panis, nec corpus ſub vini ſpecie, ex virtute verborum quibus conſecrantur panis & vinum : ſed tantùm *vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur.* Quod idem de anima Chriſti dicendum, reſpectu utriuſque ſpeciei. Nihil enim eſt in hujus ſacramenti materia, quod in animam tranſmutetur ; ac certè multò minùs quod in divinitatem : quæ tamen etiam in illo ſacramento ſpeciali ratione exſiſtit, nimirum *propter admirabilem ipſius cum corpore & anima Chriſti hypoſtaticam unionem* : quomodo rem iſtam totam explicat Tridentina ſynodus, *capit.* 3. *ſupradictæ Seſſionis.*

Corpus in verbis conſecrationis quid ſignificet.

Quomodo ſanguis ſub ſpecie panis, & corpus ſub ſpecie vini.

Anima & divinitas Chriſti quomodo in hoc ſacramento.

Jam quod illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, non ſolum ipſe Chriſtus panem conſecraverit in corpus ſuum ; verùm etiam ex ejus inſtitutione id faciant ad hodiernum uſque diem ſacerdotes ejus miniſtri ; manifeſtum eſt ex eo quod Chriſtus diſcipulos ſuos, & conſequenter eorum in adminiſtrandis ſacramentis ſucceſſores, facere voluit ac juſſit hoc quod ipſe fecerat ; dicens, *Hoc facite in meam commemorationem.* Atque ea ſemper fuit Eccleſiæ catholicæ mens & doctrina, Græcis conſentientibus in concilio Florentino, *ſeſſione ultima*, declarata ; non obſtante diverſa quorumdam Græcorum ſchiſmaticorum opinione : qui non verbis illis enuntiativis à Chriſto prolatis, aut certè non ſolis, ſed precibus quibuſdam poſt ea verba à ſacerdote recitatis, conſecrationem fieri contendebant. Quorum argumenta videre eſt apud Nicolaum Cabaſilam & Marcum Epheſium, opinionis aſſertores præcipuos. Sed ea docte refellit ac diſſolvit Cardinalis Beſſarion, in *libro cui titulus : Quibus verbis Euchariſtia conſecretur* : ubi & ſanctorum patrum adducit teſtimonia tam Græcorum quàm Latinorum, quibus veram & catholicam ſententiam confirmet. Verùm hujus quæſtionis, ut & aliarum quæ circa hæc Domini verba moveri ſolent, exactior eſt tractatio ad *diſt.* 8. *lib.* 4. *ſent.*

Sacerdotes conſecrant iiſdem verbis quibus Chriſtus.

Quorumdam Græcorum diverſa opinio erronea.

Quod pro vobis tradetur. Scilicet in mortem. Hunc quidem ſenſum palàm exigit noſtra lectio, quæ eſt in omnibus codicibus Latinis : ut traditionem intelligas, non qua Judas aut Judæi, aut Pilatus tradiderunt Dominum : ſed qua Dominus à ſeipſo traditus eſt in mortem, juxta ſcripturas, *Iſa* 53. *Galat.* 2. *Eph.* 5. 1. *Pet.* 2. ut his verbis immenſa charitas ipſius erga genus humanum inſinuetur. Et quidem apud Lucam hujus loco legitur, *quod pro vobis datur.* Cæterum alij Evangeliſtæ nihil addunt verbis prioribus, ut nec canon liturgicus. At verò ſciendum exemplaria Græca hoc conſtanter habere. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον *quod pro vobis frangitur.* Quibus & Syra conſentiunt, & liturgia Baſilij, nec non quæ feruntur liturgiæ Jacobi & Marci. Item textus commentarij Ambroſ. ſecundum priores editiones. Citat & Beda Pauli locum in commentario Luc. 22. his verbis : *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis confringitur* ; ne mentione quidem alterius lectionis quæ nunc codices occupavit, facta.

Chriſtus à ſeipſo traditus in mortem.

Græca lectio, quod pro vobis frangitur.

Quæritur ergo quænam hæc ſit fractio corporis Chriſti, de qua, ſecundum codices & authores allegatos, Paulus loquitur. Quidam ex ſectariis ſignificari putat corporis & animæ Chriſti ſeparationem in cruce, quando mortuus eſt. Verùm ineptè. Nam ſi corpus frangitur, quia ſeparatur ab anima : frangitur & anima, quia ſeparatur à corpore.

Expoſitio cujuſdam inepta.

Cajetanus quoque fractionem hanc refert ad paſſionem Chriſti ſubſequentem, ſed ratione probabiliori. Dicunt enim in paſſione *verum Chriſti corpus multipliciter fractum fuiſſe. Nam & fractum fuit*, inquit, *quantum ad cutem, quando flagellatus eſt : & quantum ad carnem in manibus & pedibus cruci affixis ; ac demum in latere lancea perforato.* Nec obſtare vult Cajetanus verbum præſentis temporis: quum tres Evangeliſtæ referentes verba conſecrationis calicis, juxta Græcorum lectionem, æquè utantur præſentis temporis participio ἐκχυνόμενον *qui effunditur.* Quod tamen, ut idem ſcriptor exiſtimat & ſupponit, ad effuſionem ſanguinis Chriſti, quæ facta eſt in ejus paſſione, referri debeat. Porrò communem utriuſque verbi participij præſentis pro futuro poſiti, rationem hanc reddit : ut ſignificaretur *hujuſmodi fractionem & effuſionem non diſtantem tempore, ſed tamquam præſentem eſſe*: eò quod paulò pòſt eſſet futura. Favere videtur huic commentario locus apud Auguſtinum *in tract. de quarta feria*, ubi inter cætera ſic alloquitur animam Chriſtianam : *Menſa tui ſponſi panem habet integrum & calicem ſanctum : quem panem etſi fractum comminutumque vidimus in paſſione, integer tamen manſit ſua cum Patre individua unitate.* Beda quoque loco proximè citato paſſionem Domini fractionem corporis ejus vocat : *Frangit ipſe panem*, inquit, *quem porrigit, ut oſtendat corporis ſui fractionem non ſine ſua ſponte futuram ; ſed, ſicut alibi dicit, poteſtatem ſe habere ponendi animam ſuam, & iterùm ſumendi eam.* Sic ille.

Expoſitio Cajetani.

Verumtamen nobis expoſitio Cajetani non omninò ſolida videtur ; primùm, quia durus & inſolens eſt ſermo, quo corpus hominis frangi dicitur, quia flagellatur aut pungitur, aut membrum aliquod ejus perforatur : præſertim ſi nulla contingat oſſium fractio. Quam in Chriſto patiente nullam fuiſſe nos docet veridica ſcriptura ab Evangeliſtis

Dicta expoſitio parum ſolida.

An caput Christi spinis perforatum.

citata, *Os non comminuetis ex eo*, Exod. 12. Joan. 19. ut proinde nec cranium capitis ejus à spinis impositis & impressis fuisse perforatum, probabile putemus. *Deinde* refellitur eo ipso argumento quod pro se Cajetanus adducit. Nam Evangelistas utentes verbo præsentis temporis, *qui effunditur*, non respicere ad effusionem sanguinis futuram in cruce, sed ad eam qua sub specie vini fundebatur in cœna, scilicet è calice in ora discipulorum, ostenditur ex verbis quæ sunt apud Lucam. In quibus illud, *qui pro vobis effunditur* non potest ad sanguinem referri; videlicet casu manifestè repugnante in Græco: sed necessariò refertur ad calicem, τὸ ποτήριον τὸ ἐκχυνόμενον, *poculum quod effunditur*. Quod utique non in cruce effusum est, sed in cœna. Quare similiter hæc verba, *quod pro vobis frangitur*, ad eam fractionem quæ in cœna facta est, referri convenit: in quem sensum & Græci interpretes hunc locum acceperunt.

Calix effusus pro nobis in cœna.

Verior interpretatio fractionis.

Corpus Christi quo sensu frãgatur in Eucharistia.

Dicitur autem frangi corpus Christi, recepta & consueta apud Ecclesiasticos authores locutione, quia species panis sub quibus continetur franguntur: nimirum ea ratione qua quæ circa species contingunt, fieri dicuntur circa corpus, vel in corpore Christi: quod speciebus singulari quodam modo conjunctum est. Quoniam ergo propriè panis dicitur frangi, quando manibus dividitur, idque phrasi in scripturis admodum frequentata; fit ut pane transmutato, fractio quæ fit in speciebus, attribuatur corpori Christi, sive sub nomine panis, ut superiori capite; *Panis quem frangimus*, &c. & in Actis Apost. aliquoties: sive sub nomine corporis Christi, ut in confessione Berengaria priore, qua dicitur Christi corpus *in veritate manibus sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri.*

Fractio panis consecrati, quid significat.

Dicit autem Dominus, *quod pro vobis frangitur*, eò quod fractio corporis in sacramento, mystica quædam repræsentatio sit passionis ejus quam pro nobis sustinuit in cruce: ut panis fractus intelligatur ille qui in cruce *attritus est propter scelera* nostra, Isa. 53. Et hoc voluit Augustinus, quando dixit panem fractum & comminutum in passione. Respicit enim ad fractionem panis in sacramento, quæ significat, ut dixi, Christi passionem in cruce. Nec tamen dicit Christum aut corpus ejus fractum & comminutum, sed panem, consueto videlicet utens sermone: quemadmodum & Ignatius martyr in epist. ad Philadel. *Unus sanguis*, inquit, *qui pro nobis effusus est. Unus etiam panis omnibus confractus*, seu *comminutus est*, Græcè ἐψιλίσθη.

Cæterùm Beda quidem Domini passionem fractionem corporis ejus appellat, non tamen exponens verba Pauli, sed tantùm indicans mysterium fractionis, de qua loquitur Evangelista: atque ipso nomine fractionis ad illud alludens. Nam, quod *notandum* est, propter hujus significationem mysterii fit, ut eadem fractio quamdam incruenti sacrificii, quod Christus in hac sacramenti institutione offerebat, partem constituat. Id quod S. Thomas docet 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 3. *ad* 3. ubi recensens actiones in quibus Eucharistiæ sacrificium consistit, etiam fractionem nominat. Hujus rei argumentum est, quod pro participio κλώμενον *quod frangitur*, scripto à Paulo, Lucas ejus discipulus scripserit διδόμενον, *quod datur*, id est, offertur, utique *pro vobis*, quod uterque expressit. Ex quo intelligitur fractionem istam ad ipsam oblationem seu sacrificium pertinere, velut partem ejus aliquam. Unde qua ratione Lucas refert Dominum dixisse de corpore suo consecrato, *quod pro vobis datur*: Paulus memorat eum de eodem dixisse, *quod pro vobis frangitur*. Totum namque sacrificium secundum omnes suas partes propitiatorium est, valens ad salutem, & peccatorum remissionem, eorum pro quibus offertur. Verùm & de hac re plura diximus *ad dist.* 12. *lib.* 4. *Sent.*

Fractio pars quædam sacrificii incruenti.

Totum sacrificiũ tam incruentum quam cruẽtum propitiatoriũ est.

Quæritur autem, utrùm fractio in his Domini verbis significata, sit eadem cum fractione de qua Paulus antè, & tres Evangelistæ, quando commemorant Christum panem acceptum fregisse. Sanè dici potest eamdem esse. Nihil enim est in tota narratione, vel in textu Græco, quod repugnet: tametsi nonnulli duplicem faciunt fractionem: alteram consecratione priorem in partes majores: alteram posteriorem in partes minores: sed sine necessitate: quandoquidem verbum *fregit*, quod apud omnes est, facile referri potest ad tempus prolationis verborum, quibus dictum est, *quod pro vobis frangitur*: ut actionum Christi Domini in hoc sacramento fuerit hic ordo, consecrare, frangere, distribuere: qui idem est earum actionum ordo, quum fiunt à sacerdote ministro: quemadmodum censet ac benè explicat Cardin. Bessarion *in libro cujus suprà memini.*

Quæ fractio hìc intelligatur.

HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM. Græcè quidem est, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, *in meam commemorationem*, seu recordationem: quia apud Græcos *meam* & *mei* non differunt. Latinè tamen potiùs diceretur, *in mei commemorationem*: sicut Erasmus vertit, textum Ambros. & annotationem Vallæ secutus: sicut & in canone Missæ legitur, *in mei memoriam facietis.*

Quid facere in Domini commemorationem.

Referuntur hæc eadem verba à Luca; & hunc habent sensum: Quod ego nunc facio, quodque vos me jubente nunc facitis: id ego deinceps à vobis & successoribus vestris, cæterisque fidelibus fieri volo: idque in mei commemorationem, id est, recolentibus memoriam passionis & mortis meæ pro vobis. Sic enim hanc commemorationem statim ipse Paulus exponit, iis verbis: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.*

Quæ actiones ad sacerdotes pertineant, & quæ ad cæteros fideles.

Illud tamen sciendum, non omnes actiones præcepto quo dicitur, *Hoc facite*, comprehensas, pertinere ad omnes fideles; sed alias quidem præcipi discipulis, in quibus eorum etiam successores intelliguntur; alias verò fidelibus in universum. Nam discipulis tamquam futuris deinceps Christi ministris ac vicariis, præcipitur, ut id faciant quod Christus: id est, consecrent, offerant, aliisque distribuant corpus Domini; simulque cum præcepto potestas datur hæc faciendi. Unde & novi testamenti sacerdotes hoc verbo constituti sunt: non quod verbum *facite*, sit idem quod sacrificare, quomodo nonnulli illud interpretati sunt, planè præter mentem scripturæ. (Nam & in eo quod in canone dicitur, *Hæc quotiescum feceritis, in mei memoriam facietis*: facere nequaquam nisi coactè, per sacrificare potest exponi.)

An facere idem quod sacrificare.

Potestas offerendi sacrificii data Apostolis in cœna.

Sed quod eo verbo data sit potestas faciendi ea quæ Christus fecit; inter quæ procul dubiò numeranda venit oblatio sacrificii secundum ordinem Melchisedech. Simul autem cum potestate præceptum hujusmodi fuisse datum, declarat synodus Tridentina, *Sess.* 22. *cap.* 1. cùm ait Christum *Apostolis suis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepisse, per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem*: addens ita semper Ecclesiam Catholicam intellexisse & docuisse.

Jam quod eadem verba secundum aliquas actiones, etiam ad cæteros fideles pertineant, quatenus scilicet in eis includitur præceptum accipiendi & edendi, idque in memoriam passionis Dominicæ; perspicuum est ex illis sequentibus Apostoli verbis, *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc*, &c. quibus explicans hæc Christi verba ad discipulos dicta; *Hoc facite in meam commemorationem*; ea refert ad totam quam alloquitur Ecclesiam Corinthiorum. Quæ non esset conveniens explicatio, si non ad omnes fideles ea verba pertinerent, sed ad solos

ſacerdotes. Idipſum patet ex canone miſſæ ; in quo ſacerdos poſt verba paulò antè citata, *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis* ; ſtatim inferendo ſubjungit, *Unde & memores Domine nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta*, &c.

Offerre ſacrificiũ quomodo laïcis competat.

Nec moveat verbum *offerimus*, quod ſequitur. Nam & actum offerendi non prorſus à laïcis removemus. Offerunt enim & illi ſuo modo, ſcilicet per miniſterium ſacerdotum pro ipſis offerentium : cui miniſterio fidem, conſenſum ac devotionem ſuam adjungunt ; ſecundùm illud quod in priori parte canonis dicit ſacerdos: *Quorum tibi fides cognita eſt & nota devotio : pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Qua ratione & in lege veteri populus offerre dicebatur : ut *Levit.* 17. *v.* 4. *Num.* 9. *v.* 13. 2. *Paralip.* 30. *v.* 15. Ad eum ferè modum quem dixi, partem iſtam *Hoc facite*, explicat, & adductis patrum teſtimoniis illuſtrat Joannes Heſſelius *in lib. de commun. ſub unica ſpecie, tract.* 1. *reſpon. ad* 4. *argum.* Cujus authoris ſententiam refert & laudat Card. Bellarm. *lib.* 4. *de euchar. c.* 25.

Obſ. contra Sectarios, Sacram. Euchariſt. eſſe verum Sacrificiũ propitiatorium, &c.

Porrò quod ex vocabulo commemorationis argumentantur hæretici, non eſſe inſtitutum hoc ſacramentum ut eſſet ſacrificium, nec ullam vim habere propiciandi nos Deo, perfacilè refutatur. Non enim in ſolam ac nudam commemorationem inſtitutum eſt ; ſed ut eſſet commemorativum ſacrificium ; & quidem tale per cujus oblationem, commemorando beneficium mortis Chriſti qua redempti ſumus, copioſiorem ejuſdem redemptionis effectum conſequeremur. Quod ſciens & agnoſcens eccleſia, Deum in ipſius celebratione ſacramenti ſic orat : *Concede nobis hæc dignè frequentare myſteria : quia quoties hujus hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur* : & aliàs oratione ad Chriſtum converſa: *humiliter deprecamur, ut quæ in tui commemoratione nos facere præcepiſti, in noſtræ proficiant infirmitatis auxilium.* Sanè eodem argumento concludet adverſarius nullum in veteri lege fuiſſe ſacrificium : nec propiciatoria tantùm, ſed & pacifica & holocauſta excludet. Si quidem omnia vel ad commemorationem acceptorum beneficiorum, vel ſaltem ad ſignificationem & ſpem futurorum, inſtituta fuerunt.

Dom. 9 & 22. poſt Pentecoſt.

25. SIMILITER ET CALICEM POSTQUAM COENAVIT. Hic jam deſcribit inſtitutionem alterius partis hujus ſacramenti & ſacrificii. *Similiter*, inquit, id eſt, ſimili ritu & ordine (Græcè ὡσαύτως *ad eumdem modum*) *& calicem* in quo vinum continebatur, accepit in manus ſuas, *poſtquam cœnavit* : pro quo legitur in canone miſſæ, *poſtquam cœnatum eſt.* Quod autem de calice dicit accepto & conſecrato poſt cœnam ; idem & de pane intelligendum admonuimus ſuprà, cùm de vocabulo cœnæ Dominicæ ageremus.

Quæſtio de tempore calicis oblati.

Quæri tamen poteſt, cur Paulus (de Luca & canone eadem quæſtio) hanc temporis determinationem, *poſtquam cœnavit*, non appoſuerit cùm de pane loqueretur, ſed hîc tantum ubi de calice: quaſi nimirum panis ante peractam cœnam conſecratus fuiſſet. Ac ſcrupulum auget, quod Matthæus de panis conſecratione loquens dicit, *cœnantibus illis*, ſive, ut in Græco eſt apud Matthæum & Marcum, *edentibus illis.* Moverunt hæc argumenta S. Thomam, ut putaret Chriſtum tradidiſſe ſuum corpus Diſcipulis inter cœnandum : ſanguinem verò poſt cœnam. Cujus etiam rei rationem quamdam myſticam reddere conatur.

Reſponſio quædam minus probanda.

Alia ſententia melior.

Ac certè multò veriſimilius eſt quod diximus, utrumque poſt cœnam datum fuiſſe. Nam quod ex Matthæo & Marco objicitur, rectè ſic intelligitur ; *cœnantibus*, ſive *edentibus*, id eſt, quando tempus cœnæ ſeu refectionis veſpertinæ adhuc durabat, menſa videlicet nondum ablata. Quod totum tempus interdum nomine cœnæ comprehendi, dicto loco oſtendimus. Ad *priorem* verò *dubitationem* nihil apparet probabilius reſponderi poſſe, quàm Paulum, Lucam & canonis authorem, in calice commemorando peculiariter adjeciſſe mentionem cœnæ peractæ, ut diſtinguerent hunc calicem à priore de quo ſolus Lucas meminit : quem Chriſtus in cœna agni paſchalis immolati, velut libamen illius ſacrificii legalis, à ſe præguſtatum ac diſcipulis propinatum, ire juſſerat in orbem menſæ, ut omnes ex eo biberent. Hanc rationem adferunt & benè explicant Cajetanus & Fr. Lucas in *commentariis ſuper Lucæ c.* 22.

Præter hos autem diſtinguunt apud Lucam duos calices Hieronymus, ſcribens in *Matthæi cap.* 26. Beda & Theophyl. *in caput Luc.* 22. Quorum ſententiam probant Joan. Heſſelius *in comment. ſuper Matth.* & Arias Montanus *ſuper Lucam* ; ubi ritum bibendi illius poculi legalis, ex Judæorum traditione declarat : item cardinalis Bellarm. *lib.* 1. *de euchar. cap.* 11. & alii nonnulli. *Notandum* obiter, quem noſter interpres in Paulo & apud Evangeliſtas calicem vocat ab illis communi vocabulo ποτήριον dici, id eſt, poculum ; quod & in textu commentatoris Ambr. legitur. Nam calix, Græcè κύλιξ certum poculi genus eſt.

Calix idem quod poculum.

DICENS : HIC CALIX NOVUM TESTAMENTUM EST IN MEO SANGUINE. Apud Lucam rurſus eadem ſunt verba: niſi quod ille verbum *eſt* ſubticuit, Paulus expreſſit ; ac viciſſim ille addidit, *qui pro vobis effunditur*, quod Paulus omiſit. Porrò quod antè diximus de verbis illis, *Hoc eſt corpus meum*, ea non eſſe ſimpliciter enunciativa, ſed operatoria ejus quod enunciant ; idem pariter & de his verbis dicendum. Intendit n. per ea Dominus aliquid operari, id eſt, ex vino ſanguinem ſuum efficere, & hoc ipſum iiſdem verbis ſignificare.

Quamvis autem hæc verba, non ſolùm propter metonymiam qua continens pro contento ſumitur in vocabulo *calicis* ; verùm etiam propter caſuum variationem in cæteris, ipſumque verbum *eſt* à ſuppoſito ſuo divulſum, non minimam obſcuritatem habeant ; ſenſus tamen eorum haud difficulter accipi poterit, tum ex collatione verborum quibus panis in corpus Domini conſecratur, quæ utique plana & aperta ſunt apud omnes, tum ex Matthæo & Marco, qui verba conſecrationis calicis iſta referunt; *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti* : pro quibus hæc in canone miſſæ leguntur : *Hic eſt calix ſanguinis mei novi & æterni teſtamenti* : ac demum ex collatione verborum quæ Moyſes in ſanctione veteris teſtamenti locutus eſt ad populum, *Exod.* 24. dicens : *Hic eſt calix ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum.*

Senſus verborum conſecrationis calicis apud Paulum.

Eſt igitur ſenſus iſtiuſmodi: Id quod hoc poculo continetur, eſt ſanguis meus, in quo, id eſt, per quem, novum teſtamentum ſancitur & confirmatur. Etenim ſicuti vetus teſtamentum confirmatum fuit effuſione ſanguinis vitulorum, ejuſque in populum reſperſione ; quemadmodum *Exod. capite jam citato*, refert Moyſes : ita novum teſtamentum Chriſtus velut novi teſtamenti mediator, confirmavit ac ratum fecit effuſione ſui ſanguinis, in populo ſacramentaliter diſtribuendi : quam diſtributionem ſignificavit ea quæ primùm facta eſt in diſcipulos ; tanquam ſemina quædam populorum qui poſteà crediturí erant.

Utrumque teſtamentũ ſanguine cõfirmatum.

Novum teſtamentum quod dicatur.

Item vetus.

Vocatur autem *novum teſtamentum* ea promiſſio, qua Deus ſpiritualia bona, id eſt, fidem, ſpem, charitatem, veniam peccatorum, legis obedientiam, perſeverantiam, & vitam æternam electis ſuis ſe daturum promiſit : quomodo *vetus teſtamentum* dicitur pactum Dei quod iniit cum Iſraëlitis, ut ſi legem à ſe datam ſervarent, temporalium bonorum abundantiam eis retribueret. Illud *novum* appellatur, *tum* ratione temporis, quia noviſſimis temporibus mun-

Unde hoc novum & illud vetus.

Objectionũ ſolutio.

da propalatum eſt; tametſi jam olim & ab initio revelatum, & ex parte præſtitum electis : *tum* quia per novum Adam, in cujus ſanguine dedicatum eſt, ac novo modo, id eſt, gratis, hominem ex vetere facit novum. Hoc autem *vetus* ; tum quia priori tempore manifeſtatum fuit : tum quia peccati vetuſtatem ab homine non abſtulit, ſed occaſione legis datæ potiùs auxit.

De utroque teſtamento locus eſt apud Jeremiam *cap.* 31. repetitus à Paulo *in epiſt ad Hebr. cap. 8.* ubi Deus priori teſtamento reprobato, prædicit ac promittit novum, id eſt, effectus novi teſtamenti paſſim toto orbe multiplicandos. De quibus conſule B. Auguſt. *lib. de ſpir. & lit. cap.* 19. *& aliquot ſeq.*

Diſcrimen inter duo pacta quæ vocantur teſtamenta.

Eſt autem inter hæc duo pacta ſeu promiſſiones etiam illud diſcrimen : quod etſi pacti nuncupatio magis propriè competere videatur in vetus quam in novum, è diverſo tamen novum magis ſpeciali ac propria ratione teſtamentum dicitur quàm vetus. Nam teſtamentum propriè dictum non confirmatur niſi morte teſtatoris : quemadmodum docet Apoſtolus *Hebr.* 9. Id autem factum à Chriſto ; per cujus mortem & ſanguinem aditus ad æternam hæreditatem nobis patefactus eſt : cum alioqui vetus illud pactum non in ipſius teſtatoris, id eſt, Dei qui mori non poterat, ſed brutorum animalium morte & ſanguine confirmatum eſſet. Verùm de ſignificatione Græci vocabuli διαθήκη, pro qua teſtamentum vertunt interpretes, necnon de Hebraico בְּרִית berith eis reſpondente, plura dicturi ſumus partim in commentario *Galat. 3. verſ. 15.* partim ac pleniùs *Hebr. 9. verſ. 17.*

Quæſtio.

Quæret aliquis, an his Domini verbis ab Apoſtolo poſitis fieri poſſit conſecratio calicis.

Reſponſio Thomæ negativa.

Negat hoc S. Thomas tam *hoc loco*, quàm in *ſumma Theol. parte 3. quæſt. 78. artic.* 3. idque non ſolum de verbis quæ referunt Paulus & Lucas ; ſed etiam de iis quæ Matthæus & Marcus. Opinatur enim ſolis illis verbis fieri conſecrationem, quibus eccleſia in canone miſſæ utitur ex traditione Apoſtolica : ac ſimpliciter ea omnia arbitratur ad conſecrandum calicem eſſe neceſſaria ſacramenti neceſſitate. Verum ſi ita eſſet, præter alia ſequeretur illud abſurdi, Græcos ſacerdotes qui ex vetuſta patrum traditione diverſum à Latinis habent canonem, nec omnibus iiſdem quibus Latini verbis ad conſecrationem calicis utuntur; idque permittente & approbante Romana eccleſia : neque nunc, neque prioribus ſæculis ante ſchiſma, verè & efficaciter calicem conſecraſſe. Quo præcipuè motus argumento Cajetanus à ſui doctoris opinione palàm recedit.

Oppugnatur.

Affirmativa reſponſio ſine dubio vera.

Proinde non videtur ulla ratione dubitandum, quin ad conſecrationem calicis ea ſaltem verba ſufficiant quæ vel apud Paulum, vel apud quemlibet leguntur Evangeliſtarum, vel quæ habentur in liturgiis Græcorum: imò & probabile eſt admodum, hæc ſola ſufficere, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel, *Hic eſt ſanguis meus*, quemadmodum ad panis conſecrationem ſufficiunt iſta, *Hoc eſt corpus meum.* Continent enim utraque totam ſignificationem ejus quod efficitur. Quæ non ſolùm Cajetani ſententia eſt, ſed communis fermè omnium ſcholaſticorum, tam antiquorum, ut Alexandri, Alberti, Bonaventuræ, quàm recentiorum, Gabrielis exponentis canonem, & aliorum. Quamquam quod ad præcepti neceſſitatem attinet, tenetur unuſquiſque ſacerdos in conſecrando corpore & ſanguine Domini iis uti verbis, quæ ſibi ex traditione ſuæ eccleſiæ præſcripta habet : eſtque eadem ratio de azymo pane & fermentato. Sed de his ex profeſſo diſputatur *in 4. ſent. diſt. 8.*

HOC FACITE, QUOTIESCUMQUE BIBETIS, IN MEAM COMMEMORATIONEM. *Bibetis* πίνητε *biberitis. In meam*, ſeu *mei commemorationem*, expone quomodo ſuperiùs ; ad recolendam memoriam paſſionis & mortis meæ. Quæ quidem expreſſiùs repræſentatur per calicem ſanguinis ſeorſim à corpore conſecratum & acceptum, quàm per ſolam conſecrationem & ſumptionem corporis Chriſti. Reſtringitur autem verbum *facite* per hoc quod additur, *quotieſcumque bibetis*, ad unam actionem, quæ eſt bibere.

Obſ. contra Sectarios, argumentum pro ſumptione unius ſpeciei.

Cæterùm ex eo quod hîc non abſolutè dictum eſt, *Hoc facite in meam commemorationem*, ſicut abſolutè dictum fuerat poſt conſecrationem corporis ; ſed cum determinatione, *quotieſcumque bibetis* ; non improbabile ſumunt argumentum Catholici ſcriptores, quo doceant uſum calicis non omnibus fidelibus eſſe neceſſarium. Non enim ſine cauſa Paulus, in quo ſpiritus Dei loquebatur, eam determinationem ſpecialiter adjecit hoc poſteriore loco. Nec verò apparet alia cauſa, quàm ut inſinuaret non eamdem utriuſque ſpeciei paſſim à fidelibus ſumendæ eſſe rationem : eò quod multæ cauſæ poſſint occurrere, quæ ſuadeant aut cogant à ſpecie vini abſtinendum eſſe : quas hic ſingulatim referre non eſt opus.

Hac igitur parte non continetur præceptum hoc faciendi, id eſt, de calice bibendi : ſed præcipitur, ut quoties & quandocumque de hoc calice biberent, in Domini commemorat onem id facerent. Nunc ſequuntur verba Pauli, quibus commemorationem à Chriſto præceptam explicat.

26. QUOTIESCUMQUE ENIM MANDUCABITIS PANEM HUNC, ET CALICEM BIBETIS ; MORTEM DOMINI ANNUNCIABITIS. Rurſus in Græco ſubjunctivi modi verba ſunt, ἐσθίητε, πίνητε, *comederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis.* Ita Cyprianus in epiſtola ad Cæcilium 62. *ederitis panem iſtum & calicem iſtum biberitis.* Eo modo vertit interpres ſtatim poſt: *manducaverit, biberit.* Atque hîc rurſum in vocabulo calicis metonymia eſt. Jam qua ratione corpus Chriſti panem vocet, dictum eſt ad illud capitis ſuperioris, *Et panis quem frangimus*, &c. *Annunciabitis*, Græcè καταγγελλετε, *annunciatis* ; vel *annunciate.* Nam verti poteſt utroque modo. Nec ſenſus diſcrepat. Eſt enim præceptio cum ſignificatione ejus quod in eccleſia perpetuo fiat & futurum ſit.

Quid annũciare mortem Domini, Quæ commemoranda in oblatione ſacrificii incruenti.

Annunciare mortem Domini eſt mortis ac totius paſſionis ejus pro nobis ſuſceptæ gratam memoriam recolere. Ubi *notandum*, in oblatione & participatione ſacrificii incruenti præcipuè quidem recolendam eſſe memoriam paſſionis Dominicæ, id eſt, cruenti ſacrificii in cruce pro nobis oblati ; hoc enim propriè per incruentum ſacrificium repræſentatur ex ipſa Chriſti inſtitutione : ſed tamen, in eadem oblatione ſolet ab eccleſia aliorum etiam quorumdam Chriſti myſteriorum agi memoria : nominatim reſurrectionis, aſcenſionis in cœlum, quæ ad gloriam Chriſti pertinent, ad quam per crucis ignominiam pervenit. Unde *in epiſt.* ſynodi Epheſinæ ad Neſtorium ſic legitur : *Unigeniti Filii Dei, hoc eſt Jeſu-Chriſti mortem, & ex mortuis reſurrectionem annunciantes, ejuſdemque in cœlum aſſumptionem profitentes, incruentum in eccleſia Dei cultum obimus.* Quæ eadem in canone Romanæ liturgiæ leguntur illa parte, *Unde & nos memores*, &c. Græcorum autem Baſilii & Chryſoſtomi liturgiæ mentionem addunt etiam ſeſſionis Chriſti ad dexteram Dei Patris, & ſecundi atque glorioſi adventus ejus, de quo Paulus ſubdit, *donec veniat.* Quin & generaliter, euchariſtia juxta ſuum nomen, ab eccleſia Deo offertur tamquam ſacrificium Euchariſticum, id eſt, gratiarum actionis de omnibus beneficiis à Deo acceptis.

Euchariſtia rectè offertur pro omnibus beneficiis à Deo acceptis.

Notandum præterea Paulum non dicere ; edendo & bibendo, id eſt, ipſo comedendi & bibendi actu, *mortem Domini annunciabitis* : ſed *quoties*, id eſt, quandocumque *edetis & bibetis.* Fit autem hæc comeſtio & bibitio ſive à ſacerdote, ſive ab aliis fidelibus, eo tempore quo ſacrificium offertur corporis & ſanguinis Domini. Aut ſi poſteà comeſtio fiat, velut ab

infirmis ad quos defertur hostia; refertur tamen & ea comestio, pertinetque ad sacrificium quo hostia fuit oblata (quod quidem etiam nomen hostiæ, quam dicere solemus ad infirmos deferri, satis innuit) sicque per hostiæ sumptionem, etiam illi participes fiunt sacrificii: Ipsum verò sacrificium commemorativum est passionis & mortis Domini. Proinde non solum qui de eo comedunt, & bibunt; verùm etiam qui alterum horum faciunt, tamquam sacrificii commemorativi participes, commemorant & annunciant mortem Domini: Nec hi solummodò; verùm & quicumque pia cordis devotione pariter cum illis offerunt; etiamsi res oblatas ore non contingant.

Quinam participes fiant sacrificii incruenti.

Quocirca malè & imperitè ex hoc loco Pauli colligunt adversarii, necessariam esse cunctis fidelibus utriusque speciei communionem, ut annunciatio mortis Dominicæ, quam Dominus præcepit, ab iis fieri possit: quum nec unius speciei perceptio ad eam rem necessaria sit. Quod & hoc argumento ostenditur. Nam si in veteri lege nihil edentes de sacrificio (quale holocaustum, de quo nullus edebat, ne sacerdos quidem: & sacrificium pro peccato, de quo non edebat qui peccaverat) per solam tamen oblationem sacrificii prænunciare poterant passionem Domini futuram, etiam cum fructu salutis ac propiciationis: possunt utique & nunc qui una cum sacerdote, sicut antè dictum est, offerunt, etiamsi sacramentaliter non communicent; eamdem Domini passionem annunciare præteritam, idque cum fructu redemptionis animarum suarum. Vide Joan. Hesselium *in tract. suprà cit. ad 5. argum.* ubi rem istam latè & doctè declarat.

Obs. contra Sectarios, malè hinc colligentes necessitatem utriusque speciei.

Sanè quod attinet ad locum Apostoli præsentem, in eo quod dicit, *Quotiescumque manducabitis & bibetis*, facilè intelligitur supplendum reliquisse, vel alterum horum facietis: aut certè conjunctivam particulam pro disiunctiva posuit. Hanc enim expressit *in versu sequente*, de indignè communicantibus agens. Denique & hoc addo: licet expressior sit repræsentatio mortis Dominicæ in utraque specie separatim sumpta: fit tamen etiam congruenter, dum species panis exhibetur absque specie vini: tamquam si corpus Domini præbeatur exsangue. Est enim & in ea re mortis non obscura significatio.

In utralibet specie repræsetatio mortis Dominicæ.

Donec veniat. Non mors Domini, qui semel mortuus ac redivivus *jam non moritur*, Rom. 6. sed ipse Dominus. *Donec*, inquit, ipse *veniat*, vel ut in Græco, *venerit*, nempe glorioſus ad judicium. Ubi *intelligi datur*, ait S. Thomas, *quod hic ritus ecclesiæ non cessabit usque ad finem mundi.* Non enim hoc tantum dicit Apostolus ut præcipiens: sed etiam ut sciens eam esse Christi sacrificium hoc instituentis voluntatem, ut tam ipsum, quàm mortis suæ per ipsum annunciatio, continuata successione perduret usque ad suum adventum. Nam qui voluit ecclesiam suam permanere ad finem usque sæculi, voluit etiam instituta à se mysteria per idem tempus apud eam in observatione continua remanere. Et ita locum hunc accepit Chrysostomus.

Sacrificium incruentum perpetuum ex Christi instituto.

27. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne; reus erit corporis et sanguinis Domini. Hîc jam satis manifestè declarat Apostolus, quorsum superiùs interposuerit historiam institutionis mensæ Dominicæ: scilicet ut dignitatem mysteriorum quæ in illa proponuntur, agnoscentes & recogitantes Corinthii (videbantur enim obliti traditionis à Paulo acceptæ) discerent attentiùs, non solùm quid illic agere deberent, nimirum Domini mortem annunciare, quod jam admonuit; verùm etiam, quemadmodum ad ea mysteria sit accedendum; & quam graviter peccent, qui sicut ille fecerant, indignè accedunt: quod nunc deinceps ostendit. Quædam Græci codices tam apud Erasmum quàm apud Rob. Stephanum post ἀναξίως *indignè* repetunt dictionem τὸ κυριακὸν, hoc modo, *poculum Domini indigne Domino*, quomodo legimus alibi, *dignè Deo, Domino, sanctis.* 1. Thess. 2. Col. 1. Rom. 16. Sic etiam textus habet apud Oecumenium.

Scopus narrationis Paulinæ declaratur.

Sed & inter Latinos commentator Ambros. ita legit: *Itaque quicumque ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indignè Domino, reus erit*, &c. & huic lectioni respondentem subjicit commentarium. At Cyprianus in libro de lapsis, & aliàs hunc Apostoli locum recitans, nusquam addit *Domino*, ut nec cæteri Latini, nec Syrus interpres. Quamquam id non multùm refert: nisi quod additum facere videatur ad sensum illustrandum: alioqui nec *infrà vers.* 29. additum invenitur in ullis codicibus. Quod autem in quibusdam Latinis & pro *vel* legitur, & *biberit*: mendosum esse constat ex consensu Græcorum codicum & veterum omnium Latinorum.

Igitur ex eo quod disiunctivè dicit Apostolus, *aut biberit*, non leve ducitur ar umentum pro communione sub una specie. Non enim sic loqueretur, si non sentiret unam speciem sine altera sumi posse.

Obs. contra Sectarios, aliud argumentum pro communione sub una specie.

Porrò manducat aut bibit indignè, secundum Apostolum; non is qui mente distracta ad sæcularia negotia sumit hoc sacramentum, habitu ac virtute retinens debitam ad illud reverentiam (tametsi talis indevotio fructum impediat hujus sacramenti, saltem ex parte & ad tempus, durante videlicet mentis evagatione sive culpabili, sive etiam inculpabili, tamquam obice quodam transitorio;) sed qui vel cum irreverentia ad sumendum accedit, sicut à Corinthiis factum fuerat, vel omninò qui sumit, affectum gerens aut reatum peccati mortalis.

Nota. Quis censendus manducare aut bibere corpus & sanguinem Domini indignè.

Etenim mensa communis symbolum est amicitiæ. Quare sicuti regi terreno grandem facere censeretur injuriam, qui mensæ ejus sese convivam admisceret, vel animum adversus eum retinens infensum, vel certè nondum reconciliatus; ita profectò majestatem Christi Domini ac regis nostri non mediocriter lædit, qui ad ejus mensam accedit, vel adhuc inimicitiam adversus eum fovens in animo, vel post capitalem offensam reconciliatione nondum obtenta; atque eò magis quod non qualemcumque cibum aut potum de mensa ejus sumpturus accedat; sed ipsam illius carnem & ipsum sanguinem. Igitur eum qui sic accedit, indignè accedere non est dubium: non ea solùm indignitate quæ negativè, ut loquuntur, dignæ sumptioni opponitur, sed ea quæ contrariè: propter quam meritò dicatur *reus corporis & sanguinis Domini*, subaudi indignè accepti, malè tractati, vel quid simile. Hieronymus supplet *violati* lib. 1. contra Jovin. cap. 8.

Mensa communis symbolum amicitiæ.

Quid reum esse corporis & sanguinis Domini.

Sensus enim est: Quicumque panem hunc aut calicem indignè sumpserit; obnoxius erit pœnæ, quantam meretur is, qui corpus & sanguinem Christi Domini malè & indignè tractaverit: quomodo reus fuit Judas proditor, qui osculum ori ejus impressit, & juxta suam ipsius confessionem, sanguinem justum tradidit: & quomodo rei Judæi, qui manibus injectis eum ligarunt, in faciem ejus exspuerunt, colaphis ceciderunt, palmas in faciem dederunt, denique sanguinem ejus fundendum Pilato tradiderunt. Ab his enim comparationem adferunt in hujus peccati exaggeratione Theodoritus & Oecumenius. Est autem simile in eo; quod quemadmodum illi ipsummet sacratissimum Christi corpus & sanguinem ignominia affecerunt, ita & isti, impuro ore sumendo.

Nota, quam reverèter ad Sacra mysteria accedendum.

Jam ex hoc loco adversus hæreticos duo catholica dogmata clarè statuuntur: *alterum*, Christi corpus & sanguinem verè & propriè esse in hoc sacramento. Non enim de nudo signo rectè diceretur; qui illud indignè sumpserit, eum effici reum ipsius corporis & sanguinis Domini. *Alterum*, corpus & san-

Obs. adversus Sectarios, duo catholica dogmata ex hoc loco stabiliri.

1. Verum corpus & ſanguinem Chriſti in euchariſtia eſſe.
2. Sumi etiam à malis
3. Utrumq; ſub una ſpecie.

guinem Chriſti verè ſumi etiam à malis & indignè accedentibus. Accedit & *tertium* : ſub una ſpecie utrumque ſumi, corpus & ſanguinem. Cum enim disjunctivè dixiſſet Apoſtolus, *ederit aut biberit indignè* : non tamen infert reum fore corporis aut ſanguinis Domini, ſed conjunctim utriuſque: tamquam qui, vel edens vel bibens, utrumque ſumpſerit.

28. PROBET AUTEM SEIPSUM HOMO. Hebraiſmus, *homo*, id eſt, *unuſquiſque*, ut alij quidam vertunt. Docet quid agere debeant, ne tanti criminis inveniantur rei. Quiſque ſemetipſum, inquit, examinet, conſcientiam ſuam exploret: videatque num talis ſit qualem oportet eſſe eum qui ad menſam Domini conviva accedat, accepturus ex ea cibum, non humana arte paratum, ſed planè cœleſtem ac divinum, id eſt, ipſum corpus & ſanguinem Domini convivatoris ſui. Quod ſi talis non ſit, talem ſe reddere ſtudeat, emendando ſuam conſcientiam à peccato, quod eum menſa Domini facit indignum. De qua probatione Tridentini concilij patres ita loquuntur ſeſſ. 13. cap. 7. *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram euchariſtiam accedere debeat: quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis ſacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta ſynodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit: modo non deſit illis copia confeſſoris*, &c.

Quæ probatio hoc loco intelligatur.

Volunt hoc ipſum commentatores tam Græci quàm Latini: dum mentem & conſcientiam à peccato puram exiguunt, ac de ea probationem hanc exponunt. Unde apud Baſilium in liturgia pontifex clamat, *Sancta ſanctis*. Cujus etiam vocis à diacono pronunciari ſolitæ, Chryſoſt. memitit, inter alia quæ graviter in hanc rem diſſerit, *homilia 61. ad pop. Ant.* Ambroſius quoque *libro 6. ſuper Luc. capit. 9.* tractans hiſtoriam quinque panum multiplicatorum, ait: *Nemo cibum accipit Chriſti, niſi fuerit antè ſanatus.* Et paulò poſt, *Ubique myſterii ordo ſervatur, ut prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſt alimonia menſæ cœleſtis exuberet.* Hinc præcipit Auguſt. tractat. 26. in Joan. *Innocentiam ad altere apportate.* Eſtque ejuſdem ſententia apud Proſperum citante Beda: *Ad altare Dei inviſibile, quo non accedit injuſtus, ille pervenit, qui ad hoc præſens juſtificatus accedit. Inveniet enim illic vitam ſuam, qui hic diſcreverit cauſam ſuam.*

Sancta ſanctis.

Atque, ut altiùs ex antiquitate teſtimonium proferam, B. Cyprianus in *libro* penè toto *de lapſis*, apertiſſimè docet quàm ſit pernicioſum ad euchariſtiam accedere, ut ipſe loquitur, *antè expiata delicta, ante exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis*, ſcilicet his verbis per Apoſtolum. *Quicumque ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*: & dicit eos qui ſic accedunt, *vim inferre corpori ejus & ſanguini*: idemque in *epiſt.* 10. & 11. repetitis iiſdem Apoſtoli verbis, acriter reprehendit presbyteros, quod euchariſtiam darent lapſis qui nondum egiſſent pœnitentiam, nec exomologeſin feciſſent peccatorum.

Exomologeſis criminum præmittenda ſumptioni euchariſtiæ.

His & manifeſtæ rationes accedunt; *Primùm*, quia menſa Domini eſt quæ ponitur, ideoque ſolos, ut antè dictum eſt, admittit amicos: *tum* quia panis filiorum, qui proponitur, non utique mittendus canibus: *denique*, quia ſacramentum eſt unionis fidelium, quæ fit per charitatem; *præterea*, quia ſpiritualis eſt alimonia, proinde non ſumenda niſi ab eo qui ſpiritualiter vivit. *Denique* (quod Apoſtolus potiſſimùm urgere videtur) quia quod ſumitur, ipſum corpus & ſanguis Domini eſt; ad cujus ſanè pertinet injuriam, ſi in eſum aut potum accipiatur ab eo qui non juxta quamdam proportionem hominis ad Deum illo dignus ſit. Non erit autem hoc pacto dignus, ſi non ſit per gratiam Dei amicus.

Porrò quod hæretici, præter omnium Patrum ſententiam, contendunt hîc intelligi probationem fidei, id eſt, ut ſe probet homo an ſit in fide: ſecundum illud 2. Corinth. ult. *Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide; ipſi vos probate*; facilè refellitur. Nam utcumque ſit intelligenda fides de qua Apoſtolus illic agit: (quod *in comm.* videbitur) certè conſtat hoc loco plus ab eo requiri quàm ſolam fidem, ſive fiduciam, ut aiunt, erga promiſſiones Dei. Corripit enim Apoſtolus eos qui, (quemadmodum liquet ex ſuperioribus) in cœna Dominica ad ebrietatem uſque replebantur, & pauperes à ſuis menſis excludebant. Quos idcircò dicit edere & bibere corpus & ſanguinem Domini indignè. Hæc autem peccata propriè non fidei, ſed bonis moribus adverſantur.

Obſ. contra Hæreticos, commentarium de probatione fidei reſpuendum.

ET SIC DE PANE ILLO EDAT ET DE CALICE BIBAT. In Græco non eſt pronomen *illo*, ſed articulus tam pani quàm calici præpoſitus, qui ſæpè emphaticam reddit orationem: nec Latinè poteſt exprimi niſi pronomine demoſtrativo. *Senſus eſt*: Cùm ſeipſum probaverit, & dignum repererit; tum demum, & non aliter, de pane illo edat, & de calice illo bibat. Neque enim hic præcipitur unicuique calicis uſus, uti rurſus ex copulante vocula argumentantur hæretici: ſed vult Apoſtolus, ne quis niſi probatus ad hanc menſam accedat, vel comeſturus de illo pane, vel bibiturus de illo calice.

Articulus ſæpe emphaticam reddit orationem.

Obſerva contra Sectarios, pro uſu unius ſpeciei.

Quod Cajetanus hoc loco de probatione commentatur, dicens plus requiri ad dignè ſumendam euchariſtiam, quàm probare ſeipſum; quod tamen ſufficiat ad non indignè ſumendum: ac propterea Paulum dixiſſe, *& ſic de pane illo edat*: non autem, & dignè edat; tamquam aliqui probantes ſeipſos, ſecundum mentem Apoſtoli, nec dignè communicent, nec indignè: non mihi probandum videtur; utpote nec ipſius Apoſtoli ſcopo conſentaneum, qui vult ut fideles dignè communicent, & non tantùm ut non indignè; nec decreto concilij Tridentini, probationem illam à Paulo requiſitam exponentis, *ut ſuprà* dictum eſt.

29. QUI ENIM MANDUCAT ET BIBIT INDIGNE, JUDICIUM SIBI MANDUCAT ET BIBIT. *Manducat & bibit*, ſubaudi, vel alterum horum facit. Non enim negari poteſt eum qui vel edit, vel bibit indignè, judicium ſibi ſumere. Judicium pro condemnatione dixit more ſcripturæ. Quiſquis enim, inquit, edit aut bibit indignè (quod contingit ei qui ſe non probaverit) judicium ſibimetipſi (ἑαυτῷ) edit aut bibit, hoc eſt, id faciens, ipſe ſibi damnationem accerſit: ac ſi dicat: Talis reatum damnationis incurrit, non ex natura myſteriorum quæ vivifica ſunt, ait Theophil id eſt, gratiæ & ſalutis per ſe efficacia; ſed per ſuam indignitatem. Syrus interpres ita reddidit: *Condemnationem animæ ſuæ edit & bibit*. Condemnationem autem intellige, qualem & quantam meretur is, qui corpus & ſanguinem Domini tractaverit indignè. Nam idem aliis verbis hîc dicit, quod jam dixerat, *Reus erit corporis & ſanguinis Domini.*

Judicium pro condemnatione.

Euchariſtia vivifica & gratiæ efficax.

Significatur autem pœna mortis æternæ; quam paulò poſt apertiùs denotat dicens, *ut non cum hoc mundo damnemur*. Quare neque hîc audiendus Cajetanus, qui judicium hoc exponens dicit, *juxta qualitatem indignitatis incurri pœnam vel æternæ damnationis, vel temporalis afflictionis*; illam, *ratione peccati mortalis*; hanc, *ratione venialium*, velut *minoris reverentiæ, modicæ devotionis & hujuſmodi*. Planum eſt enim Apoſtolum loqui de indignitate, quæ faciat hominem reum corporis & ſanguinis Domini: quem reatum omnes mortalem interpretantur. Quod & liquet ex parte ſubjuncta, rationem continente ejus quod dictum eſt.

Reatum mortis æternæ incurrit indignè communicans.

NON DIJUDICANS CORPUS DOMINI. Textus

Ambr. *Non discernens*, &c. Causaliter hoc exponendum est, sicut interpres expositi Græca superiùs versu 7. *Quoniam imago & gloria Dei est.* Judicium, inquit, sibi comedit & bibit, quia non discernit corpus Domini ab aliis cibis, id est, non æstimat præ aliis ut oportet, non attendit quantæ sit dignitatis hoc quod accipit: sed accedit ad sumendum corpus Domini perinde ferè, ut ad cibum promiscuum & profanum. Quomodo multi accedunt, fidem integram de hoc mysterio retinentes, sed moribus corrupti & pravi: ne quis ex hoc loco conjecturam faciat, Apostolum in verbis præcedentibus de fidei probatione locutum fuisse.

Obs. contra Sectarios, duo catholicorum dogmata rursus hinc statui.

Rursus autem hinc evidenter statuitur utrumque catholicum dogma de quo suprà; nempe Christi corpus verè esse in hoc sacramento; idemque sumi etiam à malis. Non enim rectè quis damnatur quod eucharistiam sumens non dijudicet corpus Domini ab aliis cibis, si id quod sumit, verè non est corpus Domini, sed alius cibus.

Nota, Pœnam communicantium indignè.

30. IDEO INTER VOS MULTI INFIRMI ET IMBECILLES. *Ideò*, διὰ τοῦτο, *propter hoc.* Propter eam, inquit, causam quam dixi, id est quia indignè manducans & bibens, judicium sibi manducat & bibit: multi inter vos, qui indignè ad ea mysteria accesserunt, corpore infirmi sunt & mala valetudine affecti; Deo videlicet eos temporaliter puniente, *in signum futuri judicij*, ut ait Thomas: quomodo propter peccatum mendacij & furti Ananiam & Saphiram interiisse legimus, *Actor.* 5. Talia quippe exempla punitionis temporalis conveniebant initiis ecclesiæ Christi; sicut & miracula sanitatum: ut per ea veritas religionis confirmaretur.

Indignè communicantes comparantur cum iis qui Christum occiderunt.

Ubi & hoc *notandum:* quemadmodum qui Christum occiderunt, severè in hoc sæculo puniti leguntur, subversa civitate eorum & interfectis plurimis; sic & eos qui corpus Christi in eucharistia malè tractarunt temporaliter punitos fuisse morbis & morte. Nam de morte sequitur, *& dormiunt multi.* Inter infirmos & imbecilles secundùm Græca vocabula quæ hic legunrur, ἀσθενεῖς καὶ ἄῤῥωστοι, hoc interesse videtur, quod plus sit infirmum esse quàm imbecillum. Nam infirmi dicuntur qui graviùs ex morbo laborant: ut Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis*, Græcè ἀσθενεῖ. Imbecilles autem, id est, ἄῤῥωστοι sunt haud benè valentes, etsi lecto non decumbant. Erasmus reddit invalidos, in paraphrasi valetudinarios.

Dormire pro mortuum esse.

ET DORMIUNT MULTI. *Multi* Græcè ἱκανοὶ, quod etiam verti potest, *sufficientes*, ut legit Augustinus in enarrat. *Psalm.* 147. *& serm.* 10. *de diversis:* ubi etiam exponit, *Sufficientes*, id est, *quantum sufficit ad disciplinam imponendam, multi in vobis dormiunt.* Quem sensum refert etiam Oecumenius Græcus. Quamquã simplicius est, ut absolutè multi intelligantur; quomodo vertunt omnes interpretes: ut hac parte significentur immaturæ mortes multorum. Nam dormire in sacris literis frequentissimè ponitur pro eo quod est è vita emigrasse, mortuum esse, in morte quiescere, excitandum aliquando ad vitam per corporis resurrectionem. De solis enim hominibus hoc in scriptura dicitur. Vide quæ suprà diximus ad illud capitis 7. *Quod si dormierit vir ejus.*

51. QUOD SI NOSMETIPSOS DIJUDICAREMUS; NON UTIQUE JUDICAREMUR. Græcè ad verbum: *Si enim nosmetipsos dijudicabamus, non utique judicabamur.* Sunt enim in Græco verba modi indicativi διεκρίνομεν ἐκρινόμεθα: sed quæ Latinè reddi debeant per subjunctiva, vel præteriti temporis imperfecti, *dijudicaremus, judicaremur*, ut noster & alij plerique vertunt, vel præteriti plus quam perfecti, *dijudicassemus, judicati fuissemus*, ut habet Erasmi versio, quam tamen rectè deserit in paraphrasi. Docet enim Apostolus non tantùm quid agere debuerint Corinthij, verùm etiam quid in posterum agere debeant tum Corinthij, tum alii, ut hujusmodi punitiones temporales à se avertant.

Nota modestiam Pauli conjungentis se peccatoribus.

Quod autem in prima persona loquitur, modestiæ est qua se conjungit cum fratribus delinquentibus; sciens nec se sine peccato vivere, nec paternæ correptionis esse immunem: simul ut innuat doctrinam se tradere generalem & ad omnes fideles pertinentem.

Dijudicare trifariam hoc loco exponitur.

Porrò dijudicare hoc loco trifariam ab interpretibus exponitur. *Primùm*, ut idem sit quod judicare posteriore loco, id est, punire; quomodo multi Latini intelligunt: *hoc sensu*: Si nosmetipsos pro peccatis nostris puniremus, scilicet per voluntarias afflictiones & satisfactiones, manum Domini præveniendo: non utique ab eo graviùs flagellaremur, sive in hoc sæculo, sive in futuro. Qui sensus manifestè confirmat doctrinam Catholicam de satisfactione fidelium pro peccatis. *Alio modo*, ut dijudicare sit condemnare, etiam citra punitionem. Sic Græci intellexerunt. Inter quos Theophylactus: *Non dixit*, inquit, *si nos ipsos puniremus, sed tantùm, si judicaremus & condemnaremus nosipsos: non jam hîc condemnaremur à Deo; verùm & præsentia & futura supplicia effugeremus.*

Obs. contra sectarios, confirmari hinc doctrinam cathol. de satisfactione.

Tertiò, ut dijudicare sit examinare, discutere. Ita *sensus est*: Quod si nosmetipsos examinaremus, id est, probaremus, ac non nisi probati ad mensam illam sacram accederemus; prout antè dixi. *Probet autem seipsum homo & sic de pane*, &c. non utique judicaremur, id est, puniremur à Deo ob indignam corporis & sanguinis Domini sumptionem. Sic exponunt Haimo, Liranus, Cajetanus & alij ex Latinis nonnulli, sanè quàm probabiliter ac præcedentibus congruenter: favetque commentator Ambros. qui legit & exponit *discerneremus*. Nam quod prima habebat expositio, id à Græcis apertè rejicitur: ac meritò. Siquidem ne Græcum διακρίνειν, nec Latinum dijudicare, significat punire: sed usitatissima ejus significatio est quam attulimus tertio loco; juxta quam paulò antè etiam dictum est, *non dijudicans corpus Domini.*

Tertia expositio melior cæteris.

Jam quomodo locus iste non sit contrarius illi in cap. 4. hujus epistolæ, *Sed neque meipsum judico*: facilè patet ex utriusque sensu quem dedimus. Nam Paulus, etsi nihil sibi conscius, seipsum tamen quod sit fidelis ac sincerus evangelij dispensator, non judicat infallibili judicio: sed hoc judicium Domino relinquit, dicens, *Qui autem judicat me, Dominus est.* Dijudicat autem se; & nobis, ut nosmetipsos dijudicemus atque probemus præcipit; non ut certum de se quisque ferat judicium, sed ut cum ipso dicere possit, *nihil mihi conscius sum.*

Hujus loci conciliatio cum altero ejusdem Apostoli.

32. DUM JUDICAMUR AUTEM, A DOMINO CORRIPIMUR. Græcè κρινόμενοι, *qui judicamur.* Verùm rectè participium exponunt interpretes, addito temporis adverbio. Judicari rursus est puniri. Estque hæc pars consolatoria, quasi dicat: Non tamen vobis durum videatur, neque spem vestram minuat quam habetis in Christo, quod temporalibus flagellis ab eo puniamini. Sunt enim ea flagella filiorum, à Christo Domino vobis inflicta ad emendationem vestram & salutem. Nam hujusmodi correptionem significat verbum Græcum παιδευόμεθα, *castigamur*, ut pueri à patre & magistro. Cur autem hæc in prima persona loquatur Paulus, jam suprà dictum est.

Correptio qui significet.

Nota particulam *à Domino*, quamvis in medio positam, ut & præcedenti verbo jungi possit & sequenti: meliùs tamen cum sequenti cohærere. Sed & illud notandum, ideò Paulum dicere *à Domino*, id est, Christo (sic enim Dominum in tota hujus loci doctrina accepit) ut significet ipsum Christum esse, qui tamquam judex omnium à Patre constitutus, injurias suo corpori & sanguini illatas ulciscitur, vel pœnis temporalibus, de quibus ait *corri-*

Christus vindex in eos qui indignè communicant.

mur; vel æternis, ad quas pertinet hoc quod sequitur.

UT NON CUM HOC MUNDO DAMNEMUR. Interpres servare non potuit allusionem, quæ in Græcis est, non ingrata, hujus verbi κατακεκριμένῳ cum præcedentibus διακρίνειν dijudicare, & κρινεῖται judicari: nisi pro *damnemur* verteret *contrajudicemur*, quod Latinitas non permittit. *Cum hoc mundo*, Græcè, *cum mundo*, id est, cum infidelibus & peccatoribus, qui sæpè mundi nomine significantur in scripturis, propter immensam eorum multitudinem. Nam more scripturæ mundus passim ponitur pro magna hominum multitudine.

Mundus pro infidelibus & peccatoribus.

Ostendit hic locus temporalia flagella valere ad evadenda supplicia æterna; si tamen illis utamur ut flagellis paternis ad emendationem nostram & peccatorum castigationem: ut credibile est usos fuisse de quibus dixit Apostolus, *& dormiunt multi*, & proinde damnationem æternam evasisse. Quod ut rectè de illis sentit Augustinus *serm. 10. de diversis*, ita dubitari potest, an etiam illud probabile quod eodem loco sentire videtur Augustinus; Ananiæ & Saphiræ temporali morte punitis, Deum post hanc vitam peperciisse: quamvis hoc & apud Origenem legatur *tract. 8. super Matth.* & apud alios nonnullos. Cum enim ad increpationem Petri repentè exspiraverint, non apparet eis concessum fuisse spacium pœnitendi de peccato, ut in die judicii salvi esse possint.

Nota Pœnas temporales valere ad evadendas æternas, & quatenus.

Ananias & Saphira an salvi.

33. ITAQUE FRATRES, MEI CUM CONVENITIS AD MANDUCANDUM, INVICEM EXSPECTATE. *Ad manducandum*, id est, ad celebrandam cœnam Dominicam, de qua suprà. In qua nimirum ea fuerant commissa, per quæ indignè participaverant sacratissima mysteria. Præcipit autem, ut se mutuò exspectent; corrigi volens illud eorum peccatum de quo dixerat, unumquemque suam cœnam præsumere ad manducandum. Atque hinc liquet Apostolum non sustulisse cœnam Dominicam; id est, agapen, ut quidam volunt, sed reformasse.

Paulus non sustulit agapen.

34. SI QUIS ESURIT, DOMI MANDUCET. Græcè, *Si autem quis*, &c. Et sensus est: Si quis non potest tamdiu jejunus in ecclesia permanere, donec omnes convenerint, priùs domi comedat, aut certè præguslet aliquid, ne sit ei molestum exspectare communem cœnam. Ex hoc loco satis liquet, cœnam Dominicam, de qua agit Apostolus, verè cœnam fuisse, non prandium, ut Græci autumant: & consuetudinem fuisse fidelium, ut jejunarent toto die ad vesperam usque, qua cœna celebrabatur, Nam alioqui non fuisset molesta exspectatio. Vult autem Apostolus potiùs solvi jejunium ante tempus, ab iis qui famem minùs tolerare poterant; quam ut quicquam committeretur illo convivio & conventu indignum.

Fidelium consuetudo jejunandi usque ad vesperam qua cœna celebrabatur.

UT NON IN JUDICIUM CONVENIATIS. Id est, ne conventus ille institutus ad fovendam charitatem, & ad salutem, vestro vitio vobis cedat ad judicium, de quo suprà, quando dixit, *judicium sibi manducat & bibit:* hoc est ad æternam damnationem. Quamquam & temporalis punitio de qua dixit, *non utique judicaremur*, eatenus hîc comprehendi potest, quatenus illa signum erat judicii futuri, sicut antè dictum est.

Quid in judicium convenire.

CÆTERA AUTEM CUM VENERO DISPONAM. Græcè διατάξομαι, id est, ordinabo, constituam, ac sigillatim præscribam. Cætera, intelligit spectantia ad dignam, honestam & ordinatam mysteriorum celebrationem. *Unde intelligi datur*, ait Augustinus ad Januarium scribens, *quia multum erat ut in epistola totum illud agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat ecclesia: ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.* Quæ sint illa cætera, scriptum non habemus, sed traditum: quorum quædam recenset Baronius in annalibus ad *annum Domini LVII.* E quibus unum est, de Eucharistia à jejunis sumenda; quod satis eodem loco indicat Augustinus. An verò Paulus adhuc posteà Corinthum venerit, facturus id quod hic pollicetur; ex Actis Apostolorum certò colligi non potest. Vide quæ ea de re dicturi sumus ad illud 2. Cor. 12. *Ecce tertiò hoc paratus sum venire ad vos.* Illud in confesso est, ut proposita bona, sic & promissiones, justa ratione posse licitè mutari. Quamquam, si per se non fecit quod hîc promittit, per discipulos suos facere potuit; Certè omninò fecisse credendus est: ut audivimus ex Augustino. Sequitur apud Theodoritum tomus tertius hujus epistolæ.

Agenda circa Eucharistiæ oblationem & sumptionem Paulus ordinavit sine scripto.

Eucharistia à jejunis sumenda. An Paulus Corinthum reversus.

CAPUT XII.

DE spiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres. 2. Scitis quoniam cum Gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini euntes. 3. Ideò notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. 4. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus: 5. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: 6. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. 7. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. 8. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: 9. alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: 10. alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. 11. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. 12. Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. 13. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi: & omnes in uno Spiritu potati sumus. 14. Nam & corpus non est unum membrum, sed multa. 15. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus: non sum de corpore: num ideò non est de corpore? 16. Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? 17. Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus: ubi odoratus? 18. Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit. 19. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? 20. Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. 21. Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo: aut iterùm caput pedibus: Non estis mihi necessarii. 22. Sed multò magis, quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: 23. & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. 24. Honesta autem nostra nullius egent: sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem; 25. ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem solicita sint membra. 26. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. 27. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. 28. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. 29. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? 30. numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? 31. Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

Mar. 9. f. 39.

Rom. 12. d. 6. Eph. 4. b. 6.

Eph. 4. c. 11.

SUMMARIUM.

OStendit ejusdem Spiritus-sancti varia esse dona, diversis ecclesiæ membris ad communem utilitatem attributa: adhibita similitudine corporis humani, in quo diversa membra diversis officiis sunt deputata, sic ut alia aliorum opera adjuventur.

DE SPIRITUALIBUS AUTEM NOLO VOS IGNORARE FRATRES. Dictionem *fratres* quidam vetuſti codices non habent. Græci ponunt in medio, *De ſpiritualibus autem fratres nolo*, &c. Progreſſurus Apoſtolus ad aliud quiddam reformandum, quod in publicis eccleſiæ conventibus inordinatè fiebat; nempe quod ſpectabat uſum donorum ſpiritualium quæ ab ipſo in ſequentibus χαρισματα Græcè vocantur: priùs docet quis eorum author ſit, & cujus arbitrio variè diſpenſentur in eccleſiæ membra: quod facit toto *hoc capite*: deinde quod donum iis omnibus antecellat; & præ omnibus ſit expetendum: quod facit *capite proximo*.

Cauſa quæ Paulum impulit ad hæc ſcribenda, fuit ea, quòd cùm in Corinthios qui crediderant, effuſa eſſent hujuſmodi dona, alii propterea ſupra alios ſe efferebant, neque illis ordinatè utebantur: alii dolebant de non acceptis, aut quod minora aliis accepiſſent. Quare ſuper hac tota re neceſſariò admonendi erant & inſtruendi. Dicit ergo: *De ſpiritualibus autem nolo vos ignorare fratres*: id eſt, de chariſmatibus quibus ditati eſtis, ut initio epiſtolæ dixi, volo vos inſtruere. Vocat ea ſpiritualia ab authore Spiritu-ſancto, id quod ſtatim manifeſtè & ex profeſſo docet. Cæterùm inſtructio quam promittit, extenditur per tria capita.

Quæ cauſa Paulo ſcribendi de chariſmatis.

2. SCITIS QUONIAM CUM GENTES ESSETIS. Græcè οἴδατε ὅτι ὅτε ἔθνη ἦτε. *Scitis quod quando gentes eratis*. Sunt quidem non pauci codices in quibus omittantur ὅτε *quando*; Sed hanc quam poſui germanam arbitror lectionem, quæ etiam eſt in editione Complutenſi: & cum vulgata Latina convenit. Nam & Græcos expoſitores, Chryſoſtomum ac cæteros ita legiſſe, probant eorum commentarii. Sed cùm in Græco concurrant voces ſimillimæ ὅτι & ὅτε, nata hinc eſt Græcorum codicum varietas, ut in quibuſdam ſolum ὅτι, in aliis ſolum ὅτε legeretur, idque jam olim. Quod liquet ex diverſis tranſlationibus Latinis. Nam textus comment. Ambroſ. (quem cito ex editione Romana (ſic habet: *Scitis quia gentes eratis*. Auguſt. verò *libr. 21. contra Fauſtum capit.* 8. ex alia verſione: *Scitis quando gentes eratis*. Atqui plena lectio eſt, *Scitis quia quando gentes eratis*: non addita particula δὲ *autem*, quæ in nullis eſt Græcis. Porrò gentes dicit cultu & religione. Nam natura & origine gentes eſſe non deſtiterant. Rurſum gentes vocat à majori parte; compellans eccleſiam Corinthiorum. Alioqui inter eos erant etiam ex Judæis aliqui, in quos nec id quod ſequitur, competebat.

Gentes quæ dicantur hoc loco.

AD SIMULACRA MUTA, PROUT DUCEBAMINI, EUNTES. Supple *eratis*. Id enim ex priori membro commodè repetitur, ad abſolvendam orationem aliàs imperfectam. Alii *euntes* pro *ibatis*, participium pro verbo poſitum dicunt Hebræa phraſi. Alii verò cenſent in Græco orationem eſſe perfectam: accipientes vocabulum ὡς ἄν, in alia ſignificatione. Sic enim vertunt Eraſmus & Hentenius: *ad ſimulacra muta utcumque ducebamini ſequentes*, ſive *abducti*. Hoc enim ſignificat Græcum participium ἀπαγόμενοι, pro quo noſter interpretes reddit *euntes*. Sanè probabilis eſt horum interpretatio: qua ſignificetur Corinthios ad muta ſimulacra colenda non conſilio acceſſiſſe; ſed utcumque, id eſt, qualitercumque, temerè, pro nutu ducentium, & huc illuc eos circumagentium, abductos fuiſſe.

Quamquam & hoc modo verti poteſt: *Ad ſimulacra muta quaſi ducebamini abducti*; ut ſit tacita comparatio cum brutis animantibus, quæ ducuntur hominum imperio: nec ſine alluſione; *ad ſimulacra muta* tamquam mutæ pecudes, juxta illud: *Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis*. Pſalm. 113. Et huc facit tranſlatio qua uſus eſt Auguſtinus loco jam dicto. Sic enim habet: *Ad ſimulacra ſine voce, quomodo aſcendebatis* (fortè, *accedebatis*) *inducti*. In ſumma, ſentit Apoſtolus eos ad colenda ſimulacra (Græcè εἴδωλα) quæ nec loqui, proinde nec intelligere quicquam poſſunt; nam ejuſdem eſt, ſermonis & rationis eſſe participem) faciles & ſequaces, more pecudum ductos & abductos fuiſſe; ſive conſuetudine, ſive principum ac ſacerdotum authoritate, & dæmonium fallacia.

Gentiles more pecudum ad idola colenda ducti.

Sed quorſum iſtud tamquam præfationis loco, commemoret Apoſtolus, non ſatis liquet. Græci putant eum velle inſinuare diſcrimen inter vates idolorum & Prophetas Chriſti: ac *primum* quidem ſignum quo diſcernantur, hac parte ſignificari; nempe quod illi vates à dæmonibus arrepti, velut inſani ſine mente proferrent ea quæ ſuggererentur; nec haberent in poteſtate loqui, aut non loqui. In Prophetis autem Chriſtianis res haberet prorſus contrario modo. Nam ut cap. 14. dicitur, *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt*; tametſi de illius intellectu ſententiæ, ſuo loco videbimus. Alterum verò ſignum ſubſequentibus verbis ſignificatum: quod illi Jeſum blaſphemarent; iſti non ſine honore nominarent.

Diſcrimen inter vates idolorum & Prophetas Chriſti duplex.

Verùm hæc Græcorum ratio videtur aliena à textu. Loquitur enim Apoſtolus generaliter ad fideles ab errore gentili converſos; nihil indicans de iis qui fuiſſent aliquando vates idolorum, ſed ſolam idololatriæ memoriam eis refricans. Neque conveniebat ſimulacra muta appellare, ubi de vaticiniis atque reſponſis per ea editis ſermo eſſet.

Potiùs ergo dicendum eſt, idcircò Paulum eis veterem idololatriam rememorare, ut ex oppoſito declaret ac doceat, quibus donis per ſuſceptam Chriſti religionem ditati ſint ac decorati; qui priùs muta ſimulacra colentes nihil hujuſmodi donorum habebant, ſed ad cultum ſtatuarum ducebantur velut pecora ſermone & ratione carentia.

3. IDEO NOTUM VOBIS FACIO QUOD NEMO IN SPIRITU DEI LOQUENS DICIT ANATHEMA JESU. Græcè & Syriacè *Jeſum*. Sic & nonnulla Latina ſuffragantibus antiquis concordantiis. Ita quoque legerunt Novatianus *libr. de Trinit. cap.* 29. & Hilarius de *Trinitate lib.* 2. & 8. *In ſpiritu*, per ſpiritum, Hebraiſmus. *Senſus eſt*: Quod cùm ita ſit; imprimis ſcire vos volo, quod nullus per ſpiritum Dei loquens, Jeſum vocat anathema, id eſt, Jeſum exſecratur, Jeſum maledicit; interitum ei & exterminationem imprecatur. Nam anathema, Hebraicè תמרה *hharmacæ*, dicebatur res exſecrabilis & exterminanda. Vide quæ annotavimus ad illud Rom. 9. *Optabam anathema eſſe à Chriſto*.

Quid dicere Jeſum anathema. Quæſtio.

Quæres autem cur Apoſtolus ſpeciatim acturus de donis Spiritus-ſancti, primum generaliter ab eis removeat hoc quod eſt, dicere anathema Jeſum; quod apud fideles nullam poterat habere dubitationem. Neque enim propter vates idolorum id facit: quem commentarium jam priùs rejecimus. Adde quod non ſpiritum Dei, ſed deorum illi jactabant. Nec omninò propter gentiles infideles ad hunc modum loqui videtur. Non enim illi dicebant Jeſum anathema: quia vocabulum hoc apud gentiles non erat uſitatum in ea ſignificatione quam diximus.

Reſponſio. Judæi uſque hodie dicunt Jeſum anathema.

Reſpondeo mihi maximè probari rationem quam adfert Cajetanus: ſcilicet hoc à Paulo dici propter Judæos, qui de ſpiritu Dei gloriantes, Jeſu tamen maledicebant: atque eum non ſolum Chriſtum negabant, ſed etiam dicebant anathema; nomen ejus penitus exſtinguere laborantes. Id quod etiamnum hodie facere dicuntur in ſuis ſynagogis: videlicet imitatores patrum ſuorum, qui ſpiritu maligno pleni clamabant ad Pilatum de Jeſu, *Tolle, tolle, crucifige eum*, Joan. 19.

ET NEMO POTEST DICERE DOMINUS JESUS, NISI IN SPIRITU SANCTO. *Dominus Jeſus*. Rurſus Græcè & Sy-

& Syriacè *Dominum Jesum*. Atque ita legunt Ambrosii titulo commentarius, & ipse Ambrosius *libro* 1. *de Spiritu-sancto cap.* 4. *&* 10. *& lib.* 3. *cap.* 12. Item alij veteres, Hilarius *utroque loco suprà cit.* Hieron. *in comment. super Isaiam cap.* 66. *& super Joëlem cap.* 2. Prosper. *lib.* 2. *de vocat. gent. cap.*7. Quæ lectio quamvis è Latinis codicibus exoleverit; omninò tamen probanda videtur : exigente eam antithesi, quæ est ad partem præcedentem. Ut enim illic negavit Apostolus quemquam in Spiritu Dei dicere Jesum anathema : ita nunc negat quemquam nisi in Spiritu-sancto Jesum dicere Dominum. Confirmat eamdem lectionem citatio Gaudentij Brixiensis episcopi, vetusti scriptoris, serm. 9. ad neophytos : *Quoniam*, inquit, *nemo confitetur Dominum Jesum-Christum, nisi in Spiritu-sancto.* Quod ergo nostri codices habent : *Nemo potest dicere Dominus Jesus*, sic expone : Nemo potest dicere quod Jesus est Dominus : quomodo Paulus ait Philip. 2. *Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus-Christus*, id est, quod Jesus-Christus sit Dominus. Dominum autem intelligit ut & alibi passim, jure redemptionis humanæ: propter quod dicere potuit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Matth. 28. Quo sensu Dominum eum prædicabant Apostoli, & veri confitentur fideles.

Quid dicere Dominum Jesum.

Nec tamen quicumque eo sensu prædicant aut confitentur Jesum esse Dominum, id faciunt in Spiritu-sancto : sed qui pio cordis affectu talem prædicant aut confitentur. Hoc enim Apostolo est Jesum dicere Dominum : quod nemo potest, nisi ex dono Spiritus-sancti, tamquam authoris omnium bonorum ad pietatem & æternam salutem conducentium. Nam etsi Spiritus-sanctus, imò tota Trinitas, cujus indivisæ sunt operationes, omnia operetur in omnibus ; sicut de Deo paulò pòst dicitur : peculiari tamen ratione Spiritui-sancto, cui bonitas appropriatur, in sacris literis ea solent ascribi, quæ spectant hominum sanctificationem.

Non omnes confitentes Dominum Jesum, id faciunt in Spiritu sancto.

Opera Trinitatis indivisa. Spiritui sancto ascribuntur quæ sunt nostræ sanctificationis.

Movet hoc loco Cajetanus & solvit aliquot objectiones : sed nos eas omnes solvimus, cùm illud *dicere* interpretamur, dicere pio cordis affectu, quemadmodum & Hieronymus interpretatur, dictis locis. Nam & August. *lib.* 2. *de serm. Dom. in monte c.* 25. sic exponit, *voluntate ac mente*, & tract. 74. in Joan. *animo, verbo, facto, corde, opere*, & Gaudentius addita particula, *ut oportet.*

Huc ergo non pertinent verba dæmonum confitentium Jesum esse filium Dei; & Apostolos ejus, servos Dei excelsi, annunciantes hominibus viam salutis *Matth.* 8. *Act.* 16. Sed nec hominum verba, qui Christo dicunt *Domine Domine*, nec tamen faciunt voluntatem patris ejus, *Matth.* 7. Quos quidem diserte excludunt ab hac Apostoli sententia Hieronymus & Augustinus *anteà citati.* Quare nec illorum huc pertinet prædicatio, qui non sincerè, sed ex invidia & contentione Christum annunciabant, existimantes pressuram se suscitare vinculis Apostoli Pauli, *Philip.* 1.

Fides etiam informis donum Spiritus-sancti.

Hæc cùm dicimus; non diffitemur eam fidem quæ est in malis Christianis, & informis vocatur, esse donum Spiritus-sancti : sed prædicationem eorum, & fidei confessionem, si non ex sincero & pio cordis affectu procedat ; in Spiritu-sancto fieri, cum allegatis patribus negamus. Quod idem nobis dicendum videtur de cæteris Spiritus-sancti donis, de quibus consequenter agit Apostolus. Quæ res ex iis quæ sequentibus duobus capitibus scribit, satis intelligi poterit.

4. Divisiones vero gratiarum sunt. *Divisiones* διαιρέσεις, id est, *differentiæ, discrimina. Gratiarum* Græcè χαρισμάτων. Augustinus *in epistol.* 57. quæ est ad Dardanum, legit *donationum.* Et ad hunc modum vertit interdum noster interpres. Sed alij rectiùs *donorum.* Quomodo legunt Hilarius in libris de Trinitate, & Hieronymus in epistola ad Hedibiam.

Varia Spiritus-sancti charismata recensentur.

Nam Græco nomine tametsi verbali significantur ipsa dona. *Sensus est.* Charismata seu dona spiritualia variè per ecclesiam distributa sunt : alia aliis donata.

Idem autem Spiritus. Id est, unus idemque Spiritus-sanctus est, qui ea omnia largitur : cujus & dona vocantur.

5. Et divisiones ministrationum sunt. Græcè διακονιῶν, *ministeriorum* : ut alibi vertit : quemadmodum & legunt iidem quos dixi, Hilarius & Hieronymus. Ministeria quoque, inquit, variè distributa sunt per ecclesiam. Quomodo differant ministeria seu ministrationes à charismatis quæ dixit, & ab operationibus quas nominat in membro sequenti, paulò pòst exponemus.

Idem autem Dominus. Græcè, *& idem Dominus*: scilicet Jesus-Christus : à quo ut Deo, & per quem ut hominem, illa omnia conferuntur.

6. Et divisiones operationum sunt. *Operationum*, Græcè ἐνεργημάτων. Quæ vox significat operationes non quascumque, sed potentes & efficaces ; velut à divina voluntate profectas. *Sensus* : Operationes item, hoc est operandi facultates & impetus multifariam per ecclesiam distributi sunt.

Idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus, Græca addunt ὁ θεὸς, *Idem autem Deus est, qui* &c. Hîc significatur Deus Pater, qui est fons deitatis. Quidam hanc partem restringunt ad materiam præsentem, hoc sensu : Qui operatur hæc omnia in quibusvis hominibus, *dividens singulis prout vult*, ut infrà dicitur. Verùm nihil prohibet accipi generaliter : quomodo plerique Latini intelligunt : tamquam dicat Apostolus : idem Deus est qui prorsus omnia in omnibus operatur : & proinde non dubitandum quin & harum omnium operationum, de quibus hîc agitur, ipse sit author.

Deus omnia in omnibus operibus operatur, quo sensu.

Dicitur autem Deus omnia in omnibus operans, eò quòd intimè efficiat omnia & singula opera, tam naturalia quàm supernaturalia, in omnibus operantibus, id est, in omnibus causis secundis. Unde S. Thomas in commentario. *Qui operatur*, inquit, *omnia sicut prima causa creans omnes operationes. Ne tamen aliæ causæ videantur esse superfluæ; subdit, in omnibus : quia in causis secundariis prima causa operatur*: & probat ex scriptura Isa. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis.* Sic ille, subjungens, *operationes Deo attribui, sicut primæ causæ moventi.* Atque huc facit verbum Græcum ἐνεργεῖν *inoperari*; videlicet aptissimum ad illam intimam Dei in omnibus operationem significandam. Hæc annotare visum est, ne quis opinetur Deum causalitatis ordine non prævenire causas secundas in producendis earum effectibus, sed eas comitari dumtaxat. Quæ quidem opinio revera tollere videtur à Deo rationem primi moventis atque causantis, quoad omnes hujusmodi effectus.

Deus ordine causalitatis prævenit causas secundas in operando.

Deus in omnibus primum movens & causans.

Porrò circa trimembrem hunc locum doctè studioseque observant commentatores tam Græci quàm Latini insinuatam esse à Paulo Trinitatem personarum in divinis : Patrem in eo quod ait, *Idem Deus qui operatur*, &c. Filium & Spiritum-sanctum in duobus prioribus membris : & quidem ordine contrario ; ut primus nominetur. Spiritus-sanctus, deinde Filius, ac tertio loco Pater : nimirum ad judicandam trium personarum perfectam æqualitatem, quæ omnem dignitatis seu majestatis ordinem ab iis excludit. Rectè etiam & convenienter charismata peculiariter ascribuntur Spiritui-sancto, tamquam spiritualium donorum largitori : ministeria Filio tamquam Domino; & operationes Patri, tamquam primo omnium principio.

Trinitas personarum à Paulo indicata hoc loco.

Cur ordine contrario.

Sed nunc *quæritur* quomodo secundùm Apostolum distinguenda sint hæc tria, gratiæ seu dona, ministeria, & operationes. Græcorum quidem omnium commentarij manifestè ea confundunt : quasi

Quomodo distinguantur dona, ministeria, & operationes.

tribus, ut dicunt, nominibus res easdem significare voluerit Apostolus. Atqui meliùs ex Apostoli mente, ea Latini distinguunt. Etenim constat non omnia charismata Spiritus-sancti Paulo vocari ministeria & operationes. Nam & in *epist. ad Rom. cap.* 12. ministerium ab aliis donis sejunxit dicens: *sive ministerium, in ministrando.* Similiter & Petrus 1. *epistol.* 4. cum de multiformi gratia Dei dispensenda loqueretur, secundò ministerium nominavit, inquiens; *Si quis ministrat, tamquam ex virtute quam administrat Deus.* Itaque dona seu charismata videtur Apostolus generaliter intelligere quascumque gratias gratis datas, uti loquuntur Theologi. Sic enim post multarum enumerationem, dicit in fine hujus capitis: *Æmulamini autem charismata meliora.* Certè ad Rom. 12. varia Spiritus-sancti dona recitaturus, ea communi nomine charismata vocavit: quæ noster interpres ibi vertit *donationes.*

Cæterùm ministeria vocat officia ministrandi ecclesiæ, in quocumque gradu & ordine: cujusmodi sunt Apostolatus, episcopatus, diaconatus, & quemadmodum eamdem vocem exposuimus *Rom.* 12. De qua vide etiam quæ commentabimur in locum 1. *Pet.* 4. Pertinent huc ea quoque ministeria quæ in negociis ecclesiæ committebantur feminis. Quarum de numero fuit illa Phœbe, quam in ministerio Cenchreensis fuisse Paulus testatur *Roman. ult.* Operationes autem appellare videtur gratias curationum, ejiciendorum dæmonum; & in genere miraculorum edendorum. Hoc enim probabile fit; tum ex Græca voce, quæ, ut suprà dixi, potentem & efficacem operationem significat; qualis maximè declaratur in miraculis: tum ex eo quod paulò pòst inter charismata nominat operationem virtutum: videlicet utens eodem Græco vocabulo ἐνεργήματα, quod est hoc loco.

Alia distinctio.

Si cui tamen placet, ad hoc ut consistat trium membrorum discrimen, charismata distinguenda esse à reliquis duobus, tamquam genus diversum: is poterit charismatum nomine circumscribere ea Spiritus-sancti dona, quæ neque ministeria sunt, neque operationes. Cujus generis ea sunt quæ mox ab Apostolo recensentur, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, &c.

Aliorum distinctio minus probabilis.

Aliter hæc tria distinguit S. Thom. *in commentario,* nec non *in* 2.2. *qu.* 171. *in præfatione.* Quam distinctionem apud ipsum videre est. Atque eam ferè sequuntur Liranus, Carthusianus & Cajetanus. Sed quomodo consentanea sit ea distinctio verbis & contextui Paulino, & scripturis aliis, in quibus hujusmodi donorum mentio fit, mihi non apparet.

7. UNICUI QUE AUTEM DATUR MANIFESTATIO SPIRITUS AD UTILITATEM. Græcè πρὸς τὸ συμφέρον. Hilarius legit, *ad id quod utile est*, Hieron. *ad id quod expedit.* Rectè noster interpres *ad utilitatem.* Est enim Græcismus, qualis Rom. 2. τὸ χρήστον, *benignitas.* Continet hæc pars utilem ac necessariam admonitionem. *Sensus* enim est: Cuicumque datur aliquod hujusmodi donorum, per quod manifestatur eum accepisse Spiritum-sanctum; non ei datur ad ostentationem, aut vanitatem, aut quæstum, nec omninò frustrà: sed ad utilitatem, scilicet ecclesiæ; id est, ad hoc datur, ut in communem usum populi fidelis, id quod accepit conferat atque exerceat. Quam ob causam servus ille piger, qui talento accepto nihil Domino suo superlucratus fuerat, tanquam inutilis mittitur in tenebras exteriores. *Matt.* 25. Sententiam consequenter explicat numerosa distributione donorum.

Nota, dona non ad vanitatem, sed ad utilitatem referenda.

Non omnibus omnia, sed aliis alia charismata tribuuntur.

8. ALII QUIDEM PER SPIRITUM DATUR SERMO SAPIENTIÆ. Græcè, *Nam huic quidem per spiritum*, &c. Ostendit non omnibus omnia, nec diversis eadem dari dona, sed aliis alia tribui. Sic enim expedit toti corpori: ut dum membra mutuis egent officiis, mutuo charitatis inter se nexu contineantur. Quam rationem indicat ipse Paulus in sequentibus; ubi similitudinem adducit corporis & membrorum. Sermonem sapientiæ vocat gratiam, de iis quæ ad doctrinam religionis ac pietatis spectant, differendi ex causis supremis. Id quod Apostolus se fecisse testatus est *capit.* 2. dicens: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Hoc autem fit, quando quis quasi detegit ac revelat cælestis consilij mysteria, velut de redemptione generis humani per humilitatem passionis Christi filij Dei: deque vocatione Gentium & reprobatione Judæorum, &c. sicuti fecisse videmus Apostolum *in epist ad Romanos & Ephesos*; Qua de re plura diximus ad *locum memoratum capitis* 2. Atque hujusmodi doctrinam idem Apostolus c. 3. hujus Epist. vocat βρῶμα cibum, nempe solidum, ut ait Heb. 5. *Perfectorum est solidus cibus.*

Sermo sapientiæ quis dicatur.

Cùm autem sermo sapientiæ non detur sine sapientia; nec tamen sermo sapientiæ ad gratias gratum facientes pertineat; satis apparet (licet in *comm.* S. Thomas dissentiat) hanc sapientiam in illo gratiarum genere non esse ponendam: Itaque separari posse à charitate, quemadmodum & scientiam, de qua cap. 8. *Scientia inflat*, cap. sequenti, *Si habuero omnem scientiam*, &c. Nam & sapientiam eo loco significari in eo quod ait; *si noverim omnia mysteria*, ibidem ostendemus.

Sapientia gratia gratis data, non gratum faciens.

Quocirca non eodem modo hîc accipitur sapientia, quo passim in scriptura veteris testamenti; ubi soli justi ac Deum timentes vocantur sapientes, potissimùm in Psalmis, Proverbiis, Sapientiæ libro & Ecclesiastico. Quamquam & illic sapientiam & scientiam charitatis exsortem interdum agnoscit scriptura: ut Ecclesiastici 20. *Sapientia absconsa & thesaurus invisus; quæ utilitas in utrisque? Melior est qui celat insipientiam suam, quàm homo qui abscondit sapientiam suam,* &c. 25. *Quàm magnus qui invenit sapientiam & scientiam! sed non est super timentem Dominum.* Hieronymus in com. Matth. exponens illud c. 13. *Mitto ad vos prophetas & sapientes & scribas*: sapientes interpretatur eos *qui noverint quando debeant proferre sermonem.* Sed hoc potiùs ad virtutem prudentiæ pertinet: cujus est observare circumstantias agendi debitas in exercitio cujusque charismatis & virtutis. Unde prudentiæ defectus erat in iis quos *infrà* reprehendit Apostolus *cap.* 14. quod non in tempote, nec cum ædificatione ecclesiæ, donis acceptis uterentur.

Alia sapientiæ acceptatio.

ALII AUTEM SERMO SCIENTIÆ SECUNDUM EUMDEM SPIRITUM. Sermo scientiæ gratia est differendi de rebus Christianæ religionis, ex iis quæ sunt humanæ scientiæ vel experientiæ. Quod fit dum ad explicandam & illustrandam fidei nostræ doctrinam, adhibetur philosophia sæcularis, item exempla, comparationes, & qualiacumque argumenta à rebus humanis, & ad captum rudium & carnalium hominum accommodata. Tale quid apud Corinthios se fecisse testatur Apostolus, dicens cap. 3. *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi:* nomine lactis appellans eam doctrinam, quam dixi. Ut enim sapientiæ sermo fiebat spiritualibus atque perfectis, ipso dicente, *Sapientiam loquimur inter perfectos*; & iterùm: *Spiritualibus spiritualia comparantes*, suprà *cap.* 2. ita sermo scientiæ congruebat animalibus & imperfectis. Nam ut eodem loco subjungit: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*, ideoque, *Non potui*, inquit tertio capit. *vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Discrimen sapientiæ & scientiæ quod dedimus, ab August. traditur *lib.* 13. *de Trin. cap.* 19. *& lib.* 14. *cap.* 1. ac de eo disputant Theologi *in lib.* 3. *sent. dist.* 35.

Sermo scientiæ quis dicatur.

Sapientiæ sermo quibus serviat, & quibus sermo scientiæ.

9. ALTERI FIDES IN EODEM SPIRITU. Quod dixit *per spiritum & secundum eumdem spiritum*, id nunc dicit, *in eodem spiritu*: nihil diversum (ut ab Oecum.

diligenter annotatum eſt) his tribus præpoſitionibus ſignificare volens, ſed unum & idem, ſcilicet habitudinem authoris ac principii, procedentis tamen ab alio. Quæritur autem, quomodo fidem numeret Apoſtolus inter diviſiones gratiarum: cùm ea ſit omnibus Chriſtianis communis ac neceſſaria. S. Thomas *in comm.* gloſſam interlinealem ſecutus, fidem accipi dicit pro ſermone fidei, id eſt, pro gratia rectè & ſuaſibiliter ea proponendi quæ fidei ſunt. At hoc ſufficienter in duobus proximè præcedentibus continetur. Nec verò fides pro ſermone fidei uſpiam alibi legitur. Et, ſi id vellet Apoſtolus, non mutaret tenorem orationis: ſed ſicut dixit ſermonem ſapientiæ & ſcientiæ, ita diceret ſermonem fidei.

Quæ fides hoc loco intelligatur, diverſæ opiniones.

Quapropter idem doctor alteram addit expoſitionem, qua fides accipiatur pro certitudine fidei, quam quis excellenter habeat; velut ille de quo dicebat Chriſtus. *Non inveni tantam fidem in Iſraël*, & illa cui dixit, *Mulier magna eſt fides tua*, Matth. 8. & 16. Verùm fides hoc modo ſumpta pertinet ad gratias gratum facientes, ac per ſe laudem meretur: quemadmodum ex laudatione Chriſti manifeſtum eſt. Eadem ratione refellitur eorum commentarius, qui fidem interpretantur conſtantiam fidei profitendæ. Siquidem & illa per ſe laudabilis eſt.

Igitur alii, præſertim Græci rectiùs eam intelligunt fidem, de qua proximo cap. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Nam ſicut ibi dicit: *Si linguis hominum loquar, & angelorum*, &c. ut oſtendat genera linguarum, de quibus hoc locò, nihil prodeſſe ſine charitate, ita dicit: *Si habuero omnem fidem*, &c. ut doceat fidem, de qua fuerat hîc locutus, abſque charitate nihil prodeſſe, volens idem quoque de cæteris hujuſmodi donis intelligi.

Vera ſententia, intelligi fidem miraculorum.

Eſt autem ea fides, non tam quoad obedientiam aſſentiendi verbo Dei, intenſa & perfecta, (ſic enim accepta voluntatis eſt, & per ſe laudem meretur, uti dictum eſt: nec proinde inter hoc genus chariſmatum, de quibus nunc agitur, numeranda veniret) quàm ejuſmodi, quæ conjuncta ſit cum ſingulari quadam illuſtratione intellectus; ac data in eum finem, ut quis per illam miracula operetur. Quam ideo Cajetanus vocat fidem non credendorum, ſed agendorum, id eſt, patrandorum miraculorum. Græci quoque fidem ſignorum & miraculorum appellant. Et hæc fides ſecundum ſe, tantùm eſt gratia gratis data, hoc eſt, ad aliorum utilitatem propriè conceſſa, quemadmodum prophetia & diſcretio ſpirituum: licet ordinariè non exſiſtat abſque perfecto quodam liberæ voluntatis aſſenſu ad ea quæ divinitus ſunt revelata atque promiſſa. Qualem aſſenſum exigit Dominus à ſuis diſcipulis, per quos erat operaturus miracula, dicens: *Habete fidem Dei.* Marc. 11. porrò convenienter hoc loco poſuit Apoſtolus fidem miraculorum, tamquam fundamentum gratiarum operandi miracula, quas conſequenter recenſet. Nam quod Ambroſiaſter fidem mediam collocat inter gratiam ſanitatum, & operationem virtutum; textum ſecutus eſt vitioſum.

Fides miraculorum tantum eſt gratia gratis data.

Quam fidem Chriſtus exigat à diſcipulis.

ALII GRATIA SANITATUM IN UNO SPIRITU. Græcè: *Alii verò chariſmata ſanationum in eodem ſpiritu.* Tametſi Tertull. *lib. 5. contra Marc. cap. 8.* & Hilarius *lib. 8 de Trin.* legunt ſingulari numero *donum curationum*: niſi mendum eſt in Hilario. Nam *lib. 2. ejuſdem operis* legitur plurativè *dona ſanitatum.* Chariſmata ſanationum ſive curationum (ſic enim infrà vertit etiam noſter interpres) vocat Apoſtolus dona curandi languores & ægritudines corporales: ſive id fiat impoſitione manuum, quæ eſt *oratio ſuper hominem*, Auguſtino teſte *libr. 3. de bapt. contra Donat. c. 16.* (Ita promittit Dominus Marci 16. *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.*) Sive re quapiam corporali adhibita: quomodo legimus Chriſti diſcipulos ipſo jubente multos ægros unctione olei ſanaſſe, *Marci 6.* Sive per ſolum ſignum crucis: quæ cærimonia fugandi morbos, omnibus ſæculis à ſanctis in eccleſia viris uſurpata fuit. Pertinet hæc gratia ſanationum ad operationes; ut & ea quæ ſequitur.

Quæ dicatur gratia ſanitatum.

Manus impoſitio eſt oratio ſuper hominem. Sanitates quibus modis conferri ſolitæ.

10. ALII OPERATIO VIRTUTUM. Græcè ἐνεργήματα δυνάμεων, id eſt, *operationes*, ſive ut Eraſmus interpretatur, *efficaciæ potentiarum.* Hilario dicuntur *virtutum efficientiæ.* Significatur autem donum edendarum virtutum, hoc eſt, miraculorum quæ paſſim in ſcriptura novi teſtamenti virtutes appellantur, eò quòd ſingulari virtute Dei ſupra naturam efficiantur. Græci commentatores hanc partem à præcedenti ita diſtinguunt: quòd qui hoc dono præditi eſſent, etiam punire poſſent incredulos aut inobedientes: quomodo Petrus Ananiam & Saphiram ſubita morte exſtinxit. *Actor. 5.* & Paulus Elymam magum excæcavit, *Actor. 13.* quoſdam etiam contumaces Satanæ tradidit, *ſuprà cap. 5. & 1. Tim. 1.* ad quæ facienda donum curationum non extendebatur.

Operatio virtutum quæ dicatur.

Sed quoniam hæc diſtinctio nec in ſcripturis, nec in vocabuli ſignificatione fundamentum habet; idcircò meliùs cum pleriſque Latinis ita diſtinguemus, ut hac parte ſignificentur miracula majora: per quæ nimirum ea fiunt, quæ naturali virtute fieri nullo modo poſſint. Ejuſmodi miracula ſunt, mortuos ad vitam revocare, cæcos illuminare, claudis greſſum, ſurdis auditum, mutis loquelam reſtituere, dæmones è corporibus obſeſſis ejicere, & quidquid his ſimile: quæ proinde virtutum ſeu potentiarum nomine κατ' ἐξοχὴν meritò deſignantur. Nam infirmorum curatio fit etiam arte humana, licet non æquè citò ac facilè.

Virtutes miracula majora.

ALII PROPHETIA. Proſper legit, *alii prophetatio*, libr. 1. de vocat. gent. cap. 24. Sed qui ita vertit, vocis ambiguitatem vitavit. Nam prophetia vocari ſolet etiam ipſum reſponſum ſeu dictum Propheticum, ut 1. Tim. 1. *ſecundum præcedentes in te prophetias.* Hîc autem ſignificatur eo nomine donum prophetandi, id eſt, futura prædicendi, vel ſcripturas, præſertim propheticas explicandi. Quod utrumque generali nomine revelationis arcanorum, comprehendi poteſt. De hoc chariſmate vide quæ diximus ad illud capitis ſuperioris, *Omnis vir orans aut prophetans*, &c. & quæ dicturi pleniùs ad illud cap. 14. *Magis autem ut Prophetetis.*

Prophetia, quæ dicatur hoc loco.

ALII DISCRETIO SPIRITUUM. *Diſcretio*, Græcè διακρίσεις *diſcretiones.* Significatur autem donum quo quis diſcernere & dijudicare poſſit, à quo ſpiritu proficiſcantur ea quæ tamquam Prophetia, proferuntur in medium: utrùm à divino ſpiritu, an ab humano aut dæmoniaco. Hoc enim eſt quod plurali numero dixit *ſpirituum.* De hujuſmodi dono Paulum loqui ſatis liquet ex aliorum locorum collatione. Sic enim ait infrà cap. 14. *Prophetæ duo aut tres dicant: & cæteri dijudicent*: & 1. Theſſal. 5. *Spiritum nolite exſtinguere: prophetias nolite ſpernere. Omnia probate: quod bonum eſt tenete.* Quod poſtremum ad diſcretionem ſpirituum pertinet. Eſtque donum præfectis eccleſiæ in dijudicandis ſcripturarum ſenſibus, qui varii à variis adferuntur, ſummoperè neceſſarium. Simile donum in ſomniorum dijudicatione B. Auguſtinus aſcribit matri ſuæ S. Monicæ *lib. 3. confeſſ. cap. 11.* Exſtat apud Joannem Gerſonium tractatus lectu dignus, de diſtinctione verarum viſionum à falſis; ubi ſigna quædam adfert, quibus internoſci queant ac diſcerni.

Donum diſcretionis ſpirituum.

Diſcretio ſpirituum præfectis eccleſiæ perneceſſaria.

ALII GENERA LINGUARUM. Id eſt, donum loquendi variis linguis. Quod quidem in eccleſia primitiva fuit admodum frequens: ut ex *Actis Apoſt.* manifeſtum eſt.

Donum linguarum & interpretationis earū.

ALII INTERPRETATIO SERMONUM. Græcè & Syriacè *linguarum.* Atque ita citat hunc locum Auguſt. *libro 32. contra Fauſtum cap. 8.* & ante eum

Tertull. *libr. 5. contra Marc. cap. 8.* Sic etiam habet textus Ambros. juxta codices priorum editionum, commentario respondente. Cæterùm apud Hilarium *libr. 8. de Trinit.* referentem hujus loci verba, legitur in nostris codicibus *interpretatio sermonum.* Sed ex declaratione quam posteà subjungit, constat eum legisse *linguarum. Vel*, inquit, *in interpretatione linguarum (manifestatio spiritus est) ne ignoratione fides audientium periclitetur, cum linguam ignorantibus linguæ interpretator absolvat.* Eadem mutatæ lectionis suspicio mihi est in loco Hieron. *quæst. 9. ad Hedib.* Nec abs re putat Valla nostrum quoque interpretem vertisse *linguarum*, non *sermonum. Verùm*, inquit, *aliquis existimans non rectè bis scribi, linguarum; mutavit in, sermonum*, ac benè probat Græcam lectionem, ex eo quod dicitur in fine cap. *numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur;* videlicet linguas. Hoc enim præcesserat: non sermones. Necnon ex illis verbis capit. 14. *Major est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis: nisi fortè interpretetur*, scilicet linguas, id est, ea quæ peregrinis linguis loquitur, Si tamen interpres vertit *sermonum*, sensus ex lectione Græca reddendus erit: quem dederunt Ambrosiaster & Sedulius.

Loquendi linguis & eas interpretandi dona diversa.

Quippe sciendum est, uti doctè Cajetan. annotat, diversa fuisse dona loquendi linguis, & eas interpretandi. Erant enim qui linguis loquebantur, nec tamen ea quæ dicerent, interpretari poterant: sed tantùm in genere sciebant se divina loqui, utpote motos à Spiritu-sancto ad loquendum. Erant autem & alii qui donum haberent interpretandi ea quæ ab aliis peregrina lingua dicebantur. Unde Paulus *capit.* 14. inter alia quibus hanc diversitatem indicat, vult ut dum quis loquitur lingua, adsit quispiam qui interpretetur. *Si autem*, inquit, *non fuerit interpres; taceat in ecclesia.* Accedit igitur hoc donum interpretandi linguas ad donum linguarum, præstans ei utilitatem: sicut discretio spirituum adhibenda erat prophetiis, ut sciretur quales essent, veræ an falsæ.

Ex quo patet ordinis ratio, cur Apostolus prophetiæ statim adjunxerit discretionem spirituum: & generibus linguarum interpretationem earum. Successit autem huic interpretationis dono posterioribus ecclesiæ sæculis, officium eorum qui professores linguarum vocantur. Quarum sanè notitia ad intelligendas scripturas, quæ omnes, aut pænè omnes, partim Hebraicè, partim Græcè à primis suis authoribus conscriptæ sunt, perutilis est atque adeò necessaria.

Linguarum notitia ad interpretandas scripturas necessaria.

11. HÆC AUTEM OMNIA OPERATUR UNUS ATQUE IDEM SPIRITUS. Articulus inculcatus in Græco, τὸ ἓν ᾧ τὸ αὐτο πνεῦμα, certum spiritum facit intelligi: utique Spiritum-sanctum, de quo toties suprà. Tacet autem hîc reliquas duas in Deitate personas, & solum nominat Spiritum-sanctum, qui in divinis amor est: cui proinde bonitas, & ex ea fluens distributio donorum Dei congruenter appropriatur.

Spiritui-sancto cur donorum distributio appropriata.

DIVIDENS SINGULIS PROUT vult. Græcè, *Dividens privatim unicuique sicut vult.* Quod enim in Græco est ἰδίᾳ ferè vertunt *privatim*: tametsi *propriatim* melius diceretur, si sic usus haberet. Nam privatum publico opponitur, hæc autem dona conferenda sunt in utilitatem publicam. Alii vertunt *seorsim, singulatim, peculiariter.* Sed noster interpres dicens *singulis*, videtur una voce Latina complecti voluisse duas Græcas ἰδίᾳ ἑκάστῳ, *peculiariter unicuique.* Quod si ex adverbio ἰδίᾳ punctum subscriptum tollas, accentu in primam syllabam translato; facies plurale nomen ἴδια, *propria.* Quomodo Latinè legunt Hieron. *libr. 1. dial. contra Pelag. cap. 6.* & Aug. *in epist. 57. ad Dardanum*; & apud Augustinum *author. libri de Trinit. & unit. Dei cap. 8.*

Jam quod addit Apostolus, *prout vult*, referri quidem in Græco potest ad hominem: quia dicitur ἑκάστῳ, *unicuique*: ut sit sensus Spiritum-sanctum dividere unicuique homini, prout quisque voluerit. Et ad hunc modum exponit Origenes *in enarrat. epistol. ad Rom. cap. 12.* Verùm hic sensus manifestam continet falsitatem: & ipsius Apostoli scopo repugnat ex diametro. Non enim ista dona de quibus Apostolus huc usque locutus est, dividuntur hominibus prout illi volunt, ut ex consequentibus palàm est; sed prout ille voluerit, qui ea distribuit: ut quæ nullo modo dependeant ab hominum arbitrio, sed à sola voluntate ac beneplacito Dei. Id igitur est quod dicit Apostolus, *prout vult*, scilicet ipse spiritus.

Charismata non pro voluntate hominum sed Dei distribuuntur.

Unde ex hoc loco tam Græci quàm Latini patres adversus Macedonii impietatem rectè docent Spiritum-sanctum non esse, sicut hæreticus ille dicebat, Patris & Filii ministrum: sed æqualiter cum utroque Dominum ac Deum: utpote qui non ex cujusquam imperio, sed prout vult, id est, pro sua ipsius voluntate, quam cum Patre Filióque communem habet, divina dona dispenset ac distribuat in homines. *Prout vult*, inquit Ambrosius lib. 2. de fide cap. 3. *hoc est, pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* Significat hoc ipsum & illa Christi sententia. Joan. 3. *Spiritus ubi vult spirat*; & illud Apostoli Heb. 2. *& Spiritus-sancti distributionibus secundum suam voluntatem.*

Spiritus-sanctus Deus ostenditur ex hoc loco.

Sed & ideò Paulus addidit *prout vult*, ne quis rationem in particulari quæreret hujusmodi distributionis donorum: simul ut cohiberet improbum & inordinatum desiderium eorum qui cum charismata, cujusmodi jam enumerata sunt, vel omninò non haberent, vel non ea quæ vellent: propter hoc dolebant, & habentibus invidebant: videlicet pluris æstimantes hujus generis dona quàm oporteret; quum non essent de numero eorum quæ hominem Deo commendant gratumque faciunt. Denique phrasis ista, *prout vult*, spiritui attributa, nobis insinuat procedendi modum Spiritui-sancto proprium, qui est secundum actionem voluntatis.

Modus procedendi Spiritui-sancto proprius.

Quod ad dictionem & stylum attinet hujus loci: *Totus hic sermo Pauli*, inquit Erasmus, *distributionibus, dictionum earumdem iterationibus: idque nunc in principio, nunc in medio, nunc in fine, membris incisis, comparibus, similiter cadentibus ac desinentibus, periodisque floridus est.* Hæc obiter ex illo præstantis eloquii scriptore: propter eos qui eloquentiam Apostolo nostro detrahunt.

Eloquentia Pauli

12. SICUT ENIM CORPUS UNUM EST, ET MEMBRA HABET MULTA. Nunc adducta similitudine humani corporis & membrorum, quæ licet diversas habeant facultates & officia; tamen unitatem & concordiam inter se retinent in eodem corpore, ac mutuam præstant operam, eò quòd mutuis egeant auxiliis: docet Apostolus rem prorsus similiter se habere in corpore Christi mystico, quod est ecclesia. Ex quo vult intelligi, nec eos qui plus acceperunt donorum spiritualium, insolescere debere, & alios despicere; nec eos qui minus habent, contristari & aliis invidere: sed omnes sua dona conferre debere ad communem utilitatem totius corporis. Imò incongruens id fore ostendit, si unusquisque fidelis omnia habeat charismata: sicut absurdum foret in corpore naturali, omnia officia iisdem membris attributa esse. Utitur Apostolus eodem simili *Rom.* 12. licet non in eumdem finem. Illic enim admonet, ne per ambitionem aliquid sibi arrogent ultra mensuram donorum quæ acceperint: quod vocat *plus sapere quam oportet sapere.* Hic autem hortatur, ut quisque donum quod accepit, in usum communem expendat.

Comparatio corporis mystici cum corpore naturali.

Incongruum si in unum omnia charismata conferantur.

OMNIA AUTEM MEMBRA CORPORIS CUM SINT MULTA, UNUM TAMEN CORPUS SUNT. Græca pænè omnia addunt, *unius. Omnia verò membra corporis unius, multa cùm sint, unum sunt corpus:* id est, corpus naturaliter unum constituunt.

Partes omnes ſimul ſumptæ idē cum toto.

Hanc Apoſtoli propoſitionem qua dicit omnia membra corporis eſſe unum corpus, obſervat Hugo Victorinus, *propter quoſdam nolentes concedere quod partes omnes alicujus totius ſimul junctæ, recipiant nomen totius: cùm etiam dicatur in ſymbolo, Anima & caro ſunt unus homo.*

Ita et Christus. Scilicet unum eſt corpus, multa habens membra; quæ multa cùm ſint, unum tamen corpus ſunt: non naturale, ſed analogicum; non politicùm & ſæculare, ſed myſticum ac ſpirituale. Chriſtus vocatur corpus, quatenus in Chriſto intelliguntur caput & membra, juxta regulam ſcripturarum, quam primam inter alias ex Tychonio quodam tradit Auguſt. *libr. 3. de doct. Chriſt. cap. 30. & 31.* Quæ regula docet ſcripturam interdum loqui de Chriſto & corpore ejus quod eſt eccleſia, tamquam de una perſona: quia revera, quemadmodum ait Auguſt. lib. de unit. eccleſiæ. cap. 4. *Totus Chriſtus caput & corpus eſt. Caput unigenitus Dei filius, & corpus eccleſia: ſponſus & ſponſa, duo in carne una.* Quò reſpicit illa gloſſatoris ad hunc locum annotatio: *Caput & corpus dicitur Chriſtus, propter ineffabilem unitatem capitis & membrorum.* Hujus ergo totius corporis caput Chriſtus eſt: membra omnes fideles, unà cum Chriſto capite corpus hoc myſticum conſtituentes.

Chriſtus quo ſenſu corpus Apoſtolo dicatur.

Regulæ Tychonii.

Totus Chriſtus caput & corpus eſt.

13. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. Ita legimus ex Romana caſtigatione, & conſenſu Græcorum codicum, annuente verſione Syriaca: licet in pleriſque Latinis exemplaribus, ſed hac in parte defectivis, *corpus* non legatur expreſſum. Certè codex mss. Laudenſis pervetuſtus expreſſit. Docet Apoſtolus, quando & quomodo fideles facti ſint unum corpus: videlicet in baptiſmo, per quem inſiti ſunt Chriſto, & facti membra corporis illius in quo Chriſtus eſt caput. Etenim, inquit, per unum & eumdem Spiritum-ſanctum, ſanctificationis noſtræ authorem, nos omnes fideles baptizati ſumus in unum corpus, id eſt, ſuſcepto baptiſmi ſacramento incorporati ſumus eccleſiæ; ac veluti membra corpori coagmentata, unum corpus effecti; licet alioqui genere & conditione diverſi, unde ſequitur.

Fideles quādo & quomodo facti unum corpus.

Sive Judæi sive gentiles. *Gentiles*, ἕλληνες, *Græci*. Quo tamen nomine Gentiles in univerſum comprehendere ſolet: eo quod Græcorum lingua per gentes latiſſimè pateret. Sive servi, sive liberi. Servos antepoſuit liberis, ut innueret in Chriſto nihil inter hos eſſe diſcriminis: ſecundùm id quod ait de iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, Galat. 3. *Non eſt ſervus neque liber.*

Græcorum nomine Gentiles ſignificati.

Et omnes in uno spiritu potati sumus. *In uno ſpiritu*, Græcè, *in unum ſpiritum*, ſicut dixerat, *in unum corpus*. Tametſi textus Ambroſ. aſtipulante Syriaco, & nonnullis manuſcriptis Latinis, ſic habet, *Et omnes unum ſpiritum potavimus.* Quod & legitur apud Auguſt. *libr. 21. contra Fauſt. cap. 8.* Idipſum etiam veteres exhibent concordantiæ. Sic & Eraſmus vertit quod in Græco eſt: niſi quod loco *potavimus*, reddit *hauſimus*. Cæterùm Oecumenius uno veteri codice ſuffragante, locum hunc ita legit: ἐν πάντες ἓν πῶμα ἐβαπτίσθημεν εἰς ἓν πνεῦμα, hoc eſt, *& omnes unam potionem potavimus in unum ſpiritum.* Videtur enim Apoſtolus, uti Theophylactus annotat, loqui de poculo menſæ Dominicæ, ex quo bibentes hauriunt gratiam Spiritus-ſancti; ſicut in priori parte meminit baptiſmi, per quem fideles ſpiritum ſanctificationis accipiunt: ut mens Apoſtoli ſit: omnes fideles, velut unius corporis membra, quemadmodum regenerationem habent communem per baptiſmum: ita nutritionem quoque communem habere per Euchariſtiæ ſacramentum.

Sumentes euchariſtiam hauriunt gratiam Spiritus ſancti.

Ex altera autem ſpecie relinquit alteram intelligendam, id eſt, ex potu cibum. Sic enim è diverſo ſuperiùs *cap.* 10. myſtici corporis unitatem commendavit ex unius panis participatione, dicens: *Unum corpus multi ſumus, omnes quid de uno pane participamus.* Qui locus adjuvat hujus loci intellectum: & ſuadet ut de Euchariſtia accipiatur. Itaque *ſenſus* eſſe videtur. Et omnes nos uno eodemque ſanguinis Dominici poculo ad hauriendum eumdem ſpiritum, animas noſtras ſanctificantem, potati atque rigati ſumus.

Hanc expoſitionem de potu ſacramentali adfert etiam Aquinas ſecundo loco. Liranus eam ſolam ex illo aſſcripſit. Tradit eamdem Cajetanus. Nec improbant ſectarii, quippe qui ex ea conſequens eſſe putant, calicem ſanguinis Domini omnibus fidelibue eſſe porrigendum. Quod nequaquam conſequens eſt. Non enim dicit Paulus quid neceſſariò fieri debeat, ſed quid factum ſit ſuo tempore: licet etiam tunc (quod dubitari non poteſt) exceptionem in quibuſdam ipſa neceſſitas fecerit.

Obſ. contra Sect. non hinc conſequi calicem eſſe laicis neceſſariū.

Et tamen verum eſt etiam nunc omnes fideles ſuo quodam modo potionem hanc ſacram potare: quomodo omnes dicuntur offerre, nempe per miniſterium ſacerdotis, cui in perſona totius eccleſiæ ſacrificanti atque ſumenti fide & devotione conſentiunt: maximè, ſi & ipſi de ſacrificio partem aliquam ſacramentaliter accipiant: Ut & hoc addam, quod corpus Domini non ſumitur ſine ſanguine: cùm ſub utralibet ſpecie totus ſit Chriſtus.

Quomodo omnes fideles ſumant ſanguinem Domini.

Verùm juſtiùs nos adverſus Sacramentarios urgemus unam & eamdem potionem quam potamus omnes: quæ profectò non eſt una & eadem, ſi quod bibitur, non eſt revera ſanguis Dominicus, ſed vinum quod priùs erat: ſicut adverſus eoſdem argumentabamur ex illis verbis cap. 10. *Omnes qui de uno pane participamus.*

Obſ. contra Sacramentar. veritatē ſanguinis Chriſti in euchariſtia ex hoc loco probari.

Porrò ſi cui magis placet hunc locum juxta lectionem communiorem interpretari de hauſtu ſeu potatione donorum Spiritus-ſancti: quæ in ſcriptura fluminibus & aquis comparantur, ut *Iſa. 12. Ezech. 47. Joan. 7.* non repugnamus. Eſt enim multorum hic commentarius: tametſi priorem arbitror eſſe magis germanum.

14. Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Accedit ad declarandam ſimilitudinem ab humano corpore ſumptam: ut eam poſteà ſuo applicet inſtituto. Etenim, inquit, non eſſet corpus, niſi multis ac diverſis conſtaret membris. Nam de corpore organico ſermo eſt: cujus partes ſunt inſtrumenta, diverſis uſibus attributa.

Corpus organicum multis conſtans membris.

15. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Quaſi dicat, minimè. Nam integritas & perfectio corporis organici, non ſolùm requirit membra, per quæ fiant opera; ut ſunt manus: ſed etiam quibus ipſum corpus loco moveatur, ut ſunt pedes. Sic igitur in corpore myſtico, ſi quiſpiam inferiori miniſterio velut contemptibili deputatus, tamquam pes in corpore, qui calcat terram, & pondus ſuſtinet totius corporis; conqueratur ſe non eſſe membrum corporis, id eſt, nullo loco eſſe in eccleſia, propterea quod non ſit manus, id eſt, honoratiori cuipiam officio deſtinatus: iniqua prorſus & falſa erit ejuſmodi quærimonia. Sicut enim pes æquè ut manus, membrum eſt corporis, tametſi loco & officio impar: ita in corpore myſtico ſe res habet de membris ad imparia deputatis officia; ſiquidem & illius perfectio varietatem hanc membrorum exigit.

Pes & manus in corpore myſtico.

Inſinuat Apoſtolus iſtiuſmodi querelas fuiſſe inter Corinthios, propter donorum & miniſteriorum diſparitatem. Eraſmus hanc partem ita vertit: *Si dicat pes non ſum manus, non ſum de corpore*, &c. Sentit enim ὅτι, *quoniam*, eſſe παρέλκον juxta Hebraicum idioma; relinquens interim ſubaudiendum notam illationis, ideoque non ſum de corpore. Similiter

Corporis perfectio varietatem exigit membrorum.

vertit partem sequentem. At plerique *quoniam* accipiunt causaliter : ut illativæ particulæ supplemento non sit opus.

Sunt etiam qui utramque partem legant absque interrogatione. Quod quidem Græca facilè permittunt : verùm si interrogativè legas, acrior est oratio. Quam prætereà ab hoc loco & deinceps per multos versus ornat elegans personarum fictio in membris, eò gratior quod ad membra mystica, quæ personæ sunt, adhibeatur.

Auris & oculus in corpore mystico.

16. Et si dixerit auris ; Quoniam non sum oculus, non sum de corpore : num ideo non est de corpore? Per aurem & oculum quæ sunt sensuum instrumenta, possunt intelligi, qui in ecclesia vacant actionibus vitæ contemplativæ. Quo in genere doctores sunt oculi, discipuli ut aures ; quemadmodum explicat S. Thomas : volens etiam per manus & pedes significari eos qui vitæ activæ dediti sunt ; in qua prælati sunt ut manus, subditi ut pedes.

Paulò tamen aliter Gregorius interpretatur hæc membra lib. 28. moralium cap. 6. *Quid enim*, inquit, *sancta ecclesia, nisi superni sui capitis corpus est? In qua alius alta videndo, oculus ; alius recta operando, manus ; alius ad injuncta discurrendo, pes ; alius præceptorum vocem intelligendo, auris ; alius malorum fœtorem, bonorumque fragrantiam discernendo, naris est.* Hæc ille. Quamquam aliis placet Apostolum per hæc membra quæ expressit, simili relicto judicio de aliis ; tantùm in genere voluisse significare membrorum corporis Christi varietatem secundum charismata, ministeria & operationes.

17. Si totum corpus oculus : ubi auditus? Sensum pro instrumento sentiendi posuit, auditum pro aure. Similiter in eo quod sequitur. Si totum auditus, ubi odoratus? Id est, si totum auris, ubi nares? Sic igitur & in corpore mystico, si omnia membra supremas ac velut honorabiliores haberent functiones, nulla essent quæ exercerentur in mediocribus aut minoribus ; ut, si omnes magistri, nulli essent discipuli : si omnes vacarent contemplationi, non essent qui insisterent actioni. Itaque periret corporis organici ratio tam naturalis quàm mystici, requirentis diversitatem membrorum pro varietate officiorum.

28. Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit. *Nunc autem*, in his & similibus locis quam vim habeat, dixi *Rom.* 3. *vers.* 21. ampliùs dicturus ad illud Hebr. 11. *Nunc autem meliorem appetunt. Unumquodque eorum*, Græcè ἓν ἕκαστον αὐτῶν. Augustinus legit, *singulum quodque eorum*. Erasmus vertit *unumquodque singulatim*, Et sensus est : At verò Deus humanum corpus sic instituit, ut esset compositum ex variis membris situ & officio distinctis. Ubi nota morem loquendi fidelium. Nam ethnicus quispiam orator aut philosophus hæc omnia referret in naturam, uti facit Cicero *libro 1. Officiorum*, de hac ipsa differens aptissima membrorum humani corporis compositione. At scriptura nos docet, omnia quæ vocantur naturæ opera, Deo opifici & authori ascribere : ut in omnibus Deus laudetur, à quo est ipsa natura, totaque ejus operatio. Quod & S. Thomas observat dicens : *Nam etsi membrorum distinctio sit opus naturæ : hoc tamen agit natura, ut instrumentum divinæ providentiæ.* Ad eumdem modum & *infrà cap.* 15. loquitur Apostolus de semine jacto in terram : *Deus*, inquit, *dat illi corpus sicut voluit : & unicuique seminum proprium corpus.*

Paulus in Deum refert humani corporis compositionem ; ethnicus in naturam.

Addit autem utrobique, *sicut voluit* : ut doceat Deum non necessariò agere, sicut agit natura ; ad quam solam infideles respiciunt ; sed libera prorsus voluntate, in qua sit omnium agendorum ratio. Jam quod de corpore naturali dicitur, id similiter intelli-

Deus agit liberè ; natura necessario.

ge de corpore mystico : quod instar corporis naturalis, Deus instructum ac distinctum esse voluit varietate membrorum atque donorum. Simul animadverte Paulum nunc de Deo loqui quoad naturalia, quomodo paulò antè de Spiritu sancto quoad gratuita : nempe quòd membra in corpore ordinavit, & officia distribuit, sicut voluit. Quæ similitudo sermonis haud obscurè significat Spiritum-sanctum esse Deum.

Spiritum-sanctum esse Deum.

19. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Intellige corpus organicum, ut suprà : quale oportet esse corpus humanum, quod non consistit sine membrorum, tamquam instrumentorum varietate. Sic ergo neque ecclesia rationem corporis haberet, si omnium fidelium par esset dignitas, eademque functio.

20. Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Atqui, inquit, ita se res habet ex institutione & voluntate divina, ut in homine multa sint membra, quæ unum corpus constituant. Sic igitur & in ecclesia.

21. Non potest autem oculus dicere manui ; opera tua non indigeo. Docet in corpore sic institutam esse membrorum diversitatem, ut mutuis egeant officiis ac ministeriis. Ex quo vult intelligi, rem similiter se habere in membris corporis mystici. Quæ res præcipuè facit ad retinendam unitatem & fovendam charitatem membrorum inter se. Nominat autem duo membra præstantissima, oculum & caput ; quæ dicit indigere opera mediorum & infimorum, scilicet manuum & pedum : ne qui majora dona acceperunt, ideoque sublimiore loco in ecclesia constituti sunt, inferiores præ se contemnant ; sed modestè se gerant, scientes etiam horum operam sibi totique corpori esse necessariam. Sicut enim in corpore, *exempli gratia*, non solùm manus indiget directione oculi ut operetur ; sed & vicissim oculus indiget protectione manus ne lædatur, & lotione vel absersione, ut mundetur : ita in ecclesia, non solum qui actioni incumbunt, & per manus appositè significantur, dirigi debent ab iis qui tamquam oculi vacant contemplationi : sed & hi vicissim egent illorum opera, ad hujus vitæ necessitates.

Membra diversa mutuis egent auxiliis : etiam in ecclesia.

Aut iterum caput pedibus : Non estis mihi necessarii. Nec, inquit, è diverso caput dicere potest pedibus, opera vestra non indigeo. Repetit enim eamdem locutionem, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω. *Non est mihi opus vobis.* Caput inter membra corporis supremum obtinet locum, pedes infimum : Et tamen caput pedibus indiget, ut unà cum reliquo corpore moveatur è loco in locum : qui motus corpori propter multa necessarius est ; tam ut evitet noxia, quàm ut commoda prosequatur. Palàm est autem hoc ita de capite & pedibus ab Apostolo dici, ut aptari possit corpori mystico quod est ecclesia. Est igitur in ecclesia caput aliquod, quod pedibus, id est, subditis dicere non possit, *non estis mihi necessarii*. Hoc autem caput Christus utique non est : qui cùm & Deus sit & secundum hominem perfectè beatus, dicere potest omnibus ecclesiæ suæ membris, magnis & parvis, & ipsis angelis, *Non estis mihi necessarii ;* ministerio vestro mihi non est opus. Nam & ad ecclesiam regendam, & ad sanctificandam, quicquid per ministros facit, sive in prædicatione verbi Dei, sive in sacramentorum administratione ; id totum sine illis per seipsum facere potest.

Quomodo caput egeat pedibus in corpore mystico.

Ergo fatendum est, aliquod aliud esse in ecclesia caput, pedum ministerio indigens ad totius corporis regimen, tamquam ad motum spiritualem. Id autem non aliud est quàm caput Christo vicarium, quod Petro successit, id est, Romanus Pontifex. Habemus igitur ex hoc loco contra nostri temporis acephalos, id est, sectarios omnes, quoddam

Obs. contra Hæret. caput ecclesiæ esse Romanum Pontificem.

Caput Eccleſiæ Chriſtus.

Eccleſiæ caput, quod non eſt Chriſtus, nec alius quàm Chriſti vicarius ac miniſter: qui hodie Paulus quintus eſt. Nam Chriſtum quidem eſſe Eccleſiæ caput idem Apoſtolus alibi clariſſimè docet, *ut Epheſ.* 1. & 5. & *Coloſſ.* 1.

Nec ideò monſtroſum Eccleſiæ corpus.

Nec idcircò monſtroſum eſt Eccleſiæ corpus, quod habeat duo capita, alterum primarium, alterum ſecundarium: nihilo certè magis quàm politicum corpus debeat monſtroſum videri, in quo princeps ſuum conſtituit vicarium cum poteſtate principali. Non enim humano corpori debet per omnia quadrare corpus metaphoricum: ſed in his dumtaxat, propter quæ deſumpta eſt inde tranſlatio vel comparatio. Quænam autem hic ea ſint, ſatis edocet contextus Apoſtolicus. Nam alioqui nec plures manus quàm duas, itidem nec plures pedes, oculos, aures agnoſci in Eccleſia oporteret: ne, quod verentur hæretici, monſtroſum fiat eccleſiæ corpus.

Refellitur effugiũ adverſariorũ.

At dicet aliquis, unumquemque epiſcopum eſſe caput ſuæ eccleſiæ, atque in iis impleri hanc analogiam capitis, quam conſideravit Apoſtolus. *Reſpondeo* non in iis tantùm. Sicut enim unaquæque eccleſia particularis habet ſuum caput, quod non poteſt dicere pedibus, *Non eſtis mihi neceſſarii*: ſic tota & univerſalis eccleſia debet intelligi ſuum quoddam habere caput ex Apoſtoli ſententia, quod pedum miniſterio indigeat. Nam planum eſt Apoſtolum loqui de eccleſia univerſali, tamquam de uno corpore. Dicit enim Chriſtum nobiſcum eſſe unum corpus;

Loquitur Apoſtolus de Eccleſia univerſali.

Dicit omnes fideles ſive Judæos, ſive Gentiles, ſive ſervos, ſive liberos, in unum corpus baptizatos eſſe; Dicit Deum in hoc uno corpore, quod eſt eccleſia, poſuiſſe Apoſtolos, Prophetas, Doctores, &c. Hæc autem omnia de univerſali eccleſia ab eo dici, manifeſtum eſt. Neque enim de una aliqua particulari eccleſia veritatem habent, aut habuerunt aliquando.

Quare & quod de capite dicitur indigente pedum miniſterio; ad univerſalem eccleſiam ex ejuſdem Apoſtoli mente, coaptandum eſt. Nam plures quidem eccleſiæ, quatenus ſingulæ ſuum habent caput, plura ſunt corpora, non unum: quæ proinde ut in unum corpus redigantur, ad unum aliquod caput omnes revocandæ ſunt, in quo locum habeat hæc doctrina

Sectariorum amonarchia.

Pauli; ſi eam conſtare volumus: ſcilicet ut dicere non poſſit pedibus, *Non eſtis mihi neceſſarii*. Quamquam nec particularibus eccleſiis ſingulis ſuum caput attribui volunt hujus ſæculi novatores: ſed eas regi debere dicunt à conſiſtorio quod vocant, id eſt, concilio ac cœtu ſeniorum, ſcilicet ut in ſua amonarchia ubique ſibi conſtent.

22. SED MULTO MAGIS QUÆ VIDENTUR MEMBRA CORPORIS INFIRMIORA ESSE, NECESSARIORA SUNT. Græcè ἀναγκαῖα ἐστι, *neceſſaria ſunt*. Nec certè

Membra infirmiora plerumque magis neceſſaria.

Latinum eſt *neceſſariora*. *Neceſſaria* legũt Latini veteres, Ambroſius, *lib. de Noë & Arca, cap.* 8. & Auguſt. *lib.* 21. *contr. Fauſt. cap.* 8. & *lib.* 29. *cap.* 4. rurſumque *lib.* 4. *contr. Jul. cap.* 16. Item Beda, Lombardus, Hervæus, & veteres concordantiæ. Senſus tamen idem eſt. Nam adverbium *magis* initio ſententiæ poſitum reſpicit nomen *neceſſaria*, faciens ipſum comparativè ſumi: ut ſenſus ſit, ea membra corporis quæ videntur infirmiora, multò magis eſſe neceſſaria, quàm pleraque robuſtiora. Quidam putant Apoſtolum tantùm poſitivè loqui: nec aliud velle quàm quòd ea membra quæ infirmiora ſunt, neceſſaria ſint: ut illud, *multò magis* ſit corrigentis, non comparantis: hoc nimirum ſenſu, Nec oculus nec caput dicere poteſt aliis membris: non eſtis mihi neceſſaria: quin potius, ea quæ putantur infirmiora, neceſſitate & uſu commendantur, eoque minimè contemnenda ſunt. Ita videntur intellexiſſe Chryſ. & Theophyl.

Verùm pro priori ſenſu, qui ferè eſt Latinorum, atque etiam Theodoriti & Oecumenii, faciunt ſequentia. Nam in duabus proximis pericopis, manifeſta eſt comparatio honoris & honeſtatis membrorum quorumdam ad alia. Sic igitur & hic neceſſitatis. Sunt autem hujuſmodi membra, cerebrum, venter, hepar, ſplen, veſica; quæ licet invalida ſint, facileque lædantur: ad vitam tamen corporis totius, præ multis aliis ſunt neceſſaria. Nonnulli his annumerant oculum: ſed non juxta mentem Apoſtoli, qui oculum ubique ponit inter ea membra, quæ maximi fiunt. Quem etiam conſtat ad vitam hominis non eſſe neceſſarium, ſed ad operationes tantùm. Jam autem in corpore eccleſiæ membra infirmiora magiſque neceſſaria, poſſunt intelligi ſenes, qui etſi per ætatem debiles, adeò tamen neceſſarii ſunt, ut eorum inſtructione & conſiliis eccleſia carere non poſſit.

Qui mẽbra eccleſiæ infirmiora, magiſque neceſſaria.

23. ET QUÆ PUTAMUS IGNOBILIORA MEMBRA ESSE CORPORIS, HIS HONOREM ABUNDANTIOREM CIRCUMDAMUS. Græcè ἀτιμότερα εἶναι τὸ σώματος, id eſt, *inhonoratiora eſſe corporis*. Nam *membra*, hîc in Græco non exprimitur: ut nec apud Auguſtinum ſcribentem contra Fauſtum, ubi legit *utiliora*. Porrò *circumdamus*, Græcè περιτίθεμεν: *circumponimus*: dum videlicet ea membra diligenti cura contegimus: quod vocat honorem abundantiorem illis circumponere. Hujuſmodi membra ſunt pedes, & quæ ſerviunt egeſtioni. Nam pedes quidem, quamvis infimo loco poſitos, & propter hoc inhonoratos, tegumento calceorum diligenter adverſus frigora viarumque aſperitates munimus. Alias autem partes neceſſariò tegimus, ne ſenſus hominum offendant. Imò qui ſtudent ornando corpori, ſolent eas ſplendidiore cultu veſtire & circumtegere.

Quæ mẽbra corporis ignobiliora.

Hac parte poſſunt intelligi in eccleſia ſervi & pauperes: qui etſi viles & contemptibiles habeantur; ſæpè tamen ſi cum dominis & divitibus conferantur, plus habent in ſe virtutis & gratiæ divinæ, propter quod à fidelibus honorari debeant. Unde Jacobus epiſt. ſuæ cap. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide? vos autem inhonoraſtis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos?* &c. Annotant Græci, Paulum non dixiſſe, quæ ſunt infirmiora vel ignobiliora corporis membra: ſed, quæ talia videntur aut putantur; eò quòd plerumque quos infirmiores & viliores inter Eccleſiæ membra reputamus, coram Deo meliores ſint. Cur autem in parte ſequenti non dicat Apoſtolus, videntur, ſed abſolutè pronunciet; ipſa ejus intelligentia docebit.

Qui mẽbra eccleſiæ ignobiliora.

ET QUÆ INHONEETA SUNT NOSTRA, ABUNDANTIOREM HONESTATEM HABENT. Alii transferunt ex Græco: *Et indecora noſtri decorem abundantiorem habent*. Julianus Pelagianus ita citabat: *Et quæ verecunda ſunt noſtra, majorem honeſtatem habent*. Verùm Auguſt, *lib.* 4. adverſus eum ſcripto benè probat ex Græco ἀσχήμονα melius verti *inhoneſta*: nec aliter vertere debuiſſe eum interpretem, qui ἐυσχήμονα *honeſta*, & ἐυσχημοσυνὴν *honeſtatem* tranſtulerat. Senſus autem eſt: Ea membra quæ in corpore noſtro inhoneſta ac turpia ſunt, habent ex arte & ſtudio humano aſſcititiam quamdam honeſtatem præ aliis membris; quia ab hominibus ſtudiosè teguntur, non ſine ornatu, etiam vano & ſuperfluo; quod ſatis probat experientia. Nam hac parte ſecundum omnes expoſitores intelliguntur membra genitalia: quæ vel ipſo nomine, quo tamquam proprio, pudenda ab omnibus vocari ſolent, turpia & inhoneſta eſſe comprobantur. Nihil enim pudendum niſi quod inhoneſtum & turpe eſt.

Quæ mẽbra corporis inhoneſta.

Cur autem ea Paulus inhoneſta appellet, hanc adfert rationem Auguſt. lib. 29. contra Fauſtum cap. 4. *quia non habent eam ſpeciem decoris, quam membra quæ in promptu locata ſunt*. Verùm, id corrigit, ac ve-

Cur inhoneſta vocentur, ratio quædam ex Auguſtino.

Alia ejuſdē Auguſtini ratio melior.

riorem rationem adfert lib. 2. retractationum, cap. 7. *Sed*, inquit, *probabilior in aliis poſtea ſcriptis nominis reddita ratio eſt, cur ea dixerit etiam Apoſtolus inhoneſta: propter legem ſcilicet in membris repugnantem legi mentis, quæ de peccato accidit, non de prima noſtræ inſtitutione naturæ.* Sic ille: reſpiciens nimirum ad hæc & ſimilia loca librorum ſuorum quos poſtea ſcripſit, ut *lib. 14. de Civit. Dei cap. 26. lib. de peccat. orig. cap. 34. lib. 1. de nupt. & concup. cap. 6. & lib. 2. cap. 9.* Denique *contra Julian.* loco ſuperius citato, ubi poſt alia ſic ait: *Quæ igitur Deus honeſta fecerat, dixit Apoſtolus inhoneſta. Cauſam requiro. Si hoc non peccato factum eſt, unde factum eſt? Quis honeſta Dei opera dehoneſtavit, ut ea inhoneſta ſanctus Apoſtolus diceret? utrùm habitudo, in qua eſt ſolertia creantis; an libido in qua eſt pœna peccantis? Nam etiam nunc, quod Deus ibi facit, honeſtum eſt; quod origo contrahit, inhoneſtum. Et tamen contributum eſt divinitus ſenſui naturali, ut quod dehoneſtavit concupiſcentia, contegat verecundia.* Sic ille. Patet ex his inter ignobilia ſive inhonorata membra, & ea quæ inhoneſta vocat Apoſtolus, id eſſe diſcriminis; quod illa removentur ab aſpectu hominum propter ſordes ſenſibus ingratas & moleſtas, quibus egerendis deſerviunt: iſta verò propter pudendam turpitudinem; propter quam etiam dictum eſt ſupra cap. 6. quod *qui fornicatur, in corpus ſuum peccat.*

Diſcrimen inter mēbra ignobilia & inhoneſta.

Qui membra eccleſiæ inhoneſta.

Per membra inhoneſta poſſunt intelligi in eccleſia, vel homines conjugati, propter pudendam libidinem, ſine qua non poteſt actus conjugalis exerceri, (qui tamen non ideo contemnendi ſunt; ſed ſuo loco & ordine honorandi, tamquam à Deo conjuncti ad opus humano generi neceſſarium) vel qui pro propter crimen aliquod à ſe commiſſum, infames ſunt aut infamia digni. Nam cæteri fideles magis eſſe debent ſolliciti pro conſervando vel redintegrando talium honore, & tegendo vel abolendo dedecore, præſertim apud eos qui foris ſunt, ne malè audiat religio Chriſtiana; quàm pro ſanctis qui hujuſmodi ſollicitudine fratrum non egent. Atque hoc ſignificatur per id quod ſequitur.

24. HONESTA AUTEM NOSTRA NULLIUS EGENT. Græcè, *non opus habent*, ſcilicet honeſtate forinſecus adhibita per tegumentum, ut facies, os, oculi, manus: quia nihil habent turpitudinis, propter quod abſcondi debeant & contegi. Obſerva lector ex ſuperioribus tres membrorum differentias: primam firmorum & infirmorum; ſecundam nobilium & ignobilium, tertiam honeſtorum & inhoneſtorum.

Tres apud Apoſtolum membrorū differentiæ.

Corpus quo ſenſu temperatum à Deo.

SED DEUS TEMPERAVIT CORPUS. *Temperavit*, Græcè συνεκέρασε, *contemperavit*, vel, ut vertit interpres Theophylacti, *commiſcuit*, id eſt, ex tanta membrorum varietate unum fecit. Ita quidem Græci exponunt: tamquam diceret Apoſtolus; Ordinatiſſimè corpus ex membris compoſuit, velut temperatura quadam, ut ſibi mutuo ſint auxilio. Alii verò, temperavit corpus, inquiunt, membris indignioribus addendo ſupplementum ſeu compenſationem quamdam externi honoris. Cui commentario favet quod ſequitur.

EI, CUI DEERAT, ABUNDANTIOREM TRIBUENDO HONOREM. *Tribuendo*, Græcè δοὺς; *dans, tribuens.* Et ſenſus eſt: Ei membro quod ſecundum ſe caret honore, qualia ſunt, quæ jam dixit ignobilia & inhoneſta; aliunde majorem procurans honorem, ſcilicet eum de quo locutus eſt *verſu præcedent.* Ubi *nota* Apoſtolum nunc aſſcribere Deo, quod ante dixerat nos facere. Faciunt enim homines quodam inſtinctu naturæ, cujus Deus author eſt. Nam & Deus ipſe legitur primis parentibus ad tegendam eorum nuditatem, utique inhoneſtam & erubeſcendam, feciſſe tunicas pelliceas, eoſque induiſſe, *Geneſ. 3.*

Inſtinctus naturæ à Deo.

25. UT NON SIT SCHISMA IN CORPORE. *Schiſma*, id eſt, *diſſidium, ſciſſura*, apud Auguſtinum. Perſiſtit enim Apoſtolus in proſopopœia membrorum, ſecundum quam eſſet tumultus ac diſſidium in corpore, ſi membra per ſe honoris expertia, & tamen reliquo corpori ſubſervientia, nullum honoris ſupplementum acciperent ab aliis membris. Eodem igitur modo & myſticum corpus contemperavit Deus: dum ordinavit & voluit ut aliorum membrorum ignobilitas, aut dedecus ab aliis, honore quodam attributo, tegeretur. Quæ res multum facit ad unitatem conſervandam, & ſchiſmatum occaſiones avertendas. Non enim aliter imperfectiora membra in compage corporis myſtici contineri poſſent.

Mutuus honor facit ad unitatem eccleſiæ conſervandam.

SED IDIPSUM PRO INVICEM SOLLICITA SINT MEMBRA. Mendoſi ſunt codices, in quibus habetur: *Sed in idipſum.* Græca legunt, ἀλλὰ τὸ αὐτὸ, *ſed idipſum*: ut eſt in optimis quibuſque manuſcriptis. Pro quo legit Auguſtinus, *ſed idem ipſum.* Addendæ præpoſitionis occaſio fuit ex eo quod dicitur, *ſollicita ſint.* Atqui in Græco verbum eſt μεριμνῶσι: quod æquè reddas uno verbo Latino, *curent.* Idipſum igitur curare, eſt in commune conſulere: quod fit dum membra alia pro aliis ſollicitudinem gerunt, ſupplendo quod cuique deeſt, tegendo, fovendo, remedia adhibendo, &c. Cujus ſollicitudinis inſtinctum naturalem membris indidit Deus: ut non ſit in corpore ſchiſma, per quod, unitate amiſſa, corpus eſſe deſignat. Sic igitur & in corpore myſtico fieri oportet.

Membra idipſum curare, quid ſit.

26. ET SI QUID PATITUR UNUM MEMBRUM, COMPATIUNTUR OMNIA MEMBRA. *Et ſi quid*, Græcè, ἤ εἴτε. *Et ſive*, quemadmodum & Auguſtinus legit: eamque lectionem poſtulat alterum colon hic reſpondens; *ſive gloriatur*, &c. Notandum etiam, in Græcis Complutenſibus & regiis, pro συμπάσχει, *compatiuntur*, legi ſubjunctivum συμπάσχῃ, *compatiantur*: ac ſimiliter in parte ſequenti pro συγχαίρει *congaudent*, legi συγχαίρῃ *congaudeant*. Atque eo modo Latinè ſcriptum vidimus in illo miræ vetuſtatis codice Laudenſi: cujus & aliàs memini. Quam lectionem ipſe Pauli contextus exigere videtur. Præcedit enim, *ut non ſit ſchiſma in corpore*, unde ſequentia dependent, efferenda eodem modo ſubjunctivo: licet alii hunc verſum à præcedenti ſeparent, illativè exponentes; Itaque ſi patitur unum membrum, *compatiuntur*, &c.

Porrò quod dicit Apoſtolus, in corpore naturali manifeſtum eſt: eamque rem exemplo pulcrè declarat Auguſtin. in enarr. Pſalm. 130. *Numquid*, inquiens, *quia in corpore pes quaſi longè videtur ab oculis, quando fortè pes ſpinam calcaverit, deſerunt oculi? & non, ſicut videmus, totum corpus contrahitur, & ſedet homo curvatus ſpina dorſi, ut quæratur ſpina quæ hæſit in planta? Omnia membra quicquid poſſunt faciunt, ut de infimo & exiguo loco ſpina qua inhæſerat educatur.* Hæc ibi. Sanè videmus etiam in beſtiis, aliquo membro malè affecto, ſtatim cætera non ſolùm moveri naturali ſollicitudine pro medela & ſalute illius membri: verum etiam communem inde paſſionem ac dolorem contrahere; ſic ut uno membro dolente totum corpus ægrè ſeſe habeat. Quam affectionem Græci συμπάθειαν vocant: nos condolentiam appellare poſſumus. Ad hunc modum & in corpore myſtico ſingulorum membrorum paſſiones & infirmitates, per affectum charitatis & miſericordiæ, debent omnibus eſſe communes. Quod quidem in ſeipſo præſtitit Apoſtolus, ſecundum illud quod ait in epiſtola ſecunda cap. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Nam & hæc ipſa paſſionis per charitatem communio facit ad levamen membri patientis. Unde Auguſtinus epiſt. 133. ad Italiam ſcripta: *Neſcio quo modo minus ſit*, inquit, *quod pa-*

Nota, elegans exemplum mutuæ cōpaſſionis membrorū.

Sympathia membrorū etiam in beſtiis.

Nota, Qualis membra eccleſiæ deceat ſympathia.

titur unum membrum, ſi compatiuntur alia membra. Nec ipſa mali relevatio fit per communionem cladis, ſed per ſolatium charitatis.

Obſ. contra Sectarios, hinc benè colligi beatorũ animas pro nobis orare: noſque pro defunctis orare debere.

Ex hoc loco, ubi docet Apoſtolus ejuſdem corporis membra invicem eſſe ſollicita, & uno patiente cætera compati: benè colligunt catholici doctores, ſanctorum animas cum Chriſto regnantes, ſuis orationibus nos adjuvare, & nos itidem noſtris ſuffragiis animas quæ ſunt in pœnis Purgatorii adjuvare debere: ut qui tam cum illis quàm cum his ſub uno capite Chriſto ſumus ejuſdem corporis, id eſt, eccleſiæ membra. Compatiuntur autem beati noſtris malis, non doloris affectu, ſed amoris: quatenus ex charitate ſtudent à nobis, ut communibus membris, etſi longè infrà ſe poſitis, avertere & profligare mala quæ patimur.

SIVE GLORIATUR UNUM MEMBRUM, CONGAUDENT OMNIA MEMBRA. *Gloriatur*, Græcè δοξάζεται, *glorificatur*. Sic legit commentator Ambroſ. necnon Auguſtin. paſſim, ut *lib.* 21. *contr. Fauſt. cap.* 8. *tract.* 3. *in* 1. *epiſt. Joan. & lib. de contin. cap.* 10. Cyprianus autem epiſt. 12. & 52. ita legit: *Et ſi lætatur unum membrum, collætantur & cætera membra.*

Gloriari paſſivè ſumptũ ab interprete.

Item Sedulius: *ſive lætatur.* Noſter interpres ſi vertit *gloriatur*, uſus eſt eo verbo paſſivè, pro eo quod eſt gloria afficitur. ſicut interdum uſurpat verbum, *operatur*; de quo vide quæ dicemus ad illud Galat. 5. *Fides quæ per charitatem operatur.* Certè S. Thomas in hunc ſenſum expoſuit: *Sive gloriatur*, inquit, *id eſt, quocumque modo vigoratur unum membrum, congaudent omnia membra: quatenus ſcilicet vigor unius membri in adjumentum cedit aliorum membrorum.*

Glorificatio membri in corpore quæ dicatur.

Igitur glorificatio membri in corpore naturali ea debet intelligi, qua membrum aliquod benè diſponitur: velut dum ex ægro fit ſanum, ex imbecilli robuſtum. Tunc enim omnia membra condelectantur, ut exponit Cajetanus delectatione quadam naturali: quæ non aliud eſt quàm quies in bona diſpoſitione: quam quietem ex unius membri paſſione amiſerant. Conſimiliter in corpore Chriſti, quod eſt eccleſia, debet unumquodque membrum alteri cuique benè habenti congratulari & congaudere. Juxta quod idem Apoſtolus præcipit, Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus.* Siquidem *& gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15.

27. VOS AUTEM ESTIS CORPUS CHRISTI. Hîc jam accommodat ſimilitudinem corporis naturalis ad myſticum, alloquens fideles; Vos, inquit, eſtis corpus Chriſti myſticum. Vos, id eſt, eccleſia: in qua volo omnia quæ de corpore naturali dixi, per ſimilitudinem intelligi & compleri. Quæ res jam ſuprà ſecundum ea membra, quæ Apoſtolus nominavit, à nobis explicata eſt.

Fideles ſunt corpus Chriſti.

Quo ſenſu fideles dicãtur membra ex parte.

ET MEMBRA DE MEMBRO. Græca quæ nunc exſtant, ita habent, ἐκ μέλους ἐκ μέρους, *& membra ex parte.* Quod & Origenes legit, *homilia* 7. *in Levit.* Eamque lectionem Græci commentatores ſic exponunt: Non vos ſoli eſtis corpus Chriſti, neque eſtis omnia ejus membra; ſed pars quædam membrorum. Sunt enim & alia corporis Chriſti membra plurima, aliis in locis. Origenes autem interpretatur membra ex parte ſubjecta ſuo capiti, id eſt, Chriſto: non autem ex integro: quia ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem ſubjecta ſunt hac vita durante. Cui ſenſui convenit quod etiam ſequenti capite de tempore vitæ præſentis dicitur, *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus*, id eſt, imperfectè.

Poteſt & hoc modo exponi: Singuli vos eſtis particularia ac ſingula membra corporis Chriſti: & proinde non unus omnia habet dona; ſed quiſque ſuum, tamquam unum aliquod membrum corporis, ſuo loco & officio contentum. Quem ſenſum etiam vult quod in Syriaco legitur, *Et membra in loco veſtro*, ſive *in locis veſtris.* Id eſt, prout quiſque diverſum in corpore locum obtinet ac functionem: ut ſymmetria ſervetur. Et hic quidem ſenſus Apoſtolico textui benè congruit.

Cæterùm noſter interpres una litera variata legit in Græco, ἐκ μέλους, id eſt, *ex membro*, vel *de membro*. Legitur id quidem etiam in textu commentarii Ambroſ. verum ipſe commentarius Græcæ lectionis interpres magis eſſe videtur. Sic enim loquitur: *quia non omnes poſſumus eadem: ſed ſinguli pro qualitate fidei gratiam habemus conceſſam.* Quod ſi verò ſcriptum eſt à Paulo ἐκ μέλους, *de membro*, videri poteſt alluſiſſe ad illud dictum in typo & perſona Chriſti, de eccleſia; *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, Geneſ. 2. Nam illuc ſine dubio reſpiciens idem Apoſtolus Epheſ. 5. dixit: *quia membra ſumus corporis ejus; de carne ejus, & de oſſibus ejus.*

Igitur *membra de membro*, Chriſto: quia membra corporis in quo Chriſtus caput eſt, ideoque membra de carne & oſſibus ejus, juxta ſenſum in ejus loci commentario reddendum: quem etiam hic inter tres ſenſus primum adfert Thomas. Nam ſecundus quem recitat, membra de membro, id eſt, ex me Apoſtolo veſtro, qui membrum ejuſdem ſum corporis, dependentia, non multum habet probabilitatis. At tertius ejuſmodi eſt: *Diſtinguimini & ordinamini ad invicem, ſicut unum membrum ad aliud.* Cui ſenſui, proinde & Latinæ lectioni, favet impensè locus, *Rom.* 12. huic ſimili: ubi de membris in uno corpore non eumdem actum habentibus allata ſimilitudine, ſubjungit Apoſtolus: *Ita multi unum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra.* Videtur enim illud ipſum verbis nonnihil diverſis dicere hoc loco: *Vos autem eſtis corpus Chriſti: & membra de membro.*

Quo ſenſu fideles membra de membro.

Quare *membra de membro* non aliud erit quàm *ſinguli alter alterius membra*, id eſt, *membra invicem connexa & dependentia*: ut Gaignæus exponit: ac ſi dicat Apoſtolus: Eſtis in hoc corpore commembres: ac propterea mutuis operis atque officiis inter vos variè diſtributis adjuvandi. Senſus profectò congruentiſſimus huic loco.

28. ET QUOSDAM QUIDAM POSUIT DEUS IN ECCLESIA. Græcè, ἓ μὲν ὡς, *& hos quidem*, ſive *& alios quidem*: licet antapodoton deſideretur: de quo ſupplendo dicemus infrà. Similitudinem corporis naturalis adaptat eccleſiæ ea parte qua dixerat: *Nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore, ſicut voluit.* Hoc enim quod dixit Deum poſuiſſe & ita voluiſſe, præcipuè ſtudet inculcare Corinthiis; ut quiſque ſuo loco quem ei Deus aſſignavit, & dono quod dedit, contentus vivat. Recenſet autem ea dona, quæ potiſſimum erant apud Corinthios in admiratione, & ambitioſius ab eis appetebantur: ordine tamen ea digerens, non æſtimationis illorum, ſed ſuæ dignitatis. Hunc enim ordinem ſignificant adverbia, *primùm*, *ſecundò*, *tertiò*, &c. Quæ res à Chryſoſtomo, cæteriſque Græcis expoſitoribus diligenter eſt annotata.

Corinthiorũ in æſtimãdis donis corruptum judicium.

PRIMUM APOSTOLOS. Jungendum hoc cum eo quod dixit: *Et alios quidem.* Et quia non ſequitur redditio particulæ ἓ μὲν, ſupplenda eſt oratio ad iſtum modum: Et alios quidem ac primùm conſtituit Apoſtolos: alios autem ac ſecundo loco prophetas, alios ac tertio loco Doctores, &c. Apoſtolos intelligit eos qui prædicabant Evangelium apud infideles, & eccleſias fundabant: maximè qui vel à Chriſto in terris adhuc agente, quales primi duodecim, vel per revelationem factam divinitus, ut Matthias, Paulus, Barnabas; hujuſmodi legationem accepiſſent. Quamquam hoc nomen etiam ad alios, abſque peculiari revelatione miſſos, poſtea cœpit

Apoſtoli qui dicantur.

extendi ; ut Rom. ult. *Qui sunt nobiles in Apostolis.* Vide quæ commentati sumus ad illum Rom. 1. *Vocatus Apostolus.*

Ceterùm Apostolis meritò primus inter ecclesiæ membra locus asscribitur : quia sunt ecclesiæ fundamenta, *Ephes.* 2. & *Apoc.* 21. Unde ecclesiarum principes, ac fidei duces à Patribus vocantur. Affectabant autem apud Corinthios hoc nomen obtrectatores Pauli, quos ipse pseudapostolos vocat, *transfigurantes se in Apostolos Christi*, 2. Cor. 11.

Quæstio. *Quæret* aliquis, cur in hoc ordine excellentium membrorum ecclesiæ non ponatur, & quidem suo, id est, primo loco summus pontifex. Hæc enim sectariorum quorumdam adversus primatum Petri & successorum ejus, objectio est. Breviter *respondeo* Paulum hîc non agere de gradibus hierarchicis: alioquin Episcopos, presbyteros, diaconos, ex quibus propriè ecclesiastica constat hierarchia, prætermittere non debuisset, sed recensere quædam ecclesiæ membra præcipuis Spiritus-sancti charismatis insignia : sive constituta sint in ordine hierarchico, sive non. Similis est locus Ephes. 4. ubi ad illud, *alios autem pastores & doctores*, pleniorem ejusdem quæstionis reperies explicationem.

Obs. contra Sectarios, pro primatu Petri & successorum.

Secundo Prophetas. Non eos qui de Christo venturo prænunciarunt ; quos unà cum Apostolis in ecclesiæ fundamento collocat Paulus, *Ephes.* 2. Nam hujus generis Prophetæ jam in ecclesia non erant. *Lex enim & Prophetæ usque ad Joannem*, Luc. 16. Sed eos dicit, qui ex inspiratione divina, vel futura aliqua prædicebant, vel scripturas exponebant. Tales in ecclesia fuerunt Agabus, & quatuor filiæ Philippi, & Prophetæ Antiochenæ ecclesiæ, & alii, de quibus omnibus in Actis Apost. *cap.* 11. 13. 15. 21. Plura de his *infrà cap.* 14.

Prophetæ qui hoc loco dicantur.

Tertio Doctores. Id est, eos qui non quidem ex revelatione sibi facta, sed tamen peculiari dono adjuti, traditam ab Apostolis & Prophetis fidei, morumque doctrinam fidelibus exponunt. Hos etiam Lucas, *Actor.* 13. Prophetis postposuit : ac rursum Paulus, *Ephes.* 4. Porrò mirum cuipiam videatur, cur Apostolus in hoc catalogo membrorum ecclesiæ, dona quædam omittat in superiori donorum enumeratione posita, quæ incipiebat à *versu* 8. Non enim hoc loco referuntur sermo sapientiæ, & sermo scientiæ, deinde nec fides, nec discretio spirituum. Sed *sciendum*, illa omnia huc facilè revocari. Nam ad Apostolos & Prophetas maximè pertinet sermo sapientiæ: ad doctores sermo scientiæ : sed & discretio spirituum Prophetas perficit. Denique charisma fidei, quæ fides miraculorum vocatur, parens est duorum quæ nunc proximè sequuntur.

Doctores qui dicãtur.

Dubitationis cujusdã solutio.

Deinde virtutes. Seu *potestates*, Græcè δυνάμεις. Id est, eos per quos fiunt operationes virtutum : quas superius interpretati sumus miracula majora, hoc est, à potentia naturali remotiora : quale est mortuo vitam reddere. Horum effectores appellat virtutes, simili locutione qua Angelici quidam spiritus Virtutes in scripturis appellantur, ut Psalmo 102. *Benedicite Domino omnes virtutes ejus.* Nam virtutes hic ad personas referri, perspicuum est ex eo quod posteà repetens dicit, *Numquid omnes virtutes ?* Observa gratiam miraculorum ab Apostolo postponi Prophetiæ doctrinæ.

Virtutum nomine qui appellentur.

Gratia miraculorum postponitur doctrinæ.

Exinde gratias curationum. Græcè εἶτα χαρίσματα ἰαμάτων, *inde dona sanationum*, subaudi, posuit Deus in quibusdam: vel contulit ac distribuit quibusdam. Hic enim Apostolus sermonem mutat, à personis transiens ad res, id est, ad dona personis impertita. Cur autem hoc donum postponat virtutibus, intelligi potest ex supradictis. Est enim minus à natura remotum, sanare hominem per miraculum, quàm virtutes operari : ac proinde minus quàm illud utile erat ecclesiæ ad infideles convertendos fidemque Christi plantandam.

Opitulationes. Græcè ἀντιλήψεις, quas alii *subventiones, subsidia*, alii Græcorum vocem expressiùs Latinè reddere volentes, *susceptiones* vertunt. Et quidem Latini ferè exponunt de iis qui cooperantur & opitulantur episcopis in instituenda ac regenda plebe fidelium: ut sunt parochi, decani, archidiaconi ; quos Episcoporum adminicularios quidam appellant. Verum si hos intelligas, jam non servabitur ordo dignitatis in ista donorum enumeratione. Constat enim hæc ministeria digniora esse miraculorum donis. Adde quod hujusmodi opitulationes pertinent ad numerum doctorum, quos tertio loco posuit Apostolus. Quò pertinent ipsi quoque episcopi. Propter quod *Ephes.* 4. conjunxit pastores & doctores.

Opitulationes Apostolo quæ dicã. tur, opiniones.

Cajetanus opitulationum vocabulo significari putat *ordinem eorum qui in ecclesia Dei operibus misericordiæ vacant.* At hoc munus debet omnibus fidelibus esse commune: Paulus autem de iis agit quæ nec sunt nec esse debent omnibus communia.

Quocirca melius hoc donum interpretantur alii de eo, per quod divinitus acceptum quis aptus est ad fovendum ægrotos ac debiles, iisque ministrandum: ut fit in nosocomiis. Non enim omnes boni fideles ad hujusmodi ministerium apti sunt. Hoc autem minus quàm donum sanandi infirmos per miraculum. Hic commentarius est Chrysostomi, Theophylacti, & Oecumenii : idemque scripturæ consentaneus, in qua Græcum verbum ἀντιλαμβάνεσθαι frequenter accipitur pro suscipere: quomodo, velut manu porrecta, susciptuntur infirmi seu corpore seu animo, ut Actor 20. *Sic laborantes oportet susci-pere infirmos.* Luc. 1. *Suscepit Israël puerum suum*, Psal. 3. *Dominus susscepit me.* Hinc ἀντιλήπτωρ, *susceptor, adjutor*, dictio frequens in Psalmis. Igitur hoc donum opitulandi mihi videtur idem esse cum eo quod Apostolus Rom. 12. significavit illis verbis. *Qui miseretur, in hilaritate.* Vide ejus loci Commentarium.

Sententia verior.

Suscipere & susceptor in scripturis quid significent.

Gubernationes. Hac voce quidam existimant significari parochiales presbyteros, quibus gubernatio committitur particularium plebium. Sed hoc quàm parum sit probabile, jam ostendimus. Itaque magis placet Theophyl. & Cajetani sententia, qui hoc exponunt de ministerio eorum qui præsunt administrationi ac dispensationi rerum temporalium, quæ à fidelibus oblatæ sunt ecclesiæ. Erat enim & hoc peculiare donum, non omnibus congruens: ac forsitan idem cum eo quod *Rom.* 12. significatum est illa parte, *Qui tribuit in simplicitate.* Nam tribuere illic impertire & dispensare est. Opitulationibus autem hoc loco postpositum est; quia versabatur in rebus tantum externis. Syrus paraphrastes hanc partem cum superiori de personis interpretatus est, *opitulatores*, sive *adjutores*, & *gubernatores.*

Gubernationes quæ dicantur.

Genera linguarum. Id est, donum loquendi diverso genere linguæ. Annotant expositores, præsertim Græci, postremò nominatum ab Apostolo donum hoc quod à Corinthiis maximi fiebat ; & primo ferè loco expetebatur, tamquam aliquid admirabile & glorioſum. Atqui Paulus studiosè, ac meritò posuit in extremis: quia minorem cæteris utilitatem adfert, si solùm sit: quemadmodum docetur, *infrà cap.* 14. Quapropter & cæteris donis in ecclesia manentibus, illud solum jam olim cessavit, utpote in eum finem initio concessum, ut significaretur ecclesiam per omnes Gentes dispersam omnium linguis locuturam. Qua significatione completa, debuit utique signum cessare; simili ratione, qua in adventu Christi cessarunt figuræ veteris Testamenti.

Donum linguarũ cur in ultimis positum.

Cur jam olim cesset in ecclesia.

Interpretationes sermonum. Hæc pars in Græco & Syriaco non habetur : & interpretes Græcos eam non legisse ex eo manifestum est,

Hæc pars an adjectitia

quia non solùm non exponunt, verùm disertè affirmant donum linguarum ultimo loco ab Apostolo positum esse. Dicunt hoc ipsum, post glossam ordinariam, Lombardus & Hervæus. Sed & interlinealis glossæ super hanc partem annotatiuncula est, *In plerisque vacat.* Nam & Pelagius, Primasius, Sedulius, Haimo in suis commentariis non attingunt: & veteres concordantiæ nihil ejus habent: & in multis codicibus tam scriptis quàm impressis non legitur.

Suspicio est huc attextam esse, vel ex superiori catalogo, ubi secundum nostros codices ultima ponebatur *interpretatio sermonum*: vel ex subsequenti donorum repetione, in qua similiter ultimum est illud, *Numquid omnes interpretantur?* Verumtamen iis libris in quibus hæc pars legitur, favet commentator Ambros. qui eam & legit & exponit. Nec est improbabile primævam lectionem Græcam hanc fuisse, *interpretationes linguarum*, ut suprà: sed propter homæoteleuton cum eo, quod proximè præcedit, ut fit in talibus, excedisse. Sensum autem repete *ex superiore versu* 10.

Diversorum membrorum diversa officia.

29. NUMQUID OMNES APOSTOLI? Ac si dicat; minimè. Nam, ut suprà dixit, *Si totum corpus oculus, ubi auditus?* &c. Si enim omnes fideles sint Apostoli; ubi erunt in corpore mystico, qui ab Apostolis doctrinam accipient? Docet igitur his erotematis, ut in humano corpore, sic & in ecclesia diversorum membrorum oportere esse diversa officia: nec omnibus omnia donari debuisse.

NUNQUID OMNES PROPHETÆ? Eadem responsio negativa. Nec repugnat quod Moyses, Num. 11. dicit, *Quis tribuat ut omnis populus prophetet?* Non enim absolutè Moyses optabat, ut omnes in populo Prophetæ essent: sed non volebat suæ personæ dignitatem, pro qua minister ejus Josue zelo præpostero movebatur, obstare, quò minus omnes prophetarent. Hoc enim præcedit, *Quid æmularis pro me?*

Objectio ex verbis Moysi nata removetur.

tamquam diceret, Quod ad meam attinet personam, facilè patior, atque etiam opto, gratiam Prophetiæ quæ in me est, omnibus esse communem: vec volo quemquam ab ea prohiberi mei causa. Et sanè hoc animo quo Moyses, debent esse omnes illi in quos egregia dona à Deo collata sunt, ut nec alios despiciant, nec eis invideant similia: sed, quantum quidem ab ipsos, optent & cupiant suas dotes esse omnium.

NUMQUID OMNES DOCTORES? Absurdum. Si enim omnes in ecclesia Doctores: ubi in ea discipuli? Liquet ergo veram ecclesiam Christi non esse apud eos, qui omnes se Doctores profitentur, omnes sacram scripturam interpretantur, omnes de quæstionibus in religione controversis judicant, id est, apud sectarios nostri temporis.

Vera ecclesia non est, ubi omnes volunt esse doctores.

30. NUMQUID OMNES VIRTUTES? De personis hoc dici manifestum est. Virtutes enim appellat eos, per quos fiebant virtutes, hoc est miracula majora.

Non in omnibus sanctorum memoriis fiunt miracula.

NUMQUID OMNES GRATIAM HABENT CURATIONUM? *Gratiam*, Græcè χαρίσματα, *dona*, ut legitur in commentario Ambros. Verisimile est interpretem scripsisse *gratias*, uti paulò antè. Locus hic etiam ad sanctos cum Christo regnantes aliquo modo referri potest. *Sicut enim*, inquit Augustus, epist. 137. *non omnes sancti habent dona curationum: ita nec in omnibus sanctorum memoriis ista fieri voluit ille qui dividit propria unicuique prout vult.* Cæterùm opitulationes & gubernationes hoc loco brevitatis causa prætermisit Apostolus; aut ideò fortè, quod non essent hæc dona magnopere à Corinthiis expetita.

NUMQUID OMNES LINGUIS LOQUUNTUR? Hæc interrogatio post alias posita, Corinthiorum increpatio est: qui volebant omnes loqui linguis.

NUMQUID OMNES INTERPRETANTUR? Subaudi, *linguas.* De hoc dono quale sit, & quare dono linguarum adjungatur, dictum est superiùs. Sentit enim Apostolus nec omnes quidem eos qui loquuntur linguis, posse interpretari quod loquuntur. Itaque hæc additio facit etiam ad prioris doni, id est, linguarum depressionem: utpote quod sine dono interpretandi vix habeat utilitatem.

Non omnes loquentes linguis, eas interpretari poterant.

31. ÆMULAMINI AUTEM CHARISMATA MELIORA. *Meliora*, κρείττονα *præstantiora.* Pro quo legitur in quibusdam exemplaribus μείζονα, *majora*: quomodo citat hunc locum Origenes *in epist. ad Rom.* 12. & Hieron. *lib. 2. dial. contr. Pelag. cap. 6.* tametsi Theophil. & Oecumen. post Chrysost. studiosè annotant, Apostolum non dixisse *majora*, sed *meliora*, id est, ad ecclesiam juvandam utiliora; cùm alioqui in spiritualibus ea majora dicantur, quæ sunt meliora. Retinet autem interpres hoc loco Græcam vocem χάρισμα: quum alibi semper eam Latinè reddat; ut *gratiam, donum, donationem.* Tertull. *lib. 1. ad uxorem cap. 3. meliores donationes* legit. Porrò dubium est *æmulamini* cujusmodi sit. Tam enim Græcum quàm Latinum, vel indicativè vel præceptivè potest accipi. Photius apud Oecumenium censet indicativum esse: & quidem legi vult cum interrogatione, qua Corinthios reprehendat Apostolus, quod ambitiosè ad maxima quæque charismata anhelarent: quasi dicat: Ambitis verò dona potiora? En vobis demonstrabo, quod omnibus illis potius sit ac majus. Extat idem sensus apud Theodoritum, sub nomine tamen alieno, quasi minus eum probet, ut nec probandus est. Non enim Corinthij revera aspirabant ad dona meliora: quippe qui donum linguarum, quod penè extremum erat, multis melioribus anteponebant.

In spiritualibus ea majora quæ meliora.

Igitur alij præceptivè exponunt verbum ζηλοῦτε, *æmulamini*: tamquam exhortetur illos Apostolus ad ea dona conquirenda, non quæ vulgi judicio majora sint, id est, admirabiliora: sed quæ ad usum ecclesiæ potiora. Qui sensus haud dubiè meliùs explicat mentem Apostoli. Nam initio *cap.* 14. repetit & prosequitur eamdem exhortationem dicens, *Æmulamini spiritualia: magis autem ut prophetetis*: & in fine tamdem concludit, *Æmulamini prophetare.*

Verùm, ni fallor, pleniùs explicabitur mens Apostoli, si non absolutè, sed tantum ex hypothesi æmulationis, accipiatur ista exhortatio. Non enim exhortandi erant fideles ad æmulandum, exempli causa, donum operandi virtutes & sanitates, id est, gratiam patrandi miracula; quæ periculosa est tentatio: & *multi talia desiderantes ceciderunt*, ait Augustinus, *in enarrat. Psal.* 90. Sed & Apostolus in superioribus ejusmodi desideria cohibet, dum charismatum diversitates non ad hominum studia refert, sed ad beneplacitum ejus qui dividit singulis prout vult: quique posuit unumquoque membrum in corpore sicut voluit: per hæc tacitè significans, unumquemque dono sibi divinitus attributo contentum esse debere. Neque enim erant hujusmodi dona, quæ gratum aut gratiorem Deo redderent habentem: sed magis talia, quæ, nisi charitas medeatur, infirmos animos soleant inflare. Quare ad ea æmulanda seu consectanda (id enim æmulandi verbum hoc loco significat) non erat dandum fidelibus absolutum præceptum.

Exhortatio Pauli non absoluta, sed ex hypothesi. Petere gratiam miraculorum, periculosa tentatio.

Quid æmulari hoc loco.

Sensus igitur est: Quoniam æmulamini charismata, quod non prohibeo; studete consequi meliora, id est, Ecclesiæ Dei utiliora. Quem utique sensum satis apertè nobis indicat id quod dicit cap. sequenti: *Quoniam æmulatores estis spirituum: ad ædificationem ecclesiæ quærite ut abundetis.* Certè paraphrastes Syrus, etsi sensum hunc non omninò sit assecutus, intellexit tamen in Apostoli præcepto conditionem latere, *Si æmulamini dona*, &c. Jam huic intellectui quomodo non obsistant illa ejusdem capitis, *Æmulamini spiritualia.* &, *Æmulamini prophetare*:

patebit ex eorum interpretatione, quam dabimus.

ET ADHUC EXCELLENTIOREM VIAM VOBIS DEMONSTRO. Hæc ſententia velut exordium eſt ejus quod agitur capite ſequenti. Unde & Græci quidam codices hinc faciunt initium novi capitis: Latini verò nonnulli ab illa parte, *Æmulamini autem charismata mel. Excellentiorem* Græcè καθ' ὑπερβολὴν, id eſt, *ſecundum exceſſum.* Quod nonnulli referunt ad verbum δείκνυμι, *oſtendo, demonſtro*, hoc ſenſu: Eſt adhuc via quam vobis diligentiſſimè demonſtro. Sed plerique, & quidem aptiùs, referunt ad *viam*, & cum ea conſtrunt tamquam adjectivum cum ſubſtantivo. Quod fecit noſter interpres, dum vertit *excellentiorem viam.* Significat enim Apoſtolus viam quam monſtraturum ſe promittit, eximiam eſſe, &, ut loquuntur, exceſſivè meliorem, id eſt, multò excellentiorem iis donis, de quibus hactenus egit. Auguſtinus *supereminentem* legit *tract. 6. in Joan.* citante Beda, & alibi. Loquitur autem Apoſtolus de charitate: quam viam vocat, hoc eſt modum ac rationem vivendi. Nam *via* pro genere vitæ, frequens eſt in ſcripturis, maximè *in Act. Apoſt.* Vocat autem hanc viam præ aliis excellentem: quia per eam certiſſimè tenditur ad Deum; non item per alia dona.

Porrò non ſatis liquet utrùm charitatem, de qua conſequenter acturus eſt, velit unum eſſe è numero chariſmatum, cæteris tamen excellentius: an verò eam ſimul cum fide & ſpe, quas nominat in fine capitis ſequentis, à genere chariſmatum diſtinguat. Quod ſecundum verius eſt. Nam tres iſtas virtutes Apoſtolus inter chariſmata nuſquam numerat: imò magis initio *cap.* 14. ſignificat charitatem ab ipſis eſſe diverſam, cum ait, *Sectamini charitatem; æmulamini ſpiritualia*: nomine ſpiritualium chariſmata deſignans. Hinc ad *Gal.* 5. charitatem recenſet inter fructus ſpiritus, id eſt, virtutes, quibus accepti reddimur Deo: & in earum catalogo primam nominat: ubi nihil habes iſtorum donorum de quibus hoc loco.

Sanè Paulo Apoſtolo non ſolùm charitatem, ſed & fidem ac ſpem quas dixi, non eſſe de numero chariſmatum, ut hîc ſumuntur, ex eo liquet: quia chariſmata non vult eadem omnibus eſſe communia: ſed alia aliis membris attributa, tamquam propria quædam officia ſeu miniſteria, ſicut in corpore humano. At fidem, ſpem, charitatem ab omnibus exigit, ut ad ſalutem neceſſaria. Neque tamen charitatem à chariſmatis ideò ſejungit Apoſtolus, quia charitas ex nobis eſt, & in noſtra poteſtate: quemadmodum ſecundùm ſuam hereſim Pelagius annotat hoc loco, & ad initium capitis ſequentis: Quod à Primaſio animadverſum, rectè catholiceque correctum eſt: dum è contrario annotat charitatem in nobis diffundi per Spiritum ſanctum: Sed hæc cauſa eſt, quia nomen chariſmatis uſu fidelium accommodatum erat ad ea dona ſignificanda, quæ à poſterioribus Theologis appellatæ ſunt gratiæ gratis datæ.

CAPUT XIII.

SI linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. 2. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. 3. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. 4. Charitas patiens eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, 5. non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, 6. Non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: 7. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. 8. Charitas numquam excidit; ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur. 9. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus 10. Cùm autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt. 11. Cùm eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli. 12. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tum autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tum autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. 13. Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas.

SUMMARIUM.

DOcet non habenti charitatem cætera dona nihil prodeſſe. Virtutes & opera charitatis recenſet: ipſumque cæteris, eò quòd ex parte ſint, ceſſantibus, oſtendit per manſuram: fide etiam ac ſpe majorem eſſe.

Charitatis excellentia ſupra chariſmata, cæteraſque virtutes.

MOnſtrat Apoſtolus hoc toto capite viam quam promiſit: excellentiam charitatis aſtruens, non ſolùm ſupra chariſmata, de quibus jam egerat, verùm etiam ſupra ſocias virtutes, fidem & ſpem.

Cur donum linguarum in primis expetitum à Corinthiis.

1. SI LINGUIS HOMINUM LOQUAR ET ANGELORUM. Quoniam Corinthij donum linguarum præ cæteris admirabantur, ſive quia primum hoc Apoſtoli acceperant, deſcendente ſuper ipſos Spiritu ſancto, *Act.* 2. quæ ratio eſt apud Theodoritum, ſeu potiùs quia per ſe tale eſt, ut hominem vulgo faciat admirabilem, magis quàm ſcientiæ quæ de rebus ſunt; idcircò Paulus ab eo capit exordium. Si, inquit, dono linguarum ita polleam, ut omnium Gentium linguis loquar: imò & Angelorum. Hoc addidit ſecundùm Cajetanum, ut locutioni ſenſibili, quæ per linguas hominum ſignificatur, adjungeret locutionem intellectualem, qualis eſt Angelorum; de qua diſputant Theologi: nominatim S. Thom. etiam *hoc loco*: vel potiùs, ſecundùm alios, ut hoc ſchemate ſermonis aliquid humanis linguis excellentiùs ſignificaret; quomodo dicimus egregia forma vel ingenio juvenem habere vultum vel ingenium angelicum. Nam angelos propriè linguas ſeu linguarum genera non habere, conſtat apud omnes doctos, etiam eos qui corpora quædam ſubtilia illis tribuunt. Sed ſi linguas haberent, eſſent illæ profectò linguis omnium hominum præſtantiores: in quantum eorum natura præſtantior eſt humana. Non eſt hîc de eloquentia ſermo; ſed de generibus linguarum. Unde ſenſum Apoſtoli non reddunt, qui linguas angelorum interpretantur angelicam, id, eximiam quamdam gratiam dicendi.

Quæ linguæ Angelorum.

CHARITATEM AUTEM NON HABEAM. Quid nomine charitatis intelligat Apoſtolus, paulò poſt exponemus. Loquitur autem in prima perſona, ut oſtendat ſe neminem excipere à generali ſententia.

FACTUS SUM VELUT ÆS SONANS, AUT CYMBALUM TINNIENS. *Velut* non eſt in Græco, ſed à quopiam additum explicandæ ſententiæ cauſa: quemadmodum & adjecit Syrus paraphraſtes. Auguſtinus ſine eo legit, *Factus ſum æramentum ſonans*, ſerm. 50. de verbis Domini, & *lib.* 15. *de Trin. cap.* 18. Cymbalum apud veteres inſtrumentum erat ſonorum magis quam muſicum, quo mulieres utebantur, à Cajetano ſatis curiosè deſcriptum. *Tinniens*, Græcè ἀλαλάζον, quod etiam ſignificat *jubilans, ululans, exultans.* Faber vertit *jubilans*, ut opponatur linguis angelorum Deo jubilantium. At revera cymbalo adjectum non aliud ſignificat, quàm quod noſter interpres & alij verterunt.

Quid cymbalum.

Comparat

Cur æri & cymbalo comparatus homo charitatis expers.

Compart Apoſtolus eum, qui linguis loquitur charitate vacuus, æri ſonanti & cymbalo tinnienti: vel quia talis ſolum aliis prodeſt, non ſibi, velut hæc inanima, æs & cymbalum, ſonando ſerviunt hominibus, ac ſeipſa deterunt & corrumpunt. Sic enim Latini ferè exponunt. (Atque huic perſimile eſt quod Cleanthes philoſophus, referente Laërtio dicebat; Peripateticis idem accidere quod lyris, quæ cum benè ſonant, homineſque oblectant, ſeipſas tamen non audiunt.) Vel ſecundùm Græcos interpretes, quia non ſolùm ſibi non prodeſt, ſed nec aliis. Cum enim careat charitate quæ ædificat, non utique dono linguarum utitur ad aliorum ædificationem. Hic commentarius etiam apud Primaſium eſt, ac nonnullos Latinos recentiores; & convenire videtur cum eo quod *ſequent. cap.* dicitur, eos qui temerè & indiſcretè linguis loquuntur, cùm non adſit qui interpretetur, non ædificare eccleſiam, ſed in aera loqui, remque agere inutilem.

Valet autem etiam ſecundum hunc intellectum comparatio: quia æs quidem reſonat, ſed ſonitu ſuo nihil certi ſignificat: cymbalum autem tinnitu tantum delectat: neutrum verò confert quidquam ad uſum vitæ humanæ. Nam quod ad ſonum utriuſque naturalem attinet, niſi arte pulſentur, nullius certe rei ſignificationem ingerunt audientibus: quomodo *capite ſequenti* de tibia, cythara & tuba dicitur, niſi diſtinctionem ſonituum, quæ fit ab arte, dederint, non intelligi quod ſonatur. Unde quod ars præſtat inſtrumentis inanimatis, id charitas præſtat linguis, ſcilicet intellectum, utilitatem, ædificationem. Illud etiam quod præcedit, *charitatem autem non habeam*, exponunt iidem de charitate qua donum linguarum applicetur ad aliorum utilitatem.

Qui caret charitate, poteſt aliis eſſe utilis.

Verumtamen prior ſenſus magis convenit cum his quæ proximè ſequuntur, ubi dicit, *nihil ſum, nihil mihi prodeſt*, tamquam id ſolùm urgens quod ſibi ſit inutilis. Alioqui ſanè conſtat eos qui dona de quibus hic agitur, acceperunt, etſi charitate deſtitutos ſibique inutiles, ſæpè tamen aliis ſuo miniſterio prodeſſe, ſive in exhibendis eccleſiæ Sacramentis, ſive in prædicando verbo Dei, nonnumquam etiam in operandis miraculis, ut illi qui dicturi ſunt: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, dæmonia ejecimus, virtutes multas fecimus?* Tales multi ſunt in eccleſia mercenarii, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti: per quod tamen ovibus Chriſti ſalutaria doctrinæ pabula præbentur.

Tales in eccleſia mercenarii.

Tales erant & illi qui Chriſtum annunciabant, non ſincerè ſed ex contentione: de quibus Paulus Philipp. 1. *Dum omni modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuncietur: & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo*: non utique gaviſurus, ſi fructum ex eorum prædicatione nullum ſperaſſet. Quod autem capite ſequenti loquentem linguis abſque interprete, negat ædificare Eccleſiam Dei: non ideo dicit, quod deſit illi charitas, ſed quia ſine interprete non intelligitur.

Occupatio.

2. ET SI HABUERO PROPHETIAM. *Habuero*, ἔχω *habeam*; ut ſuprà *Prophetiam*, id eſt, donum prophetiæ, quam ſequenti capite linguis anteponit: cujus & in ſuperioribus meminit. Obſervat S. Thomas Paulum *hoc loco* ordine repetere quatuor dona ad cognitionem pertinentia, quæ poſuit *cap. ſuper. verſ.* 8. 9. 10. nempe ſapientiam, ſcientiam, fidem & prophetiam: niſi quod hic à prophetia incipiat. Cujus rationem exiſtimo: quia ſpecialiter inſtituit comparationem linguarum cum prophetia capite proximo. Porro videtur ex ſequentibus ſupplenda per ſyllepſin vocula, *omnem*: ut ſicut in cæteris, ita & in hoc dono quædam excellentia ſeu perfectio ſignificetur. Et quidem *omnem prophetiam* legit Auguſt. *ſerm.* 50. *de verb. Dom.*

ET NOVERIM MYSTERIA OMNIA. Myſteria, Latinè ſacramenta paſſim apud Auguſtinum. Significantur autem arcana divina ac cœleſtia; quorum notitiam præcedenti cap. verſ. 8. ſapientiam vocavit. Unde & ait: *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt*, ſuprà cap. 2. Et hinc rurſum diſce ſapientiam à charitate ſeparari poſſe: quemadmodum & ſcientiam. Quod & S. Thomas agnoſcit *hoc loco*: tacitè corrigens quod de ſapientia & ſcientia diverſum dixerat capite ſuperiori, ſermonem ſapientiæ & ſcientiæ exponens.

Myſteria quæ dicantur.

ET OMNEM SCIENTIAM. Hic repetendum eſt, *habeam*, tametſi quidam ex proximo repetunt, *noverim ſcientiam*. Nam ſcire ſcientiam phraſi dicitur non inuſitata; præſertim Hebræis, ut peccare peccatum, retribuere retributionem. Scientiam intellige eamdem quam cap. præcedenti. Dicit autem *omnem*, id eſt, omnium ſcientiam, ſcilicet eorum ad quæ ſcientiæ donum extenditur. Neque hic de ocioſa tantum ſcientia ſermo eſt, ſed & de ea quæ in uſum expenditur, docendo & ſcribendo: de qua Hieron. in comm. ep. ad Gal. 5. ita loquitur: *Interpretamur ſcripturas, ſæpè vertimus ſtylum, quæ digna lectione ſunt ſcribimus: & niſi Chriſti cauſa fiant, ſed memoriæ in poſteros & famæ in populos, totus labor irritus fiet: & erimus quaſi tympanum ſonans & cymbalum concrepans.*

Scientia quamvis operoſa, ſine charitate nil prodeſt habenti.

ET SI HABUERO OMNEM FIDEM, ITA UT MONTES TRASFERAM, CHARITATEM AUTEM NON HABUERO. De ea fide loquitur quam ſuperiùs inter chariſmata recenſuit. Et ſenſus eſt: Si fidem habeam adeo perfectam, ut per eam miracula faciam, etiam maxima factuque difficilima; quale eſt, hominum opinione, montem loco dimovere, & aliò transferre. De qua fide Dominus in Evangelio Marc. 11. *Quicumque dixerit huic monti, tollere & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat: fiet ei.* Perfectam autem fidem dico, non à charitate, quam formatam fidem vocant Theologi; ſed ab illuſtratione intellectus circa ea quæ creduntur & promiſſa ſunt cum fiducia impetrandi quod petitur. Qua ratione fidei ſit attribuenda miraculorum operatio, docte tradit S. Thomas: *in diſputatis de potentia. quæſt. 6. art. 9.*

Fides miraculorum ſine charitate non prodeſt.

Perfecta fides quæ dicatur.

Miracula qua ratione tribuenda fidei.

Si quæras, an quis aliquando montem tranſtulerit hac fide inſtructus: non dubium quidem eſt multos ſanctos tantam habuiſſe fidem, qua id facerent, ſi res Eccleſiæ ita poſtulaſſet. Nam unicuique datur *manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*, ut dictum eſt, cap. ſuperiori. Factum autem aliquando fuiſſe non oportet: cùm fecerint alia vel paria vel etiam majora: quale eſt mortuos ſuſcitare. Et tamen etiam hoc factum fuiſſe teſtantur authores fide digni, ut de S. Gregorio Neocæſarienſi, Gregorius Nyſſenus, *in ejus vita*, & Gregorius Romanus, *lib.* 1. *dialog. cap.* 7. ibidemque de S. Nonnoſo Abbate: ac de aliis alii.

An quis aliquando montem tranſtulerit.

Jam verò cum iſtud fidei donum includat in ſe fidem Chriſtianam & Catholicam; ſolida ratione contra hæreticos ex hoc loco oſtenditur, fidem Chriſtianam & Catholicam à charitate ſeparatam eſſe poſſe; quemadmodum & illud, gratiam miraculorum ſine charitate conſiſtere. Notandum hic eſt, ait S. Thomas, *quod fides firma etiam ſine charitate miracula facit.* Sed & Hugo Victorin. in quæſtionibus hujus cap. notat & inculcat, errorem hic deſtrui negantium fidem eſſe poſſe ſina charitate. Nota quoque eſt ſententia Auguſt. *l.* 15. *de Trin. cap.* 18. ubi cùm citatis hujus loci verbis, intuliſſet, quod *ipſam fidem non faciat utilem niſi charitas*, ſubjunxit: *ſine charitate quippe fides poteſt quidem eſſe, ſed non & prodeſſe.* Quidam, inter quos Eraſmus in declaratione ad cenſuram Theologorum Pariſienſium ſuper *propoſitione* 16. 17. & 18. hoc argumentum ex Apoſtolo ſumptum ſolvere conatur, dicentes ſermonem ejus eſſe conditionalem, in quo ſit hyperbole, ſeu fictio quædam, ad exaggerandam laudem charitatis;

Obſ. contra ſectarios, fidem Chriſtianam à charitate ſeparari poſſe: ut & gratiam miraculorū.

Opinio Eraſmi de hoc loco, ejuſque rationes.

proinde non esse consequens, ut id quod tali modo dicitur, evenire queat: id est, ut quis fide montes transferens, charitatem non habeat; quemadmodum ex eo quod ait Galat. 1. *Licet angelus de cælo evangelizet vobis, præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit*: non sequitur posse fieri, ut angelus de cælo evangelizet, præter id quod Paulus evangelizaverat.

Ex Basilio & Ambrosio.

Et hujus suæ responsionis authores adducunt Basilium & Ambrosium: quorum ille *epist.* 75. scripta ad Neocæsarienses, cum Apostoli verba ab hujus initio cap. retuliset, ita subdit: *non quod quidquam eorum quæ commemorata sunt, umquam sine charitate præstari possit: sed quod sanctus Apostolus, ut & ipse dixit* (in fine capitis præcedentis) κατ' ὑπερβολὴν; id est, *hyperbolico modo voluerit excellentiam omnia superantem isti asscribere* dilectionis *præcepto*. Alter in epist 74. ad Horontianum scripta, arbitrari se dicit, *propositi gratia hoc dixisse Apostolum. Neque enim videtur mihi* inquit, *qui habeat omnem fidem, ita ut montes transferat charitatem non habere*: quod consequenter etiam censet de eo qui noverit omnia mysteria & omnem scientiam.

Responsio ac refutatio.

Primum respondeo Paulum non quidem affirmare, quod fuerit, aut futurus sit aliquis, qui fide montes transferat, & charitatem non habeat: satis apertè tamen eum significare, quod nihil obstet quò minùs illud contingere possit. Nam sanè, sicut Apostolo nulla repugnantia est, aliquem linguarum aut Prophetiæ dono aut notitia mysteriorum atque scientia excellere, quæ superiùs nominata sunt: aut in egenos esse profusum, aut corpus suum flammis tradere pro Christi nomine; quæ posteà nominantur; & charitatem non habere: ita nihil repugnat ex ejusdem Apostoli mente, ut quis habeat fidem qua montes tranferat, & charitatem non habeat. Similiter enim de his omnibus loquitur.

Basilii locus explicatur.

Quod verò Basilius affirmat nihil eorum quæ connumeravit Apostolus, sine charitate præstari posse; non sentit illa dona, ne quidem si excellenter ea quis habeat, ita necessariò cum charitate cohærere ut prorsus divelli nequeant: sed Deum non solere tantam donorum excellentiam conferre, nisi in amicos suos, ac fortasse numquam contulisse, nec collaturum esse. Hoc enim vocat, non posse præstari, scilicet potentia ordinaria quam vocant. Excipio duo postrema, quæ non dona sunt hujus loci, sed secundum genus suum opera virtutum: facultates suas effundere in pauperes, & pro Christi confessione comburendum se tradere. Constat enim ab hæreticis & schismaticis interdum talia facta fuisse.

Item Ambrosii.

Cæterùm Ambrosii verba minorem habent difficultatem. Non enim negat fieri illud posse: sed de facto loquitur, ac sentit vix aut numquam contingere ut quis fidem habeat tam excellentem, qua montes transferat, nec tamen habeat charitatem. Idque dicit opinando, nimirum utens his vocibus, *arbitror*, *videtur*: hoc ipsum autem & nos fatemur. Sed si fides illa tanta non eam habet necessariam cum charitate connexionem, ut non aliquando separari possit: quantò minus Christiana qualiscumque? Illud verò quod ex *epistol. ad Galat.* objicitur,

Alia objectio refellitur.

non est simile. Nam eo loco Paulus, quò magis persuadeat, hypothesin adfert rei impossibilis: hîc autem id agit ex professo, ut ostendat charismata quantumvis excellentia, sine charitate nihil prodesse; supponens utique ea sine charitate haberi posse.

Quid Apostolo nihil esse.

Nihil sum. Id est, nullius sum precii apud Deum, nihil istorum me Deo commendat; vel, ut mox exponit, *nihil mihi prodest*, scilicet ad amicitiam & participationem Dei, & ad salutem æternæ vitæ. Aquinas, *nihil sum secundum esse gratiæ*. Cajetanus, *nihil sum in esse divini consortii*. Quæ omnia idem valent. *Dicet* aliquis, si nihil est homo sine charitate; ergo catechumenus & fidelis pœnitens, ante perceptum sacramentum Baptismi vel reconciliationis assiduè se exercens in operibus pietatis, nihil est, nihil hæc illi prosunt. Non enim habet charitatem, quæ demum infusa divinitus accipitur in Sacramento, simul cum remissione peccatorum. *Respondetur*, Apostolum hoc loco non secernere eum qui remissionem peccatorum habet, ab eo qui non habet, sed eum qui Deum ac proximum rectè & sincerè sicut diligendus est, diligit, ab eo qui non diligit; sive ille sic diligens sit jam Deo reconciliatus, sive non.

Quæstio de catechumeno vel pœnitente, nondùm baptizato, seu reconciliato.

Responsio.

Etenim vult hac sua doctrina Apostolus, ut opera nostra proficiscantur ex charitate, non ex cupiditate & amore sui: quomodo faciunt ii qui honores aut gloriæ aut pecuniæ, aut voluptatis appetitu, aut alio pravo affectu moventur ad agendum quippiam; utique charitatem intelligens, non habitum illum amicitiæ hominis cum Deo: per quem & amicus & filius Dei quis constituitur, & hæres regni cælestis: quique proinde solis competit regeneratis & reconciliatis; sed affectum sinceri amoris erga Deum, ut summum nostrum ac beatificum bonum: & erga proximum ex eodem affectu diligendum. Cujusmodi quidem affectus etiam in bono catechumeno, & in fideli Pœnitente sacramentum desiderante, & ad Dei amicitiam aspirante, debet agnosci. Quibus haud dubiè prodest ad salutem & vitam æternam: quatenus ad peccatorum remissionem, Deique amicitiam perducit; & justificationis initium quoddam est, licet perfectam meriti rationem non attingat. Hanc enim sive dilectionem sive charitatem significavit Dominus, *Luc.* 7. dicens de peccatrice: *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.*

Scopus Apostoli, ut opera nostra procedant à charitate, non à cupiditate. De qua charitate loquatur Apostolus.

Charitas affectus sinceri erga Deum amoris.

Quæ charitas separata à gratia & amicitia Dei.

Sic autem accipi hoc loco charitatem, imprimis objectio jam dissoluta convincit. Quis enim dixerit catechumenum sive pœnitentem ferventer Deum orantem, jejunantem, eleemosynas largientem, peccatorum suorum veniam cum vera eorum detestatione, cumque spe & fiducia requirentem, juxta Sauli mentem ac doctrinam, nihil esse: atque hæc omnia nihil ei prodesse? Sed & ea quæ sequuntur in textu, satis arguunt eam charitatis acceptionem quam dixi. Cùm enim dicit Apostolus, nihil prodesse homini si charitatis expers omnia sua distribuat in panperes, & corpus suum flammis tradat: non sentit homini nihil prodesse quòd in bonis operibus Christianè se exerceat, si nondum sit receptus in gratiam & amicitiam Dei: Verùm de eo loquitur qui talia faciat non ex amore Dei & proximorum, sed gloriam captans humanam, aut interim fraterno laborans odio, aut extra ecclesiam schismati cuipiam adhærens: quales olim fuere quidam Montanistæ, Novatiani, Donatistæ, Ariani, mortem oppetentes pro confessione nominis Christi: quos Ecclesia Catholica numquam martyrum honore dignata est; sed ut schismaticos & hæreticos reprobavit: uti variis locis testantur Cyprianus & Augustinus, ille contra Novatianos agens, iste contra Donatistas.

Bonus catechumenus ac pœnitens dici non potest nihil esse.

De quo charitatem non habente Paulus loquatur.

His adde quod Apostolo studium fuit Corinthios contentionibus deditos, & factiones ac schismata quædam inter se facientes, (quemadmodum patet ex *cap. 1. 3. & 11. hujus Epist.*) ad amorem & concordiam fraternam revocare, & ad colenda mutui amoris officia cohortari; ideoque inter encomia charitatis mox subdit, quod sit patiens & benigna, quod non æmuletur, & catera continuo ordine: quæ cuncta propriè spectant ad proximorum dilectionem. Non autem ex eo charitatem

commendat, quod faciat amicos ac filios Dei, & hæredes regni cæleſtis; aut quicquam tale. Quod tamen inter ejus laudes tacere non debuit, ſi cõmendare volebat eam dumtaxat charitatem, quæ cum reatu mortis æternæ non conſiſtit. Eam generaliorem charitatis acceptionem paſſim agnoſcit Auguſtinus, *ut lib. 3. de doctrin. Chriſt. cap. 20.* ubi charitatem definit *motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum*: & ubicumque eam vocat ac definit rectam & bonam voluntatem, bonique cupiditatem, ut *lib. 12. de civitate Dei cap. 9. & lib. 14. cap. 7.* Item *lib. de grat. Chriſti cap. 21. de grat. & liber. arbitr. cap. 17.* & *contra duas Epiſt. Pelagian. lib. 2. cap. 9.* nec non *homilia 8. inter 50.*

Generalior charitatis acceptio apud Auguſtinum.

Charitas recta & bona voluntas.

Cæterùm Proſper *lib. 3. de vita contempl. cap. 13. & 14.* charitatem de qua loquitur Apoſtolus, definit rectam voluntatem ab omnibus terrenis ac præſentibus averſam: atque iis notis ſeu coloribus depingit, quæ partim in eam charitatem competunt, quæ eſt pœnitentium: partim in eam quæ eſt amicorum Dei; partim in generalem rationem charitatis: quale eſt illud, *ſine charitate quæ dicta eſt via, non ambulare poſſunt homines, ſed errare.* Quod autem fatendum ſit, aliquam eſſe Dei, ſeu dilectionem, ſeu charitatem (non enim hæc vocabula ſcriptura diſtinguit, cùm ſemper in Græco ſit ἀγάπη) quæ remiſſionem peccatorum antecedat: quæ tamen charitatis illius ſpecialiter dicta ſit inchoatio quædam, ſicut & illa hujus perfectio: pleniùs oſtendimus ex ſcriptura & patribus, ad *diſt. 27. lib. 3. ſent.*

Proſperi locus de charitate.

3. ET SI DISTRIBUERO IN CIBOS PAUPERUM OMNES FACULTATES MEAS. Pro quatuor vocibus, *diſtribuero in cibos pauperum*, in Græco unum ac ſimplex verbum eſt ψωμίζω; quod & textus Ambroſianus uno verbo reddit, *erogavero*. Græca vox ſignificat in fruſtra ſeu particulas eſcam diviſam porrigere ac præbere in alimoniam. Nec dubium quin de alendis pauperibus Apoſtolus loquatur; etiamſi *pauperum* nomen non expreſſerit. Sed & pro eo quod omnes Latini codices habent *omnes facultates meas*, & plerique Græci πάντα τὰ ὑπάρχοντά μου, in quibuſdam tantum legitur πάντα τὰ ἐμοῦ, *omnia mea*. Quod accidiſſe potuit propter repetitum τά. Quamquam & veteres Latini legunt *omnia mea*, Cyprianus ad Quirinum, *lib. 3. teſt. 3.* & Auguſtin. *ſerm. 50. de verbo Domini.*

Paulus an omnia ſua reliquerit.

Ex hoc loco fortè quis ſuſpicetur Apoſtolum Paulum non fuiſſe ex eorum numero qui dicere poſſent, *Ecce nos reliquimus omnia.* Dicit enim, *Si diſtribuero*, &c. quaſi id non fecerit. Sed pari ratione probaveris eum non habuiſſe fidem ſatis magnam, qua montes transferret: quia dixit, *ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.* Igitur reſpondeo Paulum privata ſua bona diſſimulantem ea dixiſſe, quæ unuſquiſque fidelis dicere & cogitare debet: quæcumque & quantacumque chariſmata habuerit, ſi charitate careat, omnia nihil ei prodeſſe. Porrò quod dixit de diſtribuendis in pauperes omnibus facultatibus, adduxit pro exemplo operis in ſpeciem valde præclari: quia magni ſolet hoc æſtimari ab homnibus: ſicut & id quod ſequitur.

ET SI TRADIDERO CORPUS MEUM ITA UT ARDEAM. *Ita* abeſt in quibuſdam codicibus, & in antiquis concordantiis. Quibus volunt textus Ambroſianus, & Primaſius: item Cyprianus & Auguſtinus anteà citati, rurſumque Auguſtinus *in enarr. Pſalm. 43. atque alibi*, & Proſper *in epiſt. ad Demetriadem.* Denique nec Græcè nec Syriacè legitur. Additum videtur exemplo partis ſuperioris, *ita ut montes transferam.* Sanè quod ad ſenſum, non redundat modò, ſed & officit. Sciendum quoque pro verbo καυχήσομαι, *ardeam*, in quibuſdam Græcis exemplaribus unius literæ varietate ſcriptum olim fuiſſe καυχήσωμαι, *glorier*:

Diverſa lectio hujus loci rejicitur.

quemadmodum refert Hieronymus *in comm. Galat. 5.* & ita refert ut hanc poſteriorem lectionem exiſtimet veram, dicens apud Latinos, qui legunt *ardeam*, errorem inoleviſſe. Qua in re Hieronymo non aſſentimur. Nam præterquam quod Græcorum commentarij nobiſcum faciunt, ipſe Apoſtoli ſermo quo dicit, *ſi tradidero corpus meum*, niſi addatur, ad quid tradidero, ut ad mortem, ad gladium, ad ignem, mutilus & imperfectus eſt. Sunt enim qui corpora ſua tradunt ad molliciem & voluptates.

Itaque convenientiſſimè ſequitur, *ut ardeam*, per quod res vehementer ardua ſignificatur, ſicut per illud præcedens, *ſi diſtribuero omnes facultates meas.* Adde quod non ſatis aptè quis dicitur corpus ſuum tradere ut glorietur. Nam tradendo corpus ſuum, moritur: at nemo quid facit ut poſt mortem glorietur, eâ gloriâ quam Hieronymus vult intelligi: potiuſque dicendum erat ut gloriam conſequar. Quod tamen vox Græca non ſignificat. Denique ſi ſcripſit Apoſtolus, *ut glorier*, vel ut *gloriam conſequar*; quid jam opus erat addere, *charitatem autem non habuero*; cum hoc in priori contineretur? Si enim gloriæ deſiderio corpus ſuum quis tradit; non igitur ex charitate. Dicit igitur Apoſtolus: *Si tradidero corpus meum ut comburar*, utique pro confeſſione nominis Chriſti, Quod nonnulli ſic intelligunt; Si non ſolùm patiar me tradi, ſed, quod quidam martyres fecerunt, ipſe me ſponte tradam & offeram ad ſupplicium, non qualecumque, ſed incendij.

Quid tradere corpus ſuum ut ardeat.

Atqui verior intellectus eſt, ex Apoſtoli ſententia tunc aliquem tradere corpus ſuum vt ardeat, quando data optione, ut aut Chriſtum neget, aut ignem patiatur, eligit potiùs ignem pati, & igne conſumi, quàm Chriſtum negare: etiamſi non ſe ipſe ad hoc ſupplicij genus offerat; ac multo minus (quod olim Donatiſtæ faciebant) ipſe ſe in ignem mittat. Ita locum hunc exponit Auguſt. *epiſt. 104. ad Donat. preſb.* & probat ex ſcriptura *Dan 3.* ubi de tribus illis viris, qui propoſito ſupplicio fornaciis ardentis, jubebantur ſtatuam auream adorare, *ſcriptum eſt quod tradiderunt corpora ſua, ne ſervirent & ne adorarent omnem deum, excepto Deo ſuo*: qui tamen nec ipſi ſe in ignem miſerunt, nec in ignem mittendos obtulerunt, ſed mitti ſeſe permiſerunt. Auguſtini verba videre eſt etiam apud Bedam *in collect.*

CHARITATEM AUTEM NON HABUERO, NIHIL MIHI PRODEST. Græcè οὐδὲν ὠφελοῦμαι, *nihil proficio*, ut legit Cyprianus, id eſt, nihil utilitatis capio: ſcilicet eo ſenſu quem ſupra diximus. Duo nominavit opera; alterum inſignis miſericordiæ erga proximos, alterum eximiæ fortitudinis pro teſtimonio veritatis divinæ; & utrumque magnæ charitatis in Deum, eccleſiam, proximos, ſi ſecundum ſe conſiderentur hujuſmodi opera. Docet ergo non ſolum chariſmata quæ propriè non ſunt virtutes, quibus homo bonus efficitur; ſed & opera virtutum quamtumvis ſpecioſa, ac ſuo genere præclara & ardua, nihil homini ad ſalutem prodeſſe, ſi deſit charitas illa quæ præſtat ut Dei gloria quæratur imprimis & ſalus proximorum. Pulchrè B. Auguſt. *in ſerm. 50 de verb. Dom. c. 2.* loquens de iis, *qui falſo martyrij nomine in paſſionibus gloriatur. Ecce, venitur*, inquit, *ad paſſionem: ecce venitur & ad ſanguinis effuſionem: venitur & ad corporum incenſionem: & tamen nihil prodeſt; quia charitas deeſt. Adde charitatem, proſunt omnia: detrahe charitatem, nihil proſunt cætera.* Sic ille. Quod Hieronymus etiam iis contingere poſſe qui ſunt in eccleſia ſignificat his verbis in comm. epiſt. ad Gal. 5. *Timeo dicere, ſed dicendum eſt. Martyrium ipſum ſi ideò fiat, ut admirationi & laudi habeamur à fratribus; ſanguis effuſus eſt.*

Nota vim & præſtantiam charitatis, per quam proſunt omnia, & ſine qua nihil proſunt cætera.

Martyrium ſine charitate nec in eccleſia prodeſt.

Jam ſi quærat aliquis utrum patientia hominis ſchiſmatici, *qua non pro errore qui eum ab eccleſia ſeparavit, ſed pro veritate ſacramenti ſeu verbi quæ apud eum remanſit, timore pœnarum æternarum pœnas*

Patientia ſchiſmatici pro vera fide, an & quid proſit.

patiuntur temporales, culpanda sit, an laudanda: & si laudanda num *Dei donum sit, an viribus tribuenda voluntatis humanæ*: & si sit Dei donum, ad quid ei prosit: Responsio Augustini. Respondet ad hæc tria B. Aug. *lib. de patientia c. 26. 27. & 28.* Ad primum quidem, laudandam esse eam patientiam, non culpandam: ad secundum, eam esse donum Dei, non tamen ex genere donorum quæ dantur filiis *illius Hierusalem, quæ sursum libera est, mater nostra*: sed *quæ possunt accipere etiam filij concubinarum; quibus Judæi carnales, & schismatici vel hæretici comparantur.* Ad tertium, *nihil eam prodesse ad regnum cœlorum obtinendum*: sed existimandum, fortasse, tolerabilius *illius futurum judicium, quam si Christum negando*, tormenta, mortemque vitasset.

4. CHARITAS PATIENS EST. Ut noverit quisque, num in se habeat excellentissimum hoc Dei donum, id est, charitatem; deinceps ordine recenset insignes aliquot illius doni proprietates & officia, veluti notas ex quibus agnosci queat. Unde quantum quis certò proprietates Proprietates ac notæ charitatis. istas in seipso experitur & conspicit; tantum certus esse potest se ipsam possidere charitatem. *Hæc est enim charitas Dei*, inquit Joannes 1. epist. 5. *ut mandata ejus custodiamus.* Quæ quidem mandata in subjunctis charitatis officiis præcipuè continentur. Ac primùm ait: *Charitas patiens est*, Græcè μακροθυμεῖ, longaminis est. Pro quo Latini veteres ferè legunt *magnaminis* aut *magnanima est*, Quid μακροθυμία. commentator Ambrosianus, Tertullianus *lib. de patient. cap.* 12. Cyprianus *lib. de unit. eccl. & alibi*, Augustinus *de grat. & lib. arbit. cap.* 17. sed ex versione minus bona. Nam voce Græca significatur animi lenitas haudquaquam præcipitis ad iram aut vindictam. Quæ virtus solet etiam apud Latinos nomine patientiæ designari.

BENIGNA EST. Græcè χρηστεύεται, pro quo textus Ambrosianus, *jucunda est*. Significat enim vox Græca comitatem & suavitatem morum: cui contraria est Quid benignitas hoc loco. asperitas ac difficultas, quam morositatem vocant. Unde quidam vertit, *commoda est*. Sed melius noster interpres, *benigna est*. Quod etiam Erasmus & alij secuti sunt. Nam quod apud Tertullianum legitur, *benefica est*, minus convenit: nisi quod comitatem seu benignitatem hic significatam, id est, veram & Christianam, beneficentia comitatur. Verisimile est illud Apostolum significare voluisse, quod de se dixit suprà cap. 9. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Hoc enim præcipuæ charitatis est, omnium moribus attemperare sese propter eorum salutem.

CHARITAS NON ÆMULATUR. Græcè οὐ ζηλοῖ, Cyprianus, *non zelat*, libro de zelo & livore. Hoc est, *non invidet.* Nam ζῆλος, æmulatio, dum in vitio po- Æmulatio pro invidia. nitur, invidia est; præsertim ubi quis dolet alteri obtigisse, quod ipse concupiebat, & non obtinuit. De eodem vide *suprà cap.* 3. item 2. *Corinth.* 12. *Galat.* 5. *& Jacobi* 3. *&* 4. Pugnat hoc vitium ferè ex diametro cum charitate, cujus est velle bonum proximo tamquam sibi; &, si habeat, gaudere. Aliter ζηλῶν æmulari capitur in fine capitis præcedentis & initio sequentis: ut iis locis videre est.

Quatenus hæ proprietates charitati tribuantur. Observa Paulum per has charitatis proprietates dictas & dicendas, non tam significare quid agat aut non agat ipsa charitas, quæ qualitas animi est; quam quid agat, aut non agat homo charitate præditus, quatenus eam habet, & secundùm eam operatur. Nam si quis charitatem habet, is patiens est & benignus, non invidet, &c. Quamquam & ipsa charitas ad omnes hujusmodi actus imperium suum extendit, & contrarios eodem imperio repellit.

Perperam agere quis dicatur. Varia Græcæ vocis interpretatio. NON AGIT PERPERAM. In Græco & Syriaco repetitur à fronte *Charitas*. Perperam agere Latinis dicitur, qui perversè ac præposterè agit. Græcum verbum περπερεύεσθαι, quod hic legitur, quid significet, haudquaquam convenit inter interpretes. Chrysostomus exponit, precipitanter & inconsultè agere: quod est vitium prudentiæ oppositum. Theodoritus, *curiosè scrutari res alienas.* Alij, varium & inconstantem esse. Alij insolentem esse: quod voluit Tertullianus dum legit aut vertit, *nec protervum sapit.* Oecumenius quoque περπερον interpretatur temerarium aut protervum: Theophylactus verò levem, stolidum, mentis inopem. Syria versio sic habet, *charitas non tumultuatur*, id est, non turbas & tumultus ciet.

Cæterùm explicat hoc vocabulum Basilius *regula* De hac voce S. Basilij sententia. 49. inter breviores: *Quid est*, inquit, περπερεύεσθαι. ubi malè adjicit interpres Latinus præoccupans authoris responsionem; *hoc est impotenter gloriari, & se ostentare.* Respondet autem Basilius, *Omne quod non ob usum necessarium*, sed διακαλλωπισμὸν, id est, *ornatus superflui causa assumitur*, περπερείας *accusationem habet.* Et ante illum eodem prorsus modo locum hunc interpretatus est Clemens Alexandrinus, *lib. 3. pædagog. cap.* 1.

Apparet igitur Apostolum ex specie genus indicasse, ut hac parte omnem arrogantiam & ostentationem à charitate remotam & alienam esse, significatum sit. Sunt tamen qui existiment Græcam vocem à Latina fluxisse, & ex ea imterpretandam esse: quod fecit noster interpres: sive *perperàm* adverbialiter accipias, sive *perperam* nominaliter, quod nonnullis placet: ut sit quartus casus femineus adjectivi perperus, id est, stultus, insulsus, temerarius. Omitto Fabula de Perperis fratribus. quæ refert Erasmus *in annotat.* ac pleniùs *in adagiis* de Perperis fratribus, quorum procacitas & improbitas est fabulis nobilitata: à quibus Græcum verbum περπερεύεσθαι, confictum putat.

NON INFLATUR. Id est, per charitatem nemo super alios superbè se extollit, aut alios infra se despicit, ut solent homines magnis donis præditi, si charitate destituantur, secundum illud: *Scientia inflat*, suprà cap. 8. Quin potiùs charitas ab eo quem possidet, omnem fastum excludit: quia per eam fit ut proximum sicut seipsum diligat. Quæ ratio singulis hisce Metaphora verbi inflatur. proprietatibus accommodata est. Cæterùm in verbo *inflatur*, metaphora est à rebus quæ inflatu turgescunt; ita superbum hominem inflat ac turgidum reddit opinio suæ excellentiæ.

5. NON EST AMBITIOSA. Id est, appetens honorum; quod vitium, ait Thomas, est principalis superbiæ filia. Quamquam Græcè non est φιλοτιμεῖται, sed ἀσχημονεῖν, quod verbum significat inhonestè ac præter decorem agere quippiam; aut pudefieri, qui inhonestæ actionis effectus est. At Chrysost. cæterique Græci in eum ferè sensum interpretantur, ut significetur charitas non esse *fastidiosa* (quemadmodum & vertit Erasmus) nec proximorum causa, quos diligit, Charitas non est fastidiosa. respuere vilia ministeria, vel etiam indigna supplicia: quasi dicat Apostolus: Charitas non reputat sibi pudori, quod fratribus sese submittat, aut abjectum & humile aliquid vel agat vel patiatur: quomodo Christus ad pedes discipulorum levandos se demisit, & crucis ignominiam sustinuit.

In hunc sensum accipi potest & illa lectio quæ est apud Aug. lib. de gr. & lib. arb. c. 17. *Non dehonestatur*, id est, non reputat se dehonestari, non æstimat sibi inhonestum aut probrosum subservire fratribus: nisi fortè (*dehonestatur*) dixit interpres ille verbo deponente, id est, nihil agit inhonestum, juxta sensum priorem; qui etiam est apud Clementem Alexand. ubi vertit Interpres ad mentem authoris: *non indecorè se gerit.* Quo spectat etiam Tertulliani lectio *non protervit*, id est, nihil agit protervè. Quem sensum denique confirmat locus Apostoli suprà c. 7. *Si quis turpem se videri existimat super virgine sua*, &c. ubi in Græco idem verbum est ἀσχημονεῖν, quod illic exposuimus *indecenter agere.* Quamvis & si exponatur, pudefieri velut ob rem inhonestam, sensus ejus loci constabit.

NON QUÆRIT QUÆ SUA SUNT. Græcè τὰ ἑαυτῆς, ut *ſua* reciprocum ſit ad charitatem, non ad hominem; tametſi ſenſus eodem redit. Nam ut ſuperiùs annotavi, non tam quid ipſa charitas agat, quàm quid homo per charitatem, docere vult Apoſtolus. Quærere quæ ſua ſunt, phraſis eſt ſcripturæ ſacræ, pro eo quod Latinè dicimus, omnia metiri ſuis commodis: & quod vulgò, quærere ſemetipſos.

Quærere quæ ſua ſunt, qui dicantur.

Igitur quærere quæ ſua ſunt, dicuntur qui in ſuis actionibus privata commoda primùm ac præcipuè curant, eamque tum utilitati publicæ, tum bono divino, quod eſt univerſale bonum, præferunt. Hoc autem bonum eſt gloria Dei, quæ tantò magis promovetur, quò plures ad Dei notitiam & cultum adducuntur. Et ad hoc ſtudium incitat amor Dei, id eſt, charitas; ut è diverſo ad quærendum quæ ſua ſunt, impellit amor ſui, quæ eſt vitioſa cupiditas. Auguſtinus in regula, *Charitas*, inquit, *de qua ſcriptum eſt, quod non quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit; & ideò quantò plures rem communem quam propria veſtra curaveritis, tantò vos ampliùs profeciſſe noveritis: ut in omnibus quibus utitur tranſitura neceſſitas, ſupereminеat quæ permanet charitas*, Hæc ille. Quæ verba ſint etiam pro commentario ejus quod dictum eſt cap. 10. *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.* Vide quæ illic annotavimus.

De eodem locus inſignis apud Auguſtinũ.

Quo ſenſu charitas incipere dicatur à ſeipſa.

Neque verò iſtis repugnat quod dici ſolet, charitem incipere à ſeipſa. Per hoc enim ſignificatur charitatem ſic ordinatam eſſe, ut poſt Deum magis homo ſeipſum amet, quàm alios, ſuamque ſalutem prius curet, quam proximi cujuſque: quod quidem tunc vel maximè præſtat, quando dictante charitate totus in ſalutem proximorum incumbit. *Nam qui proximũ diligit, legem implevit*, Rom. 13. &, *Scimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres*, & iterùm, *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt*, 1. Joa. 3. & 4.

NON IRRITATUR. Hoc eſt, non facilè concitatur ad iram, ſed tolerans eſt injuriarum. Alii vertunt *non excandeſcit, non exacerbatur.* Tertull. legit, *non incitatur.* ſcilicet ad iram, id enim eſt, παροξύνεται.

Cogitare malũ quid hoc loco.

NON COGITAT MALUM. Quidam generaliter hanc partem exponunt: non verſat animo malas cogitationes. Alii ſpecialiter, non machinatur in corde malum adverſus proximum, quamvis etiam injuriis laceſſita. Rurſum alii, non ſuſpicatur malum de proximo. Verùm ex Græco potiùs ſic vertas; non reputat aut non imputat malum. Cujus, authore Theodorito *ſenſus eſt;* Qui charitatem habet, etiamſi læſus ab aliquo fuerit, non tamen imputat injuriam, neque vindictam expetit, ſed diſſimulat, excuſat, ignoſcit. Ita 2. *Cor.* 5. dicitur Deus non reputaſſe nobis delicta noſtra, quia remiſit. Quo quidem loco idem eſt verbum Græcum λογίζεσθαι. Quemadmodum & in illo verſu Pſal. 31. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Quocirca ſenſum hunc omninò germanum arbitramur.

Quid gaudere ſuper iniquitate.

6. NON GAUDET SUPER INIQUITATE. Græcè ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, *ſuper*, aut *de injuſtitia.* Quod Latini ſic ferè exponunt: non gaudet ſi quis malum quid, & injuſtum faciat. Sed Græci reſtrictè hoc modo; non gaudet ſi quis afficiatur injuria, non exultat cum videt proximum, etſi ſuum inimicum, ab aliis injuſtum aliquid pati: quin potius dolet ac triſtatur de ejus malo, prout alibi præcipit idem Apoſtolus, *Flere cum flentibus*, Rom. 12.

Veritas pro juſtitia, ſive generali, ſive ſpeciali.

CONGAUDET AUTEM VERITATI. Veritatem pro juſtitia poſuit more ſcripturæ frequentato, maximè in pſalmis & Prophetis. Poteſt autem hic intelligi, vel juſtitia generalis, hoc ſenſu: Charitas congaudet proximis in omni bono quod agunt. (Ita Joannes Apoſtolus in 3. epiſtola, *Gaviſus*, inquit, *ſum valde venientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus veritati tuæ: ſicut tu in veritate ambulas.*) Vel juſtitia ſpecialis: ut ſenſus ſit, charitatem gratulari proximis, quum videt inter eos juſtitiam coli; id eſt, neminem lædi: ſed unicuique quod ſuum eſt, attribui. Hoc fortaſſe probabilius propter oppoſitum membrum.

Quæ omnia ſuffert charitas.

7. OMNIA SUFFERT. Id eſt, tolerat, tegendo, ac diſſimulando vitia & infirmitates proximorum, quantumvis moleſtas: quatenus tamen eis ad ſalutem expediat. Quod & alibi ſæpè Paulus præcipit, & ipſe in primis præſtitit. *Debemus*, inquit Rom. 15. *nos infirmiores imbecillitates infirmorum ſupportare, & non nobis placere.* Et Gal. 6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Quæ lex non alia eſt, quàm lex charitatis. Hunc ſenſum ſuggerit vox Græca στέγειν, quæ propriè ſignificat tegere, & ad animum relata, diſſimulare, tacendo tolerare. Sciendum eſt Cyprianum in *libro de unitate eccleſiæ, & teſtimoniorum* lib. 3. pro, *omnia ſuffert*, legere, *omnia diligit.* Unde conjicit Eraſmus, interpretis illius codicem habuiſſe παντα στέργει, addita literula verbo στέργει. Accedebat quod quum in textu proximè ſequuntur hæc duo, *omnia credit, omnia ſperat;* deſiderari videbatur tertium ejuſdem generis, *omnia diligit.* Verumtamen idem Eraſmus fatetur, id quod noſtra habet editio, ſibi magis probari.

Lex charitatis.

Quo ſenſu charitas omnia credat.

OMNIA CREDIT. Hanc partem cum duabus ſequentibus Lombardus, Hervæus, atque alii Latini mediæ ætatis interpretantur de officio charitatis erga Deum; ſicuti duodecim attributis præcedentibus declaratum eſt ejus officium erga proximos. Itaque ſecundùm illos charitas omnia credit non hominibus, ſed Deo: non eſt tarda ad credendum omnia quæ credenda divinitus traduntur. Expoſitionem confirmant. Nam hominibus omnia credere levitatis eſt, non charitatis. Eſt enim Deus verax: omnis autem homo mendax. *Rom.* 3. Quare credentem omnia quæ dicuntur ab hominibus, neceſſe eſt ſæpenumero decipi. Hinc & in vitio ponitur Proverb. 14. *Innocens credit omni verbo.* Sic & Auguſtinus hanc partem intellexit, cum alibi, tum *lib. de ſpirit. & lit. cap. 32.* ita ſcribens: *Ipſa charitas quæ omnia credit, non omni ſpiritui credit: ac per hoc omnia quidem credit; ſed Deo, quia non dictum eſt, omnibus credit.*

Quo ſenſu omnia ſperet.

OMNIA SPERAT. A Deo, non ab hominibus: Omnia, inquam, quæ Deus promiſit, ac ſperanda propoſuit. Sic iidem authores. Et ne ſpes dilatione frangatur, tertium additur.

Quo ſenſu omnia ſuſtineat.

OMNIA SUSTINET. Græcè ὑπομένει: verbum à ſuperiore diverſum: atque hunc reddunt ſenſum. Patienter expectat promiſſa Dei, quamvis in longum tempus dilata; faciens quod præcipit Habacuc Propheta, cap. 2. *Si mora fecerit, expecta eum.* Et quod Jacobus Apoſtolus cap. 5. *Patientes eſtote fratres uſque ad adventum Domini.* Et hæc quidem Latinorum expoſitio eſt.

Aliorum de his talibus expoſitio probabilior.

At verò Græci commentatores, quibus annuunt ex Latinis Pelagius, Primaſius & Sedulius, iſta tria membra perinde ut duodecim præcedentia referunt ad charitatem proximi ſenſu valde probabili. Nam inſtitutum Apoſtoli eſt hoc capite, commendare charitatem, quatenus exercetur erga proximos per officia hominibus conſpicua. Ex quibus deinde, velut ab effectis & ſignis viſibilibus charitatis in Deum inviſibilem, à qua nec ſeparari poſſunt; cognoſcendum cuique relinquit, utrùm diligit Deum necne. *Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt*, id eſt, qui ei charitatis officia non impendit: *Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?* 1. Joan. 4.

De proximis bona quam mala faciliùs credenda.

Sic igitur illi exponunt: Charitas *omnia credit* proximo vel de proximo quem diligit. Proximo quidem, quatenus non facilè ſuſpicatur eum mentiri: de proximo autem, in quantum bona quæ de eo

audit, facilè ſuſcipit ut vera: nam utique charitatis eſt benè ſentire de proximis; ac benè iis velle. Quo fit ut bona, quæ de illis dicuntur, faciliùs ac propenſiùs credat, quàm mala. Qua tamen in re judicium adhibet ſecundùm dictamen prudentiæ, ne noxio fallatur errore. Eſt igitur in vocabulo *omnia* diſtributio accommoda, quam vocant.

De proximis ſemper ſperanda meliora.

Eodem modo partem hanc, *omnia credit*, etiam Auguſtinus alicubi intellexit, *ut lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 3. Item *omnia ſperat*, id eſt, de proximo quem diligit, ſive ille bonus ſit, ſive malus, & adhuc à recto devius, aſſiduè ſperat de illo meliora; de hoc bona, reſipiſcentiam, profectum, perſeverantiam, & cætera, ad quæ tum orando, tum admonendo, corrigendo, caſtigando provehere eum tenetur. Nihil enim horum rectè fit à non ſperante: nec quiſquam eſt tam malus, de quo dum vivit deſperandum ſit.

De nemine, dum vivit, deſperandũ.

Poſtremò *omnia ſuſtinet*, id eſt, mala quæcumque à malis hominibus inferuntur, ut maledicta, contumelias, obtrectationes, exilia, vincula, tormenta, mortem ipſam, æquo fert animo, tam propter ipſorum ſalutem à quibus hæc patitur, quàm aliorum: inter hæc etiam Deum pro inimicis orans, ut det illis pœnitentiam: quod profectò magnæ charitatis eſt. Hunc ſenſum Paulus ſuipſius exemplo nobis declarat. 2. *Tim.* 2. cùm de perſecutoribus ſuis loquens ait: *Omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur:* ubi ſimiliter ut hîc, legitur πάντα ὑπομένω.

Quædã malanõ ſolum ſuſtinenda, ſed etiam repellenda.

Verumtamen non ita ſuſtinenda ſunt mala, ut non etiam pro tempore & loco prudenter avertenda ſint ac repellenda: quemadmodum & mali homines, quamvis à bonis tolerandi ſint, adeò, ut dicat Gregorius, *homil.* 37. ſuper Evangelia: *Bonus non fuit qui malos tolerare recuſavit:* non ita tamen tolerandi, ut non eorum malitiæ quum res poſtulat, obviàm eatur verbis & factis, etiam uſque ad ſeparationem à cœtibus bonorum. Unde laudatur angelus Epheſi Eccleſiæ, Apocal. 2. quod malos ſuſtinere non poſſet.

Nota.

Illud extremo loco notandum, charitatem omnia credere, ſperare, ſuſtinere actu imperato, ut loquuntur Theologi: Nam actu elicito charitas diligit, fides credit, & cætera. Vel certè hæc omnia in perſonam hominis charitatem habentis accipienda ſunt: qui per charitatem hæc omnia facit: uti dictum eſt initio.

8. CHARITAS NUMQUAM EXCIDIT. Deinceps uſque ad finem capitis charitatem præ cæteris donis commendat Apoſtolus à permanentia ſeu perpetuitate. Commentator Ambr. & non uno loco Auguſtinus legunt *numquam cadit.* Sed Græcè eſt verbum compoſitum ἐκπίπτει, *excidit*, temporis præſentis. Quo verbo idem ſignificatur quod illis ſequentibus, evacuari, ceſſare, deſtrui. Numquam igitur excidit charitas, intellige quantum ad temporis conditionem attinet: Senſus enim eſt, ita charitatem haberi in hoc ſæculo, ut ſi quis eam retineat uſque ad exitum hujus vitæ, permanſura cum eo ſit in vita futura. Quem ſenſum ea quæ ſequuntur de aliis donis poſt hanc vitam ceſſaturis, palàm oſtendunt.

Charitas numquam excidit, quo ſenſu.

Eodem redit illorum commentarius, qui dicunt Apoſtolum loqui de charitate in genere. Sentit enim charitatem non eſſe virtutem hujus dumtaxat ſæculi, ſicut fidem & ſpem: ſed permanſuram in vita beata.

Obſ. contra Sectarios, qui negant charitatem amitti poſſe.

Quocirca malè quidam ex hoc loco docuerunt & docent fieri non poſſe, ut qui charitate ſemel donatus, eam amittat. Quod enim nonnulli ſenſum hunc faciunt; charitatem in hac vita numquam ceſſare, eò quòd ſemper novas arripiat orationes benè merendi de proximis, teſtante Auguſt. in præfatione ſuper Pſal. 31. *Dilectio vacare non poteſt.* & Gregorio in homil. 30. ſuper Evangelia, *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis*, ac rurſum, *Amor Dei numquam eſt ocioſus. Operatur enim magna, ſi eſt: ſi verò operari renuit, amor non eſt.* Id, inquam, huic loco non quadrat, ubi charitas comparatur cum donis poſt hanc vitam ceſſaturis.

Amor Dei numquam eſt ocioſus.

Objectio.

Verùm dicet aliquis: Charitas, uti dictum eſt, patiens eſt, & omnia ſuffert, credit, ſperat, ſuſtinet: quare ſi fides, ſpes & patientia locum non habebunt in futuro ſæculo, ut ex ſequentibus apparet; igitur nec charitas. *Reſpondeo* charitatem ſecundùm actus ſibi proprios atque elicitos in futuro ſæculo permanſuram. Deum namque diliget perfectiſſima dilectione. *Si enim amamus quem non videmus, quomodo amaturi ſumus, cum viderimus?* ait Auguſt. in *enarr. Pſal.* 91. Diliget & proximum in Deo, tamquam ſeipſum. Sed & alios præterea quoſdam actus illi vitæ convenientes imperabit. Congaudebit enim veritati & juſtitiæ divinæ, tam in glorificatione juſtorum, quàm in damnatione impiorum. Denique & animæ beatorum ex charitate qua nos proſequi non deſinunt, pro nobis intercedunt: ut benè ex hoc loco ratiocinentur catholici. Perdurat charitas animarum beatarum erga nos; Atqui perpetuum charitatis officium eſt orare pro dilectis ſi indigeant: ergo beatæ animæ pro nobis orant. Neque enim ignorare poſſunt perpetuam noſtram in hac vita neceſſitatem. In quo argumento diluendo fruſtrà laborat Calvinus. Cæterùm patientiæ virtus utrùm & quatenus in futuro ſæculo permanſura ſit, alia quæſtio eſt: de qua diſputatur, *in* 3. *ſent. diſt.* 33.

Reſponſio. Qui actus charitatis manſuri in futuro ſæculo.

Obſ. contra Sectarios, animas beatas ex charitate pro nobis orare.

Patientiæ virtus an in futuro ſæculo manſura.

SIVE PROPHETIÆ EVACUABUNTUR. Græcè εἴτε δὲ, *Sive autem.* Atque ita legitur in textu priorum editionum commentarii Ambroſ. Et quidem tres Græci codices à Roberto notati tria hæc membra adhuc incîdunt, hoc modo: *Sive autem Prophetiæ, abolebuntur, ſive linguæ ceſſabunt; ſive ſcientia, abolebitur* (ſic enim Græca vertimus) quemadmodum & interpretes Theophylacti diſtinxit: tamquam ſenſus orationis ſit: Cætera verò dona, ſive ſint Prophetiæ, ſive linguæ, ſive ſcientiæ, aliquando ceſſabunt. Alioqui fatendum erit voculam δὲ redundare: quod fit interdum.

Ceſſatio chariſmatum in ſæculo futuro.

Ceſſationem hanc donorum non ad præſens ſæculum, ut quidam volunt, ſed ad futurum eſſe referendam (etſi Prophetiæ & linguæ etiam nunc poſt jacta prima eccleſiæ fundamenta ut plurimum ceſſent) ea quæ ſequuntur, manifeſtè probant. Neque enim ſcientia deſtruetur in hoc ſæculo, quum eo durante ſemper ſit neceſſaria: ac perfectum illud de quo deinde loquitur, itemque videre facie ad faciem, non hujus eſt ſæculi, ſed futuri. Prophetias numero plurali vocat prædictiones propheticas: comprehenſis tamen eo nomine etiam expoſitionibus myſteriorum, uti capite ſequenti. Quæ quidem omnes abolendæ ſunt, quia non erit illarum uſus in cæleſti patria, ubi omnes clarè videbunt Deum, nihilque remotum à notitia beatorum erit illis annunciandum aut exponendum.

Prophetiæ quæ dicantur.

Porrò ceſſante uſu prædictionis propheticæ, conſequens eſt ut & ipſum ceſſet prophetiæ donum: utpote quod non in habitu, ſed in actuali tantùm revelatione conſiſtit. Quamquam & habitus explicandi myſteria fidei, ceſſaturus eſt ſenſu Pauli; id eſt, quoad uſum; *ut infrà* docebimus. Non igitur ea ratio eſt ceſſaturæ prophetiæ, quod cognitio prophetica in ſua ratione obſcuritatem includat; ut benè docet S. Thom. 3. *part. qu.* 7. *art.* 8. *ad* 1. *&* 2. tacitè retractans id quod diverſum dixerat *in* 2. 2. *qu.* 174. *art.* 2. *ad* 3. Etenim Chriſtus qui omnia clarè cognovit, Propheta fuit; ſeque ipſe Prophetam fatetur Matth. 13. dicens: *Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua.* Sed ea ratio eſt, ut dixi, quoniam in vita futura ubi erit conſummata beatitudo, non habebit ampliùs locum annunciatio myſteriorum.

Cognitio Prophetica an obſcuritatem includat.

SIVE LINGUÆ CESSABUNT. Non dicit linguam cessaturam, sed linguas: Non enim post resurrectionem cessabit usus linguæ corporeæ, id est, locutio sensibilis; sed non erunt ibi genera Linguarum, ac proinde nec donum linguarum. Neque enim hujusmodi dono illic opus erit, ubi omnes electi erunt *labii unius & sermonum eorumdem*, multò magis quàm fuerant homines ab exordio sui generis usque ad exstructionem turris Babel, *Genes. 11.* Quare nec linguarum donum intelligi debet ideo cessaturum, quod imperfectionem includat. Si enim una lingua loqui non est imperfectionis, igitur nec pluribus. Sed ratio est quam dedimus.

Scientia quo sensu destruenda, variæ sententiæ.

SIVE SCIENTIA DESTRUETUR. Græcè καταργηθήσεται, *abolebitur*: quod in primo membro vertit interpres, evacuari. Quo sensu dicat Apostolus scientiam destructum iri in futuro sæculo, variæ sunt interpretum sententiæ. Chrysost. *super hunc locum*, & copiosiùs *serm. 1. de incomprehensibili Dei natura*, scientiam destruendam docet, eò quòd ex imperfecta, qualis nunc est, perfecta fiet, atque ex minore major; accedente notitia multarum rerum quas nunc ignoramus: ut illa destructio sit potiùs incrementum & accumulatio quædam, & ad majora provectio. Chrysostomo subscribit Theophylactus: nec aliud sentire videtur Theodoritus, ita scribens; *Cessat autem quæ minor est cognitio, majore suppeditata.*

Verùm hoc pacto etiam charitas cessabit ac destruetur; quoniam ex imperfecta, qualis nunc est, perfecta fiet, & ex minore major. Ut & hoc addam, nimis coactam videri expositionem, qua destrui & aboleri dicatur, quod perficitur & augetur.

Habitus scientiæ an maneat in futuro.

Quidam igitur putarunt Apostolum sentire, quod habitus scientiæ in hoc sæculo acquisitæ, cum sensibus corporis pereat in morte, tamquam ab illis necessariò dependens: cui posteà succedat alius habitus perfectior, animæ divinitus impressus. Sed hoc benè refellit Thomas *in comm. & 1. quæst. 89. art. 5.* Nam scientia est in intellectu, non in sensu: à quo nec secundùm speciem actus dependet in anima separata. Nec verò quicquam includit imperfectum in sua ratione: propter quod cessare debeat in patria, sicuti fides & spes; ut vult Cajetanus. Nam Deo propriissimè competit scientiæ nomen: & in Christo fuit hoc donum, in quo omnia charismata fuerunt perfecta. Denique nota est & probata B. Hieron. *in epist. ad Paul.* illa cohortatio; *Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in cælo.* Quamquam illic conclusiones non ex principiis erunt colligendæ: sed in suis principiis intuendæ: quemadmodum & hîc facimus utentes scientia priùs percepta.

Censet autem Aquinas scientiam destruendam esse quantum ad modum sciendi; qui est per *inspectionem phantasmatum*, ut ait, *quia anima separata non indigebit, habens esse & operationem absque corporis communione.* Quod etsi verùm sit; non tamen in hoc loco significatur. Quamvis enim anima separata sine phantasmate contempletur; attamen post resurrectionem nihil vetat beatos (quorum statum maximè respicit Apostolus) uti scientiis suis per conversionem ad phantasmata: qui modus est homini naturalis; quemadmodum tradit idem doctor *in 3. sent. dist. 31. sub finem.* Et alioquin, ut esse animæ separatæ imperfectum est, ita & intelligere: nisi influentia divini gratuitique luminis accedat: teste eodem authore, *1. qu. 89. art. 1.* Non ergo modum illum sciendi qui proprius est animæ separatæ, promittit Apostolus tamquam aliquid perfectius, cum pronunciat scientiam hanc nostram abolendam.

Anima separata sine phantasmate contemplatur.

Dona destruenda, quia usum non habebunt ad proximos.

Aliis itaque videtur hujus loci germanior expositio, secundum quam scientia destruenda dicitur, quia donum scientiæ, de quo dictum est cap. superiori; *alii datur sermo scientiæ*: & rursum hoc capite, *Si habuero omnem scientiam*, non habebit usum ad proximos in futuro sæculo. Ad hoc enim datum est, ut doctrina Christiana per ea quæ sunt humanæ cognitionis aut experientiæ, vel persuadeatur iis qui nondum credunt, vel ab iis qui jam credunt, tenaciùs, firmiusque retineatur. Quale nihil agetur in futuro sæculo, quando, fide in speciem conversa, perfectè adimplebitur illud Jeremiæ 31. *Non docebit ultrà vir proximum suum. Omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum.* Hic sensus admodum probabilis est: Congruit enim cum iis quæ præcedunt de cessaturis prophetiis & linguis. Atque eum tradunt Oecumen. *in comment.* & Hugo Victorinus *in quæst. hujus loci*: itemque ex neotericis quidam. Nec repugnant ea quæ sequuntur de cognitione ex parte, & de comparatione parvuli: ut ex commentario patebit.

An etiam sapientia destruenda.

Quæres cur non etiam dixerit Apostolus sapientiam abolendam esse. Siquidem & hanc inter dona ad utilitatem ecclesiæ concessa superiùs enumeravit. *Responderi* potest non eamdem esse rationem sapientiæ & scientiæ quantum pertinet ad usum fidelium. Cùm enim sapientia sit ea notitia mysteriorum quæ habetur ex causis supremis: in futuro autem sæculo Deum, qui est prima & suprema omnium causa, omnes visuri sint: erit illic etiam quoad usum cognoscendi, perfectissima omnium sapientia. Quod de scientia quæ causas inferiores consulit similiter dici non potest. Augustinus quoque *lib. 12. de Trin. cap. 14.* sapientiam referri dicit ad contemplationem, scientiam verò ad actionem. Atqui in futuro sæculo cessabit actio & sola remanebit contemplatio.

Responsio affirmativa.

Verùm puto rectiùs dixeris, etiam sapientiam quatenus donum est ad aliorum utilitatem datum, abolendam esse: ut quod hîc de scientia dicitur, etiam de sapientia dictum intelligatur; præsertim cùm sapientia sit quædam scientia; quemadmodum memorato loco docet Augustinus: & probat ex eo quod infrà dicitur: *Nunc scio ex parte: tunc autem cognoscam.* &c Certè enim, si de istorum donorum actibus absolutè loquamur: sicuti sapientia habebit in patria quosdam actus suos, ita nihil obstat, quin & scientia suos quosdam illic habitura sit; cujusmodi est, in causis creatis effecta cognoscere: imò & Deum in creaturis cernere: videlicet eo modo quem tradit idem Augustinus *libr. 22. de civit. Dei cap. 29. sub finem.*

Quid ex parte cognoscere & prophetare.

9. EX PARTE ENIM COGNOSCIMUS, ET EX PARTE PROPHETAMUS. Non ideò ex parte, quod scientia & prophetia aliquid imperfectum includant in sua ratione (jam enim de utraque contrarium ostendimus) sed quia tantum serviunt huic sæculo: nam & de dono linguarum idem esse judicium testatur Aquinas *in commentario*: sed idcircò prætermissum quod his duobus imperfectius, id est, minus sit. Itaque sensus esse videtur: Donum scientiæ ac prophetiæ nobis datur ob imperfectionem hujus sæculi: quia per scientiam homines spiritualium rudes, ac rebus sensibilibus dediti, ab ipsis sensibilibus ad capienda fidei mysteria veluti manu ducendi sunt; per donum autem prophetiæ de reconditis scripturarum sensibus instruendi. Quorum neutrum agetur in futuro sæculo; ubi perfecta erunt omnia.

Ex parte significat imperfectum.

Igitur illud *ex parte* habet quidem imperfecti significationem, quod satis arguit antithesis ejus ad perfectum in sententia proximè sequenti: sed discernendum, cujus rei notetur imperfectio. Nam dona quæ dantur solùm ad utilitatem aliorum, imperfectionem & inopiam monstrant, non eorum in quibus sunt, sed aliorum quibus erudiendis & instruendis serviunt, ut linguæ, scientia, prophetia, & alia superiori capite enumerata. Fides autem & spes, quas quisque habet propter se, imperfectionem

habent in semetipsis; *ut infrà* declarabitur. Juxta hanc expositionem non solùm de linguis, uti dictum est, verùm etiam de dono sapientiæ erit eadem ratio, quæ de scientia & prophetia: nempe ex parte nos sapere. Generaliter enim de charismatis superiori capite dictum est: *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*, scilicet aliorum. Estque Pauli intentio, docere quod cæteris abolitis sola charitas sit remansura. An Christus cognoverit & prophetaverit ex parte. Consequens item est, etiam Christum Dominum in hac vita conversantem, cognovisse & prophetasse ex parte: sensu videlicet jam explicato.

Sciendum tamen in quibusdam exemplaribus Græcis, cujusmodi quinque signat R. Stephanus, pro γάρ legi δέ. *Ex parte autem cognoscimus:* quemadmodum & Faber vertit ex Græco: ut hæc pars non sit probatio præcedentis, sed nova ratio, qua doceat charismata cessatura; quia nimirum ex parte sunt, id est, imperfectionem habent in se: quomodo locum hunc alii intellexerunt. Quamquam dici potest, si vera lectio est horum codicum, conjunctionem *autem* pro *enim* positam esse: quæ heterosis apud Hebræos non est infrequens.

10. Cum autem venerit id quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Græcè addito temporis adverbio: *tunc quod ex parte abolebitur*. Sensus: Posteaquam advenerit fidelibus perfecta notitia Dei & omnium mysteriorum, scilicet in futuro sæculo: tunc abolebitur & cessabit non solùm quicquid donorum in se imperfectionem habet, verùm etiam quicquid eorum ideò datum est, ut proximorum imperfectioni serviat. Tunc enim nulli jam erunt quibus dicatur, *Cognosce Dominum.*

Cur charitas non abolenda, cùm sit ex parte. Hîc quæri solet, quomodo charitas non etiam abolenda sit in futuro sæculo: quandoquidem uti cognoscimus, & prophetamus ex parte, sic etiam diligimus ex parte. Omnis enim nostra dilectio in hoc statu viæ, imperfecta est. Verùm *responsio* patet ex dictis. Responsio. Nam Prophetia, linguæ, scientia, non ideo cessabunt quod in seipsis imperfecta sint; sed quia tantùm propter aliorum imperfectionem data. Fides autem & spes cessabunt, eò quòd in sua ratione imperfectionem includant: fides obscuritatem & inevidentiam cognitionis; spes autem, rei desideratæ absentiam. At charitas nec solùm, nec propriè datur ob utilitatem aliorum, sicut dantur charismata, de quibus superiori capite (licet illa per hanc maximè utilia reddantur:) neque in sua ratione claudit imperfectionem, ut fides & spes: ideoque cessare non debet; sed imperfecta mutabitur in perfectam, eadem numero permanens. Quantò enim perfectiùs cognoscetur Deus, tantò magis amabitur & ipse, & in eo omnes electi.

11. CUM ESSEM PARVULUS, LOQUEBAR UT PARVULUS, SAPIEBAM UT PARVULUS, COGITABAM UT PARVULUS. Græcè hoc ordine: *Cùm essem parvulus, ut parvulus loquebar, ut parvulus sapiebam, ut parvulus cogitabam. Parvulus*, Græcè νήπιος. Parvulus quis dicatur. Quæ vox puerum infantem significat, id est, qui necdum perfectè fari queat, à νη particula privativa, & ἔπος, sermo, verbum. Hanc similitudinem hominis ex puero proficientis in virum, adhibet ex sua persona Apostolus, ut doceat illud congruere nobis in hoc sæculo velut in ætate puerili: aliud in futuro, tanquam in ætate virili. *Cùm*, inquit, *essem parvulus*, loquebar, sapiebam, cogitabam ut parvulus, id est, omnia hæc agebam imperfectè, prout imperfectus in parvulo seu puero infante est usus rationis. Ubi nota verbum Græcum ἐφρόνουν, pro quo vertit interpres, *sapiebam*, etiam verti posse *sentiebam*, quatenus ad animum refertur sentire. Quid sapere. Significatur enim judicium mentis de rebus; non autem ea quæ propriè sapientia vocatur; quæ in infantibus nulla est: ne quis hoc cum nonnullis ad donum sapientiæ detorqueat.

Cæterùm cogitare, quod Græcè est λογίζεσθαι, rationis discursum indicare videtur. Est autem hoc totum de parvulis manifestum. Loquuntur enim balbutiendo; stultè sapiunt, preciosa contemnentes & vilia appetentes; itemque confusè cogitant ac ratiocinantur. Quid cogitare. *Videtur autem Apostolus*, inquit Aquinas, *ordine præposteró, hæc tria ponere. Nam locutio præexigit judicium sapientiæ; judicium verò præsupponit cogitationes rationis. Sed hoc satis congruit imperfectioni puerili; in qua est locutio sine judicio, & judicium sine deliberatione.* Sic ille.

QUANDO AUTEM FACTUS SUM VIR, EVACUAVI QUÆ ERANT PARVULI. Atqui vir factus, inquit, abolevi, abjeci ac missas feci istas imperfectiones: & cœpi loqui, sapere, cogitare ut vir. Græci codices, in quibus pro κατηργηκα legitur κατηργον, aut κατηργα, mendosi sunt. Nam hæc Græcè dici non autumo. Lectioni vulgatiori ac meliori suffragantur interpretes Græci, itemque codex regius cum reliquis omnibus R. Stephani. Comparationem hanc ab Apostolo interpositam plerique referunt ad superiora, ubi sermo fuit de donis ad aliorum utilitatem concessis, & ita singula singulis applicant: ut loquela pertineat ad linguas, sapere ad Prophetiam, cogitare ad scientiam. Quod si recipimus, tum qui ejusmodi dona habent, intelligi debent similes esse pueris imperfectè loquentibus, sapientibus, cogitantibus: non quod hæc dona ex sua ratione imperfecta sint: ut propterea nequeant in beatis permanere: sed propter usum, ut sæpè dictum est.

Etenim quia status præsentis vitæ respectu futuræ est velut infantia quædam aut pueritia ad virilem statum comparata; idcircò quibus dona data sunt ad aliorum institutionem, ii debent sese aliis tamquam parvulis accommodare, & cum eis quasi pueriliter loqui, sapere, ratiocinari; more boni præceptoris, aut nutricis. Unde est quod ait Apostolus suprà cap. 3. *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi.* Et cap. 12. sequentis epistolæ, *Factus sum insipiens, vos me coëgistis*, & 1. Thessal. 2. *Facti sumus parvuli in medio vestrûm; tamquam si nutrix foveat filios suos.* Verumtamen nihil vetat hanc comparationem referri ad sequentia, ubi de cognitione fidei agitur: ut hac parte transitus sit à donis propter alios datis, ad donum fidei quod unicuique propter se datur. Hoc quippe donum non solum ipsum ex suo genere imperfectum est ob rationem paulò antè dictam; verùm etiam imperfectionem suam transfundit in alia, de quibus actum est huc usque.

Quomodo qui habent charismata, parvulis similes.

Donũ fidei per se imperfectum, etiam in alia transfundit imperfectionem.

Sic igitur explicati poterit comparatio: Quemadmodum homo parvulus pueriliter loquitur, sapit, cogitat; idem autem vir factus, puerilem sermonem, sensum & cogitationem exuit, ac viriliter, id est, perfectè omnia hæc agit: ita nos in hoc sæculo tamquam in pueritia, de Deo ac mysteriis divinis loquimur, sapimus, & cogitamus obscurè & imperfectè: quia solam de iis habemus fidei cognitionem, quæ per se obscura & imperfecta est. *Dum* enim *sumus in corpore* hoc mortali; *per fidem ambulamus & non per speciem*, 2. Corinth. 5. Simulatque verò futuri sæculi statum illum beatum attigerimus; omnem istam loquendi, sapiendi, cogitandi imperfectionem, quam secum trahit notitia fidei, prorsus abjiciemus: fide scilicet in visionem, & spe in apprehensionem commutata. Huic sensui liquidò favent quæ sequuntur.

12. VIDEMUS NUNC PER SPECULUM IN ÆNIGMATE. Græcè, *Videmus enim nunc*, &c. Et in quibusdam legitur ὡς ἐν αἰνίγματι, *velut in ænigmate.* Sic & Tertullianus adversus Praxeam cap. 14. *tamquam in ænigmate.* Syrus autem hoc ordine sententiam reddidit: *Cæterùm nunc tamquam per speculum cernimus in ænigmate.* Rem eamdem declarat Apostolus alia similitudine, nempe visionis specularis &

obſcuræ, collatæ cum viſione clara & directa. Videmus igitur tunc tamquam per ſpeculum, & tamquam in ænigmate : quia Deum ac res divinas in hoc ſæculo cognoſcimus admodum imperfectè. Cùm enim res in ſpeculo repræſentata minùs perfectè videatur, quam ſi eam directè & in ſeipſa contueamur : imperfectionem adhuc auget quod addit, *in ænigmate*. Per hoc enim non ſolum obſcuritas ſignificatur, ſed etiam cognoſcendi difficultas.

Videre per ſpeculum & in ænigmate quid ſit.

Nam ænigma propriè quæſtio eſt ſeu propoſitio, qua ſub involucris ſignorum quæritur aut dicitur aliquid : quæ proinde ad conjectandum & explicandum difficilis eſt. Exiſtimat Cajetanus, per ſpeculum videre ſic intelligi poſſe, quomodo videmus per ocularia vitrea, quæ perſpicilia vocantur : ſed non eſt veriſimile. Solent enim hujuſmodi adhiberi ad clariùs videndum, maximè ab iis quibus ob ſenium viſus deficit ; ideoque hæc ſimilitudo ſeu metaphora non ſerviret rei propoſitæ.

Quid ænigma.

Cajetanus quid per ſpeculum intelligat.

Probabilior fortaſſe conjectura, ſi dicatur Apoſtolus illud hac phraſi ſignificaſſe quod Latini dicunt, aſpicere per tranſennam, id eſt non propè, neque diſtinctè, ſed procul & ſummatim, ac confuſo modo ſpectare rem aliquam. Neque enim hic Græcè eſt κάτοπτρον : quo nomine ſolet uſitatiùs apud ſcriptores profanos ſpeculum ſignificari ; quod & legitur apud LXX. *Exod.* 38. ſed ἔσοπτρον, vocabulum minus frequens. Deinde non ait Paulus, *in ſpeculo*, ſicuti loquitur Jacobus *cap.* 1. ſed *per ſpeculum*, quaſi volens ſignificare modum quo per cancellos aut tranſennam cerni quippiam dicitur. Quæ locutio ſanè videri poteſt aptior ad deſignandam obſcuram & imperfectam viſionem, quam de Deo diviniſque myſteriis in hoc ſæculo habemus. Nam quod propriè ſpeculum dicimus, claram, diſtinctam & expreſſam exhibet rei ſimilitudinem : adeò ut ipſe Dei filius, ſub nomine ſapientiæ, propter repræſentandi perfectionem vocetur *ſpeculum immaculatum Dei majeſtatis*, Sap. 7. Quamquam non negamus idem vocabulum quod hic ponitur ab Apoſtolo, etiam alibi in ſcripturis uſupari pro ſpeculo : nempe locis jam indicatis Jacobi & Sapientis, ſicque etiam Græci commentatores accipiunt hoc loco : ſed ad denotandam viſionis obſcuritatem, quæ per viſionem ſpecularem minus ſignificatur, dicunt additum eſſe *in ænigmate*.

Aliorum de ſpeculo conjectura.

Porrò Latini poſteriores, ut Aquinas, Liranus, Cajetanus & alij cenſent Apoſtolum idcircò notitiam quam in hac vita de Deo habemus, comparare viſioni quæ per ſpeculum, aut in ſpeculo fit : quia non immediatè ſed tantum per aliud, nimirum per viſibilia mundi præſentis, id eſt, per creaturas ſenſibus objectas & cognitas, in quibus velut in ſpeculo quodam apparet, atque in oculos mentis noſtræ reſultat imago bonitatis, ſapientiæ, potentiæ divinæ ; Deum ipſum cognoſcimus ; ac nihilominus addidiſſe Paulum, *in ænigmate*: quod illa cognitio Dei per creaturas adhuc magnam in nobis ob naturæ corruptionē habeat obſcuritatem & difficultatem ; eaque ratione à ſimilitudine viſionis quæ fit in ſpeculo recedat. Nam & hominem integrum vidiſſe Deum in ſpeculo ſive per ſpeculum creaturarum : non tamen in ænigmate.

Cur notitia noſtra de Deo, comparata viſioni ſpeculari.

Primus homo Deum videbat per ſpeculum, ſed non in ænigmate.

Sed huic expoſitioni quamvis doctæ & aliàs probabili, poteſt opponi, quod iſtum modum cognoſcendi Deum, ſcilicet per res creatas atque viſibiles, etiam philoſophis ethnicis aſſcribat Apoſtolus *Rom.* 1. hic autem agat de notitia Dei & myſteriorum, quam per fidem habemus, perque eam ſcientiam quæ inter Spiritu-ſancti chariſmata numeratur. Quare ſuperior expoſitio, quæ eſt antiquorum, probanda magis videtur.

Quid videre facie ad faciem.

Tunc autem facie ad faciem. Subaudi videbimus. Hebraiſmus eſt, quo ſignificatur viſio perfecta, qua nimirum videtur res in ſe ipſa, & *ſicuti eſt* ; ut loquitur Joannes 1. *epiſt. c.* 3. id eſt, non tantum in ſimilitudine, ſed per ſuam ipſius eſſentiam. Theophilactus appellat notitiam omninò revelatam. Quidam hoc loco viſionem intelligunt ſolius Dei, ut idem Theophyl. & poſt eum Oecumenius, ac ferè Latini poſteriores.

Alij præſertim veteres comprehendunt omnium myſteriorum quæ de Deo ſunt cognitionem. Qui intellectus textui Paulino conſentaneus eſt. Non enim Deum nominat, ſed dicit nos ea viſuros facie ad faciem, quæ nunc ex parte cognoſcimus, & in ænigmate videmus. Ea verò ſunt omnia fidei myſteria : principaliter autem ipſe Deus. Horum igitur omnium perfecta cognitio nobis promittitur atque ſervatur in futurum ſæculum.

Unde & illorum error revincitur, qui negant animas juſtorum eſſentiam Dei conſpecturas ante generalem mortuorum reſurrectionem. Nam utique futurum ſæculum incipit, ubi deſinit ſæculum præſens, id eſt, poſt mortem uniuſcujuſque. Quare niſi peccati debitum aliquod obſtet, fateri neceſſe eſt ex Apoſtoli ſententia, juſtorum animas ſtatim ut hinc evolaverint, ad beatificam Dei viſionem admitti.

Obſ. contra errorem negantium animas juſtorum viſuras Deum ante generalem reſurrectionem.

Quod verò Theodoritus hanc partem non de Deo qua Deus eſt, ſed de Chriſto Domino ſecundum aſſumptam naturam videndo, vult intelligi, propterea quod natura divina à nullo cerni queat, id recipi nullo modo poteſt : quum ſit non ſolum à ſenſu Pauli remotum (ut qui non hîc agat de viſione corporali, ſed de ea quæ mente fit) & ab aliorum omnium interpretum, etiam Græcorum expoſitione diverſum : verùm etiam ſanæ doctrinæ contrarium : quæ tradit intellectualis creaturæ beatitudinem in viſione divinæ eſſentiæ conſiſtere. *Sicut* igitur *in præſenti*, inquit, Hugo Victorinus, *omnis creatura eſt quaſi quoddam ſpeculum in quo videtur Deus : ſic in futuro, ipſe Deus erit ſpeculum omnis creaturæ, in quo omnia videbuntur veriùs quàm in ſemetipſis.*

Error Theodoriti negantis divinitatem poſſe videri à beatis.

Intellectualis creaturæ beatitudo in Dei viſione conſiſtit.

Utrùm autem viſio divinæ eſſentiæ, Chriſto Domino excepto, contigerit alicui, ſaltem ex privilegio, in hac vita mortali ; & quomodo ſint intelligenda quæ de Jacob. *Geneſ.* 32. deque Moyſe *Exod.* 33. & *Num.* 12. referuntur : nempe quod alter Dominum facie ad faciem viderit : cum altero Dominus facie ad faciem collocutus fuerit : atque ab eo viſus palàm & non per ænigmata aut figuras : ſolet à Theologis accuratè diſputari in *ſent. diſt.* 8. ubi & nos opinionem negantem oſtendimus ſacris literis ac ſanctorum Patrum dictis eſſe magis conſonam ; nec obſtare ei loca ſcripturæ memorata. Siquidem in illis ſermonem eſſe conſtat de angelo contrectabilem atque viſibilem exhibente ſeſe in aſſumpta ſpecie corporis humani. Cujus proinde vultum qui corporeis ſuis oculis intuebatur, ſive colluctans, ut Jacob, ſive colloquens, ut Moyſes ; ſive quis alius, de quo ſimile quid alicubi legitur, ipſum Dominum, cujus perſonam angelus ille gerebat, facie ad faciem videre dicebatur. Alioqui faciem, hoc eſt, eſſentiam Dei ab homine mortali videri non poſſe, Dominus ad Moyſen id auſum poſtulare, teſtatur his verbis : *Non poteris videre faciem meam : Non enim videbit me homo & vivet*, ac rurſus ; *Faciem meam videre non poteris*, Exod. 33.

Utrum in hac vita quiſquam Dei eſſentiam viderit.

Pars negativa probabilior oſtenditur.

Nunc cognosco ex parte. Pluralem numerum primæ perſonæ mutat in ſingularem : ne quis ambigat hæc in ipſum etiam Paulum competere, quamvis aliquando raptum in tertium cælum & in paradiſum ; ubi audiverat arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ex parte nunc ſe cognoſcere dicit : non ſolum quia pauca cognoſcat ex multis, id eſt, myſteriorum partem aliquam, non omnia myſteria ; quomodo nonnulli interpretantur illud *ex parte*, nominatim Syrus paraphraſtes, quum vertit

Quid hoc loco cognoſcere ex parte.

parum ex multò : sed etiam quod ea quæ sibi sunt revelata, cognoscat imperfectè & obscurè, nimirum per fidem, quæ est *argumentum non apparentium*, Hebr. 11. Quem sensum volunt tam ea quæ proximè præcedunt de speculo & ænigmate, quàm hoc quod sequitur, *sicut & cognitus sum*. Locum hunc Augustinus *lib.* 12. *de Trin. cap.* 14. ita legit: *Nunc scio ex parte* : dicitque sapientiam, qua Deum contemplamur, hîc vocari scientiam.

TUNC AUTEM COGNOSCAM SICUT ET COGNITUS SUM. Supplendum à Deo. Sicut Deus, inquit, me cognoscit, & ab æterno cognovit, clarè & perfectè : sic & ego Deum resque divinas in futuro sæculo cognoscam clarè & perfectè. Verùm hæc cognoscendi similitudo magnam adjunctam habet inæqualitatem: Nam Deus omnia novit perfectissimè, nos autem Deum cognoscemus perfectè, quomodo potest creatura creatorem cognoscere, nempe per essentiam, omni remota obscuritate. Non igitur hinc sequitur beatos Deum comprehendere, sicut Deus illos & seipsum comprehendit.

Beati Deum perfectè cognoscunt, sed non comprehendunt. Gratia præveniens.

Annotant Theophyl. & Oecumen. post Chrysostomum, hîc à Paulo gratiam insinuari prævenientem, qua nos Deus prior cognovit, ut nos eum cognosceremus : & per hoc etiam imperfectam quam de Deo habemus scientiam, non ex nobis esse, sed gratuito Dei munere nobis obvenire. Quare secundum horum commentarium non nuda cognitio, sed amore comitata, quam approbationis notitiam vocant, hac parte significatur, ut sensus sit. Quemadmodum Deus me longè aberrantem, & à sui notitia penitus alienum prior cognovit, requisivit, attraxit ad se, ut ego eum cognoscerem, quærerem, & amarem: sic & ego eum in futuro sæculo cognoscam, & ad eum accurram, scilicet per amorem atque justitiam priùs ab ipso acceptam ; in qua tunc conspectui ejus apparebo, Psalm. 16. Consonat locus Galat. 4. *Cum cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo*, & Phil. 3. *Sequor autem si comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Jesu.*

Potest & hic sensus intelligi : Tunc quum imago ad exemplum suum accesserit ; eo gradu perfectionis cognoscam, ad quem ab æterno præcognitus ac prædestinatus sum à Deo. Cui sensui favet textus Syriacus : *Tunc autem cognoscam, sicuti factus fui cognoscere.*

13. NUNC AUTEM MANENT FIDES, SPES, CHARITAS, TRIA HÆC. *Manent*, Græcè μένει, *manet*, quod & in vetustissimis Latinis legitur. Sed ad sensum nihil interest : nam per syllepsin ad omnia tria verbum refertur. Videtur autem Apostolus in his verbis ad charitatem commendandam uti novo ac diverso argumento : Non enim eam hîc, ut suprà, comparat cum donis quæ solùm ad aliorum dantur utilitatem, & propriè charismata dicuntur : sed cum donis seu virtutibus, quæ ejusdem cum ipsa sunt ordinis, & à Theologis virtutes Theologicæ vocantur, quod Deum ut bonum beatificum ac supernaturale pro objecto, fine & regula habeant ; omnibus hominibus ad propriam ipsorum salutem necessariæ. Nam fides quam hîc nominat, alia est à fide superiùs inter charismata numerata, licet in ea includatur.

Virtutes Theologicæ, fides, spes charitas, & cur ita dictæ.

Porrò tres hasce virtutes enumerat secundùm gradus generationis. Quod enim ad ordinem naturæ pertinet, prima gignitur in nobis fides, qua Deo credimus : secunda spes, qua Dei promissa ab ipso exspectamus : tertia charitas, qua Deum ut summum bonum nostrum diligemus. Potestque fides in hac vita haberi sine spe & charitate, non contrà : Spes item sine charitate, non contrà.

Ordo naturæ harum trium virtutum.

Fides sine spe & charitate potest esse, non contra.

Dicit ergo Paulus, hæc tria Spiritus-sancti dona fidem, spem, & charitatem manere nunc, id est, in hac vita : ad differentiam charismatum, quæ ne quidem hoc sæculo durante permanent omninò ; ut annotatum est à Græcis. Nam donum linguarum jam olim cessat ; prophetia paucorum est ; miraculorum gratia paucissimi prædili sunt : donum quoque scientiæ non omnibus est necessarium. At ista tria fides, spes, charitas hac vita durante simpliciter manent : quia, sicut dictum est, omnibus hominibus ad salutem necessaria sunt.

Quædam charismata cessant etiam in hoc sæculo. Fides, spes, charitas hac vita durante simpliciter necessaria.

Hinc Augustinus *lib.* 1. *de doct. Christ. cap.* 39. dicit hominem fide, spe, & charitate subnixum, eaque inconcussè tenentem, non indigere scripturis, nec omninò codicibus, nisi ad alios instruendos. *Unde in illis*, inquit, *arbitror jam completum esse quod dictum est: sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*, & quæ sequuntur.

Sciendum autem, veteres quosdam ita locum hunc accepisse, ac si sensus Apostoli sit, ista tria, fidem, spem, charitatem esse mansura etiam in altero sæculo. Sic Irenæus *adversus hæreses lib.* 2. *cap.* 47. rursumque *lib.* 4. *cap* 25. & Tertull. *lib. de pat. cap.* 12. Tradit eamdem expositionem Photius apud Oecumenium. Nec adeò obsistit huic sensui vocula *nunc*, tamquam præsens tempus designet. Non enim hîc in Græco ἄρτι, quod superiore versu semel & iterùm, cui τότε *tunc* respondebat : sed νυνὶ δὲ, *nunc autem* : quo Paulus uti solet pro vocabulis, atqui, at verò, *ut suprà capit.* 12. *vers.* 18. & 20. & *alibi.* Quare & Photius disertè negat dictionem νυνὶ *nunc*, hoc loco significativam esse temporis : ideoque nec Syrus interpres ejus rationem habuit, sed ita vertit : *Tria enim sunt quæ manent, fides & spes & charitas.*

Utrum mansura in altera vita.

Verùm hæc non efficiunt ut sensus Apostoli sit, ea permansura in sæculum futurum : nam etsi temporis adverbium non urgeamus, attamen ista permansio commodissimè refertur ad sæculum præsens ; quasi dicat Apostolus ; Interim verò manent hæc tria, tamquam prorsus necessaria ; cæteris, uti dictum est, haud omninò manentibus. Nam quod charitati peculiare sit nullo umquam tempore excidere ; ne tunc quidem cùm venerit quod perfectum est, cumque ea quæ nunc credimus & cognoscimus, facie ad faciem videbimus : jam suprà dixit, nec hîc putavit repetendum.

Charitati peculiare numquam excidere.

Hujusmodi verò permanentiam qui communem fecerunt fidei ac spei ; in fide considerasse videntur certitudinem cognitionis, non obscuritatem ; atque in spe, spei perfectionem, id est, rei speratæ possessionem : cum alioqui juxta Apostolum fides *sit argumentum non apparentium*, Hebr. 11. *& spes quæ videtur non sit spes*, Rom. 8. Ad hunc certè modum Photius utcumque seipsum explicat.

Quomodo secundum quosdam fides & spes mansura in altero sæculo.

Jam quod Erasmus diversam ab illis ingressus viam, in *suis annotationibus* ostendere conatur, has tres virtutes ita ab Apostolo restringi ad vitam hanc præsentem, ut secundum illum nec ipsa charitas mansura sit in vita cælesti ; charitatem intelligens ea parte qua studet prodesse proximis : an satis id cohæreat cum doctrina superiore, qua charitatis permanentiam Apostolus asseruit, expendat diligens lector.

Erasmi sententia locum hunc restringentis ad vitam præsentem.

Illud demum admoneo, Paulum non sine causa numerum expressisse dicendo *tria hæc* : vel quod numerus ille divinus sit ; ut fides ad patrem referatur, à quo symboli, quo fidem profitemur, initium est ; spes ad Filium, per quem adducimur ad patrem ; charitas ad Spiritum-sanctum, qui nexus & amor est Patris ac Filij : vel ideò certè, ne quis hæc dona confundat, ut faciunt hæretici, qui fidem à spe & charitate non distinguunt ; advertere nolentes quàm apertè & numeratè Paulus hoc loco ea discriminet.

Cur Paulus numerum harum virtutum exprefserit.

MAJOR AUTEM HORUM EST CHARITAS. Atticismum retinuit interpres, pro eo quod Latinè diceret, *maxima horum* aut *inter hæc, est charitas* : aut ut vult Erasmus, ad evitandum incommodum gen-

ris, horum, aut harum; *maxima in his eſt charitas.* Quod enim in vetuſtis quibuſdam codicibus, & apud Auguſtinum in Speculo legitur, *major his eſt charitas;* meritò Vallæ diſplicet, ut abſurdè dictum: neque enim charitas ſeipſa major eſt. Similis enallage graduum comparationis eſt Luc. 22. *Quis eorum videretur eſſe major,* id eſt, *maximus.* Utitur & poëta Latinus, *Heſpere qui cælo luces jucundior ignis.*

Charitas trium maxima, & quare.

Porrò cur maxima trium ſit charitas, ex antedictis intelligendum relinquit Apoſtolus. Non enim fides, neque ſpes, ſed ſola charitas reliquarum virtutum officia ſecum adducit, earumque perfectio eſt. Eadem ſola numquam excidit, ſed permanet in patria: quando & fides in viſionem, & ſpes in apprehenſionem commutabuntur. Et quamvis Apoſtolus fidem & ſpem ſuperiùs expreſsè non recenſuerit inter ea quæ ceſſabunt hoc ſæculo finito; ſatis tamen ex iis quæ dixit intelligitur, ex eo maximè: *Cùm venerit perfectum, evacuabitur quod ex parte eſt.* Nam fidem & ſpem ex parte eſſe conſtat: illam, quod ſit eorum quæ non videntur; iſtam, quod eorum quæ non habentur. Ubi & hoc notandum eſt, Apoſtolum has duas virtutes facere quaſi medias inter ea quæ chariſmata vocat, & charitatem.

Fides & ſpes media inter chariſmata & charitatẽ.

CAPUT XIV.

SEctamini charitatem, æmulamini ſpiritualia: magis autem ut prophetetis. 2. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo, nemo autem audit. Spiritu autem loquitur myſteria. 3. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem & exhortationem, & conſolationem. 4. Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat. 5. Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare. Nam major eſt qui prophetat, quam qui loquitur linguis: niſi fortè interpretetur, ut Eccleſia ædificationem accipiat: 6. Nunc autem, fratres, ſi venero ad vos, linguis loquens, quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut in revelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina? 7. Tamen quæ ſine anima ſunt vocem dantia, ſive tibia, ſive cithara, niſi diſtinctionem ſonituum dederint, quomodo ſcietur id quod canitur, aut quod citharizatur? 8. Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? 9. Ita & vos per linguam, niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes. 10. Tam multa, ut puta, genera linguarum ſunt in hoc mundo: & nihil ſine voce eſt. 11. Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus. 12. Sic & vos, quoniam æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ quærite, ut abundetis. 13. Et ideò qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. 14. Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt. 15. Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente. 16. Cæterùm ſi benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen, ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit. 17. nam tu quidem benè gratias agis: ſed alter non ædificatur. 18. Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrûm lingua loquor. 19. Sed in eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam: quàm decem millia verborum in lingua. 20. Fratres, nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote, ſenſibus autem perfecti eſtote. 21. In lege ſcriptum eſt: Quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquor populo huic: & nec ſic exaudient me, dicit Dominus. 22. Itaque linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus; prophetiæ autem non infidelibus, ſed fidelibus. 23. Si ergo conveniat univerſa Eccleſia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent aut idiotæ, aut infideles: nonne dicent, quod inſanitis? 24. Si autem omne prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. 25. occulta cordis ejus manifeſta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quòd verè Deus in vobis ſit. 26. Quid ergo eſt fratres? cum convenitis, unuſquiſque veſtrûm pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. 27. Sive lingua quis loquitur, ſecundum duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur. 28. Sive autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſia, ſibi autem loquatur, & Deo. 29. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri dijudicent. 30. Quod ſi alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat. 31. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare: ut omnes diſcant, & omnes exhortentur: 32. & ſpiritus prophetarum prophetis ſubjecti ſunt. 33. Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo. 34. Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit. 35. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia. 36. An à vobis verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos pervenit? 37. Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata. 38. Si quis autem ignorat, ignorabitur. 39. Itaque fratres æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere. 40. Omnia autem honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant.

Iſa. 28. c. 11.

Gen. 3. c. 16.

SUMMARIUM.

DOnum linguarum dono prophetiæ poſtponit: adeoque inutile eſſe, ſi deſit qui interpretetur, variis rationibus oſtendit. Regulam ac ordinem præſcribit, iis donis utendi in eccleſia. In qua poſtremò mulieribus ſilentium indicit.

SECTAMINI CHARITATEM. Concluſio eſt exhortatoria. Quoniam, inquit, charitas tam excellens & neceſſaria virtus eſt, eam *ſectamini,* vel ut Græcè eſt, διώκετε, *perſequimini:* quemadmodum & Primaſius legit. Quo quidem verbo ſignificatur magnum & ardens ſtudium conſequens. Sic Rom. 12. *Hoſpitalitatem ſectantes,* & 1. Tim. 6. *Sectare juſtitiam.* His enim locis in Græco idem cum iſto verbum eſt. Syrus ſuo idiomate ſic expreſſit: *Currite poſt charitatem.*

Perſequenda charitas.

ÆMULAMINI SPIRITUALIA. Græcè, *æmulamini autem ſpiritualia.* Nec ocioſa eſt conjunctio, ſed addita: ne ex æquo videatur adhortari ad utrumque genus: quum jam oſtenderit charitatem eſſe ſpiritualibus excellentiorem. Nam ſpiritualia quæ vocet, dictum eſt *initio cap. 12.* nempe ea quæ poſteà appellat chariſmata. *Senſus,* Non prohibeo quò minus aſpiretis ad chariſmata; quin ſtudium ea conſequendi (hoc enim vocat æmulari ſpiritualia) facilè vobis permitto: Verum (quod conſequenter audietis) id volo vos facere cum judicio & ex charitate; non excellendi ſtudio ſed ædificandi. Unde dixerat in fine capitis 12. *Æmulamini chariſmata meliora,* id eſt, eccleſiæ utiliora. Vide quæ illic annotavimus.

Æmulatio chariſmatum permiſſa.

Verſatur autem Apoſtolus in eo argumento pænè toto hoc capite. Cum enim Corinthii ſtulta quadam opinione donum linguarum permagni facerent, ac cæteris anteferrent, eoque præterea, & aliis donis ad gloriam magis ſuam quàm ad utilitatem publicam uterentur; deinde nec ordinem loquendi in eccleſia ſervarent: Apoſtolus poſt ea quæ præmiſit de chariſmatum authore & varietate capit. 12. déque charitatis excellentia præ cæteris capite proximo; nunc demum aggreditur eorum peccata, quæ commemoravi, corrigere; ad primùm docet, quodnam inter chariſmata potiùs æmulari debeant, dicens.

Corinthiorũ præpoſterum de chariſmatis judicium.

MAGIS AUTEM UT PROPHETETIS. Quoniam, inquit, donorum æmulatores eſtis, maximè præcipuéque ſtudete dono prophetiæ conſequendo. Utitur autem verbo actum ſignificante, ut innuat dona non eſſe expetenda niſi propter uſum. Porrò commendat hîc & deinceps donum prophetiæ præ cæteris chariſmatum generibus, potiſſimum iis quæ in cognitione verſantur; ac ſpeciatim præ dono linguarum. Quapropter & *cap. 12.* ubi ſuo ordine chariſmata recenſuit, primum poſt Apoſtolos locum dedit Prophetis, poſtremum linguis, & ad *Rom. cap. 12.* ubi docet quomodo chariſmatis ad ædificationem utẽdum ſit; in capite poſuit donum prophetiæ, dicens: *ſive prophetiam ſecundum rationem fidei,* &c.

Chariſmata nõ expetenda, niſi propter uſum. Donum prophetiæ quibus chariſmatis præſtantius.

Ut autem hæc chariſmatum ſeu donorum comparatio, quam nunc facit, rectè intelligatur: explicandum hoc loco pleniùs (nam in ſuperioribus prioris hujus *epiſt. cap. 11. 12. & 13. & Rom. 12.* eam rem

breviter tantum attigimus) cujuſmodi fuerit donum prophetiæ, de quo loquitur Apoſtolus ; item cujuſmodi fuerit donum linguarum ; præſertim cùm de his inter expoſitores haud prorſus conveniat.

Prophetiæ donũ Paulo quodnã ſit.

Igitur donum prophetiæ (quemadmodum ex dictorum locorum atque aliorum collatione ſatis liquet) non in eo ſolum conſiſtebat ut quis futura prædiceret, quod propriè eſt προφητεύειν, prophetare, prædicere: ſed generaliter erat donum quo quis ex inſpiratione divina cognoſceret ac proferret occulta quædam, ſive illa futura eſſent; quomodo prophetavit Agabus, quando ſignificabat per ſpiritum, *famem magnam futuram in univerſo orbe terrarum.* Act. 11. & rurſus, quando Paulo prædixit quod in Jeruſalem alligandus eſſet à Judæis, & tradendus in manus Gentium, *Actor. 21.* necnon eodem cap. diſcipuli quidam, *qui Paulo dicebant per ſpiritum, ne aſſcenderet Hieroſolymam*: ſive eſſent ſcripturarum difficilium & obſcurarum, maximè propheticarum explanationes ; ſive alia quædam ad Chriſtianam doctrinam illuſtrandam, aut pietatem promovendam pertinentia. Nam his ſaltem modis Prophetæ fuerunt, de quibus Lucas *Act. 13. Erant*, inquit, *in eccleſia Antiochena Prophetæ & doctores, in quibus Barnabas & Simon*, &c. Tales item quatuor filiæ Philippi Evangeliſtæ, *virgines prophetantes*, ut dicitur *Actor. 21.* Talis & ipſe earum pater, quando locum Iſaiæ expoſuit eunucho Candaces reginæ, neganti ſine eo qui oſtendat & præeat, intelligere ſe poſſe, *Act 8.*

De hoc generali modo prophetandi, etiam illud accipiendum quod Paulus dicit, 1. Theſſal. 5. *Prophetias nolite ſpernere*, quodque Petrus 2. epiſtol. 1. *Omnis prophetia ſcripturæ*, id eſt, expoſitio ſcripturæ quæ prophetia dici mereatur, *propria interpretatione non fit*: nec non illud Sapientis Prov. 29. *Cùm prophetia defecerit, diſſipabitur populus.* Sic autem generaliter accipi prophetiæ nomen in hoc capite, facilè poteſt oſtendi : ac primùm ex eo quod ſtatim dicit eum qui prophetat, loqui *ædificationem, exhortationem, conſolationem*: ne quidem facta mentione prædictionis futurorum. Deinde ex eo quod poſt multa dicit, *omnes per ſingulos prophetare* poſſe, *ut omnes diſcant & omnes exhortentur.* Per hæc enim ſignificatur uſus Prophetiæ, conſiſtens in doctrina & exhortatione. Rurſum oſtenditur ex illis verbis. *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota ; convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Occulta cordis ejus manifeſta fiunt*, &c. Non enim hæc contingunt infideli vel idiotæ, ſi non aliud quàm futura loquantur illi prophetantes : quæ vera non cognoſcuntur, niſi comprobante eventu, *Jeremiæ 28.*

Probatur generalis acceptio prophetiæ.

Jam nec veriſimile eſt omnes illos ad prænunciandum futura divinitus inſpiratos fuiſſe, quibus *hoc loco* Paulus, & in *Actis Apoſtolorum* Lucas attribuunt gratiam prophetandi. Nec erat cur tantopere Paulus hortaretur Corinthios ad ſtudium hujus doni conſequendi, ſi prophetare non erat niſi futura prædicere; cum id ſemper fuerit paucorum : ſed nec ædificaret propriè, (quod de eo tamen inculcat Apoſtolus) niſi poſtquam res quæ prædicta fuerat, eveniſſet. His adde, quod & Prophetæ veteris teſtamenti per quos ſcripturæ prophetic⁊ nobis miniſtratæ ſunt, non tantum prophetaſſe dicuntur, quando ventura prænunciarunt : ſed tunc etiam quando divinitus inſpirati protulerunt ſermonem doctrinæ, exhortationis & increpationis. Qua ratione toti eorum libri prophetici ſunt.

Prophetæ antiqui etiã generali ratione prophetæ.

An ad donũ prophetiæ cõtulerit aliquid ſtudiũ humanum.

An autem ad hanc prophetandi ſeu gratiam ſeu facultatem, de qua Paulus agit, aliquid contulerit humanum ſtudium ; dubitari poteſt. Et quidem exiſtimo doctrinam ſacram labore & ſtudio quæſitam, non tam fuiſſe partem aliquam hujus doni, quàm acceſſionem & ornamentum. Qui enim hoc dono divinitus infuſo prædíti erant, ut Apoſtoli & horum diſcipuli, etiam ſtudio ſacrarum literarum incumbebant. Unde Paulus non ſolùm hortatur diſcipulum ſuum Timotheum dicens, *attende lectioni*, 1. Tim. 4. verum etiam ad ſe libros, utique quos legat, adferri præcipit, 2. *Tim.* 4. Reſpondet ad hunc ferè modum Origenes ſcribens in *capit. 12. epiſtolæ ad Roman.* Qua in re tamen notandum eſt (propter Origenem minus catholicè loquentem) totum etiam illud quod ſcientiæ divinitus inſpiratæ per noſtram induſtriam & curam accedit, æquè referendum eſſe in Deum authorem, qui *operatur omnia in omnibus;* ſuprà cap. 12.

Reſponſio.

Donum linguarũ quale fuerit quorumdem opinio.

Quod ad donum linguarum attinet, quidam opinantur tale fuiſſe, quo quis peregrinam linguam non loqueretur ſolùm, ſed etiam intelligeret. Abſurdum enim eis videtur, quempiam à Spiritu-ſancto moveri ad proferendum verba non intellecta. Quocirca putant omnes eos qui linguis locuti fuiſſe leguntur tam hoc *capite*, quàm in *Actis Apoſt.* intellexiſſe verba quæ loquerentur : non tamen omnes percepiſſe myſteria verborum, id eſt, eas res quas Spiritus-ſanctus per ea quæ verbis proximè ſignificabantur, ulterius intelligi volebant. Hanc iſtius doni acceptionem præ aliis clarè explicant Liranus & Carthuſianus.

De eodem Auguſtini ſententia.

Verum perdifficile eſt omnia quæ hic ab Apoſtolo dicuntur de iis qui linguis loquuntur cum hujuſmodi ſenſu benè conciliare. Quæ res fortaſſe movit Auguſtinum, ut donum linguarum, prout de eo Paulus differit hoc capite, multo aliter acciperet. Nam *lib. 12. de Geneſi ad literam cap. 8.* dicit inter alia Apoſtolum *tranſlato verbo linguam appellaſſe, quamlibet ſignorum prolationem priuſquam intelligantur.* Itaque linguam eſſe, cum quis loquitur *obſcuras & myſticas ſignificationes, velut imagines rerum ac ſimilitudines quæ ut intelligantur, indigent mentis intuitu.* Quod deinde cap. 9. declarat exemplo Pharaonis & Nabuchodonoſor regum ; in quibus linguam fuiſſe dicit, quando ſua ſomnia à ſe non intellecta recitarunt : quorum interpretes fuere Joſeph & Daniel, *Gen. 41. & Dan. 4.* Auguſtini verba refert Beda : ſenſum expreſſit gloſſa ordinaria. Meminerunt etiam Hugo, Lombardus & Aquinas : non ita tamen ut per omnia ſequantur.

Ac ſanè videtur hic commentarius longiuſculè petitus, nec ullo modo conſonans iis quæ de dono linguarum in Actis Apoſtolicis referuntur: denique nec reſpondens illi principio capitis ſuperioris, *Si linguis hominum loquar & angelorum.* Nec enim veriſimile eſt Paulum hic aliter accipere linguas, quam vel ipſe in præcedentibus acceperit, vel Lucas in Actis.

Aliorum ſententia verior.

Igitur ad id veniendum eſt quod diximus exponentes illa verba Pauli cap. 12. *Alii interpretatio ſermonum*, &, *numquid omnes interpretantur?* ſcilicet eos qui ſolo prædíti erant dono linguarum, non potuiſſe ea quæ peregrina lingua loquebantur, nota ac vulgari ſua lingua reddere, quod eſt interpretari : propterea quod non intelligerent ea quæ dicerent. Erant enim dona diſtincta, loqui linguis, & eas interpretari; quemadmodum & diſtincta erant, interpretari linguas, & prophetare : quod utrumque patet ex ipſorum diſtincta enumeratione ſecundò aut tertiò repetita, eodem *cap.* 12. Hoc modo linguas ſeu linguarum donum intellexerunt Chryſoſtomus & Theophyl. & quidem notanter ad illud, *Spiritus meus orat; mens autem mea ſine fructu eſt*: ubi & Theophyl. hujuſmodi locutionem defendit ab inſania prophetarum Montani. Sed & commentator Ambroſianus quàm in ejuſdem loci expoſitione rem exemplo notificat inquiens ; *ſicut aſſolent Latini homines* Græcè *cantare, oblectati ſono verborum, neſcientes tamen*

men quid dicant: utique palàm ostendit quid de hoc dono senserit. Primasium quoque non aliud sensisse, probant hæc ejus verba: *Nam si dicam lingua quod intelligo; velut afflatus spiritu, in ecstasi loquor.*

Quin & S. Thomas etsi priora hujus capitis duobus prioribus modis exponat, posteà tamen ad hanc tertiam sententiam inflectitur. Explicans enim illum versum, *Nam si orem lingua, spiritus meus orat* &c. id contingere dicit homini idiotæ qui recitat psalmum aut precem Dominicam, non intelligens ea quæ loquitur. Eamdem rem luculentè Cajetanus in suo commentario declarat: Sciendum, inquit, *quod de ratione doni linguarum nec erat intelligi ab aliis; nec etiam intelligi ab ipso loquente verba quæ donum porrigebat: sed accipiens donum linguarum movebatur à Spiritu-sancto ad loquendum magnalia Dei, prout Spiritus-sanctus dabat ei loqui: nec solùm movebatur lingua ad proferendum illa verba; sed simul movebatur à spiritu-sancto affectus loquentis in Deum, motu cujusdam devotionis ad laudandum Deum.* Ita Cajetanus addens hæc omnia ex textu haberi.

Res ex Cajetano declarata.

Donum linguarum in Apostolis quale.

Nec ideò quis putet Apostolos sive in die Pentecostes, sive posteà aliquando linguis loquentes non intellexisse quæ dicerent. Nam Apostoli non solo præditi erant dono linguarum, sed etiam donis intelligentiæ, & interpretationis & Prophetiæ: ut & ipsi intelligerent, & aliis interpretari possent, & insuper recondita verborum sensa aperire. Nec mirum; quandoquidem & aliis quibusdam fidelibus hæc simul concessa leguntur, ut iis de quibus dicitur *Actor. 10.* quod *cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus-sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabant.*

Quid Apostolis in hoc genere peculiare.

Nec verò ea sola quæ dixi concessa fuerunt Apostolis in hoc genere: sed & illud donatum, ut ipsis una lingua loquentibus, alii diversarum linguarum homines, absque interprete suam quisque linguam audirent: uti factum est in die Pentecostes, Petro multitudinem, in qua homines erant allii aliis utentes linguis, alloquente; multorum probabilis est sententia.

Loqui lingua non intellecta cur non absurdum.

Jam ex memorata Cajetani declaratione patet, cur absurdum videri non debeat, quempiam ita moveri à Spiritu-sancto ad loquendum, ut tamen non intelligat ea quæ loquitur: quando nimirum & pia sunt verba quæ loquitur, (neque enim alia Spiritus sanctus inspiraret) atque eodem authore pius accedit loquentis affectus: præsertim si non desit opportuno tempore qui interpretetur. Nam, ut ait Apostolus, *Divisiones gratiarum sunt; idem autem spiritus*, suprà cap. 12. Ac fortasse dicto modo quosdam ad loquendum movere voluit Spiritus-sanctus in ecclesia primitiva; ut eo exemplo disceremus non esse contemnendas orationes & laudes illas, velut inutiles coram Deo, quas multi fideles recitant verbis non intellectis. Qua de re plura dicemus *infrà ad vers. 14.*

Preces non intellectæ non sunt inutiles.

Illud postremum adjicio, donum linguarum in iis qui non intelligebant, fuisse velut impressionem seu motum transeuntem, non ut habitum permanentem. Non enim poterant lingua peregrina loqui quoties & quæcumque vellent: sed tunc solùm quando ad hoc actualem habebant Spiritus-sancti motionem: & ea sola ad quæ loquenda movebantur. In aliis verò, quibus etiam dabatur ut intelligerent, videtur linguarum donum fuisse habituale & permanens: quod de Apostolis non dubitamus. Nam & de Paulo satis id apertè significant illa ejus verba in hoc capite, *Gratias ago Deo meo quod omnium vestrûm (magis) lingua loquor.* His ita præmissis ad expositionem textus Apostolici redeamus. Prophetiam linguis antecellere, multipliciter probat Apostolus; ac primum hoc modo.

2. QUI ENIM LOQUITUR LINGUA, NON HOMINIBUS LOQUITUR, SED DEO. Sermo est de lingua peregrina, & ignota. *Qui*, inquit, *loquitur lingua*, subaudi, tantum, ac nemine interpretante, *non hominibus loquitur*, ita nimirum ut intelligatur; qui proprius est usus locutionis: *sed Deo*, qui non solùm intelligit verba loquentis, sed etiam inspicit affectum cordis. Quod hominibus non loquatur, probat: *Nemo enim audit*, videlicet cum intellectu: id est, nullus intelligit ea quæ loquitur. Non est enim qui interpretetur. Audire pro eo quod est audita intelligere, frequens est in scripturis, ut Gen. 11. *Confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui*, id est, intelligat. Marci 4. *Loquebatur eis verbum prout poterant audire*, id est, intelligere. Act. 1. *Audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes*; & iterùm. *Audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus.*

Quid loqui hominibus, & quid Deo.

Audire frequens pro intelligere.

SPIRITU AUTEM LOQUITUR MYSTERIA. Quasi dicat; nec ipse quidem loquens seipsum intelligit: sed tantùm spiritu loquitur occulta quædam Dei. Malè quidam codices habent, *spiritus* pro *spiritu*: quamvis & Aquinatem & alios ante eum mediæ ætatis interpretes ita legisse, produnt eorum commentarii. Sed vera lectio probatur tam ex Græco, Syroque textu, Græcisque commentariis, quàm ex Latinis codicibus mss. quibus & veteres concordantiæ suffragantur. Exponunt eamdem lectionem Latini vetustiores, Ambrosiaster, Primasius, Sedulius. Alii veræ lectionis dubii utramque interpretantur, ut Lombardus & Hervæus.

Porrò Græcè quidem casus est dativus πνευματι, ut proinde verti posset, *spiritui loquitur*: quomodo dixerat, *Deo loquitur*. Sed quia apud Græcos dativus ablativum supplet, quo illi carent, rectè Latinus interpres ad sensum Apostoli respiciens vertit, *spiritu*. Quod & Græci tractatores volunt, dum πνευματι, interpretantur ex spiritu vel per spiritum. Tametsi Gaigneus ex abundanti etiam dativum exponit.

Quis spiritus hoc loco intelligitur.

Sed *quæres*, quo spiritu? Plerique Spiritum-sanctum intelligunt: ut sit sensus: Spiritu Dei movente loquitur arcana. Verumtamen alii tam ex antiquis quàm ex recentioribus, de spiritu hominis interpretantur: ut per spiritum intelligatur affectus animi, ad quem pertinet devotio. Quem spiritum à mente, id est, intelligentia, Paulus in sequentibus apertè distinguit. Ita *sensus* erit: eum qui lingua loquitur occulta quædam, ac sibi non intellecta, loqui cum pio devotionis affectu quo in Deum sustollitur. Qui sensus optimè convenit cum iis quæ deinceps sequuntur.

Spiritus affectus animi

3. NAM QUI PROPHETAT, HOMINIBUS LOQUITUR AD ÆDIFICATIONEM ET EXHORTATIONEM ET CONSOLATIONEM. *Nam qui prophetat*, Græcè, ὁ δὲ προφητευων, *Prophetans autem. Cæterùm qui prophetat.* Similiter & Syrus legit. Est enim assumptio argumentationis Apostolicæ, sive altera pars comparationis: non autem probatio partis præcedentis. Rursum Græcè & Syriacè sine præpositione legitur: *hominibus loquitur ædificationem & exhortationem & consolationem.* Quam lectionem exhibent etiam Latina quædam mss. & veteres concordantiæ; exponit autem disertè Sedulius. Porrò sensus hujusmodi est; qui autem prophetat, loquitur hominibus; quia ab hominibus intelligitur, iisque proficit: loquitur, inquam, verba ædificationis, vel quibus infirmi stabiliantur, ut Theophylactus exponit, vel quibus excitetur affectus spiritualis, ut S. Thom. & Cajetanus. Quamquam nomen ædificationis generale est ad omnem profectum spiritualem. Item loquitur verba exhortationis ad studium bonorum operum: & verba consolationis, quibus in spem promissorum cælestium erigantur afflicti & pusillanimes.

Propheta loquitur ædificationem, & cæteta.

Materia prophetiæ hujus loci.

In his itaque verbis observa materiam prophetiæ, de qua agitur hoc loco. Deinde nota discrimen prophetantis ab eo qui lingua loquitur, non in eo solùm constitui, quod alter hominibus loquatur, alter soli Deo; verùm etiam in eo, quod iste mysteria loquatur, id est, occulta nec sibi nec aliis intellecta: ille verò proferat ad homines verba ædificationis & exhortationis & consolationis. Quamvis enim diversum esset donum prophetiæ à dono doctrinæ & exhortationis, ut patet ex iis quæ *suprà capit. 12. & Rom. 12.* dicuntur; vix tamen erat ut Propheta non etiam doctrinæ & exhortationis gratia præditus esset.

4. QUI LOQUITUR LINGUA, SEMETIPSUM ÆDIFICAT. Aliud discrimen, seu potius superioris discriminis explicatio. Qui loquitur lingua peregrina, seipsum ædificat, id est, sibi ipsi proficit, uni sibi prodest: non quod intelligat ea quæ loquitur: sic enim etiam interpretari posset: sed quia per Spiritum-sanctum, à quo movetur ad loquendum, etiam affectus ejus excitatur ad laudem Dei. Nam etsi mente non loquatur, spiritu tamen loquitur, ut dictum est. Quod si semetipsum ædificat is qui loquitur lingua quam non intelligit: non igitur inutile est aut orare, aut laudare Deum verbis non intellectis.

Non inutile Deum orare precibus non intellectis.

QUI AUTEM PROPHETAT, ECCLESIAM DEI ÆDIFICAT. *Dei* vocabulum videtur adjectitium. Nam in plurimis Latinis iisque probatissimis non habetur, ut nec Græcis ullis ac Syriacis: nec apud commentatores Ambros. & Sedulium. Sensus tamen constat, sive addatur, sive non. Nec enim aliam quam Dei ecclesiam Paulus intelligit. Qui prophetat, inquit, conventui fidelium proficit; per hoc nempe quod loquitur ædificationem, exhortationem, consolationem.

5. VOLO AUTEM OMNES VOS LOQUI LINGUIS. Occupatio est. Non hæc, inquit, scribo, quasi improbem quod aliqui inter vos linguis loquantur. Imò, verè placet mihi, & quod ad me attinet, opto vos omnes loqui linguis: Est enim donum Spiritus-sancti; quemadmodum & prophetare & interpretari. Sed quomodo optat omnes loqui linguis, & (quod subjungit) prophetare: cum ea res paritura sit confusionem ordinis, quem suprà *cap. 12.* docuit esse debere inter membra mystici corporis quod est ecclesia? Ad hunc enim ordinem pertinere dixit, ut alii detur *prophetia, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum*: non autem omnes habeant omnia. *Numquid*, enim, inquit, *omnes prophetæ? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* Respondeo de Paulo, quod *cap. 12.* de Moyse: non absolutè eum optare, ut omnes aut linguis loquantur, aut prophetent: sed ut dixi, quantum ad se suámve personam attineret. Neque enim ipse cuiquam aliquod horum donorum invidebat: sed quatenus expediret, omnibus optabat omnia.

Paulus optat omnes loqui linguis, & quatenus.

MAGIS AUTEM PROPHETARE. Græcè, *magis autem ut prophetetis*: quemadmodum & legitur in textu Ambrosiano. Hoc, inquit, magis volo & opto ut prophetetis, id est, prophetiæ donum præfero. Quasi dicat: eò tendit hæc mea oratio, ut intelligatis quid cui præponere debeatis.

Prophetia linguis profertur.

NAM MAJOR EST QUI PROPHETAT QUAM QUI LOQUITUR LINGUIS. Probatio est ab utilitate majore. Nam ut ex dictis & dicendis patet, majorem intelligit eum, qui majorem ecclesiæ præstat utilitatem. Quamquam & aliis modis donum prophetiæ præstabat dono linguarum: ut videre est apud S. Thom. 2.2. *quæst.* 176. *art.* 2.

NISI FORTE INTERPRETETUR. Voculam *fortè* adjecit interpres de suo: sicut interdum & alibi, ut Matth. 26. *ne fortè tumultus fieret in populo.* Nam in Græco nihil respondet, nec in Syriaco. Veteres etiam expositores Ambros. & Sedulius non legerunt. Sedulii glossema sic habet: *nisi interpretetur ex ignota lingua in aliquam notam.* Hoc enim propriè erat interpretari.

UT ECCLESIA ÆDIFICATIONEM ACCIPIAT. Ipso videlicet interpretante. Nam si, qui lingua loquitur, interpretetur sua verba, & ad aliorum intelligentiam proferat, tum non seipsum solùm, sed etiam alios fideles ædificabit: & hac ratione conferri poterit, cum eo qui prophetat; utpote qui perinde ut prophetans, ecclesiam ædificet. Ex hoc loco satis apparet dono linguarum ex ipsius doni ratione non fuisse conjunctam intelligentiam verborum: atque adeò fuisse non paucos in ecclesia primitiva linguis loquentes, quibus deesset donum intelligentiæ & interpretationis.

Multi linguis loquentes non habuerunt donum intelligentiæ.

6. NUNC AUTEM FRATRES, SI VENERO AD VOS LINGUIS LOQUENS; QUID VOBIS PRODERO? A seipso probat eum qui tantùm linguis loquitur, non ædificare ecclesiam; proinde minorem esse eo qui prophetat. *Nunc autem* Apostolo quid passim significet, alibi diximus. *Sensus*: Sanè & ipse ego, quamvis Apostolus vester, & linguarum dono præ multis aliis instructus, si veniam ad vos, & in conventu vestro linguis loquar peregrinis & ignotis: *quid vobis prodero?* id est, quid utilitatis spiritualis ex me capietis? nihil profectò, nisi vobis loquar, &c. prout sequitur. Ratio manifesta est ex antedictis: quia loquentem me nullus intelliget.

Legimus quidem *Act.* 10. quosdam accepto Spiritu-sancto linguis fuisse locutos, non facta mentione interpretationis: Verùm nec illis intelligentiam defuisse, proinde nec interpretandi facultatem, colligi potest ex eo quod de iisdem additur, *& magnificantes Deum*, quomodo de aliis *Actor. 19.* additum est, & *prophetabant*. Nec enim verisimile est minus datum fuisse eis qui Petro prædicante, quam qui Paulo ministrante, Spiritum-sanctum acceperunt. Certè ub Petrus aderat, non deerat qui interpretaretur. Imò quoties aliqui in ecclesia primitiva divinitus specialiter impulsi, linguis loquebantur: credendum est eos simul intelligentiæ donum accepisse, quo sua verba possent interpretari, vel saltem locutos fuisse talibus præsentibus, qui intelligerent ac interpretari possent. Quod addo propter Samaritanos viros ac mulieres a Philippo diacono baptizatos, *Act.* 8. Qui omnes Apostolis manus imponentibus acceperunt Spiritum-sanctum, utique cum signo visibili locutionis linguarum: *quia tunc*: ut ait Augustus. in enarratione psalm. 130. *per miraculum demonstrabatur adventus Spiritus-sancti, ut linguis loquerentur quas non didicerant, omnes super quos veniebat Spiritus-sanctus.*

Qui linguis locuti etiam donum intelligentiæ acceperint.

Samaritani accepto Spiritu-sancto linguis locuti.

Nec verò cupivisset Simon ille pecunia comparare potestatem dandi Spiritum-sanctum, cujus illapsum visibili signo probare non potuisset. Illi igitur, si non omnes interpretari potuerunt, habebant tamen præsentes qui id possent, Petrum & Joannem & Philippum. Cæterùm Apostoli in die Pentecostes variis loquentes linguis, seipsos interpretati non fuerunt, quia non deerant qui loquentes intelligerent: *quoniam*, ut dicit scriptura, *audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes*, Actor. 2.

NISI VOBIS LOQUAR AUT IN REVELATIONE, AUT IN SCIENTIA, AUT IN PROPHETIA, AUT IN DOCTRINA, *In* pro *per* Hebraismus est. Unde alii vertunt: *aut per revelationem, aut per scientiam*, &c. Laborant interpretes in his quatuor distinguendis. Ut autem omittam Sedulium & Primasium hæc referentes ad quatuor mysticos scripturæ sensus; quod nimis coactum est: inter multos convenit revelationem intelligi mysteriorum Dei, circa quæ versatur sapientiæ donum: uti dictum est ad illud capitis præcedentis, *si noverim mysteria omnia*, ut sensus hujus primi membri sit: nisi proferam vobis mysteria divina, quorum est sapientia; sic enim

Revelatio, scientia, prophetia, doctrina, quomodo differant.

ſaltem perfectis & ſpiritualibus utilis ero, faciens illud, quod dixi ſuprà cap. 3. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Conformiter accipiunt ſecundum membrum, hoc nimirum ſenſu: niſi proferam vobis ea quorum eſt ſcientia, quæ ex humanis rationibus divina credibilia facit. Hoc enim fit per ſermonem ſcientiæ ad rudiores accommodatum.

Quod verò ſequitur, *aut in Prophetia*, ut aliquatenus à primo membro diſtinguatur; alii de prædictione futurorum accipiunt; alii ad explicationem occultorum ſcripturæ ſenſuum reſtringunt, alii generaliter accipientes utrumque comprehendunt: quod eſt probabilius. In poſtremo membro doctrinam ferè intelligunt eam, quæ eſt de moribus: licet aliis placeat acceptio generalior. Non enim ad mores reſtringi ſolet doctrinæ vocabulum.

De iiſdem quatuor aliis commẽtarius probabilis.

Eſt & alius hujus loci commentarius; quatuor hæc quæ Paulus recenſet, duo juga efficere; ut conjugata ſint revelatio & prophetia; ac rurſus conjugata, ſcientia & doctrina. Nam revelationi prophetia reſpondet, tamquam illius enunciatrix ad homines: & ſimiliter ſcientiæ reſpondet doctrina, id eſt, docendi gratia, per quam id quod ſcimus, aliis communicamus. Quem ſermonem ſcientiæ vocavit Apoſtolus *ſuprà cap. 12. verſ. 8.* Ita ſenſus Apoſtoli erit: niſi loquar vobis aut per revelationem, aut per ſcientiam: idque aut per Prophetiam qua revelationem vobis aperiam & explicem, aut per doctrinam qua ſcientiam communicem.

Quid doctrina.

Scriptura Prophetas doctoribus anteponit.

Commentarius hic probabilis fiet aliorum locorum collatione. Nam ſcriptura paſſim diſtinguit Prophetas & doctores: & illos iſtis anteponit, tamquam annunciantes ſublimiora & ſecretiora; cum doctores ea tradant quæ capi poſſint ab omnibus. Quamobrem paſtores oportet eſſe doctores *Eph.* 4. Loca ſcripturæ ſunt *Actor.* 13. *Rom.* 12. & quod modò citavi, *Epheſ.* 4. ac denique hujus epiſtolæ *capit.* 12. *verſ.* 28. & 29. Quæ res etiam ex *cap.* 13. ubi ſcientia Prophetiæ ſemel iterumque poſtponitur, facilè poteſt colligi.

Linguarum interpretatio ſola ſæpè non ſufficit. Nota.

Porrò memineris ſupplendum eſſe Pauli ſermonem additis hujuſmodi verbis: Atqui nihil horum facere potero linguis loquens, niſi interpretationem adhibeam ut intelligatis. Significat ergo interpretationem eſſe neceſſariam linguis loquenti: tametſi propter rerum obſcuritatem ſæpè nuda interpretatio non ſufficiat: ſed opus ſit Propheta aut doctore. Quod notandum etiam propter hodiernos linguarum peritos & interpretes: ne Prophetis aut doctoribus, hoc eſt, ſapientiæ aut ſcientiæ dono præditis etſi fortè linguarum minùs peritis, anteponere ſeſe velint aut æquare.

7. TAMEN QUÆ SINE ANIMA SUNT VOCEM DANTIA. Rem eamdem declarat ab inſtrumentis muſicis, quæ ſunt quædam artificiales & factitiæ linguæ hominum. *Tamen* Græcè ὅμως, pro quo Faber legendum putat ὁμοίως, aut contractè ὁμῶς, *ſimiliter, perinde;* quemadmodum & vertere auſus fuit, nullius exemplaris fultus præſidio. Subſcribit ejus ſententiæ Gaigneus: ſed eam benè refellit Eraſmus *in annotat.* Vertit autem ipſe, *Quin & inanima*, Græcè, τὰ ἄψυχα. Alii, *atqui inanima:* alii, *certè inanima.* Simpliciùs exiſtimo ſenſum ita reddi poſſe: Nam & inſtrumenta animæ expertia, quæ ſonum reddunt voci ſimilem. Quippe vox propriè non eſt niſi animalium.

Vox propriè tantum eſt eſt animalium.

SIVE TIBIA, SIVE CITHARA. Sub tibia comprehende quæcumque inſtrumenta flatu ſonant: ſub cithara, quæ tactu.

NISI DISTINCTIONEM SONITUUM DEDERINT. *Sonituum*, Græcè, τοῖς φθόγγοις, *ſonis*, & ita legit Ambroſiaſter. Apud Primaſium legitur *ſonitus*, ſed corruptè, ni fallor, pro *ſonis*. Poteſt autem hoc accipi vel tertio caſu, vel ſexto. Si tertio; *Senſus eſt*: ipſa inſtrumenta muſica arte pulſata aut inſpirata, dare ſuis donis diſtinctionem, id eſt, ſonos efficere diſtinctos. Alii ſextum caſum malunt, ut *ſenſus ſit;* Niſi ſonis ſuis variè ſecundum artem redditis, diſtinctè ſignificent vel argumentum cantionis, vel affectum ad quem excitandum compoſita eſt. Conſtat enim alios ſonos modoſque muſicos aliis affectibus excitandis ſervire. Quod non fiet, ſi temerè & ſine arte tibia infletur, aut cithara pulſetur. Facit tamen pro priore ſenſu vocabulum διαστολὴ, quod interpres diſtinctionem vertit. Significat enim apud Muſicos harmonicam in tonis diſcretionem, qua ſublata corrumpitur uſus inſtrumenti. Tale quid etiam Oecumenius annotavit.

Διαστολὴ Muſicis quid ſignificet.

QUOMODO SCIETUR ID QUOD CANITUR AUT QUOD CITHARIZATUR. Melius ex Græco, *quod tibia aut cithara canitur.* Hoc eſt; quod tibiæ aut citharæ ſono redditur. Id quod Græci πίνικα, poëma vocant: ac ſi dicat; nullo modo id intelligi ac diſcerni poterit.

8. ETENIM SI INCERTAM VOCEM DET TUBA. Subjungit alterum exemplum inſtrumenti notiſſimi. Quod ſi, inquit, tuba ſonet incertum quid haud diſtinguens ipſo ſonitu, ad quid vocet homines, aut ad quid agendum moveat: Nam tubarum ſonus velut lingua quædam publica ad populum, multa & varia ſignificare ſolet; ut videre eſt *Num.* 10. quemadmodum & hodie multiplex eſt, ut ita dicam, locutio Campanorum æramentorum, quæ in locum tubarum ſucceſſerunt.

Tubis tamquam linguis publicis campanæ ſucceſſerunt.

QUIS PARABIT SE AD BELLUM? Græcè, *quis apparabitur ad bellum?* id eſt, quis parabit ſe ad pugnam, ad prælium? utique nemo: quia ſonus tubæ indiſtinctus non hoc loquitur.

9. ITA ET VOS PER LINGUAM, NISI MANIFESTUM SERMONEM DEDERITIS. *Manifeſtum*, Græcè εὔσημον, id eſt, qui benè & clarè ſignificet. *Significantem* legit Ambroſiaſter, vertitque Eraſmus. Sic etiam, inquit, niſi vos lingua peregrina loquentes, ſermonem veſtrum interpretando feceritis intelligibilem: Sequitur. QUOMODO SCIETUR, ID QUOD DICITUR? Id eſt, quomodo id quod loquimini, ab aliis intelligetur? Nam Græcè eſt λαλεόμενον paſſivum: quod quia proprio verbo Latinè reddi non poteſt, interpretes tranſtulerunt *id quod dicitur.*

ERITIS ENIM IN AERA LOQUENTES. Proverbialis ſermo eſt, locutionem ſignificans inutilem, ut quam nullus intelligit: ſicut aërem verberare, pugnam ſignificat inutilem, ut qua non læditur adverſarius. Quidam exponunt, tamquam in aërem loquentes. Idque Syrus expreſſit; ſed non eſt neceſſe.

Quid in aëra loqui.

10. TAM MULTA UTPUTA GENERA LINGUARUM SUNT IN HOC MUNDO. Græcè & Syriacè *in mundo*, quemadmodum & in vetuſtis quibuſdam Latinis legitur: *Utputa*, Græcè, εἰ τύχοι, quod Eraſmus vertit, *verbi gratia*, & in paraphraſi, *videlicet.* Hentenius ex Græco propius, *ſi res ferat:* alius quiſpiam, *ut contingit*: alius, *prout inciderit.* Equidem opinor ita commodè verti poſſe, *tam multa paſſim genera vocum.* Dico *vocum*: ſic enim eſt in Græco: non *linguarum*: etſi Latinis omnibus reclamantibus, atque etiam Syriaco textu: Valla ſuſpicatur *vocum* à quopiam mutatum in *linguarum*, ne videretur inepta repetitio; *nullum genus vocum ſine voce eſt.* Nam ſequitur.

ET NIHIL SINE VOCE EST. Græcè καὶ οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον, *& nihil*, ſeu potiùs, *nullum eorum vocis expers*, quod Eraſmus reddit *mutum*, Hentenius Græcam vocem retinuit, *aphonum.* Dixi *nullum*, ut referatur ad genus. Porrò tota ſententia bifariam exponi poteſt; vel de linguis, maximè ſecundùm Latinam lectionem: vel de inſtrumentis ſonandi

Hujus loci duplex expoſitio.

inanimatis. *Prior* intellectus est: tam multa sunt inter homines linguarum & idiomatum genera, ut numerari non possint: quorum unumquodque suam habet vocem, id est, loquelam ab aliis diversam.

Generalinguarum innumera. *Posterior*; tam multa sunt instrumentorum genera, vocem, id est, sonum voci similem reddentia: & nullum eorum mutum est, sed unumquodque sonum reddit proprium. Oecumenius una expositione simul utrumque sensum complexus est; extenditque sententiam etiam ad voces bestiarum: quod non est necesse, cùm illæ naturaliter tantum significent. Posterior expositio quamdam cum præcedentibus connexionem habet, ac si dicat Apostolus: Quid singula numerem instrumenta sonantia; cum sint pœnè innumera: quorum cuique tamen proprius & ab aliis diversus sit sonus? Prior verò, quam tradunt etiam Chrysost. & Theophylact. novum continet argumentum, & cum ea probè cohæret quod sequitur.

11. SI ERGO NESCIERO VIRTUTEM VOCIS, ERO EI CUI LOQUOR BARBARUS: ET QUI LOQUITUR MIHI, BARBARUS. Græca sic habent: *Si igitur nesciero virtutem;* seu *vim vocis; ero ei qui loquitur barbarus: & qui loquitur, in me barbarus.* Consonat & Syriaca versio. Virtutem vocis significationem ejus appellat. Nam proprius usus vocis est in significando.

Virtus vocis significatio ejus est.

Barbari qui & unde dicti. Barbari primum Græcis dicti sunt, quicumque diversam à Græca sonabant linguam, sic nimirum μαμμακὸς; appellati ab asperitate sermonis: quum Græci suam linguam reputarent suavissimam: ut suam hodie Galli. Sed ab hoc nomine posteà Romani sese exemerunt; ac barbaros dixerunt quicumque alia quam Græca aut Latina lingua uterentur. Translatum deinde vocabulum ad omnem eum qui lingua loquitur, quam alius non intelligat; quamvis etiam Græcè aut Latinè loquatur. Quo spectat illud Anacharsidis Scythæ Philosophi dictum; Scythas barbaros esse apud Athenienses: sed Athenienses itidem esse barbaros apud Scythas: & illud Ovidii apud Getas exulantis; *Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli.* Hoc igitur modo barbarum accipit Apostolus. Quare Cajetanus annotat, *quod esse barbarum est relativum; ac nullum hominem esse absolutè barbarum*: quia nemo est qui non cum aliquibus in idiomate communicet.

Esse barbarum relativum est.

Sensus igitur & connexio talis est: Cum tam multa sint linguarum genera, ad significandum mutuas animorum conceptiones inter homines instituta; frustra sanè quisque loquitur quacumque lingua, si non intelligatur: eritque alter alteri non intelligenti barbarus.

Locus supplemento indigens. In verbis Apostoli, sive ut in vulgata versione leguntur, sive ut habentur in Græco, videtur aliquid hujusmodi supplendum: Si & ego nesciero virtutem vocis, & qui mecum loquitur, nescierit; ero ei cui loquor, & qui mihi loquitur, id est, cum quo mihi colloquium est, barbarus: & vicissim is qui loquitur, erit mihi, id est, meo judicio meaque reputatione barbarus. Sic enim exponunt quod Græcè est, ἐν ἐμοὶ, *in me*, pro quo etiam Syrus scripsit *mihi*, Erasmus vertit, *apud me*. Quamquam etiam verti potest *erga me*, sensu non planè diverso, quasi dicat; mei respectu barbarus erit, etiamsi Græcè vel Latinè, atque etiam disertè loquatur.

12. SIC ET VOS QUONIAM ÆMULATORES ESTIS SPIRITUUM: AD ÆDIFICATIONEM ECCLESIÆ QUÆRITE UT ABUNDETIS. *Spirituum*, dixit, pro *spiritualium*, nempe donorum. Sic enim ait suprà *æmulamini spiritualia*: nisi fortè scripsit πνευματικῶν (ut sanè legit Origenes in *cap. 8. ad Roman.* quum Ruffinus interpretetur *spiritualium*) quod imprudens scriba mutaverit in πνευμάτων. Certè Syrus interpres tam hic quàm priori loco transtulit *dona spiritus*. Pro verbo *abundetis*, Ambrosiaster legit *prophetetis*. Sed qui ita vertit, legit in Græco προφητεύητε, loco verbi περισσεύητε, quod hodie est in omnibus codicibus, & à Chrysostomo cæterisque Græcis exponitur: & quidem in eum sensum quo significat *abundetis*: quomodo noster interpres vertit: pro quo minus benè Erasmus, *excellatis*. Constat enim Græca voce copiam magis quam excellentiam significari. Eratque tolerabilior in Corinthiis appetitus abundantiæ donorum hujusmodi, quàm ex iis amor excellentiæ.

Habet autem hujus loci constructio nonnullam difficultatem. Nam consequentia sermonis Apostolici poscere videbatur ut diceret: sic & vos barbari estis vobis invicem, quando inter vos linguis loquimini non intellectis. Verùm Apostolus eo omisso quod per se poterat intelligi, maluit exhortatione concludere sermonem: ita tamen ut ejus quod omissum est, adhibito supplemento, sententia perficienda sit; hoc aut simili modo: *sic & vos* eritis vobis invicem barbari. Quod ne contingat; *quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem ecclesiæ quærite ut abundetis.*

Syntaxis hujus loci explicata.

Eodem redit distinctio quam huc adfert Theophylactus: ut illud: *sic & vos*, suppletum, ut dixi, finiat versum superiorem: deinde ab alio principio sequatur, *quoniam* seu *postquam æmulatores estis spirituum.* Quam distinctionem & explicationem videre est etiam in glossa interlineali, ubi nihilominus ut oratio cohæreat, supplenda foret Græca particula ἢ vel ἐπεὶ, *quoniam autem*, vel *quoniam igitur æmulatores* &c. Cæterùm Oecumenius ita constructionem & exponit: *ita & vos*, i. e. *propterea & vos, ne sitis vobis invicem barbari: (quoniam dona concupiscitis) ad ædificationem*, &c. Ex his eligat lector quod putabit maximè probabile,

Partem illam, *quoniam æmulatores estis spirituum*, sic interpretamur: Quandoquidem vestra sponte & studiosè, nec sine æmulatione confectamini dona Spiritus-sancti, cui studio vestro non resisto. Sequentis autem exhortationis *sensus est*: Quærite & operam date, ut abundantia donorum quam affectatis, cedat ad profectum spiritualem ecclesiæ. Non igitur hortatur Apostolus ut abundantiam charismatum quærant, ac multò minùs ut per ea studeant aliis antecellere, sed appetitum quidem abundantiæ permittit; præcipit autem ut eam si obtigerit, ad ecclesiæ referant ædificationem: ideoque si linguis loquantur, gratiam petant interpretandi. Hoc enim sequitur.

Charismata non studiosè quærenda, sed benè iis utendum.

13. ET IDEO QUI LOQUITUR LINGUA, ORET UT INTERPRETETUR. *Et ideo*, Græcè διὸ, *quapropter*. Et sensus est: Proinde qui donum habet loquendi linguis; ne inutile donum circumferat, oret Deum largitorem donorum, ut ipsi adjiciat donum interpretandi: quo ea quæ peregrina lingua loquitur, ad aliorum intelligentiam proferre possit. *Scien-dum* glossam interlinealem altera expositione verbum *oret* accipere pro *loquatur*, ut sensus sit: Qui lingua loquitur, ita loquatur ut etiam interpretetur. Juxta quam orationis significationem exponit etiam sequentia. Quod & Photius facit apud Oecumenium, & recentiores nonnulli. Sed benè rejicit illam glossam D. Thom. velut alienam ab intentione Pauli. Nam & verbum προσεύχεσθαι non loqui sed orare significat, in scripturis maximè: & quæ sequuntur, hujusmodi sensum non nisi coacta recipiunt.

Quædam glossæ expositio rejicitur.

14. NAM SI OREM LINGUA, SPIRITUS MEUS ORAT, MENS AUTEM MEA SINE FRUCTU EST. *Sine fructu*, ἄκαρπος, *infructuosa*, *fructu carens*. Tacitam removet objectionem Apostolus. Nam dicere quis poterat: Etsi lingua peregrina alloquens alios, nihil eis confero quia me non intelligunt: attamen cum Deo oro, quamvis lingua mihi & aliis

incognita ; ille & intelligit , & cor meum inſpicit , & orantem exaudit. *Reſpondet* Apoſtolus nec eum qui ſic orat , percipere ex ſua oratione fructum, quem caperet ſi eam intelligeret. Loquitur autem ex ſua perſona, quò magis perſuadeat.

Variæ expoſitiones vocabuli ſpiritus.

Spiritum tribus modis S. Thomas interpretatur , vulgares quaſdem gloſſas ſecutus: *primò* Spiritum-ſanctum ; qui orare dicitur , quia inclinat & movet ad orandum, ut Rom. 8. *Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis: ſecundò* , rationem; quæ orat quatenus dictat orandum: *tertiò* virtutem imaginativam ; quam orare dicit , in quantum ſimilitudines rerum corporalium ſunt in imaginatione orantis , abſque eo quod intellectu percipiantur. Qui ſenſus etiam eſt apud Hugonem Victorinum. *Quarta* expoſitio Theophylacti eſt & Oecumenij : qui ſpiritum exponunt ſpirituale donum loquendi linguis , ipſum nempe quod movet linguam. *Quinta* Primaſij , Gaignæi & Eraſmi : qui per ſpiritum intelligunt ſermonem quem lingua ſonat; vel, ut Eraſmus in paraphraſi , halitum quo verba pronunciantur.

Verior expoſitio per ſpiritum ſignificari affectum rationalem.

Has expoſitiones ſigillatim expendere & refellere non eſt animus. Certè præ omnibus iis placet Lirani , Carthuſiani & Cajetani ſententia ; per ſpiritum ſignificari partem animi ſuperiorem quæ affectiva eſt : affectum rationalem ſeu ſpiritualem dicere poſſumus. *Spiritus enim* , ut ait Liranus , *importat vim quamdam motivam , & ideò voluntas quæ eſt affectus intellectivus , vocatur hic ſpiritus : quia movet alias animæ potentias ad agendum.* Ita Spiritum acccepit Apoſtolus ſuprà , dicens ; *Spiritus autem loquitur myſteria.* Et quidem ſpiritum pro voluntate ſive affectu rationali ſumi , non eſt infrequens in ſacris literis , ut Actor. 17. de Paulo , *incitabatur ſpiritus ejus in ipſo* , & cap. 8. de Apollo , *& fervens ſpiritu loquebatur.* De quo ſpiritu dictum eſt & illud à Domino , Matth. 26. *Spiritus quidem promptus eſt , caro autem infirma.*

Mentis nomine quid ſignificetur.

Porrò mentis nomine ſignificatur pars intellectiva, quatenus ejuſmodi. Tale igitur eſt , quod dicit Apoſtolus : Nam & ſi Deum orem lingua, id eſt, ad orandum Deum utar dono linguæ, non habens donum intelligentiæ : ſpiritus quidem meus orat , id eſt , affectus elevatur in Deum , (hoc enim perpetuò conjunctum erat locutioni procedenti ex dono linguæ , ut annotatum eſt ſuprà.) Cæterùm mens , id eſt , intellectus meus , quia verborum ſignificationem ac ſenſum non aſſequitur , fructu proprio privatur , qui eſt intelligere & intelligendo refici. Unde conſequenter fit ut nec meditari nec contemplari de rebus per verba ſignificatis queat.

Qui ſint ſpiritu orantes , non mente.

Iſtud ſanè quod Apoſtolus dicit , accidere conſtat iis qui Latinitatis ignari Latino ſermone preces recitant; Hi namque ſpiritu quidem & affectu devotionis in Deum feruntur , ſi verè orant : ſed quia verba non intelligunt , mens eorum ſine fructu eſt , videlicet intelligentiæ. A quibus non multum differunt tam clerici quàm laïci , Latinè quidem docti , ut per hæc verba ſecundùm Grammaticam eorum ſignificationem utcumque intelligant , ſi attentè legant ; ſed qui propter tropos ac figuras in illis latentes , ad ſenſum orationis non penetrant : ut ferè contingit in Pſalmorum lectione. Nam exempli gratia, quotuſquiſque recitans illa Pſalmi 59. verba : *Moab olla ſpei meæ : in Idumæam extendam calceamentum meum,* vel iſta Pſalmi 67. *Si dormiatis inter medios cleros , pennæ columbæ deargentatæ* &c. vel hæc ejuſdem Pſalm. *Increpa feras arundinis , congregatio taurorum in vaccis populorum* , &c. ſententiam aſſequitur orationis ; quamvis ſingula per ſe verba quid ſignificent , etiam exactè noverit.

Verùm non ob id damnandæ ſunt precationes , vel hoc, vel etiam priori modo non intellectæ , tamquam ſint inutiles. Nam etiamſi qui ſic orant , fructum intelligentiæ non percipiant , ideoque nec paſcantur ſenſibus per verba ſignificatis: habent tamen fructum mentis elevatæ in Deum. Id enim eſt oratio , mentis in Deum elevatio cum decentium petitione ; nec à vera oratione fructus ipſe ſeparari poteſt. Habent iidem etiam fructum reverentiæ erga preces ſacras; quas etſi non intelligant , bonum tamen & ſalutare eſſe quod iis ſignificatur , non dubitant atque hoc ipſum ſibi petunt à Deo donari.

Orantes verbis non intellectis quem fructum percipiant.

Quin etiam contingit , ut quiſpiam ſic orans , plus apud Deum mereatur & impetret , quàm alius intellectu ſenſum aſſequens orationis : ſi nimirum majori cum humilitate , pietate , fervore Deum oret. Ac certè verborum intelligentiam ſæpè non ſolùm compenſat , verùm etiam in hominibus verborum & ſenſuum alioqui peritis , interdum abſorbet devotionis in Deum magnitudo.

Orans & non intelligens interdum plus meretur & impetrat , quam alius intelligens.

Quocirca rectè docet *in comment.* S. Thomas cum triplex ſit intentio orantis : *una* ad verba quæ dicit , *altera* ad ſenſum verborum , *tertia* ad finem , id eſt , Deum : primam attentionem , imò & ſecundam , aliquando nocere , *in quantum impedit devotionem* : tertiam verò eſſe optimam ac neceſſariam.

Triplex intentio orantis : & quæ optima ac neceſſaria.

Per hæc tamen volumus iis patrocinari , qui Dominicam orationem ita Latinè recitant ; ut non curent eam intelligere. Nam quæ in illa petuntur , non ſatis eſt confusè cognoſcere quod bona ſunt : ſed ea diſtinctè , & ſcire quæ ſint , & à Deo petere tenentur omnes Chriſtiani. Unde ſapienter ac neceſſariò multis jam ſynodis epiſcoporum conſtitutum eſt : ut quiſque fidelis orationem Dominicam ea lingua quam intelligat , recitare norit. Cæterùm de fructu orationis etſi non intellectæ , videat ſtudioſus S. Thomam & Cajetan. *in comment.*

Oratio Dominica ab omnibus Chriſtianis intelligi debet.

15. QUID ERGO EST ? Id eſt : quid igitur opus ut faciam? Syrus interpres , *quid igitur faciam* ? Sic infrà verſ. 26. *Quid ergo eſt fratres* ? Sibi reſpondet verbis ſequentibus. ORABO SPIRITU , ORABO ET MENTE. Græcè addito ᾀ , *orabo autem & mente* : quemadmodum & Auguſt. recitat *lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 9.* Eraſmus , *ſed orabo & mente.* Senſus : Operam dabo ut non ſolùm ſpiritu , id eſt , cum devotionis affectu, Deum orem ; verùm ut etiam verba orationis intellectu capiam. Sic enim majorem utique fructum ex oratione reportabo, quàm ſi ſolo ſpiritu orarem. Unde eccleſia conjungit utrumque , canens de B. Virgine : *Cujus precibus nos adjuvari mente & ſpiritu denotiſſimè poſcimus.*

Nota, quid orare ſpiritu & mente.

PSALLAM SPIRITU , PSALLAM ET MENTE ; Græcè *Pſallam autem & mente.* Eraſmus , *ſed canam & mente.* Senſus : Laudem & gratiarum actionem Deo canam, non ſolo devotionis affectu , verùm etiam cum intelligentia verborum. Pſallere pro eo quod eſt laudes Deo canere , ſive id voce fiat , ſive inſtrumentò muſico ; vocabulum eſt eccleſiaſticum , à LXX. interpretibus frequentatum. Nam apud authores profanos laxior eſt ejus ſignificatio. Jacobus Apoſtolus hæc duo , orare & pſallere , ſimiliter conjunxit ac diſtinxit cap. 5. dicens : *Triſtatur aliquis veſtrum ? oret. Æquo animo eſt ? pſallat.*

Quid pſallere ſpiritu & mente.

Quidam illa verba , *orabo & mente , pſallam & mente* ; ſic exponunt : Ita orabo & canam, ut ab aliis non audiar modò , ſed etiam intelligar : ſatis violentè. Nam orare & pſallere propriè Deum reſpicit : ubi non eſt neceſſe nos ab aliis audiri & intelligi , cùm ſcriptum ſit : *Ora Patrem tuum in abſcondito.* Matt. 6. Nec verbo indicat Apoſtolus , ſe loqui , in hoc quidem loco , de intelligentia tranſmittenda ad alios.

Pſallere quid ſignificet.

16. CÆTERUM SI BENEDIXERIS SPIRITU. *Cæterùm* Græcè , ἐπεὶ , quod ſuprà verſ. 12. tranſtulit *quoniam* : & ita reddit Eraſmus hoc loco. Syrus & Hentenius *alioqui.* Sic enim & noſter interpres vertit Heb. 9. *Alioqui nondum valet* , &c. Dictio *ſpiritu* in multis abeſt Græcis exemplaribus : tametſi Theo-

phylactus & Oecumenius declarat se legisse. De Chrysostomo non liquet.

An locus hic accipiendus de benedictione eucharistiæ.

Sunt qui opinentur Apostolum hîc loqui de benedictione sacræ Eucharistiæ : propterea quod in parte consequenti, *quomodo dicet amen super tuam benedictionem* ? Græcè legatur, ὅτι τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ : quod interpretantur, *super tua Eucharistia* ; ac rursum prorer illud quod subjungit, *nam tu quidem bene gratias agis*, ubi Græcè εὐχαριστεῖς : velut ipso vocabulo designaret, ut illi putant, Sacramentum corporis & sanguinis Domini, quod eucharistia vocatur. Sed hæc nihil convincunt. Nam ista verba εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν significatione generalia sunt, & passim in scripturis obvia, cujuscumque tandem benedictionis & gratiarum actionis mentio fiat. Neque enim sacri scriptores, qui Græcè scripserunt, ipsique LXX. interpretes, ad hæc significanda aliis usi sunt vocabulis.

Responsio negativa.

Nec sanè probabile est ullo modo, Paulum hîc loqui de consecratione & oblatione eucharistiæ. Nam illa præscriptis verbis apud Corinthios atque in aliis Græcorum ecclesiis, nec aliter quàm Græca lingua fiebat ex Apostolica institutione. At neque contra sacerdotes sive presbyteros agit Apostolus hoc loco : sed in genere eos reprehendit, qui linguarum dono prædíti, preces & laudes divinas proferebant in conventu fidelium, quas nec ipsi nec alij intelligerent. Quæ res ampliùs adhuc patebit ex sequentibus.

Benedicere quid hoc loco significet.

Igitur benedicere sumitur hîc ut alibi sæpissimè, præsertim in Psalmis, pro eo quod est laudare & gratias agere. Sic enim mox seipsum Apostolus exponit. Refertur autem ad Deum sine dubio, sicut orare & psallere : non quod eadem prorsus sint, Deo benedicere & Deo gratias agere : sed quia maximè laudari solet Deus grata beneficiorum ejus commemoratione ; quod est gratias agere.

Commentarius de sacerdotali benedictione refellitur.

Quare & eorum commentarium, qui locum hunc exponunt de publica benedictione, qua sacerdos populo benedicit, alienum arbitror à mente Apostoli : quippe qui post interpositam verbis præcedentibus taciræ cujusdam objectionis solutionem, nunc sermonem prosequitur de eo qui ex dono peculiari in conventu lingua loquitur peregrina : docetque rem absurdam consequi, si non intelligatur ; quia non erit qui respondeat & approbet ejus verba ; sicut habet ecclesiæ consuetudo. Hoc enim est quod sequitur.

Qui supplet locum idiotæ. In multis Latinis codicibus legitur : *Quis supplet locum idiotæ* ? Eamque lectionem exponunt, non solùm Latini posteriores Haimo, Lombardus, Hervæus, B. Thomas, Liranus, & ante eos glossa interlinealis : sed & veteres, Pelagius & Primasius. Verumtamen hanc nostram quæ Lovanienses ac Romanæ castigationis est, veram esse lectionem monstrant probatissimi quinque codices mss. vetereseque concordantiæ, palàm suffragante textu Græco atque Syriaco.

Idiota quis dicatur.

Ἰδιώτης *idiota*, Græcis propriè dicitur homo privatus ac nullo fungens munere publico. Unde & in castris idiotæ dicebantur, ut annotant Theodoritus & Oecumenius, qui militiæ non erant astricti. Deinde quadam consequentia significat indoctum & illiteratum : quod privati homines indocti esse soleant. Unde Erasmus vertendum putavit : *qui implet locum indocti*. Verùm Lucas *Actor.* 4. distinguere videtur illiteratum ab idiota, cùm de Petro & Joanne dicit, *comperto quod homines essent* ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται *illiterati & idiotæ*. Quare magis placet idiotam hîc intelligi propriè : id est, plebeium sive *laicum*, ut interpretantur omnes Græci. Laicum verò intellige respectu ecclesiæ, id est, eum *qui nullo gradu ecclesiastico fungitur* ; ut exponit Pelagius.

Quis supplens locum idiotæ.

Quæritur autem quisnam Apostolo sit is *qui supplet locum idiotæ?* Theophylactus ipsum idiotam seu laicum significari putat. Quod etiam Chrysost. & Oecum. sentire videntur : eo nimirum argumento, quia mos erat antiquitus ut precibus sacerdotum ipse populus acclamaret : id quod etiam declarant veteres liturgiæ tam Chrysostomi quàm Basilij. Nam & in ecclesia Romana fuisse eum morem testatur Hieron. *in præfat. lib. 2. comment. Epist. ad Galat.* inquiens : *Ubi sic ad similitudinem cælestis tonitrui Amen roboat* ? Meminit ejusdem acclamationis etiam Justinus sub finem apologiæ secundæ pro Christianis.

Precibus sacerdotum populus olim acclamabat.

Hunc Græcorum commentarium inter neotericos secuti sunt Cajetan. Guilliaudus & Gaignæus ; non tamen exponentes, cur Apostolus idiotam significare voluerit per eum qui supplet locum idiotæ : quum sit phrasis insolens. Quis enim ita loquitur, ut regem ipsum significare volens dicat ; is qui supplet locum regis ? Sunt qui respondeant, Apostoli verba, ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, non significare secundum usum linguæ Græcæ, *qui gerit vices idiotæ* : sed *qui adimplet locum idiotæ*, id est, qui locum occupat idiotarum, unus quispiam videlicet ex idiotis. Atqui minus habet consuetudo vel Græci vel Latini sermonis, ut idiotam dicere volens, utatur hac circumlocutione, *qui adimplet locum idiotæ.*

Quapropter Erasmus, quamvis ita verterit ; *qui implet locum indocti* : quasi impleat, non suppleat : in paraphrasi tamen hoc modo reddit : *qui plebis vice fungitur*, quod est supplere. Qua in significatione rursus eodem verbo Paulus usus est infrà capit. ultimo : *id quod vobis deerat, ipsi suppleverunt.* Sed & Græcos uti dictione τοπῳ, perinde ut Latini loco pro vice, Græca lexica docent : & manifestè probat illud in fine canonum concilij Chalcedonensis subinde repetitum, τοποτηρητὴς τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, locum tenens, id est, vicarius Apostolicæ sedis.

An rectè idiota suppleat locum idiotarum.

Proinde, mea quidem sententia, simplicius est & rectius, ut secundum id quod sonant verba nostri interpretis, ad amussim Græco textui respondentia, significari dicamus aliquem ab idiota diversum, eoque doctiorem, qui partes sustineat idiotæ vel idiotarum, id est, plebis (nam enallage numeri hic intelligenda est (quique pro plebe respondeat, approbando orationes, Psalmos, benedictiones sive laudes, quæ pronuntiabantur in conventu publico. Hoc enim officium est, atque olim fuit ministrorum ecclesiæ, qui in clerum ascripti essent. Nam quod apud nos interdum in ipsius etiam sacrificij celebratione (de qua tamen hîc non agitur) idiota supplet locum idiotarum, contingit ex defectu ministrorum altaris : & toleratur magis quàm probatur.

Objectio removetur.

Porrò quod aiunt ipsos idiotas, id est, populum acclamare solitum ; id fatemur de divinis officiis, & publica scripturarum lectione ; quæ non fiebant lingua peregrina, sed Græca apud Græcos, ut apud Hæbræos Hebræa. Hîc autem agitur de precibus & canticis spiritualibus, quæ proferebant in medium fideles, prout quisque divinitus esset inspiratus, etiam in lingua aliena ; ubi unus intelligens pro cæteris respondebat : cujus tamen vocem mox etiam cæterorum acclamatione exceptam fuisse, verisimile est.

Quomodo dicet amen super tuam benedictionem ? Græcè, *super tua gratiarum actione*, scilicet ea de qua dixerat, *si benedixeris*. Quò respiciens interpres *benedictionem* vertit. *Amen*, dictio confirmantis & approbantis est apud Hebræos : Latinè *fiat*, verùm, firmum, ratumque fit. De qua voce plura diximus *Rom. 1. vers.* 25. Morem acclamandi Amen, à Judæis acceptus.

Mos acclamandi Amen, à Judæis acceptus.

mandi (Amen) ad preces laudeſque publicas & omninò preces ea voce terminandi, accepit Eccleſia à Judæis: apud quos populum ita ſolitum acclamare, teſtatur ſcriptura non uno loco, ut *Deuter.* 17. 1. *Paral.* 16. 1. *Eſdr.* 8. Unde & illud Pſalmi 105. *Et dicet omnis populus, fiat, fiat*, Hebraicè, *amen, amen.*

Nunc ſenſum reddamus totius ſententiæ. Quod ſi, inquit, tu qui lingua peregrina loqueris, Dei laudes pronunciaveris ſpiritu tantùm, & non mente, id eſt, cum pio in Deum affectu, ſed verba ipſe tua non intelligens; ut proinde nequeas ea interpretari: quomodo, non dico idiotæ, ſed is qui ſupplet idiotarum locum, & cujus eſt vice populi reſpondere, dicturus eſt Amen ad tua verba, quibus Deo laudes & gratiarum actionem depromis? QUONIAM QUID DICAS, NESCIT. *Quoniam ἐπειδὴ, quandoquidem*, verba tua non intelligit, utpote peregrina.

Benè gratias agit etiam qui verba non intelligit.

17. NAM TU QUIDEM BENE GRATIAS AGIS. Nimirum quatenus ſpiritu, id eſt, pia animi devotione id facis. Hoc eſt quod ſuprà dixit, eum qui loquitur lingua, loqui Deo, ſpiritu loqui myſteria, & ſemetipſum ædificare.

Alter, id eſt, proximus.

SED ALTER NON ÆDIFICATUR. *Alter ὁ ἕτερος*, id eſt, *proximus*, uti ſuprà cap. 10. *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius*, & Rom. 13. *qui diligit alterum*, ut in Græco eſt, *legem implevit.* Sed, inquit, frater & proximus tuus nullum ex verbis tuis percipit fructum, non promovetur ad ſalutem: quum tamen ea quæ fiunt in conventu publico, referri debeant ad bonum publicum. Ex hujus loci doctrina Cajetanus haberi dicit, quod ſit *melius ad ædificationem eccleſiæ, orationes publicas quæ audiente populo dicuntur, dici lingua communi clericis & populo, quàm dici Latinè.*

Obſerva contra Sectarios, de precibus publicis lingua vulgari recitandis.

Sectarij verò ex eadem Pauli doctrina planè contendunt publicas eccleſiæ preces, hymnos, cantica, totumque divini cultus officium agi ac recitari debere ea lingua quam univerſus populus intelligat: ut apud Germanos Germanica: apud Gallos Gallica. Quibus primùm *reſpondeo*: Paulum non id velle, ut totus populus intelligat, ſed ut is ſaltem, qui ſua reſponſione & approbatione vicem populi ſupplet; quem profectò cæteris doctiorem eſſe convenit; & in quo tanquam ſuo vicario, populus quodammodo intelligit. *Deinde* loquitur Apoſtolus de lingua peregrina, qualis erat Corinthiis Perſica vel Æthiopica, fortè etiam Latina. Nam & eam adfert Chryſoſtomus pro exemplo.

Ad utroſque reſponſio.

Lingua Latina non eſt nobis peregrina, ſed valde communis.

Verùm iſta nobis peregrina non eſt, cum ſit maximè communis ac nota, non ſolùm eccleſiæ miniſtris, verum etiam multis extra clerum: adeò ut epiſcopi quondam ad populum Latinè concionati fuerint, non in Italia modò, verùm etiam in Africa & Gallia, tametſi multis è plebe non intelligentibus. Nam de Africa exemplum habemus Auguſtini, de Gallia teſtimonium Proſperi, *lib. 1. de vita contempl. cap.* 23. Ac de Hiſpania arbitror idem eſſe judicium, propter uſum Romanæ linguæ illuc præcedentibus ſæculis importatum.

Epiſcopi quondam Latinè concionabantur, etiam multis non intelligentibus.

His adde, quod non eadem eſt ratio, cur Amen dicendum ſit ab intelligente, nunc & tempore primitivæ eccleſiæ, quo Paulus hæc ſcripſit. Tunc enim adferebantur ab iis qui linguæ donum habebant orationes & laudes quædam novæ ac priùs inauditæ; quo fiebat ut qui ad eas reſponderet Amen, prorſus neſciret quid approbaret, quando nec verba intelligebantur, nec preces eſſent eccleſiæ judicio receptæ. Nunc autem qui reſpondet Amen, etiamſi verba fortè non intelligat, novit tamen bonum & ſanctum eſſe quod ſignificatur; utpote jam olim ab eccleſia approbatum.

Amen cur nunc dici poſſit à non intelligente.

Prætereà notandum eſt ea ad quæ reſpondet miniſter in ſacrificio Miſſæ, pauca admodum eſſe: ut propter illa mutari non debeat lingua totius Miſſæ; cùm facilè laici diſcere poſſint ea pauca quid ſignificent: & Synodus Trident. jam præceperit, *Seſſ.* 22. *cap.* 8. ut talia pro concione inter miſſarum celebrationem populo à paſtoribus exponantur.

De quibus intelligendis docendus populus.

Denique non eſſe contra Apoſtolum, ut aliquid omninò dicatur in miſſa vel officio divino ea lingua quæ vulgo ignota ſit, hinc manifeſtum eſt; quia ſecundum Apoſtolum, is qui ſupplet idiotæ locum reſpondet Amen, utique voce Hebræa. Certè ſi miniſter reſpondens debet intelligere verba ſacrificantis aut benedicentis; multò magis intelligere debet ſua ipſius verba. Si ergo quod dicit Amen aliena lingua, intelligit quia docetur quid ſignificet; ſimiliter doceatur de pauculis aliis verbis Latinis, quæ ad populum loquitur ſacerdos, & ad quæ ipſe populi nomine reſpondet; cujuſmodi ſunt, *Dominus vobiſcum, Surſum corda, Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Nam quod ad orationem Dominicam attinet, quod omnes eam aut Latinam intelligere debeant, aut ſua lingua poſſe recitare, jam antè diximus.

Probatio ex vocabulo Amen.

Porrò quamvis per ſe bonum ſit, ut officia divina celebrentur ea lingua quam plebis intelligat (id enim per ſe confert ad plebis ædificationem, ut benè probat hic locus: unde & formaliter atque abſtractè conſiderata, vera eſt Cajetani ſententia) non tamen illud bonum eſt conſideratis omnibus circumſtantibus. *Primùm* enim ex tanta varietate linguarum admiſſa in officiis divinis & Sacramentorum celebratione, non leve periculum eſſet diſſenſionum & ſchiſmatum in Eccleſia: ad cujus unitatem conſervandam non parum conducit, imò penè neceſſaria eſt uniformitas divini cultus. *Deinde* quorumdam idiomatum abſurditas riſum & contemptum adferret ſacris actionibus & myſteriis.

Orationem Dominicam omnes intelligere tenentur.

Nota, cur non expediat officia divina celebrari lingua vulgari.

Ratio prima.

Secunda.

Huc accedit quod indocti ac myſteriorum rudes, etiamſi verborum ſignificationem caperent, non tamen ſenſum orationis aſſequerentur; velut in Pſalmis, Prophetis & multis aliis: ſed pro carnali ſuo captu ſenſus alienos imaginatione volverent, animoque conciperent, atque ita non ſolùm fructu veræ carerent intelligentiæ, verùm etiam malè intelligendo novos ac periculoſos errores ſibi confingerent. Quod ex promiſcua lectione bibliorum in vulgares linguas tranſlatorum accidiſſe plus ſatis experientia docuit. Quæ rationes, aliæque ſimiles oſtendunt haudquaquam expedire, ut miſſæ ſacrificium ac cætera divina officia & Sacramenta vulgari lingua paſſim per eccleſias celebrentur.

Tertia.

18. Gratias AGO DEO MEO, QUOD OMNIUM VESTRUM LINGUA LOQUOR. Hæc, inquit, non dico, quod ipſe doni linguarum inops ſim: quomodo ſolent homines deprimere ſcientias, quarum ipſi ſunt ignari. Nam poſſum equidem ex dono mihi divinitus collato, omnium veſtrûm lingua loqui: de quo *gratias ago Deo meo*, id eſt, Deo *cujus ſum ego, cui & ſervio*, Actor 27. Ad hunc modum (*quòd omnium veſtrûm lingua loquor*) habent codices omnes Latini. Quorum tamen interpretes in reddendo ſenſu variant. Cum enim Corinthiorum Græca fuerit lingua, non alia, meritò dubitatur quomodo dicat Apoſtolus, *omnium veſtrûm lingua*, quaſi multæ eſſent eorum linguæ. Commentator Ambr. ſic intelligere videtur; omnium veſtrûm ſive Græcorum ſive Hebræorum. Qui quidem Hebræi, inquit, *aliquando Syra lingua, plerumque Hebræa in tractatibus aut oblationibus utebantur ad commendationem.*

Solent homines quæ ignorant, contemnere.

Quo ſenſu dicat Paulus: omnium veſtrûm lingua loquor.

Alij generaliter interpretantur, *omnium veſtrûm*, id eſt, omnium fidelium; qui jam ex variis Gentibus & linguis ad fidem converſi erant. Haimo de omnibus Græcæ linguæ dialectis exponit; quæ à Grammaticis quinque numeratur, Attica, Ionica, Æolica, Dorica, & communis. Atqui id non erat pluribus linguis loqui: ſed unam eamdemque linguam cum nonnulla ſoni differentia pronuntiare: ad quod

non opus erat dono linguarum: quum facilè se mutuò intelligant qui sola dialecto differant.

Sensus probabilior.

Probabilior hujus lectionis expositio est, quam tradunt Hervæus, Aquinas, & alij Paulum loqui de linguis quarum dona effusa erant in Corinthios: ac si dicat, ait Hervæus: *Nullus vestrûm aliqua loquitur lingua, qua & ego non loquar, quoties volo.*

Græcorum lectio melior.

Verùm scire oportet Græca ad verbum sic habere. *Gratias ago Deo meo, omnium vestrûm* (Latinè, *omnibus vobis*) *magis linguis loquens*, id est, de eo quod magis quàm omnes vos, linguis loquor. Quem lectionem etiam Syrus expressit. Juxta quam significat Apostolus, se pluribus loqui linguis, quam quispiam Corinthiorum; vel potiùs quàm omnes illi simul. Atque hæc Græcorum expositio est. Hieron. autem *in epist. ad Hedibiam quæst.* 9. de Paulo scribit in hæc verba: *Gratias agit Deo; quod cunctis Apostolis magis linguis loquatur. Qui enim multis Gentibus annunciaturus erat, multarum linguarum acceperat gratiam.* Ex quibus satis apparet Hieronymum sic legisse, ut habent Græci codices. Qua autem ratione comparationis notam referat ad cæteros Apostolos, (nisi corrupta lectio est) non video; cum aliquantò post in eadem quæstione testetur Apostolos die Pentecostes accepisse *diversitatem linguarum omnium Gentium, ut annuntiaturi Christum nullo indigerent interprete.*

Apostoli linguas omnium Gentium tenebant. Donum linguarum in Apostolis non temporarium, sed perpetuum. An Paulus usus interprete.

Porrò locus hic Apostoli satis ostendit donum linguarum non, ut quidam volunt, temporarium in Apostolis fuisse, sed perpetuum, quo uterentur quando vellent, ac quoties ita res posceret. Nam quod de Paulo dicit Chrysost. homilia 4. super 2. Tim. 2. *Hebræam tantum noverat linguam*: id intellige, extra donum linguarum. Hebræa namque, seu Syra potiùs, erat illi materna; nec aliam didicerat, quam expeditè loqui posset. Quod autem objiciunt cum Tito usum fuisse interprete, eoque argumento contendunt linguarum promptitudinem illi ad votum non adfuisse: quantum valeat, expendemus in expositione *cap.* 2. *epist.* 2. ubi de Tito agetur.

Donum linguarum an præstiterit Apostolis sermonis puritatem ac nitorem.

An verò donum linguarum Apostolis id præstiterit, ut eo utentes nusquam in sermone solæcissarent, nec peregrinas phrases admiscerent, nec aliter quidquam efferrent quam pro consuetudine eorum quibus lingua erat propria; haud temerè affirmaverim: cùm Paulus ac cæteri Apostoli Græcè scribentes, multum referant ex proprietate linguæ nativæ; nec per omnia sermo eorum purus sit à vitiis quæ Grammatici notare solent; ut & Hieron. alicubi fatetur. Neque enim donum efficiebat, ut omnia purè, propriè & exactè eloquerentur, (alioqui visi fuissent elegantia ac nitore sermonis attraxisse homines ad fidem Christi, magis quàm virtute Dei) sed ut loquerentur intelligibiliter, quantum opus erat juxta vulgarem collocutionis modum: quemadmodum benè docet S. Thomas 2. 2. *quæstion.* 196. *art.* 5. *ad* 1.

Quinque pro paucis.

19. SED IN ECCLESIA VOLO QUINQUE VERBA SENSU MEO LOQUI. *Volo*, subaudi potiùs, id est, malo propter *quam sequens*. Qui Hebraismus est. *Verba*, Græcè λόγους, quod vertit etiam potest, *sermones*, *sententias*. *Quinque* dixit pro paucis. Hieron. quidem *in epist. ad Paul.* quæ bibliis præfigitur, quinque verba quinque Moysi libros interpretatur: Theophyl. ea refert ad quinque sensus corporis. S. Thom. & Liranus censent ideò Paulum nominasse *quinque*: *quia doctor debet quinque docere, scilicet credenda, agenda, vitanda, speranda, timenda.* Alij alia speculantur in hoc numero: sed hæc omnia tantùm accommodatè dici, nec Apostoli mentem attingere facilè liquet. Non ineptè Pelagius, ab iis qui quærunt quæ sint quinque verba; dicit è contrario quærendum quæ sint decem millia verborum, in eo quod sequitur.

Doctor debet hæc quinque docere.

Cæterùm placet annotatio Lirani: Paulum innuere, quod cum brevitate sermonis tradenda sit populo doctrina salutis. Quod & Tridentina synodus omnes parochos admonendos putavit, *sess.* 5. *cap.* 2. reform. *Sensu meo*, Græcè διὰ τοῦ νόος μου, *per mentem meam*: licet in nonnullis, τῷ νοΐμου, *mente mea* legatur: quæ videtur etiam veterum lectio fuisse: nisi Oecumenius adjungit & alteram. Porrò Græcam vocem ipse noster interpres jam aliquoties veterat *mentem*.

Nota, doctrinam salutis populo tradendam breviter & perspicuè.

UT ET ALIOS INSTRUAM. Verbum Græcum κατηχήσω, instituere significat; quomodo institui solent rudiores. Unde Latinum catechizare.

Decem millia numerum significant infinitum.

QUAM DECEM MILLIA VERBORUM IN LINGUA. *Decem millia*, Græcè μυρίους, qua voce significari solet numerus infinitus, quomodo Latini dicunt sexcenta aut mille, *Sensus periodi est*: Ego quamvis vos omnes superem dono linguarum; malo tamen in Ecclesia, id est, in publico cœtu fidelium, loqui paucula quædam verba cum intellectu; quò possim & alios instituere, interpretando & explicando, quæ dico: quàm innumerabilia verba fundere peregrina lingua sine intellectu. Sic igitur & vos affectos esse velim.

Nota, de cantu seu musica quatenus in officiis divinis probanda aut improbenda. Melodia devotionem excitat.

Hinc infert Cajetanus, *esse eligibilius, ut in ecclesia dicantur divina* (*horæ scilicet canonicæ & missæ*) *intelligibiliter sine melodia musica, quàm sit ut intelligi non possint*: quod fit dum verba partim committuntur sonis organorum, partim ita redduntur à canentibus, ut ob artificiosam modulationem vocumque multitudinem, ab auditoribus etiam attentis, ægrè percipi queant: Quod rursum nos quoque verum fatemur, cæteris paribus. At paria non sunt, dum ejusmodi concentus suavitate, quamvis verbis non intellectis, animi fidelium, præsertim infirmiorum, quales plurimi sunt, excitantur efficaciùs ad divina, quàm si nudè verba pronuntiarentur. Quod utique spectavit Ecclesia, quando musicam hanc seu vocum seu organorum modulationem tacito consensu passim in templa recepit: Davidis piissimi regis exemplum ea in re secuta; qui Deum instrumentis musicis tum ipse laudavit, tum alios ad Dei laudes excitavit; atque in templo veteri cantores musicos ac musicis instrumentis usuros ad Deum laudandum instituit. Tantùm opus, ut, quod à synodo Tridentina, *sess.* 22. & à quibusdam etiam particularibus episcoporum synodis constitutum est; ne quid lascivum, impurum, leve, aut omninò irreligiosum, in ecclesia musicis cantibus aut organis admisceatur, exactè servandum curent illi, quibus id muneris incumbit.

Davidis exemplum.

Nota, nihil lascivum musicis in ecclesia cantibus admiscendum.

20. FRATRES, NOLITE PUERI EFFICI SENSIBUS. Admonitio est cum increpatione, quod puerili quodam sensu ac judicio minora bona consectarentur posthabitis melioribus; ut linguas præ dono prophetiæ. *Nolite effici*, Græcè μὴ γίνεσθε, quod etiam verti potest, *ne sitis*; & quidem commodiùs hoc loco. Pro *sensibus* Augustinus tam hic quàm infrà legit *mentibus*, ut *in Genarat. Psal.* 130. *& lib.* 13. *Confess. cap.* 13. & aliis locis à Beda citatis: tametsi in Græco legitur φρεσὶν, vocabulum diversum ab eo quod interpres superiùs modò mentem, modò sensum transtulit. Significatur autem animus qua parte judicat de rebus. Et utuntur Græci plurali pro singulari per omnes casus. Erasmus quoque reddidit *sensibus*; etsi malim *sensu*. Quod nomen etiam Latini interdum usurpant pro mentis judicio. Unde & usu ecclesiastico sensati dicuntur qui de rebus benè judicant, id est, prudentes. Fratres, inquit, ne sitis pueris similes in rebus quas eligere vel agere debeatis, æstimandis ac dijudicandis: ne mala bonis, aut minora bona majoribus anteponatis.

Puerile est minora bona eligere posthabitis melioribus.

Sensus pro mentis judicio.

SED MALITIA PARVULI ESTOTE. *Parvuli estote.* Græcè uno verbo νηπιάζετε, *puerascite, pueri estote*,

Malitia parvuli esse jubemur.

pro quo legit Augustus. *infantes estote*. Sensus: Tamquam infantes seu pueri, sitis expertes malitiæ. Hac parte pueros imitamini, non illa.

Sensibus perfecti.

SENSIBUS AUTEM PERFECTI ESTOTE. *Sensibus*, ut supra, id est, mente, animo. Quod attinet, inquit, ad judicium animi de rebus agendis, similes estote viris adultis & ætate perfectis: ut quemadmodum illi per naturam benè discernunt inter bona & mala hujus vitæ: sic & vos tamquam perfecti in Christo, sensus habeatis exercitatos ad spiritualem boni malique discretionem, *Hebr.* 5. Congruit illud ejusdem Apostoli, Rom. 16. *Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.*

21. IN LEGE SCRIPTUM EST. Quod in quibusdam codicibus additur, *enim*; *In lege enim*, neque in Græco est aut Syriaco, neque in melioribus Latinis. S. Thomas legit & studiosè exponit, *In lege quid scriptum est?* sed usus exemplari depravato ex alterius loci memoria, qui est *Luc.* 10. Tale quid etiam Lombardo accidit. Legis nomine comprehendit Apostolus totum vetus instrumentum. Nam quod hic citat, apud Isaiam legitur, *cap.* 28. Eadem legis acceptio est Joannis 15. *v.* 25. & *Rom.* 3. *v.* 19.

Lex pro tota scriptura veteris testamenti.

QUONIAM IN ALIIS LINGUIS ET LABIIS ALIIS LOQUAR POPULO HUIC. *Aliis linguis* in Græco composita dictio est ἑτερογλώσσοις, ambigua ad masculinum & neutrum: ut proinde ad personas referri possit hoc modo; in loquentibus vel per loquentes alteris sive alienis linguis. Verùm interpretes ferè omnes neutraliter accipiunt, ut idem sit cum eo quod sequitur, atque in Græco distinctè ponitur, ἐν χείλεσιν ἑτέρων, *in labiis alteris*, id est, diversis, alienis. Ubi tamen nonnulli codices casum paternum habent ἑτέρων, *aliorum*, id est, alienorum, scilicet hominum. Citat autem hunc Prophetæ locum Apostolus, sensum potiùs quàm verba reddens. Nam & verba transposuit, & personam mutavit, tertiam in primam. Siquidem apud Prophetam locus sic habet interptete Hieronymo: *In loquela enim labii & in lingua altera loquetur ad populum istum.*

Apostolus sensum magis quam verba prophetæ reddit.

Sensus autem Apostoli est: Ego Dominus loquar populo huic Judaico, variis & peregrinis linguis: scilicet per Apostolos meos. Quod quidem præcipuè fuit impletum in die Pentecostes, *Act.* 2. Sciendum tamen pro eo quod Paulus habet, *In labiis aliis*, quodque Hieronymus transtulit, *In loquela labii*, Hebræa (si petitis illius linguæ neotericis credendum est) sic habere, *in blæsitatibus labiis*, quod ita vertunt, *blæsis & balbutientibus labiis*: tametsi contendit.

Verior lectio.

Leo Castrensis scribens super Isaiam, ex Hebræo potiùs vertendum *subsannantibus labiis*: & Adamus Sasboldus, *in labiis irrisionis*, sive *in irrisione labiorum*. Cui sententiæ subscribit etiam Tremellius Judæus, annotans ad locum Isaiæ Hebræa sonare, *ridiculis labio*. Quin & LXX. suffragantur interpretes, apud quos totus versus ita legitur: *Propter irrisionem labiorum, per linguam alteram, quia loquentur populo huic.* Græcè, διὰ φαυλισμὸν. Sic enim habent codices. Pro quo si legas, διὰ φαυλισμοῦ, una literula in alteram simillimam mutata, *per irrisionem labiorum*, conveniet cum eo quod sequitur διὰ γλώσσης ἑτέρας, *per linguam alteram.* Nec enim erat ratio cur variarent casum, simul & significatum præpositionis, cum in Hebræo sit uniformis oratio, benè à Paulo, nec non ab aliis interpretibus expressa. Quocirca facilè mihi persuadeo, LXX. quoque scripsisse διὰ cum eodem casu in utroque membro.

Loquentes peregrinis linguis, balbi, barbari, infani & ebrii videntur non intelligentibus.

Sed sive vertendum sit ex Hebræo, *in balbutientibus labiis*, sive *in subsannantibus* ac *irridentibus*: non hæc inducunt sensum diversum ab eo quem dedimus verborum Pauli, qui scripsit, *in labiis aliis*. Nam qui loquuntur linguis aliis seu peregrinis, quasi balbi sunt; & ut supra dictum, barbari, non intelligentibus; & deridere videntur auditores, & ipsi vicissim audientibus habentur ridiculi, imò & insani; *infrà cap.* 23. vel etiam temulenti. Unde quidam eorum qui Apostolos audiebant variis loquentes linguis (quos verisimile est non intellexisse, eo quod digni non essent habiti ut intelligerent) *irridentes* dicebant: *quia musto pleni sunt isti.* Act. 2.

Judaïci populi incredulitas.

ET NEC SIC EXAUDIENT ME, DICIT DOMINUS. Apud Prophetam hæc verba non habentur continuò post superiora; sed quibusdam interpositis, sic legitur tam in Hebræo quàm apud LXX. *Et noluerunt audire.* Nam illud, *dicit Dominus*, additum est ab Apostolo ad designandam personam loquentis. *Sensus*: Et ne sic quidem, id est, viso hujusmodi signo quod eis daturus sum, audient, sive exaudient me, id est, credent, obtemperabunt verbis meis quæ per Apostolos loquar. Quamvis enim ex Judæis aliquot millia prædicatione Apostolorum conversa fuerint ad Christum, ut *in Actis habetur*: numerus tamen ille comparatione totius populi qui remansit incredulus, tantùm exiguæ fuerunt reliquiæ: testante Isaia cap. 10. & Paulo referente Roman. 9. *Si fuerit numerus filiorum Israël tamquam arena maris; reliquiæ salvæ fient.* Sed cur memoratum Prophetæ testimonium de variis linguis in medium adduxerit Apostolus, docet conclusio sequens.

Linguæ in signum infidelibus.

22. ITAQUE LINGUÆ IN SIGNUM SUNT NON FIDELIBUS SED INFIDELIBUS. Græcè, *non credentibus, sed incredulis.* Et sensus sit: Ex prophetico testimonio consequitur donum linguarum datum esse ecclesiæ, ut esset signum ac testimonium divinum veritatis fidei, non fidelibus qui jam credunt, sed infidelibus ut credant.

Usus prophetiæ ad doctrinam fidelium.

PROPHETIÆ AUTEM NON INFIDELIBUS, SED FIDELIBUS. Græcè, *credentibus*. Et *prophetia* numero singulari, id est, prophetandi donum: quemadmodum & legitur in textu Ambros. nec non apud Pelagium & Primasium, prodente & utriusque commentario, licet textum aliquis mutaverit. Annuunt mss. quædam & veteres concordantiæ. Partem hanc Apostolus non colligit ex allatis Isaiæ verbis, in quibus de prophetiæ nihil dictum est: sed tamquam manifestam & Judæis minimè adversam simpliciter affirmat. Neque hic repetendum est illud, *in signum*; sed tantummodo supplendum est, aut data est, aut usui est, aut quid tale. Nam usus prophetiæ, quomodo de ea hic loquitur Apostolus, non est ut sit loco signi seu miraculi, quo quis ad fidem inducatur; sed ad doctrinam & institutionem fidelium pertinet.

Quæstio prima.

Verùm interrogabit quispiam, quomodo dicat Apostolus linguas non esse datas in signum fidelibus: cum legamus, *Act.* 16. & 19. fideles linguis locutos fuisse apud solos fideles; quibus & signum erant effusi in illos Spiritus-sancti, ac ne nunc quidem vetet Apostolus; quo minus linguis loquantur Corinthii in ecclesia, ad quam soli fideles conveniunt: imò vero id probet, modo non desit interpres.

Secunda.

Rursum, quomodo dicat linguas datas esset infidelibus in signum: cum ipse statim pòst testetur infidelem, si ingressus in ecclesiæ conventum, videat omnes loqui linguis, dicturum quod insaniant.

Tertia.

Item, quomodo dicat prophetiam non esse datam infidelibus; cum infrà consequenter dicat, si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, eum ab omnibus convinci & dijudicari, & occulta cordis ejus manifestari: adeò ut cadens in faciem adoret Deum, & pronunciet quod verè Deus in eis sit.

Ad dictas quæstiones responsio prior.

Ad hæc duæ sunt responsiones: *Prior:* eaque communior sensum Apostoli esse: quod linguæ in signum datæ sint præcipuè propter infideles, ut novitate miraculi convertantur: tametsi interdum etiam fidelibus instruendis & confirmandis serviant: pro-

Altera responsio Cajetani probabilior.

phetiam verò præcipuè datam fidelibus ad instructionem; licet interdum etiam valeat convertendis infidelibus. *Altera* Cajetani, qui sentit Apostolum loqui de solis Judæis, quondam fidelibus, quando habuerunt prophetas; posteà infidelibus, quando in signum exhibitæ sunt eis linguæ, missò in discipulos Christi Spiritu-sancto; per quas tamen juxta prophetæ vaticinium non crediderunt.

Judæi dato linguarum signorū crediderunt.

Uterque sensus probabilis est, & per utrumque facilè diluuntur objecta. Quamquam expositio Cajetani multò magis videtur quadrare textui. Nam linguas in signum esse non fidelibus, sed infidelibus infert Apostolus ex testimonio prophetæ, qui de solo loquebatur Judaico populo, qualis erat futurus post adventum Messiæ: quando fuit impletum illud, *Nec sic exaudient me.*

Jam verò colligendum ex his relinquit Apostolus, quantò prophetia linguis potior sit: quandoquidem illa fuerit utilis populo Judaico, utpote fideli, quia per illam instruebatur, & in cultu veri Dei retinebatur: donum autem linguarum, etsi novum & mirandum, tamen inutile fuerit eidem populo, quamvis signa petenti: quia per illud non credidit, sed eo ipso tempore quo datum est hoc signum, per suam non credendi pertinaciam transivit in genus infidelium, cùm anteà populus esset fidelis.

23. SI ERGO CONVENIAT UNIVERSA ECCLESIA IN UNUM, ET OMNES LINGUIS LOQUANTUR. *Universa*, Græcè ὅλη *tota*, id est, alicujus loci totus populus fidelis. Pergit ostendere prophetiæ dignitatem supra linguas: idque ex iis quæ accidebant vel accidere poterant in publico conventu fidelium. Si, inquit, Ecclesia tota simul conveniat, sive apud vos, sive alibi; & omnes loquantur linguis, nemine interpretante; Sequitur.

Idiotæ qui dicantur hoc loco, opiniones.

INTRENT AUTEM IDIOTÆ AUT INFIDELES. Dubium est quos intelligat idiotas: nisi quod apparet eum de fidelibus, aut certe de cathecumenis loqui; nam distinguit eos ab infidelibus. Et quidem Theodoritus, atque ex Severiano Gaignæus, docent intelligi catechumenos: ut qui adhuc neque fidelium numero censerentur, neque tamen infideles essent, sed scholæ Christianæ velut elementarii. Verùm huic intellectui videtur obstare primùm, quod nusquam legitur idiotæ nomen hac significatione; deinde quia catechumeni solebant unà cum fidelibus ad ecclesiam convenire, scripturas & earum expositiones pariter audituri, precesque & hymnos dicturi; eo tantùm excepto quod à mysteriis excludebantur. Non ergo de iis sic loqueretur Apostolus, quomodo de infidelibus, quod ad ingressum attinet in conventum Ecclesiæ. Nam infideles jus intrandi non habebant; sed vel casu incidebant in hujusmodi conventum, vel occultè sese ingerebant, ubi nondum erant oratoria peculiariter in eum usum exstructa.

Jam & illud quod est in vers. sequenti, *convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus*: quam aptè competat in catechumenum Christianæ religionis candidatum, haud scio. Quibus itidem argumentis æque vel etiam magis improbari potest commentarius Pelagii & Primasii, per idiotas intelligentium neophytos, quos vocant, *nuper credentes*. S. Thom. interpretatur eum qui non intelligit nisi linguam maternam. Quò accedit aliorum ferè omnium expositio, dum vel indoctos ac linguarum expertes intelligunt, vel eos qui nullo ministerio in ecclesia fungebantur, minusque diligenter ecclesiæ conventus frequentabant. Nam & hi ferè indocti erant. Atque iste sensus satis convenit cum significatione idiotæ. *sup. v. 16.*

Expositio probabilior.

NONNE DICENT QUOD INSANITIS. Hoc est, reputabunt vos insanos, fanaticos, arrepticios. Hi namque ea loqui solent quæ nec ipsi nec alii intelligant. Itaque revera qui linguis loquuntur, ubi nullus adest interpres; ea parte similes se reddunt hominibus insanis: adeoque suspicionem insaniæ sibi ipsis accersunt. Sic igitur unde gloriam venabantur Corinthii, inde probrum referebant: quemadmodum annotatum est à Græcis. Mendosè legitur in quibusdam codicibus *quid insanitis?* utpote contra fidem omnium veterum exemplarium & commentariorum; nec non Græci textus ac Syriaci. Apud Ambrosiastrum legitur *quia insanitis*: quemadmodum & noster interpres aliàs reddere solet Græcum ὅτι. S. Ambros. legit, *quia insanitis*, lib. 3. de Spiritu sancto. c. 19.

Linguis loquens sine interprete, insano similis.

Quid prophetare.

24. SI AUTEM OMNES PROPHETENT. Prophetare accipitur ut suprà, pro eo quod est ex inspiratione divina proferre quædam occulta, præsertim pertinentia ad explicationem scripturarum; atque ex iis auditores instruere. Non vult Apostolus omnes simul prophetare, sed vicissim ac ordine: quemadmodum infrà præcipit. Neque enim ex eo quod omnes simul prophetarent, fructus sequeretur quem statim commemorat; sed magis excitaretur scandalum apud auditores ex inordinata & confusa locutione multorum. Deinde nec omnes intelligit absolutè, sed hoc sensu; Si verò omnes qui in ecclesiæ conventu loquuntur, prophetent: id est, si soli loquuntur prophetæ; nimirum tacentibus iis qui linguarum donum habent. Sequitur.

Infidelis aut idiota quomodo convincendus aut dijudicandus ab omnibus.

INTRET AUTEM QUIS INFIDELIS VEL IDIOTA: CONVINCITUR AB OMNIBUS, DIJUDICATUR AB OMNIBUS. *Convincitur*, Græcè ἐλέγχεται, quod plerique vertunt, *arguitur*, vel *coarguitur*; idque, ni fallor, significantius ad rem præsentem. Sensus enim Apostoli est: Si omnes loquamini linguis, arguet vos infidelis aut idiota tamquam insanos. At contrà fiet, si omnes prophetetis, id est, ex dono sancti Spiritus explanetis legem Dei scripturis comprehensam; ac proferatis ea quæ in illis de Dei potentia, bonitate, justitia, sapientia traduntur. Sic enim infidelis aut idiota, qui fortè conventum vestrum introgressus fuerit, arguetur, & dijudicabitur ab omnibus vobis: hoc est, per doctrinam omnium, eo quo dictum est modo prophetantium, auditam & intellectam, ipse à semetipso atque à sua conscientia redarguetur, ac discussione facta judicabitur (id enim est ἀνακρίνεσθαι) tamquam impius & peccator. Siquidem infidelis conferens errorem in quo versatus fuit, itemque superstitiones suas & immunditias, ac cæteras actiones vitæ suæ, cum ea doctrina quam audit in ecclesia; clarè videt suam iniquitatem & turpitudinem. Similiter idiota de peccatis & pravis affectibus, quibus ex ignorantia laborabat, ex eadem doctrina apud se convincitur, ac reus ostenditur. Et ratio manifesta est: cognita namque regula, statim per regulæ applicationem cognoscitur, quicquid iniquum est, & à regula devium.

Regulæ officium.

25. OCCULTA CORDIS EJUS MANIFESTA FIUNT. Quidam codices, *Occulta enim cordis*, &c. sed in vetustis *enim* non additur: ut nec in Græcis quæ legunt; *Et sic occulta cordis ejus*, &c. Sensus: Dum sic apud se per doctrinam prophetarum redarguitur & dijudicatur infidelis aut idiota: manifesta ei fiunt quæ priùs in corde ipsius ita latebant, ut nec ipse qualia essent, agnosceret. Discit enim exempli causa, cultum idolorum esse impietatem: superstitiosas observationes esse dæmonum cultum: fornicationem esse legi divinæ contrariam, & ita de aliis. Non igitur ostendit hic locus Apostolum loqui de prophetia propriè dicta, qua vel res futuræ, vel occultæ cogitationes hominum cognoscuntur atque aliis revelantur: quia non est sensus, occulta cordium manifestari prophetis, sed illis ipsis in quibus sunt & latent.

Occulta cordis sui quomodo infideli manifesta fiant.

ET ITA CADENS IN FACIEM ADORABIT DEUM.

Id est, tota cordis & corporis humilitate verum Deum agnoscet, sibique deinceps colendum statuet. Hoc propriè dictum videtur de infideli. Quamquam & idiota jam fidelis rectè dicitur adoraturus Deum, quatenus per ea quæ audit, magis in religione veri Dei confirmatur.

PRONUNCIANS QUOD VERE DEUS IN VOBIS SIT. *Pronuncians*, Græcè ἀπαγγέλλων, vel ut in nonnullis, ἀναγγέλλων, eadem significatione, id est, *renuncians* aut *denuncians*: id verò est *profitens*, palam affirmans & testificans. Plerique sic exponunt; apertè confitens Deum Christianorum esse verum Deum; quomodo legimus *Daniel.* 2. Nabuchodonosor Regem audita somnii sui relatione ac interpretatione, cecidisse in faciem, & ad Danielem dixisse, *Verè Deus vester Deus eorum est*, &c. Quem locum velut huic persimilem adducunt Primasius, Theophyl. & alii.

Deus in prophetis.

Verùm potest etiam hoc modo non incongruenter exponi: pronuncians quod non à malo spiritu tamquam insani & arreptitii, moveamini ad loquendum, sicut dicere possent, si solùm linguis loquentes vos audirent, sed quod Deus seu Dei Spiritus sit qui vos implet & ad loquendum movet. Quo sensu poëta dixit, *Est Deus in nobis*. Indicat hunc quoque sensum Theophyl. & clariùs explicat Theodoritus. Unde & colligunt Spiritum sanctum esse Deum: quod & ante eos ex hoc loco collegit Ambros. *lib.* 3. *de Spiritu sancto, cap.* 19.

Spiritū sanctum esse Deum.

26. QUID ERGO EST FRATRES? Hoc est, Quid igitur facto opus est? Transit Apostolus hac interrogatione ad instruendos Corinthios, quo modo & ordine donis à Deo acceptis uti debeant in conventu publico: ut & fructus sequatur; & confusio vitetur. Ac primùm generaliter præcipit ut omnia faciant ad ædificationem.

CUM CONVENITIS, UNUSQUISQUE VESTRUM PSALMUM HABET. Non sentit omnes fideles habere hæc omnia, quæ deinceps enumerat; quomodo Cajetan. intellexit, exponens unumquemque omnia habere in communi: sed præter mentem Apostoli. Neque rursus significat, unumquemque aliquid istorum habere quæ hîc enumerantur. Erant enim inter fideles qui nullum hujusmodi donum haberent. Sed *sensus est:* Quando convenitis ad res divinas; alii aliis donis instructi estis, & ea in medium promere parati. Nam verbi gratia, alius habet psalmum, id est, canticum aliquod spirituale quo Deum laudet. Ad hoc enim quidam peculiariter inspirabantur; de quo dono *supra vers.* 15. Syrus paraphrastes contextum exponit & supplet hoc modo: *Cuicumque ex vobis est psalmus, loquatur*: addito scilicet verbo, quod in singulis etiam membris sequentibus repetendum relinquit: tametsi revera textus Apostoli non eget hoc supplemento.

Quid Psalmus.

DOCTRINAM HABET, APOCALYPSIN HABET. *Apocalypsin*, id est, *revelationem*, ut suprà *vers.* 6. ubi similiter nominavit revelationem & doctrinam. Ex cujus loci commentario potest intelligi, quam hoc loco vocet doctrinam, & quam apocalypsin, seu revelationem: & cur nec scientiæ, nec prophetiæ faciat mentionem, quas illic expressit. Nam doctrina sermo scientiæ est, ideoque scientiam comprehendit: Apocalypsis verò, quæ revelatio est aliorum mysteriorum, comprehendit prophetiam, tamquam sermonem sapientiæ per quem enuncianda est.

Quid doctrina & quid Apocalypsis.

Hoc igitur est quod dicit: Alius in promptu habet ex Dei inspiratione, quod doceat, ex humanis rationibus suasurus ea quæ divina sunt: Alius verò quispiam accepta de secretis mysteriis aut scripturæ sensibus revelatione, paratus est in medium proferre quod accepit. Scribit Hieronymus super illud Gal. 1. *per revelationem Jesu Christi*, verbum ἀποκαλύψεως, esse peculiare scripturæ sacræ: excogitatum à LXX. interpretibus. Porrò visum fuit interpreti nostro retinere Græcum vocabulum hoc loco, quemadmodum & initio libri Apocalypsis; quod alibi semper Latinè reddit *revelationem*.

Apocalypsis vocabulum peculiare scripturæ sacræ.

LINGUAM HABET, INTERPRETATIONEM HABET. Græca quæ nunc sunt in manibus, linguam mediam collocant inter doctrinam & apocalypsin. Sed nostræ lectionis ordini suffragantur Græcorum commentarii, nominatim Theophylacti & Oecumenii. Nam Chrysostomus & Theodoritus quomodo legerint, ex eorum sermone percipi non potest. Annuit etiam nobis interpretatio Syriaca. Estque procul dubio congruentior hic ordo. Nam doctrinam & Apocalypsin quare conjunxerit Apostolus, facilè patet ex dictis. Lingua quoque non debuit divelli ab interpretatione; siquidem, & *cap.* 12. semel iterumque, linguis proximè subjuncta fuit interpretatio. Sensus igitur est: Alius ex dono paratus est loqui peregrina lingua; alius verò donum habet quo linguas interpretetur.

OMNIA AD ÆDIFICATIONEM FIANT. *Ad ædificationem*, id est, ad promovendam ecclesiam Christi, & singula ejus membra, in vita spirituali. Nam ut dictum est supra cap. 12. *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*. Potest autem hæc pars jungi cum illa præcedente, *cum convenitis*, hoc sensu: Quandocumque convenitis, omnia quæ in conventu agitis, ad ædificationem facite. Itaque cætera accipi poterunt ut interjecta per parenthesin, ad declarandam varietatem eorum quæ in conventu fiebant. Quamquam non ea sola quæ fiunt in publicis conventibus, ad ædificationem fieri debent, sed & quæ alibi. Charitatis enim studium est, ubique ædificare, quatenus est ædificandi materia. Nam & si alius non est quem ædifices, teipsum ædifica.

Omnia ad ædificationē agenda.

Charitatis studium est ubique ædificare.

27. SIVE LINGUA QUIS LOQUITUR. Post generale præceptum, nunc speciatim docet ac præscribit quomodo linguarum dono sit in conventu publico utendum: deinde quomodo utendum dono prophetiæ. Quod si, inquit, lingua quis loquitur, unus aut plures: Sequitur.

Linguarum dono quomodo utendum.

SECUNDUM DUOS, AUT UT MULTUM TRES. Interpres Græcismum retinuit in reddenda præpositione κατὰ, & *multum* dixit quod Græcè est πλεῖστον, *plurimum*. Latinè sic efferas, *duo aut ad summum tres loquantur*; scilicet in uno conventu. Erasmus, *Fiat per binos, aut ad summum ternos.*

ET PER PARTES. Id est, quisque seorsum: id enim significat phrasis Græca ἀνὰ μέρος: quam Syrus Hebraismo reddit: *unus, unus*. Vult Apostolus, ut si plures quam unus locuturi sint linguis, id faciant vicissim, non simul.

ET UNUS INTERPRETETUR. Hoc est unus aliquis interpretandi dono præditus, statim interpretetur quod alius lingua peregrina dixerit: videlicet ne fructu careat hujusmodi sermo à nemine intellectus.

28. SI AUTEM NON FUERIT INTERPRES; TACEAT IN ECCLESIA. Quod si, inquit, nullus adsit qui possit interpretari; publicè in ecclesia non loquatur is qui donum linguæ habet. Neque enim debet eo dono uti inutiliter & absque ædificatione. Rursus hinc clarè liquet (uti diligenter annotat Cajetanus) dono linguarum non semper fuisse conjunctam intelligentiam. Nam alioqui non debuisset Apostolus de interprete esse sollicitus: quandoquidem ipse qui loquebatur, si verba sua intelligebat, interpretari ea poterat lingua vulgari.

Dono linguarum non semper adjuncta intelligentia.

SIBI AUTEM LOQUATUR ET DEO. Tacitus & in corde loquatur sibi ipsi: id est, ad suam privatam ædificationem; quia jam alios ædificare non potest. Item loquatur Deo; quamvis non mente & intelligentia, spiritu tamen & pio affectu, quo ad orandum aut laudandum Deum movetur; quem

Quid sibi, & quid Deo loqui.

utique affectum Deus, qui dedit, inspicit. Quod si faciat, non erit ei prorsus inutile donum hoc, etiamsi interprete destituatur. Similia dixit Apostolus hujus capitis initio. Quod enim hîc ait, *sibi loquatur*, ibi dixit, *qui loquitur lingua, semetipsum ædificat*. Et quod hic, *Deo loquatur*; ibi dictum; *Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo*. Quare & ex hoc patet, orationem non intellectam, ei qui orant, haud quaquam inutilem esse: quamvis per eam ecclesia non ædificetur. Ob quam causam hîc tamdem expressè præcipit, quod anteà nondum dixerat; talis si desit interpres, taceat in ecclesia. Sequitur de usu doni prophetiæ.

Non inutiles preces non intellectæ.

29. PROPHETÆ AUTEM DUO AUT TRES DICANT. Græcè, *loquantur*. Et hoc intellige, non simul, sed vicissim; uti mox docebit. Non addit hoc loco, *ut plurimum*, quod de loquentibus lingua dixerat: quia prophetiæ donum utilius ecclesiæ; ideoque numerus prophetantium non pari lege restringendus. Sanè ex sequentibus apparet Apostolum permittere majorem numerum, si sic usus ferat.

Dono prophetiæ quomodo utendum.

ET CÆTERI DIJUDICENT. *Cæteri*, Græcè οἱ ἄλλοι, *alii*, quod idem est. Sensus: quamvis fortè multi sint in ecclesia vestra prophetæ; tamen satis erit si duo aut tres in uno conventu loquantur. Aliorum verò officium erit dijudicare, id est, examinare & probare, num vera & sana sint quæ dicuntur à loquentibus. Non ergo cæteros intelligit omnes auditores, aut reliquum cœtum, uti volunt sectarii, quo doceant ad unumquemque fidelem spectare judicandi potestatem de doctrina religionis: sed de solis loquitur prophetis; (id quod series sermonis satis ostendit) ac de iis maximè quibus etiam donum discretionis spirituum non deesset. Qui tamen ipsi non judicabant potestate, ut in ecclesia faciunt episcopi; sed scientia & discretione, tamquam doctrina pariter & discretionis gratia præditi: quo sensu dictum est suprà *cap.* 2. spiritualem omnia judicare.

Obs. contra Sectarios, non ad omnes spectari potestatem judicandi de rebus fidei. Aliud judiciū potestatis, aliud sciētiæ & discretionis.

Similis est locus & similiter exponendus. 1. Thess. 5. *Prophetias nolite spernere: omnia probate*. Nam contingebat ut aliqui non à spiritu divino, quemadmodum veri prophetæ, sed vel à spiritu mendacii, id est, à dæmone, sicut vates ethnici, vel certè à proprio spiritu moverentur ad proferenda quædam nova. Quare ne fideles fallerentur, opus erat examine ac dijudicatione.

30. QUOD SI ALII REVELATUM FUERIT SEDENTI, PRIOR TACEAT. Impersonaliter dixit *revelatum fuerit*, id est, revelatio facta fuerit. Sedentem autem vocat existentem in numero auditorum. Mos enim erat, ut audientes sederent, loquentes starent. Quod & hodie ferè servatur in ecclesiæ conventibus. Prætereà cum Cajetano *notandum*, duos ab Apostolo insinuari modos prophetandi: alterum velut ordinariè prophetantium, id est, eorum qui ad conventum venirent instructi ex prævia Dei inspiratione: de quibus præcipit Apostolus, ut *duo aut tres dicant*: alterum eorum qui in ipso conventu nova revelatione ad prophetandum movebantur. Ac de tali nunc loquitur. De priore genere rectè acceperis illud quod antè dixit, *apocalypsin habet*.

Mos vetus, ut audientes sedeant, loquētes stent. Duo modi prophetandi a Paulo insinuati.

Porro quod Apostolus dicit, hujusmodi est: Si prophetante aliquo repentè fiat manus Domini super alium prophetam sedentem inter auditores, fiatque ei revelatio; *prior taceat*, id est, is qui jam loquebatur, cedat illi qui novam ex tempore revelationem accepit: detque ei locum dicendi. Spiritus enim hoc extraordinario modo suggerens alteri revelationem, velle videtur, ut ille statim & sine dilatione audiatur. Locum hunc de prophetis, Beatus Cyprianus *in epist. 71. quæ est ad Quintum*, accommodat ad episcopos. Recitatis enim his Pauli verbis, *Prophetæ duo aut tres loquantur, & cæteri examinent; Si autem alii revelatum fuerit sedenti, ille prior taceat*: ita subjungit de episcopis agens; *Qua in parte docuit & ostendit multa singulis in melius revelari: & debere unumquemque, non pro eo quod semel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi: sed si quid melius & utilius exstiterit libenter amplecti*. Refert & laudat Augustin. *lib. 2. de Baptis.* contra Donatistas *cap.* 8.

Notanda B. Cypriani sententia.

31. POTESTIS ENIM OMNES PER SINGULOS PROPHETARE. Non omnes fideles; quia jam dixerat, cap. 12. *Numquid omnes prophetæ?* sed omnes prophetiæ donum habentes, ut sensus sit: Quamvis ex spiritu prophetico loquamini, mirari tamen non debetis quòd jubeam priorem tacere, & loquendi vices alteri concedere. Nam in potestate vestra est eum servare ordinem, ut singulatim alius post alium, etiam omnes prophetetis. Certè in eo quod dicit *omnes*, permittere videtur ut aliquando plures tribus in uno conventu prophetent.

UT OMNES DISCANT, ET OMNES EXHORTENTUR. *Exhortentur*, Græcè παρακαλῶνται, quod etiam verti potest, *consolentur*; idque Erasmus interpretatur passivè, *consolationem accipiant*. Sed magis huic loco quadrat exhortationis significatio. Nam & supra versu 3. hujus capitis distinxit Apostolus exhortationem, Græcè παράκλησιν, à consolatione, quam vocavit παραμυθίαν. Jam illud, *exhortentur*, tam Græcè quàm Latinè medium verbum est, ut tam activè quàm passivè exponi posse videatur.

Exhortentur, activè, an passivè exponendum.

Si capiatur activè, quomodo ferè Latini exponunt, ut Sedulius, Haimo, Lombardus, aliique glossam interlinealem secuti; *sensus erit*: Ita fiet ut omnes prophetæ discant, dum omnes audiunt alios, etiam ille qui loquebatur, utpote dans locum alteri, seque collocans inter sedentes: & ut omnes doceant atque exhortationis verba proferant, dum singuli, nemine excepto, permittuntur loqui. Nam exhortandi officium ad prophetas pertinere, constat ex initio capitis. Sensus hic perspicuus est: quo significantur duo commoda proventura ex eo quod omnes prophetæ vices suas ad loquendum habeant. Nam si unus solus loqueretur, is tantùm doctor esset, non etiam auditor: & proinde non omnes discerent. At si plures quidem loquerentur, sed non omnes; jam incommodum sequeretur, quod nom omnes paratam habentes prophetiam, quam proferant ad ædificationem & exhortationem, audirentur.

Si verò passivè sumatur exhortari, hic erit *sensus*: Quod si non unus tantum propheta: sed plures, aut etiam omnes ordine loquantur in conventu: futurum est ut iidem omnes etiam discant & exhortationem accipiant, dum nullus eorum est qui non etiam auditor fiat. Dico eosdem omnes, scilicet prophetas. Nam *omnes*, ad prophetas refertur, ut prius: non ad auditores in genere; ut quidam volunt. Sive enim unus propheta loquatur, sive plures: discere, & exhortationem accipere cæteris auditoribus omnibus est commune.

Sensus hic Græcorum est, & inter Latinos Hervæi, ac neotericorum qui Græcos sequuntur: idemque priori, quantum arbitror, necessariò præferendus. Nam etsi Græcum verbum genere medium sit; significatione tamen non nisi passivum est. Neque enim reperio, præsertim in sacris literis, ubi sumatur activè.

Passiva expositio melior.

Porrò conjungit Apostolus hæc duo discere & exhortationem accipere; significare volens eos dupliciter proficere, & intellectu & affectu. Nam discere ad intellectum pertinet: exhortatio affectum excitat. Unde & dona distincta erant docere & exhortari, Rom. 12. *Qui docet, in doctrina; qui exhortatur, in exhortando*. Ostendit autem hic locus, nullum esse doctorem in Ecclesia tam perfectum, cui non sit opus

Discere & exhortari quare ab Apostolo conjuncta. Nullus doctor in ecclesia, cui non sit opus alios audire.

opus alios audire; quorum vel doctrina proficiat, vel monitis ad officium stimuletur.

Dubia lectio subjecti sunt, an subjectus est.

32. ET SPIRITUS PROPHETARUM PROPHETIS SUBJECTI SUNT. *Et*, pro nam, etenim, positum videtur. Intendit enim probare aliquid dictorum. Id autem quod sit, infrà declarabimus. Pro *subjecti sunt*, in quibusdam codicibus, suffragante Syriaca versione, legitur numero singulari, *subjectus est*: eamque lectionem exponunt commentator Ambr. Pelagius, Sedulius, Hervæus, & alii nonnulli posteriores. Sed pluralem, *subjecti sunt*, exhibent optimi quique codices mss. & veteres concordantiæ: exponit autem utraque glossa: nec non Primasius, Haimo, (qui tamen etiam prioris meminit lectionis) Lombardus, Aquinas, Carthusianus, ac ferè recentiores. Legit etiam ad hunc modum Hieronymus in prologo commentariorum super Isaiam.

Et ut ad Græcos transeam, Origenes super illud Roman. 8. *Nosipsi primitias spiritus habentes*, pluraliter legit, & numerum expendit. Theodoritum quoque πνευματα legisse, patet ex ejus commentario. Cæteri verò Græci utrum legerint, ex iis quæ commentantur, haud liquet: ac magis suspicio est, eos singularem numerum legisse. Græci quidem codices constanter habent πνευματα: sed existimat Catharinus *falsatos esse ab iis qui metuebant à tropo, si diceretur spiritus qui est Deus, subjici prophetis*. Vero fortasse propius, olim variasse codices, occasione verbi quod singulare est; ut quidam propterea nomen etiam singulare scribere maluerint, ablata syllaba τα: quamquam constat Græcam syntaxin id non requirere.

Sed non multum refert, utrum legas: quum facile sit utramque lectionem ad eumdem sensum coaptare. Jam etsi præsentis temporis verbum sit ὑποτάσσεται: quod proinde Erasmus & alii quidam vertunt *subjiciuntur*: usitatiùs tamen ac meliùs Latinè redditur per participium, seu malis nomen, & verbum substantivum, *subjecti sunt*, aut *subditi sunt*. Sic enim etiam Erasmus æque ac noster interpres alibi vertunt, ut *Rom.* 13. *v.* 1. *Ephes.* 5. *v.* 22. & 24. & *Coloss.* 3. *v.* 18.

Spiritus prophetarum hoc loco qui dicantur.

Porrò spiritus prophetarum nonnulli interpretantur ipsum Spiritum sanctum prophetas inspirantem, ut author glossæ ordinariæ: complures dona prophetica: alii impetum propheticum. Certè Spiritui sancto qui Deus est, & unus idemque cum sit, dividit singulis prout vult: ut dictum est suprà capit. 12. parum aptè convenit vocabulum pluralis numeri; multoque minùs, ut subjectus prophetis esse dicatur. Sed ipsa dona prophetica rectè dicuntur prophetis subjici, sive quoad usum & actionem prophetandi, sive quoad horum dijudicationem: juxta diversas hujus loci interpretationes. Nam dona Spiritus sancti nomine spirituum etiam suprà significata sunt, ubi dixit, *quoniam æmulatores estis spirituum*. Potest item eo nomine intelligi impetus sive instinctus ille divinus, quo propheta commovetur, ut vel loquendo vel scribendo proferat id quod sibi revelatum est. Ad hoc enim illuminatur, ut illuminet alios.

Prophetæ illuminantur ut illuminent alios.

Duplex hujus loci expositio.

Porrò locus iste dupliciter exponitur: aliis subjectionem, cujus hîc est mentio, referentibus ad eosdem prophetas, aliis ad diversos. Qui ad eosdem referunt, in hunc ferè sensum exponunt: Donum prophetiæ quoad usum & actum enuntiandi revelata; nec non impetus ille prophetam incitans ad loquendum, in ipsius est prophetæ potestate: ut possit se cohibere & tacere, & commodum loquendi tempus expectare; *sciens tempus tacendi & tempus loquendi*, Eccles. 3. Non quidem in potestate prophetæ est illustrari divinitus: sicut in potestate est viri docti contemplari de his quæ novit. Nam, ut ait S. Thomas, *Prophetia donum non est habitus sicut scientia, sed vis quædam aut impressio quo Deus tangit & illuminat corda prophetarum*. Hoc igitur à sola dependet Dei voluntate revelantis mysteria.

Prophetiæ donum non est habitus manens, sed impressio transiens.

Sed in potestate prophetæ est acceptam à Deo revelationem, aut statim manifestare aliis, aut manifestandam in tempus differre, aut omninò celare, non obstante impetu vel instinctu interiore, quo ad manifestandum incitatur. Est enim hic instinctus instar affirmativi præcepti, cui sit obsequendum, non statim, sed primo quoque tempore opportuno. Nam celare posse prophetas revelatum sibi verbum Dei, liquet ex facto Jonæ prophetæ: qui missus ad prædicandam eversionem Ninives, fugit à facie Domini, donec secundam acciperet jussionem, *Jonæ* 1. & 3. Unde & apud Jeremiam *cap.* 23. increpantur quidam prophetæ celantes verbum Domini quod habebant: *Qui habet sermonem meum*, ait Dominus, *loquatur sermonem meum verè*. Quod autem in tempus differre possint manifestationem, satis docent exempla sanctorum prophetarum, qui tempus expectabant opportunum referendi ad populum verbi Dei. Atque ea res discernebat veri Dei prophetas à vatibus falsorum deorum; qui furore quodam extra se rapti, nec intelligebant, nec tacere poterant ea quæ dicenda malus dæmon ingerebat.

In potestate prophetæ est eloqui aut tacere.

Discrimen inter prophetas Dei & vates dæmonum.

Tradunt hanc quam diximus expositionem plerique Latini interpretes, Lombardus, Hervæus, S. Thomas, aliique posteriores: Græci quoque, Theophyl. & Oecum. & ante eos Origenes atque Hieron. *locis suprà cit.* Et secundùm eam probat hac parte Paulus illud quod dixit, *Prior taceat: potestis enim omnes*, &c. ne quis putaret ideo prophetis non esse præscribendum ordinem loquendi & tacendi, quia spiritum propheticum, quo ad loquendum moventur, cohibere non possent, more vatum in quibus loquuntur dæmones.

Montanistarum hæresis de prophetis antiquis.

Utuntur interdum hoc Pauli testimonio Patres adversus Montanistas, qui inter alia docuerunt veteris testamenti prophetas arreptitios fuisse, nec sui compotes, quando prophetizabant: utpote in ecstasi & amentia positos, ut loquitur Tertullianus ad hæresin Montanistarum delapsus. Quales nimirum ipsorum erant prophetæ, Montanus ipse, Prisca & Maximilla. Quod eorum dogma catholica ecclesia semper ut falsum & perversum damnavit. Refellit autem copiosè & doctè Epiphanius in *hæresi* 48. quæ est Montanistarum.

Exceptio Lirani de Balaam non vera.

Nec vera est exceptio, quam adfert Liranus, de propheta Balaam: quem dicit contra voluntatem suam fuisse motum à spiritu ad loquendum, ita ut tacere non posset. *Hoc enim*, inquit, *erat ad gloriam Dei*: sed fallitur. Cum enim Balaam dicit ac repetit, *Num. 22. & 23.* se non aliud loqui posse, quàm quod Deus posuisset in ore ipsius: non sentit se ad prophetandum aliqua necessitate compelli, cui per suam voluntatem resistere non posset; sed necessitatem præcepti significat, cui refragari non audebat, ne gravissimam adversum se vindictam Dei provocaret. Unde dicebat, *Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus?* ac si diceret: præceptum ejus necessitatem mihi imponit loquendi ea tantùm, quæ ille mihi inspirat. Aliud facere sine periculo meo non possum. Ita Petrus & Joannes Actor. 4. *Non enim possumus*, inquiunt, *quæ vidimus & audivimus, non loqui.*

Obs. contra Hæreticos pro libertate arbitrii.

Porrò quod hîc de prophetis dicitur, idem & de aliis similiter intellige, quicumque ex dono Spiritus sancti quippiam agunt: nempe donum sive impetum quo ad agendum moventur, esse eis subjectum, ut possint non agere. Hinc & iis qui linguis loquebantur, jam antè præcepit Apostolus, ut certo ordine id faciant, & si desit interpres, taceant.

Ex ea autem doctrina rectè contra hæreticos ostenditur, voluntatem hominis ad agendum &

An auxilium ſpeciale Dei ſit in poteſtate liberi noſtri arbitrii.

non agendum liberam eſſe. Neque tamen hujus doctrinæ ſenſus eſt operationem Dei ſubjectam eſſe operationi hominis : quomodo quidam imaginantur auxilium gratiæ Dei in nobis operantis, eſſe in poteſtate liberi noſtri arbitrii : quod negant patres adverſus Pelagium diſputantes, Hieron. *in epiſt. ad Cteſiphon. cap. 3.* Auguſt. *libro de geſtis Pelagii cap.* 14. 17. & 35. & Proſper. *in carmine de ingratis, cap.* 15. & 34. Sed ſenſus eſt : Illud habituale quod eſt in homine, velut ſcientiam, ſapientiam, donum linguarum, inſtinctum agendi quippiam ſive naturalem ſive ſupernaturalem, ita eſſe in hominis poteſtate, ut eo uti poſſit & non uti : qualis eſt etiam occultorum notitia menti prophetæ divinitus impreſſa : non autem auxilium Dei ſpeciale, id eſt, ipſa Dei operatio, qua voluntatem efficaciter movet, liberam in ea bonam ſibique gratam actionem producens.

Habitus ſunt in poteſtate noſtra, non Dei in nobis operatio.

Quid auxiliũ ſpeciale.

Jam qui in verbis Apoſtoli non eoſdem, ſed diverſos prophetas ſignificari putant, ſenſum hunc reddunt : Spiritus prophetarum ſubjecti ſunt aliis prophetis, id eſt, aliorum prophetarum judicio : ut reſpiciatur ad illud quod antè dixerat. *& cæteri dijudicent*: ſitque hæc pars illius declaratio. Nam ſi voluiſſet Apoſtolus eoſdem intelligi, potiùs dixiſſet, Spiritus prophetarum ſubjecti ſunt eis : quomodo loquitur Dominus, Matth. 10. *Princeps gentium dominantur eis.* Ac ſanè videtur Apoſtolus aliquid peculiare velle dicere de prophetis, quod ad eos qui linguis loquebantur, non pertinere. Alioqui generalem attuliſſet de utriuſque ſententiam, ſpiritus eorum eis ſubjectos eſſe : præſertim quia confuſio magis naſcebatur ab iis qui loquebantur linguis, quàm à prophetantibus. Atqui non id facit. Imò verò in tota hac adhortatione ſupponit eos omnes qui donum vel linguarum vel prophetiæ habebant, poſſe tacere, tempuſque ad loquendum opportunum expectare. Id quod etiam experientia notum erat.

Alius ſenſus præſentis loci.

Spiritus prophetarum à prophetis dijudicandi.

Cæterùm de prophetis peculiariter dicit, eorum ſpiritus eſſe prophetis ſubjectos, id eſt, ab aliis prophetis dijudicandos : quod de iis qui donum linguarum habebant, conſimiliter dici non poterat. Nam qui illo ſolo dono potiebantur, idonei non erant qui judicarent de aliis ſimile donum habentibus : ſed de illis, hoc eſt, de ſermone eorum, judicare poterant & debebant prophetæ, ſi linguam intelligerent. Quod ſi interpres deeſſet, tacendum illis erit, ut dictum eſt ſuprà.

Huic poſteriori interpretationi favent commentarii veterum, Chryſoſtomi, Theodoriti, Pelagii, nec non Theophylacti priori loco: quos & neoterici quidam ſequuntur ; inter quos Joannes Hofmeiſterus omnium clariſſimè ſenſum hunc explicat ; etſi prioris etiam meminerit. Huc igitur referendæ ſunt ſcripturæ. *Alii diſcretio ſpirituum*, id eſt, dijudicatio ſuprà c. 12. *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*, hoc eſt, dijudicate, 1. Joan. 4. *Prophetias nolite ſpernere*, ſed *omnia probate*, 1. Theſſ. 5.

Montaniſtarum error refellitur.

Quod ad hæreſin attinet Montaniſtarum, ea ſi non hac parte, ſatis tamen & abundè deſtruitur per illa ſuperiora: *Prophetæ duo aut tres dicant: quod ſi alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare.* Nihil enim horum præſtari poterat, ſi prophetæ in ecſtaſi & per amentiam effundebant inſpiratas ſibi revelationes. Quare & Hieron. *in præf. comment. ſuper Habac. prophetam*, Montani dogma refellens, utitur Apoſtoli verbis quæ jam dixi, prætermiſſa ſententia quam nunc tractamus. Rurſus idem in *præfat. comment.* Iſaiæ adverſus eamdem hæreſin pluribus agens, cum & hoc uſurpaſſet Pauli teſtimonium, *Spiritus prophetarum prophetis ſubjecti ſunt* ; continuò ſubjunxit: *Quod ſi cui videtur infirmum, illud ejuſdem Apoſtoli audiat: Prophetæ duo aut tres loquantur*, &c. utique ſubindicans ad probandum quod volebat, in iſto teſtimonio non multum eſſe firmitatis.

33. NON ENIM EST DISSENSIONIS DEUS, SED PACIS. *Diſſenſionis* Græcè ἀκαταστασίας ; quæ dictio propriè confuſionem denotat, hoc eſt, turbatum rerum ordinem, ut in tumultu aut ſeditione. Vox Syriaca tumultum ſignificat. Tertull. *lib.* 4. *contra Marcio. c.* 33. legit *everſionis*, & non malè: quod per ἀκαταστασίαν everſio rerum contingat.

Deus non diſſenſionis Deus, ſed pacis.

Juxta priorem ſenſum partis præcedentis, probatio talis eſt: Deus qui inſpirat & movet prophetas, non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis, id eſt, non vocatur Deus diſſenſionis, tamquam ejus author ; ſed vocatur Deus pacis ; quia nimirum pacis author eſt: ergo non ſic inſpirat & movet prophetas, quin opportunum loquendi tempus expectare poſſint ; & quum opus eſt, à loquendo deſiſtere: quod ad ordinem & pacem eccleſiæ pertinet.

Mos doctorum laudabilis.

At juxta ſenſum poſteriorem hæc erit probatio ; Deus inſpirans prophetas non eſt author confuſionis aut contentionis, ſed pacis : igitur non debent prophetæ pro ſua quiſque ſententia certare, ſed aliorum judicio libenter ac ſponte ſeſe ſubmittere. Quod & doctoribus in more poſitum eſt, ut cùm ſententiam dixerint aut ſcripſerint, adjiciant illud ; ſalvo doctiorum judicio. Deum pacis etiam alibi nominat Apoſtolus : ut *Roman.* 16. *verſ.* 20. & 2. *Cor.* 13. *v.* 11.

Vera hujus loci lectio inveſtigatur.

SICUT ET IN OMNIBUS ECCLESIIS SANCTORUM DOCEO. Græcè & Syriacè tantùm legitur, *Sicut in omnibus eccleſiis ſanctorum.* Quæ lectio in nonnullis etiam Latinis mss. exſtat : eamdemque veteres exhibent concordantiæ. Nec ampliùs legiſſe Pelagium & Primaſium, ſatis arguit eorum expoſitio. Quidam ſuſpicantur illud *doceo* huc aſſcriptum ex aliis locis, ut ex cap. 4. hujus epiſt. *ſicut ubique in omni eccleſia doceo*, vel ex cap. 7. & *ſicut in omnibus eccleſiis doceo.* Quamquam nec ibi Græcè eſt, *doceo*, ſed *ordino*, ſive *conſtituo.* Verumtamen noſtræ lectioni ſuffragantur plures ac ſinceriores codices Latini ; nec non commentator Ambr. & Haimo, reliquique poſteriores, eo ſolùm excepto, quod cum Græcis atque Syris, & particulam omittunt.

Argumentũ ab authoritate eccleſiarum.

Hujus lectionis *ſenſus* obvius eſt : Sicut in omnibus aliis ſanctorum, id eſt, fidelium eccleſiis ad meam curam ſpectantibus, doceo : ſcilicet Deum non eſſe diſſenſionis Deum, ſed pacis : & per hoc omnes adhortor ad ſtudium pacis & concordiæ, & ad vitandam in eccleſiis confuſionem.

Secus Aquinas, & ante eum Lombardus, aliique nonnulli : qui partem hanc referunt ad ea quæ ſuperiùs dicta ſunt de ordinato uſu linguarum & prophetiæ : quaſi dicat Apoſtolus. Non vobis ſolis iſta præcipio, ſed & in cæteris eccleſiis eadem doceo. Græcam verò lectionem alii aliter contexunt ac ſupplent.

Plerique præcedentibus adjungunt, vel hoc *ſenſu*; ſicut in omnibus eccleſiis lex pacis obtinet : *vel*, ſicut in omnibus eccleſiis obſervatur quod dixi de uſu donorum ; ita & apud vos fieri convenit, ne ab aliarum eccleſiarum laudabili more diſcrepare videamini. Cæterùm Cajetanus refert ad id quod ſequitur.

MULIERES IN ECCLESIIS TACEANT. Hujus partis connexionem cum ea quæ proximè præcedit ; juxta Græcam ejus lectionem, cum Cajetano ſic explicamus. Quemadmodum *ſuprà cap.* 11. reprehendens Apoſtolus Corinthios ; quod apud eos mulieres non velatæ orarent, allegavit pro authoritate conſuetudinem eccleſiarum Dei ; ita nunc ex more omnium eccleſiarum confirmat quod de ſilentio mulierum præcipit. Quin & author gloſſæ ordinariæ, quamvis Latinam exponat lectionem partis prædictæ ; tamen eam cum hac parte connectit.

Ac certè nonnihil favet textus Græcus & Syriacus, nec non Latinus Ambr. in quibus addito pronomine legitur, *mulieres veſtræ*: tamquam dicat Apoſtolus: Sicut in omnibus eccleſiis ſanctorum, maximè Judæorum qui primi fuerunt in Chriſto; ita & apud vos & in veſtris eccleſiis mulieres taceant. Sermo ſimilis cum eo quo dicit infrà c. 16. *De collectis quæ fiunt in ſanctis; ſicut ordinavi eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.* Ex quo etiam loco conjectura non levis ſumi queat, eoſdem hic quoque ſanctos intelligi, nempe primos illos fideles ex Judæis, qui fide ferventes, à ſuis contribulibus multa adverſa paſſi fuerant: quos appellatione ſanctorum ſpecialiter deſignat Apoſtolus etiam alibi, ut 2. *Cor.* 8. *v.* 4. *&* c. 9. *v.* 1. *&* 12. *&* *Rom.* 15. *v.* 25. 29. *&* 32.

Sancti vocati primi Judæi fideles.

NON ENIM PERMITTITUR EIS LOQUI. Subaudi, in aliis eccleſiis, aut in eccleſiis ſanctorum. Quare nec in veſtris eccleſiis permittere debetis, ut loquantur. Nam Græcè eſt ὐποτέτακται, permiſſum eſt, ſcilicet eccleſiarum conſuetudine, quæ obſtat ne fiat. Hæc locutio mulieribus in eccleſiis prohibita, non comprehendit preces quæ ad Deum fiunt, (tametſi preces earum ſubmiſſæ eſſe debent: quemadmodum oraſſe legimus Annam matrem Samuelis, 1. *Reg.* 1. cujus orantis *vox penitus non audiebatur*) ſed intelligenda eſt de ſermone ad homines; ſive proferatur ad docendum & ædificandum alios; velut loquendo linguis, interpretando, prophetando, pſalmum aut hymnum canendo; ſive ad interrogandum & diſcendum. Nam de doctrina ſic idem Apoſtolus præcipit 1. Tim. 2. *Docere mulieri non permitto.* Unde & hic ſequitur.

Loqui in eccleſia quatenus prohibitum mulieribus.

SED SUBDITAS ESSE. Supplenda ſententia: ſed oportet eas viris ſubditas eſſe. Non enim hoc permiſſionis eſt, ſed præcepti legiſque divinæ. Id enim ſequitur. SICUT ET LEX DICIT. Legem accepit ut ſuprà verſu 21. ſcriptura veteris teſtamenti, quæ lex vocatur, quia verbum Dei eſt. Neque enim reſpicit ad Legem Moſaicam, ſed ad locum ſcripturæ, Geneſ. 3. *Sub viri poteſtate eris.* Ex hoc autem probat mulieres in eccleſia loqui non debere, docendo alios; quod nimirum ſint in ſtatu ſubjectionis, idque ratione ſui ſexus. Ne autem exiſtiment ſibi licitum, loqui ſaltem interrogando de quibus dubitant, id eſt, diſcendi cauſa, non docendi: ſequitur etiam de interrogatione.

Lex Dei ſcriptura ſacra.

Mulieres ratione ſui ſexus ſunt in ſtatu ſubjectionis.

35. SI QUID AUTEM VOLUNT DISCERE; DOMI VIROS SUOS INTERROGENT. Docet ne quidem interrogando mulieres in eccleſia loqui debere; ſed tacendo & auſcultando diſcere: quemadmodum præcipit ad Tim. 1. *epiſt.* 2. ſcribens: *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione.* Cæterùm, inquit, ſi quid adhuc dubitent & diſcere velint; domi viros ſuos interrogent. Ubi obſerva Paulum mittere mulieres diſcere & interrogare volentes, ad viros *ſuos*, ſive ut Græcè eſt, *proprios*: non autem ad viros alienos, etſi fortaſsè doctiores & ad docendum aptiores: ne videlicet occaſionem habeant evagandi, & locum dent ſiniſtris ſuſpicionibus.

Mulieri in eccleſia nec interrogare licitum.

Mulieres domi à viris ſuis docendæ.

Annotat hoc loco Primaſius, viros tam doctos eſſe debere, ut uxores ſuos docere, & de fidei veritate inſtruere poſſint. Sed quid, ſi, ut hodie plerique, indocti ſint viri proprij, ut ad uxorum interrogata reſpondere nequeant? Quid verò facient mulieres quæ viros habent infideles? Breviter *reſpondeo*, quod melius eſt illis ignorare quædam non neceſſaria, quàm ea cum detrimento pudoris, aut cum aliorum ſcandalo diſcere. Cùm enim docere eis in eccleſia non permittatur; non eſt quod adeò magnum ſtudium ponant in diſcendo. Neque tamen vetat Apoſtolus, quin conſulant interdum alios viros, pios ac prudentes, à quibus inſtrui poſſint: dummodo abſit omne periculum & ſuſpicio mali.

Nota.

Quæſtio.

Reſpoñſio.

TURPE EST ENIM MULIERI LOQUI IN ECCLESIA. Græcè & Syriacè *mulieribus*. Quod & Ambr. legit: Pro quo Sedulius *mulieres*. Congerit Apoſtolus argumenta. Primum erat à conſuetudine eccleſiarum: ſecundùm ex lege ſeu verbo Dei: tertium hoc ſumitur à ratione naturali; qua turpe judicatur & inhoneſtum, ſi mulier in eccleſia fidelium, aut in quocumque cœtu publico, quæ generali nomine eſt eccleſia, loquatur. Id enim eſt contra verecundiam illi ſexui naturaliter inditam. Propter quod & advocandi munus lege civili mulieribus interdicitur. Conſequens eſt autem ex præſenti doctrina Pauli, ne prophetiſſæ quidem, aut inſigniter eruditæ mulieri permittendum ut in eccleſia loquatur. Nam utique de prophetis agebat Apoſtolus, quando hoc continuò ſubjecit præceptum de ſilentio mulierum, quaſi diceret. Verumtamen mulieres in eccleſiis loqui non audeant; ne quidem ſi dono prophetiæ præditæ ſint, aut revelationem acceperint. Poſſunt enim tacere, & ea quæ ſpiritus ſuggerit, extra eccleſiam loqui, apud mulieres, aut etiam apud viros, ſalvo pudore & honeſtate.

Argumentum à ratione naturali.

Advocandi munus feminis interdictum.

Mulieri in eccleſia prophetare non licet.

Hîc quæri poſſet, quomodo præſenti doctrinæ Apoſtolicæ, quæ mulier in eccleſia tacere jubetur, non ſit contrarium, quod idem Apoſtolus ſuprà cap. 11. dixit: *Omnis mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum.* Ubi certè videtur mulieri permittere poteſtatem ut orandi, ſic & prophetandi, ac proinde loquendi in eccleſia, modò id faciat velato capite. Sed eam quæſtionem enodatam reperies in illius loci commentario. Atque interim occurrit etiam aliud, quod non abſurdè dici poſſe videatur. Quod ſi enim Apoſtolus tantum ſcripſerit. *Omnis orans mulier non velato capite*, &c. ut illud, *aut prophetans* aſſcriptum fuerit à librario vel oſcitante vel nimium diligente, ex ſimilitudine verſus ſuperioris, in quo dictum erat, *Omnis vir orans aut prophetans*, &c. Talia numquam in tranſcribendi libris contigiſſe, plus ſatis experiuntur, qui in caſtigandis ſcriptis bonorum authorum operam collocant. Sed hæc tantum conjectura eſt, quam aliorum prudentiori judicio ſubmitto.

Quæſtio.

Reſponſio. Conjectura non improbabilis.

Removimus eodem loco objectionem de Anna prophetiſſa cujus evangeliſta Lucas, *cap.* 2. meminit: atque oſtendimus, ſi in templo locuta fuit, quod non liquet, non tamen in eccleſia locutam fuiſſe: quia non in publico conventu fidelium. Non enim quoties puer aliquis in templo præſentandus erat, aut offerendum ſacrificium, aut quid ſimile agendum ſecundùm legem, eccleſia conveniebat; ſed ad hæc ſufficiebat eorum præſentia, ſine quibus actus ejuſmodi cærimonialis peragi non poterat. Sanè quod ad Synagogas attinet, quæ Judæorum erant eccleſiæ, & à quibus honeſtatis formam acceperunt eccleſiæ Gentium: non eſt veriſimile mulieribus, etiamſi prophetiſſæ eſſent, in illis dicendi loquendive poteſtatem factam fuiſſe.

Anna prophetiſſa an locuta fuerit in eccleſia.

Poteſt & illud objici, quod ſuprà dictum eſt hoc eodem capite, *Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis aut idiota*, futurum eſſe ut ille *cadens in terram* adoret Deum, &c. Ex quo conſequens appareat, ad Dei honorem pertinere, ſi omnes etiam mulieres in eccleſia prophetent. Sed *reſpondetur* ea verba Apoſtoli (quod & illic indicatum eſt) intelligi debere ſecundùm doctrinam ſubjectam; in qua duo continentur, alterum ut qui prophetant, ordine id faciant, alterum ut mulier omninò taceat. Quare de ſolis iis quibus in eccleſia loqui licet, accipiendum illud. *Si omnes prophetent.*

Objectio.

Solutio.

Alia objectio eſt de confeſſione peccatorum ſacramentali, quam in eccleſia faciunt etiam mulieres, idque perpetuo eccleſiæ more; non ſolùm referentes preſbyteris ſua peccata, verum etiam interrogantes, ſi quid diſcere volunt, quod conſcientiam attingat. Sed benè reſpondet Cajetanus eas ſive

Alia objectio.

Reſponſio.

confitentes, sive interrogantes, non loqui in ecclesia, id est, in conventu fidelium: ita nimirum ut conventus audiat, & ad ipsum vel propter ipsum locutio fiat; id enim Paulo est loqui in ecclesia. Quocirca nec sanctimoniales in oratoriis suis divinas laudes canentes, loqui in ecclesia dicendæ sunt, quia non est ibi fidelis populi conventus, qualem hîc Apostolus ecclesiam vocat.

Moniales canentes in oratoriis, nō loquuntur in ecclesia.

Porrò si quid alicubi indecenter aut inhonestè fit in ecclesia, quale est mulierculas, sive sacratas, sive laicas (nam utrumque factum novimus) ministrare sacrificio Missæ, viro aut puero, qui id faciat, non comparente: nos malarum consuetudinum nolumus esse patroni; sed vehementer optamus, ut hujusmodi deformitatibus omninò sublatis, sicubi adhuc reliquæ sunt, ecclesia decori suo pristino restituatur.

Mulieres inservire missæ non est ferendum.

36. An a vobis verbum Dei processit? Græcè ἐξῆλθεν, *exivit*. Et sensus est: An vobis primi credidistis, à quibus ad omnes alios evengelica doctrina propagata sit? minimè. Nam primi credentes fuerunt Judæi, & ab illis verbum Dei processit ad alios; juxta vaticinium Isaiæ cap. 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Proinde Judæorum ecclesias in supradictis imitari debetis: non ipsi novas in ecclesiam introducere consuetudines. Ostendit hic locus, ubi de doctrina aut consuetudine quæstio in ecclesia suscitatur, ad antiquitatem respiciendum esse, quid Apostoli, quid primi fideles, quid eorum ordine successores docuerint atque tradiderint.

A Judæis verbum Dei processit ad Gentes.

Obs. contra novatores, ad antiquitatem respiciēdum in negotio doctrinæ & consuetudinis.

Aut in vos solos pervenit? *Aut* Græcè ἢ an, ut priùs. *In vos*, εἰς ὑμᾶς, *ad vos*. *Pervenit* κατήντησεν, Erasmus, *incidit*. Rectiùs Augustinus in speculo, *devenit*: quomodo vertit etiam noster interpres, *Act.* 18. *v.* 19. Sensus: An vos soli credidistis? Tale igitur est quod dicit: Neque primi, neque soli estis Christiani. Vestra ecclesia nec prima est nec sola. Debetis ergo priores imitari, & aliis ecclesiis vos conformare. Utitur autem erotematis, quæ vim & acrimoniam addunt orationi; propter contradictores quosdam & refractarios, opinione sapientiæ tumidos, ut eorum fastum deprimat, & cogat acquiescere iis quæ præcipit.

Erotematis cur utatur Apostolus.

37. Si quis videtur propheta esse aut spiritualis. *Si quis*, inquit,, eminet inter vos & habetur tamquam excellens propheta aut homo spiritualis. *Videri*, pro eo quod est esse in precio, Græca phrasis est: quam etiam Gal. 2. usurpat dicens: *Seorsim autem iis qui videbantur.* Alioqui non dubitabat Apostolus, quin aliquis esset in ecclesia Corinthiorum propheta aut spiritualis.

Videri, id est, esse in pretio.

Potest etiam hic sensus reddi: Si quis sibi videtur propheta aut spiritualis: quemadmodum suprà c. 3. *Si quis* sibi *videtur inter vos sapiens esse*, & c. 8. *Si quis se existimat scire aliquid.* Spiritualem vocat quem suprà c. 2. modò perfectum, modò spiritualem, id est, eum *qui pro consuetudine exercitatos habet sensus ad discretionem boni & mali*; quomodo perfectum definit Heb. 5. Quamvis autem ordinariè omnis propheta sit etiam spiritualis: non tamen è diverso omnis spiritualis est propheta; idcircò post prophetam, etiam spiritualem nominavit Apostolus: ac si diceret, Si quis apud vos videatur esse propheta, aut omninò spiritualis. Sequitur.

Spiritualis quis Apostolo dicatur. Omnis propheta spiritualis, non contra.

Cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. Legit Augustinus singulari numero, *quia Domini est mandatum*, in epist. 12. *ad Evodium*, & *tract.* 98. *super Joan.* Sic & Primasius & Haimo legisse videntur. Sed pluralem numerum habent tam Græca quàm Syra. Porrò *quia* pro *quod* dixit interpres, ut alias sæpissimè. Nam *sensus* est: Ille propheta aut spiritualis judicet atque agnoscat, ea quæ scribo vobis, esse præcepta Christi Domini: propheta quidem, ex dono prophetico; nam suprà de prophetis dixit, *cæteri dijudicent*: spiritualis autem ex dono sapientiæ, per quod *spiritualis judicat omnia*; ut dictum est *cap.* 2. Hoc igitur argumentum omnium fortissimum, ut ait Theophyl. ultimo loco posuit Apostolus, sumptum videlicet ex authoritate Christi præcipientis: ac si diceret. Hæc per me vobis præcipit Christus: idque veri prophetæ & spirituales ignorare non debent. Mandatum Domini sunt qui intelligant, quod ab ipso Christo legislatore donatum est, sive loquente suis Apostolis, sive revelante: eaque videtur Aquinatis esse sententia. Dicit enim hinc colligi posse, quod *verba Apostolorum sunt ex familiari revelatione Spiritus sancti & Christi, ideoque servanda sicut præcepta Christi.*

Paulus optimum argumentum ultimo loco servavit.

Mandatum Domini duobus modis intelligitur.

Cajetanus verò, & ante eum Liranus, & alij, mandatum Domini extendunt ad ea, quæ etiam mediatè à Christo profecta sunt, congrua nimirum principiis ab illo traditis: ut sunt præcepta apostolorum & ecclesiæ. Estque hoc probabilius. Nam propheta aut spiritualis suo judicio cognoscere non poterat hæc mandata à Christo immediatè esse profecta: poterat autem cognoscere, quod essent Christi doctrinæ consentanea, atque ecclesiæ ejus utilia.

Præcepta Apostolorum & ecclesiæ sunt Domini mandata.

Deinde nec verisimile est, omnia quæ Paulus in hoc capite præcepit eo ordine & honestate servanda in conventibus ecclesiæ, esse tradita à Christo immediatè per sermonem aut revelationem: Sed n. Spiritus sanctus assistebat Apostolis, quemadmodum & assistit ecclesiæ, ut nihil præcipiant, quod non conducat ad eumdem scopum cum præceptis & doctrina Christi. Hinc Apostoli dicebant Act. 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Et Paulus de seipso suprà cap. 7. *Puto quod & ego spiritum Dei habeam.* & 2. Cor. 13. *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?*

Spiritus S. assistens Apostolis & ecclesiæ.

38. Si quis autem ignorat, ignorabitur. In Græco sic legitur, *Si vero quis ignorat, ignoret.* Quæ eadem est lectio textus Syriaci: eamque Græci tractatores, & cum iis Cajetanus exponunt in hunc ferè sensum: Cognoscant prophetæ & spirituales, ea quæ scribo, Domini esse mandata. Si qui verò id ignorant, ne facilè persuadentur, ut illa tamquam Domini mandata recipiant: eos sibi suæque ignorantiæ relinquendos censeo, potiùs quàm ut cum iis longiori sermone concertem. Agnoscat & obtemperet qui volet. Sic & alibi Paulus, ut sup. c. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat.* Et Joannes Apoc. 22. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Atqui nostram lectionem exhibent omnes Latini codices & commentarij: recitatque ad hunc modum Hieron. *super Hosee* 4. nec non August. *duobus locis suprà citatis*: quos & Beda suis inseruit *collectaneis*

Hujus loci duplex lectio.

Quidam suæ ignorantiæ relinquendi.

Sensus autem hujus lectionis est, Si quis non agnoscit hæc esse Domini mandata, nec meis verbis, nec judicio prophetæ aut hominis spiritualis acquiescit, sed mavult ignorare; vicissim ignorabitur à Domino, auditurus illud cum reprobis, *Nescio vos*, id est, Dominus eum non agnoscet pro suo. Idque vult Augustinus *epist.* 102. & ex eo Primasius, cum *ignorabitur*, exponunt *improbabitur*. Dicit eodem loco August. Apostolum his *verbis coercere & ad pacificum ordinem revocare inquietos, tantò ad seditionem faciliores, quantò sibi videbantur spiritu excellere, cùm superbiendo cuncta turbarent.*

Ignoran ignorabitur quo sensu.

Ex hac scriptura sic intellecta, rectè docetur ignorantiam eorum quæ scire oportet, non solùm esse causam peccatorum, verum ipsam quoque in peccatum reputari: quatenus voluntaria sit directè aut indirectè. Quod & aliæ docent scripturæ, ut Psal. 24. *Ignorantias meas ne memineris.* Item Ps. 70. & Jerem. 10. *Effunde iram tuam in Gentes quæ te non noverunt.* Igitur Latinorum lectio graviùs exaggerat peccatum ignorantis, quàm illa Græcorum: quamvis ea fortassè verior sit.

Ignorantia quædam & causa peccati est, & ipsa peccatum.

39. ITAQUE FRATRES, ÆMULAMINI PROPHETARE. Doctrinam totius capitis concludit in summam. Disseruit enim de dono prophetiæ, & de dono linguarum, ea comparans inter se; & de ordinato eorum usu. Hæc tria complectitur epilogo. *Æmulamini prophetare*, Græcè τὸ προφητεύειν, *ipsum prophetare*. Præceptum est ex hypothesi. Quoniam, inquit, æmulatores estis spirituum, id consequi studete quod magis ædificat, id est, donum & actum prophetandi potiùs quàm loqui linguis. Repetitio est exhortationis positæ initio capitis: *Æmulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis.*

Epilogus doctrinæ hujus capitis.

ET LOQUI LINGUIS NOLITE PROHIBERE. *Loqui*, τὸ λαλεῖν. De linguis tamquam de humiliori dono loquitur, non dicens *æmulamini*, sed *nolite prohibere*, id est, ne rejicite tamquam malum aut inutile. Habet enim & illud suam utilitatem, modò quis in tempore utatur. Hoc autem admonet, ne propter ea quæ ad depressionem linguarum dixit, existimet aliquis illud donum abjiciendum.

40. OMNIA AUTEM HONESTE ET SECUNDUM ORDINEM FIANT. *Autem* abest in Græcis. *Honestè*, εὐσχημόνως, quod alii vertunt *decenter*. Ad honestatem & decentiam pertinet, ne mulieres in ecclesia loquantur. Id enim turpe est, ut antè dixit. Ad ordinem, ne quibus loqui licet, plures simul loquantur, sed singuli, alius post alium. In multis codicibus additur *in vobis*, sed in melioribus non legitur: ut nec in Græco & Syriaco, nec apud Ambros. At neque Pelagius, Primasius, Sedulius legisse videntur: tametsi facit ad complementum sententiæ. *In vobis*, id est, in publico vestro conventu. Sequitur hujus epistolæ tomus apud Theodoritum quartus, idemque ultimus.

Honestas & ordo servandus in publicis ecclesiæ conventibus.

CAPUT XV.

NOtum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepistis, in quo & statis, 2. per quod & salvamini: qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis 3. Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas: 4. & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas: 5. & quia visus est Cephæ, & post hæc undecim: 6. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt: 7. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus. 8. Novissimè autem omnium tamquam abortivo, visus est mihi. 9. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei. 10. Gratia autem Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum: 11. Sive enim ego, sive illi; sic prædicamus, & sic credidistis. 12. Si autem Christus prædicatur, quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? 13. Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit. 14. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est fides vestra: 15. Invenimur autem & falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum; quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. 16. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. 17. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. 18. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. 19. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. 20. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium: 21. quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. 22. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. 23. Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. 24. Deinde finis; cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. 25. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. 26. Novissima autem inimica destruetur mors: Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat: 27. Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia. 28. Cum autem subjecta fuerint illa omnia: tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia; ut sit Deus omnia in omnibus. 29. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis? 30. Ut quid & nos periclitamur omni hora? 31. Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro. 32. Si (secundùm hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. 33. Nolite seduci: Corrumpunt mores bonos colloquia prava. 34. Evigilate justi, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor. 35. Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient? 36. Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur. 37. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. 38. Deus autem dat illi corpus sicut vult: & unicuique seminum proprium corpus. 39. Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. 40. Et corpora cælestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cælestium gloria, alia autem terrestrium. 41. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate. 42. Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. 43. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Seminatur in infirmitate, surget in virtute: 44. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Si est corpus animale, est & spiritale, sicut scriptum est. 45. Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. 46. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale; deinde quod spiritale. 47. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis. 48. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. 49. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. 50. Hoc autem dico fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit. 51. Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 52. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. 53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem. 54. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. 55. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? 56. Stimulus autem mortis peccatum est: virtus vero peccati lex. 57. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. 58 Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.

Gal. 1. b. 11. *Isa. 53. b. 5.* *Ioan. 2. a. 2.* *Ioan. 20. c. 19.* *Act. 9. a. 3.* *Ephes. 3. b. 8.* *Col. 1. c. 18.* *Apoc. 1. b. 5.* *1. Thess. 4. b. 15.* *Psal. 109 a. 1.* *Hebr. 1 d. 13. & 10. c. 13.* *Psal. 8. c. 8.* *Hebr. 2. b. 8.* *Isa. 22. c. 3.* *Sap. 2. b. 6.* *Gen. 2. b. 7.* *Ose. 13. d. 14.* *Hebr. 2. d. 14.* *Ioel. 3. a. 5.*

SUMMARIUM.

AB exemplo resurrectionis Christi, multis oculatis testibus, quorum ipse unus, comprobata, fidem resurrectionis mortuorum astruit; quam mox & aliis argumentis confirmat. Ejusdem ordinem, modum & formam tradit, corporum resurgentium qualitates, ac gloriæ differentiam describens; postremò mortem prorsus abolendam concludit.

NOTUM AUTEM VOBIS FACIO, FRATRES, EVANGELIUM QUOD PRÆDICAVI VOBIS. Erant apud Corinthios, qui, etsi Christo nomen dedissent, humanæ tamen philosophiæ plus satis addicti, persuaderi non poterant id quod fides Christiana docet, mortuos aliquando resurrecturos esse. Hoc enim & Philosophis illis Atheniensibus, de quibus Lucas *Actor. 17.* absurdum & incredibile, dignumque risu visum fuit. Unde & de Paulo Christum ipsis annunciante, dicebant: *Novorum dæmoniorum videtur annunciator esse: quia* nimirum *eis Jesum & resurrectionem annunciabat.* Admonitus igitur ea de re Paulus, & mederi volens tanto malo (quantum enim malum sit resurrectionem mortuorum non credere, ipse in progressu declarat) gravi oratione de ea differit hoc toto capite: multipliciter eam probans atque confirmans, modumque ejus exponens.

Mortuorum resurrectio philosophis incredibilis habita.

Ac primùm ne videatur novam adferre doctrinam, statim in ipso exordio declarat ac profitetur,

se non aliud, quàm illud ipsum evangelium quod eis ab initio prædicaverat, quodque ille se prædicante receperant, ad memoriam ipsis revocare.

Evangelium quid.

Nam verbum Græcum γνωρίζω, *scire facio*, per ὑπομιμνήσκω, *reminisci facio* Græci interpretantur. *Prædicavi*, Græcè *evangelizavi*. Est autem evangelium doctrina de Christo salvatore hominibus annunciata. Ad quam pertinet in primis dogma resurrectionis mortuorum.

QUOD ET ACCEPISTIS, IN QUO ET STATIS. *Accepistis*, seu recepistis credendo. *Statis* autem, id est, adhuc permanetis, tametsi non omnes. Nam qui dicebant, *quoniam resurrectio mortuorum non est*, infrà v. 12. ab evangelio sibi tradito & accepto magna parte jam deciderant.

2. PER QUOD ET SALVAMINI. Per quod receptum & creditum etiam salutem consequimini. Dicit autem *salvamini*, in præsenti, quia salus Christianorum quam accipiunt per fidem evangelii, incipit in hac vita, perficitur autem in futura. Quare & præteriti temporis verbo utitur Apostolus interdum, ut Eph. 2. *Gratia estis salvati per fidem*, & Tit. 3. *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit*.

Salus Christianorum incipit in hac vita.

QUA RATIONE PRÆDICAVERIM VOBIS. Rursus hic Græcè est, *evangelizavi vobis*. Et illud *qua ratione*, τίνι λόγῳ, pro quo Erasmus, *quo pacto*. Verti etiam potest, *quo sermone*: quemadmodum Hentenius, & alii quidam verterunt. Nam & in textu Ambr. *sermone* legitur, & in Syriaco *quibusdam verbis*. Versio nostri interpretis hunc sensum postulare videtur: Per quod evangelium salvamini, receptum à vobis & creditum juxta eam rationem & eum intellectum quo illud vobis à me annunciatum est. Hoc additum putant propter eos qui resurrectionem mortuorum credere quidem se fatebantur, sed perversè eam intelligebant: quales erant *Hymenæus & Phylatus, dicentes resurrectionem esse jam factam*, 2. Tim. 2. De altera versione dicemus infrà.

Resurrectio mortuorum à quibusdam pravè intellecta.

SI TENETIS. Græcè κατέχετε, id est *retinetis*, firmiter tenetis, ac si dicat, Si retinetis usque in finem evangelium quod prædicavi vobis, eaque ratione qua prædicavi. Refertur autem ad verbum *salvamini*. Nam salutem non erant adepturi per evangelium susceptum, si non illud ad finem usque retinerent.

NISI FRUSTRA CREDIDISTIS. Id est, alioqui frustra credideritis. Nam nisi retineatis evangelium quod accepistis, non pertingetis ad salutem propter quam credidistis. *Qui* enim *perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit*. Matth. 10. Hæc verborum Apostoli constructio & expositio quam dedimus, accommoda est vulgatæ versioni, secundùm quam legimus, *qua ratione*.

Alia lectio

Quod si verò cum aliis interpretibus quos citavi, legamus, *quo sermone*, (quæ acceptio Græcæ vocis usitatior est Apostolis) poterit hic locus, mediis quibusdam parenthesi comprehensis, ad istum modum ordinari & exponi: Fratres, reddo vos memores; *evangelium quod prædicavi vobis (quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salvamini)* quo seu quali sermone vobis prædicaverim, id est, quibus & quam magnis ac multis argumentis, quibusque testimoniis illud vobis prædicans confirmaverim. Hæc enim sermonem prædicantis fortem reddunt ac irrefragabilem. Et videtur Apostolus loqui de sermone, quomodo de literis ad *Gal.* 6. dicens: *Videte qualibus literis scripsi vobis*, id est, cujusmodi epistola: quemadmodum exponit eum locum Hieronymus.

Ejusdem lectionis sensus.

Id verò quod sequitur, *Si tenetis, nisi frustra credidistis*, tale est, ac si diceret: Ex hac mea rememoratione cognoscere potestis, num adhuc teneatis id quod vobis prædicavi. Nam si non teneris, *frustra credidistis*, hoc est, frustra facti estis Christiani. Nam sine fide resurrectionis mortuorum, reliqua fides inanis est, & ad salutem inutilis. Quod infrà pleniùs declaratur.

3. TRADIDI ENIM VOBIS IN PRIMIS, QUOD ET ACCEPI. Repetit doctrinam quam Corinthiis tradiderat de mortuorum resurrectione. Et hinc intelligitur quo sermone prædicaverit apud eos evangelium resurrectionis; id est, quantis argumentis ac testimoniis suum de resurrectione sermonem apud eos prædicans instruxerit. *Tradidi vobis*, inquit, verbo prædicationis, etsi non scripto: quod ne nunc quidem facerem, si id quod verbo prædicavi, constanter retinuissetis. *Tradidi* verò *in primis*, Græcè ἐν πρώτοις, id est, inter prima ac præcipua evangelii mei capita: *quod & accepi*, scilicet à Christo Domino: quemadmodum expressit *superiùs cap.* 11. de eucharistiæ sacramento locuturus: & quomodo generaliter de suo evangelio dicit Gal. 1. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi*.

Traditio non scripta.

QUONIAM CHRISTUS MORTUUS EST PRO PECCATIS NOSTRIS. Hoc, inquit, in primis tradidi vobis & docui, quod Christus in lege & prophetis promissus, mortem, quæ peccati pœna est, sustinuit, non propter sua peccata, quæ nulla habuit; sed propter nostra, id est, ad redimendas pœnas peccatis nostris debitas. Ostendit hic locus, excepto Christo, nullum hominem expertem esse peccati: quia pro omnibus mortuus est Christus. Et quoniam infantes propriæ actionis peccata non habent, consequens est, eos nasci cum peccato originis.

Excepto Christo nemo peccati expers: ne infans quidem recens.

SECUNDUM SCRIPTURAS. Intellige propheticas & reliquas veteris testamenti. Nam alienè quidam huc asscribunt ex evangeliis & epistola Petri priore testimonia. Referendum est autem hoc, *secundum scripturas*, non ad solam Christi mortem, sed ad totum illud: *mortuus est pro peccatis nostris*. De quo luculenta prophetia est apud Isaiam toto ferè, *cap.* 52. Eamdemque fidem nobis prænunciarunt sacrificia legis.

4. ET QUIA SEPULTUS EST. Sepulturæ meminit: vel ut doceat etiam sepultos resurrecturos: vel ideo potiùs ut declaret veritatem mortis Christi, & ex ea veritatem resurrectionis. Non enim sepelitur nisi qui verè mortuus sit. Pendet autem fides resurrectionis à veritate mortis: quia resurrectio non est, ubi mors non præcessit. Hîc non additur *secundum scripturas*: quia fides sepulturæ Christi supposita morte, non habet difficultatem, nec ab infidelibus oppugnata fuit. Alioquin ex scripturis facilè est eam probare, ut *Isa.* 11. *v.* 10. *& cap.* 53. *vers.* 9. *& Jonæ.* 2. *v* 1.

ET QUIA RESURREXIT TERTIA DIE. Hujus articuli studiosè meminit, eò quòd Christi resurrectio fundamentum sit nostræ resurrectionis: uti posteà docet: ideoque & ad id probandum mox adducit testimonia. *Resurrexit;* Græcè ἐγήγερται, *excitatus est*, scilicet à morte. Similiter in sequentibus. Quod tertia die resurrexerit, secundum evangelia, scrupulum non habet. Sed illud quæri solet, quomodo cum eo non pugnet ipsius prædictio Marc. 8. *quod oporteat filium hominis occidi, & post tres dies resurgere*: ac rursus Matth. 12. quod, *sicuti Jonas in ventre cæti, sic & filius hominis* futurus sit *in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*. Verùm hæc per synecdochen esse dicta, nec aliter à Christi discipulis, & ab ipsis etiam adversariis intellecta, quàm quod tertia die resurrecturus esset, ex collatione diversorum locorum facilè potest intelligi nominatim, *Matth.* 27. *vers.* 63. *& 64. & Luc.* 24. *v.* 21.

Christi resurrectio fundamentum nostræ resurrectionis.

Quæstio de triduo mortis Christi.

Responsio.

SECUNDUM SCRIPTURAS. Hæc particula *secundum scripturas*, etiam à patribus addita fuit in symbolo Constantinop. Additionis ratio manifesta est: quia resurrectio Christi, & consequenter reliquorum mortuorum, creditu perdifficilis est: utpote

Cur additum, secundum scripturas.

ſenſui humano & philoſophiæ naturali in ſpeciem vehementer repugnans: adeò ut & inter ipſos fideles adverſus hunc articulum jam tunc hæreſes exorirentur; vel dicentium, *quoniam reſurrectio mortuorum non eſt*, infrà v. 12. vel eorum qui dicebant *reſurrectionem eſſe jam factam*. 2. Tim. 2. ubi & ipſum Timotheum admonet his verbis, *Memor eſto Dominum Jeſum-Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, ex ſemine David, ſecundum evangelium meum.*

Scripturæ probantes reſurrectionem Chriſti.

Quare ad hunc articulum reſurrectionis Chriſti, ex qua reſurrectio cæterorum dependet, benè ſtabiliendum, opus fuit allegatione ſcripturarum, cujuſmodi ſunt *Pſalm.* 2. & 15. & *Jonæ* 2. quarum primam ad probationem Dominicæ reſurrectionis adduxit Paulus *Actor.* 13. Secundam Petrus *Act.* 2. nec non Paulus *Act.* 13. Tertiam Chriſtus ipſe ſemel & iterùm, ut *Matth.* 12. & 16.

Quò referenda particula ſecundum ſcripturas.

Quamvis autem illud *ſecundum ſcripturas*, referri poſſit ad hoc totum, *reſurrexit tertia die*, (nam tertia die ſe reſurrecturum oſtendit Chriſtus in locis evangelii memoratis, ex figura Jonæ Prophetæ, de quo jam dictum eſt.) Quamvis inſuper referri poſſit etiam ad particulam præcedentem, *ſepultus eſt*, quam ex ſcripturis probari poſſe jam monſtravimus: Attamen videtur Apoſtolus vel ſolùm vel præcipuè propter ipſam reſurrectionem hoc addidiſſe. Nam reſurrectione Chriſti conſtituta, facilè conſtare potuit etiam ex ſolis Apoſtolorum teſtimoniis, quo die facta eſſet.

5. ET QUIA VISUS EST CEPHÆ. Quoniam fides noſtra fundata eſt in doctrina Prophetarum & Apoſtorum; idcircò poſt ſcripturas prophetarum dicit ſe etiam adduxiſſe pro ſuæ doctrinæ confirmatione teſtimonia Apoſtolorum: ut qui fuiſſent oculati teſtes Dominicæ reſurrectionis. Jam enim authoritatem apud fideles obtinuerant Apoſtoli, qui cum Chriſto ante & poſt ejus reſurrectionem fuerant converſati.

Authoritas Apoſtolorū apud fideles.

Apparitiones Chriſti reſuſcitati, quæ recenſitæ à Paulo.

Notandum autem hîc à Paulo recenſeri Chriſti poſt reſurrectionem apparitiones, nec omnes eas, nec ſolas, quas evangeliſtæ commemorant. Non omnes, quia non meminit earum quæ factæ ſunt mulieribus; eò quòd (ut plerique annotant) muliebre teſtimonium in re tam ardua parum ponderis eſſet habiturum apud contradicentes, & ad credendum tardiores. Fortè etiam idcircò, ne facere videretur contra ſuum ipſius præceptum paulò antè datum de ſilentio mulierum in eccleſia; ſi earum teſtimonia velut authentica referret in ſcriptum, publicè in eccleſia legendum.

Muliebre teſtimonium pondus non habet.

Alia apparitio omiſſa.

Sed nec illius meminit apparitionis quæ facta eſt Cleophæ & ſocio ejus euntibus in Emmaus. Non enim erant iſti tantæ authoritatis, ut hîc nominandi viderentur. Deinde nec ſolas illas recenſet. Nam quod Jacobo, quodque ipſimet Paulo Chriſtus apparuerit; in evangeliis omninò non legitur: Quòd quingentis fratribus, non eſt expreſſum. *Primò* autem loco dicit Chriſtum viſum eſſe Cephæ, id eſt, Petro; vel quia Petri tamquam Apoſtolorum principis prima erat authoritas; qui proinde primò nominandus erat: vel quia inter viros primus revera fuerit Petrus, cui Chriſtus à morte redivivus apparuit.

Cur apparitionem Petro factam referat primo loco.

Utraque ratio legitur apud expoſitores tam Græcos, quàm Latinos. Et utramque breviter Oecumenius eſt complexus, dicens: *quod inter viros primùm apparuit Petro tamquam primario duci, venerandi diſcipulorum chori.* Nam quod primùm Petro, colligi poteſt ex eo quod Lucas *cap.* 24. narrat undecim Apoſtolos duobus diſcipulis ex Emmaus, ubi Dominum cognoverant, redeuntibus dixiſſe: *Surrexit Dominus verè & apparuit Simoni*: tamquam dicerent, Non eſt incredibile quod narratis Dominum à vobis viſum & cognitum. Quod quidem veriſimile eſt mane contigiſſe, poſt apparitionem mulieribus factam. Loquitur autem Apoſtolus de apparitione quæ Petro ſingulariter facta fuit. Nam poſteà Petro ſimul cum aliis frequenter apparuit Dominus, uti conſtat ex evangeliis.

ET POST HOC UNDECIM. Græcè εἶτα τοῖς δώδεκα. *Deinde duodecim.* Conſentit in numero Syra verſio. Græcum articulum τοὺς expreſſit textus Ambroſ. qui habet *illis undecim*; nec non Auguſtini citatio, *quæſt.* 117. ſuper Geneſin, quæ habet, *illis duodecim.* Cæterùm utriuſque lectionis Latinè meminit idem Auguſt. *lib.* 3. *de conſen. Evangeliſt. cap. ult.* tametſi putat eam veriorem quæ habet *duodecim.* Id enim à nonnullis mutatum in *undecim*, quod duodenario Apoſtolorum numero Judas jam eſſet ſubtractus. Ejuſdem lectionis ex Auguſtino mentionem faciunt poſt gloſſam ordinariam Lombardus & S. Thom. Sed & Beda utrumque locum Auguſtini in ſua collectanea compegit.

Lectionis varietas in numero.

Laborant autem Græci commentatores in eo quod Paulus dicit *duodecim*: quum Judas proditor ab illo numero jam defeciſſet, nec in eum cooptatus adhuc eſſet Matthias. Certè ipſo reſurrectionis die tantùm decem Apoſtolis apparuit Dominus. Aberat enim Thomas, quo poſt octo dies præſente apparuit undecim; uti patet ex Joannis narratione, *cap.* 20. At de utraque hac apparitione, aut ſaltem de poſteriori præſens locus omninò intelligendus eſt. Adferunt ad hunc nodum ſolvendum Græci reſponſiones quaſdam parum probabiles; quas videre eſt apud Theoph. & Oecum.

Quo ſenſu duodecim Apoſtolis Chriſtus apparuiſſe dicatur.

Vera reſponſio eſt, quam ex S. Auguſtino B. Thomas explicat; majorem numerum, eumque conſuetum & ordinarium ſynechdochicè poſitum eſſe pro minori non ordinario: velut ſi dicas decem viros aliquid ſtatuiſſe, quum fortè unus aut alter abfuiſſet à collegio. Recidit huc ſolutio Cajetani dicentis duodecim hic non eſſe nomen numeri, ſed ordinis Apoſtolici, quem in numero duodenario Chriſtus inſtituerat. Quam ob cauſam etiam Joannes ita loquitur cap. 20. *Thomas unus ex duodecim non erat cum eis.*

Vera reſponſio.

Quod ſi legas, *undecim*, quomodo legit etiam Hieron. *in epiſt. ad Fabiolam*, *manſione ſexta*; dicendum erit undecim vocari, quod Apoſtolorum tunc numerus in undecim conſiſtebat; etiamſi fortè contingeret aliquem abeſſe. Sic enim Marcus & Lucas ſcribunt Chriſtum ipſo die quo reſurrexit, undecim diſcipulis apparuiſſe; quum utique Thoma abſente, decem tantum fuiſſe conſtet.

Quo ſenſu dicatur undecim apparuiſſe.

6. DEINDE VISUS EST PLUSQUAM QUINGENTIS FRATRIBUS SIMUL. *Simul*, Græcè ἐφάπαξ *ſemel*, ſed eodem ſenſu. Fratres vocat fideles. Hæc apparitio vel prætermiſſa eſt ab evangeliſtis, vel potiùs eadem dicenda cum illa quam *Matth. cap.* 28. commemorat factam diſcipulis in monte Galileæ, *ubi conſtituerat illis Jeſus*: ut illos fratres hîc intelligamus, de quibus ibidem Dominus ait mulieribus: *Ite nunciate fratribus meis ut eant in Galilæam. Ibi me videbunt.* Nam quod quidam intelligunt de ea qua diſcipulis apparuit in monte Oliveti, inde aſcenſurus in cœlum: de qua *Luc.* 24. & *Act.* 1. non ſolùm ex eo refellitur, quod duas adhuc poſteriores apparitiones Apoſtolus enumerat, ante aſcenſionem ejus factas: verùm etiam quia tanto numero circa Hieroſolymam congregari Chriſti fideles minimè fuiſſent auſi, propter metum Judæorum.

Quando & ubi Chriſtus uſus quingentis fratribus.

Eamdem verò hanc eſſe apparitionem cum illa, quam in Galilæa factam ſcribit Matthæus, omnium ferè conſenſus eſt: ideoque eam probabili ratione Cajetanus oſtendit, quod illa fuerit generalis ac ſolemnis apparitio, ab ipſo Domino, quemadmodum Evangeliſtæ teſtantur, ante paſſionem, & rurſus ipſo reſurrectionis die promiſſa, *Matth.* 26. & 28.

Generalis ac ſolennis apparitio Chriſti in monte Galileæ.

Marci 14. & 16. Videtur enim Christus locum illum ab Hierosolyma remotum apparitioni suæ designasse, ut ad eum discipuli, seu fideles, quicumque vellent, liberè ac sine periculo congregarentur, Dominum suum qui mortuus fuerat, viventem conspecturi.

Inter quingentos fratres qui cõprehensi.

Nec sanè dubitandum, quin inter hos quingentos fratres, præter undecim Apostolos, quorum expressè Matthæus meminit, etiam fuerint septuaginta discipuli, & in horum numero Matthias & Barsabas: de quibus *Actorum 1.* testatur Petrus, eos ex illis viris fuisse, qui cum Apostolis fuerant conversati toto tempore quo Christus inter eos *intravit & exivit, à baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus fuit* in cœlum: & proinde idoneos esse, qui unà cum Apostolis testes fiant resurrectionis Dominicæ. Quamquam & si extra numerum septuaginta discipulorum fuissent: Petri tamen de his duobus narratio non sinit nos dubitare, quin & ipsi, inter tam multos alios, Christum post resurrectionem viderint.

Matthiæ Christus quando visus.

Hoc specialiter annotandum duxi, propter Græcos, qui de Matthia quæstionem moventes nihil certi statuunt, an & quando Christus illi visus fuerit: magisque verisimile putant visum ab eo fuisse, postquam ascendit in cælum: quemadmodum & Paulo post ascensionem visus fuit. Quod profectò nulla necessitate, ac sine proabbili ratione de Matthia dicitur.

Quorumdã opinio de Christo quingentis fratribus viso post ascensionem. Expenditur significatio vocis. ἐπάνω.

Admonet Chrysostom. & post eum Theophyl. & Oecumen. quosdam adverbium ἐπάνω quod noster interpres dixit *plusquam*, interpretari *desuper*, è superiore loco, id est, cælitus: ut secundum hos facta sit ista Christi apparitio post ascensionem ejus in cælum, ipso desuper in sublimi conspicuum se tot fratribus exhibente: videlicet ad firmandam fidem suæ in cælum assumptionis. Siquidem & alias in scripturis ἐπάνω pro *suprà* accipitur, ut Matth. 5. *Non potest civitas abscondi supra montem posita*, & Luc. 10. *Dedi vobis potestatem calcandi suprà serpentes & scorpiones*, & Joan. 3. *Qui desursum venit, suprà nos est*, & iterùm, *Qui de cælo venit, supra omnes est.*

Nec obstat huic acceptioni scrupulus quem movet Erasmus de casu: quod nimirum ἐπάνω genitivum postulet: ut patet in exemplis allatis: hic verò dativus ei adjungatur, πιν πακοσιοις αδελφοῖς. Non enim ἐπανω præpositio est hoc loco, sed adverbium: regiturque casus sequens à præcedenti verbo ὤφθη, visus est. Nam & alibi capitur adverbialiter, ut Matth. 2. *Usque dum veniens* (stella) *staret suprà ubi erat puer.*

Nota sensum non improbandum.

Quare si quis hujus loci sensum esse putet, Christum quingentis fratribus è loco sublimi visum fuisse; nempe quò faciliùs à tam multis conspiceretur: nihil sentiet improbabile; modò locum sublimem intelligat aëreum; & de tempore loquatur, quod ascensionem Domini præcessit. Nam qui referunt ad Christum jam in cælos sublatum, velut illi quorum opinionem Græcis narrantibus audivimus: rem certè dicunt parum consonam iis quæ Lucas memorat gesta circa Domini ascensionem *Act.* 1. Deinde nec ordinem servant apparitionum, quas Paulus enumerat, quum duæ sequentes, altera quando Jacobo visus est Dominus, altera quando Apostolis omnibus, ante ejus ascensionem contigerint.

Sensus verior.

Verumtamen arbitror retinendam potius esse communem omnium pœnè Græcorum & Latinorum interpretationem, quam & Syriacus textus exhibet, ut adverbium ἐπανω numerum respiciat, non locum: ac si dicat Apostolus, *suprà quam quingentis fratribus*, uti vertit Faber, id est, ampliùs quingentis; quemadmodum & alibi sumitur, ut Marci 14. *Poterat unguentum istud venundari plusquam trecentis denariis*, & apud LXX. sæpissimè, ut passim in Numeris, *à viginti annis & suprà.*

De iis quibus apparuit, res notanda.

Porrò cum tam multis post suam resurrectionem Christus Dominus apparuerit; illud *notandum* est, de nullo eorum auditum aliquando, quod posteà defecerit à fide Christi, dicens sibi cæteriscque vana & phantastica apparitione fuisse illusum, ut esse videretur qui non erat. Nec verò, si qui illorum defecissent, Paulus eos integro numero testes huc adduceret. Quod profectò magnum est argumentum veræ & indubitatæ resurrectionis Christi.

Ex quibus multi manent usque adhuc. *Multi*, Græcè *plures*. Quorum, inquit, major pars adhuc superest, ut ab illis peti possit testimonium. Alii comparativum per positivum exponunt, *plures*, id est, multi, complures. Verum pars sequens indicat comparativè dictum esse.

Dormierunt pro obdormierunt.

Quidam autem dormierunt. Græcè: *Quidam autem & dormierunt.* At si dicat: Etsi quidam eorum dormierunt, ut jam testes audiri nequeant; alii tamen plures adhuc in vivis sunt, ut interrogari possint. Sed & qui dormierunt, in hoc testimonio ad finem usque perseverarunt. *Dormierunt*, id est, *obdormierunt;* quomodo vertunt alii hoc loco: & ipse noster interpres Actor. 7. *Et cùm hoc dixisset* (Stephanus) *obdormivit.* Non enim significatur somnus præteritus, sed præsens. Similis in scripturis usus est verbi *sederunt* pro consederunt: ut de iis dicatur qui adhuc sedent, velut Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi.* Marci 16. de Christo, *Sedit à dextris Dei*, juxta codices emendatiores. Itaque *sensus* Apostoli est: Mortui sunt jamque dormiunt in spe resurrectionis. Sic autem loquitur, ut ipso vocabulo, resurrectionis fidem confirmet. Neque enim mors bestiarum, sed hominum in sacris literis somnus appellatur. De eo diximus ad *cap.* 7. *hujus epist. vers.* 39.

Mors hominum somnus appellatur in scriptura.

7. Deinde visus est Jacobo. Sunt qui Jacobum hunc faciant socium Cleophæ, de quo Luc. 24. sed nulla fulti ratione, & præter ordinem temporis in recensendis apparitionibus cæteroquin à Paulo servatum. Nam Cleophæ, ejusque socio prius apparuit Dominus, quàm fratribus illis quingentis: imò & prius quàm Apostolorum collegio. Deinde cur ex duobus, quibus simul apparuit, alterum solum nominaret Apostolus?

Porrò doctorum omnium sententia est, eademque verissima Paulum loqui de Jacobo fratre Domini, primo Hierosolymorum episcopo; qui cognominatus est justus, & cujus apud fideles præsertim Judæos, erat permagna authoritas. Quæ causa est, cur apparitionem illi factam, Paulus non putaverit prætermittendam. Erat enim testis omni exceptione major.

Jacobus frater Domini Apostolus.

At verò consequens ex hoc loco non est (quod nonnulli consequens esse volunt) Jacobum fratrem Domini non fuisse ex Apostolorum numero, de quibus jam dictum est: *Et post hoc undecim* sive *duodecim:* nihilo magis quàm si inde colligas Petrum ex eo numero non fuisse: quoniam & de illo seorsum ait; *Visus est Cephæ.* Tantum ergo significare voluit Christum his duobus, Petro & Jacobo singulariter, hoc est, utrique solo visum fuisse. Cæterùm pleniorem refutationem eorum qui Jacobum hunc expungunt è catalogo duodecim Apostolorum, diversum facientes ab utroque Jacobo Apostolo, rejicimus in alium locum opportuniorem, qui est *Gal.* 1.

Quando Jacobo Christus apparuerit.

Illud hoc loco *quærendum*, quando contigerit ista apparitio Jacobo facta. Est cui videatur probabile, contigisse post ascensionem Domini. Sed rationem non adfert, &, si ita sit, ultimo loco ponenda erat cum ea qua Paulo visus fuit. Exstat apud Hieron. *in catal. scriptorum ecclesiast.* de Jacobo *post resurrectionem Salvatoris* hujusmodi narratio, ex Evangelio secundum Hebræos, quod & Nazaræorum vo-

catur, deprompta: *Dominus autem cùm dediſſet ſindonem ſervo ſacerdotis, ivit ad Jacobum & apparuit ei. Juraverat enim Jacobus ſe non comeſturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à mortuis. Rurſuſque poſt paululum: Afferte, ait Dominus, menſam & panem. Statimque additur: Tulit panem & benedixit ac fregit, & dedit Jacobo Juſto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum: quia reſurrexit filius hominis à dormientibus.* Hæc apud Hieronymum: quæ eadem ex illo referunt Sedulius & Hervæus; meminerunt etiam Haimo, S. Thomas, Liranus & alij. Quæ ſi vera ſunt; dicendun erit Dominum apparuiſſe Jacobo ſtatim à reſurrectione, ſaltem ipſo die quo reſurrexit; non autem demum poſt alias jam memoratas apparitiones: quarum poſtrema longe poſt diem reſurrectionis contigit: maximè quod inedia Jacobi, de qua Hieronymus, non debuerit, nec verò naturaliter potuerit extendi ultra tempus prædictarum apparitionum.

Refellitur ea narratio ut fabuloſa.

Verùm iſtam de Jacobo narrationem ut fabuloſam & fidei ſacrorum Evangeliorum contrariam, rejicit Joannes Heſſelius *in explicat. reſurrect. Domin.* nec id immeritò, quantum arbitror. Pugnat enim cum eo quod hoc loco ſcribit Apoſtolus, Dominum Jacobo viſum, poſteaquam viſus eſt quingentis fratribus. Nec eſt quod dicas, illud (*deinde*) non ordinem temporis ſignificare, ſed narrationis. Nam temporis ordinem hîc ab Apoſtolo ſervari, vel ex eo ſatis apparet, quod Dominum ſibi omnium noviſſimè viſum fuiſſe referat: utique juxta ſeriem temporis.

Aliud commentum.

Alij ut Paulum cum Evangelio Nazaræorum concilient, fingunt duas apparitiones Jacobo factas. Sed ineptè. Quorſum enim Paulus omiſſa priore tantùm commemoret poſteriorem: ac non potiùs utramque? *Deinde* refellitur illa narratio: quia clarum eſt ex Evangeliis, omnes Apoſtolos in Chriſti paſſione & morte fuiſſe ſcandalizatos; nec quicquam ſibi promiſiſſe de ejus reſurrectione poſt triduum futura. Propter quod Auguſtinus *in enarr. Pſalm.* 74. ad illud, *Liquefacta eſt terra*, &c. non dubitavit affirmare, quod *in paſſione Domini, omnes Apoſtoli deſperaverunt.* Unde & ad credendam ejus reſurrectionem ſibi enunciatam tardi difficileſque fuere. Nam & qui primi erant inter illos, Petrus & Joannes, ipſo Joanne teſte cap. 20. *nondum ſciebant ſcripturam quia oportebat eum à mortuis reſurgere.* Atqui juramentum illud Jacobi certò fuiſſe perſuaſum arguit de Chriſto paulò pòſt reſurrecturo.

Jacobus in Chriſti morte ſcandalizatus cum cæteris.

Nota.

Quod narratur de ſindone refutatur.

Jam ſi Chriſtus reſurgens, ut habet narratio, ſindonem ſecum abſtulit, & dedit ſervo ſacerdotis: quomodo verum & ſecundum Joannem *cap.* 20. & Lucam *cap.* 24. reſurgente Domino linteamina relicta fuiſſe in ſepulchro: videlicet in argumentum reſurrectionis? Nam lintea cum ſindone, cui involutum fuit corpus Domini mortuum Evangeliſtis eadem eſſe, (excepto fortè ſudario capitis integumento, de quo Joannes *ibidem*: & inſtitis ſeu faſciis, quibus manus & pedes mortuorum ligari ſolent, ut de Lazaro refertur *Joan.* 11. quæ cuncta generali nomine linteaminum comprehendi poterant) ex hiſtoria ſepulturæ Dominicæ ſatis evidenter apparet: in qua Joannes lintea vocat, quam tres cæteri ſindonem.

Evangelium Nazaræorum Apocryphum.

Denique nulla eſt authoritas illius evangelij, quod conſtat apocryphum eſſe, & propter quædam etiam alia ab evangeliis diſſona fidem non mereri; licet eo Hieron. interdum utatur, ubi commodum eſt. Igitur ea ratione repudiata, quam nec ipſe Hieron. approbare ſe declarat; teneamus hanc apparitionem, de qua Paulus Jacobo factam fuiſſe multis diebus poſt Domini reſurrectionem, eo ſcilicet ordine temporis quo facta recenſetur à Paulo. Quod & Aquinas ſentit, eodem argumento à ratione temporis ſumpto, ſuſpectam reddens illam de voto Jacobi fabulam. Annotavit hoc ipſum etiam Lorinus ſcribens *in Acta Apoſt.* 1. *v.* 13.

Vera ſententia.

Deinde Apostolis omnibus. Non dicit undecim, aut duodecim, ſicut ſuprà: ſed omnibus Apoſtolis. Quo nomine etiam alios quoſdam extra duodecim illos ſcriptura ſubinde comprehendit. Chryſoſt. & Theophyl. ad LXX. diſcipulos extendunt: quod & Cajetano placet. Eadem ferè ſententia eſt Hieron. ſcribentis *ad Fabiolam, manſione ſexta.* Diſſerens enim de LXX. Chriſti diſcipulis per LXX. palmas ſignificatis, ita ſubjungit: *De quibus & Paulus refert, quod apparuerit Dominus primum undecim, deinde Apoſtolis omnibus: alios volens intelligi primos, & alios ſecundos Chriſti diſcipulos.* Sic ille, ſubindicans ſolos LXX. diſcipulos hoc loco ſignificatos eſſe; cum verius ſit, quod alij ſentiunt, hîc etiam primi ordinis Apoſtolos comprehendi. Eſt autem ſermo, non de manifeſtatione facta in monte Galileæ, uti ſentit Ambr. commentator, nam de ea tertio loco dictum eſt: ſed de poſtrema, quæ facta fuit ipſo die Dominicicæ aſſcenſionis, ſive Hieroſolymis, ſive in monte Oliveti. Quæ duæ pro una ſupputãtur propter continuationem: quia ſicut ait Lucas; *Eduxit eos foras in Bethaniam*, id eſt, ex Hieroſolymis ad montem Oliveti: in cujus latere Bethania ſita erat. Multos autem illic adfuiſſe præter undecim Apoſtolos, ſatis colligitur ex hiſtoria *Actor.* 1.

Apoſtolorum nomen ad alios multos extenſum.

Hæc apparitio quando contigerit.

Quod verò Oecumenius extra duodecim Apoſtolos, Thaddæum nominat, quum à Matthæo *cap.* 10. & *Marco cap.* 3. Thaddæus inter duodecim recenſeatur; idem nempe quem Lucas Evangelij *cap.* 6. & *Actor* 1. Judam Jacobi vocat: id ne quem moveat, ſciendum eſt Oecumenium in ea re ſequi Græcos quoſdam authores, qui præter Thæddæum Apoſtolum jam dictum, commemorant & alterum ejuſdem nominis, è LXX. diſcipulis unum: quem ferunt ad Abagarum regem miſſum, ut Chriſti fidem annunciaret. Unde & in Græcorum menologio duo Thaddæi collocati ſunt; Apoſtolus quidem ille ad diem 19. *Junii*, ſub nomine Judæ Apoſtoli fratris Domini: diſcipulus autem ad 21. *Auguſti*, ſub nomine Thaddæi Apoſtoli: Sed hæc Græcorum de duobus Thadæis opinio, à quibuſdam etiam Latinis recepta, num veritate ſubnixa ſit, non eſt hujus loci diſquirere. Vide quæ ad eam rem ſedulò collegit Lorinus ſuper Acta *cap.* 1. *verſ.* 13.

Græcorum opinio de duobus Thaddæis.

8. Noviſſime autem omnium tamquam abortivo visus est et mihi. *Omnium* vel Apoſtolorum, vel potius universè eorum quibus viſus eſt. Nam præter Apoſtolos etiam aliis viſum, jam antè memoravit. Cur autem dicat *tamquam abortivo:* (Gnoſticorum omiſſo commento, quod refert Irenæus *l.* 1. *c.* 1.) ratio quærenda eſt.

Chriſtus noviſſimè viſus Paulo.

Cur Paulus abortivo ſe comparet, opiniones.

Et quidem à multis hæc ratio redditur: quia ſicuti fœtus abortivus extra tempus naſcitur, ita Paulus extra tempus aliorum Apoſtolorum Chriſto renatus eſt. Nam illi renati ante Spiritus-ſancti adventum, iſte poſt. Atqui id non eſt renaſci extra tempus: niſi fateamur omnes fideles quicumque poſt adventum Spiritus-ſancti Chriſto renati ſunt, extra tempus eſſe renatos; & per hoc abortivos cenſeri: quod nemo dixerit. Quin etſi rationem hanc ad Apoſtolos reſtringas, conſtare non poterit: niſi & Barnabam abortivum agnoſcamus; quod non credimus eſſe ex ſententia Pauli. Certè natum eſſe poſt alios patre jam ex humanis ſublato, non abortivum facit, ſed poſthumum. De quo locum hunc parum appoſitè quidam interpretantur. Nam Græcum ἔκτρωμα poſthumum nullo modo ſignificat.

Prima opinio refellitur.

Ab aliis hæc adfertur ratio: quia ſicut abortivum violentè educitur, ita Paulus vi forinſecus adhibita compulſus eſt ad Chriſtum venire, eique renaſci: quemadmodum docet hiſtoria converſionis ejus, *Actor.* 9. Verùm nec iſta ratio congruit. Nam ſive

Alia opinio quæ & refellitur.

violentè ejiciatur fœtus, ſive, quod ſæpè fit, ex aliqua cauſa ſponte prorumpat, ordinarium naſcendi tempus præveniens; ut immaturi fructus arborum aliquando ſponte decidunt; abortivus vocatur, velut ad ortum intempeſtivus, ideoque imperfectus.

Quare potiùs hac imperfecti ratione putandus eſt Paulus abortivum ſe vocare, tamquam Apoſtolum cæteris imperfectiorem atque minorem, nec cum illis conferendum, adeoque & Apoſtoli nomine indignum. Hanc enim rationem ipſemet allegat verbis conſequentibus: eamdemque Græci tractores attendunt: & Aquinas poſt duas priores adfert tertio loco, ſic ut aliis præferre videatur. Hoc autem Apoſtolus humiliter de ſe ſcribit; nec minus tamen veraciter, ut *infrà* docebimus.

Nota, humilitatem & modeſtiam Apoſtoli adeo ſeipſum deprimentis.

Non hîc præteribo opinionem, quam tradunt recentiores quidam, ut Cardinalis Baronius *ad annum Domini* 44. & Lorinus *ſuper Actus Apoſt. cap. 9. v. 3.* nempe Paulum inter Apoſtolos arbotivum ſe vocare, quia ſupernumerarius erat, id eſt, extra numerum duodenarium ad Apoſtolatum aſſcitus unà cum Barnaba; quemadmodum legitur *Actor* 13. Nam ut refert Suetonius in *Octavio cap.* 35. ſenatores illi vulgo vocabantur apud Romanos abortivi, qui ſupra juſtum numerum per gratiam & præmium in ſenatum allegabantur, alioquin indigni.

Alia quædam ratio expenditur.

Verùm ingenuè fateor hanc rationem mihi non poſſe probari: tum quod veriſimile non ſit Paulum, qui Græcè ſcripſit, nec adhuc Romam viderat; uſum Romani vocabuli tam rarum ac remotum præ oculis habuiſſe: tum, quia non reſpicit hoc loco ad determinatum numerum Apoſtolorum, ſed generatim ad eos de quibus dixerat, *deinde Apoſtolis omnibus.* Nec verò Barnabam unà ſecum putaret conferendum cum ſenatoribus indignis, & quod deterius eſt, dignitatem per ambitum conſecutis.

Improbatur.

Jam quod ad hanc apparitionem Dominicam Paulo factam attinet (quæ ſine dubio poſt aſſcenſionem Domini contingit) illud etiam indubitatè tenendum eſt, talem fuiſſe qua Chriſtus ſemetipſum corporaliter atque oculis corporeis videndum Paulo oſtenderet: ad quem modum & aliis omnibus ſuprà memoratis viſus eſt. Nam niſi talis viſio fuiſſet etiam hæc de qua nunc Paulus loquitur; quomodo ſe perinde ut cæteros, teſtem adduceret oculatum ad probandam veritatem reſurrectionis Chriſti.

Paulus Chriſtum verè corporaliter vidit.

Anſberti opinio rejicitur.

Quocirca rejiciendum omnino quod ſcribit Anſbertus Ambroſius, & ex eo verbatim refert Haimo libr. 1. comment. in Apocal. exponens illud capitis 1. *Mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joanni*, nempe *Credi poſſe quod B. Paulo Apoſtolo Dominus poſt ſuam aſſcenſionem non in ſua natura apparuerit, ſed potius per Angelum in ea forma, in qua recognoſci ab hominibus ſolet.* Deinde proſequitur Haimo vel ſuis vel Anſberti verbis: *Quod hinc etiam probari poteſt: quia ſi B. Paulus nuper converſus, in ſua eum ſubſtantia vidiſſet, conſequens eſſet, ut præ omnibus dilecto diſcipulo, ſibique ab adoleſcentia dicato, non per Angelum, ſed per ſemetipſum appareret.* Hoc, inquam, recipiendum non eſt. Nam viſio corporis ab Angelo formati & aſſumpti, quod Chriſti hominis ſpeciem repræſentaret, haudquaquam Paulo ſufficeret ad ferendum oculare teſtimonium reſurrectionis ejus, quo poſt alios teſtes adhibitos qui Dominum viderant, ipſe etiam dicere poſſet, *Viſus eſt & mihi.* Neque ſi tale corpus Apoſtolorum oculis oblatum fuiſſet, idcircò credidiſſent eum reſurrexiſſe: quod ſatis ex evangelica patet hiſtoria. Quantò minus id credidiſſent ex Apoſtolorum teſtimonio cæteri homines, ſi ſcirent illos non aliud vidiſſe.

Nec valet argumentum de Joanne: ut qui Chriſtum ipſum poſt ejus reſurrectionem unà cum Petro, cæteriſque Apoſtolis viderit ſæpenumero. Quamquam & hujuſmodi beneficia non ſemper exhibentur melioribus, magiſve dilectis; ſed prout expedit, ac plurimum ob rationes nobis occultas, ſolique Deo cognitas. Certè congruens erat, ac quodammodo neceſſarium, ut Paulus portaturus Chriſti *nomen coram gentibus & regibus, & filiis Iſrael*, Actor. 9. pluſque omnibus laboraturus, infrà verſ. 10. ſimiliter ut cæteri Apoſtoli, quibus dictum erat, *Eritis mihi teſtes* Actor. 2. Chriſtum Dominum à morte redivivum facie ad faciem videret. Unde cum illis ſeſe conferens ſuprà c. 9. dixit, *Nonne ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi?*

Cur neceſſe fuerit Chriſtum Paulo apparere.

Sed quando & ubi viderit, quæritur. Id enim ibi rejiciebamus ad hunc locum. Et quidem Cajetanus id neſciri putat. *Nam*, inquit, *in Actis Apoſtolorum quamvis narretur Jeſum allocutum fuiſſe Paulum & auditum à Paulo, nuſquam tamen narratur Jeſus viſus à Paulo; ſed potius oppoſitum ſignificatur, narrando quod lux tanta Paulum invaſerit, ut eum privaverit actu videndi.* Ita Cajetanus hoc loco. Sed manifeſtè fallitur, haud memor ejus quod priùs alibi ſcripſerat, ut in commentariis ſuper ſummam Theologicam S. Thomæ, 3. *quæſt. 57. art. 6. ad 3.* ubi cum ſuo doctore planè contrarium affirmat, non ſine gravi reprehenſione eorum qui in dubium revocant, an tunc quando Paulo dictum eſt à Domino, *Quid me perſequeris?* Act. 9. Dominus ei corporaliter viſus fuerit. Quos meritò ſanè reprehendit.

Quando & ubi Paulus Chriſtum viderit.

Cajetanus ſui immemor.

Nam Paulum illo tempore ſuæ converſionis, quum iret Damaſcum, non tantum audiviſſe Dominum ſibi loquentem, ſed etiam vidiſſe, ex ſubſequenti narratione clarum eſt. Dicit enim ad eum Ananias: *Dominus miſit me Jeſus qui apparuit* (Græcè ὁ ὀφθείς *qui viſus eſt*) *tibi in viâ.* Et cap. 22. *Deus præordinavit te ut videres juſtum, & audires vocem ex ore ejus.* Rurſum cap. 9. Barnabas de eo narrat Apoſtolis, *quomodo in via vidiſſet Dominum, & quia locutus eſt ei.* Sed & Dominus ad Saulum proſtratum, ipſo referente capit. 26. ſic ait: *Ad hoc enim apparui* (Græcè ὤφθην, *viſus ſum*) *tibi, ut conſtituam te miniſtrum & teſtem eorum quæ vidiſti.* Moxque ibidem Paulus ad Agrippam, *Non fui*, inquit, *incredulus cæleſti viſioni.* Satis igitur conſtat de eadem illa viſione Paulum hîc loqui. Quod etſi Græci tractatores ſilentio prætermiſerint, à Latinis tamen Primaſio, Haimone, Lirano & aliis Pauli interpretibus expreſſum fuit. Quod & Tertull. aſſerit in *libro adverſus Praxeam cap. 15.*

Paulus Chriſtum vidit in via Damaſci.

Nec his obſtat argumentum Cajetani de cæcitate Pauli. Nam priùs Dominum vidit, mox autem præ vehementia lucis quæ eum circumfulſerat, offuſa eſt oculis ejus caligo, ut videre non poſſet: uti contingit iis qui directis oculis ſolem intuentur. Nam & ſolis ſplendorem illa lux ſuperabat. *Act. 26.*

Objectio de cæcitate Pauli diluitur.

Videtur autem hoc ordine & modo res contigiſſe: Saulus viſa tanta luce ſtatim in terram cadens oculos clauſit, ut ſolent homines ad ingentia fulgura. Sed ſimulatque vocem audivit dicentis ſibi, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* ad loquentem converſus oculos aperuit, & Dominum vidit in maxima illa luminis claritate; qua perſtrictos & offenſos oculos iterùm clauſit, & clauſos tenuit uſque dum ſermo Domini ſecum loquentis finiretur. Tum ſurgens apertis oculis nihil vidit. Duravitque ea cæcitas per triduum. Itaque Cajetani argumentum benè concludit viſionem iſtam non fuiſſe factam (ut quidam opinati ſunt) intra triduum illud, quo, uſu privatus oculorum, erat intentus orationi.

Ordo meduſque rei geſtæ.

Apparitio non fuit facta Paulo in triduo orationis.

Quod verò multi præter viſionem quæ in via Damaſcena contigit, etiam mentionem huc ingerunt illius viſionis, quam Paulus ſibi Hieroſolymam reverſo & in templo oranti, narrat oblatam fuiſſe, *Actor.* 22. tamquam illuc fortaſſe reſpiciat hoc loco; ſatis id refellitur ex eo quòd, ipſo Paulo teſte, ecſtatica fuerit illa viſio, ſive ut interpres noſter

Item aliæ opiniones refelluntur.

vertit, *in ſtupore mentis* facta. Jam autem oſtendimus viſionem corporalem hîc intelligi debere.

Paulus in raptu an Dominum viderit.

Sed neque ad raptum in tertium cælum, atque in paradiſum, de quo ſcribit. 2. *Cor.* 12. referenda eſt hæc viſio. Nam etſi etiam in illo raptu viſionem quamdam fuiſſe non ſit negandum (ſic enim ait: *Veniam autem ad viſiones & revelationes Domini*, id eſt, mihi à Domino factas:) non tamen ibi ſcribit ſe Dominum vidiſſe. Et ut vidiſſet, neſcire tamen ſe dicit, utrùm in corpore, an extra corpus ipſi raptus ille & viſio contigerit: & ut in corpore contigerit, quod eſt probabilius; ecſtaticam tamen fuiſſe, mente videlicet à ſenſibus corporeis abſtracta, convenit inter Theologos. Nec, ſi per ſenſum oculorum facta fuiſſet ea viſio, Paulus id neſcire potuiſſet. Hic verò certum perhibet teſtimonium, ſe corporaliter, ut alios Apoſtolos, Chriſtum vidiſſe.

An Chriſtus poſt aſſcenſionem in cælum deſcenderit aliquando in terram.

Colligit ex hac apparitione S. Thomas *loco ſuperiùs citato*, Chriſtum poſt aſſcenſionem in cælum, aliquando corporaliter ad terram deſcendiſſe. Quippe veriſimile non eſt, Chriſti vocem qua Paulum allocutus eſt, è cœlo empyreo demiſſam fuiſſe uſque ad terram. Quamvis enim potuerit Chriſtus ſe conſpiciendum præbere Paulo, & audiendum è ſupremo cœlo, ſicut Stephano conſpiciendum ſe præbuit: (ſcribit enim de eo Lucas Actor. 7. quod *intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei: & ait, Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei*) contextus tamen & ſeries hiſtoriæ Apoſtolicæ *Act. 9.* prorſus intelligi vult, è propinquo rem geſtam eſſe: quemadmodum benè declarat Lorinus *in ejus loci comment.* præſertim quum non dicatur, nec ibi, nec alibi, ſicut de Stephano, Paulum vidiſſe cælos apertos, & Jeſum ſtantem à dextris Dei, aut aliquid tale ex quo colligi poſſet quod eum viderit & audierit è ſummo cælo loquentem.

Chriſtus Paulo viſus è propinquo.

Habet etiam vetus traditio, Chriſtum Petro corporaliter apparuiſſe, quando Roma fugienti obvium ſe dedit, & quonam iret, interrogatus, reſpondit; *Eo Romam iterum crucifigi.* Cujus rei meminerunt Hegeſippus junior *l. 3. excidii Hieroſol. cap. 2.* Ambroſius *orat in Auxent. invect.* nec non Gregorius, ſeu quiſquis author, *in expoſ. Pſalmi quinti pœnit.* Sed hæc & ſi quæ ſunt his ſimilia, quomodo facta ſint, utrumne per deſcenſum Chriſti motumque localem è cælo in terram, ita ut tantiſper in cælo eſſe deſineret: quod ſentit, nec abſurdum putat Aquinas: an verò ſicut in cælo manens nec inde recedens, ſimul etiam in terra ſe præſentem localiter exhiberet: quod multis videtur non impoſſibile: id, inquam, diſquirere, prolixioris operæ eſt: nec loci præſentis. Egimus ea de re pridem in oratione quadam publicè recitata.

Chriſtus Petro viſus in porta Romana.

Opinio S. Thomæ.

Aliorum opinio.

9. EGO ENIM SUM MINIMUS APOSTOLORUM. Declarat qua ratione ſe dixerit abortivum: ſimulque gloriam apparitionis Dominicæ ſibi factæ humilitate comprimit, dicens ſe eſſe minimum Apoſtolorum: eo nimirum ſenſu quo *Epheſ.* 3. ſe vocat minimum *omnium ſanctorum*, id eſt, Chriſtianorum. Reſpicit enim ad ſtatum vitæ ſuæ præteritæ, quando perſecutus fuit eccleſiam Dei. Si conſiderentur, inquit, merita vitæ meæ præcedentia vocationem meam ad Apoſtolatum, talia ſunt ut cauſam habeam nemini Apoſtolorum me præferendi, ſed omnibus poſtponendi. Ubi nomine Apoſtolorum Chryſoſt. etiam LXX. diſcipulos, ut paulò antè, vult comprehendi. Quæ res ad majorem facit humilitatis Paulinæ commendationem.

Paulus minimum Apoſtolorum ſe dicit, & quo ſenſu.

QUI NON SUM DIGNUS VOCARI APOSTOLUS. *Dignus*, Græcè ἱκανὸς, idoneus, quomodo vertunt Eraſmus & alii quidam. Sed Apoſtolus uſus eſt Græca voce pro digno: quemadmodum & Evangeliſtæ, Matthæus *capit. 3.* Marcus 1. & Lucas 3. referentes verba Joannis de Chriſto. *Cujus non ſum ἱκανὸς dignus ſolvere corrigiam calceamentorum.* Pro quo Joannis 1. & Actor. 13. legitur ἄξιος, quod propriè dignum ſignificat. Ita rurſum *Matth. 8.* & *Luc. 7. Domine non ſum ἱκανὸς dignus, ut intres ſub tectum meum.* Quamquam utrumvis hoc loco legatur (nam & Auguſtinus legit *idoneus*, locis à Beda collectis) ſenſus eodem recidit. Non ſolùm, inquit, ſum minimus Apoſtolorum, ſed nec idoneus ſum ad Apoſtolatum, & proinde nec dignus eo munere ac nomine; ſiquidem merita vitæ meæ prioris ſpectentur. Nam ſequitur.

Quo ſenſu Paulus haud dignus Apoſtolatu.

QUONIAM PERSECUTUS SUM ECCLESIAM DEI. *Quoniam*, Græcè διότι, *propterea quod.* En manifeſtam rationem indignitatis, etiam præ cæteris Apoſtolis. *Eo quod*, inquit, *perſecutus fuerim* (& quidem ſupra modum Galat. 1. & *uſque ad mortem*, Actor. 22.) *eccleſiam Dei*, id eſt, fideles Chriſti, *viros ac mulieres*, Actor. 9. & 22. qui ſunt eccleſiæ Dei membra. Hoc autem aliorum Apoſtolorum nemo feciſſe legitur. Laudanda Pauli humilitas, apertè confitentis tam grande peccatum vitæ præteritæ, quò commendatiorem reddat gratiam à Deo ſibi impenſam. Quod & alibi facit; *ut Gal. 1. verſ. 13. & 1. Tim. 1. verſ. 13.*

Nota, humilitatem Pauli palam confitentis peccatum ſuum.

10. GRATIA AUTEM DEI SUM ID QUOD SUM. *Autem* pro *ſed* adverſante particula poſuit, *Sed gratia Dei ſum id quod ſum.* Senſus: Quòd ſum Apoſtolus, & quidem idoneus, eoque nomine non indignus, id totum acceptum refero gratiæ, id eſt, gratuitæ beneficentiæ Dei. B. Ambroſius *lib. 1. de Abel & Cain cap. 7.* generaliter accepit hanc ſententiam de omni bono quod in Paulo erat: *Benè*, inquit, *Apoſtolus non gloriabatur in virtute ſua; ſed minimum Apoſtolorum ſe eſſe dicebat; & quicquid eſſet, gratiæ divinæ eſſe, non meriti ſui: nihilque nos habere quod non acceperimus.* Sic ille.

Insignis gratiæ Dei commendatio.

ET GRATIA EJUS IN ME, VACUA NON FUIT. Illud in me cohæret ei quod præcedit. Nam Græca ſic habent: *Et gratia ejus quæ in me*, ſive *ad me*, *non inanis fuit*, aut *facta eſt.* Ac ſenſus eſt, Gratia ejus in me collata (reddit Eraſmus, *in me profecta*) hoc eſt, gratia Apoſtolatus, ſeu muneris Apoſtolici, ad quod me vocavit, & cui me aptavit, dignumque reddidit, non fuit inanis. Tantum beneficium non ſum paſſus apud me reſidere otioſum ac inutile. Obſervanda eſt hîc diverſa gratiæ Dei acceptio. Nam in parte præcedenti gratiam Dei dixit gratuitam ejus beneficentiam ſeu beneficam operationem: quemadmodum & infrà cùm ait, *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Hic autem illius gratiæ ſignificat quemdam in ſe effectum, id eſt, gratiam functionis Apoſtolicæ benè & cum fructu exercendæ. De qua Eph. 3. *Mihi*, inquit, *omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gentibus evangelizare*, &c. Quamquam nolim ſanè negare, *gratiam*, hoc etiam loco rectè intelligi gratuitam Dei beneficentiam; ne cogamur *gratiam*, in una eademque periodo variè accipere: præſertim quum in eo quod ſtatim ſequitur, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*, intelligatur benigna & gratuita Dei operatio. Ita ſenſus erit, beneficentia Dei qua erga me uſus eſt, vocando me ad munus Apoſtolicum, non fuit fructu vacua, ſed fecit me plùs cæteris laborare; ſicut ſequitur.

Gratia Apoſtolatus in Paulo non vacua.

Duplex gratiæ acceptio hoc loco.

SED ABUNDANTIUS ILLIS OMNIBUS LABORAVI. Scilicet in ea gratia muneris Apoſtolici, vel, per illam gratiam qua me ad Apoſtolatum vocavit. Quod poſterius conſonum eſt parti ſequenti, *Non ego autem, ſed Gratia Dei mecum.* Dicens *illis omnibus* reſpicit ad Apoſtolos generaliter acceptos, uti ſuprà ſemel & iterùm. Neque tamen ſenſus eſt, abundantius ſeu copioſius quàm omnes illi ſimul, ſed quàm ſinguli, id eſt, unuſquiſque illorum. Igitur plus illis

Paulus plus omnibus Apostolis laboravit, & quo sensu.

omnibus laboravit, quia nullus illorum tot loca percurrit, totque ac tantas tulit adversitates ac molestias evangelii causa, atque Paulus. De quo specialiter prædixerat Dominus ad Ananiam; *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, Act. 9. Nam & illius libri magna portio consumitur in unius Pauli laboribus commemorandis, etsi quibusdam hac epistola posterioribus: ubi tamen non omnes commemorati sunt, sed multi prætermissi: quod palàm est ex ejus epistola *ad Corinthios 2. cap. 11.* quo in loco brevem texit catalogum laborum & afflictionum suarum pro Christo. Pertinet eodem, quod non multò post hanc epistolam, scripsit Rom. 15. sese *ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum replevisse Evangelium Christi.*

An Paulus meritorum ratione se cæteris anteponat.

Porrò locum hunc ita quidam accepisse videntur, quasi charitatis ac meritorum ratione Paulus sese cæteris anteponat. Sic enim de eo loquitur Ambrosius libr. de Noë & arca c. 8. *Quoniam plus ei dimissum est; plus cœpit diligere, & abundantius cæteris Apostolis laborare.* Et Hieronymus in epistola 13. quæ est ad Paulinum: *Paulus novissimus in ordine, primus in meritis est, quia extremus licet, plus omnibus laboravit.* Verùm Paulus labores comparat, non merita: sciens merita non semper æstimari secundum labores. Et tamen hoc ipsum, quod se plus omnibus laborasse dicit; non arroganter dicit, sed ad stabiliendam sui testimonii authoritatem utiliter ac necessariò: priùs quoque suam ipsius indignitatem, simul & Dei gratiam professus; moxque eamdem gratiæ professionem repetiturus. De qua sic Augustinus in enarratione Psalmi 130. *Paulus Apostolus*, inquit, *ex persecutore factus prædicator, abundantiorem gratiam consecutus est in omni labore Apostolico, quàm cæteri Apostoli: ut magis Deus ostenderet suum esse quod dat, non hominis: quomodo solent medici potentiam suæ artis in desperatis ostendere*, &c. Ubi & hoc ad laborem ejus abundantiorem refert, quòd plures scripsit epistolas quàm omnes cæteri.

Augustini de Paulo notanda sententia.

Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Græcè, *ἡ σὺν ἐμοὶ, quæ mecum est.* Quomodo semel ac iterùm allegat Hieron. *libr. 2. dial. contra Pelag. cap. 3.* ac rursum in *epist. ad Principiam*, qua exponit Psalmum 44. Erasmus vertit, *quæ mihi adest*, id est, quæ mihi auxilio est. Solet enim auxilium ejusmodi locutione significari in scripturis: ut Psalmo 22. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Jeremiæ 20. *Dominus mecum est, quasi bellator fortis.* 4. Reg. 9. *Plures nobiscum sunt, quàm cum illis.* Auxilium autem non est nisi agente etiam eo qui adjuvatur. Igitur hic insinuatur cooperatio gratiæ & liberi arbitrii: sic tamen ut gratia principalius operetur. Nam gratia voluntatem adjuvans non ab ea vicissim adjuvatur: & quidem sic adjuvat voluntatem, ut faciat eam operari, movens ad operandum: uti loquitur S. Thomas in commentario: citans etiam scripturas Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis*, & Philip. 2. *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere.* Eamdem ob causam utitur Apostolus correctione quadam, dicens: *Non ego, sed gratia Dei*: quasi dicat: Non ego principaliter: aut, non tam ego quàm gratia Dei. Sic Dominus in evangelio: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, Matth. 10. cùm antè dixisset ipsos locuturos.

Auxilium nō est nisi agente eo qui adjuvatur. Cooperatio gratiæ & liberi arbitrii. Gratia principalior in opere bono: movet enim voluntatem ad operandum.

Sensus hujus loci insufficiens.

Non sufficit autem hic sensus, quem adferunt nonnulli: Non ego solus, sed gratia Dei mecum. Sic enim sermo converti posset; non gratia Dei, sed & ego: quia nec gratia sola facit. Quæ res etiam exemplo alterius sententiæ jam allatæ facilè declaratur. Itaque more scripturæ negatur quod minus est, dum præ illo commendatur quod majus est aut principalius; velut ibi, *Misericordiam volo, & non sacrificium*, Hoseæ 6. & Matth. 9.

Annotat hoc loco Primasius Hieronymum alicubi sic ponere præsens testimonium: *Non autem ego, sed gratia Dei qui in me est.* Ubi legendum arbitror, *quæ in me est.* Nam & Catharinus affirmat se legisse in quibusdam Græcis codicibus, *ἡ εἰς ἐμὲ, quæ in me.* Sed verisimile est mutationem factam imitatione ejus quod paulò antè præcessit.

11. Sive enim ego, sive illi, sic prædicamus, et sic credidistis. In Græco non est γὰρ *enim*, sed *νῦν igitur*: quemadmodum & in textu Ambros. legitur. Non enim probat Apostolus; sed à digressione qua per occasionem apparitionis Dominicæ, quam sibi factam narravit, de suo Apostolatu quædam interlocutus est; redit ad prius institutum, in summam colligens testimonia resurrectionis Christi. Igitur, inquit, *sive ego* Apostolorum minimus, *sive illi*, id est, alii Apostoli quibus Christus potest resurrectionem visus est: omnes uno ore, tamquam testes oculati, sic prædicamus, ut dixi, nempe Christum à morte resurrexisse, & vos quoque per nostram prædicationem sic credidistis, id est, ea fide estis imbuti.

Unanimis prædicatio & fides resurrectionis Christi.

12. Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis. Adde ex parte præcedenti; & si sic creditur. Id enim supplendum relinquit Apostolus, ac si dicat: Hoc & jam prædicatum est, & creditum etiam à vobis.

Quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? *In vobis*, ad *quidam* referendum. Hic enim ordo est in Græco, & apud Ambros. *Quomodo dicunt quidam in vobis*, sive *inter vos*? id est, quidam vestrûm, veluti suprà capit. 11. *In vobis*, sive *inter vos multi*, id est multi vestrûm. Si quis malit *in vobis* referre ad *dicunt*, non repugno. Nam & ita sensus erit haud incommodus, *dicunt in vobis*, id est, ferunt inter vos hujusmodi sermonem. Et hoc nimirum voluit noster interpres, quando verbum *dicunt* retraxit ad particulam *in vobis*. Concludit Apostolus ex resurrectione Christi, resurrectionem aliorum mortuorum in genere. Quod si, inquit, Christus à mortuis resurrexit, erit igitur & aliorum mortuorum resurrectio: & proinde malè ei à quibusdam vestrûm contradicitur.

Ex resurrectione Christi probatur resurrectio mortuorum in genere.

Sed *quæritur*, quo argumento ex Christi resurrectione sequatur cæterorum mortuorum resurrectio, cùm non oporteat beneficium Christo omnium digniſſimo præstitum, omnibus hominibus esse commune, etiam reprobis. *Quidam* faciunt argumentum à simili, quale est illud: Anima Petri immortalis est; ergo omnes animæ sunt immortales. At istud meritò rejicit Thomas. Nam rationem similitudinis in Christo & cæteris hominibus quoad resurrectionem, non est facile assignare: & certè negaretur illa ab adversariis.

Quæstio.

Quorūdam responsio rejecta.

Alii dicunt esse argumentum à causa meritoria: quia Christus omnium meruit resurrectionem. Verùm & hoc æquè vel magis ignotum erat ipso consequente. Et, si hunc modum causæ significare voluisset Apostolus, non resurrectionem Christi, sed passionem pro argumento adduxisset. Per hanc enim Christus meruit, non per illam.

Aliorum responsio improbata.

Rectiùs igitur S. Thomas ac plerique tam Græci quàm Latini commentatores, explicant argumentum Pauli de causa exemplari: differenter tamen. Nam *alii* Christum resurgentem volunt esse causam exemplarem resurrectionis omnium hominum, etiam impiorum: *alii* verò tantùm electorum.

Vera responsio, Christi resurrectionem esse causam exemplarem resurrectionis cæterorum electorum: non autem reproborum

Quæ posterior sententia nobis omninò vera videtur; eademque vel maximè confirmatur ex iis quæ deinceps hoc capite Paulus differit. Agit enim toto capite de sola resurrectione bonorum, id est, ea quæ bonis in præmium promittitur & ab iis exspectatur, atque speratur; juxta symbolum Constantinopolitanum,

tanum, in quo dicitur, *Et expecto reſurrectionem mortuorum.* Nam & hujus ſpei paulò poſt, ex conſequenti, meminit, dicens: *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus*, &c. Deinde & Chriſtum primitias dormientium vocat: reliquum autem fructum, eos qui ſunt Chriſti, id eſt, electos ejus & membra. Ac denique reſurrectionem glorioſam à Chriſti exemplo nobis deſcribit, non eam quæ malis communis eſt. Unde idem Apoſtolus Rom. 8. de ſolis electis conſimili modo ratiocinatur his verbis: *Quod ſi ſpiritus ejus qui ſuſcitavit Chriſtum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum-Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis.* Nam *ſi quis ſpiritum Chriſti non habet*, ut ibidem dicitur, *hic non eſt ejus*: & per hoc non deputandus in numero eorum de quibus hîc ait, *Deinde ii qui ſunt Chriſti.* Verùm iſta res ex ſequentibus atque eorum declaratione magis eluceſcet.

Chriſtus reſurgēs quatenus exemplar reſurrectionis electorum.

Eſt autem Chriſtus reſurgens, exemplar reſurrectionis hominum electorum, quatenus gloria reſurrectionis ac beatæ immortalitatis in Chriſto tamquam capite perfectiſſimè declarata, ſuo quodammodo & ordine declaranda eſt in omnibus ejus membris, id eſt, electis. Nam reſurrectionis tempore membra ejus ſoli erunt electi. Innititur ergo ratio exemplaris quam Apoſtolus conſiderat, unitati & conformitati totius corporis myſtici, quod eſt eccleſia, cujus caput Chriſtus eſt. Quæ conformitas exigit, ut omnia membra participent de vita & gloria capitis. Valde ſi quidem inconveniens foret, ipſique capiti dedecoroſum, ſub capite vivo reliquum corpus mortuum remanere, totumque corpus ex capite vivo & membris mortuis conſtare: ex quo jam nec corporis appellationem mereatur, cujus membra cum capite vitalem connexionem nec habeant, nec amplius habitura ſint, ſed in perpetua morte manſura. Eſt igitur optima Pauli ratiocinatio: ſi Chriſtus reſurrexit, alios quoque mortuos qui ſunt ejus, reſurrecturos eſſe.

Porrò non rectè dici, quòd Chriſtus reſurgens ſit exemplaris cauſa reſurrectionis etiam impiorum hominum, nos rationibus aliquot demonſtravimus ad *diſt.* 43. *l.* 4. *ſent.* Idque profectò ſatis apertè ſignificat Apoſtolus *Rom.* 8. *verſ.* 28. & 29. ubi conformitatem imaginis filii Dei ſolis promittit iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.

Diſputatio Pauli de reſurrectione mortuorum cur non imperfecta.

Neque verò propterea diſputatio Pauli imperfecta videri debet, quòd ſolam hîc probet electorum reſurrectionem: quomodo nec fuit imperfecta argumentatio Chriſti, qua contra Sadducæos reſurrectionem probavit eorum tantùm qui congregandi ſunt cum Abraham, Iſaac & Jacob: quique futuri ſunt æquales angelis Dei, *Lucæ* 20. Nam reſurrectio quæ eſt ad vitam beatam, propriè conſolatio eſt fidelium; quam præcipuè ſpectarunt Chriſtus & Paulus: & ea conſtituta fideque recepta, non difficile eſt credere etiam impios ad ſupplicium reſurrecturos: ut & ipſi plenam recipiant ſuorum operum retributionem.

13. SI AUTEM RESURRECTIO MORTUORUM NON EST, NEQUE CHRISTUS RESURREXIT. Argumentatur à negato conſequente ad negationem antecedentis. Quo etiam negato; quæ incommoda ſequantur, deinceps oſtendit.

14. SI AUTEM CHRISTUS NON RESURREXIT, INANIS EST ERGO PRÆDICATIO NOSTRA: INANIS EST ET FIDES VESTRA. *Ergo* Græcè ἄρα, *certè*, *videlicet*, *utique*, particula vehementiam addens illationi. Prædicationem dicit, vel eam ſpecialiter de qua dixit, *Sic prædicamus*, ut intelligatur prædicatio reſurrectionis Chriſti: vel in genere prædicationem evangelii de Chriſto. Conſimiliter fidem ſignificat, vel eam ſpecialiter de qua dixit, *Sic credidiſtis*, id eſt, fidem reſurrectionis Chriſti; vel in genere fidem evangelii de Chriſto ſibi prædicati.

Sublata Chriſti reſurrectione, fides Chriſtianorum inanis eſt.

Porrò utraque inanis, prædicatio nimirum & fides: vel quia falſa & veritatis vacua, juxta priorem utriuſque intellectum: vel quia inutilis & fruſtranea, juxta ſenſum poſteriorem: ac ſi dicat Apoſtolus, exponente Oecumenio: *Omnia perierunt, & vana facta ſunt, tam prædicatio noſtra, quàm fides veſtra*, ſi Chriſtus non reſurrexit. Etenim ſublato articulo reſurrectionis Chriſti, tota ſpes quam in Chriſto habemus, concidit: quemadmodum in ſequentibus declaratur; ubi repetit hoc argumentum. *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra.* Proinde poſterior hic ſenſus magis probabilis eſt. Nam à falſitate prædicationis ſpeciale eſt argumentum, hoc quod ſequitur.

15. INVENIMUR AUTEM ET FALSI TESTES DEI. *Falſi teſtes*, Græcè ψευδομάρτυρες. Hîc duo ſignificantur abſurda: dedecus Apoſtolorum, & injuria Dei. Si Chriſtus non reſurrexit, *invenimur*, inquit, hoc eſt, arguimur, deprehendimur (quod in Apoſtolo turpiſſimum eſt) *falſi teſtes Dei.* Nam teſtes Dei ſunt, quorum eſt veritatem Dei nunciare hominibus: falſi teſtes Dei, qui pro veritate Dei falſa prædicant. Injuriam Dei probatio ſequens exaggerat.

Teſtes Dei. Falſi teſtes Dei.

QUONIAM TESTIMONIUM DIXIMUS ADVERSUS DEUM, QUOD SUSCITAVERIT CHRISTUM. Dicit, *adverſus Deum*; quia quicumque falſum aliquid annunciat tamquam Dei verbum, facit Deum mendacem. Et hujuſmodi teſtes ſunt omnes, qui falſas revelationes, & falſa miracula pro veris evulgant. In quos competit illud Job. 13, *Numquid Deus indiget veſtro mendacio, ut pro eo loquamini dolos?* Atque hujus peccati, imò ſceleris gravitatem doctè expendit Aquinas *in comment.*

Falſas revelationes ac miracula prædicantes ſunt falſi teſtes Dei.

Cæterùm Eraſmus pro *adverſus Deum* vertere maluit *de Deo.* Quod & alii quidam ſequuntur: eaque verſio facilem habet ſenſum: ac patrocinatur ei textus Syriacus. Verùm Græca propoſitio κατὰ cum genitivo, addita verbo teſtificandi, ut hoc loco κατὰ τοῦ, neſcio num uſpiam aliud ſignificet quam *adverſus*, ſeu *contra.* Et quidem hujus ſignificationis exempla paſſim obvia ſunt, ut *Matth.* 26. *v.* 59. & 62. & *cap.* 27. *v.* 13. *Mar.* 14. *v.* 55. 56. 57. *Sapientiæ* 4. *v.* 6. Quocirca Græci interpretes uno conſenſu de calumnia Deo impacta locum hunc exponunt. Textus item Ambroſ. habet, *adverſus Deum.* Nec ſecus legit Tertull. *l. de reſurr. carn. c.* 48. Quiddam ſimile eſt apud Jeremiam *cap.* 28. ubi ad Hananiam, qui falſa, licet felicia, tamquam à Domino miſſus prædixerat: ait Propheta: *Hoc anno morieris. Adverſum enim Dominum locutus es.*

Defenditur verſio vulgati interpretis.

QUEM NON SUSCITAVIT, SI MORTUI NON RESURGUNT. Nempe juxta ſuperiorem ratiocinationem. *Si*, Græcè εἴπερ ἄρα, *ſi videlicet.* Quamquam hoc totum, *ſi mortui non reſurgunt*, in quibuſdam Græcis exemplaribus, ac nonnullis etiam Latinis abeſſe teſtatur Iſidorus Clarius. Et tamen ſi ſcriptum non fuit, intelligi debet.

16. NAM SI MORTUI NON RESURGUNT, NEQUE CHRISTUS RESURREXIT. Repetitio eſt argumenti ſuperioris ducentis ad abſurdum. Ratio quoque ſequelæ patet ex ſupradictis. Indecens enim eſt caput reſurgere ſine membris.

17. QUOD SI CHRISTUS NON RESURREXIT; VANA EST FIDES VESTRA. Repetit argumenti confirmationem ex altero abſurdo ſuperiùs illato, mox & alia ſubjuncturus ad idem confirmandum pertinentia. Sunt quidem diverſa, etiam in Græco vocabula κενὴ ἡ πίστις, *inanis* & *vana* ſive ſupervacanea: res tamen eadem videtur intelligi, ut fides inanis & vana, ſit fides inutilis ac nullius fructus. Id enim declarant quæ ſequuntur.

Fides inanis & vana quæ dicatur.

ADHUC ENIM ESTIS IN PECCATIS VESTRIS.

Causalem particulam Græca & Syra non addunt. Juxta nostram lectionem probatio est consequentiæ præcedentis, ut si dicat Apostolus: Ideo vanam & inutilem arguo fidem vestram, si Christus non resurrexit; quia si non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris, nempe quoad reatum mortis æternæ: id est, nondum accepistis remissionem peccatorum, quam fides promittit. Cujus ratio: quia si Christus non resurrexit, nondum estis justificati: cùm in fide resurrectionis Christi vobis sita sit justitia. *Resurrexit enim propter justificationem nostram*, Rom. 4. Quod si Græcam lectionem sequamur, poterit hæc pars illativè deduci vel ex illa præcedente: *Christus non resurrexit*; idque per rationem jam datam: vel ex ista, *vana est fides vestra*. Hinc enim ulterius sequebatur, sic vanè credentes adhuc esse in peccatis suis: quia purgatio peccatorum fieri debet per fidem; quæ hîc ponitur vana, inutilis & inefficax propter falsitatem.

Purgatio peccatorum per fidem.

Notandum in textu Ambrosiano secundùm priores editiones in hoc versu non repeti, *vana est fides vestra*. Tantùm enim legitur. *Quod si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris*. Nec quidem in commentario, partis illius ulla mentio fit: ut nec apud Oecumenium. Atque inde est fortasse, quod Græcorum codices in universum careant vocula causali.

18. ERGO ET QUI DORMIERUNT IN CHRISTO, PERIERUNT. *Dormierunt*, id est, obdormierunt. Vide suprà vers. 6. Sequitur hoc absurdum ex præcedentibus, & potissimùm ex postremo. Si, inquit, qui in Christum crediderunt, adhuc sunt in peccatis suis, nec ab iis per fidem liberati: igitur & qui mortui sunt in fide Christi cum spe salutis, perierunt, fide & spe sua frustrati; utpote in peccatis mortui. Perierunt autem, sive animæ ponantur immortales, sive non. Nam etsi immortales sint animæ, perierunt ratione jam dicta, qui mortui sunt in Christo, si mortales; ergo prorsus ac penitus interierunt, instar pecorum mortuorum.

Videtur autem Apostolus emphaticè dixisse, qui *dormierunt in Christo*, hoc est, qui nobis Christianis vocantur dormientes in Christo, ob spem certam resurrectionis. Quæ consideratio auget absurdum: scilicet eos periisse, quos ipsa loquendi Christiana consuetudine vocamus dormientes, & per hoc excitandos aliquando testamur. Quamquam & vocantur *mortui in Christo*, 1. Thess. 4. *& mortui in Domino*, Apocal. 14. Porrò quia dicere quis poterat, fidem Christi prodesse saltem ad bona hujus vitæ: consequenter id etiam removet, dicens.

Emphasis vocabulo dormientes.

19. SI IN HAC VITA TANTUM IN CHRISTO SPERANTES SUMUS; MISERABILIORES SUMUS OMNIBUS HOMINIBUS. *Sperantes sumus*, Græcè ἠλπικότες ἐσμὲν, pro quo Erasmus, *speravimus*. Participium est præteriti temporis, quo Latini carent in participiis activæ formæ. Diverso verbo reddi posset, *confisi sumus*. Verùm observanda est hujus verbi proprietas ex Hebræo. Nam in præterito significat actum, non qui transiit, sed qui ita susceptus & inchoatus est, ut maneat: *speravimus*, id est, spem nostram posuimus, collocavimus, *fixamque habemus*, ut quidam vertunt. Ita passim capitur hoc præteritum in scripturis; *In te Domine speravi*, Psalm. 30. & 70. *Quoniam in me speravit, liberabo eum*. Psal. 90. Similis observatio in verbo *possedi*, id est, acquisivi, possidere cœpi; ut Gen. 4. *Possedi hominem per Deum*. Tale quid annotatum est jam antè in verbis *dormierunt*, & *sederunt*. Ordo verborum in Græco est: *Si in vita hac sperantes sumus in Christo solum*, &c. Sensus tamen postulat ordinem nostræ versionis: ut *solum* seu *tantum* referatur non ad Christum, sed ad vitam hanc: quò referunt etiam Græci commentarii. Constat autem ad actum sperandi referri non posse; qui revera tantum est hujus vitæ, non permansurus in altera, ubi spei res ipsa succedet.

Peculiaris usus verbi præteriti, speravi.

Sensus igitur argumentationis Paulinæ est: Si spes nostra quam defiximus & habemus in Christo, non extenditur ultra terminum hujus vitæ mortalis, id est, si non ab eo exspectamus bona futuri sæculi, sed præsentis tantum: sumus ergo miserabiliores cæteris hominibus: vel, quemadmodum etiam ex Græco verti potest, sumus omnium hominum miserrimi, maximéque miserabiles, ut sit Atticismus; qualis suprà cap. 13. *Major*, id est, maxima *horum est charitas*. Hujus sequelæ ratio manifesta est: tum quia Christus præcipit abstinendum à voluptatibus hujus vitæ, & injurias tolerari vult, non vindicari, & multa his similia secundum vitam carnalem dura & aspera, à suis cultoribus exigit: tum quia constat experientia, pios Christi fideles ob studium virtutis & confessionem nominis Christi infidelium & malorum hominum infestationibus expositos esse. *Omnes enim qui piè vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur*. 2. Tim. 3. Tametsi potest hic locus accipi de solis Apostolis, in quorum persona Paulus loquatur; ut sit probatio ab exemplo Apostolorum, quos sanè perabsurdum sit, cæteris omnibus esse miseriores; cùm ipsi profiteantur, omnibusque venditent doctrinam salutis.

Cur Christiani in hac vita cæteris hominibus miserabiliores.

Nota Apostolum non dicere, pejores sumus omnibus hominibus, sed *miserabiliores:* nam sublata spe felicitatis futuræ post hanc vitam, vana quidem esset fides ac religio Christiana: non tamen cessaret necessitas vivendi secundùm rectam rationem, quomodo vivunt boni Christiani. Unde præclarè scribit August. l. 21. de civit. Dei cap. 15. *Si, quod absit, illius tanti boni spes nulla esset; malle debuimus in hujus conflictationis molestia remanere, quam vitiis in nos dominationem, non eis resistendo, permittere*. Sic ille.

Porrò contra totam hanc disputationem Pauli, qua ex negata Christi & mortuorum resurrectione colligit omnem spem nostram inanem esse, nec ulla futuri sæculi bona nobis exspectanda; in promptu objectio est ex animarum immortalitate. Nam Christus non solùm meruit nobis resurrectionem corporum, verùm etiam beatitudinem animarum præstandam ante resurrectionis diem. Quare circumscripta & secluſa corporum resurrectione adhuc manebit alterum bonum ex Christi merito nobis exspectandum, scilicet animarum æterna felicitas.

Contra Pauli disputationē objectio ex animarū immortalitate.

Respondet Cajetanus Apostolum in hac sua disputatione, ac speciatim in postrema ratiocinatione, *Si in hac vita tantum*, &c. non æquiparare negationem resurrectionis negationi alteriùs vitæ simpliciter, sed quoad homines: significanter enim Apostolum dixisse, *sperantes sumus*, & *miserabiliores sumus*, nempe nos homines: & significantius addidisse, *omnibus hominibus*, ut de hominibus, non de hominum animabus eum loqui intelligamus. Animæ autem quæ post mortem corporum superstant, non sunt homines: neque jam homines constituunt.

Responsio Cajetani, quæ non videtur solida.

Verùm hæc responsio, non admodum solida videtur. Est enim usitatissima synecdoche, qua homines vita functos, ac secundùm animam solam superstites, ipsorum hominum nominibus appellare solemus, cum in vulgari sermone, tum in litaniis ecclesiæ, dicendo: *S. Petre, ora pro nobis*, &c. Cujus rei nec in scripturis exempla desunt. Nam juxta hunc tropum Lazarus in sinu Abrahæ conspicitur à divite, *Luc.* 17. Samuel Saüli dat responsa. 1. *Reg.* 28. & *Eccles.* 46. Onias & Jeremias orant pro populo, 2. *Machab.* 15. Christus quoque, sicut habet fidei nostræ confessio, descendit ad inferos. Ipse etiam Paulus alibi de seipso sic loquitur, ut Philipp. 1. *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*, & 2. Cor. 5. *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum*.

Synecdoche, qua homines mortui prioribus adhuc nominibus appellantur.

Quare non eſt veriſimile, Paulum hoc loco (quod aliàs non ſolet) attendere vocabuli proprietatem, de qua Cajetanus, atque ita doctrinam ſuam reſtringere ad tempus quo ſumus homines ex anima & corpore compoſiti; tamquam de animabus ſeparatis earumque ſtatu quæſtione diſſimulata. Quod ſi faceret; haudquaquam lectoris animo ſatisfaceret, nec difficultatem propoſitam expediret, quæ movetur de ſpe bonorum futuri ſæculi, ſive competant homini propriè, ſive animæ ſoli: ut quæ, etiam ſeparata, beatitudinis capax eſt, eaque donatur. Neque enim in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, ſi beatitudinem ſecundùm animas ſaltem (quæ nobilior noſtri pars eſt, qua formaliter homines ſumus) poſt hanc vitam exſpectamus.

Aliorum reſponſio.

Alij proinde reſpondent, eos qui tempore Apoſtolorum negaverunt reſurrectionem mortuorum, negaſſe etiam animas poſt mortem corporum ſupereſſe. Hanc enim Sadducæorum hæreſim fuiſſe docet Lucas Actor. 23. ſcilicet non ſolùm reſurrectionem non eſſe; ſed *neque angelum, neque ſpiritum*; id eſt, animam humanam à corpore ſeparatam. Quare ſecundum illos, ſublata reſurrectione nihil reſtabat exſpectandum poſt hanc vitam. Idque adeò ſignificaſſe videtur ſcriptura 2. *Mach.* 12. ſic loquens de Juda Machabæo, qui juſſerat offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium: *Benè & religiosè de reſurrectione cogitans. Niſi enim eos qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* Quod utique vanum videri non poſſet, agnito felici ſtatu animarum poſt hanc vitam, quamvis excluſa ſpe reſurrectionis corporum.

Sublata reſurrectione corporum periclitatur immortalitas animarum.

Huic reſponſioni conſona quædam adfert etiam S. Thomas, dicens, Si negetur reſurrectio corporum; difficilè ſuſtineri poſſe immortalitatem animæ; videlicet propter naturalem ejus inclinationem ad corpus. Verùm obſtat, quod hæc ab Apoſtolo ſcribuntur non contra Sadducæos, ſed ut initio diximus, contra philoſophiam humanam: cui probabilis quidem eſt animarum vita poſt mortem corporum; (multi namque & clari philoſophi ita ſenſerunt) improbabilis autem, imò impoſſibilis, reſurrectio corporum. Secundum hos igitur remanet nodus quæſtionis adhuc inſolutus.

Alia reſponſio melior.

Quocirca dicendum videtur, Paulum non negare, quin Chriſtus, ſi ita Patri viſum fuiſſet, per mortem ſuam genus humanum ſalvum facere potuiſſet quoad animas ſolas; ita ut neque ipſe reſurgeret, neque quiſpiam alius ex ejus merito; ſed ſola poſt hanc vitam exiſteret felicitas animarum ſine fine regnantium cum anima Chriſti: neque Paulum voluiſſe quæſtionem ingredi, num ita fieri potuiſſet: ſed loqui ex hypotheſi divinæ ordinationis de Chriſto & noſtra per eum ſalute. Deus enim, qui omnia ſapienter apteque diſponit, non voluit mortem Chriſti Filij ſui ſine ejus ad vitam reſurrectione, qua mortem ſuperaret: ac conſequenter non voluit mortem illius quicquam nobis prodeſſe; nec ad ſalutem corporis, nec animæ, ſi non eſſet à morte reſurrecturus, & per reſurrectionem glorificandus: tum quia Chriſti glorificatio, finis erat principalior paſſionis & mortis ejus quàm ſalus noſtra: tum quia per Chriſti reſurrectionem ſpes ſalutis quam in ipſo haberemus excitanda erat atque erigenda: quæ alioqui nulla aut vix vlla futura eſſet.

Explicatur ordinatio divina de Chriſto & noſtra per eum ſalute.

Chriſti glorificatio finis principalior paſſionis ejus, quàm ſalus noſtra.

Quis enim crederet ac ſperaret in Chriſtum mortuum, nec amplius victurum: de quo deinceps & in æternum diceretur; non eſt Chriſtus? Hinc in ejus perſona pſalmiſtes ait: *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Pſalm. 29. Spem vero noſtram & fidem & juſtificationem ab ejus reſurrectione pendere, expreſsè docet Apoſtolus Petrus 1. *epiſt.* 1. de Deo loquens. *Qui regeneravit nos*, inquit, *in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu-Chriſti ex mortuis.* Et iterùm, *Qui ſuſcitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides veſtra eſſet in Deo*, & Actor. 5. *Hunc principem & Salvatorem Deus exaltavit dextera ſua, ad dandam pœnitentiam Iſraëli & remiſſionem peccatorum.* Scribit his conſentanea S. Thomas 3. *qu.* 53. *art.* 1. ubi rationes adfert ob quas neceſſarium fuit Chriſtum reſurgere.

Cum igitur, hac ſuppoſita divina ordinatione, mors Chriſti ſine ejus reſurrectione non fuerit nobis ad juſtitiam & peccatorum remiſſionem profutura: benè colligit Paulus; *Si Chriſtus non reſurrexit, adhuc eſtis in peccatis veſtris*, & benè infert ulteriùs: *Ergo & qui domierunt in Chriſto, perierunt*: quippe mortui in peccatis. Ex quo jam patet nihil nobis felicitatis à Chriſto, ſi non reſurrexit, exſpectandum in futuro ſæculo: ne quidem quoad animam ſolam: ac multò minùs in vita præſenti, in qua miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.

20. NUNC AUTM CHISTUS RESURREXIT A MORTUIS, PRIMITIÆ DORMIENTIUM. Hic jam Apoſtolus ex abſurdis quæ nemo Chriſtianus conceſſerit, redit ad ſtatuendam ſuam propoſitionem, qua negata ſequebantur abſurditates illæ. Ea propoſitio eſt, Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis. Ex qua deinceps ratiocinatione directa probat inſtitutum principale, id eſt aliorum mortuorum reſurrectionem. Ac primùm argumento à fructuum primitiis ſumpto: quia nimirum Chriſtus reſurrexit tamquam *primitiæ dormientium*. Quod in Græco ſic habetur: ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων ἐγένετο, *primitiæ eorum qui dormierunt, factus eſt*, ſive *fuit*, ut vertit Eraſmus. Græcæ lectioni Syriaca ſuffragatur: tametſi verbum ἐγένετο in vetuſtis quibuſdam Græcis non additur. *Dormierunt* autem, id eſt, obdormierunt & adhuc dormiunt: ut rectè verterit interpres noſter in præſenti, *dormientium*. Nunc autem, inquit, Apoſtolus, quod omnes fatemini, Chriſtus à mortuis reſurrexit. Verùm, quod ſcire debetis, ita reſurrexit, ut reſurgendo factus ſit mortuorum ac dormientium primitiæ, id eſt, quaſi primitivus fructus, è terra, in quam velut granum frumenti per mortem ceciderat, exortus ac renatus. Dicuntur enim primitiæ, primi fructus è terra percepti, ac Deo offerendi. Cùm ergo primitiæ referantur ad ea quorum primitiæ ſunt: conſequitur & alios mortuos è terra ſurrecturos eſſe. Tametſi prætereà videtur Apoſtolus ad ritum veteris legis alludere: de quo *Num.* 15. & *Deut.* 26. ut quemadmodum illic in primitiis Deo oblatis, totius anni proventus quodammodo ſanctificabatur: ita ſentiat in Chriſto, qui reſurrexit primus, omnium noſtrûm futuram reſurrectionem dedicatam eſſe.

Mortuorum reſurrectio probatur ex reſurrectione Chriſti.

Porrò Chriſtum primitias ſeu primitivum fructum reſpectu dormientium vocat Apoſtolus; quòd primus mortuorum à morte reſurrexit: primus, inquam, tempore & dignitate. Nam utrumque Latini interpretes urgent. Ac tempore quidem primus, quia ad immortalem vitam nullus ante eum ſurrexit, ſed omnes alij poſt eum. Siquidem & illi de quibus ſcribit Matthæus 27. *Multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt* (quò omninò veriſimile eſt ad immortalem vitam reſurrexiſſe) juxta ſententiam multorum valde probabilem, non ante ſed poſt Chriſtum reſurrexerunt, velut glorioſæ ejus reſurrectionis comites & aſſeclæ. Quod enim apud Matthæum deſcribitur horum reſurrectio ſtatim poſt narrationem mortis Dominicæ, non autem reſurrectionis: prolepſis eſt hiſtorica, non infrequens in ſcripturis. Etenim occaſione prodigiorum quæ narrat Evangeliſta mortem Domini continuò fuiſſe conſecuta, inter quæ erant terræ motus & monumentorum apertio vi terræ motus facta: reſurrectionem mortuorum, qui è monumentis illis apertis, etſi tertio demum die, egreſſi ſunt vivi, putavit eadem

Chriſtus ante omnes alios reſurrexit ad vitam immortalem. Reſurrectio eorum de quibus Matthæus qualis, & quando facta.

Prolepſis hiſtorica in ſcripturis.

ſerie narrationis attexendam. Cæterum dignitate primus dormientium Chriſtus ; quia præſtantiſſimus & optimus omnium, ut ſolent primitiæ meliores eſſe reliquo fructu.

Quæritur autem, quorum dormientium primitiæ Chriſtus, omniumne, an juſtorum dumtaxat. Ambroſius *lib. de fide reſurrect. poſt medium*, extendit ad omnes dormientes ; ſive, ut ille loquitur, quieſcentes, id eſt, ad omnes mortuos, etiam injuſtos: ſignificans horum quoque reſurrectionem ex merito Chriſti tamquam communis benefactoris provenire. Verùm ſalva tanti doctoris reverentia, videtur id non rectè dici. Nam injuſti ac reprobi, meritorum Chriſti poſt hanc vitam participes fieri nequeunt: ut qui fidem (ſine qua Chriſti merita non poſſunt eis applicari ad cætera beneficia per ipſum conſequenda) vel numquam habuerunt, vel ſi habuerunt, peccando ſibi inutilem fecerunt.

Verior aliorum ſententia, Chriſtum eſſe primitias electorum tantum.

Dicendum igitur Apoſtolum ſolos in Chriſto dormientes hîc intelligere ; ſive, quemadmodum loquitur Aquinas, mortuos *qui in ſpe reſurrectionis quieſcunt*, id eſt, ſolos juſtos atque electos, qui membra ſunt Chriſti. Nam ut ex reſurrectione capitis Chriſti non rectè ducitur argumentum ad reſurrectionem omnium hominum, ſed eorum tantùm qui membra ſunt ſub illo capite: ſic ex reſurrectione Chriſti tamquam fructus primitivi, non procedit ratio niſi ad fructum ſequentem. Etenim primitiæ tantum ad fructus referuntur. Fructuum autem nomine nuſquam in ſcripturis mali ac reprobi ſignificantur, ſed ſoli boni. Nam malos ſcriptura paleas appellat, zizania, & ſpinas ac tribulos, ut *Matth. 3. & 13. Heb. 6.* Quare vel ex ipſo vocabulo primitiarum ſatis argumenti eſt, ad excludendum hoc loco malos ac reprobos.

Mali non ſunt fructus ſed paleæ, zizania, ſpinæ & tribuli.

Et obſerva Chriſtum hîc ita nuncupari primitias dormientium, quemamodum alibi primogenitum mortuorum, *ut Coloſ. 1. & Apoc. 1.* Non eſt autem primogenitus, niſi reſpectu fratrum ex eodem patre per adoptionem genitorum: quos Deus *prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij ſui ; ut ipſe ſit primogenitus in multis fratribus*, Roman. 8. Quare nec primitiarum nomen ei competit, niſi reſpectu eorum qui fructus appellationem mereantur, id eſt ſequentium Chriſtum : uti benè ratiocinatur Oecumenius ſuper *Epheſ. 1.* Nec pluribus opus: quando Paulus ipſe ſenſum ſuum aliquantò pòſt apertè declarat dicens, *Primitiæ Chriſtus, deinde ii qui ſunt Chriſti.* Quorum nempe reſpectu primitiæ Chriſtus.

Chriſtus primogenitus mortuorum.

21. QUONIAM QUIDEM PER HOMINEM MORS, ET PER HOMINEM RESURRECTIO MORTUORUM. *Quoniam quidem.* Græcè ἐπειδὴ γὰρ, *Quandoquidem enim.* Cauſalem particulam *enim* habent etiam mss. quædam Latina, & veteres concordantiæ. Legunt item Irenæus Latinus *lib. 5. c. 13.* & Hilarius *l. 11. de Trin.* Eſt itaque ſententia tota hypothetica cauſalis, ſeu rationalis potiùs (neque enim antecedens ejus propriè cauſam indicat conſequentis) continens argumentum à comparatione quæ fit per antitheſin, (quo etiam argumento uſus eſt *Rom. 5. v. 12.*) & hoc modo explicanda. Nam quia per unum quemdam hominem mors invecta fuit in genus humanum : conſentaneum eſt ut & mortuorum reſurrectio per unum quemdam hominem introducatur. Qui proinde unus homo reſurgens à morte, primitiæ dormientium ad reſurrectionem factus eſt.

Ut per hominem mors, ita per hominem reſurrectio mortuorum.

Quæruntur aliqui quomodo per hominem mors; cum ea neceſſariò conſequatur naturam humani corporis, quod ex contrariis activis & paſſivis compoſitum, non poteſt non tamdem corrumpi. Sed breviter reſpondetur, in hanc ipſam neceſſitatem ex unius peccato nos omnes incidiſſe: quum unus ille tranſgreſſus Dei præceptum, immortalitatis ſtola gratuita, quam in creatione ſupra naturam acceperat, ſeſe nudavit: ut meritò jam audiret; *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3. Hinc de eo beatus Auguſtinus lib. 6. de Geneſ. ad lit. ca. 25. *Mortalis erat*, inquit, *conditione corporis animalis: immortalis autem beneficio conditoris.* De eodem diſſerens Richardus à S. Victore *l. 1. de Emanuele c. 11.* mutationem illam hominis qua mortalis factus eſt, vocat denudationem immortalitatis, honoris degradationem, dignitatiſque detractionem, denique exſpoliationem incorruptibilitatis.

Quomodo per hominem mors, cùm ſit ex natura. Reſponſio. Immortalitas corporis ſupra naturam.

Nota.

Porrò reſurrectionem mortuorum hoc loco non pauci inter quos & Pſeudambroſius, generaliter accipiunt ut ad malos ac reprobos etiam pertineat: quaſi illi quoque per unum hominem recipiant vitam, ſicuti per unum hominem inciderunt in mortem. Sed id dici non poſſe ſatis opinor, ex *ſupradictis ad verſ. 12. & 20.* manifeſtum eſt.

Rectiùs igitur qui ſentiunt Apoſtolum loqui de reſurrectione quæ eſt ad vitam beatam, qualis infrà deſcribitur: & de qua dicebat unus martyrum Machabæorum ad Antiochum regem, *Rex mundi defunctos nos proſuis legibus, in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit.* Et alius, *Tibi reſurrectio ad vitam non erit*, 2. Machab. 7. De qua & Dominus apud Joan. cap. 5. *Procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ.* Hujus quippe reſurrectionis authorem ſe declarat idem Dominus Joan. dicens : *Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me, Patris ; ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo ; ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.* Quod & identidem repetit in eodem ſermone. Et hæc eſt reſurrectio, quam filius Dei propriam facit *Lucæ 20.* ubi Sadducæis reſpondens ait : *Qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubunt, &c. æquales enim angelis ſunt : & filii ſunt Dei, cùm ſint filii reſurrectionis.*

Sola ad vitam beatam reſurrectio per Chriſtum.

Quapropter & hunc Apoſtoli locum, dicentis ; *& per hominem reſurrectio mortuorum*, non dubitavit Auguſt. de beata reſurrectione interpretari, in *epiſt. ad Hilar. 89. quæſt. 3.* quum recitatis Apoſtoli ververbis ita proſequitur, *utique reſurrectionem dicit juſtorum, ubi eſt vita æterna : non reſurrectionem iniquorum, ubi mors erit æterna.* Vide ejuſdem & alia loca apud Bedam.

Sed & inter recentiores Carthuſianus hanc reſurrectionem ad eos contrahit *qui immutabuntur.* Nam inquit, paulò pòſt, quod *impii reſurgent, non erit merito Chriſti, ſed divina ejus virtute.* Similiter & Hofmeiſterus ſtudiosè monet : *Paulum tantùm loqui de reſurrectione electorum, qui verè in vitam reſurgent* : nam impios quidem etiam reſurrecturos, *ſed in eam vitam, quæ mors ſecunda dicitur.* Jam quos Apoſtolus duos homines dixerit, alterum mortis, alterum reſurrectionis authorem, ipſe conſequenter exponit.

22. ET SICUT IN ADAM OMNES MORIUNTUR; ITA ET IN CHRISTO OMNES VIVIFICABUNTUR. Græcè & Syriacè, *Sicut enim & in Adam*, &c. Quemadmodum & habet textus Ambroſ. & paſſim legit Auguſt. Poteſt autem hæc ſententia bifariam exponi, *vel hoc modo*: Sicut omnes qui moriuntur, per Adam moriuntur: ita & omnes qui vivificabuntur, per Chriſtum vivificabuntur. Qui ſenſus ab Auguſtino traditur non uno loco, *ut in epiſt. 28.* quæ eſt ad Hieron. *Per hanc*, inquit, *Apoſtolicam ſententiam evidenter elucet, neminem ire in mortem, niſi per Adam : neminem ire in vitam æternam, niſi per Chriſtum.* Unde & colligit parvulos ſine baptiſmo quo Chriſto incorporentur, vivificari non poſſe. Et in *epiſt. 157.* ad Optatum : *Sicut in regno mortis nemo ſine Adam : ita & in regno vitæ nemo ſine Chriſto.* Item *lib. 13. de civit. Dei cap. 23.* & aliis locis à Beda collectis.

Duplex hujus loci intellectus.

Vel iſto modo: Sicut per Adam moriuntur omnes qui ſunt Adæ, id eſt, omnes homines: ita per Chriſtum vivificabuntur omnes qui ſunt Chriſti, id eſt, omnes electi. Hic ſenſus eſt apud Leonem *ep. 23.* ubi

Alter ſenſus probabilior.

referens hæc verba, *ita & in Chriſto omnes vivificabuntur: Hi utique omnes*, ait, *qui licet in Adam ſint nati, in Chriſto tamen inveniuntur renati.* Itemque ſermone 15. *de paſſ. Dom.* ubi de iis exponit qui ſunt membra Chriſti. Utrumque enim intellige finaliter. Quin & Aug. utitur hoc ſenſu *l.* 20. *de civit. Dei cap.* 20. Quem & nos ut probabiliorem amplectimur, tum quia plenior eſt, tum quia convenit cum ſimili ſententia Rom. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Denique Paulus ipſe ſtatim infrà declarat, de quibus omnibus in Chriſto vivificandis loquatur; nempe de iis qui Chriſti ſunt.

Omnes & ſoli electi per Chriſtũ vivificandi.

Igitur hi omnes & ſoli per Chriſtum vivificabuntur, id eſt, excitabuntur ad vitam beatam. Hanc enim vivificationem electis propriam, non autem eam quæ reprobis communis erit, uterque commentarius jam dictus ſupponit. De eadem Hervæus: *Hæc*, inquit, *vivificatio propriè ad electos pertinet.* Sed & gloſſa interlinealis eam ad filios adoptivos reſtringit: ac rurſum ad electos Carthuſianus, eos ſcilicet *qui merito Chriſti beatam immortalitatem adipiſcentur: de quibus & Chriſtus dixit, Omnia traham ad meipſum*, Joann. 12.

Pelagii commentarius Pelagianus.

Cæterum quo cauſalitatis modo per Adam mors, & per Chriſtum vita, declaratum eſt in *comm. Rom.* 5. Nam quod Pelagius interpretatur per Adam mortem intraſſe, *quia primus ipſe eſt mortuus*, & per hoc *morientium forma*: ac ſimiliter de Chriſto reſpectu reſurgentium, videlicet ſolum agnoſcens in illis moriendi primum exemplum; quaſi neque mors ſit ex illius peccato, neque reſurrectio ex hujus merito, ſecundùm hæreſim ſuam ſapit & ſcribit.

23. UNUSQUISQUE AUTEM IN SUO ORDINE. Græcè *in proprio ordine.* Subaudi vivificabitur: ea nimirum vivificatione, de qua Paulum oſtendimus eſſe locutum. Ordinem intellige dignitatis ac meritorum, ut benè exponit Tertull. *lib. de reſurr. carnis cap.* 48. non autem temporis, ut vult Cajetanus. Certè conſtat non inter omnes reſurgentes fore temporis ordinem. Et nobiſcum ſentiunt alii plerique tam Græci quàm Latini interpretes; ac favent huic ſenſui quæ de diverſitate gloriæ electorum infrà dicuntur *verſ.* 40. 41. 42. Quod enim Theodoritus ordinem hunc refert ad ſeparationem agnorum ab hædis, de qua *Matth.* 25. videlicet accepta vivificatione generaliter, id ex dictis facilè refellitur: deinde nec cohæret cum ſequentibus.

Electi reſurrecturi non temporis ordine, ſed dignitatis.

PRIMITIÆ CHRISTUS. Hoc eſt, ante omnes in Chriſto vivificandos, ipſe Chriſtus tamquam primitiæ dormientium, ideoque primus dignitate, jam vivificatus eſt.

DEINDE II QUI SUNT CHRISTI, QUI IN ADVENTU EJUS CREDIDERUNT. Multi codices pro *adventu* legunt *adventum*, minus rectè. Utrumvis autem legas, poterit hic ſenſus dari: Poſt Chriſtum, cujus reſurrectio jam præceſſit, vivificabuntur ii qui ad Chriſtum pertinent, id eſt, electi, quique adventum ejus ſecundum & glorioſum crediderunt & credendo exſpectarunt; vivificabuntur, inquam, tempore & dignitate Chriſto poſteriores: & ipſorum unuſquiſque in ordine ſuo. Sic ferè Latini. Nam quod Stapulenſis & alii nonnulli ſenſum eſſe putant; qui in priore ejus adventu crediderunt; minus congruit. Non n. in illo adventu, ſed poſt illum eccleſia fidelium collecta eſt, & colligitur uſque ad finem ſæculi.

Senſus vulgatæ lectionis hujus loci.

Porrò ſciendum, in Græco & Syriaco tantum hæc haberi verba: *Deinde*, ſeu *poſtea qui ſunt Chriſti in adventu ejus.* Quæ lectio viſitur etiam in Latinis quibuſdam mss. & in antiquis concordantiis: niſi quod concordantiæ legunt *adventum* quarto caſu, mss. verò caſum varient. Exhibent eamdem Græcam lectionem textus Ambroſiaſtri & Primaſii, commentario utriuſque reſpondente: licet in editione recentiore commentarii Ambroſ. legantur verba vulgatæ verſionis. Ad eumdem modum citant Hier. *in comm. Iſaiæ cap ult.* & Ruffinus *in expoſ ſymb.* Item Auguſt. *tract. 68. ſuper Joan. & qu. 69. lib. 83. quæſt.* quibus locis ita legit: *Deinde qui ſunt Chriſti in præſentia ejus.* Nam Græcum nomen παρουσία ſignificat etiam præſentiam: tametſi meliùs huic loco quadrat adventus: eſtque ea vocabuli ſignificatio frequentior in ſacris literis. Lombardus quoque gloſſam ordinariam ſecutus annotat aliam literam ſic habere: *Deinde qui ſunt Chriſti in adventu ejus.* Et hanc lectionem ita commendat Haimo, ut codices id habentes quod vulgò legitur, affirmet eſſe depravatos.

Græca lectio probatur ſincerior.

Græcæ lectionis ſenſus ſecundũ Cajetanum.

Eam porrò Græcam lectionem Cajetanus exponit hoc modo: Deinde reſurgent qui erunt Chriſti in adventu ejus ad judicium venientis: id eſt, reſurgent juſti: ut hoc dictum ſit *ad differentiam eorum qui ſunt Chriſti* dumtaxat *in hac vita*, ſcilicet *profeſſione Chriſtiana*, non operum veritate. Sic ille quidem, ſed præter Apoſtoli mentem; ut qui etiam in hac vita ſolos juſtos agnoſcit eſſe Chriſti. Dicit enim Rom. 8. *Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.*

Alius ſenſus melior.

Rectiùs igitur Theoph. hoc modo: Chriſtus primus reſurrexit: poſteà verò qui Chriſti ſunt, hoc eſt, juſti vivificabuntur ac reſurgent *in adventu ejus*, id eſt, ipſo adveniente: quando videlicet *ipſe Dominus*, ut ait Apoſtolus 1. Theſſ. 4. *in juſſu & in voce archangeli & in tuba Dei deſcendet de cælo*: tunc enim *mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent.* Poſſet etiam Græca lectio cum eo quod præcedit, ordinari & exponi in hunc modum: Unuſquiſque in ordine ſuo vivificabitur in adventu Chriſti, id eſt, Chriſto ad judicium veniente: ut illa verba media (*Primitiæ Chriſtus: deinde ii qui ſunt Chriſti*) parenthetica ſint. Sed hanc conſtructionem fateor eſſe coactiorem, nec difficultate carere. Notandum eſt autem Apoſtolum nullam hîc facere mentionem reſurrectionis malorum: ut cui propoſitum ſit de ſola beata reſurrectione, quæ juſtorum eſt, diſſerere.

Paulus agit de ſola reſurrectione bonorum.

DEINDE FINIS. Supple, erit. Sed cujus rei finis? Quidam finem hominis intelligunt, eum nempe, cujus gratia conditus eſt, id eſt, perfectam felicitatem, qua deinceps & in æternum homo fruetur. Cajetanus hac parte ſignificari putat tertium ordinem reſurgentium, ſcilicet omnium reproborum: quibus demùm poſt electos ſuſcitatos finem accipiat univerſalis hominum reſurrectio. Cui commentario favent Theophyl. & Oecumen. Exiſtimant enim juſtos, qui juxta Apoſtolum 1. *Theſſ.* 4. rapiendi ſunt in aëra, obviam Domino, priùs excitandos eſſe: deinde peccatores, qui infrà poſiti, judicandi ſunt. Sed hæc opinio Theologis non probatur, neque ex Apoſtoli verbis elici poteſt; qui de malorum reſurrectione non agit. *Senſus* itaque ſimplex & planus eſt, quem Chryſoſt. tradit; poſt reſurrectionem eorum qui Chriſti ſunt, mox finem, id eſt, conſummationem fore omnium rerum: eò quod nulla ſit ampliùs in exſpectatione futura rerum mutatio; nimirum peracto judicio, & eo completo quod ſequitur.

CUM TRADIDERIT REGNUM DEO ET PATRI. Utique Chriſtus homo, ſignificatus per illum hominem nobilem, qui *abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum & reverti*, Lucæ 19. Hoc autem Chriſti regnum eccleſia ejus eſt, *quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Act. 20. & quæ dicit in omnibus ſanctis agno Chriſto: *Feciſti nos Deo noſtro regnum.* Apocal. 5. Igitur iis qui Chriſti ſunt, id eſt, electis omnibus ad vitam revocatis, in quibus ſolis eccleſia tunc conſiſtet, hoc ipſum regnum ſuum tradet Chriſtus *Deo & Patri*: non quod ipſe tunc non ſit amplius regnaturus; de quo prædixit Angelus ad virginem, quod *regni ejus non finis.* Luc. 1. ſed quia perfectè regno ſuo potitus (quod futurum eſt poſt omnium reſurrectionem, ſubjectis penitus adverſariis), ita ut regno ejus nulla

Chriſti regnum eſt eccleſia.

Chriſtus regnum tradet Deo & Patri, quo ſenſu.

jam hoſtilitas poſſit vel minimum nocere) non ſibi victoriam de tot tantiſque hoſtibus debellatis attribuet homo ille : nec ingentem illam & ineffabilem gloriam ſui regni jam omni ex parte pacati, ſibi vendicabit: ut ferè ſolent reges terræ victorias ac regni felicitatem & gloriam, ſuæ virtuti aſcribere; quorum unus referente Daniele c. 4. cum magno animi tumore dicebat, *Hæccine eſt illa Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?*

Superbia regis Nabuchodonoſor.

Non ita Chriſtus Dominus rex noſter; ſed tradet regnum Deo & Patri: id eſt, cum ſubjectione & gratiarum actione glorioſum illud regnum ſuum Deo Patri ſuo offeret, profitens univerſam regni ſui gloriam illi authori ſe acceptam referre: eamque profeſſionem ſuam omnibus tam angelis quam hominibus, nec electis modò, verum etiam reprobis faciet manifeſtam: ut omnes agnoſcant potentiam & gloriam eſſe ſolius Dei: denique ad eum ut principium, & in eum ut finem omnia eſſe referenda. Qui ſenſus hujus loci magis etiam ex ſequentibus pateſcet: ubi tamdem concludit: *Ut ſit Deus omnia in omnibus*: eumdemque ſenſum præ aliis expreſſit inſcriptus Ambroſio commentarius; & pluribus explicat Cajetanus.

Chriſtus univerſam regni ſui gloriam Deo fert acceptam.

Ad Deum ut principiū & finē omnia referenda.

Cæterùm Hilarius quidem *lib.* 11. *de Trinit.* & poſt eum Aug. *libr.* 1. *de Trinit. cap.* 8 & Hugo Victorinus *in quæſt. hujus capitis*, cenſent ita dictum eſſe; *Cum tradiderit regnum Deo & Patri*; ac ſi diceretur: cùm perduxerit electos ſuos, in quibus nunc ex fide viventibus regnat, ad contemplationem Dei & Patris. Eſtque hic etiam ſenſus doctus & pius; quem & alii Latini ſuis inſeruerunt commentariis. Verùm prior intellectus, ut dixi, magis convenit cum iis quæ in Apoſtolo ſequuntur.

Aliorum ſenſus bonus, ſed minus germanus.

Dicit autem *Deo & patri*, id eſt, Deo qui idem eſt Pater ſuus (eſt enim in Græco tantum unus articulus, utrumque complectens) quia ſicut Chriſtus ut homo omnia refert in Deum; ita idem ipſe ut Dei filius, omnia refert ad Patrem, qui fons eſt & principium in deitate. Liquet ex dictis, quàm futile ſit ex hoc loco petitum argumentum Arianorum, quo regnum futuri ſæculi Chriſto adimebant: quia ſi traderet illud Patri, non ſibi ipſe retineret. Ad quod perappoſitè reſpondet Hilarius l. 11. de Trinit. *Videamus*, inquit, *an traditio regni defectio ſit intelligenda regnandi, ut quod tradidit Filius patri, tradendo non teneat. Quod ſi quis contendet, fateatur neceſſe eſt, patrem cùm tradidit omnia Filio,* (*Luca* 10.) *amiſiſſe tradendo, ſi tradentem traditis egere ſignificet.* Hæc ille.

Cur dictum Deo & Patri.

Pater fons & principiū in Deitate.

Arianorū ex hoc loco argumentum refellitur.

CUM EVACUAVERIT OMNEM PRINCIPATUM ET POTESTATEM ET VIRTUTEM. In Græco ſignum univerſale ſecundo loco repetitur, *& omnem poteſtatem & virtutem.* Textus Ambroſ. addit *& dominationem.* Sed alii non agnoſcunt. *Evacuaverit*, Græcè καταργήσῃ, *aboleverit.* Virtutem, δύναμι *potentiam.* Per hæc tria, *principatum & poteſtatem & virtutem*, Cajetanus intelligit omnes magiſtratus qui modò conſtituti ſunt ad regimen humani generis, ſupremos, medios & infimos, tam angelicos quàm eccleſiaſticos. Nam poſt omnium reſurrectionem hujuſmodi præfecturis jam non erit opus. Licet enim remanſuri ſint, (uti S. Thomas *in comm.* docet) ordines angelorum diſtincti, quantum ad eminentiam gloriæ, qua aliis præcellunt: non tamen quantum ad exſecutionem poteſtatis aut officii circa homines. Senſum illum generalem etiam tradit utraque gloſſa.

Per principatum, poteſtatē, virtutē, qui intelligātur: opinio Cajetani.

Ordines angelorū quatenus remāſuri poſt judicium.

Sed alii ferè Latini, authore S. Auguſtino *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 8. reſtringunt Apoſtoli verba ad angelicos ordines: quorum hæc utique nomina ſunt, Principatus, Poteſtates & Virtutes: ita tamen ut ſub his etiam cæteros cæleſtium ſpirituum ordines comprehenſos velint.

Auguſtini & aliorum ſententia.

At verò Græci commentatores, imò & veteres Latini Ambroſ. Pelagius, Primaſius & Sedulius, interpretantur hunc locum de poteſtatibus adverſariis, id eſt, dæmonibus, nomina videlicet ordinum angelicorum è quibus ejecti ſunt, retinentibus: de quibus idem Apoſtolus Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes*, ſeu *principatus & poteſtates*, & Rom. 8. *Neque angeli, neque principatus, neque virtutes poterunt nos ſeparare à charitate Dei.* Igitur juxta memoratos interpretes hic erit *ſenſus*; Quod facturus eſt Chriſtus, id eſt, regnum Deo & Patri traditurus; poſtquam adverſarias poteſtates aboleverit, hoc eſt, debellaverit ac protriverit, & poſuerit eas ſcabellum pedum ſuorum; ſic ut jam nemini qui ſit ex parte ipſius, quicquam mali poſſint inferre. Senſum hunc exigunt planè ea quæ ſequuntur.

Opinio de poteſtatibus adverſariis probabilior.

Patet etiam ex eo, non eſſe conſequens (quod quidam opinati ſunt) dæmones poſt tempus extremi judicii nullam ampliùs poteſtatem exercituros in homines damnatos. Nam de tali poteſtatis abolitione non eſt hîc ſermo. Quid autem de ea ſentiendum ſit, diſputari ſolet ad *diſt.* 47. *libr.* 4. *Sent.* Sanè conſtat impios & judicatos numquam è poteſtate diaboli liberandos eſſe. Non enim liberat niſi Chriſtus, cujus beneficiorum illi participes eſſe non poterunt. Quare ſicut ira Dei manebit ſuper eos, ita & diaboli, dæmonumque poteſtas, quibus à Deo judice tradentur. Quod ſignificare videtur Chriſtus Matth. 18. dicens de quodam: *Et iratus dominus tradidit eum tortoribus, quoad uſque redderet univerſum debitum;* id eſt, in æternum cruciandum. Non enim habebat *unde redderet.*

An dæmones poſt extremū judicium poteſtatē exercituri in damnatos.

Pars affirmativa probabilior.

Unde B. Auguſtinus libr. de catech. rudibus c. 25. *Fuge frater*, inquit, *illa tormenta, ubi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur.* Loquitur autem de tormentis gehennæ, futuris poſt reſurrectionem corporum. Et in tract. de urbis excidio, cap. 4. *Ibi æternus eſt & qui torquet & qui torquetur.* In eamdem ſententiam pronus eſt S. Thomas *in ſcripto ſuper dictam diſt. quæſt.* 1. *art.* 2 *quæſt.* 4. Porrò de nominibus ordinum angelicorum, quæ hîc & alibi apud Apoſtolum leguntur, quonam modo differant, difficile eſt pronunciare. Diſputant ea de re Theologi *in ſententiis ad diſt.* 9. *libri* 2.

25. OPORTET AUTEM ILLUM REGNARE, DONEC PONAT OMNES INIMICOS SUB PEDIBUS EJUS. In Græco ſic habetur: *Oportet enim eum regnare, donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes ſuos.* Nam Græci codices qui nunc in manibus verſantur, habent ἄνω cum ſpiritu denſo. Sed ſciendum veteres non ſolere vocabulis Græcis accentus aſcribere nec ſpiritus: quomodo nec Hebræi punctis utebantur. Poſteriores verò, qui ſenſum putarunt eſſe reciprocum, aſcripſerunt notam denſi ſpiritus: & hoc ſecuti interpretes recentiores verterunt *ſub pedibus ſuis*, aut *ſub pedes ſuos*, non ſatis expenſa mente Pauli, & ſenſu ſcripturæ ad quam ille reſpicit. Arbitrati ſunt enim Paulum velle dicere quod Chriſtus ipſe ſibi ſubjecturus ſit inimicos ſuos. Atqui reſpicit ad verſum Pſalmi 109. quo Pater ait ad Filium: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Ubi certè non de Filio dicitur, ſed de Patre, quod inimicos Filii ſit ſubjecturus pedibus ejus. Sentit ergo Paulus Chriſtum regnaturum, donec Deus & Pater (quem nominavit verſu proximo) poſuerit omnes illius inimicos ſub pedes ejus, nempe Chriſti Filii. Quam rem benè conſiderans, & ad Pſalmi locum referens Apoſtoli verba Tertull. *lib.* 5. *adverſ. Marc. c.* 9. legit, *ſub pedibus.* Quo etiam loco (ut id obiter adjiciam) cum Græcis legit, *Oportet enim*: quemadmodum & commentator Ambroſ. atque Sedulius & Hilarius *lib.* 11. *de Trinit.* & paſſim Auguſtinus. Senſum quem dicimus, præterea probant quæ hîc apud Apoſtolum ſequuntur: *Omnia*

Nota de accentibus, ſpiritibus & punctis.

Pauli ſenſus explicatur.

enim ſubjecit ſub pedibus ejus, vel *ſub pedes ejus*, uti vertunt omnes, & paulò pòſt, *Præter eum qui ſubjecit ei omnia.* Quæ quamvis ad alium Pſalmum, id eſt, octavum pertineant, ſenſum tamen loci præcedentis declarant. Jam *regnare* quid ſit hoc loco, videndum. *Regnare*, inquit Oecumenius, *non vulgari modo capitur; ſed ut regnantis opera exercere, puta inimicos debellare, ſuis auxiliari, illos quidem evertere, hos verò liberare.*

Regnare quid hoc loco.

Simili ſenſu Cajetanus exponit; & apud Theophylactum Gregorius Theologus. Cæterùm Primaſio regnare eſt judicare. Movit hos authores, ut ita exponerent, quod Apoſtolus addendo, *donec ponat omnes inimicos*, &c. ſignificare videatur Chriſtum poſtquam ſubjectos habuerit inimicos ſub pedibus, non ampliùs regnaturum. Quod verum eſſe non poteſt, ſi regnare conſueto more accipiatur. Atqui res nota eſt, adverbium *donec* in ſacris literis non ſemper determinare ac præcidere tempus verbi præeuntis, ut nimirum quod ſequitur, excludatur: ſed frequenter indeterminatum relinquere tempus, maximè quando qui loquitur, intendit illud potiſſimum affirmare vel negare de quo poſſet eſſe dubium: ut Iſaiæ 22. *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini.* Non enim ſperare poterant, ut poſt mortem dimitteretur. Et Matthæi 1. *Non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum.* Nam ſanè poſt partum minor erat ratio cognoſcendi. Et (quod præſenti loco perſimile eſt) *Pſal.* 111. de homine juſto: *Non commovebitur, donec deſpiciat inimicos ſuos.* Numquid enim commovebitur poſt deſpectos, id eſt, depreſſos inimicos? Imò verò ſignificatur illud quod in eodem Pſalmo præcedit, *Quia in æternum non commovebitur.*

Uſus adverbii donec in ſcripturis.

Sic igitur & hoc loco *donec* incluſivè capitur quoad tempus præcedens, non excluſivè quoad id quod ſequitur. Affirmat enim Apoſtolus Chriſtum regnaturum, uſque dum Pater omnes inimicos pedibus ejus ſubſtraverit, id eſt, perfectè ei ſubjecerit: de quo dubitari poterat, ne fortè propter hoſtium infeſtiſſimorum potentiam ac fortitudinem, (vocantur enim principatus, & poteſtates & virtutes) tandem deficeret in pugna adverſus eos ſuſcepta, regnumque amitteret. At verò quin devictis penituſque ſubactis hoſtibus eſſet regnaturus, nulli dubium eſſe potuit. Hunc ſenſum benè explicant Theophyl. & Thomas Aquinas, nec non Oecumenius adferens eum ſecundo loco.

Explicatur ſenſus hujus loci.

Convenit autem optimè ſenſus iſte cum ſcripturis, quæ regnum Dei & Chriſti prædicant ſemper duraturum, ut Exodi 15. *Dominus regnabit in æternum, & ultrà.* Lucæ 1. *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Apocal. 11. *Factum eſt regnum hujus mundi Domini noſtri & Chriſti ejus: & regnabit in ſæcula ſæculorum.* Denique confirmatur ex ipſo Pſalmi verſiculo, quem Paulus attendit: ubi loco ejus quod Paulus dicit *regnare*, Pſalmiſta dixit: *Sede à dextris meis.*

Chriſti regnum æternum.

Igitur Chriſtum regnare, ſecundum Apoſtolum, ejuſdem rationis eſt cum eo, Chriſtum ſedere à dextris Patris. Atqui ſedere ad dexteram Patris non deſinet poſtquam poſuerit Pater inimicos ſub pedibus ejus. *In ſempiternum* namque *ſedet in dextera Dei*, Hebr. 10. Proinde nec regnare tunc deſinet. Quin etiam multò perfectiùs ex illo tempore ei competet utrumque, & ſedere ad dexteram Patris, & regnare; videlicet hoſtibus in pleniſſimam poteſtatem redactis. Nam priuſquàm id factum ſit, regnat quidem Chriſtus pugnans & vincens: poſteà verò regnabit perfectiſſimè triumphans.

Chriſtus ad dexterã Dei ſedet in æternum.

Chriſtus quomodo regnans.

Porrò quod dicit Apoſtolus, *Oportet illum regnare*, vel propter æternum & immutabile Dei decretum dicit, quo regnum hoc Chriſti, ordo modusque regnandi prædeſtinatus eſt: vel quod neceſſe ſit impleri ſcripturam propheticam, quam tacitè allegat.

Inimicorum Chriſti nomine quidam comprehendunt omnes homines etiam electos, nam hos ponendos dicunt ſub pedibus Chriſti, quatenus per fidem & obedientiam ei ſubjicientur, ex inimicis in amicos converſi. Verùm perfectò non ſic de electis ſcriptura loquitur; eos pedibus Chriſti ſupponendos eſſe. Sed de iis tantùm hoc dicit qui inimici permanent: ut ſunt adverſariæ poteſtates, quarum Apoſtolus jam meminit; itemque homines reprobi, qui ſunt ex parte diaboli: ſumpta nimirum metaphora ab hoſtibus devictis, qui ſubjiciuntur inviti; & quorum proſtratorum colla pedibus ſuis premere ſolent victores. De electis verò dicit Apoſtolus, Epheſ. 2. quod Deus eos *Chriſto conſedere faciet in cæleſtibus*; ſcilicet ut amicos & filios, & regni conſortes. Nam & apud eumdem Apoſtolum, *fidelis eſt ſermo: Si ſuſtinebimus, & conregnabimus*, 2. Timoth. 2.

Qui inimici ſubjicienda pedibus Chriſti.

26. NOVISSIMA AUTEM INIMICA DESTRUETUR MORS. Quod in quibuſdam libris legitur *noviſſimè* pro *noviſſima*, mendum eſt haud dubiè. Nomen habent tam Græci codices & Syri, quàm Latini quique probati. Nec in Græcis additur conjunctio: Nec futurum legunt, ſed præſens καταργεῖται, *deſtruitur, aboletur*: tametſi loco futuri poſitum. Unde & Latini paſſim citant in futuro, *deſtruetur, evacuabitur.* Sciendum autem ex Græco ubi ἔσχατος maſculini generis eſt, ita verti poſſe: *Ultimus inimicus*, ſive (quod Valla mavult) *hoſtis aboletur mors.* Et hoc modo legunt Tertull. *libro de reſurrect. carnis cap.* 51. & Hieron. *ſuper Iſaiam cap.* 24. & 27. Noſter interpres femininum genus reddidit, quod morti reſponderet. Verumtamen lectio maſculina apprimè quadrat contextui. Nam quia dixerat Apoſtolus, *donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus*; oſtendit hac parte cæteris inimicis ſubactis, etiam mortem (quam fictione quadam perſonæ hoſtem nominat: quia revera magnum malum mors eſt, craſſans in univerſum genus humanum: quæ etiam Chriſto Domino non pepercit) extremo loco deſtructum atque abolitum iri. Id autem fiet per beatam omnium electorum à morte ſuſcitationem.

Mors inimicis Chriſti annumeratur.

Ubi interim obſervà ſubtilitatem diſputationis Paulinæ, qua ex perfecto Chriſti regno, quod omnium hoſtium ejus interitum ac deſtructionem exigit, inſtitutum ſuum probat, id eſt, mortuorum reſurrectionem: quia nimirum non dæmones ſolùm, & peccatum, fomeſque peccati ſunt hoſtes illius regni; verùm etiam mors ipſa, quæ pœna peccati eſt. Hæc autem in electis non deſtruitur, niſi vita, quam mors ademerat, eis reddatur: & talis vita, quam mors ultrà auferre non poſſit. Conſequens igitur eſt, eos à morte revocandos ad vitam, eamque immortalem.

Mors quomodo deſtruenda. Pauli in diſputando ſubtilitas.

Cæterùm in reprobis ſecundùm morem loquendi ſcripturis uſitatum mors non deſtruetur. Quamvis enim & qui reſurrecturi ſint, nec ampliùs animarum à corporibus ſeparatione mofituri: non tamen ea reſurrectio erit illorum à morte liberatio, ſed ad ſtatum morte deteriorem tranſlatio: quomodo ſi quis è carcere ducatur ad ſupplicium, non eum è carcere liberatum dicimus.

In reprobis mors non deſtruetur.

Satis etiam ex dictis intelligitur Apoſtolum non tam velle dicere, quod mors ſit hoſtis noviſſimus, quaſi ſenſus ſit, inter hoſtes vitæ præſentis mortem eſſe ultimam, ut exponit Cajetanus: quàm quod inter hoſtes electorum mors ultimo loco ſit deſtruenda, videlicet per reſurrectionem eorum beatam in fine ſæculi, ut hic ſit ordo. Mors hoſtis deſtruetur noviſſimus. Miror autem nonnullos hunc hoſtem interpretari diabolum; quum Apoſtolus expreſsè mortem eſſe dicat: quo nomine ſcripturæ non ſolent;

diabolum appellare. Deſtructionem autem diaboli jam antè expedivit Apoſtolus illis verbis, *Cum evacuaverit omnem principatum*, &c.

Omnia Chriſto ſubjicienda.

OMNIA ENIM SUBJECIT SUB PEDIBUS EJUS. Vel, *ſub pedes ejus*, ut eſt in Græco. Generali propoſitione nunc probat omnes inimicos Chriſto ſubjiciendos eſſe: & proinde mortem ipſam quoque deſtruendam. Nam mortis ſubjectio deſtructio ejus eſt. Ea propoſitio ſumpta eſt *ex Pſalm.* 8. cujus bonam partem in Chriſtum interpretatur idem Apoſtolus *Hebr.* 2. Sed quia Pſalmus ille non ad literam de Chriſto ſcriptus eſt, ſed myſtico ſenſu ad eum refertur vel totus vel pars ejus: idcircò non eſt mirum, phraſim illam, ſubjicere ſub pedibus, hîc extendi ad ſubjectionem omnium angelorum & hominùm, etiam electorum. *Senſus* autem eſt: Deus Pater omnia Chriſto ſubjecit prædictione Prophetica, continente promiſſionem, quòd omnia ſit ei ſubjecturus. *Nunc* enim *necdum videmus omnia ſubjecta ei*: ſicut dicit Apoſtolus *eodem loco epiſt. ad Hebr.* ſed id tandem futurum eſt. Nam electi quidem omnes ei ſubjicientur per obedientiam & juſtitiam perfectam. Hæc enim ſubjectio convenit amicis Dei.

Aliter electi Chriſto ſubjiciẽdi, aliter reprobi.

Reprobi verò tam dæmones quàm homines intelliguntur Chriſto ſubjiciendi: tum quia regno Chriſti, regnique ejus conſortibus, ut erunt omnes electi, nihil ampliùs incommodi inferre poterunt, ablata penitus ab eis omni poteſtate nocendi: tum quia meritas hoſtilitatis ſuæ pœnas luent, à quibus eos nemo poterit eripere. In his enim duobus conſiſtit inimicorum perfecta ſubjectio. Erunt igitur & hi perfectè ſubjecti Chriſto; ſed ea ſubjectione quæ inimicis apta eſt, non quæ amicis. Atque eam ſubjectionem jam antè diximus ſignificatam per illud, *donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus.* Nec verò ſolos angelos & homines complexus eſt Apoſtolus hoc univerſali ſigno, *omnia*: ſed & alia quæcumque, quatenus vel ſerviunt eccleſiæ, id eſt, regno Chriſti, vel ei adverſantur: ut ſunt peccatum, mors & tota creatura. Horum enim unumquodque ſuo modo, ſuoque tempore Chriſto ſubjicitur. Et hanc univerſalem omnium ſubjectionem probat verſus ſequens, ubi ſolus Pater excipitur.

27. CUM AUTEM DICAT. Nempe ſcriptura, ſive Pſalmiſta loco jam dicto. OMNIA SUBJECTA SUNT EI. Græcè, *quod omnia ſubjecta ſunt*, ſupple ei. Hoc ſcriptura dicit illis verbis, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.*

Cur Patrem dicat exceptum à ſubjectione.

SINE DUBIO PRÆTER EUM QUI SUBJECIT EI OMNIA. *Sine dubio*, Græcè, δηλονότι, *palam*, vel *palam quod*, tamquam δῆλον ὅτι; ut hoc modo rectè vertas: *palàm eſt quod* (hoc dicitur) *extra* ſeu *præter eum qui ſubjecit ei omnia.* Id autem eſt præter Deum Patrem. Nam ſtatim pòſt Filium nominat: tametſi in Patre tota Trinitas intelligitur. Græci putant hoc additum ab Apoſtolo, ne quis gentilium ſuſpicaretur Chriſtum etiam Patrem ſibi ſubjecturum: quomodo Jupiter olim ſecundùm Græcas fabulas Saturnum patrem ſibi ſubegit, regnoque exuit. Primaſius ideò dictum exiſtimat, ut intelligatur Patrem, *nullam conditionem aſſumpſiſſe qua debeat eſſe ſubjectus.*

Verùm magis placet ea ratio quam S. Thomas & Cajetanus adferunt: ſcilicet hoc Apoſtolum addidiſſe ad ſignificandam univerſalem ſubjectionem omnium ſub Chriſto: ut dum ſolus excipitur pater (qui profectò comprehendi non poterat, cùm ipſe ſit omnia Chriſto ſubjiciens) intelligamus omnia cætera ſine exceptione Chriſto fore ſubjecta: & proinde benè concludi, quod etiam mors ipſa tandem ei ſubjicienda ſit, & ab eo deſtruenda per univerſalem electorum reſuſcitationem. Eamdem ſubjectionis omnium generalitatem apertiſſimè expreſſit Hebr. 2. *In eo*, inquit, *quod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei.*

28. CUM AUTEM SUBJECTA FUERINT ILLI OMNIA. Nimirum, morte deſtructa noviſſima. TUNC ET IPSE FILIUS SUBJECTUS ERIT EI, QUI SUBJECIT SIBI OMNIA. Græcè: *ſubjicietur ei qui ſubjecit ipſi omnia:* ac ſi dicat: Non Pater Filio ſubjicietur, ſed Filius Patri. Juſtum eſt enim, ut qui omnia Filio ſubjecit, non ſolùm exceptus ſit ab illa ſubjectione; verùm magis è diverſo Filius illi ſubjiciatur, tamquam beneficiarius ſuo benefactori. Sed quomodo ſubjectus, cum ſit æqualis? Sabelliani & Marcionitæ, teſte Ambroſio, *lib. 5. de fide cap.* 7. dicebant futuram hanc Chriſti ad Deum Patrem ſubjectionem, *ut in Patrem Filius refundatur*, quo nimirum Filius eſſe deſinat, in Patrem refuſus. Alii, quorum meminit Auguſtin. libro contra ſermonem Arrianorum c. 37. *illam tunc Filii ſubjectionem, ipſius humanæ formæ in divinam ſubſtantiam commutationem intelligendam putaverunt.*

Quomodo Filius Patri ſubjectus, cũ ſit æqualis. Duæ expoſitiones perverſæ.

An ſecũdùm naturã Chriſtus Patri ſubjectus.

Sed his omiſſis, quæ ſanæ fidei repugnant, orthodoxorum ſenſus adferamus. Chryſoſt. dicit Apoſtolum his verbis velut per hyperbolen oſtendere voluiſſe *magnam Filii cum Patre concordiam: & quod is eſt principium bonorum & cauſa prima, qui eum genuit, qui tam multa poteſt.* Subſcribunt Chryſoſt. Theophylact. & Oecumen. nec diſſentit Ambroſiaſter, cujus verba ſunt: *Tunc & Chriſtus propter univocam authoritatem Patris, Deum quidem ſe oſtendet, ſed de Deo, ut unius principii ſublimis & ineffabilis authoritas maneat.*

Horum igitur ſententiâ Filius Patri ſubjectus eſſe dicitur ſecundùm naturam divinam: eò quod eſſe & poſſe & omnia habeat à Patre gignente, tamquam Deus de Deo. Verùm hic ſermo, Filium eſſe ſubjectum Patri ſecundùm naturam divinam, quamvis catholicè exponatur, offendit non minùs, quàm ſi ſecundùm divinam naturam Filius minor Patre dicatur: quod & Hugo Victorinus fatetur in quæſtionibus hujus loci. Deinde nec convenit ille ſenſus inſtituto. Nam Apoſtolus agit in toto contextu de vera proprieque dicta ſubjectione.

Chriſtus Patri ſubjectus in corpore ſuo, quod eſt eccleſia.

Sunt alii, qui de corpore Chriſti quod eſt eccleſia, locum exponant, hoc ſenſu: Tunc totum corpus Chriſti myſticum erit Deo planè ſubjectum, & per omnia obtemperans. Sic interpretati ſunt hanc Filii ſubjectionem Athanaſius, *libro de humana natura ſuſcepta à Verbo*; & Theodoritus *in commentario*; nec non Gregorius Theologus à *Theophyl. citatus*: & inter Latinos Ambroſius *loco proximè citato:* Sed & Auguſt. *quæſt.* 69. *inter* 83. fatetur non abſurdè ſic intelligi poſſe. Quamquam nec iſte ſenſus accommodus eſt rei præſenti. Nam de eo loquitur Apoſtolus, cui omnia ſubjicienda ſunt: quod non competit in corpus Chriſti myſticum, ſed in caput Chriſtum. Adde quod emphaticè dicit: *Tunc & ipſe Filius:* ut ipſius Filii ſingularem perſonam intelligas.

Chriſtus Patri ſubjectus ut homo.

Supereſt igitur ut hanc ſubjectionem accipiamus, *juxta diſpenſationem carnis aſſumptæ*: quomodo loquitur Hieron. *lib. 1. dial. adv. Pelag. cap. 6.* id eſt, ſecundùm naturam ejus humanam. Quæ & Auguſt. eſt expoſitio *duob. locis jam alleg. & lib. 3. contra Maxim. c.* 18. eademque Latinorum ferè omnium hujus loci interpretum. Quæ & textui quam optimè convenit. Hactenus enim de Chriſto ut homine Paulus diſſeruit, eò perducta diſputatione, quod ipſi tandem omnia ſubjicienda ſint, excepto Patre qui ſubjecit ei omnia. Cui proinde & ipſe, videlicet ut homo, ſubjectus eſſe debeat.

Dicit autem Apoſtolus tunc ſubjectum fore, cùm ſubjecta fuerint ipſi omnia: non quod interim non ſit ſubjectus; ſed quia de illo tempore quo Chriſtus jam perfectè regnabit ac dominabitur, omnibus in poteſtatem redactis, dubitare quis poſſet, an ipſe

Chriſtus Patri ſubjectus re & confeſſione.

Chriſtus universalis Dominus cuiquam alteri tunc ſubjectus futurus ſit. Tale igitur eſt quod dicit: Non idcircò deſinet Filius eſſe ſubjectus Patri, quod ſubjecta ſint ei omnia. Imò juſtiſſimum eſt ut maneat ei ſubjectus, qui ipſi omnia ſubjecit. Porrò ſubjectus erit re & confeſſione: quia agnoſcet & confitebitur Deum Patrem ſe majorem; ſicut in evangelio dicit, *Pater major me eſt*, Joan. 14 ſuumque regnum & omnia bona cum gratiarum actione Patri referet accepta. Convenit enim hic locus cum illo ſuperiore, ubi dixit Chriſtum traditurum regnum ſuum Deo & Patri.

Deus omnia in omnibus, quo ſenſu.

Quidquid boni habemus, eſt à Deo.

Ut sit Deus omnia in omnibus. *Senſus.* Ita denique palàm omnibus fiet, Deum eſſe principem etiam Chriſti hominis, & authorem omnium bonorum, tam ipſius quàm totius regni ejus, quod eſt eccleſia, quæ tunc omnibus & ſolis conſtabit electis. *Tunc manifeſtabitur*, ait S. Thomas, *quod quidquid boni habemus, eſt à Deo.* Vel pleniori ſenſu: Tunc in omnibus Deus erit omnia, quia nihil in electis erit mali, ſed omnia bona, ac proinde nihil quod non ſit Dei. Unde Leo ſerm. 14. de paſſ. Domini dicit, *non iſtius eſſe vitæ, ſed æternæ, ut ſit Deus omnia in omnibus.* Hunc ſenſum conſequitur, ut in omnibus laudetur & glorificetur ſolus Deus: quomodo quidam iſtud Apoſtoli intellexerunt. Quamvis enim ſancti & electi Dei verè ſint laudabiles: attamen omnis eorum laus tunc quodammodo reſolvetur & colliqueſcet in laudem unius Dei, qui erit omnia in omnibus: adeò ut de ſtatu beatorum loquens S. Bernardus *ſermone 5. de omnibus ſanctis*, dicat quod ibi *non viciſſim alter alterum laudat, quia in laudem conditoris intenti & extenti, in quo tota eis repoſita eſt beatitudo, mutuis numquam vacare laudibus poſſunt, dicente Propheta: Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Liquet ex his, id quod dicit Paulus, *ut ſit Deus omnia in omnibus*, etſi de Deo Patre dicatur, ad totam Trinitatem pertinere. Nam Chriſtus homo non tantùm Patri, ſed & Spiritui-ſancto, & ſibi ipſi ut Verbo, ſubjectus erit. Eſt enim etiam ſeipſo minor juxta naturam aſſumptam, teſtante Paulo Philip. 2. quod *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens.* Præcipuè verò Patrem nominat Apoſtolus, tum quia de Filij ſubjectione loquebatur, tum quod à Patre exiſtant aliæ perſonæ: ut hac etiam altiori conſideratione ad unum omnia principium referantur.

Solus Deus in omnibus laudandus.

Nota.

Chriſtus toti Trinitati ſubjectus ut homo.

Ad unum principium omnia referenda.

29. Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Poſt demonſtratam mortuorum reſurrectionem ex Chriſti reſurrectione & regno, ſubnectit Apoſtolus ad idem probandum alia quædam argumenta: quorum iſtud ſumitur ab exemplo eorum qui baptizantur pro mortuis. Quod utique non facerent, niſi mortuos non ſperarent aliquando reſuſcitandos ad vitam. Sed quid ſit baptizari pro mortuis obſcurum eſt, & ab authoribus variè exponitur.

Quid Apoſtolo baptizari pro mortuis.

Prima expoſitio Tertulliani.

Tertull. *lib. de reſurrect. carnis*, *cap.* 48. & apertiùs *lib. 5. contra Marcion. cap.* 10. ſignificat fuiſſe tempore Apoſtolorum, qui, quamvis vanè & ex errore, pro amico qui fortè ſine baptiſmo defunctus eſſet, ſe baptizandos curarent. Quod ſane illi non feciſſent, niſi mortuorum corpora, quibus, ut idem Tertull. ſcribit, proficere volebant hujuſmodi lotionem, aliquando reſurrectura crediſſent. De his igitur poſt Tertull. intellexerunt hunc locum Ambroſiaſter, Haimo, Hervæus, S. Thom. & in *ſuis paraphraſibus* Eraſmus & Titelmannus. Annuit & gloſſa tam ordinaria quàm interlinealis.

Rejicitur ab Epiphanio & aliis.

Verùm hanc expoſitionem rejiciunt Epiphanius *hæreſi* 28. quæ eſt Cerinthianorum, & Chryſoſtom. eumque ſecutus Theophylact. *in comment.* fatentes quidem fuiſſe poſt Apoſtolorum tempora, qui tale quid in more haberent, & ex hoc loco Pauli factum ſuum defenderent; ſed falſo ejus intellectu. Tribuit illud Epiphanius Cerinthianis; Chryſoſtom. verò & Theophylact. aſcribunt Marcionitis: ac ritum referunt perquàm ridiculum, quod id ab eis fieri ſoleat. Exſtat etiam vetus prohibitio, *ne mortuos baptizari poſſe, fratrum infirmitas credat*; canone 6. concilij 3. Carthaginenſis. Meritò autem rejicitur ſenſus ille. Neque enim veriſimile eſt Apoſtolum ex facto quorumdam graviter errantium voluiſſe capere argumentum pro reſurrectione mortuorum. Qua ratione etiam Liranus expoſitionem improbat.

Secunda expoſitio.

Alij ſic exponunt: *pro mortuis*, id eſt, pro peccatis abluendis. Nam peccata ab eodem Apoſtolo vocantur opera mortua, quaſi mortifera, quia mortem generant, *Heb. 6. v. 1. & cap. 9. v. 14.* Qui commentarius eſt apud Sedulium, Lombardum & Liranum. Refert etiam ex ordinaria gloſſa S. Thomas, ſed minùs probat; nec certè probandus eſt. Nam Apoſtolus manifeſtè ſignificat non de operibus, ſed de perſonis mortuis ſe loqui, cùm addit: *ſi mortui non reſurgunt.* Ita vocabulum (mortua) niſi quid addatur, ut opera, nuſquam peccata ſignificat.

Refellitur.

Tertia expoſitio Chryſoſtomi, ſed coactior.

Porrò Chryſoſtomus baptizari pro mortuis exponit baptizari pro fide & ſpe reſurrectionis mortuorum, quam ante baptiſmum profitentur catechumeni, dum ſymbolum recitant, dicentes poſt alia, quemadmodum teſtatur idem Chryſoſtomus, *Credo in reſurrectionem mortuorum, & in vitam æternam.* Placet hic commentarius etiam Theophylacto & Oecumenio, ſed aliis coactior videtur: eò quod hic ſermo, *pro mortuis*, ad illum ſenſum ægrè trahi poſſit.

Quarta expoſitio Cajetani.

Non Multùm diſſimilis eſt expoſitio eorum, qui illud *pro mortuis* ad hunc modum explicant: & agentes ſeu repreſentantes mortuos: eò quòd immerſio & emerſio quæ fit in baptiſmo, ſit mortis ac reſurrectionis quædam repreſentatio. Quem ſenſum tradit Cajetanus *hoc loco*: latiùs autem proſequitur *in jentaculo ſecundo, quæſt. 3.* Eodem alludit Theodoritus. Chryſoſt. etiam hunc ſenſum priori adjungit.

Quinta.

Refelluntur præcedentes expoſitiones.

Utrique porrò affinis eſt, quem ex commentario Pelagij ſumptum adferunt Primaſius ac Sedulius, *pro mortuis* exponentes, in morte Chriſti, id eſt, ut Chriſto commoriantur, cum eo reſurrecturi: ſicut Apoſtolus exhortando docet *Rom. 6.* Sed & hi duo ſenſus à verbis Pauli longiùs recedunt: Denique facit contra jam dictas quatuor expoſitiones, quod Apoſtolus videtur tantùm de quibuſdam loqui, non de omnibus fidelibus. At iſtæ quatuor omnibus baptiſmum ſuſcipientibus accommodantur.

Sexta expoſitio quorumdam recentiorum.

Sunt igitur alij quidam recentiores, qui baptizari interpretantur affligi: quomodo ſumitur in verbis Domini Lucæ 12. dicentis, *Baptiſmo habeo baptizari*, & Marc. 10. *Poteſtis baptiſmo quo ego baptizor, baptizari?* Quò referunt etiam illud Joannis Baptiſtæ de Domino, *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne*, Matth. 3. Nam baptiſmum ignis eo loco Hieronym. intelligit pœnam purgatorij. Proinde ſenſum hunc faciunt: Fruſtra quidam pro mortuis juvandis orando, jejunando & alia quædam ſubeundo ſeſe fatigant & affligunt; ſi mortui non reſurgunt. Ita Carthuſianus, Catharinus, aliique nonnulli. Gaignæus quoque baptiſmum hunc ſimiliter afflictionem interpretatur & ſupplicium: ſed Apoſtolum exponit de eis qui *affliguntur vel pro ſpe mortuorum ad vitam non interituram reſurgendi, vel pro aſſerta mortuorum reſurrectione.* Quod poſterius amplectitur Guillaudus.

Parum probabilis oſtenditur.

Verùm certè non multum probabilitatis habere videtur iſtiuſmodi commentarius, primùm, quod illa baptiſmi ſignificatio valde figurata ſit ac rara; nec ab alio quàm à Chriſto Domino uſurpata. Quod

enim ad verba præcurſoris attinet, loquentis de baptiſmo ignis *Matth.* 3. meliùs ea referuntur ad rem geſtam in die Pentecoſtes, quando ſuper Apoſtolos Spiritus-ſanctus in igne deſcendit, *Act.* 2. quemadmodum benè probat Janſenius, *cap.* 13. *Conc. evang.* Nam & Chriſtus illuc refert prædictionem Joannis, *Act.* 1. & ipſe Hieron. eum ſenſum adfert priore loco: quem & alij docti ſequuntur

Deinde refellitur ille commentarius; quia baptiſmus iis duobus locis qui allegantur, non ſignificat afflictionem ſeu paſſionem quamlibet, ſed vehementem, eamque forinſecus illatam aut irruentem; ut ſicut in ſcripturis unde perſecutionem ac tribulationem, quibus qui merguntur & obruuntur, baptizari videntur. Hoc autem ad voluntarias afflictiones, ut ſunt orationes, eleëmoſynæ, & jejunia, quæ pro mortuis adjuvandis ſuſcipiuntur, accommodari non poteſt. Quas ſi Paulus omninò ſignificare voluiſſet, non dixiſſet *qui baptizantur*, tamquam ab aliis, ſed, qui baptizant ſeipſos *pro mortuis*: quo modo ſecundùm ſcripturam qui voluntaria ſubeunt jejunia, ſeipſos aut animas ſuas affligere dicuntur: ut Levit. 16. & 23. *& alibi.*

Septima expoſitio nova, & improbabilis.

Ne prolixiores ſimus, omitto novam expoſitionem Ariæ Montani, qui locum hunc de iis interpretatur, qui Spiritum-ſanctum accipiunt ante baptiſmum; veluti Cornelius cum cognatis ſuis & amicis, *Acto.* 10. Quos dicit baptizari pro mortuis, quiam jam priùs mortui peccato, & in vitam juſtitiæ reſtituti, rationem non habeant cur baptizantur, niſi ut ipſa ſuſceptione baptiſmi qui peragitur immerſione & emerſione, profiteantur ſpem futuræ reſurrectionis ex morte corporis. Viderit author qua probabilitate commentarium hunc ſuum aſtruat. Mihi profectò violentus ac longiſſimè petitus videtur.

Octava expoſitio probabilis.

Multò probabilius illi, qui putant Apoſtolum argumentari ex facto Judæorum, quemadmodum & alias ex eo quod apud Judæos fiebat, argumentum capere ſolet, *ut ſuprà cap.* 9, cùm de ſuſtentatione miniſtrorum evangelij diſſereret, & *cap.* 10. cùm ageret de idolothytis. *Videte*, inquit, *Iſrael ſecundum carnem*, &c. Dicunt igitur apud Judæos conſuetudine receptum fuiſſe, ut ſi quis legaliter immundus moreretur priuſquàm ab ea immundicia ſecundùm legem, *Num.* 9. ablutus eſſet, alius quiſpiam pro eo baptizaretur, id eſt levaretur: quod exiſtimarent hujuſmodi lotionem proficere mortuo ad emundationem. Id verò ſollicitè ab illis ſolere fieri, ne quid ſpiritui hominis mortui noceret immundicia in qua mortuus fuerat, ſimul ut ea cærimonia proteſtarentur fidem immortalitatis animarum & reſurrectionis mortuorum, adverſus hæreſim Sadducæorum per id tempus in populo Judaico multos occupantem. Ac ſanè non eſt incredibile, tale quid à Phariſæis, (de quorum numero Paulus ſe fuiſſe teſtatur. *Actor.* 23. *& Philip.* 3.) odio ſectæ Sadducæorum fuiſſe factitatum. Nam & Evangelio conſtat, frequentes baptiſmos ſeu lotiones Phariſæis in uſu fuiſſe, ut *Matth.* 15. *Marci* 17. *Lucæ* 11. Facit etiam nonnihil pro hoc intellectu, quod Apoſtolus ſubjungit, *Ut quid & nos periclitamur omni hora*: Quaſi dicat; Non ſolùm ex eo quod agunt Judæi, ſumitur argumentum pro reſurrectione mortuorum, verùm multò magis ex eo quod nos patimur, qui Chriſtiani ſumus.

Judæorum conſuetudo lavandi mortuos legaliter immundos.

Conſuetudinis ratio duplex.

Adfert hanc expoſitionem Fran. Turrianus, *lib.* 4. *pro epiſt. Pont. cap.* 14. eamque confirmat ex authoritate quorumdam veterum, ſcilicet Ephræm diaconi, qui in *teſtamento ſuo*, ſive in *ſerm. de morte ſua*, locum Apoſtoli ſic intellexerit: Item Apollinaris antiqui ſcriptoris, interpretantis locum memoratum Numerorum: & Euſtratij preſbyteri Conſtantinopolitani, *in lib. de immort. animæ.*

Quamvis autem hæc expoſitio non ſit contemnenda, (nititur enim non levibus conjecturis) eſt tamen & alia meritò, ni fallor, huic & cæteris omnibus anteponenda, quam à prioribus acceptam ſuo calculo probat Epiphanius *loco ſuperiùs citato*: nempe eos pro mortuis baptizari, qui cùm nullam ſpem hujus vitæ reliquam habeant, baptiſmum tamen petunt & ſuſcipiunt: utique reipſa declarantes ſe tantùm baptizari pro mortuis, ſive pro ſtatu mortuorum, id eſt, ad hoc ut baptiſmus iis proſit eo tempore, quo præſenti vita defuncti erunt: qui eſt ſtatus hominis poſt mortem. Tales erant qui infirmi ac moribundi baptiſmum miniſtrari ſibi volebant: qui quod lecto decumbentes baptizarentur, olim Græco vocabulo, Clinici dicebantur. Id autem frequens erat primis eccleſiæ temporibus, quando multi baptiſmum differebant uſque ad extremum vitæ. De quibus etiam à baptiſmo minimè repellendis exſtant veterum conciliorum & pontificum decreta.

Nona expoſitio Epiphanij cæteris probabilior, de baptiſmo Clinicorum.

Clinici à baptiſmo non repellendi.

Explicatur mens Epiphanij.

Quidam Epiphanij ſenſum non benè capientes, exiſtimant eum id velle: *baptizantur pro mortuis*, id eſt, tamquam mortui: quomodo dicimus aliquem ſublatum aut derelictum pro mortuo. Qui ſenſus quia minùs convenit, refellendam ſumpſerunt expoſitionem Epiphanij. Quod non feciſſent, ſi ſenſum quem vult Epiphanus, rectè fuiſſent aſſecuti. Nam mortuorum nomine ſtatum mortuorum in ſcripturis ſignificari, patet ex utatiſſima phraſi, qua quis à mortuis reſurgere dicitur. Unde & de ſolo Chriſto loquens Apoſtolus, reſurrectionem mortuorum nominavit, Rom. 1. Illud porrò, *quid facient?* à nonnullis ſic exponitur: quò evadent? quid Illis futurum eſt? planè peribunt: ut ſuprà dixit, *ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt.* Verùm ipſe paulò pòſt in alio verſu videtur exponere, dicens, *quid mihi prodeſt?* ita hîc *quid facient?* ac ſi dicat, quid lucrifacient? quid illis prodeſt?

Argumentatio Tertulliani ex baptiſmo pro reſurrectione.

Igitur totum hoc erotema Apoſtoli ſic explicandum videtur: Alioquin, id eſt, ſi omnino non eſt mortuorum reſurrectio, quem fructum reportabunt qui baptizantur jam jam morituri, & per hoc profitentur ſe baptizari propter ſtatum futurum poſt hanc vitam? Hic ſenſus apertus ac ſimpliſſimus eſt; & ad probandum id quod Apoſtolus inſtituit, aptiſſimus: præſertim ſi cum Tertulliano *locis antea citatis*, urgeamus baptiſmum corporibus adhiberi, non animabus. Sic enim ille contra Marcionem ratiocinatur; Corpora baptizantur, ergo corpora reſurgent. Dum enim ſacramentum impenditur corpori, corpus conſecratur immortalitati. Spes autem immortalitatis & reſurrectionis evidentiùs apparet in illis, qui tunc baptiſmum requirunt, quando ſunt ex hac luce migraturi. Valet igitur ratio à ſpe & fide eorum qui morituri baptiſmum petebant. Quæ eorum pietas meritò commendatur. Hanc de baptiſmo Clinicorum expoſitionem ab Epihanio traditam docti quidam libenter approbant, & inter eos Joannes Heſſelius, *in comment. prioris epiſt. Petri cap.* 4. Eamdem velut antiquitati conſonam explicat Galenus noſter, *catecheſi* 111. Prætermiſi expoſitionem Iſidori Peluſiot. lib. 1. v. 221. qui *mortuos* interpretatur corpora; idque aſſeveranter.

UT QUID ET BAPTIZANTUR PRO ILLIS? *Ut quid* hic & ſtatim pòſt interpres ſuo more poſuit pro Græco τί, *quid, cur. Pro illis*, Græcè & Syriacè, *pro mortuis?* Habet autem hæc repetitio vehementiam. *Senſus* enim eſt: Quorſum, inquam, aut, quorſum quæſo, etiam pro ſtatu poſt mortem futuro baptizantur, ſi à morte non eſt reditus ad vitam? Ac ſi dicat: Si vana eſt expectatio reſurrectionis, & ſpes noſtra non extenditur ultra terminum hujus vitæ; ſoli ergo victuri deberent baptizari; non qui illicò morituri ſunt.

Qui deſperant reſurrectionem, nolunt finire hanc vitam.

30. UT QUID ET NOS PERICLITAMUR OMNI HORA? Aliud argumentum à periculis, quibus ſe exponebant Apoſtoli Chriſtum prædicantes. Quorſum, inquit, & nos Apoſtoli cauſa evangelii verſamur in quotidianis & continuis vitæ periculis, ſi non eſt mortuorum reſurrectio? Nam profectò, qui non ſperant aliam vitam, cupiunt iſtam omni modo producere, vitantque ejus amittendæ pericula quantum poſſunt. Hujuſmodi multa ſua pericula recenſet Apoſtolus *in 2. epiſt. c.* 11. Ac de iiſdem ſubjungit.

Hujus loci varia lectio.

31. QUOTIDIE MORIOR PER VESTRAM GLORIAM, FRATRES. Ex Apoſtolis unum, id eſt, ſeipſum, qui propriè Corinthiorum Apoſtolus erat, in exemplum adducit. *Fratres* in Græco non additur. Cæterùm variant Latini codices illa parte, *per veſtram gloriam*. In multis enim legitur *propter veſtram gloriam*. Apud Ambroſium habet quidem textus *pro veſtra gloria* : ſed commentator exponit *propter gloriam promiſſam à Domino*: tametſi *pro veſtra gloria* legitur etiam in nonnullis mss. Hieron. *in epitaph. Marcellæ epiſt. 16. cap. 3. citat propter veſtram ſalutem*, antiqua quædam, ut conjicit Eraſmus in ſcholiis illius loci, exemplaria ſecutus. Utramque lectionem *per* & *propter* exponunt interlinealem gloſſam ſecuti Lombardus, S. Thomas, & Carthuſianus. Verùm in pleriſque & probatioribus mss. id habetur quod nos legimus, *per veſtram gloriam*. Et ita legit & exponit Haimo: qui tamen etiam illius lectionis meminit, quam diximus eſſe textus Ambroſiani. Item legit & exponit Hervæus, licet apud eum temerè & repugnante commentario, quiſpiam *per* in *propter* mutaverit.

Germana lectio, per veſtrâ gloriam.

Pelagii dogma, non eſſe licitum jurare.

Similiter legit Pelagius: ſed qui ſtudiosè monet juxta ſuam hæreſim, ne quis hinc colligat Apoſtolum juraſſe. Sedulius utrumque exponit, *pro gloria veſtra*, & *per gloriam veſtram*, in altero Ambroſiaſtrum, in altero Pelagium ſecutus. At vero B. Auguſtin. non ſolùm legit *per gloriam veſtram*; verùm etiam ex eo docet Apoſtolum Paulum juraſſe: & proinde juramentum non eſſe Chriſtianis ſimpliciter & univerſe prohibitum, ut Pelagius volebat. Loca ſunt apud Auguſt. *lib. 1. de ſerm. Domin. in monte, cap. 27. ſerm. 28. de verbis Apoſt. cap. 5. in explanat. epiſt. ad Galat. cap. 1. & in epiſt. 89. ad Hilar. quæſt. 5.* Quibus omnibus locis, ut indubitatè probet Apoſtolum juraſſe, Græcum textum allegat, in quo legitur νὴ jurantis adverbium. Rurſumque de eodem agens, *lib. 3. de doctrin. Chriſtian. cap. 4.* dicit quemdam interpretem ex Græco vertiſſe, *Quotidie morior, per veſtram juro gloriam*. Sic autem & Syrus paraphraſtes, *Juro per gloriam veſtram fratres mei*. Ut jam dubium non ſit, hanc quæ in noſtris eſt codicibus, eſſe germanam lectionem.

Exemplo Pauli docetur juramentum nō eſſe Chriſtianis abſolutè prohibitum.

Chryſoſt. quidem & ſequax ejus Theophylact. videntur voculam νὴ interpretari per διὰ, *propter*. Et Photius apud Oecumenium adfert eam expoſitionem ſecundo loco. Verùm fortaſsè Chryſoſt. cujus ſtudium ſemper fuit ſuos auditores à jurationibus avocare, diſſimulandum putavit commentarium de juramento: quum alioqui ſenſus iſte promptiſſimus ſit: ac νὴ pro διὰ vix uſquam reperiatur: Neoterici quoque Faber & Catharinus Græcæ lectionis non ignari, juramentum tamen eſſe negant; non alia ratione ducti, quàm quod abſque neceſſitate non ſit jurandum: quaſi Paulo non fuerit ſatis juſta cauſa jurandi in re tanti momenti, quam volebat perſuadere: præſertim cùm eſſent inter Corinthios nonnulli, qui ſuſpicarentur ipſum ſecundùm carnem ambulare, 2. *Cor.* 10.

Paulo juſta cauſa fuit jurandi.

Gloria pro gloriatione.

Porrò ſciendum eſt *gloriam* pro gloriatione poſitam ab interprete. Nam Græca non habent δόξαν, ſed κάυχησιν. Itaque *ſenſus eſt*, Quotidianis vitæ periculis expoſitus ſum, & ut ita dicam, quotidianas mortes patior: ita juro per gloriam ſeu gloriationem, qua de vobis glorior tamquam meis in Chriſto filiis. Nam in hoc & alibi magnificè gloriatur; *ut c. 4. & 9. hujus epiſt.* Sic autem dixit gloriam veſtram, id eſt, de vobis, aut in vobis, quomodo dicit, *Rom. 3.* gloriam Dei, id eſt, in Deo. Et ſic per illam gloriam ſuam jurat, quomodo Jacob per timorem ſeu reverentiam patris ſui Iſaac juraſſe legitur, *Gen. 31.* Nam in hujuſmodi locutionibus quæ ſæpiùs occurrunt, genitivus eſt objecti, non ſubjecti.

Per quam gloriā Paulus juret.

Jam quod aliqui Græci codices, quos Laurentius, Faber, Eraſmus & Cajetanus ſequuntur, habent ἡμετέραν pro ὑμετέραν, *noſtram* pro *veſtram*; depravata lectio eſt ex ignorantia locutionis Apoſtolicæ introducta. Namque vetuſti codices & tractatores Græci cum Latini omnes conſtanter legunt *veſtram*. Ne verò videatur arroganter ingerere mentionem gloriæ ſuæ quam ex Corinthiis habebat, adjungit.

QUAM HABEO IN CHRISTO JESU DOMINO NOSTRO. Id eſt, qua glorior per Chriſtum Dominum, ex cujus merito & paſſione mihi provenit omnis gloriandi materia: nempe ſecundùm illud, Gal. 6. *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

32. SI SECUNDUM HOMINEM AD BESTIAS PUGNAVI EPHESI, QUID MIHI PRODEST, SI MORTUI NON RESURGUNT? *Ad beſtias pugnavi*, in Græco unum verbum compoſitum eſt, ἐθηριομάχησα, *cum beſtiis pugnavi*. Interpres *ad beſtias* dixit, locutione tunc, ut arbitror, uſitata, propter aliquid ſubauditum: ac ſi diceretur, Si ad beſtias damnatus pugnavi. Sciendum autem fuiſſe duas ac diverſas pœnarum ſpecies; beſtiis objici, & pugnare cum beſtiis. Nam beſtiis objecti ſtatim laniabantur; pugnabant autem cum beſtiis, qui in arenam armati procedebant, evaſuri & vita donandi, ſi poſſent beſtiam conficere. Utrique tamen ad beſtias damnati dicebantur.

Pœnæ diverſæ, beſtiis objici, & pugnare cum beſtiis.

An Paulus aliquando cum beſtiis pugnaverit.

Fabula de Paulo feris objecto.

Actus Pauli, liber apocryphus.

Cæterùm de Paulo, quod aliquando cum beſtiis ſeu feris commiſſus fuerit, aut feris objectus, nulla prodit hiſtoria: niſi quod Nicephorus, *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 25.* ex quodam libro perfectionum Pauli (veriſimile eſt eum eſſe, quem Origenes, *lib. 1. Periarchon. cap. 2.* vocat actus Pauli) commemorat eum Epheſi præſide quodam Hieronymo, primùm leoni, mox aliis immanibus feris in eum immiſſis, expoſitum fuiſſe: quæ tamen illum attingere non fuerint auſæ: leonem verò procurriſſe quidem, ſed ad pedes ejus conſediſſe. Verùm actus illi, non dubium, apocryphi ſunt ipſo etiam Nicephoro teſte, *lib. 2. cap. 46.*

Refutatur dicta opinio.

Propriè nihilomiuus acceperunt Apoſtoli verba, commentator Ambroſianus, Theodoritus & Cajetanus: ſcilicet ipſum Epheſi verè beſtiis objectum fuiſſe, & Dei gratia liberatum. Nec abnuit Primaſius, licet id alibi ſcriptum nuſquam reperiatur: quia, ut aiunt, non omnia ſcripta ſunt, quæ paſſi ſunt Apoſtoli.

Sed hunc iſtius loci intellectum doctè refellit Cardinalis Baronius, *tom. 1. annal. ad annum Chriſti 55.* Neque enim Paulus dicit ſe beſtiis objectum fuiſſe, ſed cum beſtiis pugnaſſe. Non eſt autem credibile, nec ratio dignitatis Apoſtolicæ permiſiſſet, Paulum armatum in arenam aut theatrum prodiſſe, pugnaturum cum beſtiis: quod nec de alio quoquam martyre legitur. Nam objici feris ſolebant martyres, non pugnam cum feris inire. Huc accedit quod utrumque illud ſupplicii genus vilium erat perſonarum: uti conſtat ex *lib. 3. ff. ad legem Corneliam, de ſicariis.*

Quare Paulus, qui civis Romanus erat, eo ſupplicio damnari non potuit; niſi prærogativam hanc ſuam tacuiſſet: quod de eo non eſt opinandum, qui ad minora quædam effugienda civem Romanum ſe proteſtatus eſt. *Act. 16. & 22.* Denique rem tam memorabilem idem Apoſtolus *in epiſt. 2. cap. 11.* ubi ſuas afflictiones & pericula longo ordine recitat, haudquaquam ſilentio prætermiſiſſet.

Verior expositio per bestias intelligi feros homines.

Quare potiùs iis accedendum, qui metaphoricè bestias seu feras interpretantur homines ferinis animis ac moribus, qui in Paulum insurrexerunt. Sic enim & Ignatius vir Apostolicus in sua ad Romanos epist. scribit: *A Syria Romam usque terra marique cum bestiis depugno*, cùm de militibus, quorum custodiæ traditus erat, loqueretur: ut verba ejus sequentia declarant: ubi & leopardos eos appellat: & ipse Paulus 2. Tim. 4. *Liberatus sum*, inquit, *de ore leonis*, quod de Nerone dictum interpretes non dubitant. Nam & aliàs sæpe de sævis hominibus, ut de feris bestiis, scriptura loquitur, præsertim in Psalmis. *Tauri pingues obsederunt me. Salva me ex ore leonis. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi*, Psal. 21. & 37. Sic igitur & Paulum hîc locutum intellexerunt Chrysostomus, Theophyl. & Oecumen. *in commentariis*, & ante eos Tertull. *lib. de resurr. carnis cap.* 48. item Latini interpretes Pelagius, Sedulius, Haimo & alii, ferè glossam interlinealem secuti. Quam sententiam adfert etiam Primasius priore loco.

Per bestias dæmones intelligi, minùs probabile.

Minùs autem probabile est, tametsi sensu non adeò diversum, quod Hieron. in *præfat. lib. 3. comment. epist. ad Ephes.* bestias hîc interpretatur diabolum & satellites ejus, id est, dæmones, ad doctrinam Pauli ex principe Asiæ civitate pelli se dolentes, & idcircò Paulum totis viribus opprimere nitentes: nisi potiùs per agmina satellitum diaboli (sic enim loquitur) homines diaboli ministros intellexit. Nam homines hoc loco rectiùs intelligi, satis ex dictis apparet.

De qua pugna Paulus loquatur, opinio quorumdam.

Quæritur ergo quænam fuerit illa Pauli cum hominibus pugna, quam Ephesi sustinuit. Tertull. Hieron. *locis jam indicatis* referunt ad Asiaticam pressuram, de qua Paulus ad eosdem Cor. 2. epist. 1. ita scribit: *Non enim volumus vos ignorare de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem; ita ut tæderet nos etiam vivere.* Verùm illuc referri non posse, vel eo liquet, quia Paulus illam pressuram memorat ut recentem, & quæ post scriptam priorem epistolam contigerit.

Refellitur.

Aliorum opinio.

Porrò multorum sententia est, hanc Pauli cum bestiis pugnam esse contentionem illam gravem ac periculosam quæ ei fuit cum Demetrio argentario & sociis artificibus, totam Ephesi civitatem propter Dianæ injuriam adversus eum concitantibus, ut habetur *Actorum* 19. Ita sentiunt Theophyl. & Oecumen. ita Latini Pelagius, Haimo, Hervæus, B-Thom. & alii. Sed hi reipsa abeunt in priorem sententiam, quam modò refutavimus. Nam ista contentio non diversa fuit, sed eadem cum illa pressura Asiatica, cujus meminit in secunda epistola: quemadmodum benè docent ejus loci interpretes. Quamquam & absque eo, satis ex ratione temporum constat, Demetrianum tumultum accidisse post hanc epistolam scriptam: nimirum, ut ex *historia Actorum* apertè colligitur, extremo tempore quo Paulus Ephesi moratus est.

Item refellitur.

Vera responsio.

Dicendum igitur est, ut benè concludit Baronius, hujus pugnæ seu pressuræ Lucam in Actis non meminisse. Siquidem & alia multa gestorum & afflictionum Pauli ab eo fuisse prætermissa, vel unum illud, *cap.* 11. *epist.* 2. *ad Corinth.* manifestè comprobat.

Judæi bestiarum nomine significati.

Verisimile est autem Judæos fuisse, quos bestiarum nomine denotavit. Nam Judæos ferarum more passim in Paulum, ubicumque ille per gentes evangelium prædicabat, impetum fecisse, ex *Actis Apostolicis* abundè notum est. Ac fortasse commota fuit adversus Paulum hæc pugna ab illis, qui disputante eo & suadente de regno Dei, indurabantur adversus ejus doctrinam, *maledicentes viam Domini coram multitudine*; ut eodem cap. refert Lucas. Erant enim Judæi quorum in synagoga res agebatur; nec id multò post adventum ipsius Pauli in Ephesum civitatem.

Secundùm hominem variè exponitur.

Jam & illud, *secundùm hominem*, variè exponunt interpretes. Quidam hoc sensu: Si humanæ vitæ respectu, solumque in hoc mundo præmium expectans, tanta passus sum. Verum sic frustra adderetur, *si mortui non resurgent.* Sive enim mortui resurgunt, sive non: nihil prosunt pericula suscepta respectu tantum vitæ præsentis. Cajet. interrogativè exponit hoc modo: Numquid secundùm hominem, & non secundùm Christum, id est, humana ratione & non divina, pugnavi, &c. quasi dicat, minimè. Glossa ordinaria sic habet: *Secundum hominem, id est, rationabiliter agens, quia hominis est credere non mori hominem ut bestiam.* Sequuntur hoc Lombardus & S. Thom. Cæterùm Oecumenius ex Photio, *secundùm hominem* interpretatur, *quantum mihi erat possibile.* Sed Gaignæus ex sententia Photii conjungendum putat hoc totum, *secundum hominem ab bestias*; ac sensum facit: quantum homini possibile est, usque ad extremum spiritum, more bestiarum scilicet, pugnavi pro defensione evangelii.

Sensus maximè probabilis.

Est præterea qui sic exponit: *secundùm hominem*, id est, ut mos est hominum dicere. Nam qui patiuntur malos homines vehementer infestos, pugnare cum bestiis dicuntur. Nobis eorum sententia maximè probatur, qui particulam hanc claudunt parenthesi, & dictam accipiunt simili sensu, quo eam alibi Paulus usurpat, nempe *Rom. 3. vers. 5.* & *hujus epist. cap. 3. v. 8.* item *Gal 3. v. 15.* ut opponatur ei quod est *secundum Deum* in 2. Cor. 11. ubi sic ait. *Quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in insipientia*: id est, secundùm hominem.

Quocirca totus hic locus ad istum modum exponendus videtur: Quod (ut hominum more loquar, qui libenter commemorare solent pugnas suas & pericula, è quibus gloriosè evaserunt) cum adversariis meis velut cum feris congressus, depugnavi Ephesi, & impetùm eorum sustinui: *quid mihi prodest?* Græcè, *quæ mihi utilitas*, scilicet ex ea pugna, pressura & tolerantia, si non est mortuorum resurrectio? Quomodo valeat hæc sequela, cùm objici possit animarum immortalitas & felicitas post hanc vitam; petendum relinquo ex superioribus. Id tamen addo ex mente Tertulliani Paulum insinuare spem resurrectionis corporis sui, quod in corpore talia passus esset. Namque per martyria passionesque corporales pro Christo susceptas, ipsa corpora consecrantur beatæ resurrectioni: quemadmodum per alimoniam corporis & sanguinis Domini, juxta doctrinam sanctorum Patrum, etiam corpora nostra spem accipiunt immortalitatis. Atque hæc omnia satis ostendunt Apostolo tantùm sermonem esse de beata, meritoque speranda resurrectione. Porrò *notandum* Græcos, excepto Theodorito, partem illam *si mortui non resurgunt*, abrumpere à superiori sententia, & adjungere subsequenti: quod & Hieron. facit, *lib. 5. comm. in Isaiæ* 22. Sed nobis Latinorum distinctio magis placet.

Per martyriū & Eucharistiæ sacramẽtum corpora fidelium cõsecrantur resurrectioni.

Mimesis.

MANDUCEMUS ET BIBAMUS, CRAS ENIM MORIEMUR. Græcè ἀποθνήσκομεν, *morimur*, & ita legi in nonnullis editionibus Latinis testatur Valla. Mimesis est, recitantis verba, quæ dicere, saltem apud se & in corde suo, possent homines persuasi mortuos non resurrecturos: ac si dicat Apostolus, Si non est futura mortuorum resurrectio, reliquum est ut omnes vitam ducant Epicuræam, & deliciis ac voluptatibus sese expleant, dicantque, Comedamus & bibamus, genialiter vivamus dum licet. Nam brevi moriemur, ipsa morte penitus interituri.

Desperatio resurrectionis homines reddit Epicuræos.

Verba sunt apud Isaiam, *c.* 22. &, ut hîc in Græco leguntur, eadem omnino cum iis quæ reddiderunt LXX. Nam in Hebræo verbum est futuri temporis. Scribuntur autem à propheta personam inducente Judæorum, non tam negantium mortuos aliquando revicturos, quàm desperantium ex obsidione Chaldaica

daica (hanc enim eo loco prædicit) ſeſe evaſuros ; aut certè ſuum Prophetam, Jeremiam dico, verbis ejuſmodi irridentium : quaſi dicerent ; Edamus, bibamus, epulemur: quia ut aſſiduè canit Propheta noſter, brevi moriemur. Unde Hieronymus *in illius loci commentario*, dicit Apoſtolum hujus teſtimonii exemplo abuſum eſſe, quando ea verba accommodavit hominibus reſurrectionem mortuorum deſperantibus. Annotant Oecumenius & Valla, proverbium eſſe Laconicum. Quod ut ita ſit ; nobis certum eſt, Apoſtolum ex Iſaia ſumpſiſſe. Similis eſt locus in *lib. Sapientiæ cap.* 2. ubi iſtiuſmodi multa dicuntur ex perſona impiorum.

33. NOLITE SEDUCI. *Nolite decipi.* Ne ſinatis vos abduci in errorem. Doctrinæ ſubjicit exhortationem, occaſione verborum quæ proximè dicit ex eorum perſona qui reſurrectionem non credunt. Ea namque ſpectant ad ſeducendos fideles.

Corrumpūt mores bonos colloquia mala.

CORRUMPUNT MORES BONOS COLLOQUIA PRAVA. Sive *mala*, ut habent plerique noſtri codices. Græcè ὁμιλίαι κακαί. Pro quo vetus tranſlatio, citante Hieron. in epiſt. ad Nepot. habebat, *confabulationes peſſimæ*. Cyprianus recitat hoc modo: *corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ.* (lib. 3. teſt. c. 95. *lib. de unit. eccleſ.* & *in epiſt.* 55. In Græco ſenarius eſt: quem Menandro comico poëtæ plerique omnes aſcribunt. Socrates tamen hiſtoricus, *lib. 3. c.* 14. & ex eo Niceph. *lib.* 10. *c.* 26. tribuunt Euripidi. Quem verſum, verbis vulgatæ verſionis tranſpoſitis, convertit Eraſmus in Latinum ſenarium : *Mores bonos colloquia corrumpunt mala.* Adfert autem & alibi Paulus è ſcriptoribus ethnicis teſtimonia, ſicuti res poſtulat ; *ut Act.* 17. & *Tit.* 1.

Paulus utitur teſtimoniis ſcriptorum gentilium.

Quatenus idem aliis liceat exemplo Pauli.

Ex qua re diſcimus, non eſſe vitio dandum doctoribus aut concionatoribus Chriſtianis ſi quando ſcriptis ſuis aut ſermonibus ſententias inſerant ex authoribus profanis: dum tamen & ſobriè & opportunè id faciant: non ut quidam, paſſim & affectatè. Simile quid etiam S. Thomas annotavit, authorem citans Hieron. qui cum alibi, tum ex profeſſo *in epiſt.* 84. quæ eſt ad *Magnum oratorem*, oſtendit exemplo Pauli & aliorum veterum eccleſiæ ſcriptorum, rectè id fieri, recteque à ſe factum eſſe. Affirmat idem Hieron. ſcribens ad Demetriadem virginem, *epiſt.* 8. *c.* 10. quod hunc *ſæcularem* Menandri poëtæ *verſum aſſumens, Apoſtolus fecit eccleſiaſticum.* Quod & Tertull. ſenſit, quum ad uxorem ſcribens lib. 1. c. 7. eam hortatur his verbis : *Convictum atque commercia Deo digna ſectare, memor illius verſiculi ſanctificati per Apoſtolum. Bonos corrumpunt mores congreſſus mali.* Sic enim ille Græcum verſum reddit eodem metro ; ſed libertate Latinæ comediæ. Quod ſi ſanctificatus & eccleſiaſticus factus eſt per Apoſtolum Menandri verſus ; igitur quod à Menandro ſcriptum, erat verbum hominis ; idem poſtea dictante Spiritu ſancto ſcriptum à Paulo, factum eſt verbum Dei.

Verſus Menandri à Paulo ſanctificatus.

Nota ad mores.

Porrò Græci interpretes ἤθη χρηστὰ, *mores bonos*, intelligunt commodos ſeu placidos, & in quamvis partem duci faciles. Quemadmodum & ex Syriaco legimus *mores benignos*, aut alio interpretante *mentes ſuaves*. Nam, χρηστὰ tale quid etiam ſignificat. Unde & illud *jugum meum ſuave*, ὁ ζυγός μου χρηστός, Matth. 11. Verumtamen ut mores boni, id eſt, probi intelligantur hoc loco, contextus planè requirit. Eſtque veritas ſententiæ nimis quàm nota per experientiam. Subindicat autem Apoſtolus inter Corinthios fuiſſe, qui ratiunculis, uti veriſimile eſt, ex ſæculari philoſophia petitis (ut erant apud eos non pauci ſapientiæ ſæcularis amantes) fidem reſurrectionis apud fideles, in privatis colloquis, tentarent labefactare.

Prava colloquia ſtudiosè vitanda.

34. EVIGILATE JUSTI. Græcè, δικαίως adverbium, *juſtè* : Syro textu annuente. Quædam etiam Latina mss. *juſtè*, legunt, & cum iis veteres concordantiæ ; nec nec Ambroſius *in enarr. Pſalm.* 118. *octon.* 10. Nec tam opus erat ut juſtos hortaretur Apoſtolus ad evigilandum, quàm illos de quibus ſtatim ſequitur, *Ignorantiam enim Dei quidam habent.* Non mirum autem ſi (*juſtè*) ſit mutatum in (*juſti*) quod apud pleroſque Latinos legitur: facilis enim fuit ſcribarum lapſus in una litera: cum præſertim quid ſit evigilare juſtè, non intelligerent. Pro *evigilate* quidam legunt *ſobrii eſtote*, ut Ambroſius *loco jam citato*, Auguſt. *in epiſt.* 137. quæ eſt ad *plebem Hipponenſem*, & in *enarr. Pſ.* 128. & Sedulius *in hunc locum.* At Primaſius utrumque conjunxit, *Evigilate, ſobrii eſtote.* Etenim Græcum verbum ἐκνήψατε, utramque ſignificationem complectitur ; ut dum quis ebrietate digeſta è ſomno expergiſcitur, ſobrietati redditus. Inde eſt quod alii verterunt *evigilate*, ſive *expergiſcimini*: alii, *ſobrii eſtote.* Legitur idem verbum apud LXX. 1. Reg. 25. ubi ex Hieron. verſione nos legimus de Nabal Carmeli: *Diluculo autem cum digeſſiſſet vinum*, &c. Plenus igitur ſenſus eſt: Ab erroris & voluptatum ebrietate experrecti, jam ſapite, & ad ea quæ juſta & recta ſunt, animum applicate. Significat ex illis aliquos jam ſeductos fuiſſe pravis colloquiis : quos ad ſanam & ſobriam mentem revocat.

Quid evigilare juſtè.

ET NOLITE PECCARE. Hoc duobus modis exponitur. Quidam accipiunt *peccare*, velut effectum negatæ reſurrectionis; ut ſenſus ſit : Ne vos tradite voluptatibus deſperatione vitæ futuræ ; ad quod incitant vos pravorum hominum colloquia. Græci verò *peccare* accipiunt ut cauſam negandæ reſurrectionis ; hoc ſenſu: Ne vos tradite voluptatibus : quia qui voluptariè & perditè vivunt, libenter ac facilè ſibi perſuadent non eſſe futurum quod non ſperant, id eſt, reſurrectionem juſtorum. Convenit quod idem Apoſtolus, 1. *Tim.* 1. dicit de quibuſdam, ex quibus erat Hymenæus, quod *bonam conſcientiam repellentes, circa fidem naufragaverunt*, reſurrectionis videlicet : ut ſatis colligitur ex *epiſt.* 2. *ad Tim.* 2. ubi idem Hymenæus eſt unus eorum qui dixerunt *reſurrectionem eſſe jam factam.*

Peccare effectus & cauſa negatæ reſurrectionis.

IGNORANTIAM ENIM DEI QUIDAM HABENT. Hæc, inquit, moneo, quia nonnulli veſtrûm ira affecti ſunt animis & ſtudiis ; ita vivunt, ac ſi Deum ignorent, quomodo de Judæis quibuſdam dicit, *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*, Tit. 1. Opprobrium hoc in eos maximè quadrat, qui ſe totos immergunt voluptatibus, ut ne cogitent quidem de Deo. Quod contingebat eis qui ſpem reſurrectionis amiſerant. Quidam interpretantur Apoſtolum loqui de ignorantia virtutis divinæ, quam Dominus improperat Sadducæis reſurrectionem negantibus, dicens : *Erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei.* Sed quod priùs dixi, puto magis Apoſtolum voluiſſe.

Ignorare Deum qui dicantur.

AD REVERENTIAM VOBIS LOQUOR. Græcè πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω, *ad pudorem*, ſeu *verecundiam vobis dico. Verecundiam* vertit *ſuprà c.* 6. *v.* 5. ubi eadem hæc pericope legitur. Uſurpat interpres vocabulum reverentiæ pro pudore, etiam aliàs, ut Pſal. 34. *Induantur pudore & reverentia*, & 68. *Tu ſcis improperium meum & confuſionem meam & reverentiam meam.* Senſus eſt, Hæc ſcribo, ut pudorem vobis ingeram, inter quos ſint tales, id eſt, Deum ignorantes : utque vel pudore cogente corrigatis tantum malum. Non ſibi contrarius Apoſtolus, qui ſuprà cap. 4. dixit, *Non ut confundam vos, hæc ſcribo* : Tum quia de diverſo ac graviore eorum peccato agit etiam, *cap.* 6. quod erat velle judicari apud infideles : magis autem hoc loco. Nam multò gravius eſt reſurrectionem mortuorum negare, quàm fide ſalva Apoſtolo ſuo neglecto alios magiſtros colere; quod *cap.* 4. reprehendebatur : Tum quia ſuam quodammodo cauſam illic agens, noluit eis apertè pudorem ingerere : quem tamen non excludit ; ſed negat ſe eos admonentem id per ſe ſpectare ut pudeſiant, tamquam in eo gaudeat

Pauli diverſa loca conciliata.

Pudor utilis.

ut ſolent homines qui non affectu charitatis, ſed ut ſtomacho ſatisfaciant, iis à quibus ſe læſos arbitrantur, exprobant ipſorum vitia. Nam affectum paternum declarat illud, quod ibidem ſequitur: *Sed ut filios meos cariſſimos moneo.*

35. SED DICET ALIQUIS. Hactenus docuit mortuos eſſe reſurrecturos. Nunc inſtituit docere, quomodo reſurrecturi ſint, & quæ reſurgentium corporum qualitates: velut de utroque perlata ad ſe quæſtione.

Mos hæreticorum id negare, cujus modum non intelligunt.

QUOMODO RESURGUNT MORTUI? Id eſt, quis modus erit reſurrectionis? Familiare eſt hæreticis, ac cæteris infidelibus, rem negare cujus modum non intelligunt. Unde dicebant Capharnaitæ, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Joan. 6. Ad hanc de modo reſurrectionis quæſtionem infrà reſpondebit Apoſtolus ſuo loco. Subjungit autem alteram quæſtionem, reſponſurus ad eam continuò.

QUALIVE CORPORE VENIENT? Multi codices habent, ut eſt in Græco, *quali autem corpore*. Et pro futuro *venient*, in Græco & Syriaco verbum eſt præſentis temporis *veniunt*. Quod & legitur in multis Latinis. Quamquam Græcum ἔρχομαι, quamdam habet etiam futuri ſignificationem in ſacris literis, ut Matth. 21. *Tu es qui venturus es?* ὁ ἐρχόμενος. Quare & Eraſmus & alii traſtulerunt futurum *venient*. Hac parte quæritur qualia futura ſint reſurgentium corpora: num qualia modò ſunt, animalia, mortalia, terrena: an verò diverſæ qualitatis. Nam & Phariſæi, & (Thoma referente) philoſophorum quidam ſunt opinati, reſurrecturos homines ad eadem vitæ officia quæ nunc aguntur; ut ſunt edere, bibere, conjugibus copulari, & cætera hujuſmodi. Quæ eadem eſt doctrina ſectæ Mahometanæ. Solverat quidem hanc quæſtionem Dominus in Evangelio, ubi Sadducæorum objectioni, quam Phariſæi diſſolvere non potuerant, reſpondit Matth. 22. dicens, *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Verum & Apoſtolus nunc eamdem quæſtionem pluribus explicat. Oſtendit autem hæc Apoſtoli explicatio, ſicut & illa Chriſti reſponſio; quæſtionem præcipuè motam fuiſſe de beata & optabili reſurrectione.

Phariſæorũ & quorumdã philoſophorum error de reſurrectione.

36. INSIPIENS; QUOD SEMINAS, NON VIVIFICATUR, NISI PRIUS MORIATUR. Græcè & Syriacè, *niſi mortuum fuerit*; abſque *prius*. Quod interpres adjeciſſe videtur de ſuo. Pronomen *tu* ſequentibus adhæret. *Senſus enim eſt.* Homo ſtulte & inſipiens, ut qui carnaliter de myſterio reſurrectionis cogitas, neque ſenſum tuum humanum ſubjicis ſapientiæ divinæ, & ideo tardus es ad credendum, diſce ex rebus tibi per experientiam notis, aſſurgere ad capiendum ea quæ tibi credenda proponuntur. Nam id quod tu ſeminas, id eſt, ſemen quod in terram projicis, non fit corpus vivens, quale naſciturum è terra ſperatur; niſi prius obrutum terra computruerit, & quaſi mortuum fuerit. Nam putrefactio rei, licet inanimatæ, mors quædam ejus eſt. Sic Dominus in evangelio, *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, Joan. 12.

Comparatio à ſemine ad declarãdam corporũ reſurrectionẽ.

Eſt autem hoc primum ſimile, quo ad declarandam qualitatem corporum reſurgentium utitur Apoſtolus: prius tamen indicans (quod notandum eſt propter ea quæ dicentur *infrà verſu* 51.) non niſi morte intercedente corpora noſtra ad vitam eſſe reſurrectura: quomodo ſemen non exſurgit in corpus vivens, niſi prius moriatur: ut mors corporum noſtrorum ſit ſeminatio quædam eorum ad vitam. Ex quo tamen ſimili non eſt conſequens, reſurrectionem mortuorum fieri virtute naturali: quaſi in pulveribus reſolutis inſint rationes quædam ſeminales effectivæ reſurrectionis corporum, ut quidam opinati ſunt, referente S. Thoma. Non enim ad id docendum adducit iſtam ſimilitudinem Apoſtolus; ſed tantum ad hoc quod diximus; videlicet oſtendens divina virtute futurum in corporibus noſtris, quod in ſemine fit per naturam.

Reſurrectio non fiet virtute naturali.

37. ET QUOD SEMINAS, NON CORPUS QUOD FUTURUM EST, SEMINAS: SED NUDUM GRANUM; ut puta TRITICI, AUT ALICUJUS CÆTERORUM. *Quod futurũ eſt*, Græcè τὸ γενησόμενον, *naſciturum*, ſive *quod naſcetur*. *Ut puta*, Græcè εἰ τύχοι, quod Eraſmus vertit, *exempli cauſa*. Alii, *videlicet*. Vide quæ de ea voce diximus *ſuprà cap. 14. verſ. 10.* Addo B. Auguſtinum ex veteri quadam tranſlatione legiſſe *fere*, epiſt. 146. ad Conſentium, & *lib. 5. de Geneſi ad literam, cap. 20.* niſi mendum eſt. Nam poſteriore loco mss. codices habent, *fortè*, quod Græco verbo meliùs reſpondet: ac ſi dicas, *prout inciderit*. Notandum etiam articulum τὸ *quod futurum eſt*, non quid, ſed quale monſtrare. *Senſus enim Apoſtoli eſt*: Id quod ſeminas, non tale eſt quale naſcetur: quia ſeminatur nudum granum ſive tritici ſive alterius cujuſpiam ſeminis; naſcetur autem granum herba & ariſtis ornatum atque veſtitum. Ita corpus noſtrum ſeminatur mortale; reſurget autem veſtitum immortalitate & gloria: quemadmodum infrà declaratur. Non ergo conſiderat Apoſtolus in hac ſimilitudine diverſitatem rei, ſed qualitatis & conditionis. Quod & quæſtio requirebat, *Quali corpore venient?* Itaque falluntur qui ex his Apoſtoli verbis corpora non eadem ſecundùm ſubſtantiam eſſe reſuſcitanda, colligunt. Quod qui dicunt, reſurrectionem revera tollunt. Non enim reſurgit, niſi id ipſum quod cecidit.

Corpora reſurrectura eadẽ ſecundùm ſubſtãtiam, non ſecundùm qualitates.

38. DEUS AUTEM DAT ILLI CORPUS SICUT VULT. Græcè καθὼς ἠθέλησεν, *voluit*. Quod & legitur in multis mss. & in concordantiis, & apud Ambroſiaſtrum: nec non apud Auguſtinum *duobus locis modò citatis*, & in Bedæ *collectaneis*. Quo nimirum præteriti temporis verbo ſignificatur æterna & immutabilis Dei de unaquaque re diſpoſitio. Refert autem Apoſtolus generationes plantarum è ſeminibus, ad Deum ejuſque voluntatem, non ad naturam: ut ſignificet Deum non minùs poſſe mortua noſtra corpora revocare ad vitam abſque opere naturæ, ſi ita velit: quam poſſit interveniente actione naturæ ſemina putrefacta vivificare. Siquidem utrobique tota cauſa eſt in Dei voluntate, à qua ut eſt tota natura, ſic & omnis actio naturæ. Deus eſt enim *qui operatur omnia in omnibus*, ſuprà cap. 22. Ad quam rem urget Auguſtin. ad Conſentium ſcribens Apoſtolum non dixiſſe *dedit aut diſpoſuit, ſed dat illi corpus*: ſicut & Dominus in evangelio, *Si fœnum agri Deus ſic veſtit*, Matth. 6. quemadmodum & de Sapientia dictum eſt, quod *diſponit omnia ſuaviter*, Sapient. 8. Poteſt nihilominus hoc quod ait, *ſicut voluit*, in hunc ſenſum accipi; ſicut initio mundi inſtituit: ut reſpiciat ad opus primæ creationis, qua ſeminibus indidit proprias virtutes. Ad hunc enim intellectum movet quod ſequitur.

Æterna Dei voluntas rerum omniũ cauſa.

Omnis actio naturæ à Deo intimè operante.

ET UNICUIQUE SEMINUM PROPRIUM CORPUS. *Proprium corpus*, Syrus Paraphraſtes dixit, corpus naturæ ſuæ, id eſt, quod cujuſque naturæ convenit. Nam ex ſemine tritici naſcitur triticum, ex ſemine hyſſopi hyſſopus, & ita de aliis: juxta ſcripturam Geneſ. 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum.* Hac parte ſimilitudinis Apoſtolus non intendit docere quòd eadem numero corpora ſint reſurrectura; nam id ſupponere videbatur quæſtio, *Quali corpore venient?* cui nunc reſpondet. Neque ſanè ad hoc probandum quòd reſurgent eadem numero, valeret propoſita ſimilitudo. Non enim ex ſemine naſcitur corpus idem numero, ſed ſpecie tantùm. Verùm docet; quemadmodum unicuique ſemini datur à Deo proprium corpus: ita Deum, quod ad qualitates attinet corporum noſtrorum reſurgentium,

Unicuique reddendum proprium corpus, quo ſenſu.

redditurum unicuique corpus proprium, id eſt, tale quale pro meritis ei conveniat. Quam rem clariùs explicat per alias ſimilitudines ſubjunctas.

39. NON OMNIS CARO EADEM CARO. Hoc alterum ſimile eſt, quo declarat, quali corpore venturi ſint mortui. *Senſus eſt.* Non omnis caro ejuſdem eſt naturæ, conditionis & præſtantiæ. Carnem non corpus nominat, ut inſinuet in vera carne mortuos reſurrecturos, non in corpore, quod vel aëreæ vel æthereæ ſit naturæ. Ideò confitemur in ſymbolo fidei *carnis reſurrectionem.*

Piſcium caro propriè. Cur Chriſtiani piſces à carnibus diſtinguant.

SED ALIA QUIDEM HOMINUM, ALIA VERO PECORUM, ALIA VOLUCRUM, ALIA AUTEM PISCIUM. Pleniùs in Græco: *Sed alia quidem caro hominum, alia verò caro pecorum, alia verò piſcium, alia verò volucrum.* Non dubium quin piſcium quoque ſit caro, ſicut pecorum & volucrum: idque ſecundùm propriam carnis ſignificationem: licet nos Chriſtiani, qui in diebus edomandæ carni deſtinatis ſic à carnibus abſtinemus, ut tamen eſum piſcium nobis permittamus, ita loquamur, ut piſces à carnibus diſtinguamus. Alioqui piſcium carnem legimus, *Num.* 11. ubi filii Iſraël eſum carnium expetentes dicebant: *Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto.* Quando & Moyſes Deo promittenti & dicenti: *Dabo eis eſum carnium menſe integro*: reſpondit interrogans, *Numquid ovium & boum multitudo cædetur? vel omnes piſces maris in unum congregabuntur, ut eos ſatient?*

Gradus gloriæ, reſpondentes gradibus meritorum.

Porrò ſentit Apoſtolus, ſicut diverſorum animantium diverſa caro eſt: ita diverſorum hominum fore diverſa in reſurrectione corpora, quoad gradus gloriæ, reſpondentes gradibus meritorum. Diverſitatem reſurgentium hîc ſignificatam nonnulli etiam ad malos extendunt: ut per homines quidem boni intelligantur, qui ſecundùm rationem vivunt; per pecora verò luxurioſi, per volucres ſuperbi, per piſces avari. Cæterùm Tertull. *lib. de reſurr. carnis cap.* 52. ſpeculatur ad hunc modum: *Alia caro hominis, id eſt, ſervi Dei: alia jumenti, id eſt, ethnici: alia volucrum, id eſt martyrum: alia piſcium, id eſt, quibus aqua baptiſmatis ſufficit.* In quibus verbis hunc verſum, excepto ſecundo membro, quod interpretatur de eo qui *aſſimilatus eſt irrationibilibus jumentis*, totum refert ad bonos. Optimè verò S. Auguſt. in epiſt. ad Conſent. (cujus etiam à Beda, Lombardo & Hervæo verba repetuntur) totum ſine exceptione ad electos retulit: quorum *in reſurrectione diſtat it gloria meritorum.* Ad quædam rem ampliùs declarandam adducit Apoſtolus tertium ſimile.

De ſola bonorum reſurrectione diſſerit Paulus.

40. ET CORPORA CÆLESTIA, ET CORPORA TERRESTRIA. Supple hoc modo quo vertunt alij: *Et ſunt corpora cæleſtia: & ſunt corpora terreſtria.* Cæleſtia quidem Græcè ἐπουράνια, *quæ in cælo ſunt*; ut ſol, luna, ſtellæ: terreſtria verò, Græcè ἐπίγεια, *quæ in terra ſunt*; ut arbores ac cætera vegetabilia terræ infixa: quæ tamen omnia ſuam ac propriam habent formam, pulchritudinem & quaſi gloriam. Unde ſequitur.

Terreſtrium gloria, quæ

SED ALIA QUIDEM CÆLESTIUM GLORIA, ALIA AUTEM TERRESTRIUM. Ne quis ſuſpicetur Apoſtolum miminiſſe corporum terreſtrium, quod per ea ſignificare voluerit rediviva corpora reproborum; tribuit etiam illis gloriam, etſi multo minorem gloria cæleſtium. Id verò conſtat ad reproborum corpora accommodari non poſſe. Facit hoc etiam ad conſolationem imperfectorum: ne dum vident ſe longè poſitos infra perfectos tamquam cæleſtes, deſperent beatam reſurrectionem. Eſt enim & terreſtrium gloria. Tantùm ergo ſignificat pro meritorum diverſitate, quæ inter bonos fideles maxima eſt, permagnam quoque futuram in corporibus reſurgentium gloriæ diverſitatem: velut ſi gloriam cæleſtium corporum conferas cum gloria terreſtrium. Quod enim Aquinas per cæleſtia corpora contemplativos intelligit, qualis Maria deſcribitur, *Luc.* 10. per terreſtria activos, qualis Martha; non adeò placet: cùm in utroque genere reperiantur perfecti.

Per celeſtia & terreſtria qui ſignificati.

Minus probandum, per terrena Judæum, per cæleſtia Chriſtianum ſignificari; quod vult Tertullian. Non enim Judæo gloria, ſi non ſit Chriſtianus. Nam quod Theophyl. & Oecum. qui cum Chryſoſtomo terreſtria corpora peccatores interpretantur, dicunt in illo membro, *alia terreſtrium*, non eſſe ſubaudiendum *gloria*, ſed *vita* aut *converſatio*, minimè quadrat. Quæ enim converſatio corporum terreſtrium, de quibus hic loquitur Apoſtolus, id eſt, arborum aut aliorum hujuſmodi? Tribuit autem Apoſtolus gloriam corporibus cæleſtibus & terreſtribus metaphoricè: quatenus habent ejuſmodi in ſe qualitates, ex quibus quodammodo laudentur & glorificentur.

Luna ſtellis penè omnibus minor.

41. ALIA CLARITAS SOLIS, ALIA CLARITAS LUNÆ. In Græco conjunctivè, *& alia claritas lunæ.* Claritatem verò dicit interpres, quam modò dixit gloriam: cùm Græcè ſemper idem ſit vocabulum δόξα, *gloria.* Senſus: Sed & inter ipſa cæleſtia corpora, magna eſt gloriæ differentia. Nam ſolis lumen multis partibus excellentius eſt lumine lunæ. Gloriam & quaſi majeſtatem ſolis & lunæ & ſtellarum pulchrè deſcribit Eccleſiaſticus, *cap.* 43. De gloria lunæ loquitur Apoſtolus, ſecundùm quod hominum aſpectibus apparet, & uſibus ſervit: qua ratione & Moyſes Gen. 1. ſtellis eam præponit, & alteram facit magnorum luminarium. Alioqui conſtat juxta veram aſtronomiam, omnibus penè ſtellis lunam minorem eſſe.

Inter perfectos magna diverſitas.

ET ALIA CLARITAS STELLARUM. Non ſolùm alia gloria ſtellarum à gloria ſolis & lunæ, ſed etiam alia ac differens ipſarum inter ſe. Nam ſequitur.

Per ſolem, lunam, ſtellas, qui ſignificati.

STELLA ENIM A STELLA DIFFERT IN CLARITATE. Significat Apoſtolus etiam inter electos perfectiores, qui velut luminaria cæli ſanctitate vitæ fulſerint in terris, magnam adhuc fore diverſitatem gloriæ, pro diverſitate meritorum hujus vitæ. Porrò Tertull. hanc à cæleſtibus ſumptam ſimilitudinem, ad electos ita refert loco ſuperiùs citato; *Alia ſolis gloria, id eſt, Chriſti: alia lunæ, id eſt, Eccleſiæ: & alia ſtellarum, id eſt, ſeminis Abrahæ.* Liranus verò poſt Aquinatem, per ſolem dicit intelligi poſſe Chriſtum: per lunam virginem Mariam: per ſtellas reliquum cœtum electorum. Aliter gloſſator, qui commentarium Ambroſianum ſecutus, putat rectè ſic intelligi: *Ut claritati ſolis illorum dignitas exæquetur, qui centeſimum numerum habent: lunari claritati, qui ſexageſimum: ſtellis verò, qui triceſimum quæſierunt.* Ad hujuſmodi ſenſum alludit illud Auguſtini ſerm. 4. de verbis Domini: *Aliter ibi lucebit virginitas, aliter caſtigas conjugalis, aliter ſancta viduitas.* Quamquam fortè nihil horum ſpecialiter intendit Apoſtolus: ſed tantùm in genere, magnam in electorum corporibus futuram gloriæ diverſitatem.

Obſerva Jovinianiſtas refelli meritorum paritatem ſtatuentes. Dotes omnib. electorum corporibus communes.

42. SIC ET RESURRECTIO MORTUORUM. Supple, erit; aut ſeſe habebit. Applicatio eſt trium ſimilium quæ attulit, ad rem propoſitam. Sicut enim unicuique ſeminum datur proprium corpus; & ſicut aliorum animalium alia caro eſt, aliorum corporum alia gloria: ſic & reſurgentium corpora quibuſdam gloriæ gradibus different inter ſe, juxta differentiam meritorum. Quod ſi in corporibus futurum: certè & in animabus, & conſequenter in toto homine. Totus igitur hic locus oſtendit contra novos Jovinianiſtas, Deum hominibus largiturum præmia beatitudinis pro ratione meritorum diverſa: quod Dominus in evangelio ſignificavit, dicens: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, Joan. 14.

Ut meritorum, ita gloriæ permagna diverſitas.

SEMINATUR IN CORRUPTIONE, SURGET IN INCORRUPTIONE. Jam deinceps oſtendit Apoſtolus, quas dotes communiter habitura ſint omnium ad

vitam æternam resurgentium corpora. Facit autem id jucundo schemate sermonis, quam epanaphoram vocant Rhetores, quartùm repetitis iisdem verbis *seminatur* & *surget* sive *surgit*. Nam pro futuro *surget* hoc loco & in tribus membris sequentibus Græcè & & Syriacè verbum est præsentis temporis, *surgit, resurgit, suscitatur*. Quædam etiam mss. Latina & veteres concordantiæ legunt in præsenti *surgit*. Quod & Irenæi dedit interpres, *lib.* 5 *cap.* 7. Tertull. quoque *lib. de resurr. carnis cap.* 52. *resurgit* identidem legit: nec non *lib.* 5. *contra Marci. cap.* 10. & post eum Cyprian. *lib.* 3. *ad Quirinum testim.* 8. tametsi nullam id parit in sensu diversitatem. Nam præsens verbum more Hebræis familiari absolvitur à tempore. Subauditur autem corpus, quod quarto demum membro exprimitur.

Seminari, id est, mori, ut melius resurgat.

Seminari vocat mori instar seminis, quod ut tale, sic moritur in terram projectum, ut etiam meliori modo vitam recipiat: quemadmodum superiùs est declaratum. Non quod in humano corpore mortuo & in cineres resoluto vis aliqua naturalis insit ad resurrectionem, sicut inest seminibus ad generationem: sed quia Deus sic ordinavit, ut corpora nostra non reformentur ad vitam gloriosam, nisi per mortem: quemadmodum rursus hoc loco studiosè S. Thomas annotavit.

In corpore mortuo nulla vis naturalis ad resurrectionem.

Incorruptio quæ electorum corporibus propria.

Breviter ergo *sensus est*: Moritur corpus corruptibile; resurget incorruptibile. Ubi incorruptionem sive incorruptibilitatem, Græcè ἀφθαρσίαν, non eam oportet intelligi, quæ omnium resurgentium, etiam malorum corporibus erit communis, qua nimirum fiat ne corpora mori possint ampliùs, aut aliquatenus ad mortem disponi: sed quæ præter hujusmodi corruptionem, etiam excludat quamlibet noxiam passionem, sive ab interna causa, sive ab externa proficiscentem. Quam impassibilitatis dotem appellant Theologi. Agit enim Apostolus, ut sæpe monui, de resurrectione justis propria. Quod quidem manifestè patet ex iis quæ sequuntur: idque adeò disertè S. Thomas admonet: cujus in totum hunc locum commentarius illustris est, lectuque dignus.

Dos impassibilitatis.

43. SEMINATUR IN IGNOBILITATE, SURGET IN GLORIA. Ignobilitatem pro *ignominia* posuit interpres. Hanc enim propriè significat Græcum nomen ἀτιμία: Sicque legunt Ambrosiaster & Sedulius. Nam quod apud Augustinum *in epistol. ad Consent. & alibi* legitur *in contumelia*, minùs placet. Sensus: Moritur corpus multis ante mortem miseriis & fœditatibus obnoxium: suscitabitur idem corpus omni ex parte glorioſum. Ubi S. Thomas specialiter significari putat dotem claritatis. De qua etiam Primasius hanc partem exponit ita scribens, *Surget in gloria splendoris sicut sol*, videlicet alludens ad verba Salvatoris: Matth. 13. *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*

Dos claritatis.

SEMINATUR IN INFIRMITATE, SURGET IN VIRTUTE. *Virtute*, Græcè δυνάμει, *potentia*. Sensus: Moritur corpus infirmitatibus subjectum: resurget autem valentissimum, id est, in quo perfectus sit vigor omnium potentiarum atque membrorum. Virtutem hanc S. Thomas interpretatur dotem agilitatis: cujus beneficio tanta virtute corpus ab anima moveri possit secundùm quamlibet loci differētiam, ut nullam prorsus ei difficultatem ad motum exhibeat: sicut nunc exhibet corpus infirmum & invalidum, etiam ad motus naturales.

Dos agilitatis.

Porrò Græci commentatores, & inter Latinos Haimo glossam secutus intelinealem, illa superiora, *In corruptione & in ignobilitate*, sive *ignominia*, referunt ad corpora jam mortua, quæ seminantur, id est, putrescunt in corruptione, fœditate ac deformitate. Eodem referunt hoc tertium, *in infirmitate*; dicentes corpus in infirmitate seminari, quia non potest mortuum corpus vel ad paucos dies resistere corruptioni. Verùm coactior est hæc interpretatio. Quis enim cadaveri tribuat infirmitatem, Græcè ἀσθένειαν? nihilo magis quàm mortuos vocet infirmos. Manifestiùs autem redarguit eos illud quod proximè sequitur, simile tamen superioribus, quod nullo modo potest de corpore mortuo intelligi: Quare & in eo coguntur mutare expositionem.

Græcorum commentarius refellitur.

44. SEMINATUR CORPUS ANIMALE, SURGET CORPUS SPIRITUALE. *Corpus animale*, Græcè ψυχικὸν, ab anima dictum. Hoc autem quidam intelligunt corpus obnoxium passionibus ac necessitatibus, nec omninò spiritui subjectum. Non dissimiliter Photius apud Oecumenium, animale corpus definiens, quod *animalibus subservit affectionibus*, idem videlicet cum eo, quod prioribus membris dictum est seminari in corruptione, ignominia, infirmitate. Verùm repugnat huic intellectui probatio, quam mox subjicit Apostolus ex Genesi, *Factus est primus homo in animam viventem*. Nam primus homo non sic conditus est ut corpus haberet, quomodo isti discribunt, animale. Rectiùs igitur S. Thom. Cajetan. & alii, corpus animale dicunt ab Apostolo vocari, quod sustentatur actionibus animæ, quatenus ipsum animat, id est, vegetat; hoc est, actionibus potentiæ vegetativæ, quarum præcipua est nutritio: quæ quidem absque alimento fieri non potest.

Quid corpus animale.

Itaque corpus animale idem est quod corpus ad sui conservationem indigens alimenti subsidio. Cujusmodi fuere etiam corpora primorum parentum ante peccatum. Corpus autem spirituale secundùm eosdem vocat Apostolus, cui spiritus ita dominatur, ut ei ad perpetuam vitam & omnem actionem solus sufficiat, absque ulla alimenti necessitate. Est autem, ut iidem authores benè tradunt, res eadem in nobis, anima, à qua dicitur corpus animale; & spiritus, à quo spirituale: sed in anima, secundùm morem scripturæ, solet intelligi vita vegetabilis; in spiritu nuda vis operativa: ut videlicet anima recipiat appellationem spiritus, quatenus per se & sine externo subsidio conservat, movet ac regit corpus vivens, habens illud sibi perfectè subditum ad omnem quam voluerit operationem.

Quid corpus spirituale.

Anima & spiritus res in nobis eadem.

Hoc ferè modo distinguit animale & spirituale corpus Augustinus compluribus locis, ut *Enchir. cap.* 91. *lib.* 12. *de Genesi ad lit. cap.* 7. & *lib.* 13. *de civ. Dei cap.* 20. 23. & 24. Nec diversum sentit in *epist. ad Consent.* ubi corpus animale per mortale exponit. Nam & ante peccatum mortalis erat homo, quodam sensu: quia sic conditus, ut mori posset ac moreretur si peccaret. Alioqui disertè eodem loco vocat Augustinus *corpus animale, quale animatum est Dei flatu, cùm factus est homo in animam viventem*: quando certè nondum erat ita mortale, ut mori deberet.

Porrò Græci ferè eamdem cum Augustino differentiam tradunt corporis animalis & spiritualis: nisi quod spirituale dictum putant, non ab humano spiritu, qui sit eadem res cum anima, sed à Spiritu-sancto. Quem intelligi volunt in eo quod statim sequitur, *Novissimus Adam in spiritum vivificantem*: ut corpus spirituale dicatur, cui perpetuam vitam & operationem absque ciborum adminiculo Spiritus-sanctus subministrat. Verùm de illius intelligentia paulò pòst agemus. Illud constat, ex hac voce *spirituale* consequens non esse, quòd per resurrectionem corpora nostra vertentur in spiritus: ut quidam errantes opinati sunt: quorum meminit Augustinus *in epist. memorata ad Consentium*. Nam præterquam quod illa non esset resurrectio corporum, sed abolitio: satis evidenter eum falsum intellectum excluſit Apostolus, dum expressè repetivit vocabulum corporis, dicendo; *Surget corpus spirituale.*

Spirituale corpus à quo spiritu dicatur.

Corpora non vertentur in spiritus.

Neque sursum sequitur corpora nostra fore similia aëri aut vento, qui spiritus dicitur; tamquam spi-

Corpora resurgentium.

non erunt aerea.

ritualia futura ſint, eo quod aëra : quod ſenſit Origenes. Non enim ab hujuſmodi ſpiritu ſpirituale corpus vocat Apoſtolus, ſed à ſpiritu vivificante: quemadmodum ipſe mox declarat. Igitur *in reſurrectione ſpirituale erit, non ſpiritus*, inquit Thomas; *ſicuti nunc eſt animale, non anima.* Accommodat autem hoc membrum idem doctor ad dotem ſubtilitatis: qua videlicet corpus ut inſtrumentum expeditè & perfectè ſubjicietur animæ ad quamvis actionem organicam. Nam per agilitatem ſubjicietur ut mobile ad quemlibet motum. Sic enim rectè diſtinguntur hæ duæ dotes. Verumtamen ut idem doctor eruditè demonſtrat, ex hac dote ſubtilitatis non id conſequetur corpus glorioſum, ut alia corpora queat penetrare : ſed id ei competet ex virtute divinitatis in eo exiſtentis : quomodo nec Chriſti corpus eam vim habuit ex gloria reſurrectionis ; ſed ex virtute divinitatis ſibi unitæ.

Dos ſubtilitatis, & quomodo à dote agilitatis diſtinguatur. Dos ſubtilitatis non præſtabit corporibus, ut poſſint alia penetrare.

SI EST CORPUS ANIMALE, EST ET SPIRITUALE. Vocabulum *ſi* Græca & Syriaca non habent. Sic autem Græca legunt : *Eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale* : quaſi dicat Apoſtolus : Non abſurdè nominavi corpus animale & corpus ſpirituale. Nam utraque hæc differentia corporis reperitur atque exſiſtit. Hoc autem probat verbis ſequentibus : & priorem quidem partem ex ſcriptura, dicens.

SICUT SCRITUM EST. Græcè & Syriacè. *Sic & ſcriptum eſt.* Lombardus meminit alterius lectionis : *Sic enim ſcriptum eſt.*

45. FACTUS EST PRIMUS HOMO ADAM IN ANIMAM VIVENTEM. In quibuſdam Græcis *homo* non additur. Legunt enim ; *Factus eſt primus Adam in* &c. Et quadrat quod ſequitur : *Noviſſimus Adam* &c. Poteſt additum videri *homo*, ex ſcriptura Gen. 2. quam Paulus allegat : *Et factus eſt homo in animam viventem.* Qui quidem homo erat Adam, idemque omnium hominum primus, ex quo cæteri omnes orti ſecundùm carnem.

Adam quo ſenſu factus in animam viventem.

Dicitur autem *factus in animam viventem* Hebræa phraſi, id eſt, factus anima vivens : quo locutionis modo dictum eſt : *Ego ero ei in patrem : & ipſe erit mihi in filium*, 2. Reg. 7. id eſt, ego futurus ſum illi pater, & ille mihi filius. Factus autem anima vivens ſynecdochicè, id eſt, animal vivens. Vel fortaſsè rectiùs ſecundùm alios intelligitur factus in animam viventem, id eſt, habens animam viventem ; donatus anima vivente. Sic enim commodiùs etiam exponetur ſecundum membrum. Animam viventem appellat, qua corpus vivit vita vegetativa : quod proinde neceſſe ſit alimentis foveri & conſervari in vita, alioqui moriturum. Hoc autem eſt corpus animale. Brevè igitur per hanc ſcripturam probat Apoſtolus eſſe recteque dici corpus animale ; ſcilicet ab anima vivente. Cùm autem illud à Moyſe dictum fuerit de primo homine nondum lapſo in peccatum : conſequens eſt eum, quod antè diximus, eodem tempore innocentiæ habuiſſe corpus animale.

Quid anima vivens.

NOVISSIMUS ADAM IN SPIRITUM VIVIFICANTEM. Hoc ſcriptum non erat, neque ut ſcriptum ab Apoſtolo citatur : ſed adjungitur, ut priori membro reſpondens ; idque ad perficiendam probationem, quod ſicut eſt corpus animale, ita eſt & ſpirituale. Noviſſimum Adam Chriſtum intelligit, Qui quidem vocatur Adam, quia primus Adam hujus figura quædam fuit per comparationem à contrario : quemadmodum de eo Paulus teſtatur *Roman.* 5. dicens *qui eſt forma futuri.* Nam ut ille fuit humani generis princeps ſecundùm carnalem propagationem, ſic iſte princeps eſt ſecundùm regenerationem ſpiritualem. Ille princeps ſecundùm eſſe naturæ, iſte ſecundùm eſſe gratiæ & gloriæ. Noviſſimus autem dicitur, quia tempore poſterior, & poſt eum nemo alius in alterutro genere princeps. Nam & Deus vocatur non ſolùm primus, ſed & noviſſimus, *Apocal.* 1. *& ultim.* quòd nihil poſt eum ſit futurum. Quamquam noviſſimum, ἔσχατον, more ſcripturæ dicitur quod tempore, loco vel honore poſterius eſt ; etſi non ultimum : quemadmodum & primum accipitur comparativè pro priore, ut Luc. 14. *Non diſcumbas in primo loco*, id eſt, priore, honoratiore, *& tunc incipias cum robore noviſſimum locum tenere*, id eſt, inferiorem, minùs honoratum. Et iterùm *Recumbe in noviſſimo loco.* Sic & Matth. 12. *Fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Græcè *primis*, & cap. 27. *Erit noviſſimus error pejor priore*, & Apoſtolus 2. Timoth. 3. *In noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa*, Cùm de tempore proximè futuro loqueretur. Ita noviſſimum hoc loco ſumi, probabile fit ex eo quod pro noviſſimo ſtatim dicit ſecundum : *Secundus*, inquit, *homo de cælo, cæleſtis.*

Noviſſimi ſignificatio in ſcripturis.

Chriſtus Adam noviſſimus cur dictus.

Quem *verò ſpiritum vivificantem* dicat Apoſtolus, non liquet. Græcorum, ut dixi, ſententia eſt, Spiritū ſanctum intelligi : de quo nimirum ita ſcribit Rom. 8. *Si ſpiritus eius qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis : qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis.* Dicitur autem hic ſpiritus vivificans, vel quia vitam corporibus quæ reſſuſcitaverit, incorruptibilem tribuit : vel quia ab eo corpora reſſuſcitata, tamquam ipſo repleta, omnem ſuam accipiunt operationem. Ita ſentiunt Chryſoſt. Theophyl. & authore Methodio Oecum. atque inter Latinos Tertull. *lib. de reſurr. carnis cap. 35.* & commentator Ambroſ. Quibus & aliæ ſcripturæ favere videntur, quæ vivificationem Spiritui-ſancto attribuunt, ut Job. 33. *Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis vivificavit me.* Joan. 6. & 2. Cor. 3. *Spiritus vivificat.* Nec dubium quin ad hujuſcemodi ſcripturas reſpexerint authores ſymboli Conſtantinopolitani, quando Spiritui-ſancto aſſcripſerunt pro epithetho *vivificantem.*

Quid ſpiritus vivificans. Secundum Græcos Spiritus ſanctus.

At verò Latini plerique ſpiritum intelligunt animam humanam : quæ ſpiritus dicitur, vel quatenus *intellectualis eſt ordinis, & ſupernis communicat*, uti poſt D. Thomam explicat Cajetanus : vel hac potiùs ratione, quia per ſe valet ac ſufficiens eſt ad conſervandum, movendum & regendum corpus, ita ut alimentis corporalibus illi non ſit opus : quemadmodum ex mente S. Auguſtini, quem Beda, Lombardus, Hervæus, & alij ſequuntur, ſuprà declaratum eſt. Qui ſenſus etiam ab Hilario ſignificatur ſub finem *expoſitionis Pſalmi* 67. in eo quod dicit beatis fore naturam *quæ ſeipſam alat conſervetque.* Quò denique ſpectat illa ab Aquinate & aliis huc allegata B. Auguſtini ſententia ſcribentis ad Dioſcorum, epiſt. 56. *Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex ejus pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum ſanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam quod eſt corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis eſt propria, ſed plenitudo ſanitatis, id eſt, incorruptionis vigor.* Hæc ille.

Secundum Latinos anima humana.

Notanda Auguſtini ſententia.

Conſonat huic intelligentiæ alius ſcripturæ locus, qui eſt 1. Petri 3. ubi Chriſtus dicitur *mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu.* In quibus utique verbis antitheſis inter carnem & ſpiritum poſtulat, ut ſpiritu humano vivificatus intelligatur : quare & hoc loco ſpiritum humanum convenit accipere. Utrovis tamen modo ſpiritum accipias, phraſi Apoſtoli ſic explicanda videtur ; ut factus dicatur Chriſtus in ſpiritum vivificantem, quia factus eſt habens, id eſt, incœpit habere ſpiritum vivificantem : non quidem, ut aliqui volunt, quando conceptus eſt in utero materno : tunc enim factus eſt in animam viventem, ad exemplum primi Adam, ex quo naſcebatur ſecundùm carnem.

Chriſtus quo ſenſu factus in ſpiritum vivificantem : & quando.

Sunt autem ſecundùm Apoſtolum oppoſita, factum eſſe in animam viventem, & in ſpiritum vivi-

ficantem : quemadmodum oppoſita ſunt corpus animale & corpus ſpirituale : ſic ut eidem ſimul competere nequeant. Sed talis factus eſt quando reſurrexit à mortuis. Nam tunc demum incœpit ſpiritus ejus abſque ſubſidio alimenti perpetuam vitam corpori ſubminiſtrare. Quamvis enim ſpiritus Chriſti ſemper beatus vitam hujuſmodi corporis ipſius præſtare potuerit ab initio, quo conceptus eſt; non tamen ab initio id præſtitit: ideoque nondum erat ſpiritus actus vivificans, donec id actu præſtaret. Atque hunc ſenſum exigit conſequentia textus. Docet enim Apoſtolus nos per reſurrectionem Chriſto futuros in eo ſimiles, ut & ipſi ſimus in ſpiritum vivificantem, corpora ſpiritualia accepturi.

Animale prius ſpirituali, tam in Chriſto quàm in nobis.

46. SED NON PRIUS QUOD SPIRITUALE EST, SED QUOD ANIMALE, DEINDE QUOD SPIRITUALE. Græcè, *Sed non primum ſpirituale, ſed animale: deinde ſpirituale.* Supplendum verbum *eſt*, ex illa parte præcedenti, *Eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale.* Nam hæc duo nunc ordinat; dicens, non corpus ſpirituale prius eſſe tempore, ſed animale; tam in Chriſto quàm in nobis: ut poſteà fiat ſpirituale: ſanè convenienter: Nam & *in natura videmus*, inquit S. Thomas, *quod in uno & eodem prius eſt imperfectum, quàm perfectum.* Et alioqui ſpirituale corpus abſolutè perfectum non eſſet, ſi poſteà commutandum foret in animale, id eſt, imperfectum. Simul innuit Apoſtolus hac parte, non ideò Chriſtum vocari noviſſimum Adam, quòd primo Adam aliqua parte ſit inferior: ſed potiùs eo nomine ſignificari majorem præ illo perfectionem: ſiquidem ordine generationis perfectum eſt imperfecto poſterius.

47. PRIMUS HOMO DE TERRA TERRENUS. Græcè χοϊκὸς, id eſt, limaceus, uti citat Tertullianus libro de reſurrectione carnis cap. 49. Rationem adfert Apoſtolus congruentiæ, cur Adam factus ſit corpore animali, Chriſtus corpore ſpirituali. Nam quia primus homo de limo terræ formatus eſt, ideò conveniebat eum fieri terrenum, id eſt, habentem corpus quod mori poſſet, & in terram reſolvi. Quamvis enim corpus primi hominis ab initio non fuerit mortale, ſic ut neceſſe eſſet ipſum mori: tale tamen erat ut mori poſſet; adeoque neceſſariò moriturum, ſi externa ciborum ſubſidia deeſſent. Ita partem hanc exponit Auguſtinus *lib. 13. de civitate Dei cap. 23. & 24.* Nec aliter intellexerunt D. Thomas, Liranus & Carthuſianus, dum terrenum interpretantur animalem: nempe qualis etiam ante peccatum fuit, ut expreſsè Carthuſianus declarat.

Corpus hominis ab initio terrenum, quo ſenſu.

Aliorum ſententia minùs probanda.

Quidam, præſertim Græci, terrenum intelligunt factum primum hominem, non ex conditione naturæ, ſed peccati merito: terrenum interpretantes mortalem, quia poſt tranſgreſſionem audivit, *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, Gen. 3. ſive ſecundùm LXX. *Terra es, & in terram redibis.* Et huic ſenſui accommodatè etiam ſequentia exponunt: quod diligenter à Chryſoſtomo factum videre eſt. Admiſcent & alterum ſenſum: ut terrenus dicatur homo carnalis & terrena ſapiens: qualis quidem non à Deo factus eſt primus homo, ſed à ſeipſo per receſſum à Deo. Verùm juxta has expoſitiones non idem erit homo corpus habens animale, & homo terrenus; ſicut eumdem è diverſo facit Apoſtolus hominem corpus habentem ſpirituale, & hominem cæleſtem.

Varia lectio hujus loci.

SECUNDUS HOMO DE CÆLO CÆLESTIS. Græca conſtanter ad hunc modum legunt: *ſecundus homo Dominus, è cœlo.* Eamque lectionem ediderunt omnes Græci tractatores. Nam & Theodoritus omnium breviſſimus, ita ſe legiſſe ſubindicat in tranſcurſu, dicens: *Erimus etiam participes gloriæ Domini cæleſtis*, id eſt, Domini qui è cœlo eſt. Syra quoque verſio ſic habet: *Filius hominis ſecundus Dominus, è cælo.* At æquè conſtanter Latini legunt id quod habet noſtra vulgata verſio: quam lectionem Eraſmus quoque cenſet veriorem: ut quæ magis reſpondeat ei quod præceſſit, *de terra terrenus.* Imò Tertullianus Marcionis hæretici falſitatem traducit, *lib. 5. adverſus* eum ſcripto *cap. 10.* quod & ſuperius pro noviſſimo Adam, *Dominus poſuerit noviſſimum*: & hic, nomine hominis ſuppreſſo ſcripſerit *ſecundus Dominus de cœlo.* Ex quo loco Tertull. quidam conjiciunt adjectionem vocis *Dominus* in Græcis codicibus, reliquam eſſe ex corruptelis Marcionis. Quamquam nos Græcam lectionem minimè rejicimus, ut quæ nihil habeat periculi: diſtinguenda eſt autem & ſupplenda hoc modo: *Secundus homo*, nempe Chriſtus *Dominus, è cælo eſt*: ideoque ἐπουράνιος, *cæleſtis.*

Idem homo ſecundus & noviſſimus.

Porrò Chriſtum Dominum Apoſtolus ſecundum hominem vocat, ea ratione qua priùs appellavit noviſſimum Adam. Cur autem dicat eum eſſe de cælo, quærenda ratio eſt. Ac primum conſtat non ideò Chriſtum dici de cælo, quod corpus è locis cæleſtibus attulerit: ut veteres hæretici Valentinus, Marcion & Apollinaris docuerunt, & noſtro ſæculo docent Anabaptiſtæ. Namque ſecundùm fidem catholicam Chriſtus de terra corpus aſſumpſit, id eſt, de corpore B. Virginis, quod de terra erat. Unde S. Auguſtinus ait in enarr. Pſalm. 65 *Portabat terram Jeſus, carnem quam acceperat de terra*, videlicet matre ſua. Sed de cælo eſſe dicitur juxta quorumdam expoſitionem, quia divino prorſus ac cæleſti miraculo conceptus eſt de Spiritu ſancto, & natus ex Virgine. Quo ſenſu Prudentius *in hymno Epiphaniæ* Chriſtum canit *cælitus incorporatum*: quem tamen eumdem ſtatim poſt *cum carne terreſtri* veniſſe teſtatur.

Chriſtus non è cælo, ſed è terra corpus accepit.

Chriſtus cur de cælo; ratio quorumdam,

Verùm hac ratione fuit etiam primus homo de cælo: quia licet factus ſit de limo terræ, non tamen ſine grandi miraculo divinæ virtutis: ut de eo peculiariter ſcriptum ſit Luc. 3. *qui fuit Dei.* Quin eadem ratione dicemus etiam Iſaac Patriarcham de cælo fuiſſe: quem quia ſupra facultatem naturæ conceptus fuit ex matre ſterili, ſcribit Apoſtolus Galat. 4. *natum fuiſſe ſecundum ſpiritum*: idemque fatendum erit de omnibus, quibus conceptus aut nativitas ſupra naturam contigit. Atqui de cælo eſſe ex mente Pauli ita proprium eſt Chriſto, ut non ſolùm à primo homine, qui ſolus immediatè de terra formatus eſt, eum diſcernat: verùm etiam ab omnibus aliis.

Refellitur.

Alia ratio verior.

Rectiùs igitur illi, qui ſentiunt ſecundum hominem Chriſtum dici de cælo eſſe, propter originem cæleſtem: quia licet corpus habeat è terra, veruſque ſit homo ex homine natus, idem ipſe tamen per unionem perſonalem humanæ naturæ cum divina, verè Dei Filius eſt, ut qui natus ſit ex Patre cæleſti, id eſt, ex Deo. Sic exponunt plerique interpretes tam Græci quàm Latini: tametſi quidam eorum etiam priorem ſenſum adjungant. Exigunt autem hujuſmodi intellectum & aliæ ſcripturæ, de Chriſto loquentes, ut Joan. 3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo.* & iterùm, *Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt.* Qui & cap. 6. dicit, ac ſubinde repetit, ſe deſcendiſſe de cælo. Nec ob aliud ibidem ſe vocat panem qui de cælo deſcendit, quàm ut eo ſermone cælitus, id eſt, à Deo Patre naturam ſe accepiſſe doceret. Ejuſdem myſterij ſignificatio eſt in illa parte ſymboli Eccleſiaſtici: *Qui propter nos homines deſcendit de cælis.*

Chriſtus quo ſenſu deſcendit de cælo.

Generaliori quidem ratione de cælo eſt omne bonum, quatenus Deum habet authorem. Quo ſenſu baptiſmus Joannis erat è cælo, Matth. 21. ſicut & ipſe confitetur hac generali ſententia, *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cælo*, Joan. 3. Teſtatur etiam Jacobus Apoſtolus c. 1. omne bonum eſſe *deſurſum, deſcendens à Patre luminum.*

Generali ratione omne bonum de cælo.

Et unus ex ſeptem martyrum, de quibus 2. *Machab.* 7. linguam & manus amputandas proferens, aiebat: *E cælo iſta poſſideo.* Sed hic intellectus præſenti loco non convenit. Hac enim ratione etiam primus homo de cælo erat; & cæteri omnes de cælo ſunt.

Chriſtus quo ſenſu cæleſtis.

Senſus igitur eſt; Secundus homo Chriſtus Dominus, qui de cælo eſt, id eſt, divinam habens originem, utpote natus ex Deo; per reſurrectionem factus eſt etiam corpore cæleſtis, id eſt, qualitates ſuæ dignitati congruentes etiam ſecundùm corpus accepit, factus ſcilicet immortalis, impaſſibilis, & omni ex parte glorioſus.

48. QUALIS TERRENUS, TALES ET TERRENI. Quæ dixit de duobus hominibus, primo & ſecundo: nunc ad cæteros applicat, quorum illi ſunt principes. Irenæi interpres, *lib. 1. cap. 1.* & Tertull. *de reſurrect. carnis c. 49.* Græca voce retenta legunt, *Qualis choicus, tales & choici.* Cyprianus verò ſic legit, *Qualis ille de limo, tales & qui de limo*; lib. de zelo & livor. & de diſciplina virginum, & ad Quirinum *lib. 2. teſtim. 10. & lib. 3. teſtim. 11.* Poteſt autem Apoſtoli ſermo ſic explicari; Qualis fuit primus homo, nempe terrenus; tales & nos ſumus ejus poſteri, ſcilicet terreni, vel quia corpus habemus quod in terram reſolvi poſſit per mortem; vel exponente B. Thoma, quia mortalitatem qua relabitur in terram, ex primo parente contraximus, vel denique, ſecundum alios, quia carnales ſumus ac terrena ſapimus.

Cur nos terreni.

Vera ratio.

Quarum trium rationum prima maximè contextui inhæret. Nam terrenum interpretatur eodem modo in nobis & in primo homine; ſecundum illud quod dictum eſt ſuprà, *Primus homo de terra terrenus*, id eſt, habens corpus quod ratione ſuæ materiæ eſſet in terram reſolubile, & quidem ſubtractis alimentis neceſſariò reſolvendum. Non enim hîc conſiderat Apoſtolus eam mortalitatem quæ eſt pœna peccati, ſed illam quæ erat hominis facti in animam viventem: tametſi utrumque, & mori poſſe, quod erat ante peccatum, & oportere mori, quod eſt ex peccato, ſub uno nomine mortalitatis continetur: & prius in poſteriori includitur.

Quomodo nos futuri cæleſtes.

ET QUALIS CÆLESTIS, TALES ET CÆLESTES. Hoc eſt. Qualis eſt ſecundus homo, nempe cæleſtis; tales & nos qui ad illum pertinemus, & quorum ille princeps eſt, erimus, id eſt, cæleſtes; utique ſecundùm corpus per reſurrectionem: uti ſuperiùs expoſitum eſt, & alibi declarat Apoſtolus, ita de Chriſto loquens: *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*, Philip. 3.

49. IGITUR SICUT PORTAVIMUS IMAGINEM TERRENI, PORTEMUS ET IMAGINEM CÆLESTIS. Græci codices ſic habent: *Et ſicut portavimus* ſive *geſtavimus imaginem terreni*; *portabimus*, ſive *geſtabimus imaginem cæleſtis*. Nam vox Græca φορεῖν propriè ſignificat geſtare, quomodo veſtem, annulum, ſceptrum geſtare quis dicitur. Græcis Syra conſonant, *& quemadmodum induimus imaginem illius qui ex terra*, ſive *ex pulvere*; *ſic induemus imaginem illius qui è cælo.* Atqui lectio noſtra *portemus* apud omnes Latinos eſt, non ſolum expoſitores hujus epiſtolæ, verum & alios. Sic enim legunt Tertull. *adverſus Marcio l. 5. c. 10.* & *de reſurr. carnis c. 49.* & Cyprianus *omnibus locis ſuprà citatis.* Item Hieron enarrans Iſaiæ *caput. 52.* & alibi; & Auguſt. *paſſim*, imò & Irenæus ejuſve interpres *lib. 5. cap. 9.* Qui tamen omnes in eo cum Græcis conveniunt, quod illativam voculam *igitur*, non agnoſcunt: ut nec Ambroſiaſter, nec Sedulius, nec Haimo. Et quidem Tertull. ita contendit pro ſua lectione, ut diverſam rejiciat. *Portemus enim inquit*, ait priore loco, *non portabimus: præceptivè non promiſſivè.* Et in altero, *Portemus enim præceptivo modo dicens, huic tempori loquitur*, &c.

Græca lectio diverſa à Latina.

Senſus Latinæ lectionis.

Juxta hanc ergo lectionem Apoſtolus doctrinæ exhortationem intermiſcet, admonens ut ſicut in nobis peccando exhibuimus imaginem, id eſt, expreſſam valde ſimilitudinem terreni Adam, qui primus peccavit: ita deinceps exhibeamus in nobis imaginem hominis cæleſtis, id eſt, Chriſti, per ſanctam converſationem ac vitæ novitatem eum imitantes, ut ad ſimilem cum eo gloriam pervenire poſſimus.

Porrò juxta lectionem Græcam, continuatio doctrinæ eſt de reſurrectione, ſeu quædam explicatio ſententiæ præcedentis: ut ſenſus ſit, Et ſicut geſtavimus in nobis imaginem terreni Adam, quatenus etiam ipſi terreni facti ſumus, & per hoc ei ſimiles: ita quoque geſtabimus in nobis imaginem hominis cæleſtis, ſcilicet Chriſti, quatenus & ipſi ſecundùm corpora cæleſtes erimus per beatam reſurrectionem, proindeque futuri quædam illius imagines. Senſus hic Græcorum interpretum eſt, Theodoriti, Theophylacti & Oecumenii: quorum duo priores eam lectionem quæ Latinorum eſt, apertè rejiciunt. Græcè enim, inquit, Theodoritus, φορέσωμεν per prædicationem, non προσέσωμεν *admonitoriè ab eo dictum eſt.*

Similiter Theophylactus, poſthabito ſenſu Chriſoſtomi exhortatorio (qui tamen utro modo legerit, non liquet) ſtudiosè monet Apoſtolum indicativè loqui de re futura: quale ſcilicet in reſurrectione corpus accepturi ſimus. Pro quo ſenſu Oecumen. etiam Methodium teſtem adducit, *ex lib de reſurr.* Mihi certè ſcopum ac progreſſum diſputationis Paulinæ conſideranti, Græca vulgata lectio (licet in nonnullis exemplaribus Græcis quæ hodie exſtant diverſum legatur) ſincerior ac germanior apparet: nec ſolum præcedentibus conſentanea, ſed & his quæ proximè ſequuntur.

Græca lectio ſincerior.

50. HOC AUTEM DICO FRATRES. Hoc eſt, inquit, quod volo dicere. QUIA CARO ET SANGUIS REGNUM DEI POSSIDERE NON POSSUNT: NEQUE CORRUPTIO INCORRUPTELAM POSSIDEBIT: *Poſſidere* Græcè κληρονομῆσαι, *hereditare, hæreditate conſequi.* Et pro *poſſidet*, præſentis temporis verbum eſt κληρονομεῖ, *hæreditat, hæreditate conſequitur.* Juxta duplicem lectionem ejus quod præceſſit, variatur etiam hujus ſententiæ commentarius. Per hanc enim exponere vult Apoſtolus id quod proximè dixit. Itaque priori lectioni quæ Latinorum erat, & exhortationem continebat, reſpondebit hic ſenſus: Caro & ſanguis, id eſt, opera carnis, quæ utique peccata ſunt, *Gal. 5. v. 19.* non aſſequentur hæreditatem regni Dei: neque corruptio, id eſt, peccatum, aſſequetur ſtatum incorruptionis, ſeu beatæ immortalitatis. Nam corruptionis nomine peccatum aliquando ſignificari, probat illud 2. Pet. 2. *Libertatem illis promittentes; cum ipſi ſint ſervi corruptionis*: etſi veriſimiliter eo loco non omne peccatum nomine corruptionis ſignificetur. In hoc ſenſu metonymia eſt, qua opera carnis accipiuntur pro hominibus qui carnis operibus addicti ſunt; & corruptio, id eſt, peccatum, pro homine peccatore.

Duplex hujus loci commentarius.

Caro & ſanguis dicuntur opera carnis.

Corruptio pro peccato, non quolibet tamen.

Cæterùm poſteriori lectioni quæ Græcorum erat, iſte ſenſus reſpondet: *Caro & ſanguis*, id eſt, homines ex carne & ſanguine conſtantes, ideoque natura mortales, ut tales ſunt, habere locum non poterunt in regno Dei, quaſi dicat: in illa regni felicitate corpora jam non erunt ut in hoc ſæculo, quæ mori & corrumpi poſſint. Qui ſenſus explicatur, per id quod ſequitur: *Neque corruptio incorruptelam poſſidebit*, aut *poſſidet*, hoc eſt, nulla corruptibilitas erit in illo ſtatu perfectæ incorruptionis.

Hunc intellectum confirmant aliæ ſcripturæ, quibus caro & ſanguis accipitur pro homine mortali: ut Matth. 16. *Caro & ſanguis revelavit tibi*, id eſt, nemo mortalium. Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem*, id eſt, adverſus homines mortales, Heb. 2. *Quia pueri communicaverunt carni & ſanguini; & ipſe communicavit iiſdem*, id eſt,

humanam naturam assumpsit mortalem. Item Eccl. 14. *Generatio carnis & sanguinis*, id est, hominum mortalium, *alia finitur, & alia nascitur*. Nec secus accipitur, Galat. 1. dicente Paulo, *Non acquievi carni & sanguini*: quemadmodum illic ostendemus. Hæc autem mortalitas & corruptibilitas ea debet intelligi, quæ sit etiam communis homini ut primùm factus est in animam viventem, corpus habens animale; id est, posse mori, posse corrumpi.

Porrò meminerunt utriusque sensus expositores tam Græci quàm Latini penè omnes: ac præterea Augustinus *in epist. 146. ad Consentium*: ubi præsentem locum Apostoli totum diligenter excutit: & hunc posteriorem sensum potiorem esse docet: *quia, inquit*, non de operibus, *sed de modo resurrectionis loquebatur Apostolus*, cum hæc scriberet. Rursusque eumdem sensum probat *lib. 1. retract. capit. 17. & lib. 2. cap. 3.*

Caro & sanguis vita animalis. Judæorum & Mahometanorum error de resurrectione.

Est apud Latinos interpretes præter hos duos & alius sensus non admodum alienus: ut per carnem & sanguinem intelligatur vita animalis, quæ requirit usum ciborum & procreationem filiorum. Cujusmodi vitam post resurrectionem exspectant Judæi & Saraceni, & in universum Mahometani. Quem sensum amplectitur Cajetanus: qui etiam corruptionem interpretatur defluxum interni ac naturalis humidi. Cùm autem sensus omnes prædicti probabiles sint & Catholici; perperam sanè veteres quidam hæretici istis Apostoli verbis significatum putarunt, quod non resurgent caro & sanguis secundum substantiam, sed in spiritum vel aërem, vel in æthereum corpus transmuta. Non enim de substantia, sed de qualitate carnis & sanguinis Apostolo sermo est. Atque eum sensum erroneum refellit Augustinus *in plerisque locis antè citatis*. Valet autem in primis ad istum errorem elidendum, id quod Christus post resurrectionem de suo corpore dixit ad discipulos: *Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Luc 24. Et quod in symbolo nos credere confitemur, *carnis resurrectionem*.

Refellitur.

51. ECCE, MYSTERIUM VOBIS DICO. Hîc jam alterius quæstionis quæ de modo & ordine resurgendi mota fuerat, explicationem aggreditur Apostolus. Præfatur autem aperire se mysterium, id est, magnum aliquod arcanum religionis Christianæ: quod ante eum à nemine fuisset ita clarè explicatum. De hujus mysterij intellectu deinceps amplius aliquid dicemus.

Mysterium.

OMNES QUIDEM RESURGEMUS: SED NON OMNES IMMUTABIMUR. Hujus loci variæ fuerunt olim & etiamnum exstant lectiones: de qua varietate consulendus est in primis Hieronym. *in Epistola ad Minerium & Alexand. num. 151.* ubi ad eam rem Græcos citat authores, quorum alij aliter legunt hunc locum, alij varietatem ipsam indicant. Legendus item August. *l. 20. de civ. Dei c. 20.* & ad *Dulcitium quæst. 3. & Epist. sæpè citata ad Consentium*. itemque Pelagius & Oecumenius in *commentariis*.

Tres hujus loci lectiones.

Ex quibus colligere est tres diversas lectiones: Quarum una est hæc nostræ vulgatæ versionis. Secunda, *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur*. Tertia secundæ ex diametro opposita, *Omnes quidem dormiemus: non omnes autem immutabimur*. Quas omnes tres referunt Hieron. & Pelagius. Primam & tertiam Augustinus *tribus locis memoratis*. Secundam & tertiam Oecumenius. Harum lectionum prima frequentior erat in Latinis codicibus, in quibus & hodie sola reperitur; in nullis autem erat Græcis, Hieronymo teste in calce dictæ epistolæ. Sed nec hodie in ullis Græcis habetur. Tertia in paucioribus erat Latinis: secunda & tertia ferebatur in Græcis, ut Hieronymus, Pelagius & Oecumenius testantur.

Verùm hodie Græci codices plerique omnes, astipulante Syriaco textu, secundam exhibent lectionem. Certè Robertini nullam aliam annotant. Et verò quæ scripta est ad marginem Complutensium, & ex iis Regiorum, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, ἀλλ' οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα, hoc est, *Omnes quidem igitur dormiemus, sed non omnes immutabimur*, mutato videlicet οὐ in οὐ, meritò suspecta est. Nam post illa verba, *Ecce mysterium vobis dico*, nullo modo convenit illativus sermo, *Omnes quidem igitur dormiemus*.

Lectio suspecta.

Eadem porrò secunda lectio Chrysostomi est & Theophylacti: imò & Theodoriti, quod ex ejus expositione facile est conjectare: licet textum nescio quis apposuerit nostræ vulgatæ versionis, non eo tantùm loco, sed per totum commentarium: Adeoque miror Acacium Cæsarienſem, cujus verba recitat Hieron. affirmare lectionem quæ habet: *Omnes quidem dormiemus*, &c. in pluribus Græcorum codicibus inveniri, præsertim cum isti jam memorati, quos ferè solos habemus è Græcis antiquioribus Epistolarum Pauli interpretes, illius lectionis omninò non meminerint.

Græca lectio multorum codicum & authorum.

Sed & alij Græci his anteriores eadem cum ipsis usi sunt lectione: Primùm Origenes semel & iterùm *in 3. vol. enarrationis epist. 1. ad Thessal.* (cujus verba sunt apud Hieron. *in epist. antedicta*) ac rursus in *lib. adverſ. Marcion. scripto*, qui in Vaticano exstat nondum typis excusus. Item Theodorus & Apollinarius, ibidem ab Hieronymo allegati: nec non Justinus, seu quisquis author, (fuit enim Origene posterior) *ad Orthodoxos quæst. 61. & 109.*

Inter Latinos quoque legit ad eumdem modum ipse Hieron. *in comment. Isa. 51.* nisi quod pro *dormiemus* dixit *resurgemus*. *De sanctis*, inquit, *scriptum est, Non omnes quidem resurgemus, sed omnes immutabimur*. Idque consonat iis quæ scribit idem Hieron, *in Epist. ad Marcell. num. 148.* simpliciter asserens immutationem sanctorum, qui reperientur vivi in adventu Domini, futuram sine morte, *qua corpus ab anima deseratur*.

Sensus primæ lectionis.

Sed nunc breviter sensum reddamus singularum lectionum. *Prima*, quæ Latinorum est codicum facilem & obvium habet sensum: Omnes quidem homines (licet hoc Tertullianus & alij quidam specialiter restringant ad mortuos) tam malos quam bonos resurrecturos esse, sed non omnes immutandos in statum beatæ ac glorioſæ immortalitatis. *Tertia* quoque lectio non dissimilem habet sensum, Omnes homines dormituros esse somnum mortis, & inde suscitandos: sed non ommnes immutandos; ut dictum est. Ad *secundam* lectionem quod attinet, scito sensum non mutari, sive legas: *Omnes quidem non dormiemus*, qui ordo verborum in Græco est; sive (quomodo legit Hieron. & plerique Latinè vertunt) *non omnes quidem dormiemus*.

Sensus tertiæ lectionis.

Sensum autem Græci interpretes reddunt hujusmodi: Non omnes quidem nos fideles & sancti dormiemus, id est, moriemur: non enim illi dormient, qui in adventu Domini superstites invenientur: sed tamen omnes sine exceptione immutabimur in statum beatæ immortalitatis; omnes, inquam, fideles & sancti.

Sensus secundæ lectionis secundùm Græcos.

Hanc autem esse veram & germanam Apostoli scripturam (ut salvo meliore judicio dicam quod mihi videtur) his rationibus suaderi posse puto. *Primum* quia de sola bonorum resurrectione Paulus agit hoc capite: quemadmodum & Christus in Evangelio, Sadducæorum hæresim refellens: quod & in præcedentibus non semel admonui. Nam quæcumque disseruit hactenus, & quæ deinceps dicturus est usque ad finem capitis, ad spem resurrectionis confirmandam pertinent, qua futurum sit ut mors penitus aboleatur. At secundum reliquas duas lectiones, præter illud suum institutum velut ex abrupto mentionem huc interserit de resurrectione quæ etiam

malis eſt communis. Quam tamen ſi vellet ſignificare, non omninò de malis & impiis, deque æterno ſupplicio quod eos manet, aliquid expreſsè dicere prætermiſſet: ut alibi ſcriptura ſolet exprimere, quum de reſurrectione & judicio omnibus communi loquitur, velut *Dan.* 12. *Matth.* 13. *&* 25. *Joan.* 5. velut etiam ipſe Paulus expreſſit *Rom* 2. *&* 2. *Cor.* 5.

Secundò, quia juxta Latinorum ſenſum potiùs dixiſſet in tertia perſona, *Omnes quidem reſurgent, ſed non omnes immutabuntur.* Nam ſatis incongruens atque extra morem Apoſtolici ſermonis id eſſe videtur, ut de reprobis agens utatur verbo primæ perſonæ: quale eſt iſtud, *non omnes immutabimur*, id eſt, aliqui noſtrûm non immutabuntur, ſed in æterna manebunt corruptione: cum utique ſoleat Apoſtolus ubique electis ſuam perſonam adjungere. Quod inter alia argumentum eſt Cajetani Græcam lectionem probantis.

Tertiò, quia non cohæret hic ſermo, *Non omnes immutabimur in momento, in ictu oculi*, &c. Oportet enim hyperbaton facere, ut illud, *Omnes quidem reſurgemus*, referatur ad hanc partem, *in momento*, &c. ſitque media parentheſis, *ſed non omnes immutabimur.* Atqui ſecundùm lectionem Græcorum optimè ſententia cohæret, *Omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi.*

Quartò, quia cum hujus lectionis ſententia valdè convenit id quod ſtatim pòſt ſubjicit, *Mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur*, utique ſignificans diverſos fore eos qui ex mortuis reſurgent ad incorruptionem, ab illis qui vivis reperientur, ac nihilominus immutabuntur. Nam incorruptionem beatam illic omninò intelligendam eſſe, eo loco docebimus.

Quintò, quia poſt illud, *& nos immutabimur*, continuò ſubjungit Apoſtolus: *Oportet enim incorruptibile hoc induere corruptionem*, &c. quod certè magis ad eos videtur pertinere, qui vivi tunc reperientur, nec morte conſumpti corruptique erunt, etſi corruptibiles: quàm ad eos qui jam antè mortui in corruptionem devenerunt: quemadmodum illic ex alterius loci collatione monſtrabimus.

Denique plurimum facit ad hanc lectionem ſtabiliendam ejuſdem Apoſtoli locus 1. Theſſal. 4. qui ſic habet: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui reſiduiſumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt*, & iterùm: *Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis*, &c. Qui quidem locus huic ut in Græco legitur, perſimilis eſt, adjunctis ſimul iis, quæ hîc ſequuntur: cùm è diverſo perdifficile ſit horum locorum alterum cum altero conciliare, ſi lectionem quæ Latinorum eſt hîc ſequi voluerimus. Sanè etiam B. Thomas *in fine lect.* 8. fatetur id quod Græci legunt, iis conſonare quæ ſcribit Apoſtolus in epiſt. *ad Theſſal.* Accedit & alius locus ejuſdem Apoſtoli, 2. *Cor.* 5. ubi rurſus inſinuat aliquos non dormituros; ſcilicet eos qui veniente Domino *veſtiti* corpore *& non nudi invenientur.*

Lectionis mutandæ quæ plerumque occaſio.

His omnibus adde, quod facilior ac proclivior eſt mutatio Græcæ lectionis in Latinam, velut prima facie magis apparentem ac veriſimilem: quàm contrà Latinæ lectionis in Græcam. Fit enim plerumque, ut ubi variant codices, ea lectio germanior ſit, quæ ſpecie tenus à vero ſeu veroſimili remotior eſt: ideoque variationi magis obnoxia. Satis, ut arbitror, oſtendunt hæc quæ dixi, nequaquam improbabilem eſſe Græcorum codicum lectionem: imò verò multis modis probabilem: tantum abeſt ut temeritatis ac proterviæ ſit accuſandus, qui eam ſequatur aut probet: quemadmodum accuſat *in ſuo comment.* Catharinus, ipſe potius inconſiderati ac temerarij in ea re judicij condemnandus.

Sed jam quæritur, an ſecundùm Græcam lectionem fatendum ſit non omnes homines eſſe morituros: & proinde nec omnes reſurrecturos; utpote eos quos viventes deprehendet adventus Domini. Fatentur hoc Græci, Chryſoſt. Theophyl. & alii ſuorum codicum lectionem ſecuti, quam in eum ſenſum accipiunt, quem ſuperiùs attuli: non omnes morituros eſſe, ſed omnes immutandos. Cui ſententiæ præter alia Pauli loca ſuperiùs allegata, 1. *Theſſ.* 4. *&* 2. *Corinth.* 5. ſuffragari videtur etiam illa fratrum, id eſt, fidelium opinio, Joannem non moriturum, eo quod manſurus eſſet donec veniat Dominus, *Joann.* 21. tamquam valeat ſequela, Manebit in vita uſque adventum Domini, ergo non morietur.

Opinio Græcorum & quorumdam Latinorum.

Porrò cum Græcis ſentiunt ex Latinis Tertull. *lib. de reſurrect. carnis, cap.* 41. *&* 42. & Hieron. ut antè dixi *in Epiſt. ad Marcellam*: qui locus totus in gloſſam ordinariam relatus: licet idem Hieron. *ad Minerium & Alexand.* ſcribens, in diverſam ſententiam magis propendeat. Subſcribit eidem ſententiæ Cajetan. non *hoc* ſolum *loco*; ſed & alibi, ut *in comment.* 2. *Cor.* 5. 1. *Theſſ.* 4. 2. *Tim.* 4. *& Act.* 10. Eſtque notandum, Græcos etiam reprobis facere commune, quod non omnes ſint morituri. Quod & Cajetan. ſentit, maximè propter ſymbolum & ſcripturas, quæ tradunt Chriſtum judicaturum vivos & mortuos.

Secundùm Græcos, nec omnes reprobi morituri.

Porrò Latinorum communis in diverſum ſententia eſt, eademque multis ſcripturarum teſtimoniis ſubnixa; quæ ſicut à morte nullum excipiunt mortalem, ita nec à reſurrectione quemquam excipi ſinunt: cùm certiſſimè tenendum ſit, omnes mortuos ad vitam reſuſcitandos eſſe. Sunt autem præcipuæ ſcripturæ, quæ moriendi neceſſitatem referunt ad peccatum originale: quod cum infecerit totum genus humanum, etiam totum in mortem trahi, quæ pœna eſt illius peccati, conſequenter docent. Hinc eſt illa primi parentis maledictio totum genus comprehendens, *Pulvis es & in pulverem reverteris*, Geneſ. 3. Cujus ſententiæ generalitatem Paulus exponens Rom. 5. teſtatur *mortem in omnes homines pertranſiiſſe per unum hominem, in quo omnes peccaverunt.* Quin & ſuperiùs hoc ipſo capite ſic loquitur: *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Ex quo conſequens videtur juxta ſenſum, quem illic dedimus, omnes homines morituros eſſe, & omnes electos reſurrecturos. Quod & poſteà docet comparatione ſeminis; *Tu*, inquit, *quod ſeminas, non vivificatur, niſi priùs moriatur.* Quibus argumentis ex hoc capite ſumptis utitur Auguſt. *lib.* 20. *de civit. Dei cap.* 20. ad id probandum quod ei tunc fortaſſe videbatur probabilius, à morte neminem exceptum fore.

Latinorum ſententia quod omnes morituri.

Cum hac autem ſententia quemadmodum conciliari poſſit lectio Græca præſentis loci, quæ videtur Auguſtino fuiſſe ignota, conatur oſtendere Oecumenius ex quorumdam etiam Græcorum interpretatione ſcribens in hunc modum; *Alij verò dicunt Apoſtolum dixiſſe: Non dormiemus, de longa morte, quaſi corruptione ac diſſolutione opus ſit. Siquidem in puncto temporis ſubitoque impetu & mori & reſurgere, dormitionem eſſe negant.* Ac rurſus infrà, *Iſtud non omnes dormiemus, hoc modo oportet accipere; quòd non dormiemus diuturna dormitione, ut opus ſit ſepulchro ac ſolutione ad corruptionem: ſed brevem mortem ſuſtinebunt qui tunc reperientur.* Hæc ille non improbabiliter. Neque enim dixit Apoſtolus, Non omnes moriemur: ſed, Non omnes dormiemus. Atqui dormire, in hac phraſi ſcripturæ non eſt mori, ſed mortis ſomno teneri, veluti quadam quiete quæ mortem conſequatur. Unde fideles defuncti, in Chriſto quieſcere dicuntur, propter moram & continuationem temporis poſt mortem. Quare qui re-

Probatur ex ſcripturis.

Dormire phraſi ſcripturæ quid ſit.

perientur viventes in adventu Domini, mortem quidem guſtabunt : verùm quia ſtatim reviviſcent, ſomnum mortis non capient : ſed erit eis mors illa momentanea velut nictus dormitantis. Hinc ſequitur, & illam Græcæ lectionis expoſitionem, quam ſuprà diximus à Græcis adferri, *non omnes dormiemus*, id eſt, moriemur, haud plenè reddere quod ea lectione ſignificatum eſt.

Cæterùm putabit aliquis huic ſenſui quem ex Oecumenio retulimus, illud obſtare, quod præfatus eſt Apoſtolus dicens, *Ecce myſterium vobis dico.* Quid enim myſterij eſt, ſi illi qui tunc vivi reperientur, dicantur morituri quidem, ſed non detinendi in morte ? quum non detinendos eſſe res ipſa apertè loquatur judicio generali tunc futuro. *Reſpondeo*, Paulum non in eo ponere myſterium, quod mortui non ſint in morte detinendi : ſed quaſi interrogatus à Corinthiis dicentibus : Audimus quæ loqueris de reſurrectione mortuorum : quod eorum corpora ſeminata in terra, reſurgent glorioſa, ſpiritualia, cœleſtia. At nobis quid fiet, aut aliis poſt nos, qui vivi in adventu Domini reperientur : quorum proinde corpora non fuerint ſeminata in terra ? Numquid ea remanſura ſunt ut erant, ingloria, animalia, terreſtria.

Myſterium de quo Paulus, in quo conſiſtat.

Occurrit interrogationi, declarans myſterium, ac dicens illos nihil minus habituros iſtis qui dormierunt. Etſi namque eorum corpora non erunt in terra more ſeminis mortua ac putrefacta : futurum nihilominus, ut unà cum aliis quæ è terra ſurrectura ſunt, immutentur, eaſdem cum illis qualitates acceptura. Breviter ergo ſententia Pauli eſt : Quamvis *non omnes dormiemus* in terra, præventi à judice : *tamen omnes immutabimur* : & quidem omnes ſimul *in momento*, &c. prout ſequitur. Et hoc eſt myſterium quod vobis dico.

Opinio Græcorum non eſt damnanda.

Jam ſi quæras, quo loco ſit habenda eorum opinio, qui licet non dubitent omnes mortuos reſurrecturos eſſe : propter ea tamen, quæ *hic* & ad *Theſſal.* ab Apoſtolo ſcribuntur, ſentiunt cum Græcis, non omnes homines eſſ morituros (qua de re ex profeſſo diſputavimus *ad diſt. 43. lib. 4. ſent.*) Paucis hîc reſpondemus, in ea ſententia nihil eſſe periculi. Nam & Latini patres qui diverſum ſenſerunt, nuſquam eam damnarunt. Imò Hieron. in utramque partem ſcripſit, & quidem magis aſſeveranter pro ea quæ Græcorum eſt. Sed & Auguſtinum nihil hujus quæſtionis apud ſe definitum habuiſſe conſtat, tam ex iis quæ ſcripſit priùs *ad Mercatorem*, poſteà *ad Dulcitium*, quàm ex *lib. 2. retract. cap. 33.* ubi repetens *ex lib. 2. de baptiſm. parvul. cap. 31.* iſta verba : *Hoc quibuſdam in fine largietur, ut mortem repentina commutatione non ſentiant : hæc*, inquit, *dixi, ſervans locum diligentiori de hac re inquiſitioni. Aut enim non morientur, aut de vita iſta in mortem, & de morte in æternam vitam celerrima commutatione, tamquam in ictu oculi tranſeundo, mortem non ſentient.* Sic ille. Nec illud ignotum quod ſuper hac quæſtione ſcriptum legitur in *lib. de Eccleſiaſticis dogmat. cap. 7.* ubi cum author communem Latinorum ſententiam poſuiſſet, ita ſubjecit : *Verum quia ſunt & alij æquè catholici & eruditi viri, qui credunt, anima in corpore manente, immutandos ad incorruptionem & immortalitatem eos, qui in adventu Domini vivi invenientur ; & hoc eis reputari pro reſurrectione ex mortuis, quod mortalitatem immutatione deponant, non morte : quolibet quis acquieſcat modo, non eſt hæreticus ; niſi ex contentione hæreticus fiat. Sufficit enim in eccleſiæ lege, carnis reſurrectionem credere futuram de morte.* Hæc ille, ſimul indicans quid ad teſtimonia partis affirmantis probabiliter reſponderi poſſet ab iis qui negantem ſuſtinere vellent : Tametſi illum librum non eſſe B. Auguſtini, quod à multis creditum eſt, ſed Gennadij preſbyteri pro comperto habemus.

Sed *quæret* aliquis : Si morientur quos adventus Domini vivos inveniet, quo tandem modo ſint morituri. Quidam exiſtimant morituros in ipſo raptu, quo, ſicut dicitur 1. *Theſſ.* 4. rapientur *obviam Chriſto in aëra* ; Deo videlicet eos exſtinguente eadem virtute, qua ſtatim excitaturus eſt ; quemadmodum indicat Auguſt. *lib. 20. de civit. Dei cap. 20.* Sed hoc cur minus ſit probabile, dicemus in *illius Epiſt. commentar.* Quamquam & raptus tantùm erit electorum. Veriſimile autem eſt modum mortis generalem & omnibus tam electis quàm reprobis communem fore.

Quomodo morituri, qui vivi reperientur in adventu Domini. Non in raptu.

Nec apparet quid convenientius & verius dici poſſit, quàm quod ignis conflagratorius, ut eum vocant Theologi, qui ſecundùm ſcripturas anteceſſurus eſt judicem, omnes viventes comprehendet, cruciaturus malos, purgaturus bonos ; qui denique ſimul omnes bonos ac malos exanimaturus ſit, illicò vitæ reſtituendos ac judicio ſiſtendos. Qua de re pluribus egimus *ſuprà 4. ſentent. diſt. 47.* Hujus autem modi mentionem apud Auguſtinum non fieri, nihil mirum eſt : cùm ille mundi conflagrationem ac renovationem ponat extremo judicio ac mortuorum reſurrectione poſteriorem : in fine lib. 20. de civitate Dei & alibi : contra quam ſentiunt alij plerique. Sed de his ſermo nobis redibit, ut ventum erit ad dictum locum *Epiſt. 1. ad Theſſal.*

Sed per ignem conflagrationis.

Illud poſtremò notandum : cùm dicit Apoſtolus, *Non omnes dormiemus*, eum non aſtringere ſermonem ad homines ſui temporis, tamquam ſentiat eſſe ex illis aliquos qui non dormituri : atque per hoc ſignificet, adventum Domini non ultrà differendum quàm illi vivant. Etenim hujuſmodi intellectum ſubortum etiam ex verbis quæ ſcripſit 1. *Theſſ.* 4. excludit ipſemet *in* 2. *Theſſ.* 2. dicens, *Ne terreamini quaſi inſtet dies Domini, quoniam niſi venerit diſceſſio primùm*, &c. Sed generatim loquitur in perſona electorum, comprehenſis etiam iis qui poſt ſe futuri eſſent uſque ad tempus adventus Dominici, quod incertum habebat : ac ſi planis apertiſque verbis diceret : Non omnes electi dormient ſomno mortis : omnes tamen immutabuntur in ſtatum beatæ immortalitatis : ut, ſicut in ſuperioribus dictum eſt, corpus ex corruptibili, inglorio, infirmo & animali, fiat incorruptibile, glorioſum, validum & ſpirituale : denique ex terreno cæleſte.

Falſus intellectus verborum Pauli removetur.

55. In momento. Græcè ἐν ἀτόμῳ, *in indiviſibili.* Tertullianus Græca voce retenta legit, *in atomo*, locis ſuprà citatis. Id alij punctum temporis vocant. In ictu oculi, Græcè, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, voce tranſlata ab ictu ſeu potius jactu, qualis eſt teli aut fulminis. Nam & ex Syriaco alius ictum, alius jactum tranſtulit. At olim in quibuſdam codicibus, teſte Hieronymo & Didymo, cujus verba refert Hieronym. *in Epiſt. ad Minerium & Alexand.* legebatur ἐν ῥοπῇ. Quo vocabulo motus ſignificatur, ut eſt inclinatio lancis in libra. Unde Tertull. Latinè legit *in momentaneo oculi motu.* Eraſmus ſive hanc ſive illam vocem attendens vertit, *in momento oculi.* Suſpicantur Laurentius & Faber interpretem vertiſſe *in nictu oculi* : tamquam ſit alluſio ad dormitionem, cui nictus opponitur. Porrò Chryſoſt. & Theoph. palpebræ motum hîc accipiunt : Theodoritus motum pupillæ : quod eſt probabilius. Iſte enim propriè eſt oculi motus, idemque ad denotandum id quod in tempore minimum eſt, aptiſſimus.

Momentum quidem. Quid ictus oculi.

Igitur hæc duo, *in momento*, & *in ictu oculi*, Paulo ſummam celeritatem ſignificant, hoc eſt, inſtantaneam. Sunt autem referenda ſecundum Latinam partis ſuperioris lectionem, ad verbum *reſurgemus.* Sed meliùs atque commodiùs ſecundùm Græcam lectionem ea referas ad proximum verbum *immutabimur.* Ut *ſenſus* ſit, illam immutationem omnium electorum in ſtatum incorruptibilem, non exigere

moram temporis quo fiat ac perficiatur; (erit enim opus divinæ virtutis, cujus actionem nulla remoratur ineptitudo materiæ) proinde poſſe fieri imò Dei voluntate futurum, ut peragatur in puncto temporis, id eſt (ut ſcholæ loquuntur) in inſtanti. Id verò non tantùm de ſingulis immutandis, id eſt, electis accipiendum eſt, ſed de omnibus ſimul. Non enim id ſolùm ſentit uniuſcujuſque eorum immutationem inſtantaneam fore, ſic ut abſque prævia diſpoſitione ſtatim ac perfectè glorificentur corpora ſingulorum: ſed omnes electos, tam eos qui vivi reperientur, quam qui antea mortui fuerint, uno eodemque puncto temporis ad gloriam immutandos.

Immutatio & reſurrectio omnium ſimul futura, & quo ſenſu.

Jam ipſa corporum reſurrectio, cui in omnibus electis reſurgentis conjuncta erit immutatio, num ſimiliter in inſtanti futura ſit, ſi quæratur; reſpondeo cum S. Thoma commentante in hunc locum, eam inſtantaneam fore quantum ad unionem animarum cum corporibus attinet: non inſtantaneam vero ſed ſubitaneam ac breviſſimi temporis, quoad pulverum collectionem: Quæ cum ſine motu locali fieri nequeat, oportet ut tempus aliquod intercedat. Hic locus ſatis evidenter oſtendit; omnes electos ſimul eodemque momento gloriam corporum ſuorum adepturos: &, ſiquidem omnes morituri ſint, omnes ſimul reſurrecturos. Proinde quod ſuprà verſ. 23. dictum eſt: *Omnes vivificabuntur, unuſquiſque in ſuo ordine,* malè à quibuſdam de ordine temporis exponi. Quod autem dicitur 1. Theſſ. 4. *Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, deinde nos qui vivimus,* &c. quomodo non ſit huic loco contrarium, ex ejus commentario patebit.

Quæ tuba noviſſima.

IN NOVISSIMA TUBA. Hoc eſt, ad ultimam tubam, canente ultima tuba: quam 1. Theſſ. 4. vocat tubam Dei, & vocem archangeli Dei. De qua etiam Dominus Matth. 24. *Et mittet* (filius hominis) *angelos ſuos cum tuba & voce magna*, & Joan. 5. *Omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus*, nempe filii hominis. Vocatur enim vox filii hominis, id eſt, Chriſti, quod ipſius juſſu ſit excitanda. Vocatur etiam *clamor* in parabola decem virginum, *Matth.* 25. Significatur autem metaphoricè ſignum aliquod univerſale, *evidentiſſimum & præclariſſimum* (ut vocat Auguſt. *Epiſt.* 120. *ad Honoratum cap.* 34.) quo velut inſtrumento quodam divinæ virtutis, omnes mortui ſuſcitandi ſint ad vitam & convocandi ad tribunal judicis Chriſti: quomodo tubæ ſonitu ſolebat olim populus convocari. Qua de re præceptum exſtat *Num.* 10. Hinc illud apud Prophetam, *Canite tuba in Sion, vocate cœtum, congregate populum.* Joël 2. Erit autem hoc ſignum: ut eſt veriſimile, vehementiſſimus quidam ſonitus, angelorum miniſterio per univerſum orbem terrarum diffuſus: Qui quidem ad excitandos mortuos ita valeat; quomodo valuit ad excitandum à morte Lazarum vox illa Domini, *Lazare veni foras*, Joan. 11. Qua de re plura diximus *ad diſtinct.* 43. *lib.* 4. *ſent.*

Quomodo valeat tubæ ſonus ad excitandos mortuos.

Theophylacti ſententia de tuba refellitur.

Theophyl. exiſtimat tubam Paulo *nihil aliud eſſe, quam juſſum & nutum Dei omnia penetrantem.* S. Thomas etiam Gregorio aſſcribit, tubam *nihil aliud deſignare, quam præſentiam Chriſti mundo manifeſtatam.* Sed cùm ſcriptura adventum Domini deſcribens, toties tubæ & vocis meminerit, moxque Paulus iterum ſubjungat: *Canet enim tuba*: certè videtur præter præſentiam ac juſſum Domini, externum ac vehemens aliquod ſignum denotari; quale jam deſcripſimus.

Cur noviſſima tuba vocetur.

Cur autem noviſſima tuba vocetur, eam adferunt rationem Didymus apud Hieron. in epiſt. *ad Minerium & Alexand.* Oecum. & alii quorum meminit Theophyl. quia ſeptem tubæ commemorantur in *Apocal. Joan. cap.* 8. quarum ſex non excitant mortuos, ſed viventes affligunt & interimunt: ſeptima verò tuba quæ & ultima, de qua *Apoc.* 11. regnum Chriſti annunciat, & tempus reſurrectionis atque judicii mortuorum. Sed ad Apocalypſim quæ poſt mortem Pauli ſcripta eſt, reſpicere Paulus hoc loco non potuit. Nec verò ſeptima tuba mortuos excitatura dicitur in Apocalypſi; ſed quid brevi poſt eam futurum ſit, indicatur. Sunt qui noviſſimam tubam interpretentur, extremum tubæ ſignum: quaſi non plures tubæ, ſed ejuſdem tubæ plura ſint ſigna, quorum hoc ſit extremum.

Nobis eorum expoſitio magis probatur, qui tubam noviſſimam intelligunt, non quam aliæ tubæ, aut ejuſdem tubæ alia ſigna præceſſerint, ſed quam alia nulla ſequatur, aut potius, quæ finem ſæculi diemque noviſſimum adeſſe nunciet; ac ſi dicat, canente tuba extremi temporis ac judicii nuncia. Refertur autem & hæc pars eodem quo præcedens, id eſt, juxta probabiliorem lectionem verſus antecedentis ad verbum *immutabimur.* Porrò quæ ſequuntur, pertinent ad explicationem eorum quæ dicta ſunt.

CANET ENIM TUBA. In multis mss. tantum legitur: *Canet enim.* Pro quo Græcè σαλπίσει γάρ, id eſt, (ut uno verbo Latinè reddatur) *buccinabit enim*, vel *tubabit enim*, quo poſteriore modo vertit Origenis interpres *tract.* 30. *ſuper Matth.* Ambiguum eſt autem in noſtra lectione, *tuba* ſitne primi caſus, ut plerique ſumunt, an poſtremi. Nam utique Græcum verbum σαλπίζειν, tuba canere ſignificat: & ſubaudiri poteſt ex *Epiſt. ad Theſſ.* archangelus. Aut certè impersonaliter, id eſt, abſque perſonæ ſignificatione poterit accipi verbum *canet*, ſeu magis *clanget*, hoc ſenſu, Tubæ cantus ſeu clangor edetur, perſtrepet. Qui loquendi modus non eſt infrequens in ſcripturis. Exempla ſunt Luc. 6. *Dabunt in ſinum veſtrum*, & 12. *Animam tuam repetunt à te.* Quid verò per tubæ cantum intelligatur, jam expoſitum eſt.

Hanc partem in quibuſdam libris videre eſt inclu- Varia hujus partis conſtructio.
ſam parentheſi, ut ea quæ ſequuntur, *& mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur*, ſuperioribus adjungantur, initio periodi facto ab illa parte, *In momento*, &c. Juxta quam diſtinctionem hæc erit ſententia, *in momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba*, ſimul hæc duo fient: *& mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Quæ quidem diſtinctio pænè neceſſaria eſt interpretantibus hunc locum ſecundum lectionem Latinam illius partis, *Omnes quidem*, &c. At verò ſecundum quod in Græco legitur, melius & commodius ei ſequens aſyntheton annectitur uno contextu, prout nos interpretati ſumus. Quocirca nobis hac parentheſi nihil eſt opus: cùm ſine ea ritè procedat oratio.

ET MORTUI RESURGENT INCORRUPTI. Hebraiſ- Nota Hebraiſmum.
mum obſerva: *Canet tuba, & mortui reſurgent*, id eſt, canente tuba mortui reſurgent. Sic in Pſalm. 103. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient. Emittes ſpiritum tuum & creabuntur*, id eſt, auferente te ſpiritum eorum deficient: emittente ſpiritum tuum, creabuntur ſeu recreabuntur. Eſt igitur *ſenſus*: eos qui mortui erunt & in Chriſto dormientes, ad ſonitum tubæ ſuſcitandos ac reſurrecturos eſſe incorruptibiles, hoc eſt immortales & impaſſibiles. Nam ſignificatur incorruptio perfecta, quam dotem impaſſibilitatis appellant Theologi, id eſt, quæ omnem offenſivam paſſionem excludat: eadem ſcilicet quæ ſuprà verſ. 42. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione:* & verſ. 50. *Neque corruptio incorruptelam poſſidebit.* Atque hunc intellectum præſentis loci palam exigit Apoſtoli probatio, quam mox adfert ex propheta dicente: *Abſorpta eſt mors in victoria*, &c. Quibus accedit, quod incorruptionem ſcriptura ſemper accipit in bono: nec uſquam reprobis eam attribuit, ſed ſolis electis: ut proinde commentarius eorum qui partem hanc de omnibus mortuis interpretantur,

Incorruptio perfecta reſurgentium electorum.

etiam malis, quos incorruptos fore dicunt, quia mori non poterunt; nobis parum probabilis videatur.

ET NOS IMMUTABTMUR. Cohæret cum præcedentibus hoc modo: Canente tuba mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Sentit enim, ad cantum tubæ futurum simul utrumque. Hujus autem partis *sensus est*: Et nos qui in adventu Domini reperiemur viventes, ideoque non resurgemus unà cum mortuis) intellige è somno mortis, sicut illi) simul tamen cum illis immutabimur ad eumdem statum incorruptionis. Loquitur enim Apostolus, uti superiùs in persona justorum atque electorum quos vivos adventus Domini deprehendet: quemadmodum loquitur, & quidem expressiùs 1. Thess. 4. dicens: *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt.* & iterùm: *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis*, &c.

Græcorum opinio, eos qui vivi reperientur nõ morituros.

Porrò Græci commentatores, astipulante Cajetano, tam hunc locum quàm eum qui est *ad Thess.* sic accipiunt, tanquam sentiat Apostolus eos qui vivi reperientur absque morte media commutandos in statum incorruptibilem: quasi diceret, Nos etsi non resurgemus sicut illi, quia non erimus mortui, immutabimur tamen ut illi: Verùm suprà docuimus ex Oecumenio, sic Apostolum intelligi posse, ut non à morte sed à somno mortis excipiat eos qui in adventu Christi superstites erunt. Denique patet ex sensu quem dedimus, id quod dicit, *& nos immutabimur*, non dissonare ab eo quod priùs dixit secundùm Græcam lectionem *omnes autem immutabimur*. Omnes enim electi immutabimur: sed nos quia non dormiemus, immutabimur tantùm.

OPORTET ENIM CORRUPTIBILE HOC INDUERE INCORRUPTIONEM. Interpretatur immutationem quam dixit. Ea namque fiet, dum corruptibile hoc corpus ablata corruptibilitate induet, id est, assumet & accipiet incorruptibilitatem illam beatis propriam.

Mortale & corruptibile an differant.

ET MORTALE HOC INDUERE IMMORTALITATEM. Repetit idem aliis verbis. Quamvis enim differant corruptibile & mortale, sicut annotat Theophyl. quod mortale de solis dicatur animatis, corruptibile etiam de inanimatis: hoc tamen loco ubi de humanis corporibus sermo est, ferè pro synonimis usurpantur: nisi quod mors à qua dicitur mortale, sit terminus corruptionum præcedentium: Alioquin etiam omnis corruptio, quatenus ad imperfectum mutatio, mors quædam est. Ut autem incorruptio nominata in priori membro, sic & immortalitas ista solis competet electis. Admonent interpretes Apostolum cum demonstratione & emphasi dicere, *hoc corruptibile, & hoc mortale*: ne quis corpora propter qualitates quas sortientur à prioribus longè diversas, diversa fore suspicetur, & non eadem. *Notandum* est autem utrumque membrum peculiariter ad eos referri, quos dies Domini viventes inveniet: quorum in persona dixit: *Et nos immutabimur*. Nam de mortuis jam dixerat, quod *resurgent incorrupti*.

Omnis corruptio mors quædam est.

In quibus mortale induet immortalitatem.

De his verò quasi non morituris, quos tamen immutandos dixit, nunc prosequitur sermonem dicens, quod in eis corpus hoc corruptibile & mortale, tametsi non corruptum nec mortuum, induet incorruptionem & immortalitatem: quia videlicet tabernaculum corporis illorum non deponetur in terram, secundum id quod ait Apostolus Petrus 2. Epi. 1. *Velox est depositio tabernaculi mei*: sed statim in adventu Domini immortalitatis stola donabitur: ut sic quodammodo fiat quod Paulus optare nos dicit 2. Corinth. 5. cùm ait: *In hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes*: ac rursum: *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eò quòd nolumus expoliari (tabernaculo corporis nostri) sed supervestiri*, scilicet immortalitate: *ut absorbeatur quod mortale est, à vita.* Qui locus omninò cum isto conferendus est: facit enim ad ejus intelligentiam. Unde & hîc de mortalitatis absorptione mox sequitur.

54. CUM AUTEM MORTALE HOC INDUERIT IMMORTALITATEM. Græca & Syriaca repetunt utrumque, *Cùm autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem.* Atque eo modo citant hunc locum Cypr. *ad Quir. lib. 3. testim. 58.* & August. variis locis quæ paulo pòst indicabimus. Sunt & mss. codices vetusti, quorum unus mihi visus, qui sic legant: *Cum autem corruptum hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc*, &c. Suffragantur item veteres concordantiæ.

TUNC FIET SERMO QUI SCRIPTUS EST, *Tunc*, & eo ipso *fiet*, implebitur hæc scriptura. ABSORPTA EST MORS IN VICTORIA. Græcè εἰς νῖκος, *in victoriam* vel *ad victoriam*: Augustinus passim legit *in victoriam*. Hieronymus alicubi, *in contentione*, ut in commentario Oseæ 13. nec non Hilarius *lib. 11. de Trinit.* Alii, *in contentionem*, ut Tertull. *lib. de resurrect. carnis cap. 51. & 54.* & Cyprian. *in test. proximè citato.* Sed hæc varietas vulgatior est in parte sequenti. Accidit autem ex variata Græca voce, quæ cum diphthongo scripta νεῖκος contentionem significat, sine diphthongo νῖκος, victoriam. Cæterùm ubi scriptus sit ille sermo, statim investigabimus posteà sensum dicturi.

Varia lectio.

55. UBI EST MORS VICTORIA TUA? UBI EST MORS STIMULUS TUUS? In Græco legitur hoc ordine & ad hunc modum: *Ubi tuus mors stimulus? ubi tua inferne victoria?* Legunt eodem ordine Syrus interpres, Irenæus *lib. 5. cap. 13.* Tertull. *de resurrect. carnis cap. 47. 51. & 54.* & Cyprian. *loco suprà dicto.* Sed sciendum multos pro *victoria*, legere contentionem, cui Græcum νεῖκος respondeat: ut Tertullian. Cyprian. & Hilarium *locis allegatis*; item Hieron. *in comment. Isaiæ 14. & Oseæ 13.* nec non *in Epist. 61. scripta adversus errores Joann. Hierosol. cap. 14.* Aug. etiam tametsi *lib. 3. de peccat. mer. & remiss. cap. 11.* legisse videtur, *ubi est mors victoria tua* (nam id prorsus arguere videntur ejus verba quæ de mortis victoria consequenter subjicit) alibi tamen constanter ei legitur *contentio*; ut *lib. 2. contra Julian. cap. 3. de perfect. justitiæ cap. 6 de vera relig. cap. 12. de morib. eccles. Cathol. cap. 30. enchi. cap. penult. serm. 43. de verb. Domin. serm. 2. 3. & 6. de verb. Apost. tract. 41. super Joan. in enarrat. Psalm. 64. & quæst. 70. inter 83.* Denique sic legit & exponit Primasius in *commentario.*

Rursus varia lectio.

Sed jam quæritur, ubi scripta sint hæc quæ citat Apostolus: Plerique totum referunt ad locum *Oseæ 13.* Verùm illic habentur verba multum diversa. Sic enim legimus ex Hieronymi translatione: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua ô mors; ero morsus tuus inferne.* Sed & Hebræa ad verbum ita sonant: *De manu inferni redimam eos, de morte redimam eos. Ero pestes tuæ, mors: ero excisio tua inferne.*

Quæstio de loco scripturæ allegato.

Dicendum est posteriorem allegati sermonis partem haberi *loco memorato Oseæ secundùm versionem LXX. Interpretum*: nisi quod Paulus scripsit νῖκος, id est, victoriam, vel νεῖκος, id est, contentionem, pro eo quod apud illos legitur δίκη, id est, causa, qualis apud judicem agitur. Sic enim habent nostri codices editionis LXX. *Ubi causa tua, mors? ubi stimulus tuus inferne?* Porrò νῖκος & νίκη idem significant. Ut autem νίκη fieret δίκη, proclive fuit unius literæ mutatione. Sed tamen sive νίκη, sive δίκη legatur (nam LXX. δίκλω, scripsisse testatur Hieron.) idem ferè sensus accipi poterit. Victoria namque penes eum est qui causam obtinet. Excidit autem victoria qui cadit causa. Quod si Paulus scripsit νεῖκος, id est, contentionem, juxta lectionem illam vetustam

Responsio.

vetuſtam Latinorum : propius adhuc acceſſit ad ſignificationem vocabuli quod legitur apud LXX. Nam cauſa agitur apud judicem contentione partium.

Hebrææ voces ambiguæ variè tranſlatæ.

Notandum eſt autem Hebraicam vocem דבר *dabar* aut *deber*, pro qua LXX. δίκην cauſam, Hieron. mortem tranſtulit, diverſis punctis additis nunc verbum, nunc peſtem ſeu mortem ſignificare : ut priori modo cum Aquila & quinta editione vertas : *Ubi verba tua, ô mors ?* illa ſcilicet verba quibus adverſus hominem contendebas, & damnatum ac ſuperatum occidebas ſtimulo tuo, quod eſt peccatum, ut infrà dicitur. Hoc autem convenit cum eo quod LXX. dixerunt cauſam, & Paulus victoriam vel contentionem.

Alteram verò ſignificationem attendit Hieronymus, ita vertens : *Ero mors tua, ô mors.* Quæ eadem hujus vocis ambiguitas etiam in *Iſaiæ cap. 9.* diverſas peperit tranſlationes, Hieronymo vertente, *Verbum miſit Dominus in Jacob*, pro eo quod LXX. verterant, *Mortem miſit Dominus*, &c. Jam & illa diverſitas inter Hieronymum vertentem *Ero*, & LXX. qui verterant *Ubi*, ex ſimili vocis ambiguitate nata eſt. Nam אהי *ehi*, cujus nota ſignificatio eſt *ero*, ſignificat etiam *ubi*, vel ipſius Hieronymi ſuffragio : qui paulò ſuperiùs eamdem vocem ita vertit in illis verbis, *Ubi eſt rex tuus* ? Quocirca Leo quidam Hebræus interpres non dubitavit hunc prophetæ verſum proximè cum eo quod eſt apud LXX. reddere in hunc modum : *Ubi cauſa tua, ô mors ? Ubi pernicies tua, ô inferne ?*

Contextus utriuſque lectionis.

Cæterùm poſſunt ambæ lectiones, affirmans & interrogans, ita contexi, ut altera ſit alteri conſequens, hoc pacto : Ero mors tua, vel peſtis tua, ô mors. Ubi ergo tunc erit ô mors ſtimulus tuus? Ero mors tua vel exciſio tua, ô inferne. Ubi ergo tunc erit, ô inferne, victoria vel cauſa tua ?

Quæſtio de altera parte teſtimonij allegati.

Reſtat quærendum, ubi ſcripta ſit allegati teſtimonij pars prior, *Abſorpta eſt mors in victoria.* Plerique expoſitores, uti dicebamus, referunt ad eumdem Oſee locum : ſed alij aliter. Quidam ut Haimo, Liranus, Carthuſianus, dicunt eam partem à Paulo citari ex Oſee juxta verſionem LXX. Qua in re manifeſtum eſt eos falli. Nam apud LXX. non magis legitur, quàm in Hebræo. Alii dicunt eam quoad ſenſum contineri in verbis illis prioribus, *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Chriſtus enim hoc faciendo mortem devicit, ac velut abſorpſit.

Reſponſio.

At verò S. Thomas incertum eſſe dicit, ubi legatur ; poſſe tamen referri ad locum Iſaiæ 26. *Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent* ; vel ejuſdem Prophetæ capit. 25. *Præcipitabit mortem in ſempiternum.* Quod poſteriùs ſine dubio verius eſt. Nam illic in Hebræo ſic legitur, *Abſorbebit in ſempiternum.* Pro quo alius quidam nihilominus ex Hebræo fonte vertit : *Mortem abſorbebit vincendo.* Ac rurſum alius, *Abſorbebit ipſam mortem in victoriam.* Hoc autem quid aliud eſt, quàm quod Apoſtolus allegat : *Abſorpta eſt mors in victoriam* ? Sciendum eſt enim vocabulum נצח *netſahh*, quod in Hebræo legitur, utrumque ſignificare, *victoriam* & *perpetuum.*

Rurſus lectio varia eſt ex Hebræo ambiguo.

Porrò Franc. Forerius, qui & ipſe vertit ex Hebræo, *Præcipitabit mortem victoriosè*, annotat in ejuſdem loci commentario, ſignificari eam præcipitationem, quæ fit in abſorptionibus & devorationibus. Idem ſentit Apoſtolum ex illo loco ſuam de qua nunc agitur, ſententiam depromſiſſe, adeoque verba Prophetæ convertiſſe ad hunc modum : *Abſorpta eſt mors in victoriam.* Sed & Hieronym. *eum locum Iſaiæ* exponens, hanc Pauli ſententiam illuc adducit, tamquam inde deſumptam, licet in eo fortè lapſus memoria, quòd *in perpetuum* ſcribat pro eo quod Paulus in victoriam.

Nec illud prætereundum, apud LXX. interpretes eumdem Prophetæ locum ſic legi : κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας, id eſt, *abſorpſit mors prævalens* ; ſive ut Hieronymus citat in commentario Oſeæ, *Devoravit mors invaleſcens.* Quod etſi planè contrarium ſenſum habeat : (ideoque à nonullis exponatur de morte Chriſti, quæ prævaluit morti introductæ per peccatum primi parentis, eamque abſorpſit, id eſt, conſumpſit ac perdidit) valet tamen ad id quod volumus illuſtrandum ; quatenus in eo ſingulæ dictiones propoſito conveniunt ; ſcilicet, abſobere, mors, prævalentia ſeu victoria. Deinde ſi conjecturæ locus eſt, videri poteſt à LXX. ſcriptum fuiſſe θάνατον quarto caſu, ut verior ac plenior lectio ſit : *abſorpſit mortem prævalens*, ſcilicet Deus. Nam & proximè ſequentia verba de Deo dicuntur apud LXX. In Hebræo autem etiam præcedentia.

Expenſa verſio LXX.

Quamquam Franciſcus Ribera ſcribens ſuper *Oſee* 13. ubi de hoc Pauli loco prolixè diſſerit, activum verbum apud Prophetam pro paſſivo poſitum putat, *abſorpſit*, pro *abſorpta eſt* : ut fit interdum in verbis præteritis Hebraicæ linguæ. Quam rem etiam exemplis declarat : Hinc Paulum idiomatum ſuæ linguæ peritiſſimum pro κατέπιεν *abſorpſit*, ex mente Prophetæ ſcripſiſſe κατεπόθη *abſorpta eſt*. Quod etiam Athanaſij, Euſebij ac Hieronymi teſtimoniis probare nititur. Quibus addo Tertullianum paſſivè legentem prophetæ locum, *lib. de reſurr. carnis* cap 53. *Devorata eſt*, inquit, *mors invaleſcendo.*

Græcorum quorumdam codicum lectio mendoſa.

Jam ex his etiam apparet, errore factum eſſe ut hoc loco (quem ex Iſaia deſumptum oſtendimus) Græca quædam olim νεῖκος, id eſt, contentionem habuerint : cum ex eo quod in Hebræo & apud LXX. legitur, verti non poſſit niſi quod νῖκος, id eſt, *victoriam* ſignificet. Poſtremò ſatis jam liquet non ex uno ſcripturæ loco Paulum hæc omnia verba ſumpſiſſe, ſed Apoſtolico more ex diverſis compegiſſe. Sic enim ipſe aliàs ; ut *Rom. 3. & 9.* & Petrus 1. *epiſt.* 2. & Marcus *Evangely ſui initio.*

Mos Apoſtolicus plura ſcripturæ teſtimonia colligare.

Nunc verborum ſenſum reddamus. Eſt autem hujuſmodi ; Mors abſumpta eſt & abolita uſque ad perfectam de ea victoriam ; ita prorſus, ut nihil ejus reliquum maneat ; ſed ſimul cum ea ſublata ſit omnis mortalitas & corruptio ; nec metus ſit ne vires aliquando reſumat. Id pleniùs ſignificant erotemata ſequentia, quæ in mortem, cui perſona affingitur, inſultatoria ſunt, & ſarcaſmi ſpeciem habent ; Ubi eſt, inquit, ô mors (vel ſecundum Græcos, ô inferne) victoria tua ? ſcilicet ea qua de humano genere per diabolum decepto, triumphaſti. Nam *per peccatum mors in mundum intravit, & in omnes homines pertranſiit* atque *regnavit*, Rom. 5. Mors autem inferni janua eſt. Nam inferni nomine mortuorum ſtatus ſignificatur, etiam juſtorum, in quantum mortui ſunt. Item, Ubi eſt, ô mors, ſtimulus ſive aculeus tuus ? id eſt, ſpiculum, quo pungebas & ad exitium urgebas univerſum genus humanum.

Perfecta de morte victoria, quæ.

In mortem inſultatio.

Mors inferni janua.

Quid infernus.

Ac ſi dicant Apoſtolus & Propheta : Mors ita penitus & perfectè deſtruetur atque delebitur, ut nuſquam exſtent ampliùs in ſempiternum ullæ ejus reliquiæ. Sed hoc intellige complendum in electis. De iis enim ſolis Apoſtolus loquitur. De iiſdem & propheta ſub typo populi Iſraelitici. Nam ad reprobos, qui reſurgent quidem, ſed ut ſemper moriantur, pertinet illud Joannis 1. epiſtolæ 3. *Qui non diligit manet in morte*, Et illud apud eumdem Apocal. 20. *Infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda.* Atque hoc eſt quod ſecundum Hieromi interpretationem de Domino dicit Iſaias : *Præcipitabit mortem in ſempiternum.* Porrò quem mortis ſtimulum dixerit Apoſtolus, exponit ſequentibus verbis.

Mors deſtruenda in electis, non in reprobis.

56. STIMULUS AUTEM MORTIS PECCATUM EST. Stimulum ſive aculeum mortis peccatum eſſe dicit,

interpretante Augustino *lib. 3. de bapt. parvul. c.* 11. quia peccato velut aculeo mors facta est. Nam ut ait, *peccati punctis mortificatum est genus humanum.* Quomodo lignum vitæ dicitur, quo vita hominis fiat aut conservetur: & poculum mortis, quo quis mortuus sit aut mori possit. His enim similibus rem explicat. Adfertur hic sensus etiam à Fulgentio *libr. de incarn. & gratia Christi, c.* 14. Sed considerandum est Apostolum de morte loqui quasi de persona, cui tribuat regnum, imperium, victoriam: quemadmodum & de ea locutus est *Rom.* 5. Unde *& sup. vers.* 26. mortem vocavit hostem qui novissimus destruetur, (est enim Græcè θανατος masculi generis) & nunc proximè eidem velut hosti prius victori, posteà devicto ac prostrato insultavit, ac stimulum ei adscripsit tamquam telum quo figat ac perimat homines. Hunc igitur stimulum peccatum esse dicit. Quem sensum luculentè tradunt expositores Græci, Theophylact. & Oecumen. his ferè verbis: Per peccatum fortis est mors, utens illo velut armis quibusdam ac stimulo. Nam ut scorpius ipse quidem vile animalculum est, sed vim habet in aculeo: ita & mors per se ac sine peccato, tamquam aculeo, nihil omninò potest.

Morti personam affingit Apostolus.

Virtus vero peccati lex. Legis mentionem obiter inserit, quia mortis & peccati meminerat: ne quis Judæus aut Judaizans putaret hæc mala beneficio legis tolli posse; quum lex ea provocet magis ac roboret: ideoque confugiendum ad gratiam Christi, per quam (ut indicat versu sequenti) à peccato simul & morte victoriam reportamus. Est igitur *hic sensus.* Peccatum, mortis stimulum usque adeò lex per Moysen data removere non potuit, ut etiam vires ei majores ex occasione subministraverit. Per legem enim irritatur concupiscentia, & augetur peccatum, si gratia desit. *Virtus peccati lex*, ait Augustinus lib. de perfectione justit. cap. *6. quoniam lex prohibendo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat spiritus charitatem.* Hinc S. Thom. virtutem interpretatur *augmentum*, in commentario: quod exponens 1. 2. qu. 55. art. 3. *Virtus peccati*, inquit, *lex dicitur: in quantum per legem occasionaliter est peccatum augmentatum, & quasi ad maximum suum posse pervenit.* Hæc nimirum ejusdem Apostoli doctrina est aliis locis, ut Rom. 5. *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* Et capit. 7. *Occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.*

Mortis & peccati destructio non per legem, sed per Christum.

Quomodo virtus peccati lex.

Per legem augetur peccatum.

Lex fomitis. Nonnulli legem fomitis significari putant: quæ virtus peccati est, quia per se ad peccatum incitat. Verum lex fomitis, ut propriè non est lex, ita nec usquam lex vocatur: nisi cum addito, ut lex mali adjacentis, membrorum, peccati, mortis, *Rom.* 7. *&* 8.

Cajetani expositio rejicitur. Quod verò Cajetanus legem interpretatur Apostolo dici potentiam peccandi, id est, *posse peccare*: *Quoniam*, inquit, *lex non ponitur nisi potentibus peccare. Unde posse peccare & lex eodem currunt tempore*; & cætera quæ huic commentario consentanea philosophatur de vario statu hominis; planè extra metam Apostoli ab eo dicuntur. Sed hominem Græcæ linguæ ignarum, alias doctissimum, fefellit ambiguitas Latini vocabuli *potentia*, quod legerat in versione Erasmi: cum dictio Græca δύναμις, quam noster interpres optimè vertit virtutem, ejusmodi homonymia careat. Ex sensu Cajetani sequitur, etiam in statu innocentiæ virtutem peccati legem fuisse. Quod ille quidem concedit ac docet: sed nullus Theologus hoc ei concesserit.

Deo gratiæ de victoria peccati agendæ. 57. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam. *Gratias*, Græcè χάρις, *gratia*, id est, gratiarum actio. Subaudi, sit, aut referatur. *Qui dedit*, Græcè διδόντι, id est, *danti, qui dat*: tametsi quidam codices habent δόντι, *qui dedit*. Gratias, inquit, Deo qui dedit & dat nobis victoriam adversus peccatum mortis stimulum, ne regnet in nobis: posteà daturus victoriæ plenitudinem, quando cum peccato mortem etiam ipsam perfectè superabimus, resurrecturi ad vitam æternam & incorruptibilem

Per Dominum nostrum Jesum-Christum. Per eum nempe, cujus merito redempti sumus à tyrannide peccati & mortis: non autem per legem, ut quæ peccatum augendo, regnum mortis ampliùs promovit. Continet igitur hæc sententia tacitam probationem resurrectionis mortuorum, eamque firmissimam. Si enim per Christum victoria nobis datur de peccato & morte, ergo sicut peccatum, ita & mortem penitus tandem destrui oportet. Mors autem non destruitur nisi vita reddatur, & quidem perpetua: quod non contingit, nisi per resurrectionem justis promissam. Ex hoc præterea loco docent Patres, omnem de peccato voctoriam, quæ ad salutem veramque justitiam conducat, ascribendam esse gratiæ Dei per Christum: sine qua proinde nullam peccati tentationem salutariter & ad veram justitiam utiliter, superari posse, fatendum sit.

Probatio resurrectionis firmissima ex hoc loco

Omnis de peccato victoria gratiæ Christi tribuenda, sine qua nulla peccati tentatio superari potest.

58. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles. *Et* copula non est in Græco. Doctrinam exhortatione concludit: qua monet ut in fide resurrectionis mortuorum, juxta doctrinam à se traditam, persistant: nec ab ea pravis quorumdam sermonibus sese dimoveri patiantur.

Abundantes in opere Domini semper. In multis codicibus legitur, *in omni opere*, sed probati codices non addunt *omni*, ut nec habetur in Græcis & Syriacis. Additum arbitror exemplo aliorum locorum, ubi legitur, *in omni opere bono*, ut Col. 1. v. 10. & 2. Thess. 2. v. 17. Hortatur ut ad fidem rectam etiam opera bona cumulatiùs adjungant: à quibus desperatio resurrectionis quosdam revocare jam cœperat, dicentes, *Edamus & bibamus: cras enim moriemur.* Bona opera vocat opus Domini; vel quia Dominus ea diligit & exigit à nobis, ut exponit Theophylactus, astipulante Hervæo, qui interpretatur opus *mandatorum Domini*: vel quia Dominus ea in nobis operatur. *Deus est enim*, ait idem Apostolus, *qui operatur in vobis & velle & perficere*, Philip. 2. Alibi Paulus opus Domini vocat illud, quo specialiter quis studet Evangelio Christi Domini provehendo; ut capite sequenti de Timotheo loquens, *Opus enim Domini operatur, sicut & ego*, & Philip. 2. de Epaphrodito, *Propter opus Christi usque ad mortem accessit.* Sed ea strictior acceptio videtur operis Domini, quàm quæ præsenti loco conveniat; ubi generalis est exhortatio fidelium ad opera bona. Quamquam generaliter intelligi potest opus Domini, quodcumque fit ad Christi Domini gloriam & honorem: quale esse debet omne opus hominis Christiani.

Opera bona cur vocentur opus Domini.

Scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Hoc est, Certissimè persuasi, quod opera vestra bona non erunt à mercede vacua apud Dominum: uti sunt illis qui resurrectionem non credunt: sed præmium assequentur immortalitatis & gloriæ, idque secundùm gradus pro ratione meritorum diversos, prout dictum est in superioribus. Quod totum intellige: si in finem usque perseveraveritis. Nam ad perseverantiam hortabatur verbis præcedentibus. Alioqui laborem fidelium inanem reddi, si non perseverent, alibi docet, ut Galat. 3. dicens, *Tanta passi estis sine causa.* Laborem vocat opera bona, quòd non sine labore & molestia fiant. Nam & *corpus quod corrumpitur, aggravat animam*, Sap 9. & *Caro concupiscit adversus spiritum*, Gal. 5. & *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*, 2. Tim. 2. Partem iliam *in Domino* quidam interpretantur *per Dominum*, ut sensus sit, laborem futurum non inanem, sed utilem & fructuosum per meritum Christi. Verum suggerit Oecumenius per hyperbaton ad laborem referri posse hoc sensu: labor vester propter Dominum susceptus non erit

Labor fidelium non est vacuus à mercede.

Sine perseverantia labor inanis. Cur opera bona vocet laborem.

fuſtraneus. Oſtendit autem hæc Apoſtolica adhortandi forma, quàm falſum ſit ac delirio ſimile quod docent hæretici, in bonis operibus non eſſe reſpiciendum ad retributionem mercedis à Deo propoſitæ.

CAPUT XVI.

De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. 2. Per unam ſabbati unuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeponat, recondens quod ei benè placuerit: ut non, cum venero, tunc collectæ fiant. 3. Cùm autem præſens fuero, quos probaveritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam in Jeruſalem. 4. Quod ſi dignum fuerit, ut & ego eam, mecum ibunt. 5. Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo. 6. Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hiemabo: ut vos me deducatis quocumque iero. 7. Nolo enim vos modò in tranſitu videre, ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit. 8. Permanebo autem Epheſi uſque ad Pentecoſten. 9. Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & evidens: & adverſarij multi. 10. Si autem venerit Timotheus, videte, ut ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut & ego. 11. Ne quis ergo illum ſpernat: deducite autem illum in pace, ut veniat ad me: exſpecto enim illum cum fratribus. 12. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multùm rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit voluntas, ut nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit. 13. Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini. 14. Omnia veſtra in charitate fiant. 15. Obſecro autem vos fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam ſunt primitiæ Achaiæ, & in miniſterium ſanctorum ordinaverunt ſeipſos: 16. Ut & vos ſubditi ſitis ejuſmodi, & omni cooperanti, & laboranti. 17. Gaudeo autem in præſentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam id, quod vobis deerat, ipſi ſuppleverunt: 18. refecerunt enim & meum ſpiritum, & veſtrum. Cognoſcite ergo, qui hujuſmodi ſunt. 19. Salutant vos eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos in Domino multùm, Aquila & Priſcilla, cum domeſtica ſua Eccleſia: apud quos & hoſpitor. 20. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in oſculo ſancto. 21. Salutatio, mea manu Pauli. 22. Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema, Maran Atha. 23. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum, 24. Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Jeſu, Amen.

SUMMARIUM.

HOrtatur ad eleemoſynam in ſanctos pauperes conferendam. Adventum ſuum promittit. Apollo fratrem, quod non venerit, excuſat. Timotheum & Stephanæ domum commendat: ac ſalutationibus epiſtolam claudit.

DE COLLECTIS AUTEM QUÆ FIUNT IN SANCTOS, SICUT ORDINAVI ECCLESIIS GALATIÆ, ITA ET VOS FACITE. Opportunè jam ſub finem epiſtolæ ſubjicit Apoſtolus, exhortationem de colligenda pecunia in ſubſidium pauperum fidelium qui erant Hieroſolymæ. Cujus quidem collectæ paſſim per eccleſias indicendæ quæ cauſa fuerit (non enim hîc agitur de ea cujus meminit Lucas *Actor* 11. & 12. ſed de alia poſteriore) exponemus in comment. epiſt. ad Galatas cap. 2. ubi dicit Apoſtolus: *Tantùm ut pauperum memores eſſemus: quod etiam ſolicitus fui*, &c. Quemadmodum autem prioris eleemoſynæ, ſic & hujus procurandæ atque Hieroſolymam mittendæ, vel etiam perferendæ, negocium Paulo ſimul & Barnabæ datum fuerat: licet in poſteriori Silas Barnabæ ſucceſſerit: ut docebimus in comm. 2. Cor. 8. ad illa verba, *Sed & ordinatus eſt ab eccleſiis comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam*, &c. Vide etiam quæ dicta ad illud Rom. 15. *Probaverunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum qui ſunt in Jeruſalem.* Græcè pro *collectis* eſt λογία ſingulari numero, quam Chryſoſtomus συλλογὴν exponit, id eſt, collectionem.

Paulus & Barnabas collectarum in pauperes adminiſtri.

Quid collecta.

Eccleſiaſtico more *collecta* vocatur, quomodo miſſa pro miſſione, & remiſſa pro remiſſione. Poſteà cœpit uſurpari nomen collectæ etiam pro conventu ſacro: quod in eo fidelibus offerentibus collecta fieri ſoleat. Unde eſt illud Hieron. *in comment. epiſt. ad Galat. 6.* de Joanne Apoſtolo jam admodum ſene, quod *nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hoc: Filioli, diligite alterutrum.* Pro verbo *ſunt* in Græco nihil exprimitur; ut verti poſſit: *De collecta quæ fit*, aut *quæ facienda eſt in ſanctos*, aut abſque ſupplemento verbi, quomodo tranſtulit Eraſmus, *de collatione in ſanctos.* Senſus Apoſtoli: Quod attinet ad collectam ſeu collectionem pecuniæ faciendam pro ſuſtentatione ſanctorum, id eſt, Chriſtianorum egentium (de Hieroſolymitanis loquitur) ſicut ordinavi, conſtitui ac præcepi eccleſiis regionum Galatiæ, ut facerent; ita vos quoque facite. Ordinationem Græci præceptum diſertè interpretantur, cùm annotant Apoſtolum non dixiſſe, hortatus ſum, aut ſuaſi, ſed *ordinavi*, videlicet neceſſitatem præcepti imponens. Unde & præceptivè Corinthiis dicit; *ita & vos facite.* Quod obſervandum propter hæreticos præceptivam poteſtatem eccleſiæ præfectis adimentes. Nec verò contrarium huic eſſe quod de eadem re ſcribens *in 2. epiſt. cap. 8.* ſic ait; *Non quaſi imperans dico: & iterùm, conſilium in hoc do*: oſtendemus in illius loci commentario. Quomodo ſequatur ex hoc loco, ſcriptam fuiſſe hanc epiſtolam ante eam quæ ſcripta eſt ad Romanos, diximus in *hujus argum.* Porrò verbum *facite* non ſolùm pertinet ad collectam inſtituendam; verùm etiam ad modum, qui præſcribitur verbis ſubjunctis.

Obſ. contra Sectarios, penes præfectos Eccleſiæ eſſe poteſtatem præceptivam.

Ordinatio præceptum ſignificat.

2. PER UNAM SABBATI. Græcè *ſabbatorum*, numero plurali: quemadmodum & Græcè legitur *una ſabbatorum* apud quatuor Evangeliſtas in hiſtoria reſurrectionis Domini, & *Actor. 20. verſ. 7.* Dicitur autem una ſabbatorum Hebræa phraſi, prima ſabbatorum: quomodo Geneſ. 1. *dies una*, id eſt, prima verò ſabbatorum, id eſt, ea dies quæ prima eſt in hebdomada dierum. Nam & ipſa hebdomada Judæis ſabbatum vocabatur, ut Luc. 18. *Jejuno bis in ſabbato*: & ſingulæ dies hebdomadæ vocabantur ſabbata, quarum dierum ſeptima quidem propriè ſabbatum erat, ac ſuo nomine ſignabatur: reliquæ verò ſuis numeris exprimebantur hoc modo, una ſabbatorum, ſecunda ſabbatorum, &c. Quod & in conſuetudine eccleſiæ remanſit uſque ad Auguſtini tempora, ut loco feriarum diceretur ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta ſabbati: quemadmodum liquet ex ipſius Auguſtini *epiſt. ad Caſulanum preſb. num. 86.* Quamvis ut feriæ nuncupentur, ſecunda, tertia, &c. in eccleſiaſticis officiis uſitatiſſimum eſt jam olim, etiam ante Silveſtri tempora, qui decretum ea de re fecit. Atque utinam id æquè receptum eſſet uſu loquendi quotidiano: potiùs quàm ut planetarum, ſeu veriùs deorum Gentilium nominibus hebdomadæ dies appellarentur à Chriſtianis. Quem morem utique nobis ex gentilitate reliquum, vehementer improbat Aug. exponens *Pſal. 93. titulum*, in quo nominatur *quarta ſabbati*: Improbat etiam & acriter exagitat Jacobus Faber in *annot. hujus loci.* Igitur una ſabbatorum erat, quam eccleſia jam ab illo tempore vocare cœpit diem Dominicam: quod in ea Dominus reſurrexiſſet à morte. Sic enim appellatur à Joanne Apoſtolo *Apo. 1.* ut proinde diei Dominicæ nomen & inſtitutionem ad Apoſtolos referendam eſſe, non ſit dubitandum. Porrò diem hanc, id eſt, Dominicam, per unam ſabbatorum ſignificari, manifeſtum eſt ex *locis jam indicatis* Evangeliſtarum, in quibus una ſabbatorum reſurrexiſſe Dominum teſtantur.

Una ſabbatorum prima dies hebdomadæ.

Sabbatum interdum pro hebdomada.

Feriarum hebdomadæ appellatio.

Nota indignum meritò cenſeri quod feriæ hebdomadæ appellentur nominibus planetarum vel Deorum Gentilium.

Admodum verò congruenter diem Dominicam

collectis faciendis assignat Apostolus : quod in ea finitis operis totius hebdomadæ, Deo vacaretur, ac de more per Apostolos instituto fierent oblationes fidelium ad altare. Cujus rei meminit inter alios Prudentius *in hymno de S. Laurentio*. Eumdemque morem oblationum diebus Dominicis tempore sacrificij colligendarum, in hunc usque diem ecclesia retinet.

Quid significet, per unam sabbatorum.

Postremò notandum in Græco sic haberi, κατὰ μίαν σαββάτων, *secundùm unam sabbatorum*. Pro quo legit August. *secundùm unam sabbati*, libr. 2. de sermone Domini *in monte c. 27. & alibi*. Erasmus vertit, *in una sabbatorum* : quasi sensus sit, in die Dominica, scilicet aliqua per vos constituenda. Sic enim nudè partem hanc multi intelligunt. Verùm præpositionem Græcam melius Latinè reddidit vulgatus interpres, *per unam*. Sensus enim est : per dies Dominicas; singulis diebus Dominicis. Locutio similis cum illa Tit. 1. κατὰ πόλιν, id est, *per civitates*, nempe singulas. Atque eum sensum vult translatio Syriaca : *In omni una die in sabbato*, hoc est, prima quaque die hebdomadæ.

Hanc verò particulam alii præcedentibus annectunt, alii sequentibus. Si præcedentibus annectatur, sensus erit Apostolum præcipere Corinthiis, ut sicut ordiverat ecclesiis Galatiæ, ita & ipsi faciant per singulas dies Dominicas. Sin jungas sequentibus ;. præcipit iisdem diebus fieri quod proximè sequitur. Ubi & dicemus, uter contextus potior sit.

UNUSQUISQUE VESTRUM APUD SE SEPONAT, RECONDENS QUOD EI BENE PLACUERIT. *Seponat*, Græcè τιθέτω, *ponat*; quomodo legit Augustinus loco proximè citato, nec non in Speculo : item Primasius in commentario, & Beda tam in textu, quàm in iis quæ refert ex Augustino. Posteriores ferè legunt *reponat*, ut Haimo, Lombardus, Hervæus, S. Thom. & alii : tametsi inter hæc tria, *ponat*, *seponat*, *reponat*, parum discriminis est. *Recondens*, Græcè θησαυρίζων *thesaurizans*. Quod de eo propriè dicitur, qui paulatim collecta reponit & cumulat. Hoc ultimum, *quod ei benè placuerit*, ita legitur in Græco ὅ τι ἂν εὐοδῶται. Id Valla vertendum existimat, *quod facilè factu sit*, sive *quod benè cedat*. Erasmus, *quicquid commodum fuerit*. Alij meliùs, *quod successerit*. Nam Græci verbi propria significatio est prosperari in viis, id est, actionibus suis, prosperè agere. Quo etiam usi sunt LXX. cum alibi, tum in psalm. 1. ubi Latinè legitur, *& omnia quæcumque faciet prosperabuntur*. Usus est & Paulus Rom. 1. ubi Latinè, *Si quo modo prosperum iter habeam*.

Quid recondere.

Græci verbi propria significatio.

Itaque sensus est : Prout cuique benedixit Deus ac proventum prosperaverit, pro modo facultatum seu lucri hebdomadarij, quisque seponat & cumulum faciat tribuendum in collectam publicam. Et ita ferè expositores Græci. *Locus moralis* ad exhortandum simili modo plebem, ut de justo lucro totius hebdomadæ portionem aliquam seponant in eleemosynas pauperum : eoque pacto sua peccata redimere studeant apud Deum. Suspicatur Erasmus Interpretem nostrum vertentem *quod ei benè placuerit*, in Græco legisse εὐοδώσῃ τινι, ut sensus sit : quicquid probaverit ac placitum ei fuerit. Sed verbum εὐοδῶται, quod in omnibus est Græcis, magis aptum est exhortationi præsenti.

Nota locum moralem de seponenda hebdomadatim pecunia in eleemosynas pauperum.

Porrò cùm dies Dominica non tam ad seponendum & recondendum aliquid de rebus suis, quàm ad expromendum & conferendum in collectam publicam, fuerit deputata ; potiùs sanè videtur illud, *per unam sabbati*, construendum cum parte præcedenti, quæ ipsius collectæ meminit ; quàm cum ista, quæ seponere ac recondere jubet. Chrysost. quidem, & author glossæ ordinariæ, & alij post eam ita Paulum intellexerunt, quasi velit pecuniam cujusque, quam conferrre cogitaret, sepositam ac reconditam apud ipsum remanere, velut depositarium, uti Cajet. loquitur ; donec universa collecta mittenda esset Hierosolymam : idque Paulum ad hunc modum statuere, ne fortè ecclesiæ ministri, qui servandam pecuniam accepissent, in suspicionem venirent, tamquam non integra fide eam tractantes. Verùm, ut taceam quàm parum prudenter unicuique servanda relinqueretur ea pecunia, quam priùs destinasset in eleemosynam (nam interim variæ possent occurrere vel occasiones vel etiam necessitates expendendi) repugnat ea praxis tum rationi ipsius collectæ, tum consuetudini, juxta quam singulis Dominicis ad altare Domini fiebant oblationes, non reportandæ domum ab offerentibus, sed à ministris ecclesiæ, quorum probata erat fides, asservandæ in usus pios ac necessarios. Atque hoc satis etiam declarat pars sequens.

Vetus ecclesiæ consuetudo faciendi collectas.

UT NON CUM VENERO, TUNC COLLECTÆ FIANT. Uult Apostolus collectas priùs fieri particulatim per dies Dominicas : ut quum venerit, paratas eas inveniat, ita nimirum, ut summa ex iis conflanda statim mitti posset Hierosolymam.

3. CUM AUTEM PRÆSENS FUERO, QUOS PROBAVERITIS PER EPISTOLAS, HOS MITTAM PERFERRE GRATIAM VESTRAM HIERUSALEM. *Præsens fuero*, Græcè unum verbum παραγένωμαι, *advenero*, vel *adfuero*. Illud, *per epistolas*, sequentibus adjungendum esse dissertè monent Theophyl. & Haimo ; ut sit sensus ; Quoscumque ex vobis probaveritis fideles & aptos ad hoc opus, eos ego mittam cum literis meis commendaticiis ac testibus tum vestræ charitatis ac benevolentiæ, tum probitatis ipsorum, ut perferant *gratiam vestram* (quod alius *munificentiam*, alius *magnificentiam vestram* transtulit) hoc est, gratuitum ac liberale donum vestrum ad pauperes fideles qui sunt Hierosolymis. Hunc ordinem constructionis servant & alii plerique expositores tam Græci quàm Latini.

Verum quia phrasis incommoda est nec usitata, ut quis dicatur mitti per epistolas, id est, cum epistolis : fortasse rectiùs ea particula jungetur verbo probaveritis, hoc sensu : Postquam advenero, tunc quos probaveritis per epistolas, quas scilicet dabitis illis Hierosolymam cum subsidio perferendas, eos mittam ut perferant. Distinguit & exponit hoc modo Benedictus Arias. Atque eam distinctionem videre est adhibitam in bibliis correctionis Romanæ. Nam series sermonis huc magis invitat.

Constructio melior hujus loci.

Annotat Chrysost. quem Theoph. & Oecum. sequuntur hanc collationem ab Apostolo *gratiam* appellari, ut & alias benedictionem & communicationem, 2. *Cor. 8. & 9.* quod hæ civiles sint & honorificæ nuncupationes subsidij : cæterùm studio eum abstinuisse à nomine eleemosynæ ; quod, ut Oecumenius ait, miserum sit eleemosynæ vocabulum, & indignum sanctis illis quibus mittendum erat subsidium. Quamquam hoc vocabulum Apostolus non omninò tacuit. Nam *Actor.* 24. apud Felicem præsidem affirmat se eleemosynas facturum in Gentem suam, venisse Hierosolymam.

Collecta cur gratia, benedictio, communicatio vocetur.

4. QUOD SI DIGNUM FUERIT UT EGO EAM, MECUM IBUNT. Quod si, inquit, res tanti erit ut decens & consentaneum judicetur vel meipsum proficisci, gratiam vestram perlaturum Hierosolymam, non ibo solus, sed eosdem illos quos probaveritis, comites profectionis habere volo ; scilicet ut testes integritatis ac fidei meæ. Id enim agit Apostolus, ne suum aliquod commodum in hoc negocio collectionis pecuniariæ spectare videatur. Quam suspicionem ad avertenda scandala pusillorum, meritò studet omnibus modis à se removere. Porrò dicens *si dignum fuerit*, tacitè exstimulat eos ad largiorem collectam, videlicet tantam quæ Apostoli perferentis ministerio non sit indigna.

Apostoli solicitudo de vitando scandalo.

5. VENIAM AUTEM AD VOS CUM MACEDONIAM

PERTRANSIERO. Nonnulli, inter quos Aquinas, exiſtimant, Paulum hîc loqui de prima ſua profectione in Macedoniam, quæ deſcribitur Actor. 16. quando vir Macedo per viſionem Paulo dixit: *Tranſiens in Macedoniam adjuva nos.* Sed id ex eodem libro Actorum refellitur. Nam prima profectio Pauli in Macedoniam contigit anteà quam Corinthiis Evangelium prædicaſſet. Quod demum factum ſcribitur *Act.* 18. Conſtat igitur Apoſtolum de alio per Macedoniam tranſitu loqui: nec dubitandum arbitror quin de eo, cujus mentio ſit *Actor.* 19. Luca referente de Paulo, cùm adhuc Epheſi moraretur, quod *propoſuit in ſpiritu, tranſita Macedonia & Achaia ire Hieroſolymam*, & iterùm cap. 20. ubi Paulum refert profectum eſſe, *ut iret in Macedoniam: & partes illas perambulaſſe*: deinde *veniſſe in Græciam*. Liquet etiam ex hoc loco, illud quod dixit ſuprà cap. 4. *Veniam ad vos citò*, non ſic accipiendum, quaſi ſtatim ac rectà Corinthum proficiſci ſtatuiſſet; ſed cùm primum poſſet: tranſita tamen priùs Macedonia, quemadmodum illic expoſui.

An Paulus quod hic promittit, præſtiterit.

Quæritur autem an quod hîc affirmat ac promittit Apoſtolus, ſe venturum ad Corinthios, facto præſtiterit. Dubitandi ratio eſt ex 2. *epiſt. cap.* 1. ubi ſe excuſat, ac notam levitatis à ſe repellit, cauſam reddens cur juxta promiſſum non venerit. *Volui*, inquit, *prius venire ad vos*, & mox: *Cùm ergo hoc voluiſſem, numquid levitate uſus ſum, ut ſit apud me eſt & non?* & ſub finem capitis, *Parcens vobis non veni ultra Corinthum.* Propter hæc multi putant Apoſtolum, quod hoc loco ſe facturum pollicetur, id poſteà non impleſſe, juſta tamen ratione dimotum à propoſito. Verùm re benè expenſa, & iis quæ dicuntur in 2. *epiſt.* collatis cum loco præſenti, comperietur Apoſtolum planè id præſtitiſſe quod hîc promittit, ac proinde non de eo quaſi non præſtito ſeſe excuſare, ſed de alio quodam ſuo promiſſo.

Multi negant.

Affirmativa reſponſio verior.

Nam Apoſtolum pertranſita Macedonia Corinthum adiiſſe, primùm *locus Actorum ſuprà citatus* ſatis oſtendit, ubi dicitur partibus Macedoniæ perambulatis veniſſe in Græciam, id eſt, Achaiam: ut Lucas expreſſit verbis prioribus: ibidemque *tres menſes* egiſſe: ut credibile non ſit eum tunc Corinthum in ea regione ſitam, prout ſtatuerat ac promiſerat, non acceſſiſſe, quum vel maximè propter Corinthios in Achaiam veniſſet. Deinde probat *epiſt. ad Rom.* ab eo ſcripta Corinthi poſt hanc, & ſecundam ad Corinthios epiſtolam, ut *in ejus argumento* demonſtravimus.

Cæterùm excuſationem quæ eſt in ſecunda epiſtola, non reſpicere promiſſum hujus loci, ſed aliud quoddam ac diverſum, eo loco docebimus. Sunt qui hîc annotent Apoſtolum cùm diceret *veniam ad vos*, ac rurſum, *Macedoniam pertranſibo*, non addidiſſe illud in talibus conſuetum, *Si Dominus voluerit*, eò quòd de voluntate Dei certus eſſet per revelationem. Id enim ſignificatum eſſe verbis illis quæ citavimus ex Act. 19. *Propoſuit in Spiritu, tranſita Macedonia & Achaia ire Hieroſolymam.* Sed, puto, falluntur. Nam illa revelatio non erat de tranſeunda Macedonia & Achaia, ſed de adeunda Hieroſolyma; ſicut dicit Actor. 20. *Ecce alligatus ego Spiritu vado in Hieruſalem.*

Cur Apoſtolus non addiderit, ſi Dominus voluerit.

Non eſt autem neceſſe, quoties nos aliquid facturos dicimus, addere verbo, *ſi Dominus voluerit*: ſed interdum verbo, ſemper intellectu. Quod & à Paulo factum, facile eſt docere. Nam & infrà verſ. 7. addit, *Si Dominus permiſerit:* & ſuprà cap. 4. brevi ſe venturum promittit, *Si Dominus voluerit.* Alibi verò nihil addit, ut *Rom.* 15. nunc Hieroſolymam, nunc in Hiſpaniam ſe profecturum dicens. Illud *notandum*, hujuſmodi verba non affirmare rei eventum, ſed ſignificare voluntatem, animique propoſitum, & aliquando promiſſionem. Quare ſi non ſuccedat eventus, nihil propterea falſi fuit in verbis; dum tamen ex animo & fide dicta fuerint.

Si Dominus voluerit, quatenus dicendum.

Nota.

NAM MACEDONIAM PERTRANSIBO. Græcè διέρχομαι, *tranſeo* ſive *pertranſeo*: niſi quod hoc verbum more ſui ſimplicis etiam futuri ſignificationem habet. Et ita ſumendum hoc loco, res ipſa docet. Nam Epheſi in Aſia hæc ſcribit Paulus, nec ſtatim diſceſſurus in Macedoniam, ſed, uti paulò pòſt dicit, uſque ad Pentecoſten in ea urbe manſurus. Unde plerique vertunt, *tranſibo, tranſiturus*, aut *pertranſirus ſum.*

APUD VOS AUTEM FORSITAN MANEBO. Græcè παραμένω, *permanebo.* Ac ſi dicat, Adventus meus ad vos non erit tranſitus ſolum, ut dixi de Macedonia, ſed erit mora diuturnior. Apparet autem fuiſſe moram trium ferè menſium, ex *loco priùs citato Actor.* 20. Addit *forſitan*, propter rei incertitudinem. Unde ſequenti verſu hoc ipſum repetens adjicit, *Si Dominus permiſerit.*

VEL ETIAM HIEMABO. Id eſt, totam hiemem apud vos peragam. Chryſoſtomus hunc locum ſic accipit, ut ſentiat Paulus ſe venturum ad eos æſtate: fortaſſis autem & hiemem apud eos tranſacturum. Videtur autem Apoſtolus hoc conſilium de hieme apud Corinthios agenda, poſteà mutaſſe. Nam ſub *finem epiſtolæ ad Titum*, quæ ſcripta putatur eodem anno, conſtitutum ſibi dicit Nicopoli hiemare.

UT VOS ME DEDUCATIS QUOCUMQUE IERO. Hoc eſt: ut quando mihi à vobis quocumque diſcedendum erit, vos abeuntem honoris cauſa proſequamini, etiam viaticum, ſi opus ſit, ſuppeditaturi: quæ pars eſt honoris. *Ut* particula non hîc cauſam finalem ſignificat, ſed bonum aliquod conſequens, nec tam ipſius Pauli, quàm Corinthiorum. Nam fideles honorificum ſibi ducebant, ſi ſuum Apoſtolum à ſe diſcedentem deducerent. De qua hujus verbi ſignificatione plura diximus ad illud Rom. 15. *& à vobis deducar.*

Quid deducere.

7. NOLO ENIM VOS MODO IN TRANSITU VIDERE. Tranſitum intelligit, quo ſit iturus in Macedoniam, quod eſſet, obiter tantùm ac velut per occaſionem dum aliò properat, eos inviſere. *Modo* Græcè ἄρτι, *nunc*, non ſignificat tempus præſens aut proximè inſtans (cogitat enim adhuc aliquantiſper hærere Epheſi) ſed proximam profectionem.

SPERO ENIM ME ALIQUANTULUM TEMPORIS MANERE APUD VOS. Græcè ad verbum, *Spero autem tempus aliquod permanere apud vos.* Quod Latiniùs dicas: *Sed ſpero tempus aliquantum permanſurum me apud vos. Aliquantum*, non *aliquantulum*, legitur in textu Ambroſiaſtri & Primaſii, nec non in Speculo Auguſtini. Et res ipſa poſtulat ita legendum. Neque enim Paulus ſentit perexiguo tempore ſe manſurum apud Corinthios: ſed ideò nolle ſe dicit eos modò in tranſitu videre, ut poſteà longiorem moram apud eos trahat, etiam per hiemem integram: uti ſuprà dixit.

Aliquantum, non aliquantulum legas.

SI DOMINUS PERMISERIT. Dominum Chriſtum intelligere videtur, de quo dicitur *Actor.* 16. juxta noſtros codices: *Et non permiſit eos ſpiritus Jeſu.* Hoc addit, quia neſciebat an permiſſurus eſſet Dominus. *Quæres*, cur non dixerit, *Si Dominus voluerit*: quemadmodum *ſuprà cap.* 4. ſicut & Jacobus dicendum præcipit cap. 4. ſed *Dominus permiſerit*: præſertim cum certò teneamus omnia bona fieri Domino Deo non ſolùm permittente, ſed volente & operante. Eadem quæſtio eſt de loco Hebr. 6. *Et hoc faciemus, ſiquidem permiſerit Deus.* Reſponderi poteſt non ſic Deum eſſe noſtrarum actionum authorem, ut non etiam à libera cujuſque voluntate, Deo tamen ſubordinata, procedant: ideoque dum quis aliquid boni facere ſtatuit, neſciens an Deus ſecundùm ordinem ſuæ providentiæ daturus

Quæſtio.

Reſponſio.

sit obstaculum operis exsecutioni, (*Non est* enim *hominis via ejus*; *nec viri est ut dirigat gressus suos*, Jerem. 10.) rectè eum dicere, se id facturum si Deus permiserit. Verùm prætereà respondemus, Græcam vocem ἐπιτρέπειν plus importare quàm permissionem nudam: qua etiam peccata permittuntur à Deo: quæ permissio Græcis significatur verbo ἐᾶν, sinere. Significat enim id quod alii vocant concedere, id est, facere potestatem agendi. Quam ejus significationem facile est ex aliis scripturæ locis probare. Hinc & apud Latinos usu receptum est, ut quis dicatur imperator, rex, episcopus, abbas, permissione divina, id est, authoritate seu concessione & voluntate Dei: &, ut aliquid factum dicatur permissu superiorum, id est, iis consentientibus, & potestate ab illis accepta. Sic igitur intellige quod ait Apostolus, *Si Deus permiserit*, id est, concesserit.

Plenior responsio.

Permittere quid hoc loco significet.

8. PERMANEBO AUTEM EPHESI USQUE AD PENTECOSTEN. Hinc colligitur Ephesi scriptam esse hanc epistolam: idque certiùs, si loco verbi ἐπιμενῶ *permanebo*, legas ἐπιμένω, *permaneo*, accentu tantùm mutato: quemadmodum legit interpres Oecumenii, dum vertit in præsenti, *commoror:* ac legisse etiam videntur Chrysost. & Theophyl. dum annotant hoc idem quod Oecumenius, Apostolum hac parte certiores facere Corinthios ubi degat, & quamdiu sit ibi moraturus. Quare etiam Græcis consentientibus, Ephesi scriptam esse, satis testatum est. Illud verò, *usque ad Pentecosten*, Erasmus interpretatur, *usque ad quinquagesimum diem*: idque repetit etiam in paraphrasi: quasi non aliud significetur quàm numerus dierum quibus Apostolus Ephesi mansurum se dicat.

Hæc epistola Ephesi scripta.

Quæ Pentecoste hîc significetur.

Censet enim ille festum Pentecostes intelligi non posse, ne dierum discrimen Judaicum, aliàs à se damnatum, Apostolus observare videretur. Qua in re vehementer fallitur. Cùm enim præcipua festa Judæorum, ut erant Pascha & Pentecoste, propter Judæos ubique Gentium dispersos, etiam Gentilibus essent cognita, maximè Christianis, quibus cum Judæis plus erat commercii: rectè Paulus festum Judaicum nominat, non observationis causa; sed certum tempus fidelibus notum designare volens, quo permansurus sit Ephesi. Quamquam ipsi Paulo qui Judæus erat, festorum Judaicorum observatio tametsi lege jam mortua, nondum erat illicita. Nam & de eo scribit Lucas Actor. 20. quod *festinabat, ut diem Pentecostes faceret Hierosolymis*: scilicet apud Judæos legis æmulatores declaraturus, se legem adhuc observare, falsoque se traduci, quòd *doceret discessionem à Moyse eorum qui per Gentes erant Judæorum*, ut habetur Act. 21.

Pascha & Pentecoste festa Judæorum passim nota.

Cur Paulus diem Pentecostes agere voluerit Hierosolymis.

Unde nec probabile est, quod quidam existimant: hoc loco significari Pentecosten Christianorum: nisi fateamur (quod nulla ratio suadet) de alia Pentecoste Paulum hîc agere, & de alia Lucam *in Actis*, ubi Pauli factum memorat. Nam eo quidem loco Pentecosten Judæorum intelligi, vel inde liquet, quod ad celebrandam Pentecosten Christianorum non opus erat Hierosolymam ascendere. Judæorum autem Pentecoste non nisi Hierosolymis, ubi sacrificiorum locus erat, agi poterat. Sic igitur Paulus utitur nomine Pentecostes, etsi festi Judaici; quomodo superiùs Judæorum more dixit unam sabbatorum: & quomodo Lucas *Actor.* 20. non solùm Pentecosten, sed & unam sabbatorum, & dies azymorum, quæ utique festa erant Judaica, nominavit: multò certè meliùs illi, tempora designantes nominibus festorum, quæ licet abrogata jam essent, à Deo tamen instituta fuerant; quàm nos Christiani, qui in ore & usu habemus profana mensium nomina, pleraque ducta à superstitione Gentilium. Moveat fortè quempiam, quomodo dicat usque ad Pentecosten se mansurum Ephesi: cùm festinaret (uti dictum est ex Actis) ad hoc *ut diem Pentecostes faceret Hierosolymis*. Sed facilè tollitur hîc scrupulus distinctione temporum. Nam *in Actis* sermo est de Pentecoste subsequentis anni: quod perspicuum fiet historiæ seriem consideranti. Porrò cur Ephesi diutiùs ipsi morandum sit, causam subjicit dicens:

Pentecoste festa Judæorum passim nota.

Cur Paulus diem Pentecostes agere voluerit Hierosolymis.

Pentecoste Christianorum, an hoc loco significata.

9. OSTIUM ENIM MIHI APERTUM EST MAGNUM ET EVIDENS. In Græco non est *evidens*, sed ἐνεργὴς, id est, *efficax*. Interpres legit ἐναργὴς, id est, *evidens*. Quod & Ambrosiastrum legisse docet ejus commentarius. Valla dubitat utra lectio sit melior. Sanè quamvis ab eo quod nunc est in Græcis codicibus, etiam Græcorum commentarii non dissentiant; nostra tamen lectio neutiquam improbanda est. Habet enim sensum commodiorem; ac si dicat Apostolus: Magna, manifesta & præclara mihi oblata est occasio, magnus aditus apertus ad propagandum Evangelium. At secundùm Græcam lectionem significatur efficax occasio, id est, talis quæ spem optimam ostendat magni proventus. Quamquam Syrus interpres Græcam vocem aliter accepit, dum vertit *operosum*, id est, quod magnos labores requirat. Similis occurrit varietas in epistola ad Philæmonem, ubi nos legimus: *Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat*, &c. Vide ejus loci commentarium.

Lectio dubia.

Ostium pro occasione, Paulina phrasis est, etiam à Luca usurpata *Act.* 14. *versu penult.* Non dissimile est quod Latini dicunt, fenestram aperire, id est, occasionem dare. Cæterùm occasionem de qua loquitur Apostolus, Græci, quos sequitur S. Thomas, interpretantur multorum corda ad credendum parata: quomodo Christus in evangelio dicit *messem multam*, Matth. 9. & *regiones albas ad messem*, Joann. 4. Cajetanus suspicatur magni alicujus seu principis seu philosophi conversionem significari: cujus exemplum multi alii sperentur ac videantur secuturi. Card. Baronius occasionem hanc esse putat opportunitatem loci. Erat enim Ephesus totius Asiæ minoris primaria civitas, eademque celeberrima & undique frequentata: tum propter templum Dianæ toto orbe notissimum; tum quòd illic Asiæ proconsul resideret ac jus diceret toti provinciæ; ac denique, quod uti Philostratus refert *in Apollonio lib.* 8. bonarum artium studia plurimùm in ea civitate vigerent: ut propter hæc idoneus admodum locus Paulo visus fuerit, ubi disseminandi Evangelii causa diutiùs moraretur. Verùm quamlibet occasionem, id est, ostium intelligas, fuit illud apertum Paulo, non ab alio quàm à Deo: quemadmodum docet Hieron. *in princip. comm. super Joëlem.* Sic enim Apostolus Coloss. 4. *Orantes*, inquit, *& pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum, &c.* Qui & apud Lucam Actor. 14. refert, quod *Deus aperuisset Gentibus ostium fidei.*

Ostium pro occasione: ut apud Latinos fenestra. De qua occasione Paulus loquatur, opiniones.

Ephesus civitas opportuna disseminando Evangelio.

Ostium apertum à Deo.

ET ADVERSARII MULTI. Quidam adversativè legunt, *Sed adversarii multi*, ut Ambrosiaster in commentario, & Hieron. *loco jam citato*, quasi dicat Apostolus; quamquam multi sunt adversarii. Verùm & nostra lectio, Græcæ consona, benè habet. Significatur enim altera ratio propter quam Apostolo diutiùs Ephesi manendum sit: nempe quia multi sint qui tam egregiam spem & occasionem fructus Evangelici nitantur impedire; cum quibus futurum sit ipsi negotium. Verisimile est autem Judæos intelligi, qui in ea civitate multi erant, iique more suo remoram Evangelio facturi: quemadmodum & facere jam cœperant: bestiæ nimirum illæ, cum quibus Ephesi pugnaverat, ut dictum *est capite superiori.*

Adversarii prædicationis Evangelicæ Judæi.

10. SI AUTEM VENERIT TIMOTHEUS, VIDETE UT SINE TIMORE SIT APUD VOS. Videtur de Timotheo velut absente loqui: idque magis etiam appareret ex eo quod mox dicit, *Exspecto illum.* Falluntur ergo qui Timotheum inter eos numerant, per quos

missa sit hæc epistola. Miserat autem ad Corinthios Timotheum, qui eos commonefaceret viarum & doctrinæ ipsius Pauli, sicuti dixit *cap. 4. Sensus*: Si venerit ad vos Timotheus, curate ut securè apud vos agat, id est, timendi causam non habeat; nemo sit ei molestus. Ponit enim effectum pro objecto; timorem pro periculo & molestia. Loquitur non de infidelibus, sed de quibusdam professione Christianis, qui eloquentiæ & sæcularis sapientiæ nomine sibi placentes, adversus Paulum, cujus carissimum discipulum esse Timotheum noverant, factiosi erant: quod genus fratrum apertiùs insectatur in 2. *epist. cap.* 11. Erant autem, ut ex *eodem loco* constat, ex Judæis præcipuè. De talibus eum loqui arguit illud, *apud vos*: id quod etiam à Græcis expositoribus observatum est.

Timotheus cur à Paulo missus Corinthum.

Timor pro periculo.

OPUS ENIM DOMINI OPERATUR, SICUT ET EGO. Opus Domini, Christi intellige, id est, spectans ad promovendum Christi Evangelium. Cujusmodi opus in primis est ipsa Evangelii prædicatio. Sic de Epaphrodito dicit Philipp. 2. *Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit.* Addit autem *sicut & ego*: non parem sibi Timotheum statuens: sed ut à munere Apostolico, in quo Pauli cooperarius erat, eum commendet.

Opus Domini quod dicatur.

11. NE QUIS ERGO ILLUM SPERNAT. Græcè ἐξουθενήσῃ, *vilipendat, nihili faciat.* Quod metuendum erat ob ætatem ejus adhuc juvenilem. Qua de re ipsum etiam Timotheum admonet alibi dicens: *Nemo adolescentiam tuam contemnat*; 1. Tim. 4. Sed hîc eò magis id faciendum fuit, quia Timotheus nondum erat episcopus, quando hæc scribebantur. Confirmat autem hæc pars id quod paulò antè dixi, Paulum respicere ad quosdam Christi nomen professos, à quorum injuriis velit Timotheum defendi. Pertinet eodem quod sequitur.

Timotheus cur obnoxius contemptui.

DEDUCITE AUTEM ILLUM IN PACE. Pax in scripturis intelligi solet, quæ perturbationes & molestias excludit. Itaque *sensus est*: Incolumen eum dimittite, securitatem præstate, ne quis ei molestiam exhibeat: quin potius abeuntem ea qua decet humanitate prosequimini. Id enim est deducere.

Pacis acceptio in scripturis.

UT VENIAT AD ME. Scilicet Ephesum, ubi nunc ago. Fortè jam habebat in animo, Timotheum Ephesi creare episcopum. Porrò Timotheum non multò pòst venisse Ephesum ad Paulum, declarat ipse Paulus ad eum ita scribens: *Rogavi te ut remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam*, 1. Tim. 1.

EXPECTO ENIM ILLUM CUM FRATRIBUS. Ambiguus sermo: quo vel significetur Paulum unà cum fratribus expectare Timotheum; vel Paulum expectare Timotheum unà cum fratribus venturum. Qui posterior sensus magis inesse videtur verbis Apostoli: Fratres autem intelligit fideles.

12. DE APOLLO AUTEM FRATRE VOBIS NOTUM FACIO, QUONIAM MULTUM ROGAVI EUM. In Græco & Syriaco tantum hæc leguntur: *De Apollo autem fratre; multum rogavi*, sive *hortatus sum eum*. Sed & vetusti quidam codices Latini, & veteres concordantiæ, textusque Primasii has quatuor dictiones *vobis notum facio, quoniam*, non habent. Addidit autem quispiam ad supplendum sensum. Quamvis & alioqui sensus constet, hoc modo reddendus: Ad Apollo fratrem quod attinet, multis verbis eum hortatus sum & rogavi. Eclipsis est familiaris epistolis: qualis & suprà cap. 7. *De quibus autem scripsistis mihi.* Fratrem appellat, charitatis vocabulo; ne quis dissidium aliquod inter eum & Paulum hîc suspicetur ex eo quod rogatus à Paulo, non acquieverit ut Corinthum proficisceretur.

Cur Apollo fratrem vocet.

Annotant Græci Paulum his verbis se excusare cur ad eos miserit Timotheum juvenem; ac non potius Apollo natu grandiorem; virum eloquentem ac potentem in scripturis, (ut dicitur *Actor.* 18.) denique doctorem ipsorum, à Paulo secundum: quod ipse Paulus suprà cap. 3. testatus est dicens, *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Addunt Latini posteriores, Haimo, Lombardus, & alii glossam interlinealem secuti, Apollo factionibus quæ apud Corinthios erant, offensum, eos reliquisse, & ad Paulum se contulisse: deinde Paulum à Corinthiis rogatum esse ut illum ad se remitteret; & maximè quod ipsorum esset episcopus à Paulo ordinatus. Sed & apud Hieronymum legitur in commentariis epist. ad Titum cap. 3. Apollo fuisse *Episcopum Corinthiorum, & propter dissensiones quæ in Corintho erant, ad vicinam insulam Cretam cum Zena legis-doctore transfretasse*: nempe cùm prius Ephesum venisset ad Paulum. Quamquam quod hi dicunt eum fuisse Corinthiorum episcopum, S. Thom. haud immeritò revocat in dubium: quia non licet episcopo populum suum deserere, præsertim in fide novellum & assidua rigatione egentem. Id autem Apollo fecisse doctorem diligentem & spiritu ferventem, uti prædicatur, *Actor.* 18. non est existimandum. *Rogavi*, inquit, *eum.*

An Apollo Corinthiorū episcop. fuerit.

UT VENIRET AD VOS CUM FRATRIBUS. Id est, ut ad vos iret, vosque inviseret, fratribus aliquot comitatus.

ET UTIQUE NON FUIT VOLUNTAS UT NUNC VENIRET. In multis exemplaribus legitur *voluntas ejus*, sed castigatiora pronomen ejus non agnoscunt; ut nec Græca nec Syriaca. Græca sic habent: *Et omninò non erat voluntas ut nunc iret.* Quod de Dei voluntate interpretantur Theodoritus, Theophyl. & Oecumenius. Latini verò supplentes particulam *ejus*, ad ipsius Apollo voluntatem referunt; idque, ni fallor, rectius. Nam genitivum *Dei* subaudri, cum de Deo nihil præcesserit, nimis coactum est. Igitur hic est *sensus*: Frustra eum hortatus sum ut ad vos iret. Nam ob certas causas non erat ei ullo pacto animus nunc eundi. *Quæres* cur Paulus ei non præceperit. Respondent S. Thom. & Liranus; quia magnis viris non facilè præcipiendum est aliquid. Certè Paulus non judicavit expedire, ut præcepto eum urgeret. Scribit autem Hieronymus, eum, *Pauli epistola dissensionibus quæ Corinthi ortæ fuerant temperatis, Corinthum revertisse.*

Cur Paulus Apollo non præceperit ire Corinthum.

VENIET AUTEM CUM EI VACUUM FUERIT. Malè Valla reprehendit interpretem de addito pronomine *ei*. Continetur enim in Græco ὅταν εὐκαιρήσῃ. Quod ita rectè vertas, *Ubi commodum tempus nactus fuerit.* Pro quo legitur in textu Ambros. *cum opportunum fuerit.* Quamquam etiam Erasmo judice benè vertit noster interpres. Nam & *Actor.* 17. ubi de Athenienses dicitur, *ad nihil aliud vacabant*, & Marci 6. ubi de discipulis Christi, *nec spatium manducandi habebant*: idem in Græco verbum est εὐκαιρεῖν. *Notandum* est veteres Latinos expositores, Ambrosiastrum, Pelagium, Primasium & Sedulium in suis commentariis totum hunc *v.* 12. in quo de Apollo legitur, intactum reliquisse. Quæ res suspicionem facit, locum hunc eis lectum non fuisse: nisi quis putet, nihil hîc eis succurrisse, quod judicarent annotatu dignum.

Interpres malè reprehensus a Valla.

Ab Erasmo laudatus.

Nota.

13. VIGILATE, STATE IN FIDE, VIRILITER AGITE ET CONFORTAMINI. Rursus sub finem epistolæ præceptis necessariis eos instruit, brevissimè tamen. Estque sententia tota ἀπωτέρω in Græco. *Sensus:* Intereà dum noster ad vos differtur adventus, *vigilate*, id est, salutis vestræ curam gerite, scilicet adversus malè suadentium insidias. *State* (qui situs est vigilantis) id est, persistite *in fide* Evangelij, quod à nobis didicistis. Estote virili & infracto fortique animo adversus ea mala, quæ vobis ab hostibus & persecutoribus fidei, seu Judæis, seu Gentilibus, inferuntur aut imminent.

Exhortatio ad perseverantiam fidei.

14. OMNIA VESTRA IN CHARITATE FIANT. In multis etiam vetustioribus, ita legebatur, *Omnia*

Cur Paulus Timotheū, non Apollo miserit ad Corinthios.

enim vestra, &c. Verùm particula causalis haud dubiè superflua est, quæ nec in Græcis habetur, nec in Syriacis: nec in melioribus Latinis mss. ut nec in veterum commentariis. *Omnia vestra*, videlicet opera, actiones. Syrus paraphrastes supplet *voluntates* seu *placita*. *In charitate*, Hebraismus est: quem Latinè reddit Erasmus *cum charitate:* quemadmodum & legitur in textu Ambros. & apud Augustinum *de gratia & lib. arbit. cap.* 17. quamquam significantius est *ex charitate*, vel uti vertit Hentenius; *per charitatem*. Non enim satis est Apostolo, si in charitate constituti & charitatem habentes, eaque salva agamus quidquid agimus (sic enim multa mala fiunt à nobis, ea nimirum quæ charitatem non excludunt) sed mens ejus est, ut ex dictamine & imperio charitatis omnia faciamus. Nam *quia charitas*, ait S. Thomas 2. 2. qu. 23. art. 4. ad 2. *habet pro objecto finem ultimum humanæ vitæ, scilicet beatitudinem æternam: ideò extendit se ad actus totius humanæ vitæ per modum imperii*: ac proinde iis actibus qui non charitate fiunt, *deest debita ordinatio ad ultimum finem*: ut dicitur *eadem quæst. art.* 7. *ad* 2. Quapropter Augustinus Enchiridii cap. 121. *Quod ita fit*, inquit, *ut non referatur ad charitatem* (id est, ad charitatis objectum & finem) *nondum fit quemadmodum oportet fieri: quamvis fieri videatur.*

In charitate, id est, ex imperio charitatis omnia facienda.

Notanda Augustini sententia.

Dubitatio circa præceptum hoc Apostoli.

At verò difficultatem habet hoc tam generale præceptum Apostoli. Nam ex eo consequens apparet, omnium eorum qui charitatem non habent, opera aut esse peccata aut peccato maculata: ut quibus desit quod hîc præcipitur, *in charitate* fieri. Quare non solùm infideles, verùm quoscumque peccatores, imò & catechumenos nondum renatos, & pœnitentes nondum reconciliatos, in omni opere peccare, fatendum erit. Quod absurdum est, & tam scripturis quam patrum definitionibus contrarium.

Refelluntur qui negant esse præceptum.

Nonnulli quo difficultatem effugiant, Apostoli verba accipiunt ut exhortantis tantùm, sive, quomodo Cajetanus loquitur, excitantis, non autem ut præcipientis. Sed ea profectò nimis laxa est interpretatio tam insignis sententiæ: nec conveniens cum præcedentibus, *Vigilate, state*, &c. quæ utique præcepti sunt; deinde nec accommoda scopo quem intendit Apostolus. Respicit enim ad dissidia, contentiones & æmulationes subortas in ecclesia Corinthiorum, partim propter magistros, de quo *cap.* 1. *&* 3. partim occasione charismatum, de quibus *capit.* 12. 13. & 14. Quæ mala præsenti exhortatione vult sanare: quod parum efficaciter fiat, si id ad quod exhortatur, non sit præcepti, sed consilii tantùm.

Quare plerique expositores tam Græci quàm Latini locum hunc ita tractant, ac si Paulus hîc aliquid magnum & necessarium præcipiat. Et quidem Aquinas sic interpretatur, *Omnia vestra in charitate fiant*, id est, *omnia debent referri ad finem charitatis*. Unde & hanc vocat *debitam ordinationem ad finem ultimum*, loco suprà citato. Quod & Augustinum velle, manifestum est, cùm dicit, verbis *ex Enchiridio* recitatis, id non fieri *quemadmodum oportet fieri*, quod ita fit ut ad charitatem non referatur. Idipsum significat in *libro de gratia & liber. arbit.* (qui locus etiam à Beda refertur) dicens Apostolum hac sententia *satis ostendere, etiam ipsas correptiones, quas asperas & amaras sentiunt qui corripiuntur, cum charitate esse faciendas*. Hinc est illa generalis oratio ecclesiæ, qua petimus ut Deum *in omnibus & super omnia* diligamus; tamquam utrumque Deo debeamus, ut super omnia, sic & in omnibus eum diligere. Sanè si in præcepto est illud, *Omnia in gloriam Dei facite*, suprà cap. 10. ut illic ostendimus: cur non & istud? cum ad Dei gloriam nemo quid faciat, nisi quia Deum diligit.

Deus in omnibus & super omnia diligendus.

Ut igitur hujus Apostolici præcepti sensum explicemus, primùm illud arbitror constare, charitatem hîc non ita specialiter accipi, quomodo ferè scholastici usurpant, id est, pro habitu diligendi Deum infuso divinitus, quo qui diligunt, filii Dei sunt & regni ejus heredes: (nam ante ejusmodi doni perceptionem pœnitentes & cathecumeni multa benè & ad salutem utiliter operantur) sed generaliùs sumendam, pro affectu recti, sinceri & Christiani amoris, quo vel Deus propter se, vel proximus propter Deum diligitur. Qua generali significatione charitas accipitur cum alibi, tum suprà *cap.* 13. quemadmodum illic ostendimus. Et utique eam hoc loco charitatem Corinthiis præcipit, quam dudum iisdem tantopere commendaverat.

Charitas pro affectu Christiani amoris.

Ex quo sicut eorum refellitur commentarius qui restringunt Apostoli sententiam ad eam charitatem, sine qua non sunt opera vitæ æternæ meritoria, ut intellexisse videntur Liranus & Rickelius: sic & aliorum, qui charitatem generaliter hîc interpretantur amorem benevolentiæ, qualis etiam infidelibus competere potest; quasi sensus sit: Omnia quæ agimus, agere nos debere ex amore sincero & ordinato secundùm dictamen rationis rectæ. Nam ut illi strictiùs æquo: sic isti justo generaliùs Apostoli præceptum exponunt; non attendentes quæ sit illa charitas, quam ut Christianis propriam Evangelicæ & Apostolicæ literæ nobis prædicant.

Nec tamen ideò consequens erit, infideles in omni opere peccare, quòd eam charitatem non præstent. Etenim, uti dicebamus ad illud hujus epistol. cap. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*: ea præcepta quæ sunt ordinis supernaturalis ac legis peculiariter Christianæ, eos solos & omnes obligant, quibus annunciata fuit lex Christi. Quibus autem nihil de Christo innotuit, ii præceptis ejusmodi non tenentur. Tale est autem & hoc charitatis præceptum: adversus quod proinde non peccant, qui de Christo nihil audiverunt: tametsi non est dubium peccare eos in legem naturæ, quoties quid agunt ex amore non recto.

Solvitur objectio de infidelibus.

Cæterùm malos Christianos aliquid agere ex charitate juxta sensum præcepti, nihil prohibet: veluti dum propter Deum fide cognitum eleemosynam indigenti largiuntur: ita Deum ut finem spectantes, ut in illo opere nihil Deo aut anteponant aut æquent. Neque enim peccatum, cujus servi sunt, in omnibus eorum actionibus sese exserit. Illud demum admoneo, tam affectum quàm imperium charitatis hîc intelligi debere vel actuale, vel saltem virtuale: prout in similibus alibi declaramus: ut in illis, *Omnia in gloriam Dei facite*, suprà cap. 10. &, *Omnia in nomine Domini Jesu Christi*, Col. 3. Quæ loca cum isto conferenda sunt.

Mali Christiani an ex charitate quid agant.

Actu aut virtute omnia ex charitate agenda.

15. OBSECRO AUTEM VOS FRATRES. *Obsecro*, Græcè παρακαλῶ, quod etiam significat *exhortor*. Et ita vertit interpres Theophylacti. Certè utraque significatio præsenti loco convenit. Quid obsecret aut hortetur, post paululum dicet, quibusdam per hyperbaton interjectis.

NOSTIS DOMUM STEPHANÆ ET FORTUNATI ET ACHAICI: QUONIAM SUNT PRIMITIÆ ACHAIÆ. In multis codicibus & antiquis concordantiis non additur *& Achaici*. Primasius quoque & Haimo & Hervæus non legerunt. Cæterùm in Græcis, Syra versione consentiente, solùm habetur *Stephanæ* nomen. Et Theophyl. apertè significat solùm Stephanam hîc nominari: ut verisimile sit reliqua duo nomina huc adscripta esse ex sequentibus: ubi tria hæc nomina leguntur eodem ordine in omnibus codicibus. Adde quod una eademque domus, id est, familia, non fuit trium dominorum. Unam autem domum ab Apostolo designari, probat subsequens verbum singularis numeri, ἐστι, *est*: licet inter-

pres id maluerit pluraliter reddere propter plurale nomen *primitiæ*. Stephanam viri nomen esse, docuimus suprà cap. 1. ad illa verba, *Baptizavi autem & Stephanæ domum*. Benè nostis, inquit Apostolus, Stephanæ familiam quæ apud vos est: nempe eam esse totius Achaiæ primitias, id est, primos qui ex Achaia crediderunt in Christum, tamquam primos fructus Evangelij in Achaia seminati.

Stephanæ domus primitiæ Achaiæ.

Eodem sensu vocat Epænetum primitivum, seu primitias Asiæ, *Rom.* 16. Existimat Erasmus Græcum οἴδατε *nostis*, posse etiam verti *noveritis*, hortativè: *ut jubeat agnosci benè meritos: maximè quia paulò pòst de iisdem loquens, Cognoscite ergo, inquit, hujusmodi.* Verùm præterquam quod contextus ægrè sensum hunc admittat, non vidit Erasmus discrimen inter οἴδατε & γινώσκετε: quorum prius simplicem notitiam ferè tantùm significat: alterum verò frequenter usurpatur in scripturis ad significandam notitiam affectivam, quam vocant: cujus compositum est ἐπιγινώσκετε, *agnoscite*, de quo infrà. Discrimen hoc observare est passim in *epistol. prima*, Joannis Apostoli.

ET IN MINISTERIUM SANCTORUM ORDINAVERUNT SEIPSOS. *Sanctorum* Græcè, τοῖς ἁγίοις, *sanctis*. Estque repetendum ex parte præcedenti, ὅτι, *quod*. Non sentit autem Apostolus, istos de quibus loquitur, ordinasse aut ingessisse semetipsos ad functionem aliquam Ecclesiasticam; quod illicitum est, & hæreticis solemne, qui ad verbi ministerium proprij spiritus instinctu prosiliunt, non expectata missione & ordinatione legitima; contra scripturam, *Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* Hebr. 5. Verum *sensus est*: Nostis etiam quod ultrò charitate urgente exhibuerunt & addixerunt sese ad ministrandum sanctis, id est, ad exercendam hospitalitatem & benficentiam erga fideles peregrinos, ac pauperes; eos maximè qui in opere Domini versantur. Sermo pluralis ἔταξαν ἑαυτοὺς *ordinaverunt seipsos*, refertur ad domum Stephanæ, quæ est collectiva multorum. Ministerium pro submistratione rerum necessariarum, frequentatum ab Apostolo; ac de eo plura in 2. *epist. cap.* 8. & 9. Vide etiam quæ diximus ad illud Rom. 15. *Nunc proficiscar in Jerusalem, ministrare sanctis.*

Quid ministerium hoc loco.

16. UT ET VOS SUBDITI SITIS EJUSMODI. *Subditi sitis*, Græcè ὑποτάσησθε. In quo allusio est ad verbum ἔταξαν, *ordinaverunt*, ac si dicat; *Ut & vos subordinati sitis talibus.* Huc referendum id quod dixerat, *Obsecro vos.* Et sensus est; Hortor & obsecro vos, ut iis qui tales sunt vos submittatis, honorem deferendo, & eorum consilia ac monita libenter audiendo. Significatur enim subjectio non legalis, quam episcopis debemus; sed moralis, qua reverentes & obsequentes nos præbemus iis qui virtute præstant magisque spirituales sunt: uti benè Cajetanus annotat.

Subjectio moralis quibus debita.

ET OMNI COOPERANTI ET LABORANTI. Id est, non solùm illis subditi sitis, sed & omnibus quicumque vel cum illis vel mecum rem Evangelicam adjuvant, nostrique laboris participes sunt. Tales enim præ aliis digni sunt honore. Quo fiet etiam, ut quemadmodum ait Theophyl. laborem (addo & sumptum) libentiùs ferant.

17. GAUDEO AUTEM IN PRÆSENTIA STEPHANÆ ET FORTUNATI ET ACHAICI. *In præsentia*, Græcè ἐπὶ τῇ παρουσίᾳ. Quod etiam verti potuit, & quidem commodiùs, *in adventu*, vel *de adventu*. Nam hi tres viri Corintho Ephesum advenerant Pauli visendi gratia, ac studio communis utilitatis Corinthiorum. Quorum adventum declarat sibi gratum fuisse. Fortunatus & Achaicus qui fuerint, cùm eorum alibi mentio non fiat, ignoratur.

QUONIAM ID QUOD VOBIS DEERAT, IPSI SUPPLEVERUNT. Græcè: ὅτι τὸ ὑμῶν ὑστέρημα ἀνεπλήρωσαν. Id est, ad verbũ, *Quia vestri defectum hi repleverunt.* Erasmus & Hentenius verterunt, *Quia id quod mihi deerat vestri, hi suppleverunt.* Alij: *Id quod deerat ex vobis, ex parte vestra.* Sensus autem esse videtur: Nam hi præsentes suppleverunt officio suo vestrûm omnium præsentiam, mihi alioqui desideratam, & ut exponunt Theophylact. & Oecumen. *pro omnibus vobis venerunt.* Siquidem retulerant isti ad Apostolum, non solùm dissensiones quæ apud Corinthios erant; de quibus jam antè significatum ipsi erat per domesticos Chloës, suprà cap. 1. verùm etiam quæstiones ac dubitationes apud illos exortas, ad quas hac epistola respondit. Prolixius autem hoc eis commendat: ne, quod eorum vitia fortè detulissent, infensiore sint in eos animo. Stapulensis in Græco legit τὸ ὑστερημάτων. Vertit autem hunc locum: *Quoniam indigentiam meam suppleverunt*: quasi per hoc insinuet sese Paulus Corinthiis, ut ipsius indigentiæ succurrant. Sed hoc quàm sit alienum à mente Pauli, cui jam decretum erat à Corinthiis nihil subsidij capere; palàm est ex iis quæ scribit hujus *epist. cap.* 9. & *sequentis epist. cap.* 11. & 12. Planè suspicor in eo codice quo Stapulensis usus est, lectionem esse depravatam, mutatione facta ex altero loco, qui est 2. Cor. 11. *Nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres*, &c. Græcè, ὅτι τὸ ὑστέρημά μου.

18. REFECERUNT ENIM ET MEUM SPIRITUM ET VESTRUM. Sensus: Nam refocillaverunt me sua præsentia atque colloquio. Quæ mea refocillatio etiam in vos meritò redundat, qui mei discipuli estis, & de meo bono gaudere debetis: præsertim quod ad vestram pertineat utilitatem. Sic exponunt Græci. Quamquam & hoc modo non incommodè potest intelligi: Recrearunt meum spiritum; qui idem vester est spiritus: ut proinde in me etiam vos recreati fueritis: ut spiritum suum dicat spiritum ipsorum, conjunctione & vinculo charitatis; quomodo Actor. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*: sicut & dicitur 1. Reg. 18. quod *anima Jonathæ conglutinata fuit animæ David.* Nisi malis sermonem esse civilitatis Christianæ: qualis ille Rom. 16. de Rufo. *Salutate matrem ejus & meam.* Quò invitant Græca quæ conjunctionem non geminant. Alio sensu suprà dixit cap. 5. *Congregatis vobis & meo spiritu.* Dicit autem spiritum, id est, animum seu mentem: ne corporalia subsidia ab illis accepisse putetur, contrà quàm gloriatus fuerat in hac *epist. cap.* 9.

Meum spiritum & vestrum variè exponitur.

Spiritus pro mente.

COGNOSCITE ERGO QUI HUJUSMODI SUNT. Græcè ἐπιγινώσκετε οὖν τοὺς τοιούτους, *Agnoscite igitur eos qui tales sunt*, id est, reveremini, colite eos, honorificè habetote: quod barbari respectare dicunt. Hanc enim vim habere videtur hoc loco, ἐπιγινώσκειν, ut notitia significetur reverentialis: & ita exponunt tam Græci quàm Latini. Simile est illud 1. Thessal. 5. *Rogamus ut noveritis eos qui laborant inter vos*, &c. Quamquam ibi non est ἐπιγινώσκειν, sed εἰδέναι. Sequuntur salutationes, charitatis symbola.

Agnoscere pro notitia reverentiali.

19. SALUTANT VOS ECCLESIÆ ASIÆ. Minorem Asiam intelligit in qua erat Ephesus, ubi scribitur hæc epistola. In quibusdam codicibus additur *omnes*: suffragante etiam Syriaco textu. Sed in Græco non habetur, ut nec in mss. plerisque, nec in antiquis concordantiis. De hoc generali modo salutandi vide quæ diximus ad illud Rom. 16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.*

SALULANT VOS IN DOMINO MULTUM AQUILA ET PRISCILLA. De his quoque egimus exponentes *ultim. cap. epistol. ad Roman.* Morabantur autem Ephesi, quo tempore scripta est hæc epistola. Quod satis etiam liquet ex iis quæ Lucas scribit, *Actor.* 18.

Generalis salutandi modus.

CUM DOMESTICA SUA ECCLESIA. Græcè, *cum ea*

quæ in domo eorum est Ecclesia. Quemadmodum & habet textus Ambros. Hujus item Ecclesiæ mentio fit *Rom. ult.* quo loco diximus, & ampliùs dicturi sumus ad locum similem, *Colos.* 4. qua ratione familia fidelium quamvis paucorum Ecclesia vocetur in epistolis Paulinis.

Familia fidelium, etsi paucorum, Ecclesia.

APUD QUOS ET HOSPITOR. Legitur hoc etiam in textu Ambros. non tamen exponitur: at neque Græci neque Syriaci codices id habent, nec veteres concordantiæ: denique nec Latini codices meliores & antiquiores. Glossa verò scriptum habet inter lineas. Quod argumento est in textu non fuisse. Quin neque ex *Actis Apostolorum* apparet Paulum Ephesi apud Aquilam & Priscillam hospitatum fuisse, sed Corinthi tantùm.

20. SALUTANT VOS OMNES FRATRES. Id est, fideles, qui circa nos sunt. Græcè & Syriacè *fratres omnes.*

Osculum sanctum.

SALUTATE INVICEM IN OSCULO SANCTO. Hoc est, cum osculo quod sanctos decet, quodque symbolum est sancti & Christiani amoris: ut pleniùs à me explicatum est, *Rom. ult. vers.* 16.

Salutatio manu Pauli.

21. SALUTATIO, MEA MANU PAULI. Subaudi, scripta; hæc est quæ sequitur. Nam *mea* casus est ablativus, jungendus cum *manu.* Quod ex Græco manifestum est. Hæc verba cum iis quæ sequuntur usque ad finem, affirmat Paulus sua manu se scripsisse loco salutationis, qua claudi solet epistola. Nam reliquam epistolam totam ipso dictante scriptam ab alio quopiam fuisse existimandum est. Similem apponit cautionem in calce *epist. ad Col. & 2. ad Thess.* Quo posteriore loco pluribus explicabimus, quænam sit hæc salutatio. Cæterùm hoc præmisso titulo salutationis, priusquam ipsa verba salutis ascribat, per hyperbaton interponit execrationem quamdam in eos qui salute sunt indigni, dicens:

22. SI QUIS NON AMAT DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM, SIT ANATHEMA. Græca legunt absque pronomine *nostrum*, annuente textu Ambros. & Primasij, necnon Hieron. *in epist. ad Marcellam.* Anathema quid significet, expositum est à nobis in commentario epist. *ad Rom. cap. 9. v. 3. & hujus epist. cap. 12. vers. 3.* Nec aliter accipitur *hoc loco*, quantum arbitror: uti nec in *epist. ad Galat. 1. v. 8. & 9.* Neque enim ulla ratio cogit ad diversam acceptionem. Et quidem tum ex *hoc loco*, tum ex illo *epistol. ad Galat.* desumpsit Ecclesia formam edendi canones dogmaticos cum anathematismis: id quod maximè in conciliis episcoporum observari videmus, cùm dicitur: Si quis dixerit aut negaverit hoc aut illud, anathema sit; utique non alia significatione anathematis, quàm ut apud Apostolum accipitur: videlicet pro ea re quæ cum execratione separatur & abjicitur, ut destinata ad extremum exitium: quod in hominibus est æterna damnatio.

Quid anathema.

Anathematismi in Conciliis.

Non sunt igitur hæc verba Pauli excommunicantis: quomodo *suprà cap. 5.* excommunicandum judicavit incestuosum illum, id est, Sathanæ tradendum, ut spiritus salvus esset in die Domini; sed verba sunt execrantis, & æternum interitum denunciantis iis qui Christum Dominum non amant. Quod intellige, nisi resipiscant. Amant autem Christum, non solùm qui justi sunt: verùm etiam ante perceptam justificationis gratiam boni catechumeni, & omnes verè pœnitentes: quibus proinde ab hoc Apostoli anathemate non est metuendum. Imò Christum amant omnes fideles, quotquot erga Christum & religionem Christianam benè sunt affecti; etiamsi multi eorum malè vivant. Neque enim omnis peccator usque adeò malus est, ut Deum aut Christum oderit, aut omninò non amet. Hæc quippe malitia paucorum est, eademque valde detestabilis. At verò multi sunt inter fideles, qui non super omnia Deum ament amore, quod dicit solet, efficaci; quo scilicet in suis actionibus Dei voluntatem omnibus aliis rebus anteponant: quemadmodum & filius non ideò patrem aut odisse dicitur, aut non amare, quia jussis ejus non obtemperat: dum alioqui patri benè velit, ejusque felicitatem optet ex animo.

Chriſtum amare qui dicantur.

Non omnis peccator Deum odit.

Amor efficax Dei super omnia.

Igitur anathema Pauli eos solos respicere videtur, qui cum inter fideles numerentur, tamen Jesum Christum cujus nomine & religione censentur, non amant. Quales fortè erant inter Corinthios, qui sæculari sapientia philosophorum imbuti, Christum ejusque doctrinam velut abjectam & humilem aspernari jam cœperant. Adversus quos egit Apostolus primis paginis hujus epistolæ: vehementiùs acturus in *secunda cap.* 11. Sanè B. Thom. sensum hunc indicat in commentario, dum sic exponit: *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, id est, fidem Christi: & isti* inquit, *sunt hæretici.* Adjuvat hunc intellectum, quod Græcè non est ἀγαπᾶ, quod usu scripturæ est charitate diligere: sed φιλεῖ, quod etiam apud profanos authores minus est quàm ἀγαπᾶν, tametsi contrà Ciceroni plus est amare quàm diligere.

Anathema Pauli quos respiciat, opiniones.

Liranus sensu non improbando dictum Apostoli speciatim refert ad Judæos negantes Dominum, id est, Messiam venisse, & Jesum quem Apostoli Messiam ac Dominum prædicabant odio persequentes, atque anathema dicentes: ut suprà capite 12. quibus vicissim meritissimè dicitur anathema. Legimus in epistola *Petr. 2. cap. 2.* quosdam *eum qui emit eos Dominum negantes*: ac rursus in epistola Judæ, *solum dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum negantes.* Qui & ipsi ex Judæis erant, sed Christo nomen dederant. At quoniam illæ epistolæ multò posteriùs scriptæ sunt, verisimile est diversos ab istis esse, contra quos illic agitur: licet eodem dignos anathemate.

Utrum majus, amare, an diligere.

Porrò Græci interpretes amorem Christi intelligunt in observatione præceptorum ejus. Itaque generaliter hoc anathemate percelli ac terreri volunt omnes illos, quos Apostolus ob gravia peccata hac epistola castigavit: ut schismatum authores, fornicarios, idolothyta cum fratrum offendiculo comedentes, sacra mysteria indignè participantes, resurrectionem mortuorum non credentes: quibus utique cunctis imminet certus interitus, nisi pœnitentiam agant.

MARAN ATHA. De hac voce consultus Hieron. ita scribit ad Marcellam epist. 137. מראן אתא *maran atha magis Syrum est quàm Hebraicum; tametsi ex confinio utrarumque linguarum aliquid & Hebraicum sonet, & interpretetur, Dominus noster venit.* Hoc idem iisdem verbis, utique ex Hieronymo desumptis, annotavit Pelagius; nec non verbis paululum diversis Ambrosiaster. Hieronymo facilè accedunt Hebræi recentiores, juxta quos מרא *mara* Caldaicum nomen est, significans idem quod Dominus: & אתא vel אתה *atha* similiter Caldaicum, significans *venit.* Fit autem oratio Caldaica מרנא אתא *marana atha*, *Dominus noster venit*: Pro qua contractè, velut una voce dicebatur, *maranatha.* Vocantur autem voces Syriacæ, quod earum usum Judæi è Caldæa reversi, in Syriam attulerunt. Reperitur מרא *mara*, dominum significans apud Danielem, *cap. 4. vers. 16. & 21. & cap. 5. vers. 23.* item אתה *atha venit, Deut. 33. vers. 2. & 16.*

Quid Paulo maran atha.

Cum autem *venit* in hac interpretatione præteriti sit temporis, Græcis etiam id exponentibus verbo ἦλθε; sequitur haud multum probabilem esse eorum commentarium, qui *maran atha* de futuro adventu Domini ad judicium interpretantur, & præcedentibus annectunt, hoc sensu: Si quis Christum non amat, sit anathema; id est, æterno tradatur exitio in die quo Dominus veniet ad judicium: quamvis alioqui sensus ille videatur satis convenire cum ultimis

Utrum significetur adventus Domini præteritus an futurus.

Malachiæ prophetæ verbis, quibus extremum judicium peccatoribus ex perſona Domini comminatur, dicentis; *Ne fortè veniam & percutiam terram anathemate.* Quò reſpicit etiam interpretatio quæ eſt apud Auguſtinum in altercatione cum Paſcentio ſub titulo *epiſt.* 178. referentem *maran atha* definiri *donec Dominus redeat.*

Verùm, quia verbi tempus obſtat huic ſenſui, niſi quis dicat præteritum poſitum loco futuri, meliùs exponitur de primo Chriſti adventu: quæ etiam plurium ſententia eſt; ut poſt illud, *Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum*, propterea ſubjungat Apoſtolus *maram atha*, *Dominus noſter venit*: quod, uti ſcribit Hieronymus, *ſuperfluum ſit adverſus eum odiis pertinacibus velle contendere, quem veniſſe jam conſtet.* Quod quidem rurſus videri poteſt, propriè propter Judæos, tamquam pertinaces oſores Jeſu-Chriſti, dictum eſſe: & ad hoc inſinuandum, verbis ex Judæorum lingua ſumptis Apoſtolum uti voluiſſe.

Quidam verò opinantur *maran atha* perinde ut *anathema*, velut quaſdam execrandi formulas, in uſu fuiſſe apud Judæos, partim Græcè, partim Syriacè loquentes; ideoque conjunctim poſitas ab Apoſtolo, ſicut alibi conjungit, *Abba Pater*, Rom. 8. Galat. 4. Sed hoc de *Maran atha*, tantùm conjectura eſt.

Narratio de Maranis.

Cæterùm legi apud quemdam hujus ſæculi ſcriptorem hoc quod refero, quodque pro recepta facit interpretatione: Cùm olim Judæi Meſſiam ſibi promiſſum expectarent, paſſim in ore habebant hanc vocem *Maran*, id eſt, *Dominus noſter.* Qui verò ex ea gente credebant in Jeſum Chriſtum, certi eum jam veniſſe, dicebant illis; *Maran atha*, *Dominus noſter venit.* Quod cùm illi pertinaciter negare non deſiſterent, factum tandem ut eorum offenſi pertinacia Judæi Chriſtiani, Maranos ſeu Maranitas illos appellarent: tamquam ſectæ nomine, quod ſuum *maran* ſemper inculcarent, non recipientes *maran atha.* Hinc primùm apud Paleſtinos increbuiſſe nomen Maranorum: quod deinceps uſurpatum fuerit ab aliis Chriſtianis: præſertim ab Hiſpanis, appellantibus eo nomine Judæos & Arabes, ſeu Mauros, qui à fide Chriſtiana (ad quam ab antiquis regibus aliquando fuerant adducti) poſterioribus ſæculis defecerunt, ad vomitum reverſi priſtinorum errorum,

Sed de hac narratione judicium eſto penes lectorem: ut & de iis quæ Paulus Burgenſis, rejecta S. Hieronymi & aliorum interpretatione, huc adfert ex traditionibus Thalmudicis, mihi certè parum probata.

23. GRATIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI VOBISCUM. *Noſtri* non additur in Græco, nec apud Primaſium. Contrà, textus Ambroſ. ſic habet: *Gratia Domini noſtri vobiſcum.* Eſt autem hæc ſalutatio quam dixit manu ſua ſe ſubſcribere; quam eamdem ſubſcribit omnibus ſuis epiſtolis: qua nimirum omne bonum ſalutare precatur à Deo per Chriſtum iis ad quos ſcribit: quia, ut ait S. Thom. *in gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, continetur omne bonum.* Vocatur autem omne ejuſmodi bonum, gratia; quia gratuitum Dei donum eſt.

In Gratia Chriſti continetur omne bonum.

24. CHARITAS MEA CUM OMNIBUS VOBIS IN CHRISTO JESU, AMEN. Quidam enunciativè exponunt, ſubaudito verbo *eſt*, ut Chryſoſtomus & Theophylactus. Ita *ſenſus eſt*: Ego vos omnes diligo in Chriſto Jeſu; & ex ea dilectione gratiam ejus vobis exopto. *Alii* ſupplent verbum *ſit*; ut in parte præcedenti: facientes hunc ſenſum: Opto meam charitatem qua vos diligo, eſſe & permanere cum omnibus vobis. Quod quidem fiet, ſi vos in fide & dilectione Chriſti permanſeritis.

Poteſt etiam *charitas mea* paſſivè exponi, id eſt, *charitas mei*, ſicut eſt in Græco; qua ſcilicet à vobis diligor, ut *ſenſus ſit*; Sicut ego vos diligo; ita cupio me viciſſim à vobis diligi in Chriſto, hoc eſt, ſincera & Chriſtiana dilectione. Nam de eo quòd minùs à Corinthiis diligeretur, ipſe cum eis expoſtulat in 2. *epiſt. cap.* 12. *verſ.* 15.

Denique nonnulla ſuſpicio eſt Apoſtolum ſcripſiſſe, *charitas Dei*: quod in Græco ἡ ἀγάπη μου & ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ non multùm differant: & in fine ſecundæ epiſtolæ ita ſcriptum legatur, *Charitas Dei in omnibus vobis.* In Græcis codicibus huic epiſtolæ ſubſcribitur, eam è Philippis miſſam eſſe, ſed id falſum oſtendimus in *argum. epiſt.* Græcos quoque interpretes nobiſcum ſentire, nempe quod Epheſi ſcripta ſit, ſuprà docui ad illud, *Permanebo autem Epheſi.* Quod autem iidem Græci codices addunt miſſam eſſe per Stephanam & Fortunatum & Achaicum & Timothæum; de tribus prioribus verum fatemur; de Timothæo non item. Nam abſentem Paulo fuiſſe quando ſcripta eſt hæc epiſtola, ſatis oſtendunt quæ de eo ſcribuntur *hoc eodem cap. v.* 10. *&c.* 4. v. 7. Imò Theodoritus Græcus iſtud ex profeſſo refellit ſuperiùs, ubi de reliquiis tribus mentio facta eſt. Neque Cajetanus ampliùs quam trium ex Græca ſubſcriptione meminit, omiſſo Timotheo: quamvis *initio comment. in* 2. *epiſt.* annotet aliquos codices Timotheum adjungere.

Ubi ſcripta hæc epiſtola.

Per quos miſſa.

Finis prioris epiſtolæ ad Corinthios.

IN EPISTOLAM SECUNDAM B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

PAULO Apoſtolo ſuum ad Corinthios adventum quem promiſerat, graves ob cauſas differente diutiùs, quàm vel illi ſperarent, vel ipſe ſtatuiſſet: intereà temporis quidam ex circumciſione Pſeudapoſtoli, quibus ſtudium erat Evangelio legem Moſaicam admiſcere, & ex Evangelio quæſtum facere; Paulo abſente liberiùs apud Corinthios ſe ſuamque doctrinam inſinuaverant, non ſine ambi-

tione, Paulique eorum Apoſtoli contemptu, cujus & doctrinæ & perſonæ detrahebant. Porrò ea de quibus in priore epiſtola Corinthios admonuerat, partim jam erant correcta, partim non erant. Nam forniçarius quidem ille famoſus, excommunicationis ignominia ad pœnitentiam erat adductus: Verùm alia quædam Gentilitatis ac veteris hominis vitia adhuc apud eos reſidebant. Sed & de collecta facienda in fratres pauperes Hieroſolymæ degentes, necdum Apoſtoli præſcripto ſatisfactum erat.

Quibus intellectis, cùm ſtatim ad eos accurrere non poſſet, hanc ſecundam ſcripſit epiſtolam: in qua *primùm* commemoratis afflictionibus in quas inciderat, excuſat ſeſe, cauſamque reddit cur juxta promiſſum non venerit. *Deinde* fornicarium jubet in gratiam recipi, condonatione punitionis reliquæ. *Tertiò*, munus ſuum Apoſtolicum ex comparatione legis Evangelicæ cum lege Moſaica, commendat & extollit: obiter taxans Pſeudapoſtolorum hypocryſin, ſuamque in Evangelio prædicando ſinceritatem aſſerens. *Quartò*, ſubnectit exhortationem; qua monet ut vitam ducant Chriſtiana profeſſione dignam, atque infidelium mores & ſocietatem vitent. *Quintò*, conſolatur eos, ac docet quantam ceperint utilitatem ex triſtitia quam eis perperat objurgatio prioris epiſtolæ. *Sextò* provocat eos exemplo Macedonum ad largam pecuniæ collationem in pauperes Hieroſolymitanos; additis & aliis argumentis quibus id perſuadeat. *Septimò*, rurſus ſuum commendans ac ſtabiliens miniſterium, apertiùs jam invehitur in Pſeudapoſtolos ac ſuis eos coloribus depingit. Et quoniam illi magnis titulis ſeſe venditabant apud ſimpliciores: ipſe contrà de ſe recenſet, ea, propter quæ multò juſtiùs adverſus illos poſſit gloriari. *Poſtremò* Corinthios monet, ut vitia quibus adhuc erant inquinati, corrigant: taleſque ſeſe præſtent, quales ab ipſo cum poteſtate venturo velint inveniri.

Cæterùm Epiſtolæ ſtatus in quo præcipuè moratur, eſt Apoſtolatus ac perſonæ ſuæ defenſio contra Pſeudapoſtolos. Quo loco fuerit ſcripta, non conſtat. Summarium epiſtolæ Latinis codicibus præfixum loquitur è Troade miſſam, cujus fit mentio, *cap.* 2. Græcorum hypographe Philippos Macedoniæ nominat. Utriuſque loci meminit Lucas *Actor.* 20. ubi ea Pauli profectio deſcribitur, in qua valde probabile eſt eum hanc epiſtolam ſcripſſe. Verùm è Troade miſſam dici non poteſt. Jam enim inde Paulus diſceſſerat in Macedoniam, ut ipſe teſtatur, *cap.* 2. *v.* 12. *&* 13.

Quare veriſimiliùs eſt vel in Macedonia ſcriptam eſſe, vel ut exiſtimat Card. Boronius, in urbe Nicopoli, poſt reditum Pauli è Macedonia. Nam illic hiematurum ſe ſcribit *ad Titum. 3.* Eſt autem Nicopolis in Epiro ſita, Græciæ vicina. Per quem aut per quos miſſa ſit epiſtola, ſatis apertè ex *eodem octavo capite* colligitur: nempe per Titum miſſam eſſe, perque duos alios quos unà cum Tito mittere ſe dicit, tacitis eorum nominibus. Nec diverſum tradunt annotationes Latinorum & Græcorum. Nec rationem video cur de Tito quidam neotericorum diſſentiant: qui mihi videntur parùm attentè conſideraſſe ea quæ Paulus ſcribit *loco memorato* de legatis à ſe miſſis Corinthum, cauſa collectæ quam indixerat maturandæ. Nam de priore Titi ad Corinthios adventu ut id intelligatur, ſeries ſermonis, ac res ipſa de qua agit, omninò non patitur. Scriptam verò etiam hanc epiſtolam ante eam quæ eſt ad Romanos, ex eo liquet, quod in hac urgetur adhuc negotium faciendæ collectæ: quam factam & paratam ut à ſe perferatur Hieroſolymam, ad Romanos ſcribens ſignificat.

EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, cum omnibus ſanctis, qui ſunt in univerſa Achaia. 2. Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto. 3. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. 4. qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipſi à Deo. 5. Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. 6. Sive autem tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute, ſive conſolamur pro veſtra conſolatione, ſive exhortamur pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerantiam earumdem paſſionum, quas & nos patimur: 7. Ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis: ſcientes quod ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis. 8. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. 9. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos: 10. qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet. 11. Adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis: ut ex multorum perſonis, ejus quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. 12. Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei, converſati ſumus in hoc mundo: abundantiùs autem ad vos. 13. Non enim alia ſcribimus vobis, quam quæ legiſtis, & cognoviſtis. Spero autem, quod uſque in finem cognoſcetis. 14. Sicut & cognoviſtis nos ex parte, quod gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die Domini noſtri Jeſu Chriſti. 15. Et hac confidentia volui priùs venire ad vos, ut ſecundam gratiam haberetis: 16. Et per vos tranſire in Macedoniam, & iterùm Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Judæam. 17. Cum ergo hoc voluiſſem, numquid levitate uſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundùm carnem cogito, ut ſit apud me EST & NON? 18. Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo EST & NON. 19. Dei enim Filius Jeſus Chriſtus, qui vobis per nos prædicatus eſt, per me, & Silvanum, & Timotheum non fuit EST & NON, ſed EST in illo fuit. 20. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo EST: ideò & per ipſum Amen Deo ad gloriam noſtram. 21. Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus: 22. Qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris. 23. Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam, quòd parcens vobis, non veni ultra Corinthum: non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudij veſtri: nam fide ſtatis.

Epheſ. 1. *a c.* 1. *Pet.* 1. *a* 3.

SUMMA-

SUMMARIUM.

OStendit Apostolus tam afflictiones suas, cujusmodi passus fuerat in Asia, quàm consolationem à Deo super iis acceptam, cedere in Corinthiorum solatium ac salutem. Conscientiæ & conversationis suæ sinceritatem eis declarat. Deinde se excusat quod prout statuerat, nondum venisset: asserens firmam nihilominus permanere Evangelii à se prædicati veritatem.

PAulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei. Idem initium cum eo quod erat prioris epistolæ: nisi quod hîc non additur epitheton *vocatus*. Explicationem require ex illius loci commentario, simul ex iis quæ commentati sumus in *epist. ad Rom.*

Et Timotheus frater. Timotheus, ut *ex epist. priore cap. 4. & ult.* constat, à Paulo Corinthum missus fuerat hac potissimùm causa, ut fideles illic in doctrina quam à Paulo acceperant, confirmaret. Timotheus Pauli legatus ad Corinthios. Quo perfunctus officio & ad Paulum reversus, retulerat de eorum statu atque profectu, nec non de Pseudapostolis; propter quos scripserat Paulus, *Videte ut sine timore sit apud vos*, 1. Cor. 16. Hunc ergo tamquam suum ad Corinthios legatum, deque iis benè meritum, honorat adjuncto ejus nomine in fronte epistolæ quâ ad illos scribit. Qua ratione Paulus Timotheum fratrem vocet. Fratrem verò nominat, non tam propter fidei communionem, qua ratione omnes Christiani inter se fratres erant & dicebantur: quàm propter dignitatem ministerii Evangelici, in quo eum socium agnoscebat & quasi coapostolum: licet ipse multis alioqui nominibus superior: haud dissimili ratione qua Romanus Pontifex omnes episcopos appellat fratres. Hanc enim comparationem adhibet S. Thom.

Porrò non hîc solùm, sed & in aliarum aliquot epistolarum initio similes ob causas Timothei nomen adjungit suo; ut ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem, & in utraque ad Thessalonicenses. Quod cum honoris causa faciat, simul ut significet Timotheum eadem secum in his quæ scribit, sentire: non est tamen ut quis suspicetur Paulum in componendis epistolis à Timotheo fuisse adjutum; nihilo magis quàm in epistola ad Galatas, ab illis quos sibi in salutatione consociat, dicens, *Et qui mecum sunt omnes fratres.* Paulus solus author suarum epistolarum.

Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia. Græcè, *In tota Achaia*: Subaudi, scribunt quæ sequuntur. Nam quia Corinthus Achaiæ metropolis erat, ad quam cæteri ejusdem provinciæ confluebant; vult Apostolus epistolam totius Achaiæ fratribus communicari: maximè quod verisimile sit iisdem ferè monitis ac remediis omnes indiguisse. Cur fideles sanctos vocet. Sanctos autem vocat, quia sanctæ erant eorum Ecclesiæ, tametsi non singuli sancti. Vide quæ dicta sunt *ad Rom. 1. vers. 7.*

2. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Subaudi, multiplicetur. Salutatio verè Apostolica: quæ totidem verbis habetur in duabus epistolis præcedentibus, & repetitur in omnibus penè sequentibus. Salutatio Apostolica. Ejus expositionem pete è *comment. epist. ad Rom.* Hactenus epigraphe nominis cum salutatione. Sequitur exordium ipsius epistolæ.

3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu-Christi. Benedictio in scripturis ad Deum relata laudem significat, quia nimirum bona de Deo prædicantur. Benedictio laudis. Itaque sensus est: Benedictus sit Deus, id est, laudetur à nobis Deus propter opera suæ bonitatis erga nos exhibitæ. Porrò genitivus *Domini nostri Jesu-Christi*, licet accipi possit ut & Deum & Patrem respiciat, (est enim Deus hominis, Pater Verbi, & ad Deum refert Tertull. *lib. 5. contra Marc. cap. 11.* citans hoc tantum modo: *Benedictus Deus Domini nostri Jesu Christi*) convenientiùs tamen ad Patrem solummodò refertur: ut post illud, *Benedictus Deus*, hypostigma figatur; uti faciendum monent post Theodoritum, Theophyl. & Oecumen. Deus Christi, Deus & Pater.

Pater misericordiarum et Deus totius consolationis. Græcè πάσης παρακλήσεως, *omnis consolationis*: sicut & legitur in textu Ambr. & apud Hieron. *in comment. Isaiæ 40.* ubi versus aliquot hujus loci recitat. Incipit Apostolus explicare laudis divinæ materiam: & *sensus est.* Qui idem Deus ac Jesu Christi Pater, etiam *Pater est misericordiarum*, quatenus tamquam benignus parens multiplicia misericordiæ ac beneficentiæ suæ dona in homines effundit: *Et Deus author omnis consolationis*, quia non levem & modicam, sed perfectam consolationem afflictis fidelibus & amicis suis impertitur. Phrasis Apostolica, quæ & in Psalmis ac Prophetis usitata, vocare *Deum patientiæ, solatii, spei, pacis*, quòd sit horum author, *Rom. 15. & alibi.* Deus Pater misericordiarum & Deus consolationis, quo sensu.

Innuit autem priori membro, Deum qui pater est Jesu Christi per naturam, nostrum esse Patrem per misericordiam. Vel certè, Patrem misericordiarum Hebræa phrasi dicit Patrem valde multumque misericordem & beneficum. Nam quod Cajetanus imaginatur Deum vocari Patrem misericordiarum tamquam ab ipso genitarum per ejus voluntatem: quo nimirum sensu dicatur etiam *pluviæ pater*, Job. 38. speculatio mihi videtur à mente Pauli aliena. Posterior pars ostendit etiam Patrem vocari posse paracletum, id est, consolatorem. Nam Filium & Spiritum sanctum esse paracletos, ipse Filius apud Joan. *cap. 14.* declarat illis verbis, *Ego rogabo Patrem: & alium paracletum dabit vobis, spiritum veritatis.* Non solùm Filius & Spiritus sanctus, sed & Pater Paracletus.

4. Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. *Nos*, intelligit seipsum, & socios Evangelii ministros. Nam hos, etiam afflictionis socios ac participes habuerat: nisi malis numerum pluralem positum pro singulari. Id enim & in sequentibus hujus capitis observare est. Non rectè quidam participium ὁ παρακαλῶν *consolans*, transtulit verbo præteriti temporis, *qui consolatus est.* Non enim solùm respicit Apostolus ad consolationem præteritam: sed significare vult aliquid perpetuum erga electos; ac si diceret, consolator noster. Etenim proprium est electorum, in æstu tribulationis non relinqui sine refrigerio consolationis divinæ. Electi in afflictione non relinquuntur sine consolatione.

Ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt. Voculam *&* Græca non habent, nec eam legerunt Hieronymus & Primasius: tametsi confert ad sensum: ideoque etiam addita ab interprete Syro. Expressiùs autem è Græco vertunt alii; *In hoc ut possimus nos consolari eos qui sunt in quacumque afflictione.* Quam interpres priùs tribulationem, nunc pressuram vertit: cùm Græcè eadem sit dictio θλῖψις.

Per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo. Potiùs ex Græco vertendum fuit, *Per consolationem qua consolamur ipsi à Deo*: (verbo *consolamur* accepto passivè (quomodo legitur in textu Ambros. Cujus item lectionis vestigia sunt apud Primasium & Sedulium. Nec secus citat Hieronym. Denique suffragatur editio Syriaca. Neque enim in Græco diversa sunt vocabula; sed eadem, quæ noster interpres modò consolationem, & consolari; modò exhortationem, & exhortari, transtulit: nec erat ratio mutandi consolationem in exhortationem: licet alioqui tam verbum quàm verbale nomen utramque significationem habeat. Et quidem ex Hieronymi *citatione* conjicio locum hunc unum esse ex iis quos ille in vulgata versione novi testamenti correxit; sed correctionem hanc Locus ab Hieronymo correctus.

ut alias multas per usum inveteratum veteris editionis excidisse.

Fructus ex consolatione Pauli proveniens.

Sentit Apostolus suam consolationem quam in pressuris acceperat à Deo, non sibi solummodò profuisse: sed & hunc ex ea fructum provenire, quod per illam alios etiam afflictos consolari posset; sive exemplo suo, quod alii intuentes faciliùs admitti sint consolationem: sive quia afflicti & consolati magis idonei sunt, qui fomentum consolationis aliis afflictis adhibeant; adeò ut dicat S. Thomas, *Qui non est consolatus, nescit consolari.* Innuit autem Paulus ad ministros Evangelii inter cætera pertinere etiam consolandi officium; atque ad id aptos reddi, dum & ipsi tribulationibus pressi consolationem à Deo percipiunt.

Nota, ad ministros Evangelii pertinere officium consolandi.

5. QUONIAM SICUT ABUNDANT PASSIONES CHRISTI IN NOBIS. Græcè εἰς ἡμᾶς, *ad nos*, vel *erga nos*. Quamvis & benè habet *in nobis*. Quod & Erasmo placuit. *Sensus*: Quemadmodum passiones & afflictiones quas pro Christo & Evangelio patimur, exuberant in nos, abundant in nobis, &c. Utitur abundantiæ vocabulo propter multitudinem & gravitatem afflictionum quas passus fuerat, & quibus penè obrutus: ut ex sequentibus patebit.

Passiones Christi quæ Paulo dicantur.

Chrysost. eumque secuti Theophyl. & Oecumen. passiones Christi interpretantur, quas Christus patitur in membris suis, quorum unum & præcipuum erat Paulus: qui alibi dicit adimplere se *ea quæ desunt passionum Christi in carne sua*, Coloss. 1. Addunt & illud, Christum in quibusdam membris suis plura pati, quàm fuerit passus in semetipso: idque significari cum dicit Apostolus, passiones Christi in se abundare; id est, ut ajunt, plures ac majores esse quàm in ipsius Christi persona fuerint. Verùm, ut taceam quàm durè sonet hujus expositionis sententia, quamque sit aliena à recepta Theologorum de acerbitate passionum Christi doctrina: certè prior sensus planior atque simplicior est, quem tradunt Latini tam veteres quàm posteriores. Congruit etiam quod sequitur.

An aliquis martyrum plura passus quam Christus.

ITA ET PER CHRISTUM ABUNDAT CONSOLATIO NOSTRA. Conjunctio transposita. Nam Græca sic habent: *Ita per Christum abundat & consolatio nostra.* Quæ eadem Hieronymi lectio est; annuitque textus Syriacus. Ita Christus, inquit, eos qui pro nomine ipsius patiuntur, non relinquit solatio destitutos: sed pro magnitudine passionum etiam consolationis materiam & effectum subministrat. Ut enim Christus nobis est afflictionis occasio; sic idem ipse etiam consolationis est causa; tam efficiens, ut Deus; quàm meritoria, ut homo pro nobis passus: quod genus causæ significari solet hac phrasi, *per Christum.* Videtur autem alludere Paulus ad id quod David canit in Psalm. 93. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Christus consolationis nostræ causa duplici ratione.

6. SIVE AUTEM TRIBULAMUR, PRO VESTRA EXHORTATIONE ET SALUTE. Hic rursus *pro exhortatione* reddi potuit, ac, ni fallor, debuit, *consolatione*: tametsi commentator Ambros. hoc dumtaxat loco exhortationem legit: *Sive autem*, inquit, *angustiam patimur, pro vestri exhortatione & salute.* Græci tractatores utra significatione Græcam dictionem παράκλησιν acceperint, haud omninò liquet. Nam & interpretes eorum variant, aliis exhortationem, aliis consolationem vertentibus. At quia tam superiora quàm sequentia consolandi significationem exigunt; non est verisimile Paulum in hac parte vocabulum idem Græcum diversa significatione posuisse.

Proinde videtur hic esse *sensus*: Sive affligimur: pro vestri consolatione & salute affligimur: quatenus scilicet afflictiones nostræ cedunt in vestri consolationem & salutem. Etenim magna revera consolatio fidelium est in afflictione positorum, cum vident Apostolos, aliosque Evangelii ministros, inter tot afflictiones & persecutiones, invicto constantique animo prædicasse, & plantasse fidem Christi. Nam & ea res animum illis addit, ut & ipsi magistrorum suorum exemplo fortiter ferant adversa, certi eam esse viam ad salutem, eodem Apostolo testante, quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, Act. 14. Hæc Cajetani est expositio, Græcorum commentariis consona: quam & Erasmus sequitur *in paraphrasi.* Confirmatur autem per ea quæ continuò sequuntur juxta Græcam lectionem, de qua paulò pòst agemus.

Apostolorū afflictio, fidelium consolatio, quo sensu.

Nota vim boni exempli in prædicatore & rectore populi.

SIVE CONSOLAMUR, PRO VESTRA CONSOLATIONE; SIVE EXHORTAMUR PRO VESTRA EXHORTATIONE ET SALUTE. Ita multi codices: secundùm quos in universum tria sunt membra totius periodi; primum tribulationis, secundùm consolationis, tertium exhortationis. Verùm præstantiores & antiquiores libri, ii maximè quibus in castigandis bibliis usi fuere Theologi Lovanienses quibus addo veteres concordantias, medium membrum non agnoscunt. Qua de re consule notationes viri doctissimi F. Lucæ. Unde satis apparet veterem interpretem id solum ex Græco in Latinum vertisse, quod alii codices habent tertio loco. Secundum verò membrum, *sive consolamur, pro vestra consolatione*, videtur insertum ex alia quapiam translatione; cùm id quod in Græco est, aliter atque aliter redditum fuisset Latinè: ac fortasse de reliquiis est Hieronymianæ correctionis, qua substitutum fuerit pro altero: sed nimia scribarum diligentia factum, ut nec alterum textui deesset.

Hujus loci membra tria, an duo.

Reliquæ correctionis Hieronymianæ.

Etenim tam Græci codices quàm Syriaci unum dumtaxat membrum hoc loco faciunt: quod quidem ex Græco, propter amphiboliam dictionum, verti poterat utroque modo: cùm Syriaca lectio solam admittat versionem, *Sive consolamur*, &c. Nec ullo modo suspicandum est Græca hic esse diminuta. Nam si coneris supplere, medio membro consolationis addito, jam inepta erit in Græcis τῶν τοιούτων: cùm sint eadem, ut dixi in Græco vocabula, à nostris variè reddita. Hoc sanè quod de diversa harum vocum translatione dicimus, accidit etiam alibi: velut *Rom.* 5. ubi vulgata versio *consolationem scripturarum* habet, idque rectè: textus autem Ambros. pro consolatione legit *exhortationem*, minùs rectè: quemadmodum illic annotavimus.

Græca lectio hujus loci integra.

Rectiùs idem textus Ambros. hoc loco: *Sive consolationem consequimur, pro vestri consolatione & salute*, non addito membro exhortationis. Nam utique de consolatione sermonem instituit Apostolus, qua Deus ipsum in suis afflictionibus consolatus fuerat, ut *sit sensus*: Consolationes etiam quibus nos Deus in afflictionibus recreare dignatus est, cedunt in vestri consolationem & salutem: quia nimirum consolatio magistri meritò discipulos excitabat spe consolationis, ad similia ferenda, quorum tolerantia proficiebat ad salutem. Quamquam illam particulam *& salute* multi Latini codices in hoc membro non addunt; uti nec in Syriaco legitur. Sed tamen in Græcis omnibus habetur: & planè ab Oecumenio exponitur. Ejus omittendæ causa fuisse videtur, quod non appareret quomodo verbum subsequens *operatur* cum salute cohæreret: cum non salus quæ in fine expectatur, sed præsens consolatio tolerantiam passionum operetur: salus autem sit hujus tolerantiæ effectus & præmium. Attamen quomodo benè cohæreat, statim liquido patebit.

Apostolorū consolatio fidelibus affert consolationem.

Illud quispiam mirabitur, in textu Romanæ castigationis adhuc exstare hujus loci tria membra: cùm Græcus textus, sicut ostendimus, non admittat plura duobus. Verùm non dubito quin correctores illi benè viderint unum membrum hîc abundare

Romani correctores excusati.

ex diverſa tranſlatione: ſed quia non eis conſtabat, variantibus exemplaribus, utrum ex duobus membris poſterioribus à noſtro interprete ſcriptum fuiſſet, judicarunt utrumque textui relinquendum: ut lectori vel expoſitori remaneret electio ejus quod melius ac ſincerius ipſi videretur: aut certè, quia ſatis intelligebant tertium membrum eſſe veteris interpretis, & tamen ſecundum cujuſcumque ſit, magis reſpondere menti ſcriptoris, id eſt, Apoſtoli: non putarunt hoc quod melius eſt, & vulgatæ verſionis exemplaria jam occupavit, è textu pellendum eſſe.

QUÆ OPERATUR TOLERANTIAM EARUMDEM PASSIONUM, QUAS ET NOS PATIMUR. Multa mss. legunt, *Quæ operatur in tolerantiam*; nonnulla verò, quibus accedunt veteres concordantiæ, *in tolerantia*, Quæ quidem eſt Græcorum codicum atque interpretum lectio. Nec ſenſu diſcrepat quod in Ambroſiano textu legitur *per patientiam*. Ut autem hujus partis verum intellectum, à quo præter alios Latinos etiam Eraſmus & Cajetanus aberrarunt, aſſequamur, oportet ut verbum *operatur* paſſivè exponamus. Siquidem in Græco participium eſt paſſivum ἐνεργουμένη, id eſt, *effecta*, ut exponit Benedictus Arias: vel potiùs (quia præſentis temporis eſt participium) *quæ efficitur*: quomodo benè & dilucidè verterunt Oecumenii & Theophylacti interpretes. Eraſmus quidem meminit activæ lectionis ἐνεργουσης, ſed ea vix uſquam apparet. Nec à Rob. Stephano annotata eſt. Imò Chryſoſt. apertè teſtatur Paulum non dixiſſe ἐνεργούσης, hoc eſt, *quæ efficit*, *ſed* ἐνεργουμένης, id eſt, *quæ efficitur*.

Verbum operatur paſſivè exponendum.

Eſt igitur ſenſus Apoſtoli: Quæ ſalus efficitur, gignitur ac paratur, obtinenda tandem à vobis per tolerantiam talium afflictionum quales non patimur, id eſt, per hoc quod ſimiles afflictiones patienter ſuſtinetis. Jam enim dictum eſt patientiam ſalutis eſſe cauſam. De hac paſſiva Græci verbi ſignificatione, propter eos qui putant eſſe mediæ ſignificationis, pluribus agemus expoſituri illud Gal. 5. *Sed fides quæ per charitatem operatur*, & illud 2. Theſſ. 2. *Nam myſterium jam operatur iniquitatis*.

Ordo textus in Græcis alius quàm in Latinis.

Porrò ſciendum eſt toto hoc loco diverſum eſſe textus ordinem in Græcis exemplaribus, ab eo qui eſt in Latinis. Nam Græca, quibus duo tantùm membra ſuperiùs leguntur, hanc partem, *Quæ operatur*, &c. priori membro ſubnectunt hoc modo: *Sive autem affligimur, pro veſtri conſolatione & ſalute, quæ efficitur in tolerantia earumdem paſſionum, quas & nos patimur. Sive conſolamur, pro veſtri conſolatione & ſalute.* Tum ſequitur: *Et ſpes noſtra firma pro vobis*: niſi quod in editione Complutenſi ſeu Regia, & Aldina, aliiſque non paucis antigraphis apud Robert. Stephanum annotatis, hoc poſtremum, *& ſpes noſtra firma pro vobis* conſequenter etiam priori membro ſubjungitur: quem eumdem lectionis ordinem itidem conſpicere eſt in Græcorum commentariis: imò & in textu Ambroſiano.

Ordinis confundendi præbuit occaſionem, uti conjicio, homœoteleuton duorum membrorum. Nec de vero ordine facile eſt pronuntiare; præterquam quod illis verbis, *& ſpes noſtra firma pro vobis*, meliùs convenit locus quem habent in Latinis & pleriſque Græcis exemplaribus: quem etiam eis tribuit Hieronymus. Cæterum editio Syriaca, quod ad ordinem attinet, plane conſonat Latinorum lectioni, juxta quam hîc ſequitur.

7. UT SPES NOSTRA FIRMA SIT PRO VOBIS. Græcè, *& ſpes noſtra firma pro vobis*. Eadem lectio cum addito verbo *eſt*, in multis eſt & melioribus Latinis mss. *Et ſpes noſtra firma eſt pro vobis*. Sic habent & concordantiæ veteres & biblia à Theologis Lovanienſibus caſtigata. Quamquam ad ſenſum non admodum refert utro modo legatur: quemadmodum & illud, utrum quod in Græco eſt ὑπὲρ ὑμῶν La-

tinè reddas *pro vobis*, an *de vobis*. Nam ſenſus idem eſt: Spem, inquit, firmam & certam animo cepi pro vobis, id eſt, de conſolatione & ſalute veſtra: idque propter communicationem paſſionum. Siquidem, ut ait Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem: probatio vero ſpem: ſpes autem non confundit*. Unde ſequitur.

SCIENTES QUOD SICUT SOCII PASSIONUM ESTIS, SIC ERITIS ET CONSOLATIONIS. Interpres explicandi gratia de ſuo adjecit verbum *eritis*: cum alioqui de proximo ſupplendum videretur *eſtis*. Item ſocios dixit quod in Græco eſt, κοινωνοὶ, *participes*, ut alii vertunt: ſed utrumque benè. *Senſus*: Cùm ſciamus, vel quia ſcimus, uti nobiſcum eſtis participes afflictionum, intellige patienter toleratarum; ſic & conſolationis fore participes. Conſolationem autem dicere videtur, quàm in hac vita Deus afflictis impendit; ut exponit Cajetanus. Nam de ejuſmodi conſolatione ſuprà locutus eſt. Adde quod in futura beatitudine propriè locum non habet conſolatio, quæ eſt in malis: cum illic nullum ſit malum.

Socii paſſionum ſocii erunt & conſolationis.

Ubi nullum malum, conſolatio locum non habet.

Verumtamen conſolationem præſentem conſiderat Apoſtolus, velut arrham quamdam ſalutis ac gloriæ futuræ, ſecundùm id quod alibi dicit, *Si compatimur, ut & conglorificemur*. Roman. 8. Juxta contextum Græcorum interpretum, de quo ſuprà, qui ſic habet: *Sive conſolamur, pro veſtri conſolatione & ſalute, ſcientes quod*, &c. commodior eſt quidem hujus partis coordinatio cum præcedenti: Nam iſtud, *Spes noſtra firma eſt pro vobis, ſcientes*, &c. ſolœcam facit orationem; Verùm Paulo non eſt inſolens, grammaticas leges negligere, dummodo conſtet de ſenſu: quemadmodum probè conſtat hoc loco. Sic aliàs abruptè, ſine nomine & verbo, utitur eodem participio; ut Roman. 13. *Et hoc ſcientes tempus*, &c.

Præſens ſanctorum conſolatio arrha gloriæ futuræ.

Paulus negligit leges grammaticæ.

8. NON ENIM VOLUMUS IGNORARE VOS FRATRES DE TRIBULATIONE NOSTRA QUÆ FACTA EST IN ASIA. Repetitur in Græco pronomen primæ perſonæ. *De afflictione noſtra quæ facta eſt*, ſive *quæ contigit nobis in Aſia*. Textus Syriacus & Ambroſ. tantum legunt poſteriore loco. Significatur autem Aſia minor, in qua eſt Epheſus. Commemorat. Apoſtolus afflictionem graviſſimam qua preſſus fuerat, & ex qua liberatus conſolationem à Deo acceperat. Cujus nimirum occaſione dixit ſuperiora. Sed quænam illa fuerit afflictio, *quæritur*. Cajetanus negat ſe quidquam authenticum alibi de hac afflictione legiſſe. Theophylact. & Oecumen. Chryſoſtomum ſecuti, referunt ad eam quæ ſignificata fuit illis verbis prioris epiſtolæ, cap. 16. *& adverſarii multi*. Quod non eſt veriſimile. Refert enim Apoſtolus hanc afflictionem tamquam recentiorem, & quæ Corinthiis nondum innotuerit. Hoc enim vult ille ſermo, *Nolumus vos ignorare*. Qua ratione nec ad illud referri poteſt, *Si ad beſtias pugnavi Epheſi*, 1. Cor. 15. ſive eædem fuerint ille beſtiæ cum illis adverſariis, ſive diverſæ.

De qua afflictione Paulus loquatur, opiniones.

Rectiùs igitur Theodoritus & Latini ferè omnes interpretantur hunc locum de tumultu adverſus Paulum Epheſi per Demetrium argentarium concitato: qui deſcribitur, *Act. 9*. Quamvis enim illa afflictio, quantum apparet ex narratione Lucæ, non admodum diuturna fuerit: graviſſima tamen fuit, & periculi plena: ut in eam verè competant, quæ hîc conſequenter à Paulo dicuntur. Nam de uno quodam periculo, non de pluribus eum agere, ſatis etiam illud arguit, quod inferiùs dicit juxta fidem Græci textus: *Qui de tanta morte nos eripuit*.

Tumultus Demetrianus.

Porrò commemorat eam afflictionem, non ut adventus ſui tarditatem excuſet, uti putant nonnulli: nam Epheſinus ille tumultus non tam fuit Apoſtolo cauſa morandi diutiùs, quàm feſtinantiùs inde

Cur hanc afflictionem ſuam Paulus commemorat.

discedendi: quod patet ex *sequentis capitis viceſimi* initio. Sic enim & alibi feſtinatò diſceſſit ac fugit, ubi periclitabatur; Damaſci, Iconii, Lyſtris, *Act. 9. & 14.* Sed ea ratio eſt, ut hac tanti ſui periculi narratione benevolentiam Corinthiorum ſibi conciliet, quemadmodum annotavit S. Thomas: ſimul ut ad gratiarum actionem pro beneficio ſuæ liberationis Deo reddendam eos excitet. Hanc enim cauſam ipſe non multò pòſt indicat.

QUONIAM SUPRA MODUM GRAVATI SUMUS, SUPRA VIRTUTEM. *Supra modum*, Græcè κατ' ὑπερβολὴν, *per exceſſum*: quomodo & alibi loquitur Paulus, ut in priore *epiſt. cap. 12. verſ. ult.* aliàs ὑπερβαλλόντως, *excedenter*, ut hujus epiſt. cap. 11. ubi nos legimus, *in plagis ſupra modum*. Quod ſequitur, *gravati ſumus*, malo *fuimus*. Nam gravatum eſſe etiam præſenti tempori convenit. *Senſus*: Scire vos volo, quod attinet ad afflictionem quam Epheſi paſſus ſum, eam uſque adeò gravem ac vehementem fuiſſe, ut & modum & vires meas exceſſerit, ita planè ut ei ferendæ par non eſſem. Annotant Græci plus aliquid eſſe *ſupra vires* quàm *ſupra modum*. Nam ſupra modum eſſe dicuntur quæ permagna ſunt, etſi non omninò viribus majora; quaſi ſupra mediocritatem.

Quid differant ſupra modum & ſupra vires.

Quæſtio. Jam quomodo non repugnet hic locus illi ſententiæ qua dixit 1. Cor. 10. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, ex illius loci commentario ſatis intelligi poteſt. Nam hoc quidem loco non aliud ſentire videtur Apoſtolus, quam afflictionem ſuam fuiſſe tantam, ut & communem modum & vires ordinarias hominis etiam in Dei gratia conſtituti excederet; quam tamen ipſe ſuperaverit potentiore gratia roboratus. *Alia ſolutio eſt* Apoſtolum non dicere quod ſupra vires tentatus fuerit, ſed gravatus; ita nimirum, ut afflictio major viribus fuerit, non tentatio. Tunc autem afflictio vires excedit, quando ſui magnitudine hominem opprimit & exiſtinguit; etiamſi animus patientiam non amittat. Et huic ſenſui convenit quod ſequitur.

Solutio.

Alia ſolutio.

ITA UT TÆDERET NOS ETIAM VIVERE. Non abſurdè poteſt intelligi tædium vitæ paſſus Apoſtolus ob gravitatem afflictionis. Nam & beatus Job inter adverſa dixit, *Tædet animam vitæ meæ*, cap. 10. Cæterum textus Ambroſianus ſic habet: *ita ut deſperaremus nos etiam vivere*, id eſt, vitæ ſpem abjiceremus. Quod voluit paraphraſtes Syrus his verbis: *adeò ut propinqua eſſet vita noſtra ut projiceretur*. Tertullianus quoque *libro de reſurrect. carnis cap.* 48. legit, *ut de vita hæſitaremus*. Atque in hanc ſententiam alii quoque interpretes vertere malunt verbum Græcum alioqui ambiguum ἐξαπορηθῶμεν: quod idem legitur *infra cap.* 4. ubi noſter vertit, *ſed non deſtituimur*. Itaque ſentit Apoſtolus preſſuram malorum fuiſſe tantam, ut nec ſpes nec conſilium eſſet evadendi: quomodo 1. *Reg.* 23. de Davide legimus quod *deſperabat ſe poſſe evadere à facie Saul*. Senſum hunc exprimunt etiam Græcorum ſcholia. Favet item quod ſequitur.

Tædium vitæ an paſſus Apoſtolus.

Vitæ deſperatio in Paulo.

9. SED IPSI IN NOBISMETIPSIS RESPONSUM MORTIS HABUIMUS. Connexio talis eſt: Adeò ut non ſperarem me ſupervicturum, ſed reſponſum mortis in memetipſo haberem, id eſt, omnino exiſtimarem me moriturum. Quidam reſponſum mortis dici putant metaphora ſumpta à criſi medicorum: ac ſi diceret Apoſtolus, ſe & ſuo & aliorum judicio non potuiſſe mortem evadere: quomodo propter certa morbi ſymptomata de ægroto judicare ſolet medicus. At medici judicium hoc non ἀπόκριμα, ſed κρίσιν appellant. Potiùs arbitror phraſim eſſe Hebræam, qua ſignificetur ſententia, dictamen, decretum mortis. Nam (reſpondere) pro (dicere) conſuetudo ſcripturæ eſt, ut *Dan. 4. v. 27. Matth. 11. v. 25. Marci 12. verſ. 35.*

Reſponſum mortis quod dicatur.

Reſpondere pro dicere.

Senſus igitur Apoſtoli eſt: preſſuram tam gravem fuiſſe, ut non aliud ipſi loqui videretur quàm mortem inſtantem: vel, ut ipſe ſibi in animo non aliud loqueretur, ac de ſe non aliter ſtatueret, quàm ſibi moriendum eſſe. Quem poſteriorem ſenſum habet interpretatio Syriaca: *Et de his ſententiam mortis tulimus*. Significat in extremo vitæ periculo, certaque mortis expectatione poſitum ſe fuiſſe.

UT NON SIMUS FIDENTES IN NOBIS, SED IN DEO. *In nobis*, Græcè ἐφ' ἑαυτοῖς, *in nobis ipſis*, quod magis emphaticum eſt. Ut ne confidamus, inquit, noſtris viribus, id eſt, induſtriæ, prudentiæ, conſilio noſtro: ſed auxilio Dei. Declarat fructum quem electis adferre ſolet afflictionis magnitudo. Qui fructus eſt, non ſibi fidere, ſed ad Dei auxilium in omnibus reſpicere, & dicere cum Propheta: *Oculi mei ſemper ad Dominum*, Pſal. 24.

Obſerva qualem fructum magnitudo afflictionum, adferat electis.

QUI SUSCITAVIT MORTUOS. Id eſt, qui non tantum viventes ſervare poteſt, & eripere periculis: verùm etiam mortuos ad vitam revocare: quod quidem multis exemplis comprobavit.

10. QUI DE TANTIS PERICULIS NOS ERIPUIT ET ERUIT. Veriſimile eſt interpretem ſcripſiſſe *& eripit*: maximè cum & futurum ejuſdem verbi continuò ſequatur, *eripiet*. Cur enim verbum diverſum, idque ambigui temporis hîc interpoſuiſſet, cùm idem Græcis ſit verbum? Sic autem habent: *Qui ex tanta morte eripuit & nos eripit*. Mortem vocat mortis periculum, ſicut infrà cap. 11. *in mortibus frequenter*. Quo ſenſu dixit etiam in priore epiſt. cap. 15. *Quotidie morior*. Chryſoſt. plurali numero legit *è tantis mortibus*; nec non Origenes *homil. 11. ſuper Levit.* & inter Latinos Ambroſiaſter, cujus textus ſic habet, *Qui de tantis mortibus liberavit nos & liberat*.

Mors pro mortis periculo.

Ex quibus apparet olim extitiſſe Græcos codices, qui pluralem numerum haberent: quos ſecutus vetus noſter interpres, reddita ſententia, verterit, *de tantis periculis*. Nunc tamen in omnibus Græcis legitur, ut dixi, *de tanta morte*. Quæ eadem lectio eſt Theophyl. & Oecum. & Syri interpretis. Cæterùm Apoſtolus addens etiam præſentis temporis verbum, *& eripit*, ſeu *liberat*, innuit ſe nihilominus adhuc verſari in continuis periculis, quorum ſemper alia aliis ſuccedant, etſi non omnia paris gravitatis. Nec enim verbum *eripit* referendum ad tantam mortem, ſed ad mortes ſimpliciter, id eſt, mortis pericula: ſecundùm illud quod dixit, 1. Cor. 1. *Uſque in hanc horam perſecutionem patimur*.

IN QUEM SPERAMUS, QUONIAM ET ADHUC ERIPIET. *Speramus*, Græcè ἠλπίκαμεν, *ſperavimus*, id eſt, ſpem collocavimus, & ut Eraſmus & Hentenius verterunt, *ſpem fixam habemus*. Eſtque illud præteriti temporis verbum hac ipſa ſignificatione frequens in ſcriptura veteris teſtamenti, nominatim in Pſalmis, idque ex proprietate linguæ ſacræ. Qua de re vide quæ diximus ad illud, 1. Cor. 15. *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus*. Habent Græci ſua quædam huic ſimilia præteriti temporis verba; quemadmodum obſervat Eraſmus: ut φόβα, timore correptus ſum: χάρηθι, gaudio affectus ſum: *Senſus*: In quo ſpem firmam collocatam habemus, quod & deinceps erepturus ſit, ſcilicet è malis adhuc obventuris.

Speravimus quid ſignificat.

11. ADJUVANTIBUS ET VOBIS IN ORATIONE PRO NOBIS. Græcè, *Cooperantibus & vobis pro nobis oratione ſeu deprecatione*. Quamquam in Græco non eſt conſuetum compoſitum συνεργούντων, ſed tricompoſitum συνυπερ-ούντων, quod ſignificat cooperationem ſubſervientem. Hinc alius quidam ſic vertendum putat: Vobis item unà pro nobis deprecationi ſubſervientibus: tametſi magis placet ut ſexto caſu reddatur tertius Græcus, τῇ δεήσει, *deprecatione*, ſeu *per deprecationem*, ut vertit Eraſmus; Nec

tam significetur cooperatio subserviens, quàm suffulciens ac sustentans; quasi dicat Apostolus: Idque maximè futurum confido, si vos mihi per orationes vestras ad Deum pro me fusas subsidio fueritis. Interpres Ambros. sensum ita dedit minùs planè: *Accedente pro nobis etiam vestra oratione.*

Nota ad mores, humilitatem Pauli petentis aliorũ pro se preces. Sanctorum pro nobis suffragia. An mortuos invocent catholici; quod ei impingũt hæretici.

Magna Pauli modestia, qui passim aliorum precibus se commendat: nec in ea re metuit offensam unius mediatoris Christi: quam stolidè nobis Catholicis suffragia Sanctorum cum Christo regnantium implorantibus, objicere solent hæretici. Nec verò, si propriè loquendum sit, dum id facimus, mortuos invocamus: quod odiosè nobis impingunt sectarii. Scimus enim eos qui mortui sunt, non esse, donec resuscitentur ad vitam. Sed animas invocamus eorum qui in Domino mortui sunt: quas vivere & cum Christo regnare qui negat, apertis scripturis contradicit.

UT EX MULTORUM PERSONIS, EJUS QUÆ IN NOBIS EST DONATIONIS, PER MULTOS GRATIÆ AGANTTR PRO NOBIS. *Ex multorum personis.* Ita legimus ex castigatione Romana: cum priùs in omnibus penè libris scriptum haberetur, *ex multarum personis facierum.* Nam & Græca tantum habent, ἐκ πολλῶν προσώπων: Sed cum dictio πρόσωπον & faciem & personam significet; & duo genitivi sic accipi possint, ut alter ab altero regatur: hinc accidit interpretationis varietas, ut quatuor modis hæc particula verti possit: *Ex multis faciebus. Ex multis personis. Ex multorum faciebus. Ex multorum personis.* Quo postremo modo nostrum interpretem vertisse verisimile est. Cum autem in quibusdam codicibus ex alia versione, fortè non minùs antiqua, legeretur, *ex multorum faciebus* (quò propinquant exemplaria Malmundarienſe majus, & Constantiense, quæ habent *ex multorum facie*; & textus Ambros. qui sine præpositione legit *multorum faciebus*) inde factum improba scribarum diligentia, ut in codicibus vulgatæ editionis simul utrumque vocabulum legeretur, altero in genitivum mutato.

Locus variè translatus & scriptus.

Latini veteres excepto Ambros. quid legerint, non liquet, nisi quantum colligi potest ex eorum commentariis. Pelagius & Sedulius exponunt, *ex multarum conventu.* Primasius, *ex multarum conventu personarum.* Nec illud prætereundum est quod admonet glossator ordinarius, aliam translationem habere *in multorum facie.* Quod & legitur in prioribus editionibus textus Ambrosiani: nec dissonat ab eo quod legit Chrysost. ἐν πολλῷ προσώπῳ, *in multa facie*, sive *in multis faciebus:* nisi fortè litera ν desideratur, ut legendum sit ἐν πολλῶν προσώπῳ, *in multorum facie*, ut planè conveniat cum dicta translatione Latina.

Græci verbi rara acceptio.

Præter hæc notanda peculiaris ac rara locutio, qua passivè τὸ χάρισμα εὐχαριστηθῆναι dicit Apostolus, id est, pro dono seu doni causa gratias agi: quod etiam Latinè dici posset, tametsi minùs explicatè; donum gratum & acceptum haberi. Jam & illud διὰ πολλῶν, *per multos*, etiam verti potest, *per multa*, id est, Oecumenio exponente, *multis modis.* Quamquam id Paulum voluisse non est verisimile. Non enim alio sensu dixit hoc loco διὰ πολλῶν, quam *infra c. 9.* in sermone simili: *Sed etiam abundat in hoc quod per multos gratiæ agantur Deo*, juxta Græcam lectionem: ubi multos homines intelligi non est dubium. Eumdem Oecumenium *pro vobis*, non *pro nobis* legisse, perspicuè docet ejus commentarius. Quæ lectio etiam aliorum est codicum non paucorum Græcorum & Latinorum: cujus & glossa meminit inter lineas scripta. Sed tamen plures utriusque linguæ codices primam habent personam: Græcis item tractatoribus Theodorito & Theophylacto, nec non interprete Syro suffragantibus, denique & contextu propensius eam optante.

Nunc ut sensum adferamus probabilem hujus loci qui multos torsit: primùm arbitror vulgatam lectionem Græcam in Latinam ita commodè tranferri posse, quomodo transtulit Erasmus: *Ut ex multis personis, pro dono in nos collato, per multos gratiæ agantur pro nobis.*

Hujus loci varia expositio.

Quidam verò sic exponunt: multis vobis pro me orantibus, fiet ut propter beneficium liberationis & incolumitatis, *ex multis personis*, id est, respectu multorum in me collatum, etiam *per multos* gratiæ Deo pro me agantur. Sensum hunc meditatus est Valla, quibusdam aliis probantibus: eumque suggerit ordo verborum, qui est apud Ambrosiastrum: *Ut quod multorum faciebus donum in nos collatum est, per multos in gratiarum actione celebretur pro nobis.*

Nec tamen erit diversus sensus, si cum Theophylacto verba Apostoli distinguas ad hunc modum: *Ut ex multis personis*, id est, à multis hominibus, pro dono in nos *per multos*, id est, ob multorum preces collato, gratiæ Deo pro nobis agantur. Huic constructioni Græca non refragantur: sicut de priori censet Erasmus, propter articulum minus aptè positum ad eam sententiam. Quamquam illud *per multos*, meliùs ad sequentia refertur, id est, ad gratiarum actionem, velut infrà *capite 9.* verbis paulò antè citatis.

Quod si juxta vetera quædam exemplaria quorum suprà memini, legamus *in multorum facie*, sensus occurret hujusmodi: *Ut inter multos & coram multis* (quomodo glossator Augustini nomine eam lectionem interpretatur) & *in magna hominum frequentia* (quomodo Chrysostomum similiter legentem exponit Erasmus) pro dono liberationis in nos collato, per multos itidem gratiæ Deo pro nobis agantur: nimirum ut multi sint clara voce gratias agentes: idque fiat coram multis, id est, in publico fidelium cœtu. Sic enim loquitur David: *In medio ecclesiæ laudabo te*, Psal. 21. &, *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.* Psal. 34. Hic commentarius in speciem probabilis est. Sed tamen obstare ei videtur; quod ἐν προσώπῳ pro eo quod est coram & in conspectu, non invenitur aliàs usurpatum in sacris literis: quemadmodum ostendemus ad illud proximi capitis, *in persona Christi.*

Sensus maximè probabilis.

Ut igitur à vulgata Græca lectione non recedamus: existimo sensum quem primo loco dedimus, cæteris esse præferendum: & collocationem articuli de quo scrupulum movet Erasmus, non minus urgendam: sed perinde accipienda verba Apostoli, ac si reducto antrorsum articulo, dixisset: ἵνα τὸ ἐκ πολλῶν προσώπων εἰς ἡμᾶς χάρισμα. Nam articuli ritè collocandi non ita magnam rationem habuisse Paulum, qui se fatetur *imperitum sermone*, infrà cap. 11. facilè crediderim. Cujus rei ne longè petamus exemplum: en obvium est in verbis proximè præcedentibus: *adjuvantibus & vobis*, ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει. Quod ipse Erasmus ita vertit, *per deprecationem pro nobis*: tamquam à Paulo scriptum esset, τῇ ὑπὲρ ἡμῶν δεήσει.

Nota, de fructu orationis multorum.

Quin & hujus partis sensum quem probamus, idem Erasmus in sua paraphrasi non obscurè approbat, Apostolum ita loquentem faciens: *ut quemadmodum multorum votis, & in multorum commodum servamur: ita multifariam per multos agantur gratiæ Deo pro nobis servatis.* Porrò docet hic locus, ubi multi Deum orant, non solùm faciliùs id quod petitur impetrari, (quia difficile est multorum preces non exaudiri) verum & alterum fructum insignem continuò sequi: ut iidem multi de dono vel donis impetratis Deo gratias agant. Qui quidem fructus quia semper cum lætitia conjunctus est, & cum beatis in æternum permansurus, utique summopere est exoptandus.

Gratiarum actio in beatis semper duratura.

12. NAM GLORIA NOSTRA HÆC EST, TESTIMONIUM CONSCIENTIÆ NOSTRÆ. Rationem adfert fiduciæ qua dixerat. *In quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet. Gloria*, Græcè καύχησις, *gloriatio*. Senſus: Id de quo glorior & in quo confido coram Deo, teſtimonium eſt conſcientiæ meæ, quaſi dicat: Propterea ſpero me liberatum iri à Deo è preſſuris quæ mihi adhuc inſtant; quia benè mihi conſcius ſum, ac de eo gloriari poſſum apud vos. Bona quippe conſcientia fiduciam parit impetrandi: Joanne teſtante 1. epiſtol. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus*. Meminit autem gloriæ propter Pſeudapoſtolos æmulos ſuos; contra quos apertiùs ſuam cauſam agit infrà poſt medium epiſtolæ.

Nota, quòd bona conſcientia fiduciam parit impetrandi.

QUOD IN SIMPLICITATE CORDIS ET SINCERITATE DEI. *Cordis* in Græco & Syriaco non additur. Vetuſtiores quoque Latinos non legiſſe ſatis perſpicitur ex eorum commentariis: quibus addo Lombardum, Aquinatem, Liranum, Carthuſianum. Poſtremò nec Auguſtinus in Speculo, nec veteres concordantiæ, nec in ullis exemplaribus caſtigatio Lovanienſis agnoſcunt. Irrepſit huc, opinor, ex aliis ſcripturæ locis, in quibus ſimplicitas cordis commendatur, ut *Sapient.* 1. *Epheſ.*16. *Coloſſ.*3. eoque faciliùs, quòd ad explendam ſententiam deſiderari videretur. Verùm alibi ſæpè ſimplicitas ad animum relata legitur in ſcripturis, non addito genitivo *cordis* aut *animi*, vel in hac ipſa epiſtol. ut *c.*8.9. & 11.

Simplicitas & ſinceritas Dei quæ dicatur.

Vocabulum (*Dei*) non ad ſolam ſinceritatem, ut quidam volunt, ſed etiam ad ſimplicitatem refertur; non ut ſenſus ſit, *in ſimplicitate & ſinceritate Dei*, id eſt, *quomodo Deus ſimplex eſt & ſincerus*; ut exponit Pelagius: ſed ut ſimplicitas & ſinceritas Dei dicatur, quæ Deo digna eſt, aut quæ ex Deo eſt, aut, quod magis germanum puto, quæ coram Deo talis eſt: vera ſcilicet ac minimè fucata animi ſimplicitas atque ſinceritas; quemadmodum juſtitia Dei vocatur vera & coram Deo juſtitia, *Rom.* 1. 3. 10. & gloria Dei gloria coram Deo, *Rom.* 3. *verſ.*23. Senſum hunc explicat illud 1. Theſſ. 2. *Ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra*.

Simplicitati quæ duplicitas oppoſita. Sinceritas intentionem rectificat.

Dicit igitur Apoſtolus, ſuam conſcientiam ſibi teſtari, quod ſimplici, recto & ſincero animo, qui Deo judice probetur, converſatus ſit. Simplicitas hæc opponitur duplicitati, dum quis aliud agens, aliud intendit. Sinceritas autem ipſam intentionem rectificat: de qua ſic eodem loco ad Theſſal. *Neque enim*, inquit, *aliquando fuimus in ſermone adulationis: neque in occaſione avaritiæ: nec quærentes ab hominibus gloriam*.

ET NON IN SAPIENTIA CARNALI. *Et* Græcis abeſt, nec non Latinis quibuſdam antiquis: verùm id abſque ſenſus detrimento. Sapientiam carnalem intelligit eam, quam in priore epiſtola vocavit humanam & hujus mundi, & ſæculi ſapientiam, *c.* 1. & 2. & à qua quoſdam appellat *ſapientes ſecundùm carnem*, ibidem c. 1. id eſt, ſapientiam humano ſtudio atque ingenio comparatam; cujuſmodi fuit ſapientia Philoſophorum.

Sapiētia carnalis quæ.

SED IN GRATIA DEI CONVERSATI SUMUS IN HOC MUNDO. Græcè & Syriacè, *in mundo*, ſine pronomine. Quemadmodum & legit Auguſtinus *in Speculo*: item Primaſius & veteres concordantiæ. Notandum eſt Apoſtolum duo à ſe removere, ac duo ſibi aſſcribere. *Primùm*, ſibi tribuit ſimplicitatem ac ſinceritatem converſationis in munere Apoſtolico: per quod tacitè removet à ſe vitium hypocriſis, ac depravatæ intentionis, quo laborabant ejus adverſarii. *Deinde* ſapientiam carnalem à ſe excludit, opponens ei & agnoſcens in ſe gratiam Dei. Hujus autem oppoſitionis ea ratio eſt: quia ſi Chriſtus & Apoſtoli fuiſſent uſi ſapientia ſæculari in prædicando Evangelio: jam converſio hominum ad fidem non fuiſſet attributa gratiæ & potentiæ Dei, ſed hominum ſapientiæ. Quod manifeſtè ſignificant illa Apoſtoli verba prioribus epiſtol. cap. 2. *Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis: ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*. Quô & illud pertinet quod *ejuſdem epiſt.c.* 1. dixit ſe miſſum à Chriſto *evangelizare, non in ſapientia verbi, ut non evacuetur crux Chriſti*. Et iterùm: *Ea quæ ſtulta ſunt mundi, Deum elegiſſe, ut confundat ſapientes, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus*.

Sapientiæ carnali cur gratiam Dei opponat.

Hoc igitur eſt quod nunc Apoſtolus dicit: ſuam conſcientiam præter cætera ſibi teſtari, quòd non uſus fuerit adminiculo ſapientiæ ſæcularis: ſed à gratia Dei fructum ſuæ prædicationis expectans, in Apoſtolico munere verſatus ſit apud homines. Gratiam Dei dicere videtur, gratuitam ac potentem Dei operationem, tam in ſignis exterioribus miraculorum quæ per eum Deus faciebat, quàm in occulto tractu plurimorum ad credendum Evangelio per ipſum prædicato: ut conveniat quod hîc dicitur, cum verbis modò citatis ex priore epiſtola: *Sed in oſtenſione Spiritus & virtutis*, ac rurſus, *in virtute Dei*. Cæterùm obliquè notat Apoſtolus toto hoc verſu Pſeudoapoſtolos, qui nec ſyncerè, ſed quæſtus & gloriæ captandæ ſtudio: nec in gratia Dei, ſed in ſapientia carnali Chriſtum prædicabant.

Gratia Dei quæ dicatur hoc loco.

ABUNDANTIUS AUTEM AD VOS. Vel, *apud vos*, ut habet textus Ambroſ. vel *erga vos*, ut alii verterunt, quod Græcè eſt πρὸς ὑμᾶς. Dicit *abundantiùs*, ſive *potiſſimùm apud vos*: non quod apud alios minùs ſincerè converſatus fuiſſet: ſed quia majora ſinceræ ſuæ converſationis argumenta apud Corinthios oſtenderat: ut quibus gratis ac ſine ſtipendio prædicaſſet Evangelium, parcens eorum infirmitati.

13. NON ENIM ALIA SCRIBIMUS VOBIS, QUAM QUÆ LEGISTIS ET COGNOVISTIS. In Græco verbis præſentis temporis ſic legitur: *quem quæ legitis aut cognoſcitis*. Latini codices in tempore variant. Vulgagares habent, *legiſtis & cognoviſtis*: præſtantiores *legiſtis & cognoſcitis*: pauci ſed præſtantiſſimi, *legitis & cognoſcitis*; quibus annuunt & veteres concordantiæ, & tam textus quam commentarius Ambr. Syrus quoque præſentis temporis verba reddidit. At quoquo modo legas, obſcura eſt ſententia propter verbum *legitis* aut *legiſtis*: id quod alii ad præſentem epiſtolam, alii ad priorem referunt; quaſi ſenſus ſit, ea quæ ſcribimus de noſtra ſincera converſatione, conſentanea ſunt iis, quæ in hac epiſtola legitis: vel quæ in priore legiſtis. Cajet. de utraq; ſimul exponit.

Lectionis varietas.

Locus obſcurus.

Verùm difficultas remanet, quomodo rectè doceat Apoſtolus ea quæ ſcribit vera eſſe, ex ſuis ipſius ſcriptis, quæ legere poſſent Corinthii: cum nemo ſeipſum legitimè ſibi teſtem aſſumat, ipſo etiam Domino teſte, Joan. 5. *Si*, inquit, *ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum*. Addit quidem Apoſtolus, *Et cognoſcitis*: quo verbo ad ipſorum Corinthiorum conſcientiam ſeſe refert. Sed per hoc non tollitur ſcrupulus quem facit verbum *legitis*.

Tolletur antem penitus, ſi pro *legitis*, ex Græco vertas, *recognoſcitis*, ſeu *recordamini*. Nam Græcum verbum ἀναγινώσκετε ſignificat utrumque. Sanè Theophylactus cum non ſatis ſe expediret in reddendo ſenſu Apoſtoli ſecundùm priorem magiſque receptam Græci verbi ſignificationem, confugit ad hanc poſteriorem, quam & videre eſt expreſſam à Syro interprete. Is enim Græca ſic vertit: *quàm*

Illuſtratus.

ea quæ agnoscitis, & vobis persuasa habetis. Erit igitur hic sensus: Non sunt vana quæ scribo de recta & sincera mea apud vos conversatione. Vos ipsi mihi testes estis. Neque enim alia scribo, quàm quæ vos ipsi recognoscitis, id est, quorum facilè meminisse potestis: & quæ etiamnum experimento cognoscitis. Vis sermonis Apostolici esse videtur in duabus præpositionibus: verbum γινώσκετε componentibus, ἀνὰ & ὅτι, quasi dicat: & recognoscitis antiqua, & insuper etiam cognoscitis recentia.

SPERO AUTEM QUOD USQUE IN FINEM COGNOSCETIS. Græcè cum interposita copula *quod & usque.* Erasmus & Hentenius, *quod usque ad finem quoque cognoscetis.*

14. SICUT ET COGNOVISTIS NOS EX PARTE. Addens *ex parte* perstringit Corinthios, quod plus satis auscultantes æmulis & obtrectatoribus Pauli minus adhuc benè & honorificè de suo Apostolo sentirent. Sunt qui illud *ex parte* ad cognoscentes referant, hoc sensu: Quidam vestrûm, non omnes, cognovistis integritatem meam. Non enim sum nescius, istic esse *quosdam, qui arbitrentur nos tamquam secundum carnem ambulemus*, infrà cap. 10. Sed meliùs ad rem cognitam, id est, ad Paulum refertur, sicut exposui. Nam & alibi sic loquitur, ut 1. Corinth. 13. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.*

Hujus loci varia constructio.

QUOD GLORIA VESTRA SUMUS. Græcè καύχημα, *gloriatio*, quam & vox Syriaca significat. Porrò dubium est, utrum illa præcedentia, *Spero autem quod usque in finem cognoscetis: sicut & cognovistis nos ex parte*, referenda sint ad superiora, ut sit sensus: Spero quod etiam deinceps semper magis ac magis experturi sitis & cognituri vera esse quæ scribo de integritate meæ conversationis: quemadmodum & nunc aliquousque me talem esse, re & experientia cognovistis; An verò cohæreant cum eo quod sequitur: *quod gloria vestra sumus*, videlicet hoc sensu: Spero vos usque in finem cognituros, sicut jam ex parte cognovistis, nos esse gloriam vestram. Qui totum ad superiora referunt, hîc non legunt *quod*, sed *quia*: idque causaliter accipiunt. Utrumque enim significat Græcum ὅτι, & in Latinis codicibus utrumque reperitur. Imò plerique omnes mediæ ætatis enarratores unà cum glossatore & Ambrosiastro *quia* legerunt.

Distinctio probabilior.

Verumtamen nobis magis probatur eorum distinctio qui priorem partem ad superiora, posteriorem verò huc referunt. Et prioris quidem partis sensus jam patet: posterior autem sic exponitur: Quemadmodum & jam ex parte de me cognovistis & persuasum habetis, quod sim gloria sive gloriatio vestra; hoc est, quod ex me sit vobis gloriandi materia: nempe quod nacti sitis talem Apostolum, tamque sincerum evangelii prædicatorem, qui non sua quærat, sed tantum ea quæ Jesu-Christi sunt ac vestræ salutis. Ne verò, tamquam immoderatius sese efferens, arroganter hoc dicere videatur; addit quod ad laudem Corinthiorum faciat.

Paulus gloria Corinthiorũ. quo sensu.

SICUT ET VOS NOSTRA IN DIE DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI. Græcè tantùm, *in die Domini Jesu*, tametsi textus Syriacus Latino consonat. Hæc pars, *In die Domini*, &c. non ad utrumque membrum præcedens referenda est, sed tantùm ad istud, *Et vos nostra* scilicet gloria seu gloriatio, estis. Sentit enim Apostolus, se viciſſim in adventu Domini ad judicium, de Corinthiis gloriaturum, tamquam apud quos egregiè laboraverit, non sine copioso fructu fidei & salutis eorum: ac proinde quasi dicturum ad judicem Christum: *Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce, alia quinque superlucratus sum*: ut viciſſim audiat illud, *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25.

Corinthii gloria Pauli.

15. ET HAC CONFIDENTIA VOLUI PRIUS VENIRE AD VOS. In Græcis hic ordo est: *Et hac fiducia volebam ad vos venire priùs*, ut intelligas adverbium *prius* non cum verbo *volebam*, sed cum *venire* construendum esse. *Volebam*, Græcè ἐβουλόμην. Quod significat velle cum consilio ac deliberatione, videlicet deductum à nomine βουλὴ, *consilium.* Delabitur Apostolus ad excusationem dilati sui adventus, rationem redditurus cur juxta promissum ad eos nondum venerit. Cùm autem hactenus plurali numero de se locutus fuerit, utique modestiæ causa, quod versaretur in iis commemorandis quæ ad suam laudem pertinerent: hîc jam ubi de purganda culpa agitur, numerum mutat, ac singulariter de se loquitur: ne quemquam alium involvere secum in causam videatur. Hac, inquit, fiducia vestræ bonæ existimationis de me, quæ spem dabat, fructum me vobis adventu meo allaturum; constitueram ad vos venire priùs, id est, primum, jam pridem; vel, priusquam in Macedoniam proficiscerer. Utra expositio potior sit, ex sequentibus indicabitur.

Modestia Pauli.

UT SECUNDAM GRATIAM HABERETIS. Hoc est: ut ex secundo meo adventu secundam acciperetis gratiam qui dudum accepistis primam, quando primùm istuc veniens ad fidem vos converti. Annotat Oecumenius χάριν, id est, *gratiam*, hîc ab Apostolo dici χάρᾳν, id est, *gaudium.* Sunt etiam qui arbitrentur Apostolum non χαριν, sed χαρᾳν scripsisse. Siquidem & Theodoritus χαρᾳν legit & exponit. Verùm hi non satis attendisse videntur ad morem sermonis Apostolici. Nam & alibi sic loquitur, velut Rom. 1. *Desidero videre vos*, inquit, *ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis.*

Gratiam igitur intelligit spirituale beneficium ad veram pietatem pertinens, uti sunt fides, spes, charitas, cæteræque Christianæ virtutes & earum incrementa. Cujusmodi sanè beneficium accepturi erant Corinthii per Apostoli sui ministerium, si ad eos venisset. Nam ut ex priore constat epistola, multa Corinthiis adhuc deerant, tam fidei quàm morum doctrinam spectantia, quæ præsentem curam magistri postularent. Hinc, opinor, in textu Ambrosiano legitur, *ut plenam gratiam haberetis.* Apparet autem ex his verbis Apostolum anteà semel tantùm Corinthi fuisse, quoniam hîc secundæ gratiæ meminit. Sed hoc an ita sit: & si ita est, quomodo non sit ei contrarium quod *infrà cap.* 12. ac rursum *capit.* 13. scribit se tertiò venturum ad Corinthios, discutiemus quum ad eum locum *cap.* 12. perventum erit.

Quam Paulus gratiam hoc loco vocet.

Secunda gratia.

Juxta eos qui Paulum priùs quàm hæc scriberet, secundò Corinthum adiisse putant, dici potest gratiam secundam hîc intelligi gratiam iteratam quocumque numero. Nam Græcum δεύτερον aliquando significat iteratum, sive posterius, non habita numeri ratione. Quod autem Græci secundam gratiam interpretantur gratiam geminam seu duplicatam, epistolæ nimirum, ac deinde præsentiæ Pauli (quod secutus Erasmus vertit, *ut geminam apud vos inirem gratiam*) mihi longius petitum videtur.

16. ET PER VOS TRANSIRE IN MACEDONIAM: ET ITERUM A MACEDONIA VENIRE AD VOS. Supple è versu præcedenti *volui* seu *volebam.* Quæritur quo pacto consentiant ista cum illis quæ scribit in *priore epist. cap. ult.* Nam illic venturum se pollicetur postquam Macedoniam pertransiisset. Hæc autem verba planè significant eum priùs voluisse Corinthum ire: atque inde transire in Macedoniam. Fortè putabit quispiam eum loqui de promisso quo dixerat cap. 4. prioris epistolæ: *Veniam ad vos cito.* Verùm si id dixit cogitans priùs Corinthum venire quàm iret in Macedoniam: igitur in eadem epistola mutavit consilium, utpote posteà scribens se priùs in Macedoniam profecturum. Quam in una eademque epistola consilii mutationem Pau-

Quæstio de consensu dictorum Pauli inter se.

lo aſſcribere, neſcio an ſit boni interpretis. Et nos quidem illa duo promiſſa non eſſe inter ſe contraria, ſuis locis oſtendimus.

Græcorum reſponſio.

Ad quæſtionem itaque reſpondent Chryſoſt. & Theophyl. Paulum non dicere, Scripſi me per vos tranſiturum in Macedoniam: ſed *volui*, tamquam diceret, Plus volui quàm ſcripſi. Nam animus mihi fuit ad vos proficiſci priùs etiam quàm iturus eſſem in Macedoniam. Eodem ferè modo reſpondent Theodoritus & Oecumenius. Secundum iſtos igitur non ſibi contrarius eſt Paulus; ſed hîc aliquid amplius dicit ſe voluiſſe quàm in priore epiſtola ſcripſerat: hoc eſt non modo poſt iter Macedonicum; quemadmodum illic pollicitus eſt, verùm etiam ante illud inviſere Corinthios.

Refellitur.

Sed huic Græcorum reſponſioni poteſt objici: Si Paulus voluit tantum, & non ſcripſit, neque per nuncium mandavit (id enim tantumdem eſſet ac ſi ſcripſiſſet) quî opus erat ut de ejuſmodi voluntate ſeu propoſito non impleto ſeſe in epiſtola tam operosè purgaret? Deinde, ſi ſcripſit ſe priùs inviſurum Macedones quàm Corinthios; ut ex priore epiſtola eſt manifeſtum: mox autem aliud voluit, nempe priùs ire Corinthum quàm in Macedoniam: & hanc rurſus voluntatem commutavit cum priore: non ſemel igitur, ſed ſecundò mutavit conſilium. Quæ res certè majoris inconſtantiæ ſpeciem habet. Nec verò de ea ſe Paulus excuſat, ſed de una tantum conſilii mutatione, ſignificata per unum *eſt & non*.

Alia reſponſio probabilior.

Illud meo judicio veriſimilius, quod apud S. Thomam & Liranum hac de re legitur: Apoſtolum Paulum in *prima epiſt. ad Cor.* data, quæ non exſtat, & cujus mentionem facit in epiſtola ſuperiore capit. 5. (*vel per nuncium*, addit Thomas) promiſiſſe Corinthiis id quod hîc refert; nempe ſe priùs venturum ad eos, quàm iret in Macedoniam. Cæterùm poſteà mutato conſilio in ſecunda epiſtola quæ nobis prima eſt, ſcripſiſſe quod priùs in Macedoniam profecturus eſſet, atque inde venturus Corinthum. Quod quia priori promiſſioni contrarium erat, de eo nunc, inquiunt, Apoſtolus ſeſe excuſat. His ſimilia commentatur Cajetanus.

Utcumque verò ſe res habeat de prima epiſtola non exſtante, cujus hîc mentionem Cajetanus non facit: & de qua quid nobis videatur, ſuo loco diximus: in eo ſanè videntur admodum loqui probabiliter authores iſti, quod promiſſionem de qua non præſtita ſe nunc Apoſtolus excuſat, diverſam fuiſſe dicunt ab illa quæ in ſuperiore epiſtola habetur; eaque priorem: & quidem ei contrariam. Nam quod attinet ad verba promiſſionis quæ in priori leguntur epiſtola, nihil illis contrarium huc uſque fecerat: & adhuc integrum ipſi erat illud promiſſum complere, ſcilicet à Macedonia (cujus in tranſitu, vel certè poſt tranſitum ſcribitur hæc epiſtola) proficiſcendo Corinthum; idque adeò ſe facturum adhuc pollicetur *hujus epiſtolæ cap.* 12. *&* 13. quod ipſum etiam præſtitit. Nam è Corintho poſteà ſcripſit epiſtolam ad Romanos, ut oſtendimus *in argumento illius epiſtol.* Sed & Lucas refert Actor. 20. Paulum, poſtquam *Macedoniæ partes perambulaſſet*, *in Græciam veniſſe*, id eſt, in Achaiam, ubi Corinthus eſt. Vide quæ diximus ad illud 1. Cor. 16. *Veniam ad vos, cum Macedoniam pertranſiero.*

Quæ Paulo cauſæ mutãdi conſilii, & non præſtendi promiſſi.

Quin & prior epiſtola tale quid etiam quale dicunt hi ſcriptores, innuere videtur, illis maximè verbis: *Nolo enim vos modo in tranſitu videre*; nempe ſicut ante à conſtitueram, & facturum me vobis ſignificaveram. Cum enim multa corrigenda eſſent apud Corinthios, quæ in tranſitu corrigi non poſſent, ſed egerent longiori mora; ſimul ob alias cauſas hac epiſtola ſuis locis indicandas, mutat Apoſtolus conſilium de tranſitu, & promittit ſe poſtquam Macedoniam pertranſiſſet, venturum, ac juſto tempore apud eos moraturum, ſic inquiens: *Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hiemabo;* & iterùm, *Spero enim me aliquantum temporis manere apud vos.* Quod quidem tempus fuit menſium ferè trium; uti Lucas ſignificat *Act.* 20. Videat lector Chryſoſtomi commentarium ad illa verba Pauli inferiora: *Teſtem Deum invoco, quod parcens vobis nondum veni Corinthum*, & comperiet eum tamdem in hanc quam probamus ſententiam deſcendere. Dicit enim ac probabilius cenſet, *Paulo in animo fuiſſe, prius quàm ſuperiorem epiſtolam ſcriberet, ad Corinthios ſe conferre: cæterùm ſuadente charitate ſeſe continuiſſe, ne eos incorrectos offenderet.*

ET A VOBIS DEDUCI IN JUDÆAM. In priori epiſtola dixerat indefinitè: *Ut vos me deducatis quocumque iero*: ac de profectione ſua in Judæam tantùm illud: *Quod ſi dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt*, videlicet tunc adhuc incertus an illuc profecturus eſſet. Interea verò *per Spiritum* edoctus quod *tranſita Macedonia & Achaia Hieroſolymam ire* deberet, ut habetur *Actor.* 19. nunc definitè Judæam nominat, quò ſit deducendus: eò maximè quòd probata Macedonum liberalitate jam conſtitutum eſſet, pecuniam quæ colligebatur in uſum pauperum ſanctorum qui erant Hieroſolymis, ab ipſo perferendam eſſe. Ita Paulus hac mentione ſuæ profectionis in Judæam, tacitè & velut in tranſcurſu Corinthios ſubmonet ejus officii ad quod inferiùs ex inſtituto eos hortatur.

17. CUM ERGO HOC VOLUISSEM, NUMQUID LEVITATE USUS SUM? Græcè, *Hoc igitur volens, numquid levitate uſus ſum? Volens* βουλόμενος, Ambroſ. *cogitans*, id eſt, deliberatè proponens ac ſtatuens. *Senſus* autem eſt: Numquid volens ac ſtatuens illud facere, quod tamen poſteà non feci, leviter ac temerè illud volui? Senſum hunc poſtulat Græcum præſentis temporis participium. Non igitur hîc quærit Apoſtolus, an animi levitate mutaverit prius conſilium: ſed an prior illa voluntas & propoſitum cum levitate fuerit conjunctum. Quod quidem videri poterat ob mutationem conſilii ſubſecutam. Eumdem ſenſum apertè exhibet tranſlatio Syriaca: *Hoc igitur quod cogitavi, numquid tamquam levis cogitavi?* Confirmat etiam quod ſequitur.

Notam levitatis à ſe propulſat Apoſtolus.

AUT QUÆ COGITO SECUNDUM CARNEM COGITO? Græcè: *Aut quæ volo, ſecundùm carnem volo?* Eſt enim idem in Græco verbum, quod interpres ſuprà ſemel & iterùm vertit velle. Significat autem, ut diximus, velle cum deliberatione & conſilio; quod eſt cogitare. Quare & Eraſmus exemplo noſtri interpretis hîc vertendum ſibi putavit *cogito*. Secundùm carnem cogitare more hominum carnalium, id eſt, in cogitationibus ſuis ac ſtudiis obſequi carnali cuipiam affectui, velut avaritiæ, ambitionis, aut conſequendi cujuſcumque commodi temporalis.

Quid cogitare ſecundum carnem.

Nota Paulum duas cauſas prioris conſilii ſuſcepti à ſe removere; levitatem animi, qua fit ut quis temerè proponat & ſtatuat quod poſteà cogatur mutare: & intentionem depravatam ex affectu carnali. Quo vitio ſimiliter impelli ſolent homines ad ea ſtatuenda ac promittenda, quorum ipſos poſtmodum pœniteat. Ex quibus intelligi vult prius ſuum conſilium, quo cogitaverat Corinthios inviſere priuſquã iret in Macedoniam, quamvis illud poſteà mutaverit, reprehenſionem non mereri. Nam & ſapientis eſt conſilium mutare ex re nata, quæ proſpici non potuit. Cur autem mutaverit, eoque ſuum adventum diſtulerit ultrà quàm promiſiſſet: cauſas adfert inferiùs, partim ſub finem hujus capitis & initio ſequentis, partim ſub *finem capitis* 12.

Nota, Sapientis eſſe conſilium mutare ex re nata, quæ proſpici non potuit.

UT SIT APUD ME EST ET NON? Hæc pars ſub eodem cadit interrogationis tenore cum præcedenti: maximè ſecundum Latinam lectionem. *Eſt*

Græcè ναὶ, *etiam*, adverbium affirmandi. Geminatur autem in Græco tam affirmatio quàm negatio, dumtaxat hoc loco. Sic enim legitur : ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ ; id est, *ut sit apud me etiam etiam, & non non?* quæ geminatio *est est, non non*, legitur etiam in textu Ambros. juxta priores editiones, haud obscurè suffragante commentario: legitur & in translatione Syriaca. Cæterùm Græca propter appositum articulum τὸ, pleniùs transferri possunt, vel hoc modo: *ut sit apud me illud etiam etiam, & illud non non* : vel sic, *ut apud me etiam sit etiam, & non sit non.* Quomodo transtulit Erasmus, cui favere videtur sermo similis *in epist. Jacobi cap.* 5. juxta Græcam lectionem, *Sit autem vestrum est est, & non non.* Sed de eo videbimus suo loco.

Est & non quomodo intelligenda.

Chrysost. ac cæteri Græci partem hanc ita accipiunt, quasi Paulus pro absurdo habeat, ut sit apud ipsum *etiam etiam*, id est, constantia affirmationis; *& non non*, id est, constantia negationis: eò nimirum quod spiritu dictante ac jubente vir spiritualis cogatur aliquando consilia mutare: sicut de Paulo scribitur *Act.* 16. quod semel & iterùm prohibitus fuerit à Spiritu-sancto proficisci in eam regionem quam volebat. Verùm quia non mutare consilium, etiam ubi oportet, non est levitatis, sed obstinati animi; Paulus autem levitatis & inconstantiæ, non autem pertinaciæ crimen hîc à se depellere studet: fit ut præsenti loco parum aptè quadret ille Græcorum commentarius.

Porrò nonnulli sine interrogatione legendam putant hanc partem: ut ad interrogationem præcedentē; *aut quæ cogito, secundum carnem cogito?* subaudiatur responsio, Nequaquam. Cujus deinde ratio sequatur, *ut sit apud me etiam etiam, & non non:* hoc est, ut quod affirmo, maneat affirmatum; & quod nego, maneat negatum; nec consilium temerè mutem : sed ubique vestris serviam commodis, hac in parte mihi semper similis & constans. Hunc sensum velle videtur Ambrosiaster, ejusdemque meminit Erasmus *in annotat.* atque eum tradit *in paraphrasi.*

Verior intellectus hujus loci.

Etsi verò nonnihil probabilitatis huic sensui conferant loca *Matth.* 5. *& Jacobi* 5. quibus præcipitur ut sermo noster sit *est est, non non*; multò tamen planior erit hujus loci contextus, si totus usque ad finem interrogativè legatur; hoc itidem plano & aperto sensu: Num levis, num carnalis sum? ut propterea sit apud me *est* & non? id est, modò affirmare, modò negare? dicere & *non* præstare? Cui sensui non obstat quod in Græco duplicantur adverbia: nam id factum videri potest fortioris affirmationis aut negationis significandæ causa; idque ex more Hebræorum, quo & Christus usus est dicens identidem apud Joannem, *Amen Amen dico vobis;* quod non est aliud quàm *etiam etiam*, aut *verè verè dico vobis.* Qua ratione sensus erit hujus partis: Ut rem eamdem nunc vehementer affirmem, nunc vehementer negem.

Suspiciones vitiatæ lectionis.

Hæc si non placeant, restant suspiciones una & altera, Græcæ lectionis vitiatæ. *Prior est*, in Græco fortasse desiderari negationem, qua addita legatur, *ut non sit apud me est est, & non non?* Sic enim erit sermo perspicuus, habensque similitudinem sensus cum scripturis *Matth.* 5. *& Jacobi* 5. Altera, quæ pluribus probatur geminationem adverbiorum huc in Græcum textum irrepsisse ex dictis *locis Matthæi & Jacobi*: cùm scriptum esset simpliciter, quemadmodum infrà semel & iterùm *etiam & non.* Quam conjecturam auget constans lectio veteris & vulgatæ editionis, & omnium ejus interpretum: ut verisimile sit eam in quibusdam Græcis olim exstitisse.

Quatenus à se Paulus removeat est, & non.

Porrò videtur Apostolus his verbis non prorsus à se removere *est & non*, sed eatenus tantùm ut proveniat ex causis memoratis, scilicet ex animi levitate vel affectu carnali. Prorsus autem & omninò removet à Deo divinisque promissis: nec non à se quatenus erat Christi Apostolus, & verborum ejus interpres. Dicere enim poterant ejus adversarii: Si dicta tua & promissa non sunt certa, sed ex occasione mutabilia: poterit igitur & in sermone tuo quo Christum nobis prædicasti, immutabilitas reperiri; ut sit in eo *est & non.* Huic objectioni jam consequenter occurrit dicens :

18. FIDELIS AUTEM DEUS, QUIA SERMO NOSTER, QUI FUIT APUD VOS, NON EST IN ILLO EST ET NON. In multis codicibus legitur, *qui fit apud vos :* quemadmodum & sequenti cap. vertit, *quæ fit à pluribus:* cum neutrobi verbum in Græco sit expressum. Hoc quidem loco sic habet, *quia sermo noster qui ad vos* (πρὸς ὑμᾶς) *non fuit etiam & non.* Erasmus & Hentenius verterunt, *sermo noster erga vos*, id est, quo usus sum apud vos. Particulam *in illo* ut Græca pariter & Syriaca non agnoscunt, ita nec Latinus exhibet textus Ambrosii & Primasii. Quod verò apud eosdem huic versui proximè subjungitur, *Sed est in illo est*, id hoc loco nulli alii codices habent: nec ei quicquam respondet in illorum commentariis : ut planè crediderim inconsideratè adscriptum esse. *Sensus Apostoli* : Deus verax est & infallibilis in dictis & promissis: & ideò sermo prædicationis nostræ quo vobis Christum annunciavimus tamquam Dei Apostoli, non talis fuit ut mutari posset ex affirmatione in negationem, id est, nihil in eo incertum & mutabile; sed omnia firmissima veritate constant. Conjunctionem causalem cum sancto Thoma per redditivam ejus interpretor, *quia* per *ideò*. Quæ quidem ejus acceptio non est infrequens in sacris literis. Exempla sunt Psalmo 85. *Clamavi ad te, quia exaudisti me.* Psal. 118. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.* Osee 9. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal : quia ibi exosos habui eos.* Vide etiam infrà ad illud cap. 4. *Credidi propter quod locutus sum.*

Causalis dictio pro rationali posita.

An Paulus juret hoc loco.

Quidam istud, *Fidelis Deus*, volunt esse formulam obtestantis aut jurantis, ac si dicat, Deum veracem testor, aut, Deus est mihi testis fidelis, *quòd sermo noster*, &c. Quem sensum adfert etiam S. Thom. priore loco. Sed profectò verisimilius est id Apostolum consueta phrasi dixisse enunciativè. Sic enim scribit in priore epist. cap. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus*, & iterùm capit. 10. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari suprà id quod potestis.* Jam quod nonnulli partem hanc interpretantur de sermone Pauli quo promiserat se venturum; tamquam neget eum fuisse vanum & inconstantem, eò quòd non temerè, sed justa ratione consilium mutasset; non habet connexionem cum sequentibus : quæ tamen optimè cohærent cum sensu quem nos dedimus.

19. DEI ENIM FILIUS JESU-CHRISTUS QUI IN VOBIS PER NOS PRÆDICATUS EST. Illud *per nos* non dicit ut multa superiora, de sua tantùm persona, sed de pluribus : quos continuò nominat.

Silvanus idē qui Silas.

PER ME ET SILVANUM ET TIMOTHEUM. Meminit ejusdem Silvani velut coapostoli sui in epigraphe utriusque *epist. ad Thessal.* Meminit & Petrus in fine *primæ suæ epist.* Hunc autem eumdem esse cum Sila Pauli collega, de quo frequens in *Actis Apost.* mentio per *cap.* 15. 16. 17. 18. videlicet Hebræo nomine (quod missum, id est, Apostolum significat, Hieron. teste in *epist.* 143. *quæ est ad Damasum, & in comment. epistol. ad Gal.* 1.) flexione quadam in Romanum commutato, consentiunt omnes ferè interpretes. Nam quod Hieron. *in epistol. memorata*, censet vitiosè Silvanum pro Sila legi in epistolis Paulinis; in hoc ei non assentior: quandoquidem non uno loco, sed pluribus, omnium exemplarium consensu, legitur tam Græcè quam Latinè σιλουανὸς, Silvanus. Quod autem in Menologio Græ-

corum ad diem tricesimum Julii annotantur tamquam duo diversi, *Silas & Silvanus Apostoli*, errore factum non dubito. Potiùs fuerat scribendum, *Silas* sive *Silvanus Apostolus*. Porrò Silam & Timotheum fuisse Pauli cooperarios in prædicando Corinthiis evangelio, potest intelligi ex illis verbis Actor. 18. *Cùm venissent autem de Macedonia* (nempe Corinthum ad Paulum) *Silas & Timotheus; instabat verbo Paulus.* Venerant enim à Paulo accersiti *ut ejusdem libri cap.* 17. dicitur, certè non ob aliud, quàm ut ipsum in illa nova plantatione evangelii adjuvarent.

Non fuit est et non; sed est in illo fuit. Græcè: *Non fuit etiam & non; sed etiam in ipso fuit.* Totius periodi sensus hîc reddi potest: Jesus-Christus Dei filius, qui apud vos per me & Silvanum & Timotheum prædicatus est, cùm sit æterna veritas, ideoque nec fallere possit nec falli; non fuit mutabilis ab affirmatione ad negationem, ut aliquid eorum quæ diceret, mutato consilio non præstaret: sed fuit in eo constans affirmatio. Cùm ergo nos simus Apostoli legati Jesu-Christi, eoque nomine non aliud, quàm Christi verbum & evangelium ac promissa vobis annunciaverimus: (nam & hujus legationis nostræ fidem operatione signorum testatam atque probatam fecimus) utique consequitur nostrum ad vos de Christo sermonem non fuisse mutationi obnoxium.

Christus non fuit est & non.

At sciendum extremam partem ita verti posse, *sed etiam per ipsum fuit*, sive *factum est*, Græcè γέγονεν, ut sensus sit: sed affirmationes & promissiones divinæ per ipsum completæ sunt & complentur. Ita statim ipse noster interpres vertit Græcum ἐν αὐτῷ *per ipsum.* Et huic sensui valde congruunt sequentia.

20. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est. Græcè *in ipso etiam*; supple sunt; quod recto ordine dicas; *sunt etiam in ipso.* Et quamvis Græca lectio neutra parte habeat verbum *sunt*, in utraque tamen subintelligendum est; quemadmodum probè expressit textus Ambrosianus. Itaque *sensus est*: Omnes Dei promissiones quascumque vobis annunciavimus, per Christum sunt ratæ, validæ & immutabiles; quia per eum complentur; sive quatenus est filius Dei, *per quem omnia facta sunt*, ut habet symbolum fidei nostræ, sive quatenus homo, per cujus meritum, & non aliter, Deus in nobis implet sua promissa. Quod posterius magis videtur Apostolus velle.

Omnes Dei promissiones per Christũ ratæ & complendæ.

Nominat autem in præcedenti sententia Dei filium, ut rationem innuat quare Christus non fuerit *est & non.* Id enim nõ ab humana natura, sed à divina. Meritò L. Vallam hoc loco reprehendit Erasmus, quod particulam *in illo* vel *in ipso*, referat ad adverbium *etiam*, dicatque ab aliis imperitè ad Christum referri. Qua in re certè suam ipse prodit imperitiam. Nam ne ad *etiam* referatur, palàm repugnat priori quidem loco *etiam* antepositum; posteriori autem, præpositus ei articulus τὸ casu nominandi, qui cum dativo αὐτῷ non potest cohærere.

Valla reprehensus.

Ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram, *Ideò* non est in Græcis, uno vetusto codice excepto, quem annotavit Rob. Stephanus; in quo scriptum erat, διὸ καὶ δι αὐτοῦ. *Ideo & per ipsum.* Quemadmodum & legitur in textu Syriaco. Cæterùm Græca sic habent: *Et in ipso Amen Deo ad gloriam per nos.* Quæ eadem prorsus est lectio textus Ambros. nisi quod pro *in ipso*, nobiscum *per ipsum*: quod est alterius explicatio. Pelagium quoque & Primasium atque Sedulium legisse *per nos*, ex eorum scholiis est manifestum. In quibus autem Latinis codicibus legitur *ad gloriam vestram*, mendosos esse non dubium est: ut & eos, in quibus ascriptum est verbum *dicimus*, sive ante *Amen*, sive post *Deo*. Hoc enim, inquit Haimo, non est *de textu, sed de glossa*: scilicet ordinaria, quæ id supplendum putavit: quomodo Syrus Paraphrastes supplet verbum *damus*, id est, respondemus, *Amen.* Quamquam non videtur opus hujusmodi supplemento, maximè secundùm Græcam lectionem. Nam Apostolus dicens *in ipso Amen*, repetit id ipsum quod dixerat *in ipso etiam*: ut quemadmodum illic, ita & hic, verbo *sunt* subaudito, oratio perficiatur. Repetit autem, ut ipsa repetitione rem magis confirmet, affirmationem per adverbium Græcum καὶ declaratam velut obsignans affirmatione significata per Hebraicum *Amen*, id est, fiat, firmumque sit: quod vocabulum jam usu receptum erat in ecclesiis Græcorum atque Gentilium.

Ejusdem repetitio voce Græca & Hebraica.

Dicit igitur omnes Dei promissiones per Christum esse *Amen*, id est, veraces, firmas & immutabiles, *Deo ad gloriam*, hoc est, *ad Dei gloriam*: uti reddidit interpres Syrus. Glorificatur enim Deus in Christo, per quem implet sua promissa. Docet hic locus per Christi meritum omnia bona salutaria nobis provenire. Sequitur autem loco *nostram*, in Græco *per nos*, id est, per ministerium nostrum. Loquitur enim de se suisque coapostolis, quos suprà nominavit: per quos ut & per alios fidos Christi ministros, evangelium ejus sua prædicatione propagantes, Deus Gentes ad fidem & salutem vocabat: eoque pacto promissiones implebat patribus factas, nominatim illam Genes. 22. *In semine tuo benedicentur omnes Gentes.*

Per Christũ omnia bona salutaria nobis proveniunt.

21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo et qui unxit nos, Deus. Quoniam proximè dixerat: *per nos* implentur Dei promissiones; explicat illud, ac totum rursus in Deum authorem refundit. Pro eo quod habemus, *Nos vobiscum*; exemplaria quædam legunt è converso, *vos nobiscum*; sed priorem lectionem germanam esse probat consensus codicum & interpretum Græcorum, astipulante versione Syriaca, cum plerisque etiam Latinis exemplaribus. Addit autem Apostolus, *vobiscum*; id quod de se dicit, commune ex parte faciens Corinthiis: ut eos in hac sua defensione benevolos habeat. Potestque particula *vobiscum* repeti ad tria sequentia verba, *unxit*, *signavit*, *dedit pignus*, &c. Competunt enim hæc omnia suo modo toti ecclesiæ. Unde & Ephesiis attribuit quod sint *obsignati Spiritu sancto*, Ephes. 1. Quamquam alioquin ut hîc ad singula repetatur, non est necesse.

Deus est, inquit, qui nos evangelii sui ministros unà vobiscum *confirmat in Christo*, vel (ut Græca habent, & vetera quædam Latina) *in Christum*; id est, facit firmiter Christo inhærere; vos quidem per fidem, de qua paulò pòst dicit, *Nam fide statis*: nos autem præter hoc faciens fideles evangelii sui ministros, & inter tot tentationes & adversitates firmitatem atque constantiam suppeditans, ne quid aliud quàm quod ab eo accepimus, cujus Apostoli sumus, vos doceamus. Idem Deus est *qui nos unxit*, videlicet Spiritu-sancto, id est, delibutos reddidit multorum & magnorum Spiritus-sancti donorum infusione, quæ præbent argumentum rectæ & sinceræ nostræ prædicationis. Pelagius & Primasius etiam chrismatis hîc meminerunt, dicentes, *Unxit nos Spiritu sancto vel chrismate*: quasi sit allusio ad chrismatis unctionem, quæ fit in sacramentis. Locum hunc paulò aliter legit commentator Ambros. *Qui autem confirmat nos, vobiscum, Christus Dominus est: & qui unxit nos, Deus.* Eamdemque lectionem studiosè explanat & urget pro consubstantialitate Filii cum Patre. Nusquam tamen alibi hanc lectionem reperio.

Unctio Spiritus-sancti quæ.

22. Qui et signavit nos. Græcè, ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς, *qui etiam obsignavit nos*; nempe Spiritu-sancto, id est, tamquam sigillum quoddam nobis impressit Spiritum-sanctum, largiendo varia ejus

Spiritus-sanctus sigillum.

charisinata, quæ sigilli instar nos probent veros Dei nuncios ac ministros. Nam sigillum principis impressum aut appensum diplomati certam fidem facit inter homines. Spiritum-sanctum intelligi in utraque parte præcedenti, declarat pars sequens.

ET DEDIT PIGNUS SPIRITUS IN CORDIBUS NOSTRIS. *Pignus*, Græcè ἀῤῥαβῶνα, *arrhabonem*, sive *arrham*: quæ nimirum dari solet ad confirmationem contractus aut promissi. Nam pignus aliam notissimam apud Latinos significationem habet. Sed interpres pignus pro arrha posuit, ob significationis quamdam affinitatem. *Sensus:* Qui idem Deus dedit in cordibus nostris arrham suarum promissionum, ipsum Spiritum-sanctum. Et quidem intransitivè *pignus Spiritum* legit Augustinus locis à Beda recitatis: nec non commentator Ambros. qui & in eumdem sensum exponit, ita scribens: *Qui & signavit nos, dando Spiritum suum nobis pignus, ut non ambigamus de promissis ejus,* Hîc rursus Spiritum intellige secundùm varia ejus dona, quæ largiùs effusa fuerunt in Apostolos, quàm in cæteros fideles. Conferendus est hic locus cum eo qui est *Ephes.* 1. ubi leguntur hæc verba: *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*: ubi & a nobis metaphoræ sigilli & pignoris sive arrhæ pleniùs explicantur. Jam ex his colligi vult Apostolus Paulus, nulla ratione credendum, quod suæ prædicationi tot modis divinitus confirmatæ subesse possit aliqua justa falsitatis aut incertitudinis suspicio.

Spiritus-sanctus arrha seu pignus.

23. EGO AUTEM TESTEM DEUM INVOCO IN ANIMAM MEAM. Postquam depulit à se crimen inconstantiæ; tamdem eis aperit causam mutati consilii, ac promissi non præstiti. Poterat hîc esse principium secundi capitis, cum quo ista cohærent. Nam & textus Syriacus hinc facit sectionis initium: & Chrysost. ab hoc loco novam homiliam incipit. Cæterùm Apostolus quò certiùs persuadeat quod dicturus est, juramentum adhibet, idque non simplex, sed cum adjuncta exsecratione. Deum, inquit, advoco testem ejus quod loquor (id enim est jurare) ac ni ita sit, Deus injuria affectus quòd falsi testis vocatus sit, ulciscatur in animam meam, id est, in me. Nam anima pro homine synecdoche est in scripturis usitatissima.

Juramentū Pauli cū exsecratione.

Anima pro homine.

Non igitur his verbis jurat Apostolus per animam suam, ut quidam existimant; (quod & sensisse videtur qui vertit ex Syriaco: *Ego verò testor Deum per animam meam.*) sed jurat per Deum expressè nominatum, addita exsecratione sive maledicto, cui animam suam, id est, semetipsum subjiciat, si fallat: ac si diceret; Perdat me Deus, nisi vera dixero. Sunt qui sic exponant: Deum invoco testem animi mei. Sed hi ad scripturæ phrasim con attendunt.

Solus Deus jurat per animam suam.

Porrò juravisse per animam suam solus Deus in scripturis legitur, ut *Jeremiæ* 51. *& Amos* 6. Siquidem solus jurat per seipsum: quia non habet majorem per quem juret, *Hebr.* 6. Locum hunc inter alios observat Augustin. *epist.* 79. *quæst.* 5. ut doceat Christiano juramentum non esse illicitum, ubi necessitas aliqua postulat ut juretur. Quæ quidem Paulo fuit in re præsenti: scilicet ut adversus æmulorum calumnias suam existimationem, & Apostolatus sui dignitatem apud Corinthios tueretur.

Jurare licitū Christiano, quatenus.

QUOD PARCENS VOBIS NON VENI ULTRA CORINTHUM. *Non ultrà* Græcè οὐκ ἔτι, *non adhuc*, id est, *nondum*, ut habet textus Ambrosianus. Deum testor, inquit, me propterea nondum venisse Corinthum, sed aliò abivisse, secus quàm promiseram; quod parcerem vobis, id est, evitarem occasionem vos puniendi pro peccatis commissis ac pœnitentia non deletis: qualia nimirum commemorat infrà *cap.* 12. quorum & meminit superioris *epist. cap.* 4. 5. *& 6.* Unde & *ult. cap.* hujus epist. dicit: *Hæc absens scribo, ut non præsens durius agam pro potestate, quam Dominus mihi dedit.* Itaque parcere est non duriùs agere. Hanc rationem retardati sui adventus amplius declarat *capite proximo.*

24. NON QUIA DOMINAMUR FIDEI VESTRÆ. Quia dixerat *parcens vobis*, quasi potestatem habens puniendi (nam ejusdem est parcere & punire:) ne tamquam Dominus hoc dixisse videatur, removet hanc de se opinionē. Neque enim soli domini puniūt, sed etiam patres. Simul autem obliquè taxat Pseudapostolos, quos dominantes & omnia imperantes, ac velut tributorum exactores, ferebant Corinthii. Hoc est enim quod infrà scribit cap. 11. *Sustinetis si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.* Ista namque facere solent domini. Eadem verò longissimè aberant à moribus Apostoli Pauli. Quod dicit, *fidei vestræ*, Cajetanus exponit *vobis fidelibus.* Theophyl. ex mente Chrysostomi hoc modo: *Non quod sit mihi jus in fidem vestram. Liberæ namque voluntatis fides est: neque quisquam cogit nolentem credere.*

Pseudapostoli dominantes.

Quid dominari fidei.

Porrò Theodoritus & apud Oecumenium Photius sic interpretantur; Non quod dominemur vobis fide, id est, propter fidem vestram, quam nostro magisterio didicistis: quasi propter eam jus aliquod ac potestatem, qualis est dominorum, ego & consortes mei in vos usurpare velimus. Atque hic videtur esse germanus sensus; quem & Gaigneus probat, & sua versione expressit Erasmus; *Non*, inquit, *quod dominemur vobis nomine fidei.*

Sensus germanus.

Sensus hic probabilis fit ex articuli τῆς collocatione; quemadmodum observat idem Erasmus in annotatione. Neque enim scripsit Apostolus τῆς ὑμῶν πίστεως; sed ὑμῶν τῆς πίστεως, ut subaudiatur ἕνεκα, causæ significativum. Est autem dominari, præesse cum ostentatione potestatis, eaque abuti ad privata commoda: Quod non solùm à prælatis ecclesiasticis abesse debet, verùm etiam à sæcularibus. Quod si dominari esset præcipere, minari, punire, ut quidam adversus ecclesiasticam potestatem hunc locum interpretantur; non benè Paulus à se dominationem removeret, qui & præcepta dedit, tam Corinthiis quàm aliis, *& in promptu habet ulcisci omnem inobedientiam*, infrà c. 10. & minatur Corinthiis in utraque epistola (minantis enim verba sunt, *In virga veniam ad vos?* 1. Cor. 4. &, *Si venero iterum non parcam*, infrà cap. 13.) & infamem illum apud eos fornicatorem severè puniendum iisdem Corinthiis præcipit, 1. Cor. 5.

Quid dominari, fidei.

Nota, locum cōtra obtrectatores potestatis Ecclesiasticæ.

SED ADJUTORES SUMUS GAUDII VESTRI. *Adjutores*, Græcè συνεργοὶ, *cooperantes.* Quin potiùs, inquit, ideò dixi *parcens vobis*: quòd unà studeamus procurare gaudium vestrum. Potest autem intelligi illa cooperatio, vel Pauli cum suis coapostolis, vel Pauli cum iis ad quos scribit. Quamquam magis arbitror intelligendum priori modo. Loquitur autem de gaudio oppositio tristitiæ, quam illis pepererat ipsius objurgatio: de qua eorum tristitia mox initio *capitis sequentis*, ac rursum *cap.* 6. *&* 7. Ad hoc enim parcebat eis, ne tristitiam haberent puniti, sed gaudium absque severitate punitionis correcti. Unde & hæc epistola magna parte consolatoria est.

NAM FIDE STATIS. Minus rectè apud Primasium legitur ex alia quapiam versione *stetistis.* Græcum enim præteriti temporis verbum ἕστηκατε significationem habet actus perseverantis, ut Matth. 20. *Quid hic statis* (ἑστήκατε) *tota die otiosi?* Theophylact. hanc partem refert ad illud præcedens: *Non quia dominamur fidei vestræ:* tamquam Apostolus dicat, Nam quod ad fidem attinet, statis, non excidistis ab ea: quare non est quod metuatis ne fidei causa potestatem Apostolicam, quam dominationem æmuli mei interpretantur, in vos exerceam. Verùm sunt alia quædam apud vos meritò punienda, de quibus scribo me vobis parcere. Eodem refert B.

Thom. licet ſenſum non explicet. Cajetanus verò jungit cum eo quod proximè præceſſit, hoc ſenſu: *Indigetis gaudio, quoniam fide conſtantes eſtis.*

Equidem malim hunc ſenſum: Digni eſtis gaudio, quia ſtatis in fide. Et ideò nolumus vos contriſtare, ſed magis ſuggerere materiam gaudii; quod conſtans fides veſtra mereretur: tantùm abeſt ut fidei nomine dominationem apud vos affectemus. Fide ſtare dicit, pro eo quod eſt in fide ſtare. Quomodo *Gal.* 5. juxta Græcum textum, libertate ſtare, id eſt, in libertate ſtare. Sed de ea ſcriptura ſuo loco: quum alioqui poſſit quod hîc dicitur, etiam ſic intelligi, quomodo S. Thomas exponit: *Per fidem ſtatis in iſta gratia Chriſti.* Cæterùm non negat Apoſtolus inter Corinthios fuiſſe qui vacillarent in aliqua parte fidei: quales erant qui dicebant reſurrectionem non eſſe, 1. Cor. 15. Verùm in hoc eos laudat, quod fidem Chriſtianam non deſererent; ſed in ejus confeſſione permanerent. Annotat Eraſmus, in quibuſdam Græcis exemplaribus haberi, ἑστήκατε, *ſtamus*. Sed eam lectionem ut mendoſam & contextui incongruam, alii meritò rejiciunt.

Quid fide ſtare.

CAPUT II.

STatui autem hoc ipſum apud me, ne iterùm in triſtitia venirem ad vos. 2. Si enim ego contriſto vos: & quis eſt, qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me? 3. Et hoc ipſum ſcripſi vobis, ut non cum venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium veſtrum eſt. 4. Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas: non ut contriſtemini: ſed ut ſciatis, quam charitatem habeam abundantiùs in vobis. 5. Si quis autem contriſtavit, non me contriſtavit: ſed ex parte, ut non onerem omnes vos. 6. Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus. 7. Ita ut econtrario magis donetis, & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt. 8. Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. 9. Ideò enim & ſcripſi, ut cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis. 10. Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti. 11. Ut non circumveniamur à ſatana: non enim ignoramus cogitationes ejus. 12. Cum veniſſem autem Troadem propter Evangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, 13. non habui requiem ſpiritui meo, eò quòd non invenerim Titum fratrem meum, ſed valefaciens eis profectus ſum in Macedoniam. 14. Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: 15. Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt. 16. Aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? 17. Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto loquimur.

SUMMARIUM.

SCribit idcircò ſe non veniſſe, ne eos triſtitia afficeret. Hortatur ut fornicario jam ſatis afflicto condonationem unà ſecum faciant. Addit de Tito non invento; & de evangelio perſuam prædicationem inſtar boni odoris latè diſperſo, licet non ab omnibus recepto. Notat inſinceros evangelii miniſtros.

Cauſam dilati ſui: eventus exponit Paulus.

STatui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. Cauſam propter quam nondum venerat, paulò antè indicatam, cum diceret, *parcens vobis*, hîc jam pleniùs exponit Apoſtolus. Græca ſic habent: *Decrevi autem mihi ipſi*, id eſt, *apud meipſum, hoc, non iterùm venire in triſtitia ad vos.* Significat enim illud, *non iterum venire*, &c. fuiſſe apud ſe decretum & conſtitutum; ut patet ex articulo Græco τὸ præfixo. Dubium eſt autem, adverbium *iterùm* quid determinet. Neque enim referri poteſt ad totum illud, *venire in triſtitia*. Non enim anteà aliquando Paulus ad Corinthios venerat in triſtitia. Chryſoſtomus & ejus ſequaces, quos & Eraſmus ſequitur in ſua paraphraſi, referunt ad ſolum illud, *in triſtitia*. Nam, ut aiunt, quia ſuperiore epiſtola Corinthios mœrore affecerat, noluit iterùm eos contriſtare. Quod futurum erat, ſi ad eos nondum correctos veniſſet.

Dubium & ejus ſolutio.

At verò Cajetanus rem meliùs videtur aſſecutus, quando particulam *iterùm* tantummodo referri vult ad verbum venire: ut ſenſus ſit, Nolui ſecundum meum adventum ad vos, eſſe cum triſtitia. Quod & ante Cajetanum breviter annotavit Theodoritus, dicens: *Illud iterum cum adventu, non cum triſtitia conjunctum eſſe.* Sentiunt hoc ipſum Pelagius & Primaſius, dum Apoſtoli verba ſic exponunt: *Cogitavi vel diſpoſui, ne in triſtia ſecundò veniam, qui cum primùm credidiſtis, apud vos in gaudio fui.* Senſum hunc confirmat contextus Græcus, in quo proximè ſibi junguntur, *iterum venire*. Simili ſermone dicit infrà cap. 12. *Ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos.* Vide loci illius commentarium. Porrò loquitur Apoſtolus de triſtitia non tam ſua quàm Corinthiorum, qua nempe per ipſum afficiendi erant: quamvis ex illa doceat etiam ſuam triſtitiam conſecuturam. Hoc enim eſt quod ſequitur.

2. SI ENIM EGO CONTRISTO VOS, ET QUIS EST QUI ME LÆTIFICET NISI QUI CONTRISTATUR EX ME? Sermonem mutilum eſſe putat Cajetanus, ac ſupplet hoc modo: Si ego contriſto vos, quis vos conſolabitur; cùm mei ſit officii vos conſolari? Deinde nova ſententia vult ſubjungi quod ſequitur, *Et quis eſt qui me lætificet, niſi*, &c. Magis placet quod alii dicunt, voculam & , ut interdum in ſcriptis Paulinis, redundare. Quamquam etiam videri poteſt, per eam additam aliquid gratiæ accedere interrogationi: velut ſi dicatur; Ecquis, aut, quis verò, quis obſecro. Planus igitur *ſenſus eſt*; Quod ſi ego vos contriſto, dum præſens ſum apud vos; quiſnam erit obſecro, qui me apud vos exhilaret? ac ſi dicat, nemo. Nam vos ex me contriſtati me exhilarare non poteritis. Alius verò qui me exhilaret apud vos, nullus eſt.

Et in ſcripturis interdũ redundat.

3. ET HOC IPSUM SCRIPSI VOBIS. Ordo in Græcis: *Et ſcripſi vobis hoc ipſum.* Chryſoſtomus & Oecumenius *hoc ipſum* quod ſe ſcripſiſſe dicit, intelligunt de eo quod ſcripſit in fine præſentis epiſtolæ videlicet illis verbis cap. 12. *Ne iterùm cum venero, humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex iis qui antè peccaverunt*; &c. At profectò abſurdum videtur, ut Apoſtolus ſcripſiſſe ſe dicat quod ſub finem epiſtolæ ſcripturus eſt. Itaque Theophyl. referre mavult ad hujus epiſt. ſuperiora. Sic enim interpretatur: *Hoc ipſum quod parcens vobis nondum veni, ſcripſi in hac epiſtola.* Alii veriſimilius putant Apoſtolum reſpicere ad priorem epiſtolam: quaſi dicat, De hac re, ſcilicet ut priùs emendaretis errata quàm ego venirem, ſcripſi ad vos in *priore epiſt.* Nam illius epiſtolæ *cap. 5. & 6.* ſollicitè eos ad corrigenda vitia fuerat hortatus, etiam cum gravi increpatione & comminatione; qualis illa; *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* Hic ſenſus maximè textui videtur accommodus; & confirmatur ex eo quod ſtatim poſt repetit Apoſtolus ſe ſcripſiſſe *ex multa tribulatione & per multas lachrymas*, utique in priore epiſtola: ut illud ab omnibus accipitur. Nam præſentem epiſtolam non ex tribulatione neque cum lachrymis ſcripſit, ſed divina conſolatione recreatus, ut capite ſuperiori: & ob emendationem Corinthiorum gaudio repletus, ut *infrà* latè cap. 7.

UT NON CUM VENERO, TRISTITIAM SUPER

SUPER TRISTITIAM HABEAM, DE QUIBUS OPORTUERAT ME GAUDERE. *Cum venero*, Græcè participium ἐλθὼν, pro quo textus Ambroſ. *cùm veniſſet*: Eraſmus, *ſi veniſſem*. Illud *ſuper triſtitiam*, in Græcis, quibus & Syriaca ſubſcribunt, non habetur: exceptis Complutenſibus, & Rhodienſi quodam codice, (de quo vide quæ ſcribit Eraſmus in annot.) & alio, ſi tamen eſt alius, apud R. Stephanum indicato. Certè nec Græci commentatores attingunt. Latini quidem omnes, præter unum Ambroſianum, legunt & exponunt: ſed non levis ſuſpicio eſt adventitium eſſe ex epiſtola ad Philip. cap. 2. ubi tam Græcè quàm Latinè leguntur hæc verba, *Ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem*. Alioqui ſanè hæc duplicatio non admodum quadrat huic loco.

Nam *ſenſus eſt*: Hoc ipſum vobis ideò ſcripſi, ne cùm venero, vel (commodiùs ad mentem Apoſtoli) ne cùm veniſſem, ad vos ſcilicet nondum correctos, dolorem caperem ex eis, *de quibus oportebat* (ἔδει) *me gaudere*; id eſt, ex vobis, qui mihi debebatis eſſe gaudii materia: quia veſter ſum Apoſtolus, & *vos opus meum eſtis in Domino*, 1. Cor. 9.

CONFIDENS IN OMNIBUS VOBIS, QUIA MEUM GAUDIUM OMNIUM VESTRUM EST. *Confidens*, Græcè πεποιθὼς *confiſus*, *perſuaſus*. Ambroſ. *Certum habens*. Poteſt autem hoc participium conſtrui vel cum verbo *ſcripſi*; quò referunt plerique: vel cum illa parte, *ne triſtitiam habeam*: niſi referas, quod quibuſdam placet, nec mihi diſplicet, ad proximum verbum *gaudere*: ut vel neglectu grammaticæ, vel Hebræo more dixerit Apoſtolus, *gaudere confidens*: pro *gaudere, confidentem*. Ita ſenſus erit: Ne triſtitiam habeam ex vobis, de quibus oportebat me gaudere, & quidem cum fructu gaudii veſtri: ut qui eam fiduciam de vobis animo jamdudum conceperim, quod me gaudente ſitis omnes gaviſuri: ſive exponente Cajetano: *quod meum gaudium eſtimetis ut veſtrum*. In ſumma, ſignificat ſe gaudere velle non tam ſui cauſa, quàm illorum, in quos ſuum gaudium erat continuò redundaturum. Dicit autem *in omnibus vobis*, ut idem annotat Cajetanus: *præſumendo bonum de omnibus, ex eo quod non conſtabat ei contrarium de aliquo*, vel potiùs, universè loquitur, totam Corinthiorum eccleſiam ſignificans; licet non quantum ad ſingulos ſine exceptione.

Gaudium Pauli gaudiũ Corinthiorũ.

4. NAM EX MULTA TRIBULATIONE ET ANGUSTIA CORDIS SCRIPSI VOBIS PER MULTAS LACRYMAS. Declarat quod dixit, habiturum ſe triſtitiam ſi veniſſet; idque ex triſtitia quam habuit abſens. Simul objectionem removet, qua dicere poterant Corinthii: Quomodo nunc ſcribis te nolle nos contriſtare, quos *in epiſt. priore* tam graviter increpaſti? Nam, inquit, ex multa animi afflictione, id eſt, dolore, & ex multa cordis anxietate (quam Græcè συνοχὴν, id eſt, coarctationem vocat) utpote vehementer ſollicitus, quomodo peccata veſtra quæ me contriſtabant, corrigi poſſent: ſcripſi vobis priorem epiſtolam; nec id ſine multis lachrymis, quæ doloris mei magnitudinem teſtabantur. Scripſi inquam, cum objurgatione.

Objectionẽ removet.

NON UT CONTRISTEMINI. Meliùs *contriſtaremini*. Scripſi, inquit, non intendens malum triſtitiæ veſtræ: ſed bonum aliquod ei conjunctum; ſcilicet emendationem veſtram. Unde ſcribit infrà cap. 7. *Nunc gaudeo*: *non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*. Non addit tamen Apoſtolus hanc objurgationis ſuæ cauſam, id eſt, emendationem ipſorum; ſed eam relinquens intelligendam, exprimit aliam, qua dulciorem reddat ſermonem, ſuæque erga illos dilectionis affectum commonſtret: ut annotavit poſt Chryſoſtomum Theophyl. Ea cauſa ſequitur.

SED UT SCIATIS QUAM CHARITATEM HABEAM ABUNDANTIUS IN VOBIS. Græcè, *Sed charitatem ut cognoſceretis, quam habeo abundantius in vos*. Noſter interpres verba commodè tranſpoſuit. Ambroſ. ſic legit: *ſed ut cognoſcatis charitatem quam habeo abundantiùs erga vos*. Senſus; Sed ut ex hujuſmodi literis meis teſtatam vobis facerem amoris, quem erga vos gero, magnitudinem. Breviter; Ut intelligeretis quantum vos diligam. Siquidem illud *abundantiùs*, pro abundanter poſitum videtur. Nam & paulò pòſt plures dicit pro multis, & abundantiorem triſtitiam pro valde magna. Quamquam Græci comparativum expendunt, nominatim Chryſoſt. tamquam ſentiat Apoſtolus ſe Corinthios majore præ cæteris amore complexum fuiſſe, quod eos in Chriſto per evangelium genuiſſet: ideoque propriè eorum pater & Apoſtolus eſſet, 1. Cor. 4. & 9. Similia leguntur apud Latinos interpretes. Verùm quia plurimi erant alii, quos Paulus in Chriſto genuerat, in quibus Macedones, ad quorum imitationem in hac ipſa epiſtola Corinthios excitat; qui proinde non minùs diligendi fuerint, idcircò priorem expoſitionem puto retinendam. Eſt autem veræ & magnæ charitatis argumentum, ſi quis eorum quos curare debet, peccata non diſſimulet, ſed apertè & opportunè corripiat: etiam adhibita ſi opus ſit, duriori increpatione: quamvis noverit eos inde contriſtandos.

Comparativus loco poſitivi.

Nota ad meres, Charitatis argumentum eſſe ſubditorum peccata non diſſimulare.

5. SI QUIS AUTEM CONTRISTAVIT; NON ME CONTRISTAVIT, SED EX PARTE, UT NON ONEREM OMNES VOS. Tranſit ad mentionem hominis, qui præcipuam triſtitiæ cauſam dederat. Is erat fornicarius ille, de quo in *priore epiſt. c.* 5. Dico præcipuam, quoniam erant & alii quorum gravia peccata punitionem merebantur; & propter hoc tam Apoſtolo quàm aliis bonis erant cauſa triſtitiæ; de quibus infra meminit in fine cap. 12. Mollit autem ſermonem, utens coditionali vocula, quæ ſolet eſſe dubitantis. *Si quis contriſtavit*: non quod dubitet, ſed quaſi facti oblitus propter illius pœnitentiam. Ideò neque crimen ipſum exprimit, ſicut in priore epiſtola: nempe, quod ille qui peccaverat, jam per contritionem & pœnam ſuſceptam regere ac delere cœpiſſet ſuum peccatum.

De eodem peccatore hic agi, de quo in priore epiſtola, probatur contra Tertullianum.

Alioquin eumdem hunc eſſe cum illo quem priùs ob inceſtum juſſerat tradi Satanæ, nullus eſt commentatorum qui dubitet. Idipſum verò diſertè teſtantur Origenes *homil. 1. ſuper Pſalm. 37.* Pacianus *in epiſtol. 3. ad Symphron.* Ambroſius *libr. 1. de pœnit. cap. ult.* & Gregorius *lib. 33. Moral. capit. 8.* Quamquam & res ipſa loquitur eumdem eſſe. *Nam*, ut ait Auguſt, *lib. 3. contra epiſtol.* Parmen cap. 1. *non invenitur de quo alio ſignificet* Apoſtolus, hæc ſcribens. Nec audiendus Tertull. qui multis verbis alium eſſe contendit, *libr. de pudic. cap. 13. & aliquot ſeq.* ne videlicet fateri cogatur (quod in eo libro negat & oppugnat) mœchos & fornicatores ad pœnitentiam ab eccleſia recipiendos eſſe. Quapropter ut hunc ab illo diverſum eſſe doceat, ratiunculas coacervat: ſed reverà leves ac futiles, in quibus refellendis non ſit nobis immorandum.

Hæreſis Tertulliani, fornicatores ad pœnitentiam non eſſe recipiendos.

Porrò locus hic nonnihil obſcurus eſt; & variè conſtruitur atque exponitur. *Senſus* primò obvius eſſe videtur hujuſmodi: Quod ſi quis contriſtavit, hoc eſt, author fuit ejus mœroris ac triſtitiæ de qua locutus ſum: non me contriſtavit ſolum & propriè, ſed me contriſtavit ex parte, id eſt, ut partem & membrum eccleſiæ, quæ principaliter læſa & contriſtata fuit. Idque dico, ut ne vos omnes onerem culpa illius fornicarii. Nam ſi me ſolum contriſtaſſet; vos omnes eſſetis ab ea triſtitia immunes: ideoque videremini peccati illius per conſenſum eſſe participes: quia qui non dolet de malo quod novit, conſentire videtur. Poteſt etiam illud, *non me contriſtavit*, abſolutè capi, verùm ita ut ſequatur exceptio, *ſed ex parte*, id eſt, niſi ex parte. Nam ut *niſi* pro *ſed* in

Hujus loci varia conſtructio.

scripturis frequens est, ita vicissim *sed* pro *nisi* positum interdum reperitur, ut Marci 9. *Neminem amplius viderunt, sed Jesum solum*: ut est in Græco: hoc est, nisi Jesum solum. Quamquam hic sensus in eumdem recidit cum priori.

Quidam exponunt hoc modo: Qui contristavit, non me omninò contristavit, sed ex parte aliqua secundum rationis modum: aliis multis bonis qui apud vos sunt, ex altera parte me consolantibus: ut ne videar omnes vos incusare, & omnibus meæ tristitiæ causam imponere. Probat hunc sensum S. Thom. quem Liranus, Carthus. & Titelman. sequuntur. Aliter Hervæus: Non omninò me contristatum dixerim, sed moderatè: ne si vehementiùs contristatum me dixero, vos etiam omnes qui me amatis, vehementiori tristitia gravem: cujus studium est, uti præfatus sum, tristitiam à vobis repellere.

Hyperbaton. Cæterùm alii in verbis Apostoli hyperbaton esse volunt: quo separantur illa duo sensum conjungenda, *ex parte, & omnes vos*. Sensum enim hunc faciunt: Author ille tristitiæ non me solum contristavit, sed ex parte etiam vos omnes: ex parte, inquam, ut *non onerem*, sive ut Græcè est, βλίβω, *aggravem*, scilicet illum hominem nostri vestrique luctus authorem, id est, ne peccatum ejus videar nimis exaggerare, simpliciter affirmando quod in mœrorem & luctum vestram ecclesiam totam conjecerit. Ubi tamen illud *ex parte* non est addstum ad excipiendum aliquos Corinthios à participatione mœroris; dicit enim *omnes vos*: sed ad imperfectionem mœroris significandam: quomodo dixit 1. Cor. 19. *Nunc cognosco ex parte*, & in hac epistola cap. præcedenti, *cognovistis nos ex parte*.

Videtur enim & hoc loco, dum velut extenuat delictum fornicarii, dicens *ex parte*, simul eodem verbo notare teporem Corinthiorum, qui in principio non satis ut oportebat, commoti fuerint adversus tantum flagitium apud ipsos perpetratum. Hic autem commentarius Chrysostomi est, & sequacium ejus Græcorum, comprobatus etiam à Latinis plerisque recentioribus. Nec diversum volunt, qui particulam, *ut non onerem*, interpretantur: ne quid gravius aut acerbius de illo dicam.

Sunt & aliæ apud alios hujus loci interpretationes, inter quas est & ea quam ex glossa ordinaria sumpserunt Lombardus & alii quidam, ironicè exponentes illam partem, *ut non onerem omnes vos*. Verùm potiores sunt quas adduximus: & inter eas ad mentem Apostoli maximè accommodata, quam postremam posuimus. Vult enim Apostolus, ut omnes condonent, quia omnes affecti fuerant tristitia: faciles tamen esse vult ad indulgendum; quia non plurimum sed ex parte contristati fuerant. Syrus paraphrastes hyperbaton quidem agnoscit, dum ita vertit, *Si quis autem tristitia affecit, non me tristitia affecit, sed paululum vos omnes*: at dum nihilominus illa verba, *ut non onerem*, ad eosdem refert Corinthios, sic ea interpretans; *ne gravis esset sermo contra vos*: videtur ab Apostoli mente recedere.

6. SUFFICIT ILLI QUI HUJUSMODI EST, OBJURGATIO HÆC QUÆ FIT A PLURIBUS. Verti poterat: *Quæ facta est à pluribus*. Nam verbum in Græco non est expressum. Ac sanè, præteritum magis quadrat. *Objurgatio*, Græcè ἐπιτιμία *increpatio*, severa correctio pro qua mendosè, ni fallor, apud Augustinum *correctio* legitur. Nam correctio non est increpatio, sed finis increpationis. Descendit Apostolus ad consolationem incesti illius excommunicati, jamque pœnitentis: quem vult in gratiam ab ecclesia recipi, condonatione delicti quo eam contristaverat; & pro quo jam subiverat aliquantam pœnam à fidelium communione separatus, ac Satanæ traditus. Id enim erat aliquo-usque satisfeciisse. Quod significat verbum *sufficit*, Græcè ἱκανὸν, *sufficiens est, satis est*. Nam *satis est* legunt Ambrosiaster *in comment.* & Ambrosius *in fine lib.* 1. *de pœnit.* & ante eos Tertull. Alibi quoque vetus interpres satisfactionem transtulit, ut Actor. 17. καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν, *& accepta satisfactione ab Jasone*, &c. Accedit quod Græca vox ἐπιτιμία non solùm significat increpationem, verùm etiam mulctam seu pœnam pro delicto satisfactoriam. Quæ significatio probè congruit hoc loco. Non enim nudam increpationem verbis factam sufficientem esse vult Apostolus, sed totam punitionem quæ ab increpatione ceperat initium. Satisfactio pro peccato.

Igitur hujus *loci sensus est*: Illa publica separatio cum gravi increpatione & criminis exaggeratione, totius ecclesiæ vestræ consensu facta, qua à corpore ecclesiæ velut membrum noxium amputatus est, & hactenus ab omnibus devitatus, non sine maximo ipsius pudore ac dolore: *sufficit illi talis* (τῷ τοιούτῳ) scilicet ei qui ecclesiam contristavit: sufficit, inquam, pro satisfactione sui delicti: ita nimirum, ut quamvis enormitas facinoris pœnam longe majorem ac diuturniorem meritò postulet: reliquum tamen pœnæ per indulgentiam ei condonetur. Qui sensus manifestè colligitur ex sequentibus. Etenim ne subsecuta condonatio, de qua consequenter agit, inanis ac frustranea videatur; intelligere debemus sufficientem pœnam priorem, id est, tantam, quanta judicio ecclesiæ sufficiat: tum spectata qualitate personæ, quam non expediebat ampliùs gravari, ne in desperationem incideret; tum verò habita ratione publicæ utilitatis, quam ex illa moderatione pœnæ ecclesia recipit. Indulgentia pœnæ restantis. Objurgatio sufficiens quo sensu.

Idem erit sensus, si pro *sufficit*, *satis est*, vertas *sufficiat*, *satis sit*. Nam & ita verti posset: quandoquidem in Græco verbum non exprimitur. *Notandum* autem, quod etsi peccator iste non fuerit pœnitens tunc, quando fuit excommunicatus (non enim pœnitentes, sed contumaces excommunicandi sunt) tamen statim ut projectum se vidit & ab omnibus desertum, pudore affectus ob ignominiam, peccatum suum agnoscere cœpit, ac de eo vehementer dolere. Ex quo quidem tempore pœna excommunicationis, à Paulo sub increpationis nomine comprehensa, cœpit illi, quamvis nondum reconciliato, valere ad satisfactionem pro peccato commisso. Non pœnitentes excō. municandi, sed contumaces. Valet satisfactio etiam ante reconciliationem. Donare pro condonare.

7. ITA UT E CONTRARIO MAGIS DONETIS, ET CONSOLEMINI. Donare dixit interpres hîc & in sequentibus pro condonare, remittere, gratiam debiti facere. Nam Græcum verbum χαρίζεσθαι, ἀπὸ τῆς χάριτος, à gratia deductum est. Sic & infrà cap. 12. *Donate mihi hanc injuriam*. Sensus est: Ita ut è contrario, id est, loco severitatis qua longiorem adhuc pœnam exigere posletis, potiùs uti vos oporteat lenitate & indulgentia, qua condonetis ac remittatis, quicquid ei pœnæ reliquum est: jamque satis afflictum etiam benignè consolemini. Sic enim alibi præcipit, *Consolamini pusillanimes*, 1. Thessal. 5 Quo sensu toti communitati tribuat officium condonandi, cùm ea potestas non sit omnibus data, sed solis ecclesiarum præfectis, inferiùs explicabitur.

Sed *quæret* aliquis, cur Apostolus specialiter hîc præcipiat consolationem excommunicati, cùm generale præceptum habeamus omnes, vel ab ipsa natura, de consolandis afflictis, etiam peccatoribus, maximè si sint pœnitentes; ut proinde ad hunc consolandum de quo sermo est, nihil opus fuerit authoritate Pauli jubentis: sicut ad condonandum. *Responderi* potest, ideò necessarium fuisse præceptum Apostoli de isto consolando, quia Corinthii penitus eum aversabantur, velut exsecrabilem & Satanæ traditum. Sed & dici potest, consolationem intelligi in ipsa condonatione. Qui enim pœnam Quæstio. Responsio. Alia responsio.

Reſponſio verior.

remittit, reipſa conſolatur. Veriorem tamen arbitror reſponſionem, ſi dicatur Apoſtolus per hanc conſolationem voluiſſe ſignificare receptionem excommunicati in gremium eccleſiæ: & quæ inde ſequitur, fidelium fraternam allocutionem. Hæc enim propria eſt excommunicatorum pœnitentium conſolatio, ſi communioni fidelium reſtituantur, fratres deinceps ab univerſa fraternitate ſalutandi. Igitur duo præcipit Apoſtolus; ad communionem recipi pœnitentem, & à pœna per indulgentiam liberari: tametſi fortaſſis hæc duo, quod ad præſens attinet, in unum conveniant. Nam pœna cujus hîc mandatur indulgentia, non alia fuiſſe videtur quàm ipſius excommunicationis, & pudoris ac doloris inde conſequentis. Porrò condonationis hujus & conſolationis adhibendæ cauſam ex parte pœnitentis, adjungit dicens.

Excõmunicatorũ pœnitentiũ conſolatio quæ.

NE FORTE ABUNDANTIORI TRISTITIA ABSORBEATUR QUI EJUSMODI EST. *Ne fortè*, Græcè μήπως, *ne quo modo*, ut habet textus Ambroſ. Triſtitiam abundantiorem vocat eam quæ nimia eſt & immodica. Nimiam & immodicam dico: non quod contritio de peccatis nimia eſſe poſſit; cùm nec dilectio Dei poſſit eſſe nimia; Veriſſimè namque dictum eſt à S. Bernardo libro de diligendo Deo, *Modum eſſe diligendi Deum, ſine modo diligere*: Sed ea triſtitia, quam gignit aliorum quorumdam malorum, quæ peccantes incurrunt, conſideratio, facilè exceſſum admittit; præſertim ſi etiam in inferiorem appetitum redundet. Cujuſmodi mala in iſto excommunicato erant, ipſa excommunicationis pœna, & eam conſequens deſolatio, & ignominia publica.

Contritio de peccatis nimia eſſe non poteſt: ut nec dilectio Dei. Quæ triſtitia nimia.

De hac ergo triſtitia loquitur Apoſtolus; & *ſenſus eſt*: Ne contingat eum ita totum ægritudine mœroris occupari, dum nec pœna mitigatur, nec conſolationis officium impenditur: ut ea prorſus obruat hominem, pariatque in eo effectus ex immodico mœrore conſequi ſolitos; uti ſunt, animum deſpondere, ſpem ſalutis abjicere, pietatis operibus renuntiare, totum ſe mundo dedere, & à mundi concupiſcentiis ac voluptatibus ſolatium quærere: ſicut de quibuſdam dicitur Eph. 4. *Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ*. Hinc Apoſtaſia à fide; & interdum illud horribile, cujus exemplum in Juda proditore habemus, qui per deſperationem laqueo ſe ſuſpendit. Nam & horum immoderati mœroris effectuum meminerunt interpretes.

Nota, effectus immodicæ triſtitiæ.

8. PROPTER QUOD OBSECRO VOS UT CONFIRMETIS IN ILLUM, CHARITATEM. *Propter quod*: ne ſcilicet *abundantiori triſtitia abſorbeatur. Obſecro* vel *adhortor*, Græcè παρακαλῶ. Charitatem Origenes intelligit ejus qui peccaverat: tamquam velit Apoſtolus hortatu fratrum confirmari in illo charitatem, quæ jam antè inerat, & quæ illi non perierat. Videtur autem Origenes nomine charitatis intelligere amorem eccleſiæ, id eſt, ſocietatis fidelium. Tale quid etiam indicat titularis Ambroſius. At verò non dixit Apoſtolus *in illo*, quod mendosè legitur in quibuſdam libris, ſed εἰς αὐτὸν, *in illum*. Quare multò rectiùs alii charitatem intelligunt Corinthiorum erga illum qui peccaverat. Hortatur autem eos & obſecrat, ut publico conſenſu ac decreto firmam ratamque faciant ſuam erga eum charitatem; recipiendo videlicet eum ad pacem eccleſiæ. Quem ſenſum expoſcit Græcum verbum κυρῶσαι, quod non ſignificat utcumque confirmare, (ſive quemadmodum legunt Tertull. & Pacianus) conſtituere: ſed cum authoritate decernere, & legitimè rem tranſigere: quod uno verbo vocant authenticare. De qua Græca voce plura legat qui volet, apud Eraſmum *in annotationibus*.

Charitas quæ hoc loco ſignificata.

Quid confirmare charitatem.

Obſecrat autem Paulus, & præcipere cùm poſſit, interceſſoris partes apud Corinthios ſuſcipit, quos ſciebat animo eſſe propter id quod acciderat, exulcerato: ut dum eos velut judices honorat, (quomodo Græci interpretes loquuntur) mitiores reddat ac promptiores ad exſequendum quod petit. Alioqui certè qui præceperat excommunicandum; præcipere etiam poterat abſolvendum, & in communionem recipiendum. Quamquam & hoc ſatis præcipit, in eo quod verbis ſequentibus obedientiam requirit. Neque tamen hoc loco dum judicium eis defert, plus aliquid illis tribuit, quàm debuit. Nam verè eccleſia Corinthiorum in ſuis præfectis poteſtatem habebat judicandi. Qua ſicut uſa fuerat in excommunicando fornicario; ſic & uti potuit in eodem abſolvendo, quemadmodum *infrà* declarabitur. Vide etiam quæ diximus ad illud 1 Cor. 5. *congregatis vobis*. Quidam per hanc charitatis confirmationem, propriè ſignificari putat Euchariſtiæ participationem: ut quæ erat ſymbolum redditæ communionis. Sanè gratus eſſet hic commentarius & acceptione dignus; ſi in ſcripturis aut patribus inveniretur habere fundamentum.

Corinthii quo ſenſu judices in cauſa fornicatoris.

9. IDEO ENIM ET SCRIPSI, UT COGNOSCAM EXPERIMENTUM VESTRUM, AN IN OMNIBUS OBEDIENTES SITIS. Græca ſic habent: *Ad hoc etiam & ſcripſi, ut cognoſcerem probationem veſtri, num ad omnia obedientes ſitis*. Cæterùm loco iſtius partis, *ut cognoſcam probationem veſtri*, in textu Ambroſ. tantùm legitur, *ut probarem*. Idque ſatis eſt ad ſenſum. Nam verba Apoſtoli non ampliùs ſignificant. Eſt enim Hebraiſmus, cognoſcere experimentum ſeu probationem (ut legit Tertull.) pro eo quod eſt experiri, probare, cognoſcere per experientiam. Cujuſmodi locutiones ſunt, *Timor quem timebam*, Job. 3. *Concupierunt concupiſcentiam*, Pſal. 105.

Cognoſcere probationẽ, Hebraiſmus.

Quod ait, *ſcripſi*, plerique de præſenti epiſtola accipiunt, & ad verba proximè præcedentia referunt, hoc modo: Propterea hæc ſcribo vobis, ut experiar & probem obedientiam veſtram in omnibus, id eſt, tam in officio charitatis, ad recipiendum fratrem correctum; quam in ſeveritate diſciplinæ, qua eum è veſtro conſortio ejeciſtis: aut breviter; ut videam, utrùm ſicut obediſtis in eo excommunicando, ſic & obediatis in recipiendo. Qui ſenſus apertus eſt.

Ad priorem verò epiſtolam ſi referas; quod facit Eraſmi verſio, *Nam & in hoc ſcripſeram*: hic erit ſenſus: Quod enim ſcripſeram vobis de illo excommunicando, non id feci, ut aut illum infamia, aut vos mœrore afficerem; ut nec meæ poteſtatis oſtentandæ cauſa, ſicut adverſarii mei calumniantur: ſed inter alia bona hoc ſpectavi, ut probarem an vos filii mei in Chriſto, per omnia mihi ſitis obedientes. Nam ſi in re tam gravi, qualis eſt membri à corpore ſeparatio, obedientiam præſtitiſtis: facilè collegero vos etiam in cæteris dicto obedientes fore, ac nominatim in eo quod nunc à vobis exigo, ut fratrem correctum in gratiam recipiatis, & corpori veſtro membrum ſuum reſtituatis. Quod utique multò lubentiùs à vobis fieri debeat: quum ſit per ſe magnopere deſiderandum. Hic ſenſus mihi germanior videtur.

10. CUI AUTEM ALIQUID DONASTIS, ET EGO. *Donaſtis*, Græcè χαρίζεσθε, *donatis* ſeu *condonatis*. Annuit textus Syriacus, & vetuſti quidam Latini codices, unà cum concordantiis. Tertull. legit *donaveritis*: eoque modo Primaſius interpretatur. Nam videtur Apoſtolus uti verbo præſentis temporis cum extenſione ad futurum; *ut ſenſus ſit*, Ego me in eo, quod facere vos hortor, non ſejungo: ſed ſicut in priori epiſtola ad excommunicandum fornicarium me vobis conjunxi, illis ſcilicet verbis: *Congregatis vobis & meo ſpiritu*: ita nunc quoque me vobis adjungo; & quod me hortante feceritis ipſe etiam me facere declaro. Aut generaliori ſenſu: Vobis aliquid alicui condonantibus, ego etiam condono. Quomodo

Paulus donat unà cum Corinthiis.

dicat eos donare; posteà dicemus. Sensus autem iste generalior satis convenit cum eo quod sequitur.

NAM ET EGO QUOD DONAVI, SI QUID DONAVI, PROPTER VOS, IN PERSONA CHRISTI. Græcè, *Nam & ego si quid donavi, cui donavi, propter vos*, &c. Veteres Latini ferè tantùm legunt alteram partem; alii, *si quid donavi*: ut Tertull. & Ambrosiaster: alii, *quod donavi*, ut post Pacianum verus Ambrosius *lib. 1. de pœnit. cap. 6.* alii, *si cui donavi*, ut Augustinus scribens adversus Parmenianum. Græca videntur ita supplenda: *si quid donavi, & si cui donavi.* Cæterùm illud *in persona Christi*, ἐν προσώπῳ χριστοῦ, posset æquè verti, si nuda verba ponderes, *in facie Christi.* Quod secutus Erasmus vertit, *in conspectu Christi*: quasi coram Christo, atque in ejus præsentia. Qui sensus etiam in scholiis Græcorum reperitur.

Versio interpretis expenditur & probatur.

At sciendum est, in scripturis sacris hoc quod Latinè sæpenumerò legitur, *in conspectu*, & *coram*, Græcè nusquam scribi, quomodo hîc legitur, ἐν προσώπῳ, *in facie*: sed id significari quibusdam adverbiis, ut ita dicam, præsentialibus; cujusmodi sunt ἐναντίον, ἐναντι, ἀπεναντι, ἐνωπιον, ut *Psal. 37. & Ps. 50.* semel & iterùm. *Joan. 20. Act. 3. 4. 7.* & alibi passim in utriusque testamenti libris. Nec ipse Paulus aliter, ut Rom. 12. & 14. 1. Cor. 1. Ephes. 1. & hoc ipso cap. in fine, cùm ait: *Coram Deo, in Christo loquimur*, ac rursum cap. 8. *coram Domino, coram hominibus.* Sicubi verò utitur scriptura vocabulo προσωπου, ad significandum quippiam in conspectu alicujus fieri; non dicit ἐν προσώπῳ, sed locutione Græcis usitata, κατὰ πρόσωπον; *ut Eccles. 45. 1. Machab. 1. Luc. 2. Actor. 3. Gal. 2. & hujus epist. cap. 10.* semel iterumque vel certè dicit εἰς πρόσωπον, ut *hujus epist. cap. 8. in fine* & in Græco *Job. cap. 1. & 2.* Infrà quidem *in hac eadem ep. cap. 4.* legitur ἐν προσώπῳ, ubi nos habemus, *in facie Christi Jesu.* Sed illud nec ipse Erasmus vertendum putavit, *in conspectu*, & nos docebimus admodum benè congruere illi loco, si vertatur, *in persona.* Rursus cap. 5. legitur, ἐν προσώπῳ, ubi Latinè, *qui in facie gloriantur.* Verùm non est sensus *in conspectu.* Nam nec Erasmus ita vertit. Opponit enim illic Apostolus *in facie* & *in corde.* Non opponuntur autem *in conspectu* & *in corde.* Sed sensus est, qui gloriantur in his quæ exteriùs apparent, ex quibus solet vulgus personam æstimare.

Erasmus haud satis in scripturis exercitatus.

Quæ cùm ita sint; haud satis in scripturis exercitatum se ostendit Erasmus, quando id quod hoc loco scripsit Apostolus, ἐν προσώπῳ χριστοῦ, nullo exemplo vertit *in conspectu Christi*: cum interpres noster optimè id reddidisset, *in persona Christi*, quemadmodum & alii interpretes transtulerunt, tam veteres, quàm recentiores: etiam illi qui Græcos commentarios fecerunt Latinos. Hoc autem *in persona Christi*, non est aliud quàm nomine, vice & authoritate Christi: cujus scilicet personam Paulus gerebat: ut sicut *in nomine Domini Jesu-Christi*, tradiderat hominem Satanæ, quemadmodum dicit in *priori epist. cap. 5.* sic in ejusdem Christi nomine ac persona nunc eum absolveret.

Quid, in persona Christi.

Ita non solùm legunt hunc locum, sed & disertis verbis exponunt veteres Latini commentatores ad unum omnes; qui & pro confirmatione sui commentarii proferunt illa Christi verba ad Apostolos dicta Matth. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Nec ab his Græci tractatores dissentiunt. Non enim illi simpliciter interpretantur Apostolum donare in conspectu Christi, aut coram Christo: sed sic ut Christus id ratum habeat, tamquam quod ipsius vice geritur. Theodoriti verba sunt: *Hoc* inquit, *Apostolus facio, tamquam intuente Christo, & quod fit gratum habente.*

Theophyl. quoque Paulum hæc dicentem facit: *Coram Christo*, id est, *illo hoc jubente, ac veluti ejus loco existens dimisi*, ut quidem habet Loniceri interpretatio. Nam in Græco significantiùs legitur, ὡς ἀντι προσωπου ὢν ἐκεινου, *ac velut illius personam referens.* Chrysostomus verò quærens quid sit *in persona Christi*, cùm respondisset, aut, *secundum Deum, aut ad Christi gloriam*; adjecit & tertiam *aut tamquam Christo hoc etiam imperante.* Quæ eadem verba suis etiam scholiis Oecumenius inseruit.

Nos igitur sensum reddamus verborum Apostoli: Nam & ego, inquit, si cui vestrûm in grave aliquod delictum prolapso ac pœnitenti condonationem aliquam fecerim, id feci ac facio vestri causa, hoc est, pro publica salute & utilitate vestræ ecclesiæ, ne scilicet illa detrimentum capiat: feci, inquam, & facio, tamquam delegatus Christi minister, cujus ea in re personam refero.

Utitur autem verbo præteriti temporis, *donavi*; vel (ut quibusdam placet) quia apud se statuerat hanc condonationem facere; quemadmodum & priùs excommunicationem decreverat, quam excommunicaret, dicens; *Jam judicavi, ut præsens, eum qui sic operatus est*, &c. 1. Cor. 5. *Vel* secundùm Cajetanum, quia aliis adhuc aliquando condonaverat. *Vel* potiùs, quia generaliter loqui intendit de condonatione, seu facta seu facienda: ut *donavi* positum sit pro donaverim, condonaverim, condonationem fecerim: sicut jam à nobis expositum est. Dicit enim indefinitè, *Si quid donavi, & si cui donavi.* Sic autem loquitur, ut in seipso generale proponat exemplum omnibus ecclesiæ prælatis imitandum, quo sciant in ligandis aut solvendis subditis agere se debere, non ut dominos, sed ut Christi ministros; totum quod agunt referentes ad salutem publicam, & Christi gloriam, cujus personam gerunt.

Cur in præterito, dicat donavi.

Nota, in Paulo exemplũ omnibus prælatis imitandũ, nimirũ ut meminerint, non tam se Dominos esse quam ministros.

II. UT NON CIRCUMVENIAMUR A SATANA. Explicat id quod dixit: *propter vos*: idque mutata secunda persona in primam, modestiæ causa: ne seipsum videatur excludere. Græcum verbum πλεονεκτεῖν, quod noster interpres & *hoc loco*, & iterùm *cap 7.* & *bis cap. 12.* vertit circumvenire, propriè significat plus justo possidere, occupare quod tuum non sit. Unde Pacianus & Augustinus & commentator Amb. legunt, *ne possideamur*; & Erasmus vertendum putavit, *ne occupemur*; ut sensus sit, condonationem faciendam esse tum fratri propter quem hæc scribuntur, tum aliis similiter à lapsu pœnitentibus; ne adversarius noster diabolus, occasione nostræ nimiæ severitatis, illos nobis eripiat & in suam possessionem vendicet; quod futurum sit publicum ecclesiæ damnum; quia omnes invicem membra sumus. Verùm quoniam qui aliena appetunt, etiam fraudulenti & interdum violenti esse solent: ideò verbum illud capitur aliquando pro fraudare, circumvenire: item pro extorquere, ac rapaciter agere.

Quid Græcis πλεονεκτεῖν.

Quare secundùm nostram versionem, quæ magis convenit primæ personæ pluralis numeri, sensus erit: Ne specie boni decipiat nos Satanas: & contingat nobis malum quod jam dictum est. Utrumque sensum complexa sunt Græcorum commentaria, nominatim Chrysostomi, qui Græci vocabuli πλεονεξιας significationem perurget, & quàm verè diabolo conveniat, ostendit. Utrique sensui potest etiam aptari, quod Ambrosius huc respiciens brevissimè dixit; cavendum nobis esse, *ne remedium nostrum fiat ejus* (id est Satanæ) *triumphus*, lib. 1. de pœnit. cap. ult.

NON ENIM IGNORAMUS COGITATIONES EJUS. *Cogitationes.* Græcè νοήματα. Pro quo textus Ambr. habet *astutias*, Sedulii *versutias*, ex S. Ambrosii loco jam dicto. Tertull. legit *injectiones*, ut subaudias laqueorum: quasi dicat *illaqueationes.* August. *montes* legit, adversus Parmen. scribens, & in *epist. 239. & 240.* Sic enim & noster interpres eamdem vocem transtulit *infrà cap. 4. v. 4.* Et quidem vox Græca ge-

Quid Græcè νοήματα.

neraliter *cogitationes* ſignificat: quemadmodum & Eraſmus & alij plures verterunt: ſed interdum contrahitur ad ſignificandum cogitationes ingenioſas, vafras, & ad fallendum compoſitas, dum quis aliud prætendit, & aliud intendit. Quam ſignificationem expreſſerunt aliæ verſiones ſupra dictæ; excepta ea quæ eſt apud Auguſtinum, quæ *præſenti loco* minus quadrat. Nam cæteræ diaboli ſerpentis antiqui ingenium declarant: quod eſt ſub ſpecie boni perſuadere quod malum eſt. Hac enim arte Hevam primam parentem aggreſſus eſt atque ſeduxit, *Gen.* 1. Eſt & illud obiter notandum: non ſine alluſione dictum à Paulò, νοήματα αὐτοῦ μὴ, ac ſi Latinè dicas, *Scientias neſcimus*, aut *cogitationum incogitantes ſumus.*

Ingenium diaboli fallere ſub ſpecie boni.

Igitur Apoſtolus: dico, inquit, *ne circumveniamur à Satana.* Neque enim ignoramus cogitationes & artes & ſtudia diaboli, tum in genere ſemper in noſtram perniciem intenta; tum ſpeciatim iſtud, quo per occaſionem diſciplinæ noſtræ ſeverioris in illum qui peccavit, alioſve ſimiles, tentet eos impellere in barathrum deſperationis. Quod de illo inceſto ſignificabant illa ſuperiora verba, *Ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Hanc artem Satanæ pluribus explicatam vide apud Aug. *lib. 3. cont. epiſtol. Parmen cap.* 1. *&* 2. Certè quod hîc in illo uno fruſtra tentavit diabolus, Paulo nimirum prudenter obſiſtente & cogitationes ejus eludente: id multò pòſt, iterùm in eccleſia tentavit majore cum ſucceſſu: quando ſuſcitavit hæreſin Novatianorum, qui prætextu diſciplinæ eccleſiaſticæ lapſis ad eccleſiam reditum per pœnitentiam negarunt; ex qua re multarum animarum ſecutus eſt interitus.

Hæreſis Novatiana quam perniciosa.

Porrò non ſentit Apoſtolus, omnes diaboli cogitationes in particulari notas eſſe vel ſibi vel aliis. Id enim Deo proprium eſt, ut qui ſolus eſt cordium ſcrutator: Sed hoc eſt quod dicit, cogitationes diaboli jam memoratas non poſſe latere fideles ſpirituales, cùm ex ſcripturis ſacris didicerint, quanta ſit illius aſtutia cum extrema malitia ac nocendi ſtudio conjuncta. Hactenus egit Apoſtolus de fornicario excommunicato & pœnitente, in gratiam recipiendo.

Diaboli cogitationes quomodo notæ piis.

Eſt autem totus hic locus benè notandus ac diligenter exponendus propter hujus ſæculi ſectarios, qui omnes principe Luthero negant eſſe in eccleſia poteſtatem indulgentias quas vocamus, conferendi. Nam hîc multa ſummatim indicantur ad indulgentiarum doctrinam pertinentia. *Primùm* eſt ipſa poteſtas relaxandi pœnam temporalem ei qui pro peccato pœnitentiam agit, adhuc reſtantem: quæ quidem eſt poteſtas conferendi indulgentias. Hæc manifeſtè ſignificatur cùm dicitur, *Sufficit illi qui ejuſmodi eſt objurgatio hæc: ita ut è contrario magis donetis*, & iterum: *Cui autem aliquid donatis, & ego. Nam & ego quod donavi*, &c. Quem locum adducens Pacianus in epiſtola ſæpè dicta, qua contra Novatianos diſſerit: *Vides*, inquit, *Apoſtoli indulgentiam proprias etiam ſententias temperantem.*

Obſ. contra Sectarios, locum inſignem pro indulgentiis eccleſiaſticis, & quæ ex eo notanda. Poteſtas relaxandi pœnam temporalem,

Secundum eſt, quod illa poteſtate utantur eccleſiæ præfecti tamquam Chriſti miniſtri, à quo eam poteſtatem acceperunt, & cujus vice eam exercent. Hoc enim eſt quod ait, *In perſona Chriſti*: quemadmodum ſatis eſt ſuprà declaratum. Unde & Ambroſius *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 6. de hac eadem re contra Novatianum agens, oſtendit Paulum in eo quod donare ſe dicit, quoniam expreſsè adjecit, *in perſona Chriſti*, jus à Domino acceptum ſibi vendicaſſe, non indebitum uſurpaſſe.

penes eccleſiæ præfectos ut Chriſti vicarios.

Nec obſtat quod Apoſtolus generatim Corinthios fideles alloquens dicit: *Ut è contrario magis donetis*, &, *Cui aliquid donatis*; quaſi iſta poteſtas ſit omnium, & non ad ſolos pertineat eccleſiæ præfectos. Nam intelligi poteſt, non omnibus illud ſcribi, ſed ſolis preſbyteris ac præfectis eccleſiæ: ſive, quod eodem recidit, ipſi eccleſiæ in ſuis præfectis. Conſtat enim

Quo ſenſu ad omnes Corinthios fideles pertineat donare.

ea quæ paſſim in ſuis epiſtolis Apoſtoli præcipiunt, non omnia ad omnes pertinere: ſed alia ad alios, ut ad parentes, filios, viros, mulieres, dominos, ſervos. Sic nimirum alia ſunt quæ ad præfectos eccleſiæ cujuſque præcepta dirigantur; alia quæ ad cæteros fideles.

Explicatio melior.

Vel aliter, ac rectiùs fortaſsè dici poteſt: velle quidem Paulum illis verbis omnes ad quos ſcribit, comprehendere; qui tamen non omnes condonent eodem ac ſimili modo. Nam præfecti id faciunt poteſtate, quam promittunt illa verba Chriſti; *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*, Mat. 18. Cæteri vero fideles una cum præfectis condonant & ſolvunt conſenſu, deſiderio, commiſeratione & precibus ad Deum fuſis pro fratre peccatore: ſicut omnes aliquo modo remittimus fratrum peccata, qui ex animo dicimus illud in oratione quotidiana: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris:* quemadmodum teſtatur Auguſt. *tract.* 58. *ſuper Joan.* Juxta quem ſenſum idem Auguſtinus diſputans *adverſus Donatiſtas* ſæpè dicit, pacem, charitatem, unitatem eccleſiæ ſolvere ac dimittere peccata: & per gemitus columbæ, id eſt, per orationes ſanctorum, remiſſionem peccatorum dari. Loca ſunt *lib.* 3. *de baptiſmo cap.* 17. *&* 18. *& lib.* 5. *cap.* 21. *& lib.* 6. *c.* 4. item *tract.* 121. *ſuper Joan. & alibi.* Sic & Ambroſius exponens illud Lucæ 19. *Solvite eum & adducite*; *Solvit eum*, inquit, *manus Apoſtolica; talis actus, talis vita, talis gratia. Eſto talis & tu, ut poſſis ligatos ſolvere.* Nec alio ſenſu dictum eſt à Theophylacto tractante verba Domini, *Quæcumque ſolveritis*, &c. *non ſolùm quæ ſolvunt ſacerdotes, eſſe ſoluta: ſed quæcumque & nos injuria affecti vel ligamus vel ſolvimus, & ipſa eſſe ligata vel ſoluta.*

Aliter præfecti condonant, aliter omnes fideles.

Pax, charitas, unitas eccleſiæ ſolvit peccata.

Ad hunc autem modum, & quidem multò perfectiùs, etiam ſancti cum Chriſto regnantes ſolvere nos à peccatis dicuntur, ſcilicet interceſſione & merito. Quod planè ſonant invocationes illæ in hymnis eccleſiæ: ut ad Dei matrem: *Solve vincla reis*, & iterùm, *Nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos.* Et ad Domini præcurſorem; *Solve polluti labii reatum.* Et ad Apoſtolos: *Nos à peccatis omnibus ſolvite juſſu quæſumus.* Et ad Martyrem: *Nos ſolve vinclis ſæculi.* Dicuntur autem Apoſtoli juſſu ſolvere, propter impetrandi certitudinem: ſimul cum alluſione ad poteſtatem quam in terris habuerunt.

Sancti cum Chriſto regnantes ſolvunt nos à peccatis.

Hunc igitur modum ſolvendi & condonandi piis omnibus communem, comprehendi putamus ſub illis verbis, quibus Corinthios ad condonationem fratri lapſo faciendam Apoſtolus hortatur: admonens ut & conſolationis officium ei impendant, & ſuam in eum charitatem confirment: ad quam pertinet in primis, ut pro fratre preces offerant Deo. Quò reſpiciens Ambroſius ita ſcribit libr. 1. de pœnitentia cap. ultimo: *Si ſatis ad condemnationem eſt objurgatio quæ fit à pluribus: ſatis eſt quoque ad remiſſionem peccati obſecratio quæ fit à pluribus.* Omnes autem intelligi, ſtatim declarat, dicens: *Nec ſolùm donavit ipſe, ſed voluit etiam omnes donare.*

Porrò *tertium eſt*, quod illa pœnæ relaxatio non tantum ſit moderatio quædam rigoris eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſicut quidam errantes opinati ſunt: verùm etiam valeat in judicio divino ad remiſſionem pœnæ alioqui in futuro ſæculo perſolvendæ: valeat, inquam, perinde atque ſi Chriſtus ipſe hujuſmodi condonationem faceret: quemadmodum & facit revera per ſuum miniſtrum, cui id faciendi poteſtatem dedit. Quod rurſus illa verba ſignificant, quibus affirmat Apoſtolus ſe donare, *In perſona Chriſti*: hoc eſt (ut eam partem ex veterum commentariis atque ex ipſa forma locutionis interpretati ſumus) tamquam Chriſti vicarium, & Chriſto factum ipſius ratum ac gratum habente, velut à ſe factum eſſet. Ac ſanè, niſi coram Deo judice valuiſſent per Apoſto-

Condonationem hanc valere in judicio divino.

lum Paulum factæ condonationes, tam huic fornicario, quàm aliis lapsis: fefelliſſet ille miſeros homines, quibus hujus ſæculi pœnam remitteret, pro qua longè gravior illis eſſet in altero ſæculo pœna luenda. Quod abſit ut de eo ſuſpicemur.

Cauſa dandæ indulgentiæ tam ex parte pœnitentis, quàm eccleſiæ.

Quartum eſt, cauſa ſeu ratio dandæ indulgentiæ, ſive ex parte pœnitentis, ſive ex parte eccleſiæ. Ex parte quidem pœnitentis apertiſſimè ſignificatur cauſa cum dicitur, *Ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt.* Debet enim provideri, ne pœnitens in deſperationem actus, ad deteriora ſe convertat: & in noſtra ſeveritate *pereat infirmus frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt*: ut alibi in re ſimili loquitur Apoſtolus, *Rom.* 14. & 1. *Cor.* 8. Ex parte eccleſiæ cauſa redditur in eo quod dicitur, *propter vos*, id eſt, propter Eccleſiæ veſtræ publicam utilitatem. Sed & cùm additur, *ut non circumveniamur à Satana*, ratio faciendæ condonationis indicatur, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte eccleſiæ, juxta diverſas illius loci interpretationes à nobis illatas.

Pœnitens ipſe ſatisfactionem aliquam ſubire debet.

Quintum eſt, quod bona pars ſatisfactionis à pœnitente debeat eſſe expleta ad hoc, ut reliquum ei condonetur. Id enim eſt quod ait Apoſtolus; *Sufficit illi qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc.* Nam eam objurgationem non levem fuiſſe declarat metus Apoſtoli, dicentis; *Ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Exigunt illud ipſum veteres eccleſiæ canones, qui de ea re exſtant complures: exigunt autem propterea, ne per indulgentiam enervetur eccleſiaſtica diſciplina; quodque deterius eſt, ipſa pœnitentium ſatisfactio quæ legis divinæ eſt, evertatur ac peſſum eat. Quas ob cauſas etiam B. Cyprianus *epiſt.* 11. *quæ eſt ad martyres & confeſſores in carcere conſtitutos*, ſeriò monet eos ac rogat, ut non alios quàm *quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam*, id, eſt, propinquam, *conſpexerint*, libellis ſuis ad plenam delictorum indulgentiam epiſcopo commendent.

Satisfactio legis eſt divinæ.

Condonationem hîc non intelligi abſolutionem ab excommunicatione vel à peccatis.

Sed *quæret* ad extremum aliquis, cur nomine condonationis, de qua agitur hoc loco, non potiùs intelligenda veniat abſolutio, vel ab excommunicationis vinculo, vel à peccatis in ſacramento pœnitentiæ. Siquidem utraque abſolutione pœnitens ille egebat. *Reſpondeo* tam verba quàm contextum Apoſtoli planè reſpuere ejuſmodi intellectum. Nam *primùm*, relaxatio vinculi excommunicationis neque in ſcriptura ſacra, neque apud patres uſquam condonatio vel indulgentia vocatur: obſtante videlicet ipſarum vocum proprietate. *Deinde*, quod ait: *Cui aliquid*, hoc eſt, aliquam partem *donatis*; æquè in abſolutione excommunicati locum non habet: ut nec in ea qua pœnitens à culpa abſolvitur.

Fit autem illud, dum per indulgentiam matris eccleſiæ, poſt aliquantam ſatisfactionem, pœnitentibus relaxatur ac remittitur quod reliquum erat pœnæ debitæ. Quam pœnæ relaxationem manifeſtiùs etiam declarat illud præcedens, *ſufficit illi*: quaſi dicat: ſatis jam pœnarum dedit; reliquum ei condonetur. Hoc enim eſt quod ſequitur: *ita ut è contrario magis donetis*, velut ſi ſonte quopiam per ſententiam judicis ad quadraginta plagas condemnato poſt criceſimam plagam dicat judex: Sufficit, aut, ſatis eſt: non quod ſententiæ ſit ſatisfactum, ſed quia vult uti clementia, reliquum plagarum numerum ei gratioſè remittens. In quem ſenſum Chryſoſt. & Theophylact. ea Pauli verba diſertè ſunt interpretati. Et hæc quidem dumtaxat occaſione præſentis loci Paulini de indulgentiis pœnitentium dicta ſint. Nam de toto hoc indulgentiarum argumento ſententiam eccleſiæ catholicæ pleniùs explicare conati ſumus in ſcriptis ſuper 4. ſentent. diſt. 20.

Troas eadem quæ Troia.

12. CUM VENISSEM AUTEM TROADEM PROPTER EVANGELIUM CHRISTI. Græcè *in* vel *ad Evangelium Chriſti*: ſubaudi prædicandum ſeu propagandum, ut exponunt Græci: Troas eadem eſt quæ quondam Ilium & Troia vocabatur, urbs Aſiæ celeberrima, poſt decennale bellum à Græcis everſa: quæ poſtmodum & Antigonia & Alexandria dicta fuit. Ejuſdem rurſum meminit Apoſtolus 2. *Timoth.* 4. Eſt qui Troadem interpretetur ipſam regionem in qua Troia fuit, id eſt, Phrygiam minorem: quam conſtat etiam Troada vocari. Sed ſi conſulantur alia loca ſcripturæ citata & citanda, in quibus fit mentio Troadis: facilè apparebit non regionem, ſed urbem eo vocabulo tam à Paulo, quàm à Luca deſignari.

Troias regionis nomen, an urbis.

Porrò *notandum eſt*, hunc Pauli ad Troadem acceſſum, qui fuit a Luca prætermiſſus, eſſe medium inter primum de quo Lucas Act. 16. & tertium, quem deſcribit Act. 20. Contigit autem poſt Pauli diſceſſum ab Epheſo; quando ſicut dicitur Act. 20. ſub initium, *profectus eſt, ut iret in Macedoniam.* Nam & hîc paulò poſt teſtatur Apoſtolus, ſe Troade relicta in Macedoniam profectum fuiſſe.

Paulus tertio Troadem venit.

Sed quorſum ſpectet hæc Pauli narratio, quidve ad ejus inſtitutum faciat, haud planè liquet. Plerique putant eum hîc alteram adferre cauſam dilati ſui adventus, ſcilicet ex fructu evangelij quem alibi faciebat, & ampliùs facturum ſe ſperabat: ne videlicet tam inſigne bonum per ſuam ad Corinthios acceleratam profectionem impediretur. Alij aliam rationem adducunt interpoſitæ hujus narrationis. Verùm quia pendet hujus rei cognitio ex intellectu ſequentium, ubi dolorem ſuum commemorat Apoſtolus de Tito non invento: propterea nos iſtius difficultatis explicationem illuc rejicimus. Tractat totum hunc locum uſque ad finem capitis, Hieron. *in epiſt.* 150. *quæ eſt ad Hedib. quæſt.* 11.

Cur profectionis ad Troadem, Paulus meminerit.

ET OSTIUM MIHI APERTUM ESSET IN DOMINO. *Hoc eſt*, exponente Hieronymo; Cumque *plurimi credidiſſent: ſive per ſigna atque virtutes quæ in me operabatur Deus, ſpes eſſet naſcentis fidei, & in Domino ſuccreſcentis.* Sic enim locum Hieronymi lego ex priori editione, & ex Hervæo verba Hieronymi referente: remota videlicet copula, *& ſpes eſſet naſcentis*, quæ ſenſum reddebat imperfectum. Particulàm *in Domino* nullus Græcorum exponit: ut videantur, neſcio quo caſu, non legiſſe. Nam & in textu Theophylacti prætermittitur. Hodie tamen & in Syriaco legitur, & in omnibus Græcis. Poteſt autem bifariam exponi: vel ut ſit idem quod in Chriſti Domini negocio: tamquam ſentiat Apoſtolus, oſtium Troade ſibi apertum fuiſſe ad evangelium Chriſti prædicandũ, fidemque propagandam. Vel *in Domino*, id eſt, (ut alii tum ex Græco, tum ex Syriaco vertunt) *per Dominum*, quod eſt, Domino operante: quemadmodum videtur etiam Hier. intellexiſſe. Quem ſenſum inter alios ſecutus S. Thomas, oſtendit etiam ipſius oſtij apertionem (ſive per eam credendi facilitas, ſive præparatio animorum intelligatur) aſcribendam eſſe potentiæ divinæ; cum ait; *in Domino, quia ipſa præparatio mentis humanæ eſt ex virtute divina. Nam licet facilitas qua mentes præparantur, ſit cauſa converſionis: tamen ipſius facilitatis & præparationis cauſa eſt Deus.* Sic ille. In eumdem ſenſum Primaſius & Sedulius oſtium Paulo apertum in Domino interpretantur: *quia corda eorum aperuit Deus, quibus ille prædicabat.* De metaphora oſtii aperti, vide etiam quæ diximus ad locum ſimilem 1. *Cor.* 16. *verſ.* 9.

Oſtium apertum quid Paulo ſignificet.

In Domino, bifariam expoſitum.

Præparatio mentis ad credendum ex Deo eſt.

11. NON HABUI REQUIEM SPIRITUI MEO. *Requiem*, Græcè ἄνεσιν, *remiſſionem, relaxationem.* Et pro tertio caſu *ſpiritui meo*, πνεύματί μου, ſextum alii reddunt, quo Græci carent, *ſpiritu meo.* Nam quietus aut inquietus ſpiritu quis dicitur, non ſpiritui. In textu Ambr. juxta quædam exemplaria, nec non apud Haimonem legitur *in ſpiritu meo.* Senſus autem eſt: Animo non conquievi: *quoniam* ut ait Hieron. *ſperatam conſolationem invenire non potui.* Cujus rationem Apoſtolus ſubjungit.

EO QUOD NON INVENERIM TITUM FRATREM MEUM. Titum, quem *in epiſtol.* ad eum ſcripta filium appellat, tamquam in fide Chriſtiana diſcipulum; hîc fratrem ſuum vocat, id eſt, in evangelio prædicando adjutorem & ſocium: & eadem ſcilicet ratione qua Timotheum initio hujus epiſtolæ fratrem ab eo nominatum diximus. *Quærit* Hieronymus, quæ cauſa fuerit cur Apoſtolus abſentiam Titi tam moleſtè tulerit: ac reſpondet, *Paulum*, etſi *virum doctiſſimum & eruditum ad pedes Gamalielis, & ſcientia ſanctarum ſcripturarum* inſtructum, quique *diverſarum linguarum gratiam poſſideret: divinorum ſenſuum majeſtatem non potuiſſe digno Græci eloquii ſermone explicare. Habebat ergo*, inquit, *Titum interpretem, ſicut & beatus Petrus Marcum*: & poſt pauca: *Ergo & Paulus Apoſtolus contriſtatur, quia prædicationis ſuæ in præſentiarum fiſtulam, organumque per quod Chriſto caneret, non invenerat.* Hæc Hieronymus.

Titus cur frater à Paulo appellatus.

Cur Paulus abſentiam Titi adeò moleſtè tulerit.

Reſponſio Hieronymi.

At quæ cauſa coegit principes Apoſtolos, Petrum & Paulum ad evangelizandum uti interprete? cum ille donum omnium linguarum in die Pentecoſtes accepiſſet; hîc verò de ſe gloriatus fuerit in priore ad Corinthios epiſtola cap. 14. dicens, *Gratias ago Deo meo quod omnium veſtrûm (magis) lingua loquor.* Ad hanc dubitationem variæ ſunt reſponſiones. Quarum una eſt, Apoſtolos etſi dono linguarum præditos, non tamen eo ſemper & pro arbitrio uti potuiſſe, quomodo quis utitur lingua quam didicit: ſed tunc ſolùm quomodo ad loquendum linguis à ſpiritu ſancto moveri ſe ſentiebant: quemadmodum & accidebat eis in dono prophetandi, & miracula faciendi. Hæc ſententia multis non probatur; eò quòd exiſtiment linguarum donum in Apoſtolis fuiſſe non ut actum tranſeuntem; uti fuit in aliis fidelibus, ſaltem illis qui quæ lingua peregrina loquebantur, interpretari non poterant; de quibus agit Paulus 1. *Cor.* 14. ſed ut habitum permanentem, more aliarum ſcientiarum; propterea quod donum illud eis attributum fuerit, ut evangelium Chriſti toto orbe terrarum prædicarent; quod ſine prompta linguarum notitia difficillimum eis fuiſſet.

An Apoſtoli ad evangelizandum uſi interprete.

Reſponſio quorumdam.

Improbatur. Donum linguarum in Apoſtolis permanens.

Aliorum reſponſio.

Alii proinde reſpondent Paulum (idemque de Petro judicium) licet Græcè noſſet, ac loqueretur, ſive ex dono, ſive etiam ex inſtitutione: (nam Græcè non ſolùm ſcripſit, ſed & locutus eſt, *Actor.* 21. *& alibi*) quia tamen Hebræus erat gente ac lingua, non potuiſſe perfectam Græcæ linguæ pronunciationem aſſequi: ideoque Titum, cui Græca lingua nativa erat, interpretem & oratorem (quo uti ſolitus) deſideraſſe. Nec id mirum de Paulo: quando & Joſephus hiſtoricus Græcè ſcribendi doctiſſimus, de ſeipſo fatetur in calce voluminis antiquitatum Judaicarum, exquiſitam Græcæ linguæ pronunciandæ facultatem *per patriam conſuetudinem* aſſequi ſe non potuiſſe. Hæc ipſius Hieronymi videtur eſſe ſententia, cùm dicit ideò Paulum uſum interprete, quod non poſſet divinorum ſenſuum majeſtatem digno ſermone Græci eloquii explicare.

Refellitur, & quatenus.

Eamdem ſententiam verbis Hieronymi refert Hervæus: meminerunt & alii, non ita tamen ut omninò probent. Cùm enim Apoſtoli linguarum ſcientiam divino miraculo fuerint aſſecuti, nec imperfecta ſint Dei dona: cenſent eos pari facilitate Græcam linguam quâ Hebræam pronunciaſſe. Qua ratione etiam S. Thom. illam reſponſionem refellit ac rejicit. Quæ tamen iſtorum opinio quatenus valeat, intelligi poteſt ex iis quæ diximus ad locum memoratum 1. Cor. 14. *Gratias ago Deo meo*, &c. idque ex mente S. Thomæ in ſumma Theologica. *Licet enim Apoſtolus* (ait Liranus) *omnes linguas ſciret loqui: tamen magis facundus erat in Hebræa.* Quod & ſentiunt, qui dicunt idcircò plus eloquentiæ elucere *in epiſt. ad Hebr.* quàm in cæteris Pauli epiſtolis, quòd eam Hebraicè ſcripſerit.

Ut ergo demus Apoſtolos pari facilitate potuiſſe pronunciare linguas peregrinas, qua domeſticam, id eſt, Hebræam: non tamen eas ſonabant pari nitore ſermonis & eloquentia. Quamquam ita perfectè loquebantur ad intelligentiam auditorum, ut verborum ſuorum ac ſententiarum interprete non egerent: quemadmodum nec indiguit Paulus, quando apud Felicem & Feſtum præſides Romanos, ipſe pro ſe loqui juſſus, cauſam ſuam egit, *Actor.* 24. 25. & 26.

Apoſtoli non tam eloquentes in aliena lingua, ut in ſua.

Dicunt ergo nonnulli, quorum ſententiam probat Cardinalis Baronius *in annal. ad ann. Dom.* 45. Paulum ac cæteros Apoſtolos in evangelio prædicando duas ob cauſas ſibi interpretes adhibuiſſe. *Primùm*, ut, quando alicui genti concionabantur lingua genti propria, velut Romanis Latina, Græcis Græca, tum ſi qui fortè adeſſent diverſæ nationis ac linguæ homines eam linguam non intelligentes, iis ſatisfacerent interpretes, ipſorum lingua reddentes ea quæ ab Apoſtolis dicta eſſent. *Deinde* volunt interpretes Apoſtolis neceſſarios fuiſſe, qui ea quæ ſublimia & captu difficilia ab illis inter concionandum dicebantur, auditoribus elucidarent.

Alia reſponſio, duas ob cauſas Apoſtolos uſos interprete.

At profectò nec hæ cauſæ, rem diligenter expendenti, ſatis, opinor, idoneæ videbuntur, vel ad explicandum hunc locum, vel ad uſum interpretis declarandum. Nam quod ad priorem cauſam attinet, ea certè præſenti loco nequit accommodari. Nam Græca lingua quâ utebantur regiones Aſiæ & Achaiæ & Macedoniæ, quibus Paulus prædicabat, adeò communis erat, ac paſſim omnibus nota; ut ſit credibile Paulum propter abſentiam interpretis, qui ſermonem ejus aliqua diverſa lingua (pauculis fortè hominibus) exponeret: ita diſcruciatum animo fuiſſe, ut Troade relicta abiret in Macedoniam quæſiturus illic ſuum interpretem. Et alioqui ſanè oportuiſſet hujuſmodi interpretes non unius aut alterius linguæ peregrinæ, ſed plurium gnaros eſſe: quo diverſarum Gentium ac linguarum hominibus Apoſtolum prædicantem non intelligentibus, officium interpretationis impenderent.

Confutatio.

Sed & altera cauſa mihi non admodum probabilis videtur. Nam Apoſtoli apud multitudinem prædicantes, ſermonem ſuum attemperabant captui multorum, ſecretiora myſteria ſervantes in tempus commodum, quo traderent ea capacioribus, atque fide provectioribus. Argumento ſunt Apoſtolorum Petri & Pauli conciones ad plebem, in Actis eorum, à Luca deſcriptæ: in quibus prima quædam rudimenta fidei Chriſtianæ proponere contenti, de cæteris, quæ nondum ferre poſſet auditorum infirmitas, reticent: ac ne quidem Chriſtum Deum apertè eloquuntur. Unde Paulus 1. Corinth. 2. *Sapientiam* ſe loqui dicit *inter perfectos.* Et cap. 3. *Non potui vobis*, inquit, *loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus; tamquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis.* Quod ſi Chriſtus ſuis diſcipulis, quibus dixerat, *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum*, Matth. 13. tamen in illo ſermone, quem ultimum ad eos ante paſſionem habuit, ita loquitur; *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*, Joan. 16. quantò magis Apoſtolos ſic agere conveniebat cum iis qui planè rudes erant dogmatum Chriſtianæ religionis?

Apoſtoli ſecretiora myſteri non paſſim evulgabant.

His addo; Si Titus fuit Pauli interpres, ſive hoc poſteriore modo, ſive priore: non debuit Paulus eum à ſe abſentem facere, nec ad Corinthios mittere, nec in Creta relinquere; ſed jugiter apud ſe retinere, virum in re tanta ſibi neceſſarium. At nec ordinarium Pauli comitem Titum fuiſſe, quemadmodum Lucam, uſquam legitur: quando nec in *Actorum libro* fiat ejus ulla mentio. Quæ cùm ita ſint, haud facilè defendi poſſe videtur Hieronymi ſententia, qua

Titum non fuiſſe Pauli interpretem.

Titus non fuit ordinarius Pauli comes.

Paulum propter abſentiam Titi tamquam interpretis ſui ſcribit adeò triſtem & anxium fuiſſe.

Aliorum rationes quæ de abſentia Titi.

Quare ab aliis aliæ quæruntur rationes. Græci expoſitores in genere dicunt abſentiam Titi velut egregii multumque neceſſarii cooperatoris, in cauſa fuiſſe, quo minùs Apoſtolus quod Troade cœperat, in negotio prædicandi evangelij poſſet abſolvere. Cajetanus autem ingenuè confitetur ſe non penetrare, nec invenire poſſe, quid impedimenti attulerit abſentia Titi prædicationi Pauli jam paratæ; propter quod ille tam fuerit irrequietus, ut cùm oſtium ſibi apertum eſſet in Domino, tamen ob Titum non inventum alió diſcederet. Ambroſiaſter rem explicare conatur. Dicit enim Apoſtolo, quod ſolatium Titi deeſſet, laborem apud Troadenſes intolerabilem fuiſſe. *Quamvis enim*, inquit, *quidam eorum aperuerant corda ſua ad recipiendum ſermonem Dei; tamen impudentia infidelium non minima exſiſtebat, inſurgens in Apoſtolum zelo credentium. Et hæc duo ab uno impleri non poterant, nempe & fideles inſtruere, & incredulis repugnare.* Sic ille. Cujus ſententiam etiam Hervæus approbat, ea, quam priore loco adduxerat ex Hieronymo, poſthabita. Accedunt & alij ex Latinis, Haimo, Lombardus, S. Thomas, Liranus, Carthuſianus: plerique etiam hoc addentes, quod Titus ſi præſens fuiſſet, inſtitiſſet prædicationi & converſationi bonorum: Paulus verò velut doctior, reſtitiſſet adverſariis.

Vera & ſolida ratio.

At verò Primaſius hanc adfert cauſam, cur Tito non invento requiem Apoſtolus non habuerit: quia per Titum quem Corinthum miſerat, expectabat ut ſibi nunciaretur, an Corinthij jam ſe correxiſſent. Requiem ergo ſpiritus Pauli non habebat, eò quòd Titum non inveniſſet, ſcilicet Corintho reverſum: ut ejus relatu certior de rebus Corinthiorum fieret. Et hæc Apoſtolus ſcribit, ait Primaſius, *ut intelligant ipſum omnia propter charitatem feciſſe.* Eamdem rationem etiam Pelagius & Sedulius tradunt, & inter noeſtericos Hofmeiſterus & Arias Montanus. Attingit quoque Theodoritus.

Probatur hæc ratio.

Sanè probabilitatem habet iſta ratio non exiguam: tum ex eo quod alioqui non videtur hæc Pauli narratio de Titi præſentia tam cupidè deſiderata, vel ſatis intelligi poſſe, vel ad rem inſtitutam pertinere: tum quia, quæ de Tito memorat inferiùs *cap.* 7. & 8. probè conſentiunt cum hujuſmodi intellectu præſentis loci; maximè cum ait: *Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus in adventu Titi*; & quæ deinde ſequuntur. Juxta hanc igitur rationem oſtendit Apoſtolus ab eo loco, *Cùm veniſſem autem Troadem*, &c. ſeſe quamvis corporis acceſſu nondum veniſſet Corinthum, ſpiritu tamen ac ſolicitudine Corinthiis eſſe præſentem: ut qui non fuerit animo quietus, donec Titum ab illis reverſum conveniret, atque ex eo intelligeret quomodo res illorum ſeſe haberent.

Ergo quod dicit; tale eſt Poſtquam Epheſo digreſſus veni Troadem evangelij cauſa: quamvis in ea urbe copioſi fructus appareret: adeò tamen rerum veſtrarum cura ac ſollicitudine tenebar, ut illic non putaverim mihi ſubſiſtendum, eò quòd Titus quem à vobis expectabam, non adveniſſet.

SED VALEFACIENS EIS PROFECTUS sum IN MACEDONIAM. *Valefaciens eis*, Græcè, ἀποταξάμενος αὐτοῖς, *cùm valediſſem eis*, Ambroſ. *vale illis facto.* Eraſmus, *dimiſſis illis*: tametſi verbum Græcum non ſignificat ſimpliciter dimittere aut valedicere; ſed mandatis iis quæ volumus: ut ſolemus dimittere notos & amicos. Utitur eodem verbo Lucas: itidem de Paulo fratribus valedicente loquens, *Actor.* 18. *verſ.* 18. & *iterum verſ.* 21. Utitur etiam evangelij ſui, *cap.* 9. ubi nos Latinè legimus: *Permitte mihi primùm renunciare his qui domi ſunt.* Itaque ſenſus eſt, Sed cùm fratres illic morantes datis mandatis dimiſiſſem, *profectus ſum*, Græcè, ἐξῆλθον, *exivi*, id eſt, abivi, diſceſſi *in Macedoniam*, ſcilicet Titum illic expectaturus, & ex eo de vobis aliquid certi cogniturus. Quem & inveniſſe ſe tandem, eoque referente, læta de Corinthiis audiviſſe, teſtatur *infrà cap.* 7. ubi narrationem quam hic abrumpit, repetit ac proſequitur. Sunt qui putent Apoſtolum hîc judicare rationem mutati conſilij ſui de Corinthiis priùs viſendis, quàm iret in Macedoniam. Sed falluntur. Jam enim antè quàm Epheſo diſcederet, conſtitutum habebat priùs in Macedoniam proficiſci: quemadmodum patet ex 1. *Cor.* 16.

Quæſtio de facto Pauli.

Sed cur in eo non peccavit Paulus, quod Titi quærendi cauſa abiverit in Macedoniam Troade relicta, ubi oſtium ei apertum erat in Domino, id eſt, occaſio oblata rei evangelicæ feliciter procurandæ? Nam de Tito neceſſario interprete reſponſionem jam pridem excluſimus. Quamquam nec quærere ſuum interpretem Paulus debuiſſet, ſed per nuncium accerſere. Jam verò nec inventum adduxit Troadem, perfecturus illic cum eo quod cœperat: ſed Macedoniæ partibus perambulatis venit in Græciam. *Reſpondeo*, Paulum in Macedoniam profectum fuiſſe, non recenti conſilio, ſed jam antè deliberato, priuſquam Troadem appelleret: nec mutare conſilium debuiſſe propter occaſionem evangelij apud Troadenſes promovendi. Nam urgebat eum profectio Hieroſolymitana, quam parabat à Spiritu admonitus, *Actor.* 19. *verſ.* 21. priùs tamen Macedoniam & Achaiam tranſiturus, ut ibidem dicitur: nimirum colligendi ſubſidij cauſa, quod ad fratres pauperes Hieroſolymam perferret.

Reſponſio, qua factum Pauli excuſatur.

Neque tamen idcircò Troadenſes dereliquiſſe putandus eſt: quibus ut priore acceſſu, de quo Lucas *Actor.* 16. *verſ.* 8. & 9. Chriſtum annunciaverat: ita poſtmodum è Græcia reverſus eodem reviſit, & poſt ſynaxim Dominicam apud eos celebratam, atque ſermonem in mediam noctem productum, inſigni miraculo mortui reſſuſcitati in fide confirmavit: ut habetur *Act.* 20. Sanè Troadenſium ſalutem Paulo diſcedenti curæ fuiſſe, etiam ipſe ſignificat hoc loco: dum utitur vocabulo ἀπο ταξάμενος: ac ſi diceret: Cum eos rebus Eccleſiæ priùs ordinatis ac diſpoſitis dimiſiſſem. Nec enim dubitandum eſt, quin ut aliàs ſolet, diſcedens reliquerit illic aliquem vel aliquos, qui & Eccleſiam regerent, & evangelio propagando vacarent: ut quomodo Titum in Creta, & Timotheum Epheſi, ita quempiam, fortaſsè Carpum, cujus meminit 2. Tim. 4. Troade conſtituerit epiſcopum & evangelij miniſtrum.

De qua profectione è Troade in Macedoniam Paulus loquatur.

Quod verò quidam annotant, ut Hieronymus *ad Hedibiam ſcribens*, Haimo & S. Thom. in comment. item Carthuſianus & Hofmeiſterus, etſi dubitanter loquentes, hanc Apoſtoli profectionem è Troade in Macedoniam, eſſe eamdem cum illa, quam divino motu ſuſcepit, de qua Lucas Act. 16. ſic loquitur: *Et viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: Vir Macedo quidam erat ſtans & deprecans eum; dicens, Tranſiens in Macedonia adjuva nos*, & quæ ſequuntur: haud dubiè falluntur lapſu memoriæ. Nondum enim Paulus Corinthiis evangelium prædicaverat, quando illa viſio & profectio contigit: ut ex Actorum hiſtoria conſtat,

Verior ſententia.

Quocirca verius eſt hanc profectionem, ut antè diximus à Luca attingi *ſub initium cap.* 20. *Act.* ubi ſcribit Paulum Epheſo relicta profectum fuiſſe, ut iret in Macedoniam. Nam Epheſo per Troadem, quæ duæ civitates Aſiæ ſunt in Macedoniam fuiſſe profectum, præſens locus non docet. Ex quo etiam palàm eſt hanc epiſtolam non ut aliqui putarunt, Troade ſcriptam eſſe, ſed poſteaquam venit in Macedoniam; prout oſtendimus in argumento epiſtolæ.

14. DEO AUTEM GRATIAS. Græcè χάρις, *gratia*: quemadmodum & legit Hieronymus. Subaudi, ſit. Infrà cap. 7. ſit ait: *Cùm veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ, intus timores.* Deinde ſubjungit de ſua conſolatione per adventum Titi. Priùs ergo quàm veniſſet Titus, multa paſſus in Macedonia, ſed in omnibus ſuperior ac victor; ecce gratias agit Deo.

Quo ſenſu Deus triumphare ſuos Apoſtolos dicatur.

QUI SEMPER TRIUMPHAT NOS IN CHRISTO JESU. Nomen *Jeſu* Græci & Syri codices non exprimunt. *Triumphat nos*, dictum putat Hieronymus, *pro eo quod eſt, triumphat de nobis, ſive triumphum ſuum agit per nos.* Nam ut poſteà ſubjicit, *Triumphus Dei eſt paſſio martyrum.* Commentator Ambr. legit, *triumphat per nos:* & exponens, *Hoc eſt*, inquit, *Deum per Apoſtolos triumphare in Chriſto; victores illos facere in fide Chriſti: ut calcata perfidia trophæum habeat fides, dum ex perfidis fiunt fideles, & malevoli non proficiunt in perſequendo credentes.* Verùm ut Græci libri conſtanter habent θριαμβεύοντι ἡμᾶς, ita Latini cæteri, *qui triumphat nos.* Id verò interpretari, *qui triumphat per nos*, ut fecit Eraſmus textum Ambroſianum imitatus, ſatis coactum videtur.

Porrò Græcorum expoſitio hujuſmodi eſt: *Qui ſemper triumphat nos*, id eſt, ex victoriis quas à diabolo & hominibus adverſariis reportamus, illuſtres & conſpicuos nos facit, velut publicè triumphum agentes. Idipſum Latini tam recentiores quàm veteres, præter duos ſuprà dictos ita breviter; *Triumphat nos*, id eſt, triumphare nos facit: ac ſi clarè dicat Apoſtolus, Deo gratias ago, qui nos, id eſt, me, meoſque evangelii prædicandi ſocios, in omni preſſura & pugna quæ nobis fuit cum adverſariis, non ſolùm victores efficit, verùm etiam ex victoria reddit glorioſos: idque per Chriſtum, in quo ſolo vincimus & triumphamus. Videtur autem Apoſtolus in verbo Græco Hebraizare, dum illud ex neutro tranſitivum facit: more verborum Hebraicorum, quæ in conjugatione Kal neutra, in Hiphil fiunt tranſitiva: nonnulla etiam in eadem conjugatione nunc activa ſunt, nunc neutra. Simile quid habemus in illo verſu Pſal. 51. *Emigrabit de tabernaculo tuo.* ubi Græcè legitur, μεταναστεύσει σε, *emigrette*; verbo neutro, ſed exponendo tranſitivè, emigrare te faciat. Cæterum alibi contrario ſenſu, ſed phraſi Græcis non inſueta, dicitur Chriſtus triumphaſſe principatus & poteſtates, *Coloſſ.* 2. id eſt, de dæmonibus ſuperioribus triumphum egiſſe, vel eos devictos & captivos in triumpho duxiſſe.

Hebraizat Apoſtolus in verbo Græco.

Quid odor notitiæ Dei.

ET ODOREM NOTITIÆ SUÆ MANIFESTAT PER NOS IN OMNI LOCO. Hoc eſt, ſui notitiam ac famam velut odorem quemdam, ſpargit quaquaverſum per me & ſocios laboris mei in evangelio: dum non modò prædicamus Chriſtum apud omnes, ſed etiam perſecutionibus & preſſuris quaſi piſtillis conterimur, ut odor notitiæ Dei, id eſt, famæ ejus, à nobis quàm longiſſimè diffundatur. Res enim odoriferæ ſi conterantur, ut vehementiùs olent, ita longiùs odorem ſpargunt. Poteſt enim verti, *notitiæ ejus*, ſcilicet Chriſti: ſi ἀυτῆ ſcribas cum leni ſpiritu. Chriſtus enim eſt, cui dicitur: *Oleum effuſum nomen tuum*; &, *Poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum*, Cant. 1. Unde & de Chriſti odore ſequitur.

Apoſtoli quo ſenſu bonus Chriſti odor.

5. QUIA CHRISTI BONUS ODOR SUMUS DEO IN IIS QUI SALVI FIUNT, ET IN IIS QUI PEREUNT. *Bonus odor*, uno vocabulo Græcè eſt εὐωδία, quaſi dicas, benevolentia. Videtur Apoſtolus ſe ſuoſque cooperatores bonum odorem vocare cauſaliter, ut qui de ſe bonum odorem emittant. Jam enim Dei ſeu Chriſti notitiam, odorem vocaverat per Apoſtolos manifeſtatum. Idque vult iſta Hieronymi expoſitio; *Nominis Chriſti in omni loco bonus odor ſumus Deo: & prædicationis noſtræ longè lateque ſpirat fragrantia*: ſenſus igitur eſt: Quamvis enim fidem Chriſti non omnes recipiant; nos tamen, inſtar fragrantis cujuſdam unguenti, ſeu florum aut herbarum, famam nominis ejus, velut bonum ac ſuavem odorem, Deoque gratiſſimum (eſt enim alluſio ad odorem thymiamatis incenſi) ſpargimus apud omnes; non eos ſolùm qui credunt & ſalvi fiunt, verum etiam qui credere nolentes, pereunt.

Non ſimpliciter odorem, ſed bonum odorem Chriſti ſe ſuoſque collegas vocat, id eſt, Silvanum & Timotheum, quos ſuprà nominavit, *cap.* 1. item Titum & Lucam, & ſi quos habebat his ſimiles Evangelii prædicandi ſocios: quia non quoquo modo Chriſtum prædicabant; ſed, uti ſtatim poſt indicat, cum ſinceritate & integritate converſationis. Quod qui non faciunt, ſed inquinatis moribus bonam doctrinam conſpurcant; hi plerumque fœtere faciunt odorem ejus apud homines.

Nota, Quomodo prædicatores ſint bonus odor Chriſti.

Partem hanc, *in iis qui pereunt*, quidam ſpecialiter referunt ad detrectatores & æmulos Apoſtoli Pauli, quibus bona ejus doctrina & doctrinæ ſucceſſus, per invidiam vertebatur in perniciem: contra quos agit in ſequentibus *hujus epiſt.* ac rurſus *ad Philipp. cap.* 2. Conſimiliter autem, & illos qui ſalvi fiunt, interpretantur eos qui Paulum diligebant ut fidelem ac ſincerum Evangelii diſpenſatorem; gaudentes de ſucceſſu miniſterii ejus. Ita S. Auguſt. *tract.* 50. *ſuper Joan. & aliis locis à Beda collectis:* quem ſequuntur Primaſius, Gloſſator, Hugo Victorinus, Lombardus & alii nonnulli.

Verùm magis placet ſenſus generalis; quem & Græci tradunt, & complures Latini: quem nec Auguſtinus excludit, ut priore membro comprehendantur quicumque credebant evangelio per Apoſtolos prædicato: poſteriore, qui non credebant. Eſt qui partem illam, *& in iis qui pereunt*, ſupplendam putet per contrariam hoc modo: Et malus odor ſumus in iis qui pereunt. Sed abſit ut fateamur bonos Chriſti miniſtros eſſe aut ſpargere malum odorem Deo, propter malitiam eorum qui non credunt. Notum autem eſt bonum odorem aliis eſſe ſalutarem, aliis lethalem. Hoc enim eſt quod ſequitur.

16. ALIIS QUIDEM ODOR MORTALIS IN MORTEM, ALIIS AUTEM ODOR VITÆ IN VITAM. Clariùs ita reddas: *His quidem odor mortis ad mortem, illis autem odor vitæ ad vitam.* Unum exemplar Græcum apud Rob. Stephanum, addita in utroque membro præpoſitione ἐκ, ita legit: *Ex morte in mortem: ex vita in vitam.* Itidem homilia 1. *ſuper Cant. Canticor.* apud Hieronym. *tomo* 8. Latinè ſic habet; *ex morte in mortem, de vita in vitam.* Sed adjecticiam eſſe præpoſitionem, planè exiſtimo. Sumus, inquit Apoſtolus, iis qui pereunt, id eſt, reprobis, odor lethalis, mortem æternam illis adferens: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt, electis, odor vitalis, utpote vitam æternam illis adferens.

Apoſtoli reprobis odor mortis, electis odor vitæ.

Rurſum cauſaliter odorem ſe vocat; quatenus ſua prædicatione famam hominis Chriſti tamquam bonum odorem latè diſpergebat. Qui odor malis ac reprobis lethalis erat non ſuo, ſed illorum vitio; propterea quod occaſione Evangelii ſibi prædicati dum credere nolunt, graviùs condemnantur: quum odor ille ſecundùm ſe ſemper bonus ſit, etiam tunc quando quibuſdam eſt odor mortis ad mortem. Sic enim & fragrantia boni unguenti columbam vegetat, ſcarabæum necat: ut ait Oecumenius. Sic & lumen ſolis oculos ſanos recreat, debiles offendit: & ignis aurum purgat, ſtipulas abſumit: & ipſe Chriſtus aliis *in ruinam*, aliis *in reſurrectionem poſitus eſt*, Luc. 2. Qua ratione etiam de ſacramento Corporis & Sanguinis Domini canit Eccleſia: *Mors eſt malis, vita bonis.*

ET AD HÆC QUIS TAM IDONEUS? Vocula *tam*

in Græco & Syriaco non additur : ut nec in textu Ambroſ. & Sedulii. Legitque ſine ea paſſim Auguſt. *ut tract. 50. ſuper Joan.* & *in enarr. Pſalmi 7.* & *aliis locis apud Bedam.* Suſpicatur Eraſmus interpretem vertiſſe, *quiſnam idoneus?* Certè ratio oſtendit illud *tam* abeſſe debere, ne ſit ſententia arrogantior. Legiſſe tamen Pelagium, arguit hoc ejus gloſſema: *Ad hæc facienda quis poteſt tam idoneus eſſe quam nos, qui ad hoc ſumus electi?* Quod idem in ſuum collectaneum tranſſcripſit Sedulius. Atqui *ſenſus eſt*: Quotuſquiſque miniſtrorum evangelii idoneus eſt ad hæc quæ dico, præſtanda? ſcilicet ut ſit bonus odor Chriſti in omni loco, id eſt, ut bonam famam evangelii Chriſti de ſe ſpargat apud omnes. Idoneum intelligit qui re ipſa talem ſe probet. Indicat autem hac interrogatione perpaucos eſſe tales : multos verò non tales. Et ab his ſeſe eximit verbis ſequentibus.

Idoneus evangelii miniſter.

Idonei perpauci.

17. NON ENIM SUMUS SICUT PLURIMI, ADULTERANTES VERBUM DEI. *Plurimi*, Græcè πολλοὶ, *multi, plerique*. Nam quod in tribus codicibus à Roberto notatis legitur λοιποὶ, *cæteri*. Quod nec veritati congruit, nec modeſtiæ Pauli; magiſque redolet Phariſaicum illud : *Non ſum ſicut cæteri homines*. Luc. 18. Notat autem his verbis Pſeudapoſtolos, quorum mores expreſſiùs deſcribit cap. 11. *Adulterantes*, inquit, *verbum Dei*. Græcè καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, id eſt, *cauponantes verbum*, ſive *ſermonem Dei*. *Cauponantes* etiam in antiquis concordantiis lego. Et ad eam lectionem alludunt veteres Latini, Pelagius, Primaſius, Sedulius; nec non eos ſecuti gloſſator & Lombardus : dum huc citant illud Iſaiæ 1. ſecundùm LXX. *Caupones tui miſcent vino aquam*. Eſtque ſanè venuſtior hoc loco metaphora cauponari, quàm adulterare.

Adulterantes ſeu cauponantes verbum Dei qui dicantur.

Poteſt autem bifariam exponi, vel ut *ſenſus ſit*, Quæſtus & commodi ſui gratia verbum Dei prædicantes; ad quæſtum evangelio abutentes. Quo ſermonis tropo Pyrrhus Epirotarum Rex apud Ennium dixit, *Non cauponantes bellum, ſed belligerantes*. Cauponum enim eſt omnia ad quæſtum vertere. Et hoc attendit qui interpretatus eſt *venundantes*, uti legit Hieronymus juxta priores editiones; pro quo & repetit : *qui venditent verbum Dei*, & exponit, *Qui quæſtum putant eſſe pietatem*, & *turpis lucri gratia omnia faciunt*.

Vel hoc ſenſu; Vitiantes verbum Dei ſanamque doctrinam permixtione falſitatis. Qua ſignificatione Græcum verbum accepit tam noſter interpres, quàm ille, cujus textus uſus eſt Ambroſiaſter, dum vertit uterque, *adulterantes*, id eſt, quod ſincerum eſt corrumpentes. Quod idem faciunt caupones vinum aqua miſcentes. Hoc autem poſterius ex priori ferè conſequitur. Nam ut caupones lucrandi ſtudio mixta pro meris, & vitiata pro ſinceris vendunt: ita qui in evangelio Chriſti prædicando quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti, ad illum finem etiam ſuam doctrinam libenter ii flectunt atque accommodant. Utrumque in cauponandi verbo conſiderarunt Chryſoſt. & ejus ſequaces. Et quidem eos quos hac epiſtola inſectatur Apoſtolus, utrumque feciſſe, conſtabit ex eorum deſcriptione quam nobis tradet *cap.* 11. ubi non ſolùm eos taxat ut ſui lucri gloriæque ſtudioſos, verùm etiam Pſeudapoſtolos vocat, & Satanæ miniſtros. Rurſus autem iidem ut *adulterantes verbum Dei*, notantur *infrà cap.* 4. verbo quidem Græco diverſo, non tamen diverſæ ſignificationis : ut illic videbimus.

SED EX SINCERITATE; SED SICUT EX DEO, CORAM DEO, IN CHRISTO LOQUIMUR. Sinceritatem opponit cauponationi. Loquitur ergo verbum Dei *ex ſinceritate*, vel, ut eſt in Græco, *tamquam ex ſinceritate*, id eſt, tamquam ſincerus evangeliſta, qui neque Dei verbum adulterat admixtione alienæ doctrinæ, neque eo abutitur ad quæſtum aut gloriam humanam. Verba Apoſtoli ſic expono : Sed loquimur & annunciamus verbum Dei ſincerè, tamquam profectum & acceptum à Deo; loquimur, inquam, *coram Deo*, vel in conſpectu Dei, id eſt, Deum teſtem ac judicem præ oculis habentes, ideoque Deo non hominibus placere ſtudentes; denique loquimur illud *in Chriſto*, id eſt, per Chriſtum, vel authoritate Chriſti, cujus ſumus miniſtri. Particula *ſed* ſecundò repetita, vim orationis intendit. Cujus exemplum luculentius habebimus, *infrà cap. 7. verſ. 11.*

Quid ex ſinceritate verbum Dei loqui.

CAPUT III.

INcipimus iterùm noſmetipſos commendare? aut numquid egemus (ſicut quidam) commendatitiis epiſtolis ad vos, aut ex vobis? 2. Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus: 3. manifeſtati quod epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. 4. Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum : 5. non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis : ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: 6. qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti; non littera, ſed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat. 7. Quod ſi miniſtratio mortis, litteris deformata in lapidibus fuit in gloria; ita ut non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: 8. quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria? 9. Nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt : multò magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria. 10. Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. 11. Si enim quod evacuatur, per gloriam eſt : multò magis quod manet in gloria eſt: 12. Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia utimur : 13. Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſrael in faciem ejus, quod evacuatur, 14. ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Uſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum, (quoniam in Chriſto evacuatur.) 15. Sed uſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. 16. Cum autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. 17. Dominus autem Spiritus eſt: Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. 18. Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.

Exod. 34. d. 33.

Joan. 4. 6. 24.

SUMMARIUM.

NEgat Apoſtolus aliena commendatione ſe indigere; cùm fructus ſuæ apud Corinthios prædicationis ſatis ipſum commendet. Miniſterii novæ legis qua Spiritus & juſtitia ſubminiſtratur, præ miniſterio veteris legis, qua fuit litera occidens, excellentiam demonſtrat: docetque Judæis adhuc velatum eſſe, quod novi teſtamenti miniſtris revelatum eſt.

INCIPIMUS ITERUM NOSMETIPSOS COMMENDARE? Quoniam lapſus fuerat ad commemorationem integritatis ac ſinceritatis ſuæ in Apoſtolico munere exequendo : ne vel in ea re videatur quod ſuum eſt, quærere, ſuæque gloriæ ſtudere; & per hoc imprudenter incurrere in vitium, quod in aliis reprehendebat : ſuſpicionem hujuſmodi repellit. Non hæc, inquit, dicimus, quò nos ipſos commendemus ac veſtram benevolentiam captemus, commodum aliquod noſtrum inde ſperantes. Dicit autem *iterùm*, quia in priore epiſtola paſſim ac præcipuè, *cap.* 9. multa dixerat, quæ ad ipſius commendationem ſpectare viderentur. Verùm illa omnia, ſicut & iſta, propriè non ſui commendandi cauſa dixit, ſed ad utilitatem eorum quibus ſcribebat : ſimul ut in ſeipſo oſtendat quales eſſe debeant omnes miniſtri verbi Dei. *Alii ſic exponunt*: Numquid hæc dicimus, tamquam volentes nos

vobis merita, per quæ & vobis & aliis satis superque cogniti sumus & commendati. Congruit huic sensui quod sequitur.

AUT NUMQUID EGEMUS, SICUT QUIDAM, COMMENDATICIIS EPISTOLIS AD VOS, AUT EX VOBIS? Noster interpres in Græco legisse videtur ἢ μὴ, *aut num*, ut habet unum dumtaxat exemplar Roberti Stephani; respondetque Syra versio. Cætera legunt, εἰ μὴ, id est, *nisi*: quomodo vertit interpres Theophylacti: tametsi usurpatur interdum pro *num, numquid*, quod huic loco melius quadrat. Ita textus Ambros. *Numquid indigemus*, &c. Erasmus & alii, *Num egemus*. Vocabulum (*commendaticiis*) Græca repetunt in fine: *aut ex vobis commendaticiis*? Repetitio non necessaria: quamvis & eam cernere est in Syriaco. *Sensus*: Num opus habemus literis commendaticiis, vel ab aliis ad vos, vel à vobis ad alios?

Pseudapostoli literas cõmendaticias ambientes.

SICUT QUIDAM. Supple, egent; seu potius, faciunt; id est, commendaticias undique studiosè conquirunt. Pseudapostolos notat, in quos dicit illud cap. 10. *Non qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat*: & quorum jactantiam memorat cap. 11. Sese verò ejusmodi commendationibus haud quaquam indigere docet ea ratione, quam subjungit.

Ipsi Corinthii epistola cõmendaticia Pauli.

2. EPISTOLA NOSTRA VOS ESTIS. Vos ipsi, inquit, estis epistola nostra, id est, nostri commendaticia: Nec præter vos aliam requiro. Si quidem abundè nos & vobis & aliis commendat fides & vita vestra, quos sic instituimus. *Vos enim* (ut in priore epistola dixit cap. 9.) *opus meum estis in Domino*. Et iterùm: *Signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino*. Quare quemadmodum opus commendat opificem, & sigillum facit certam fidem rei signatæ: ita vos mihi estis loco epistolæ commendaticiæ, per vosmetipsos obsignatæ.

Scriptura in corde, in manibus.

SCRIPTA IN CORDIBUS NOSTRIS. Græcè ἐγγεγραμμένη, *inscripta*: Habet enim emphasim repetita præpositio. *Sensus*: Eam epistolam, quæ vos estis, cordi meo inscriptam & impressam ubique circumfero: & pro mei commendatione exhibeo, quibus volo. Inscriptionem intellige per memoriam & amorem. Locutio similis apud Isaiam cap. 49. *In manibus meis descripsi te*.

QUÆ SCITUR ET LEGITUR AB OMNIBUS HOMINIBUS. In Græco est agnatio vocabulorum, γινωσκομένη ὑπ' ἀναγινωσκομένη, quasi dicas, *quæ cognoscitur & recognoscitur*, id est, *legitur*. Græcis enim ἀναγινώσκειν est legere. Similis erat paranomasia, *cap.* 1. *vers.* 13. Eam ut hoc loco redderet Erasmus vertit, *quæ intelligitur & legitur*, parum commodè. Sic enim præposterus esset Apostoli sermo: cùm priùs sit legere literas quàm intelligere. Nec verò γινώσκειν intelligere significat, sed cognoscere; quemadmodum & habet textus Ambros. Cognoscitur autem etiam quod nondum intelligitur. Itaque sensus est: Quam epistolam omnibus in promptu est inspicere & legere, perinde ut literas patentes, omniumque oculis expositas. Hoc dicit propter famam fidei Corinthiorum latè dispersam.

Corinthii epistola Christi, & quo sensu.

3. MANIFESTATI QUOD EPISLOLA ESTIS CHRISTI. *Manifestati* referendum est ad pronomen *vos*. Estque præsentis temporis participium in Græco mediæ significationis, Φανερούμενοι; quod Erasmus activè vertit, *dum declaratis*. Verum rectiùs interpres noster passivè reddidit *manifestati*, id est, de quibus manifestum est & palàm constat, *quod epistola estis Christi*: vel quia scripta à Christo, vel quia Christus in ea scriptus: qui posterior sensus Græcorum est, dum epistolam Christi interpretantur, in qua lex & præcepta Christi, velut inscriptæ literæ, maneant ac serventur. At priori sensui, quem Latini tradunt, & quo significatur Corinthios quatenus fideles esse scripturam & opus Christi, melius respondet quod sequitur.

MINISTRATA A NOBIS. Hoc est, nostro ministerio conscripta. Christus, inquit, hujus epistolæ principalis est author, idemque nobis ministris ad eam scribendam usus est. Hinc ait 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Erasmus dum vertere maluit, *subministrata à nobis*, nec vim Græci vocabuli διακονηθεῖσα, nec mentem Apostoli satis explicuit. Nam in verbo subministrandi non necessariò ministerium intelligitur. Subministrat enim qui suppeditat ac præbet aliquid, etiamsi minister non sit ejus cui præbet: quale est subministrare sumptus alicui. Quare nec in paraphrasi suam hanc versionem idem Erasmus sequendam putavit. Paraphraseos verba sunt, *Sinceritate fidei, vitaque evangelica declaratis, quod sitis epistola Christi, ab illo quidem scripta, sed nostro ministerio*.

Subministrat non solus qui ministrat.

ET SCRIPTA NON ATRAMENTO, SED SPIRITU DEI VIVI. *Et scripta*, Græcè *inscripta*, sine conjunctione: quemadmodum & Irenæus legit *lib. 5. cap.* 13. Abest item conjunctio in Ambrosiano textu atque Syriaco, & apud Augustinum *de spir. & lit. cap.* 14. & 17. Jam quod interpres *vivi* reddit loco *viventis*, ζῶντος, ferè perpetuum illi est. Scripta est, inquit, non atramento, quales sunt epistolæ manibus hominum exaratæ; sed virtute Spiritus-sancti; *per cujus efficaciam*, uti scribit in hunc locum Cajetanus, *operatur Christus in animo hominis assensum, spem atque dilectionem*. Refert autem Apostolus hanc scriptionem ad Spiritum-sanctum, ea ratione qua omnis nostra sanctificatio (quod ad eam naturæ vires non attingant) in Spiritum-sanctum referri solet. Quem & vocat Spiritum Dei viventis: quia de epistola animata ac vivente loquebatur. Estque allusio ad locum *Jeremiæ* 31. ubi Dominus novum pactum vetere reprobato promittens, ita loquitur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*. Eodem pertinent sequentia.

Epistola scripta Spiritu Dei.

Omnis nostra sanctificatio Spiritui-sancto ascribitur.

NON IN TABULIS LAPIDEIS. Quomodo nimirum scripta fuit lex vetus populo Judaico per Moysen data, *Exod.* 24. 31. & 32. Nam ad eam historiam respicit Apostolus, ut constat ex iis quæ infrà dicuntur.

SED IN TABULIS CORDIS CARNALIBUS. *Carnalibus*, Græcè σαρκίναις, *carneis*, ut alii vertunt. Et *sensus est*: Sed in ipsis cordibus tamquam tabulis quibusdam, iisque non duris instar lapidis, sed mollibus instar carnis seu cordis humani, id est, facilibus & promptis ad obedientiam. Alludit enim ad illam novi testamenti promissionem, quæ exstat apud Ezechielem cap. 11. & iterùm cap. 36. his verbis: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*. Quam suam promissionem exponens Dominus, ibidem subjungit: *Et faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini*.

Tabulæ cordis carneæ quæ dicãtur.

Patet igitur carnale hîc non opponi spirituali, quemadmodum alibi passim in epistolis Apostolicis: sed ei quod durum est. Nam & in Græco diversa sunt vocabula, σαρκικὸν, *carnale*, quod alibi; & σάρκινον, *carneum*, quod hîc legitur (uno licet dissentiente codice Complutensi) & in utroque loco Ezechielis, juxta versionem interpretum LXX. Dicitur autem epistola de qua sermo est, id est, ipsi Corinthii fideles, scripta in tabulis cordis carneis in quantum fides & charitas, &c. quæ lex nova præcipit, in eorum cordibus impressa erant per Spiritum-sanctum. Ex hac scriptura Pelagianos, quæ naturæ viribus attribuebant divinæ legis observationem, refellit Augustinus variis locis, nominatim *lib. de spir. & lit. cap.* 17. *& de grat. & lib. arb. cap.* 14.

Differunt carnale & carneum, etiam in Græco.

4. FIDUCIAM AUTEM TALEM HABEMUS PER CHRISTUM AD DEUM. Quod dixit, *ministrata*

à nobis, (quo verbo rei maximæ ſibi miniſterium aſſcripſit) ne dixiſſe videatur arrogantius : id nunc totum ad meritum Chriſti Domini ſui, deinde & ad Deum authorem refert. *Fiduciam*, Græcè πεποίθησιν, metonymicè poſuit pro gloriatione, quæ ex fiducia naſcitur ; uti benè exponit Theophyl. Sic enim & alibi πεποιθωσι, *confidere* dixit pro gloriari, ut Rom. 2. *Confidis teipſum eſſe ducem cæcorum.* Et hujus epiſtolæ cap. 10. *Si quis confidit ſibi, Chriſti ſe eſſe.* *Ad Deum*, Græcè πρὸς τὸν θεὸν, Eraſmus *erga Deum*: ſed meliùs *apud Deum.* Quomodo vertit alibi noſter interpres, *ut Joan.* 1. *verſ.* 1. *&* 2. *Rom.* 4. *verſ.* 2. *& Philip.* 4. *verſ* 6. Senſus enim eſt: Quod vos ſitis epiſtola per nos miniſtrata & à nobis quodammodo ſcripta, quæ proinde nos commendet : de ea re non in nobis, ſed in Chriſto & per Chriſtum gloriamur apud Deum ; à quo ſcilicet miniſterii noſtri præmium expectamus. Dicendo namque *ad Deum*, ſive *apud Deum*, ſignificare voluit veram & ſolidam gloriandi materiam : ut quæ probetur ac remuneretur in judicio Dei. Sic è contrario dicit Rom. 4. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.*

Fiducia pro gloriatione.

5. NON QUOD SUFFICIENTES SIMUS COGITARE ALIQUID A NOBIS QUASI EX NOBIS. Græcè: *Non quia idonei ſumus à nobis ipſis cogitare aliquid tamquam ex nobis ipſis.* Eſt enim in Græco vox eadem ἱκανοὶ, quam interpres nunc idoneos, nunc ſufficientes vertit. Arauſicana ſynodus & paſſim Auguſt. *idonei* legunt. Et quamvis ἱκανὸς interdum etiam dignum ſignificet, ut 1. Cor. 15. *Non ſum dignus vocari Apoſtolus*, & aliis locis quæ nos ibidem annotavimus ; huic tamen loco ſatis apparet eam ſignificationem non convenire. Simile eſt illud 2. Tim. 2. *Qui idonei* (ἱκανοὶ) *erunt & alios docere*: ubi nemo dixerit vertendum *digni*. Certè & interpretes omnes quos vidi, locum hunc verterunt aut *ſufficientes*, aut *idonei*: & Latini Patres altero tantùm horum modorum citaſſe reperiuntur.

Græcæ vocis ἱκανοὶ ſignificatio declaratur.

An eadem, à nobis & ex nobis.

Porrò quod habemus *à nobis* & *ex nobis*, Ambroſiaſter utrumque legit, *à nobis:* Contrà Hieron. *ex nobis*, & *ex noſtro*, lib. 2. dial. *adverſus Pelag. cap.* 3. Sed & Eraſmus atque Hentenius utrumque reddiderunt, *ex nobis ipſis.* Verùm noſter interpres Græca ſecutus, ubi legitur ἀφ' ἑαυτῆς & ἐξ ἑαυτῶν, præpoſitionem & ipſe variavit. Quamquam quod ad ſignificationem attinet, aut nullam inter illa duo differentiam eſſe, aut exiguam, videri poteſt. Id enim indicare voluerunt Patres concilii Tridentini, *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. quum ad hunc locum reſpicientes, eadem uſi ſunt præpoſitione, *Qui ex nobis*, inquiunt, *tamquam ex nobis nihil poſſumus ; eo cooperante qui nos confortat, omnia poſſumus.*

Quid Apoſtolo cogitare aliquid.

Eſt autem accipienda Apoſtoli ſententia de cogitatione ejus, *quod attinet ad pietatis viam* (aliàs *vitam*) *& verum Dei cultum*, ut exponit Auguſtinus *lib. de dono perſever. cap.* 13. Sive aliis verbis, *quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ:* ut exponit Arauſicanum concilium, *can.* 7. Deque ea cogitatione non qualicumque, ſed afficiente voluntatem. Nam bonum aliquid & pium cogitare ſola mentis apprehenſione, ſic ut voluntas rei cogitatæ vel apprehenſæ nullatenus afficiatur, poteſt homo ex ſeipſo ac ſolis naturæ viribus: neque ad hujuſmodi cogitationem opus habet gratia Dei per Chriſtum. Quamquam illud propriè nec Latinis eſt cogitare, nec Græcis λογίσασθαι. Quod quidem verbum non ſimpliciter ſignificat animo quippiam apprehendere, ſed cum deliberato rationis judicio & voluntatis affectu circa rem apprehenſam. Sic enim & aliàs hanc vocem Paulus uſurpat, ut Philip. 4. *Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta*, &c. *hæc cogitate.*

Quare qui pro *cogitare* verterunt hoc loco *reputare*, quomodo legit Hieron. ex aliena, ut exiſtimo, tranſlatione ; non ſatis vim Græcæ vobis, ut hîc à Paulo ſumitur, aſſecuti ſunt : licet ea verſio benè conveniat aliis quibuſdam locis apud eumdem Apoſtolum, ut infrà cap. 5. *Non reputans illis delicta ipſorum*, & cap. 10. ſemel & iterùm, *Hoc cogitet apud ſe.* & 1. Corinth. 13. *Charitas non cogitat malum*, juxta ſenſum illic à nobis probatum. Eadem ferè ratio de voce *æſtimare*, quæ legitur in textu Ambroſiano. Capitur etiam interdum λογίσεσθαι pro ſuo compoſito συλλογίσεσθαι, *ratiocinari*, ut eodem cap. 13. prioris ad Corinth. *Cogitabam ut parvulus.* Et Marci 11. *Cogitabant ſecum dicentes, Si dixerimus, de cælo*, &c. Quod Lucas *cap.* 20. per compoſitum exponit συνελογίσαντο. Sed ea ſignificatio non quadrat huic loco ; qui voluntatis affectum præcipuè requirit : ut hæc Apoſtoli ſententia reſpondeat cum illa quæ dicit 1. Corinth. 12. *Nemo poteſt dicere Dominum Jeſum*, ſcilicet ex pio cordis affectu, ut illic expoſitum eſt, *niſi in Spiritu-ſancto.*

Senſus igitur hujus loci eſt: Gloriamur apud Deum de noſtro erga vos miniſterio, ejuſque ſucceſſu: nihil interim nobis vendicantes, ut qui non valeamus boni quippiam quod ad rem Evangelicam aut omnino ad pietatem pertineat, ex propriis naturæ noſtræ viribus vel cogitare : quantò minùs agere & exequi ! Addit Apoſtolus, *quaſi ex nobis*: quia cogitamus quidem à nobis vel ex nobis ea quæ bona ſunt : id eſt, mente & ingenio, atque etiam voluntate noſtra cogitationem ejuſmodi exercemus, ſed non quaſi ex nobis : quia non ad hoc ſufficiunt vires naturæ, ut differant quidem *à nobis*, & *quaſi ex nobis* : non tamen differant *à nobis* & *ex nobis* : quomodo non differunt *ex fide* & *per fidem*, Rom. 3. verſ. 30. & infrà hoc *cap. verſ.* 11. *per gloriam* & *in gloria.* Si quis tamen & urgendam putet præpoſitionis mutationem, reddere poterit hunc ſenſum : nos non poſſe cogitare aliquid à nobis, ita ut ex nobis, non ex alio. Quod velle videtur ſequens antithetum, *ex Deo.*

Ex nobis ne cogitare quidem aliquid boni poſſumus.

SED SUFFICIENTIA NOSTRA EX DEO EST. *Sufficientia*, Græcè ἱκανότης, *idoneitas.* Sed, inquit, quod idonei ſumus ad aliquid boni vel cogitandum vel agendum ; & ſemel, quidquid boni poſſumus, id totum ex Deo eſt per Chriſtum. Nam illud *per Chriſtum*, jam antè præmiſerat. Utitur hoc Apoſtoli teſtimonio. *Non quod idonei ſimus cogitare aliquid*, &c. B. Auguſt. adverſus Pelagianos, quo doceat nec boni cupiditatem, nec fidem, nec ipſius initium fidei, nec ullius operis boni progreſſum & perſeverantiam, nos ex nobis habere, ſed ex Deo. Loca ſunt *lib.* 2. *contra duas epiſt. Pelag. cap.* 8 *lib. de præd. ſanct. cap.* 2. & *lib. de dono perſever. cap.* 8. & 13. Utuntur eodem teſtimonio Patres Arauſicani concilii canon. 7. quo definiant eum *hæretico falli ſpiritu*, qui dixerit hominem *per naturæ vigorem bonum aliquid ad ſalutem pertinens vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, evangelicæ prædicationi conſentire poſſe, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti.*

Quidquid boni poſſumus, totum ex Deo eſt.

Nota.

Porrò Græci commentatores, Chryſoſt. Theophyl. & Oecumen. Apoſtoli mentem explicantes loquuntur his modis: *non aliud eſſe noſtrum, aliud Dei:* adeoque *nihil planè noſtrum eſſe, ne minimum quidem : ſed totum Deo aſſcribendum.* Legat præterea qui volet ea quæ ſcribit in hunc locum S. Thomas, doctè prorſus ac ſolidè, ubi præter alia affirmat etiam Philoſophi ſententiam fuiſſe, *quod numquam homo per liberum arbitrium poteſt ullum bonum facere ſine adjutorio Dei: Qui*, inquit, *& homines movet, & omnia quæ agunt, ad actiones ſuas.*

Non aliud noſtrum, aliud Dei.

Deus & homines & omnia quæ agunt ad actiones ſuas movet.

6. QUI ET IDONEOS NOS FECIT MINISTROS NOVI TESTAMENTI. Tranſit Apoſtolus ad commonſtrandam, dignitatem, & excellentiam miniſterii ſibi crediti : quod erat miniſterium novæ legis : idque

idque ex comparatione ejus cum lege veteri. *Idoneos fecit.* Græcè ἱκάνωσεν, pro quo Hieronymus legit, *dignos fecit.* Nam & noster interpres eamdem vocem alibi sic transtulit, ut Colossi. 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* Verùm quia derivativum est hoc verbum à nomine ἱκανὸς, quod præcessit, & non aliter verti debuit quàm *idonei, sufficientes*, quemadmodum & ἱκανότης, *idoneitas, sufficientia*: propterea conformiter est vertendum: *Qui & idoneos*, sive *sufficientes nos fecit*, &c. Ut sensus sit.

Nota, qui idonei ministri novi testamenti.

Qui Deus, inter alia bona quæ ex ipso habemus, etiam hoc nobis Apostolis contulit, quod aptaverit & idoneos reddiderit novi testamenti ministros: idoneos autem, id est, non quæ nostra sunt, quærentes, sed ea quæ Jesu-Christi; neque verbum Dei adulterantes, sed ex sinceritate tamquam coram Deo illud annunciantes. Talem enim suprà descripsit idoneum evangelii ministrum: id est, eum de quo interrogaverat: *& ad hæc quis idoneus?* ut ista sit velut responsio: Nos idonei sumus, non ex nobis, sed ex Deo, qui nos idoneos fecit novi testamenti ministros. Est autem novum testamentum, pactum seu promissio vitæ æternæ gratuitò donandæ nobis à Deo per Christum. Quò referenda sunt omnia dona virtutum ac bonorum operum per quæ vitam æternam quacumque ratione meremur atque consequimur. Hoc ergo Dei beneficium qui annunciant hominibus, novi testamenti ministri sunt.

Quid novum testamentum, & qui ejus ministri.

NON LITERA, SED SPIRITU. Græcè οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος, *non literæ, sed spiritus.* Quomodo verisimile est interpretem vertisse. Sic enim mss. quædam legunt, & in his Erasmo teste duo Constantienſia: nec non veteres concordantiæ: exstatque eadem lectio apud Augustinum, *lib. de spir. & lit. c.* 17. & 20. Quid verò legerit Ambrosiaster, ex ejus commentario percipi non potest. Pelagius quoque & Sedulius quid legerint, non liquet, nisi quod ex eorum scholio (quod alter ab altero sumpsit) apparet tertium casum eis lectum fuisse, *non literæ, sed spiritui.* Porrò sextus casus obrepsisse videtur ex simili loco qui est Rom. 2. *in spiritu, non litera.*

Est autem hæc pars expositio ejus quod dixerat, *novi testamenti.* Sensus enim est, fecit nos idoneos ministros novi testamenti; non inquam ministros literæ, id est, legis scriptæ & datæ per Moysen, quæ est lex vetus: sed ministros spiritus, hoc est, ministros legis novæ, qua Spiritus sanctus datur ad legem implendam. Sensum hunc, simul & Græcam lectionem confirmat, quæ paulò pòst nominatur, *ministratio spiritus.* Spiritum autem sanctum intelligi, patet ex eo quod posteà subjicit, tamquam seipsum exponens: *Dominus autem Spiritus est.* Jam quantò præstabilius sit ministerium Spiritus, ministerio literæ, docet ex insigni discrimine literæ & Spiritus, dicens:

Litera & Spiritus hoc loco quid significent.

LITERA ENIM OCCIDIT: SPIRITUS AUTEM VIVIFICAT. Per literam, uti dictum est, lex in tabulis scripta, ac veteri populo data significatur. Per Spiritum verò Spiritus sanctus intelligitur, quatenus author est nostræ sanctificationis ac renovationis, idque præcipuè per charitatem, quam cordibus nostris infundit. Itaque *sensus est:* Lex scripta, quam Deus per Moysen dedit, si sola sit, ac Spiritu destituta, quod est lex vetus) occidit, hoc est, eos quibus data est, æternæ morti reddit obnoxios: non quidem per se suoque vitio. (*Lex enim sancta, & mandatum sanctum & justum & bonum*, Rom. 7.) sed ex occasione latentis in eis concupiscentiæ: de qua sub nomine peccati ita scribit Apostolus eodem loco: *Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat: sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit, & inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.*

Litera occidit, quo sensu.

Porrò Spiritus, per gratiam qua nos efficit legis observatores, vivificat nos, id est, æternæ vitæ constituit hæredes. Sensum quem dedi de litera occidente, illud prætereà comprobat, quod proximè post verba jam citata ex epistola ad Rom. subjungit Apostolus: *Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit*: utique reddendo obnoxium morti æternæ. Neque enim aliud est, peccatum occidere hominem per mandatum; quàm, legem seu literam occidere hominem occasione peccati. Conferendæ sunt & aliæ Scripturæ, ut Rom. 4. *Ubi noc est lex, nec prævaricatio.* Et cap. 5. *Lex subintravit ut abundaret delictum.* 1. Cor. 15. *Virtus peccati lex.* Et Gal. 3. *Lex propter transgressiones posita est.*

Spiritus vivificat.

Ex quibus omnibus, ac potissimum *ex cap. 7. epist. ad Rom.* satis liquet eos haud assecutos mentem Apostoli, qui literam interpretantur occidere: quod lex Moysi temporale supplicium mortis, ut erant lapidatio, crucifixio, transgressoribus comminetur & irroget, quæ Græcorum, & inter Latinos Ambrosiastri est expositio. Constat enim Apostolum eo loco non agere de ejusmodi supplicio, sed de morte æterna: de qua dixerat cap. 6. *Stipendia peccati mors.* Alioqui certè permulti, tempore veteris legis, vel occultè peccantes in legem, vel potentiores, qualis David adulter & homicida (quod utrumque crimen secundùm legem erat capitale) supplicium mortis evadebant: ut in iis juxta sensum Græcorum, locum non haberet, *litera occidit.* Denique si literam occidentem de morte temporali interpreteris, oportebit & Spiritum vivificantem de vita temporali intelligere: ut consistat antithesis. Id verò quam sit à mente Pauli remotum, scopus doctrinæ ejus palàm ostendit.

Refellitur Græcorũ expositio de litera occidente.

Atqui multò minùs hac sententia significare voluit Apostolus, literalem sive historicum scripturæ sensum, occidere, id est noxam adferre lectori: mysticum verò sensum, quem spiritualem vocant, vivificare, id est, ad pietatem conducere. Qui sensus priori parte falsus est, & ad Origenis damnata dogmata rejiciendus. Quamquam interdum accommodatur hæc Apostoli sententia non malè, (quemadmodum fecit Augustinus *lib. 3. de doct. Christ. cap. 5.*) ad significandum quod interpretari scripturam ubique sic ad literam, ut verba sonant, ducit in errorem: ut si Deo caput, manus pedes, animam propriè tribuas; quoniam hæc in scriptura Deo leguntur attributa. Quo sensu, litera occidit Anthropomorphitas, nec non eos qui simili ratione misericordiam, iram, pœnitentiam, & alias hujusmodi affectiones propriè putaverunt esse in Deo, vel Judæi, & inter Christianos Lactantius, aliique nonnulli: quos anthropopathias appellare possumus. Antitheses huic loco non dissimiles sunt illæ; *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam*, Joan. 6. *Scientia inflat, charitas ædificat*, 1. Corinth. 8. In altero namque caro spiritu destituta prodesse negatur: in altero scientia charitate vacua dicitur inflare. Pleniorem intelligentiam discriminis hîc assignati inter legem veterem & novam si quis desideret, legat Augustini *lib. de spirit. & lit. à 4. cap. usque ad 25*, item quæ scribit *lib. 15. contra Faustum cap. 8. lib. 2. contra adverſ. legis & proph. cap. 7. serm. 3. de verbis Apost. cap. 10 & 11. & lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 7 & lib. 4. cap. 5.*

Sensum scripturæ literalem occidere, falsò dicitur.

Quo sensu litera scripturæ decidat.

Anthropomorphitæ.

Anthropopathitæ.

7. QUOD SI MINISTRATIO MORTIS LITERIS DEFORMATA IN LAPIDUS FUIT IN GLORIA. Ex dato discrimine literæ & spiritus, jam colligit, quantò plus gloriæ debeatur ministerio novæ legis quàm veteris. Quod Græcè est διακονία, noster interpres hoc & sequenti capite vertit *ministrationem*; ac semel dumtaxat *ministerium.* Alii quidam *administrationem* malunt: tametsi revera magis quadrat ministerii nomen. Nec Græcè est, *literis*, sed

in literis, ἐν γράμματι; quemadmodum & Auguſtinus legit loco memorato contra legis adverſarium. Juxta quam lectionem, quæ nobis germana videtur, adhæret hæc particula præcedentibus, *Quod ſi miniſtratio mortis in literis*, id eſt, miniſtratio literæ occidentis: ut interpoſito commate ſequatur: *Deformata in lapidibus. Deformata* non aliud eſt quàm *inſculpta*. Simplici verbo *formata* legit Ambroſiaſter. *Figurata* legit Auguſtin. *de ſpirit. & lit. cap.* 14. & Beda in textu. Utrumque reperies apud Auguſtinum ſcribentem *contra adverſ. legis*. Græcum ἐντετυπωμένη ſonat *informata*; quod tamen interpres meliùs atque elegantiùs extulit *deformata*; quomodo Quintilianus dixit *marmora prima deformata manu*: & Vitruvius, *Tragicæ ſcenæ deformantur columnis, ſignis & regalibus rebus*. Quod ſequitur, *fuit in gloria*, ἐγενήθη ἐν δόξῃ potuit etiam verti, *fuit*, ſeu *facta eſt in claritate*.

Deformata quid hoc loco.

Senſus autem hujus partis eſt: Quod ſi miniſterium legis occidentis atque mortiferæ, tabulis lapideis inſculptæ, glorioſum fuit, utpote glorificatum per inſignem claritatem & ſplendorem vultus Moyſi, quando ſecundò deſcendit de monte legem adferens; ut habetur *Exodi* 34. Alii miniſtrationem mortis in literis, exponunt legem mortis miniſtratam: ut aptiùs ei jungatur quod ſequitur, *deformata in lapidibus*. Quæ expoſitio commoda quidem eſt; ſed quia ſcopus eſt Apoſtoli, miniſterium cum miniſterio comparare, idcircò prior ſenſus accommodatior eſſe videtur ad ejus mentem explicandam.

Comparatio miniſterii veteris legis cum miniſterio novæ.

ITA UT NON POSSENT INTENDERE FILII ISRAEL IN FACIEM MOYSI, PROPTER GLORIAM VULTUS EJUS QUÆ EVACUATUR. *Intendere*, Græcè ἀτενίσαι, ad oculos refertur. Ambroſ. legit *intueri*. Nec in Græco diverſum eſt vocabulum, ſed idem πρόσωπον, quod interpres in eadem hac periodo priùs *faciem* vertit, poſteà *vultum*: conſultò, ut arbitror, ne ſi faciem ſecundo loco dixiſſet, videretur relativum ſequens, *quæ evacuatur*, ad faciem pertinere. *Senſus*; Adeò clarificatum fuit illud legis occidentis miniſterium, ut non poſſent filii Iſrael intentis oculis aſpicere faciem Moyſi miniſtrantis legem: idque propter gloriam ſeu claritatem vultus ejus inſigniter radiantis *ex conſortio ſermonis Domini*: ut habetur Exodi *loco ſuprà* dicto. Partem ſequentem; *quæ evacuatur*, quidam ex Latinis ad miniſtrationem, alii ad legem retulerunt: ſed ex Græco manifeſtum eſt non aliò quàm ad *gloriam* referri poſſe; quæ dicitur evacuari, ſeu potiùs aboleri; quia claritas illa vultus Moyſi tranſitoria erat ac modici temporis. Hoc addens Apoſtolus, materiam dat novo argumento, quod ipſe ſtatim explicat *verſu* 11. Cæterùm idcircò miniſterium veteris legis aliqua gloria, tametſi non magna nec diuturna dignum habitum fuit; quia licet veteri populo fuerit miniſtratio mortis; ipſa tamen lex ſancta erat & divina; atque eo ſaltem officio fungebatur erga electos, ut eſſet illis *pædagogus ad Chriſtum*: quemadmodum docet Apoſtolus *Gal.* 3. Pendet adhuc periodus, & abſolvitur erotemate ſequenti.

Quare miniſteriū veteris legis glorificatū.

8. QUOMODO NON MAGIS MINISTRATIO SPIRITUS ERIT IN GLORIA? Id eſt: Cur non magis ac potiùs miniſterium novæ legis, quæ vivificantem Spiritum ſubminiſtrat, glorificabitur? ſcilicet ea gloria quæ in futurum ſæculum promiſſa eſt. De qua gloria loquitur expreſſiùs, *Rom.* 8. vocans eam glotiam adoptionis filiorum. Nam licet illa ſit futura communis omnibus electis; longè major tamen iis continget, qui ſe præbuerint idoneos novi teſtamenti miniſtros: ut per quos cæteri fuerint ad gloriam adducti. Argumentatio Pauli perſpicua eſt, & ſequela manifeſta, à minori ad majus. Poſtulat enim ratio, ut miniſterium vitæ multò magis glorificetur, quàm miniſterium mortis.

Gloria miniſterii novæ legis in futurum ſervata.

9. NAM SI MINISTRATIO DAMNATIONIS GLORIA EST. Rem eamdem aliis verbis inculcat. In multis codicibus legebatur, *in gloria eſt*: ſed veram lectionem reſtituit nobis editio Romana, conſentanea Græco & Syriaco textui: quæ & habetur in multis mss. & in antiquis concordantiis, & apud Auguſtinum *loco ſæpe dicto contra adverſ. legis*. Suffragatur item textus Ambroſ. qui ſic habet: *Si enim in adminiſtratione damnationis eſt gloria*: nec non Primaſii atque Sedulii, apud quos ita legitur, *Nam ſi ex miniſterio damnationis gloria eſt*. Denique textus & commentarius Haimonis: Nec additur in Græco verbum *eſt*, magiſque congruere videtur verbum *fuit*: ut ſenſus ſit, Quod ſi miniſterium legis, quæ reddit homines æternæ damnationi & morti obnoxios, gloria fuit, id eſt, res glorioſa; Sequitur:

MULTO MAGIS ABUNDAT MINISTERIUM JUSTITIÆ IN GLORIA. *Abundat*, Hebræa phraſi idem quod *excellit*: quomodo verterunt Eraſmus & Hentenius. Igitur, inquit Apoſtolus, multo major & excellentior debetur gloria miniſterio novæ legis, quæ juſtitiam confert, qua damnatio mortis evaditur, & vita acquiritur. Liquet ex dictis, idem eſſe Paulo miniſterium mortis & damnationis: idemque è diverſo miniſterium Spiritus & juſtitiæ.

Miniſterium juſtitiæ quod dicatur.

Eſt autem obſervandum hoc loco, Paulum non comparare Moyſen cum Chriſto, ſed cum Apoſtolis Chriſti. Non enim Moyſes ſuam tulit legem: ſed eam quam Deus illi dictaverat tamquam verus legiſlator. At verò Chriſtus non ſolùm ut miniſter, ſed ut Dominus, etiam quatenus homo, ſuam ipſius legem attulit mundo. Quare non cum Chriſto, ſed cum Chriſti miniſtris, id eſt, Apoſtolis, qui novam legem à Chriſto latam mundo publicarunt, Moyſes, tamquam veteris legis adminiſter non autem ipſius propriè legiſlator, comparandus fuit. Nam ſi Moyſen cum Chriſto conferas, quod alibi facit Apoſtolus, *ut Hebr.* 3. ea ratione jam multò latiùs & incomparabiliter majus erit utriuſque legis diſcrimen.

Non comparatur Moyſes cum Chriſto, ſed cum Apoſtolis Chriſti. Chriſtus propriè legiſlator, non Moyſes.

10. NAM NEC GLORIFICATUM EST QUOD CLARUIT IN HAC PARTE, PROPTER EXCELLENTEM GLORIAM. Mutat interpres verbum quod in Græco unum idemque eſt: ac ſi Græca Latinè ſic reddas: *Namque ne quidem glorificatum eſt quod glorificatum eſt*, &c. Vel, *Ne quidem claruit quod claruit*. Utitur autem Apoſtolus eo ipſo verbo & participio quod legerat apud interpretes LXX. Exod. 34. δεδόξασται, δεδοξασμένον, id eſt, *claruit*, *clarificatum*. Nec diſſonat quod ex Hebræo vertit Hieronymus *Cornutam Moyſi faciem* fuiſſe: nam vox Hebraica קרן *Karan*, ſignificat quidem cornificare, ſeu cornua proferre: ſed uſurpatur pro eo quod eſt, promicare emiſſis radiis, velut directis cornibus. Quod enim ſuſpicantur nonnulli ſcriptum illic ab interprete fuiſſe *coruſca*, quod librariorum oſcitantia mutatum fuerit in *cornuta*; vana eſt conjectura.

Cornuta facies Moyſi, quo ſenſu.

Senſus Apoſtoli eſt: Etenim *in hac parte*, id eſt, in hac comparationis materia, ne dicendum quidem eſt glorificatum fuiſſe quod olim glorificatum eſt; nempe veteris legis miniſterium: idque propter eminentem longeque ſuperiorem gloriam miniſterii novæ legis. Quaſi dicat; tam excellens erit gloria miſterii evangelici, ut miniſterium Moſaicum, etſi perſplendidum & glorioſum fuerit, tamen cum evangelico collatum, prorſus inglorium fuiſſe videatur. Theodoritus & ex eo Oecumenius, pulchrè rem declarant comparatione lucernæ, cujus lumen noctu ſplendidiſſimum, meridie abſconditur, ac ne lumen quidem eſſe putatur: videlicet à lumine ſolis obſcuratum.

Expoſitio Cajetani improbatur.

Cajetanus ſenſum huc adfert multò alium : tamquam velit Apoſtolus, gloriam Moyſi unde major fuit, inde redditam eſſe minorem : ut cujus excellentia præſtiterit impedimentum gloriæ. Sic enim exponit : *Id quod glorificatum eſt in hac parte, id eſt, in facie Moyſi, non eſt glorificatum ſimpliciter & abſolutè : quia impeditum eſt ab intuitu propter excellentiam gloriæ nimio ſplendore opprimentis viſum.* Ita Cajetanus, parum attendens ad phraſim Apoſtoli, *in hac parte*, qua utitur & *infrà cap. 9. v. 3.* & exponit *verſu* 4. dicens, *in hac ſubſtantia*, id eſt, materia. Quamquam & abſurdum eſt claritatem Moſaicam hoc argumento extenuare, quod præ ſui magnitudine intuentium oculos perſtrinxerit : velut ſi quis claritatem ſolis abſolutè claritatem eſſe neget, eò quòd aſpectum ejus oculi mortalium non ferant.

11. SI ENIM QUOD EVACUATUR, PER GLORIAM EST, MULTO MAGIS QUOD MANET, IN GLORIA EST. Verbum ſubſtantivum in neutro membro Paulus Græcè non expreſſit, ſed intelligendum reliquit : in priori quidem præteritum, *fuit*; in altero autem futurum, *erit*. Eadem verò ſunt, *per gloriam*, & *in gloria* : niſi quod *per gloriam* innuere videtur aliquid momentaneum ac tranſitorium : *in gloria* aliquid manens ac ſtabile. Argumentatur autem Apoſtolus ex eo quod paulò antè dixit gloriam vultus Moyſi evacuari, ſeu aboleri : per quod ſignificatum fuit ipſum ejus miniſterium, ipſamque legem quam ferebat, abolendam eſſe. Tale igitur eſt *argumentum*, rurſus à minori : Si miniſterium quod cùm lege abolendum erat, jamque abolitum eſt, glorioſum fuit : multò magis miniſterium legis uſque in finem ſæculi permanſuræ, glorioſum erit. Siquidem major debetur gloria rebus manſuris, quàm abolendis.

Miniſterium Moyſi evacuatur. Miniſterium novæ legis manſurum, quo ſenſu.

Alii legem Chriſti, id eſt, novum teſtamentum permanſurum interpretantur, non modò ad finem uſque ſæculi, ſed in ſempiternum, propter effectus ejus qui ſunt æterni : quo ſenſu Chriſto tribuitur ſempiternum ſacerdotium, *Hebr. 7.* Nec aliter ſanè miniſterium novæ legis æternum dici poteſt : quum conſtet ipſum ſecundùm ſe poſt hanc vitam ceſſaturum : Quocirca nonnulli rationem adferunt haud incongruam abolitionis & permanentiæ de qua loquitur Apoſtolus, ex timore & charitate; velut affectibus. Lex enim vetus, lex erat timoris ; ut lex nova, lex eſt charitatis. Quod autem timor abolendus ſit, oſtendit illa Joannis ſententia 1. epiſt. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Charitatem verò manſuram Paulus teſtatur 1. Cor. 13. dicens: *Charitas numquam excidit.* Innititur hæc ratio officio veteris legis circa electos, quod erat, ut ſuprà diximus, eſſe pædagogum eorum ad Chriſtum. Id enim officii præſtabat per timorem, ſub quo electos ad tempus continebat, donec ad Chriſtum eos adduceret. Hanc rationem tradit Auguſt. *lib. de Sp. & lit. cap.* 18. ubi loquens de vetere & novo teſtamento ſic ait : *Ideò illud evacuatur, hoc manet : quoniam terrenus pedagogus auferetur, cùm timori ſucceſſerit charitas.*

Ratio diverſitatis ex timore & amore.

Evangelii doctrina palàm ac liberè proponenda.

12. HABENTES IGITUR TALEM SPEM, MULTA FIDUCIA UTIMUR. Poſtquam evangelici ſui miniſterii demonſtravit excellentiam præ miniſterio veteris legis ; agit nunc deinceps de recto uſu ejuſdem ſui miniſterii. In quo argumento verſatur ab *hoc loco uſque ad cap. 7.* Ac primùm docet ad miniſtrum novæ legis pertinere, ut palàm, apertè ac liberè doctrinam evangelii proponat. Nam pro *fiducia*, Græcè eſt παῤῥησία ; quo nomine ſignificatur libertas & audacia loquendi id quod verum eſt : quod non ſolùm opponitur ſilentio, verùm etiam aſſentationi. Quo vitio plurimum laborabant Pſeudapoſtoli.

Græcum verbum χρώμεθα, pro quo legimus, *utimur*, commune eſt, modo exhortantis, *utamur*: ſic. que legit & exponit nuncupatus Ambroſius. Quæ lectio conſpicitur etiam in quibuſdam libris mss. Verùm certè præſès locus poſtulat indicativum *utimur* ; quod in multò pluribus legitur & melioribus. Nam hîc & in ſequentibus enunciativè loquitur Apoſtolus, ſub exemplo fidorum evangelii miniſtrorum, in quibus ſe numerat ; rectum ac legitimum illius miniſterii uſum commonſtrans. Cùm igitur, inquit, nos evangelicæ legis miniſtri ſpem habeamus tam excellentis gloriæ, quam ex miniſterio noſtro expectamus ; multa libertate utimur in evangelio prædicando. Id enim convenit luci ac gloriæ legis evangelicæ. Quod declarat verbis ſubjunctis.

13. ET NON, SICUT MOYSES PONEBAT VELAMEN SUPER FACIEM SUAM. Explenda ſententia eſt. Et non facimus ſicut Moyſes, qui (quemadmodum in Exodo legitur) velamen ponebat ſuper faciem ſuam. Id eſt, non occultamus evangelii lucem, ſicuti Moyſes in typo fecit, occultans eam Iſraëlitis. Hoc enim eſt quod ſequitur.

UT NON INTENDERENT FILII ISRAEL IN FACIEM EJUS QUOD EVACUATUR. Græcè & Syriacè. *In finem ejus quod aboletur.* Sed & Auguſtinus *in finem* legit atque exponit, *contra leg. adverſ.* ſcribens, & *lib. de Sp. & lib. cap.* 17. *& aliis locis à Beda collectis* : niſi quod alteram addat præpoſitionem, *uſque in finem* : quod Græcæ veritati non conſonat : Rurſus *in finem* legitur in textu Ambroſiano prioris editionis : ſicque legendum eſſe, commentarius arguit. Pelagium quoque, Primaſium & Sedulium legiſſe *in finem*, vel *ad finem*, ſatis certè colligitur ex eorum ſcholiis : licet apud duos priores textus mutatus ſit à ſcribis in id quod vulgati codices habent : quamvis & interpretem noſtrum *in finem*, non *in faciem* ſcripſiſſe, pluſquam veriſimile eſt. Qui ſi ſcripſiſſet *in faciem* ; id quod in Græco ſequitur τὸ καταργουμένου, non vertiſſet *ejus quod*, ſed *ejus qui evacuatur*, ſcilicet Moyſi ; cujus in faciem intendere filii Iſraël non poſſent : quando nec ea ſimilitudo vocum eſt in Græco quæ in Latino : ut facilè altera pro altera ſcribi potuerit. Nam quòd à nonnullis allegantur exemplaria quædam Græca quæ habeant εἰς τὸ πρόσωπον : certè ejuſmodi nulla à Ro. Stephano ſunt annotâ : ac meritò ſuſpicatur Eraſmus illa talia ad Latinorum lectionem fuiſſe correcta. Denique Græcos expoſitores τέλος, non πρόσωπον legiſſe perſpicuè declarant eorum commentarii.

Intendere in finem ejus quod evacuatur, quid ſignificet.

Quod ad ſenſum attinet, Chryſoſt Theophylactus & Oecumenius ſignificari putant Iſraelitas non potuiſſe videre quod finem haberet lex, id eſt, quod aliquando foret abroganda. Sunt alii qui finem hunc interpretantur intima, profunda & arcana legis, id eſt, myſteria ſub litera legis occultata. Quem ſenſum etiam apud Baſilium videre eſt *libro de Spiritu ſancto cap.* 21. Alii verò, ſenſu tamen non multùm diverſo, finem ejus quod aboletur, Chriſtum intelligunt. Nam ut *finis legis Chriſtus*, Rom. 10. ita & finis eſt totius miniſterii legis.

Finis legis Chriſtus.

Ita ſenſus Apoſtoli eſt, Moyſen velo texiſſe faciem ad ſignificandum filios Iſraël non potuiſſe mentis oculos intendere in Chriſtum, qui finis eſt ejus miniſterii, quod abolendum erat. Dicitur autem Chriſtus finis miniſterii Moſaici, qui conſummatio eſt & complementum eorum omnium quæ per Moyſen fuerunt miniſtrata : nam & Decalogus per ejus gratiam perficitur ; & omnis umbrarum legalium ſignificatio per ejus adventum impletur : *quia lex per Moyſen data eſt ; gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*, Joan. 1. Finem interpretantur hoc modo : primùm Auguſt. *utroque loco ſup. cit.* tum commentatores Primaſius, Sedulius, Cajetanus : & inter Græcos Theodoritus. Videtur & Apoſtolus in hunc ſenſum paulò pòſt exponere ſemetipſum, dicens : *Quoniam in Chriſto evacuatur.*

Scriptura à Paulo elegãter ad allegoriam multiplicem conversa.

Interim observa Paulum eleganter & appositè rem gestam quæ in Exodo scribitur, ad allegoriam convertere, & latens sub historia mysterium aperire. Moyses enim veteris legis, cujus erat minister, figuram gerebat, facieique ejus splendida præfigurabat gloriam Christi, cujus mysteriis gravida lex erat. Quod autem filii Israël non poterant in faciem Moysi splendentem oculos defigere; significabat id quod jam dictum est ab Apostolo, Judaicum populum non potuisse cognoscere Christum, ad quem ut finem & complementum, lex tota referebatur.

Porrò velum positum ante faciem Moysi, & oppositum oculis populi, statim ipse Paulus interpretatur velum obtusionis, sive hebetudinis ac duritiæ positum super cor Judæorum, quo nimirum impediebantur, ne in Christum ejusque mysteria per fidem aspicerent: quæ res etiam significata fuit per *velum templi*, quod Christo moriente, *scissum fuisse in duas partes*, Matthæus Evangelista commemorat, *cap.* 27. Postremò quid Moysi conversio ad Dominum, ac veli depositio significet, *infrà suo loco* ex mente Pauli conabimur explicare.

14. SED OBTUSI SUNT SENSUS EORUM. Græcè, ἀλλ' ἐπωρώθη τὰ νοήματα αὐτῶν, *sed occalluerunt sensus*, seu *cogitationes*, seu *mentes eorum*. Nam *cogitationes* vertit suprà cap. 2. vers. 1. *mentes*, infrà cap. 4. v. 4. *Occalluerunt* autem, id est, *obduruerunt*. Alii vertunt, *excæcati sunt*: quomodo sequenti capite legitur *Deus hujus sæculi excæcasse mentes infidelium*. Verùm illic diversum & proprium verbum ἐπώρωσε. Tertull. & Cyprianus cum interprete nostro legunt *obtusi sunt*: ille *libro* 5. *contra Marc. cap.* 11. iste contra Judæos, *lib.* 1. *testim.* 4. *Sed* pro *quia* positum videtur, ut aliàs interdum, quemadmodum & S. Thomas exponit: ut significetur filios Israël ideò non intendisse animum in finem legis: quod haberent sensus animi obtusos, obduratos & excæcatos: id quod alibi sæpè de iis scriptura testatur.

Obduratio & excæcatio Judæorum.

USQUE IN HODIERNUM ENIM DIEM IDIPSUM VELAMEN IN LECTIONE VETERIS TESTAMENTI MANET NON REVELATUM. Partem illam, *usque in hodiernum diem*, submota conjunctione *enim*, Ambrosiaster, Pelagius & Primasius annectunt ei quod præcedit: quemadmodum Cyprianus. Verùm nostra lectio Græcis & Syris, ipsique Tertulliano consentanea est: & sensum recipit commodiorem. Exponit autem Apostolus quod dixerat de velamine posito super faciem Moysi: & sensus est: Idem illud velamen quod olim super faciem Moysi positum prohibebat ejus intuitum, remanet in præsens usque tempus, non retectum sive non ablatum à cordibus Judæorum, quoties libros veteris testamenti legunt. Vocat idem velamen eo tropo sermonis, quo signum dicitur idem cum re significata. Nam, ut ante dictum est, velamen illud Moysi faciem tegens, signum erat ac figura velaminis obtegentis corda Judæorum.

Velamen super faciem Moysi quid significaverit.

QUONIAM IN CHRISTO EVACUATUR. Variant exemplaria tam impressa, quàm mss. aliis *quoniam*, aliis *quod* legentibus. Nam & Græcum ὅτι ambiguum est ad *quoniam* & *quod* relativum. Similiter autem & ex Syriaco alius *quoniam*, alius *quod* transtulit. Prioribus suffragantur veteres concordantiæ, & textus Ambros. Bedæ, Haimonis, Lombardi, Hervæi, Carthusiani: nec non August. *lib.* 3. *contra duas epist. Pelag. cap.* 4. Posterioribus annuit textus Pelagii & Primasii, item glossatoris, Aquinatis, Lirani. Sensus tamen eodem redit. Nam relatio fit ad velamen, quod aufertur & aboletur in Christo, id est, non nisi per Christum, qui finis legis est, fide receptum. Quem cùm Judæi non receperint; sequitur nondum esse remotum ab eorum oculis, id est, mentibus, velamen.

15. SED USQUE IN HODIERNUM DIEM, CUM LEGITUR MOYSES, VELAMEN POSITUM EST SUPER COR EORUM. Repetit idem ut addat aliquid, quo velaminis significationem clariùs explicet. Sed, inquit, usque in hoc tempus, cum in eorum synagogis legitur lex vetus à Moyse scripta (legebatur autem per omne sabbatum. *Actor.* 15.) manet velamen superpositum cordibus eorum. Ubi significatur velamen istud esse aliquid inhærens animis Judæorum. Quocirca non obscuritas librorum legis, & Prophetarum, ut quidam volunt; sed mentis, ut diximus, hebetudo, quàm parit affectio carnalis ac terrena, qua nimirum mens impeditur, ne scripturas intelligat, & veritati quam loquuntur, acquiescat; quod est nolle credere: mysticè per velamen significata videtur. Ita plerique commentatores, & ante eos Origenes *homil.* 12. *super Exod.*

Lex Moysi legebatur in synagogis per omne sabbatum. Velamen non significabat obscuritatem legis, sed hebetudinem mentis Judæorum.

Neque necesse est duo secundùm Apostolum facere velamina mystica: quorum alterum sit velamen lectionis, id est, obscuritas legis; alterum velamen cordis, id est, infidelitas legentium; uti distinguit Hervæus. Nam quod obscuritas legis & Prophetarum non sit velamen ab Apostolo significatum; satis etiam ex eo liquet quod illa obscuritate manente & non ablata, multi crediderunt. Nec verò mirandum, si velamen idem positum dicatur super faciem Moysi, & super corda Judæorum. Siquidem & ipse Moyses legem ferens carnalem, quemadmodum & Isaac cæcutiens & Jacob claudicans, *Genes.* 27. & 32. figuram gesserunt carnalis & cæcutientis & claudicantis populi Judaici. Legem dico carnalem, propter promissa temporalia & cæremonias carnali populo accommodatas. Nam & Hebr. 7. *legem mandati carnalis* legimus.

Lex carnalis.

16. CUM AUTEM CONVERSUS FUERIT AD DOMINUM, AVERTETUR VELAMEN. Quod in quibusdam libris plurali numero legitur, *Conversi fuerint*, contra fidem est tam Græci textus, in quo singulare est ἐπιστρέψῃ, quàm Latinorum codicum mss. quibus passim omnibus legitur *conversus fuerit*. Syriaca paraphrasis sic habet eodem numero, *Et cum aliquis ex eis conversus fuerit*, &c. Faciunt nobiscum veteres Latini commentatores ad unum omnes, ac ferè etiam posteriores: item Cyprianus *in testimoniis* juxta priores editiones, & author. *quæst. vet. ac novi testamenti, quæst.* 8. Nam quod Tertull. activè legit, *Cùm verò converterit* (supple *se*) *ad Deum*, accidit ex ambiguitate verbi Græci, quod & transitivè & absolutè sumitur, etiam in scriptura sacra: quemadmodum facile est exemplis ostendere. Fefellit autem Cajetanum Erasmi versio, dum pro singulari reponit plurale, *conversi fuerint*. Est & alia lectio apud August. *lib.* 12. *contr. Faust. cap.* 4. & 39. & *lib. de utilitate credendi cap.* 3. & alibi. Legit enim verbo secundæ personæ, *Cùm autem transieris ad Dominum*. Sed qui ita vertit, accepit ἐπιστρέψῃ, in secunda persona verbi medii: quemadmodum & Theophyl. accepisse videtur. Sic enim habet ejus interpretatio: *Quando converteris ad Dominum, hoc est, quando à lege defeceris, accesseriseque spirituali evangelio, tunc auferetur velamen.*

Varia lectio hujus loci.

Sed ad nostram lectionem, quæ germanior est, redeamus: cujus sensum alii alium adferunt. *Plerique* sic exponunt: Cùm autem conversus fuerit Israël ad Dominum, sive totus, ut in fine sæculi, sive aliquis ex eis: tunc auferetur velamen de cordibus eorum. *Obstat* huic expositioni verbum singularis numeri, suppositio non respondente. Nam præcesserat plurale *eorum*. Ad quod si respiceret Apostolus; non diceret, *conversus fuerit*, sed *conversi fuerint*. Nam *Israël* longiùs præcessit, quàm ut eò referri commodè possit. Nec populum significabat, sed Patriarcham.

Veræ lectionis multiplex sensus.

Addo, quod si de Judæorum ad Deum conversione loqueretur, potiùs è conversio diceret; Cùm

autem ablatum fuerit velamen, tunc convertentur ad Dominum. Etenim ordine naturæ priùs est ut impedimentum credendi tollatur, quàm ut credant: quomodo priùs est aperiri fenestram domus, quàm solis radios in eam recipi.

Mysterium in Moyse ad Dominum conversò præfiguratum, quale.

Proinde sentiunt probabilius, qui illud, *conversus fuerit*, ad Moysen referunt, de quo dixerat, *Cùm legitur Moyses*. Ut hîc jam novum mysterium in Moysi persona præfiguratum nobis insinuetur. Ut enim Moyses faciem habens obvelatam gessit figuram populi Judaici velamen habentis super cor suum; ita videri potest idem Moyses, quando dimisso populo reversurus ad Dei colloquium, velamen à facie removebat, ut scribitur, *Exod.* 34. significasse eos qui ex eodem populo tempore novi testamenti remoto cordis velamine convertendi essent ad Dominum.

Verumtamen si contextus Apostolici sermonis attentè consideretur; non tam videbitur agere Paulus hoc loco de conversione Judæorum ad Dominum, aut de Moyse eam conversionem significante; quàm de Moyse præfigurante populum Christianum. Hoc enim declarant illa verba sequentia: *Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini speculantes*, &c.

Igitur doctrinæ præsentis hæc summa est: Moyses aversus à Domino, & facie velatus significavit populum veterem Deo contrarium, & cor habentem obscuratum. Idem verò Moyses conversus ad Dominum, atque retectam habens faciem, typum gessit populi Christiani ad Deum conversi, & revelata cordis facie salutis mysteria contemplantis. Sanè notandum est Græcum verbum περιαιρεῖται, quod interpretes ferè transferunt passivè, *auferetur*, magis habere significationem activam *auferet*, vel potiùs *aufert* in præsenti: quo magis intelligas Apostolum non de Israële, sed de Moyse loqui: de quo legitur in Exodo, quod ipse *auferebat* velum de facie sua cum Domino locuturus. Ubi LXX. quoque eodem usi sunt verbo περιῃρεῖτο, *auferebat*, quod & ab Oecumenio allegatur. Ex quibus apparet interpretes Latinos in una voce vertenda bis hallucinatos esse: & quod pro activo reddiderint passivum, & quod pro præsenti futurum. Apud unum Cyprianum loco superiùs citato legitur præsentis temporis verbum, *aufertur velamen*.

17. DOMINUS AUTEM SPIRITUS EST. Nimirum ille Spiritus quem hoc capite jam aliquoties nominavit: id est, Spiritum Dei vivi, per quem novum testamentum distinxit à veteri: & cujus suppeditandi ministrum se docuit: quem etiam statim Spiritum Domini nuncupat. Connexio talis est: Moyses ab Israële conversus ad Dominum, typus fuit nostri qui transimus à litera ad Spiritum. Nam Spiritus ille Dominus est. Hoc addit, ut volunt Chrysostomus, Theodoritus & Oecumenius; ne minus aliquid nobis præstitum videatur, qui convertimur ad Spiritum, quam Moysi, qui convertebatur ad Dominum; quum Spiritus ipse sit Dominus.

Locus manifestus pro divinitate Spiritus sancti.

Est autem manifestus hic locus pro divinitate Spiritus sancti: quemadmodum id Græci tractatores benè declarant: neque enim alius Dominus quàm verus Deus intelligi potest; ille videlicet ad quem Moyses se convertebat. Et ne quis contendat nomen Spiritus hoc loco non esse personale, sed essentiale, velut ibi; *Spiritus est Deus*, Joan. 4. ut quemadmodum eo loco significatur Deum esse Spiritum, ita hîc discere velit Apostolus, Dominum, id est, Christum esse Spiritum; (sic enim Ambrosiaster, & alij quidam eum secuti partem hanc interpretantur.) Refellit hoc argumentum Chrysostomus, atque retorquet. Nam si illa propositio; *Spiritus est Deus*, πνεῦμα ὁ θεός, sic ordinanda est: Deus est Spiritus: quid ni & ista, Dominus Spiritus est: ὁ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν; ordinetur hoc modo, Spiritus est Dominus? suadente videlicet

Ab Christus Spiritus.

utrobique eam constructionem articulo, qui posteriori vocabulo additus est. Qua ratione & illud Joan. 1. *Deus erat verbum*, θεὸς ἦν ὁ λογος, ita construitur, Verbum erat Deus. Verùm ut cumque se habeat responsio Chrysostomi ex articulo sumpta, (non enim scrupulo caret, propterea quod tam priori quàm posteriori vocabulo sit additus hoc loco articulus: quemadmodum & in eo quod habetur, 1. Cor. 10. *Petra erat Christus*, ut illic à nobis annotatum est) certè Christum appellari Spiritum, Apostolica consuetudo non habet: & hujus loci circumstantia magis diversum exigit.

Idem Spiritus Dominus, & Spiritus Domini.

UBI AUTEM SPIRITUS DOMINI, IBI LIBERTAS. Spiritum quem Dominum vocavit, nunc Spiritum Domini vocat, sicut & suprà; Spiritum Dei: ut intelligamus Spiritum non sic vocari Dominum seu Deum, quin simul oporteat confiteri eum à Deo procedere. Porrò libertatem dicit oppositam servituti. Hanc enim libertatem Græca vox ἐλευθερία significat. Intendit Apostolus hac parte explicare mysticam significationem ablati velaminis. Ut enim velum impositum subjectionis ac servitutis cujusdam indicium est in eo qui imponitur: quemadmodum docet Apostolus 1. *Cor.* 1. *v.* 10. ita velaminis ablatio significationem habet donatæ libertatis, quæ donatio fit non per literam, sed per Spiritum; ut sensus sit: Spiritus Domini cùm ipse sit Dominus, ideoque liberrimus; de quo scriptum est quod *ubi vult spirat*, Joan. 3. & quod *omnia operatur prout vult*, 1. *Cor.* 12. tamquam velamine servitutis ablato, (removet enim illud *quia vult*, ait S. Thomas) libertatem communicat iis quos inhabitat, id est, Christianis: libertatem utique spiritualem, quia Spiritus est, à servitute legis & peccati eos liberans.

Libertas quæ significata per ablationem velaminis.

Hæresis negantium veros spirituales lege teneri, refellitur.

Abusi sunt hac Apostoli sententia, jam olim hæretici quidam, uti refert B. Thomas ad statuendum suum illud perversum dogma, quo docebant viros spirituales lege divina non teneri, utpote per Spiritum assertos in libertatem. Cujus absurditatem doctrinæ benè declarat idem doctor, ostendens impossibile esse, ut quis, sive homo, sive angelus, præceptis Dei non subdatur. Libertas autem, de qua Paulus, immunitas est non tam à lege, quàm à servitute legis, ut dictum est. Nam & antiqui justi nati sub lege, libertatis hujus fuere participes. Quamvis autem sententia Pauli generalis sit ad libertatem totam quam dixi, scilicet oppositam servituti legis atque peccati: specialiter tamen attendere videtur illam mentis libertatem, qua liberè & absque velaminis impedimento, rem objectam mens aspicit & contemplatur. Nam & hanc libertatem adfert Spiritus sancti præsentia, velut portionem quamdam ejus libertatis quæ servituti legis opponitur; ad quam servitutem inter alia pertinebat, signa pro rebus amplecti quemadmodum docet August. *lib. 3. de doctrin. Christi cap. 5. 6. & 8.* Ad eam libertatem Paulum respicere, probat quod sequitur.

Antiqui justi libertatis Christianæ participes.

18. NOS VERO OMNES REVELATA FACIE GLORIAM DOMINI SPECULANTES. Hæc pars etsi declarativa sit ejus quod proximè præcessit, accipi tamen potest, ut respondens ad illud superius, *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam*. &c. Ac si dicat; Non facimus ut Moyses, velo faciem suam occultans: sed revelata facie gloriam Domini in ea receptam, exhibemus. Nam *speculantes*, idem est hoc loco quod instar speculi suscipientes atque reddentes. Id enim secundùm Græcos interpretes significat Græcum participium κατοπτριζόμενοι, ut *speculantes* hîc accipias, non à specula deductum, quasi sensus sit, tamquam è specula prospicientes; sed à speculo, quod Græci κάτοπτρον vocant: Quod & August. admonet *lib. 15. de Trin. cap. 8.* licet ejus expositio *speculantes*, id est, *per speculum videntes*, minùs congruat: ut & illa translatio cujusdam, *in speculo videntes*.

Speculantes hoc loco à speculo, non à specula quid significet.

IN EADEM IMAGINEM TRANSFORMAMUR, Græcè sine præpositiune τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα, ut subaudias κατὰ, quod in hujusmodi solet intelligi, id est, *juxta* vel *ad eamdem imaginem transformamur:* quod & Syrus supplevit. Tertull. sexto casu legit, *eadem imagine transfiguramur.* Videtur autem hîc esse sensus; Ejusdem gloriæ imagine in nobis ut in speculo recepta, velut in eam transformamur. Nam imago in speculo quodamodo forma speculi est. Qui per gloriam & imaginem putant idem significari, nempe Christum, qui est gloria & imago Dei increata; quomodo vir est *imago & gloria Dei*, creata, 1. *Cor.* 11. non videntur Apostoli mentem assecuti, paulò post à nobis explicandam.

Imago in speculo forma speculi.

A CLARITATE IN CLARITATEM. Vel, *à gloria in gloriam*, uti legunt Tertull. August. Ambrosiaster & Sedulius. Est enim idem in Græco vocabulum, quod suprà toties gloriam vertit: licet æquè claritatem significet. De sensu mox videbimus.

TAMQUAM A DOMINI SPIRITU. *Tamquam* hoc loco non similitudinem denotat, sed verum & congruentem rei modum declarat: sicut in Evangelio Joan. 1. *tamquam unigeniti à Patre.* Quod autem in Græco est, ὥσπερ κυρίου πνεύματος, tribus modis, ut ab Erasmo & aliis annotatum est. Latinè reddi potest *à Domino Spiritu*, *à Domino Spiritus*, & *à Domini Spiritu.* Primum modum amplectantur & adversus Pneumatomachos urgent in suis commentariis Chrysostomus, Theodoritus & Theophylact. necnon Basilius *lib. de Spiritu sancto*, *cap.* 21. Similiter ex Syriaco translatum habemus, *tamquam à dominatore Spiritu.*

Hujus loci versio triplex è Græco.

Secundum modum tradunt Neoterici quidam, volentes Christum appellari Dominum Spiritus, quia Spiritus sanctus charismata largitur quibus voluerit. Quod significatum videri potest illa lectione quæ est apud Tertullianum, *tamquam à Domino Spirituum.*

Tertia versio communis est interpretum Latinorum: qua & August. usus est *loco suprà alleg.* Nam quod apud eum legitur in impressis codicibus *lib.* 22. *de civitate Dei* cap. 23. *tamquam ad Domini Spiritum*, mendosè legi non est dubium: veram lectionem, *tamquam à Domini Spiritu*, exhibentibus omnibus mss. in castigatione Lovaniensi adhibitis. Harum interpetationum prima probabilis est ex eo quod præcessit, *Dominus autem Spiritus est.* Tertia quoque probabilis, quia præcessit: *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.*

Prima & tertio versio probabilis.

Verùm quia nusquam in Scriptura legitur hoc ordine, *Domini Spiritus*, sed ubique *Spiritus Domini*; sicut & in versu præcedenti: facilè mihi persuasero, Paulum id voluisse, quod habet Græcorum interpretatio: ut quod dixerat Dominum esse Spiritum, hac repetitione cònfirmare voluerit. Mediam interpretationem probare nom possum. Nusquam enim legitur Christus Dominus esse Spiritus sancti: & sermo non parum offendit; imò simpliciter falsus est & hæreticus, & pugnans cum eo quod dixit Dominum esse Spiritum.

Media versio non probanda.

Porrò tota Paulina sententia potest ad hunc modum explicari. Nos autem omnes novi testamenti filii, quos Moyses revelata facie cum Domino loquens, eamque ex consortio sermonis Domini splendidam ac radiantem habens, significavit; itidem facie mentis revelata, gloriam Domini per fidem intuemur, ejusque splendorem in animis nostris velut speculis quibusdam recipientes, quodammodo transformamur ad eamdem imaginem, hoc est ad similitudinem gloriæ Dei; idque à claritate Dei in claritatem nostram, id est claritate seu gloria Dei in nobis expressâ ac repræsentata, perinde ut olim in facie Moysi: transformamur, inquam, velut *à Domini Spiritu*, vel *à Domino Spiritu.* Quod addit, quemadmodum habet commentarius Ambrosianus, *ut ostenderet talem gloriam dari, quæ congruat sublimitati dantis*, hoc est, Spiritus sancti, qui Spiritus Domini est, & ipse Dominus; & ut ait Theophylactus: *qualem par est habere eum qui à Spiritu Domino, qui nulli est subjectus, illustratus est*; Nam *si ministratio mortis in litteris*, ut suprà dictum est, id est, ministratio literæ mortiferæ *fuit in gloria: quomodo non magis ministratio Spiritus* vivificantis *erit in gloria?*

Explicatio sententiæ Paulinæ.

Quid à claritate in claritatem.

Quidam recentiores illud *à gloria in gloriam*, sic exponunt: in ampliorem semper gloriam, & in dies majorem; ut phrasis similis sit cum illa Rom. 1. *ex fide in fidem.* Augustinus alias adfert expositiones: *de gloria recreationis in gloriam justificationis: de gloria fidei in gloriam speciei; de gloria qua filii Dei sumus, in gloriam qua similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Nobis id quod priùs diximus, à claritate Dei in claritatem nostram, maximè videtur textui consonum. Quæ & Græcorum omnium est expositio. Dicit autem Apostolus, *nos omnes* ut significet id quod uni Moysi quondam in figura ac mysterio contigit; nunc in veritate toti ecclesiæ fidelium competere. Sic enim partem hanc plerique tam Græci quàm Latini intelligunt.

Alia hujus loci explicatio probabilior.

Potest autem eadem sententia, ni fallor, commodiùs exponi (quemadmodum exponunt eam Cajetanus, Gaignæus & alii nonnulli) de solis evangelii ministris: in quorum persona tam superiùs quam in consequentibus multa loquitur Paulus: ut ab eo loco, *Cùm autem conversus*, &c. sensus sit hujusmodi: Moyses ablato velamine Dominum aspiciens, significat nos euangelii ministros, quotquot sumus, qui revelata facie gloriam Domini, id est, notitiam mysteriorum salutis nostræ quibus glorificatur Deus, non solùm in nobis velut speculis quibusdam recipimus (*nobis* enim *revelavit Deus per Spiritum sanctum*, 1. Cor. 2.) verum etiam more speculorum refundimus ad alios, id est, aliorum mentibus eamdem notitiam aperta ac libera Evangelii prædicatione repræsentamus; nimirum à Spiritu libertatis authore, cujus ministerium obimus, ad hoc impulsi. In hujus rei signum ipsi Paulo à Judaismo ad Christianismum, velut à litera ad Spiritum converso, & in Evangelii prædicatione plus aliis laboraturo, cùm cælestis luminis fulgore cæcatus fuisset, *ab oculis eciderunt tamquam squamæ, visumque recepit*; unde *& continuò cœpit prædicare Jesum, quoniam hic est Filius Dei*, Act. 9. Convenit hic sensus cum eo quod in persona ministrorum Evangelii suprà dixit: *Fiduciam autem talem habemus* .&c. Et iterùm, *Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur*: nec minùs aptè cùm iis quæ deinceps sequuntur.

CAPUT IV.

IDeò habentes administrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus, 2. Sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. 3. Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum; in iis, qui pereunt, est opertum: 4. In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. 5. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum; nos autem servos vestros per Jesum: 6. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu. 7. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. 8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: 9. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus: 10. Semper mortificationem Jesu in corpore

noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris. 11. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum: ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. 12. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. 13. Habentes autem eumdem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur: 14. Scientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum. 15. Omnia enim propter vos: ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. 16. Propter quod non deficimus: ſed licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur: tamen is, qui intus eſt renovatur de die in diem. 17. Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 18. Non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt. *Pſal. 115. A 1.*

SUMMARIUM.

SCribit ſe ſuoſque collegas ſincerè & palàm apud omnes (licet quidam præmentis cæcitate non credant) annunciare evangelium Chriſti: & quamvis infirmos & multis modis afflictos propter Chriſtum, haudquaquam tamen deficere: videlicet ob ſpem repoſitæ ſibi pro temporaria afflictione, gloriæ æternæ.

IDEO HABENTES ADMINISTRATIONEM, JUXTA QUOD MISERICORDIAM CONSECUTI SUMUS, NON DEFICIMUS. Pergit Apoſtolus exponere miniſtrorum novæ legis officium: ac porrò de iis loquitur in prima perſona; quòd peculiariter ſuum miniſterium Corinthiis, quorum erat Apoſtolus, commendatum eſſe vellet, maximè propter adverſarios ſuos & obtrectatores pſeudapoſtolos: Ita tamen ut ſimul etiam collegas ſuos, Titum, Silvanum, Timotheum, & alios comprehenſos velit: qui cum ipſo, ſicut de Tito dicit infrà cap. 12. *eodem Spiritu & iiſdem veſtigiis* ambulabant. Nam ideò ſcribit hæc omnia numero plurali. In quibuſdam codicibus loco vocis *adminiſtrationem*, legitur *hanc adminiſtrationem*: in pluribus autem antiquis & probatis, *hanc adminiſtrationem*. Quod Græco textui conſonat, τὴν διακονίαν ταύτην. Et ita legit Tertull. lib. de pudicitia cap. 15. *propterea habentes miniſtrationem iſtam. Juxta quod*, Græcè καθώς, *ſicut*, Ambroſ. *prout*. Cum igitur, inquit, hoc tam excellenti miniſterio fungamur, non noſtris meritis, ſed gratuita Dei benegnitate & electione ad illud vocati; *non deficimus*, id eſt, *non ſegneſcimus, defatigamur, degeneramus, negligentes ſumus*. His enim modis Græcum verbum ἐκκακεῦμεν interpretes Latini reddunt. Sanè videtur interpres noſter optimè vertiſſe *non deficimus*, quemadmodum & Tertull. legit: ut *ſenſus* ſit: non ſuccumbimus malis & adverſitantibus, quæ nobis accidunt hujus miniſterii cauſa; non concidimus animo. Nam & infrà *verſu 16.* repetitur idem verbum hac ſignificatione: qua & accipitur in eo quod dicit Epheſ. 3. *Peto ne deficiatis in tribulationibus.*

Quorum in perſona Paulus hæc ſcribat.

2. SED ABDICAMUS OCCULTA DEDECORIS. *Abdicamus*, Græcè ἀπειπάμεθα. Quod etſi flexione ſit præteritum, ideoque Eraſmus verterit *rejecimus*, alii *abdicavimus*: uſurpatur tamen apud authores ut præſens. Unde & Tertullianus cum interprete noſtro conſentiens legit, *abdicamus*; & Ambroſiaſter, *renunciamus*. Quamquam & præteriti ſignificatio nihilominus quadrat. *Occulta dedecoris*, Hebraiſmus, id eſt, occulta dedecoroſa, quæ ſolent à peccantibus ocultari, ne per ea in probrum & infamiam incidant. Hoc igitur eſt quod dicit: longè ſumus ab omni, etiam occulta vitæ turpitudine. Perſtringit autem tacitè pſeudapoſtolos, qui philoſophorum more, de quibus *Rom. 1.* foris quidem omnem honeſtatem & ſanctitatem oſtendebant; occulte verò turpes & obſcæcas ſectabantur voluptates. Quod genus hominum *ſepulchris dealbatis* aptiſſimè Dominus in evangelio comparat, Matth. 23.

Occulta decoris quæ ſint.

Nota locum contra hypocritas foris ſanctos, intus obſcænos Sepulcra dealbata.

Quidam occulta dedecoris generaliùs interpretantur omne vitium occultatum quia probroſum: uti præterea ſunt avaritia, fraus & dolus: quod hujuſmodi ſignificentur verbis ſequentibus: *Non ambulantes in aſtutia*, &c. Nam & generaliter à Domino dictum eſt, *Omnis qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*, Joan. 3. Verùm nihil vetat Apoſtolum hac parte voluiſſe diverſum aliquid à ſequentibus ſignificare: quodque in hoc genere præcipuum ſit.

Utrovis autem modo pars hæc intelligatur, ſentit Apoſtolus ac dicere vult, actiones ſuas miniſterio ſibi credito reſpondere: ut quomodo miniſterium eſt claritatis ac veritatis revelatæ; ſic & actiones ſint ejuſmodi quæ claram lucem ament, non quæ latebras quærant: quemadmodum ipſe ſtatim explicat, dicens, *Sed in manifeſtatione veritatis*, &c. Nam, ut ait Dominus proximè poſt verba paulò antè citata, *Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus.*

NON AMBULANTES IN ASTUTIA. Græcè, ἐν πανουργίᾳ, *in verſutia*. Senſus: Non verſutè & ſimulatè converſantes cum hominibus, aliud loquentes, aliud cogitantes. Hîc quoque notatur obliquè pſeudapoſtolorum hypocriſis, qui ſeſe transfigurabant in Apoſtolos Chriſti & miniſtros juſtitiæ; & hac ſpecie dominationem exercebant in ſuos diſcipulos, & cupiditates ſuas explebant: ut *infrà declaratur cap. 11.*

Quid ambulare in aſtutia.

NEQUE ADULTERANTES VERBUM DEI. *Adulterantes*, Græcè δολοῦντες, vocabulum diverſum ab eo, pro quo ſuprà cap. 2. legebatur, *adulterantes*, ſive *cauponantes*, καπηλεύοντες. Nam quod hîc legitur, à dolo deductum eſt: unde alii vertunt, *dolo tradentes*, ſeu *dolo tractantes verbum Dei*. Res tamen eadem utrobique ſignificata eſt. Nam dolum *hoc loco*, quemadmodum *illic* cauponationem, opponit Apoſtolus integritati ac ſeveritati, quæ requiritur in eo qui verbum Dei miniſtret. Igitur adulterant, id eſt, dolosè tractant Dei verbum, qui non diſpenſant illud quale traditum eſt, integrum, purum ac ſincerum: ſed permixtione ſapientiæ ſæcularis aut Judaicæ doctrinæ corrumpunt & vitiant; aut certè in eo miniſtrando non Dei gloriam quærunt, ſed ſuis commodis ſubſequuntur: quæ dum captant ab hominibus, placere iis volunt, & ut placeant, Dei verbum ad eorum affectus accommodant. Talia pſeudapoſtoli faciebant; quos idcircò ſubdolos operarios Apoſtolus appellat *infrà capit. 11.* Ad iſtum ferè modum Græci commentatores hunc locum exponunt.

Nota locum pro ſyncera verbi Dei prædicatione, à qua abeſſe debet omnis tum doctrinæ, tum intentionis perverſitas.

SED IN MANIFESTATIONE VERITATIS COMMENDANTES NOSMETIPSOS AD OMNEM CONSCIENTIAM HOMINUM CORAM DEO. *In* præpoſitio Græcis abeſt, & ſine ea ſenſus conſtat. Nam quod Latini quidem partem illam, *ſed in manifeſtatione veritatis*, à ſequentibus ſejunctam ad ſuperiora referunt, repetito priore participio, *ſed ambulantes in manifeſtatione veritatis*; ut illa media, *neque adulterantes verbum Dei*, parenthetica ſint; nulla neceſſitate id faciunt: quum juxtà Græcorum omnium, ac veterum Latinorum expoſitionem aptiſſimè cohereat ea pars cum iis quæ ſequuntur.

Porrò manifeſtationem veritatis intelligunt plerique manifeſtam & conſpicuam rei veritatem, quod ad vitæ converſationem attinet; ac ſi dicat Apoſtolus; pſeudapoſtoli per hypocriſin ſe commendant, volentes videri quod non ſunt: nos verò nihil in actionibus noſtris ſimulantes, nuda veritate ac rebus ipſis noſmetipſos commendamus omnium ho-

Quid manifeſtatio veritatis.

minum conſcientiæ, ſive credentium, ſive non credentium. Quem ſenſum pulchrè proſequitur Chryſoſtomus.

Alij referunt ad doctrinam, hoc modo: Sed aperta ſinceraque prædicatione veritatis evangelicæ, probamus nos omnium conſcientiis veros & idoneos evangelii miniſtros: ita ut ſi dicere velint homines quod ſentiunt, negare non poſſint nos evangelij negotium agere ſincerè & ex animo, velut coram Deo judice, quem nemo fallere poteſt. Hic intellectus probè reſpondet ei quod proximè præcedit, *non adulterantes verbum Dei*: quod utique de doctrina præcipuè dictum videtur.

Nota ad mores, vitæ pariter ac doctrinæ ſynceritate commendari imprimis cauſam evangelij.

Verùm quia ſecundùm explicationem à nobis allatam, complectitur etiam quod ad mores pertineat; quemadmodum illud prius, *non ambulantes in aſtutia*: propterea pleniùs, ac ni fallor, rectiùs hanc partem de veritate vitæ ſimul & doctrinæ exponemus; ut opponatur utrique membro præcedenti; ſitque ſenſus: Tam vitæ noſtræ quàm doctrinæ ſinceritas omnibus eſt manifeſta, ac ſeipſam apud omnes commendat & probat: adeò ut nec ipſum Deum, qui cordium intuetur occulta, judicem refugiat. Colligitur hic ſenſus è Græcorum commentariis, & apertè traditur à Cajetano.

3. QUOD SI ETIAM OPERTUM EST EVANGELIUM NOSTRUM; IN IIS QUI PEREUNT, EST OPERTUM. *In iis*, id eſt, apud eos: niſi malis (quod quidam annotant) *in παρέλκον*, eſſe more Hebræo. Quoniam dicens, *in manifeſtatione veritatis*, ſignificavit ſe palàm ac manifeſtè evangelium omnibus prædicare, ejuſque claritatem, de qua ſuperiori capite, omnium oculis offerre conſpiciendam: Quærere poterat aliquis, cur igitur ipſum evangelium non omnibus, quibus illud prædicabat, eſſet manifeſtum; ſed

Tacita objectio.

multis adhuc opertum atque velatum. Quod enim interpres dixit, *opertum*, Græcè eſt κεκαλυμμένον, *velatum*: à quo verbale nomen κάλυμμα, quod ſuprà *velamen* tranſtulit. Reſpondet Apoſtolus non à parte miniſtrorum novæ legis id provenire, quaſi lumen evangelij ſua prædicatione non ſatis oſtendant hominibus; quomodo veteris legis miniſter Moyſes ſui vultus claritatem velo obtegebat, ne videretur

Pauli reſponſio.

à populo: ſed accidere vitio ipſorum hominum, qui mente excæcati manifeſtam evangelij lucem non percipiant. Unde quod dixit *capite præced.* de Judæis evangelio non credentibus, velamen eſſe poſitum ſuper cor eorum: id nunc universè de reprobis ſignificat.

Nec verò ſentit Apoſtolus ſcripturam ſacram ſolis infidelibus ac reprobis obſcuram eſſe: fidelibus autem & electis omnibus manifeſtam, id eſt, ad intelligendum facilem ac perviam; quod ex hoc loco ſectarij quidam docere conati ſunt. Neque enim de ſcripturis intelligendis aut interpretandis hîc agitur; ſed de evangelio palàm prædicato: quod reprobi non recipiunt, ſed electi; aut ſi recipiunt illud reprobi quidam, non ita tamen ut oportet; quia non ei acquieſcunt, faciendo quæ lex evangelij præcipit: aut ſi ſic aliquando recipiunt, non id faciunt perſeveranter. Itaque *ſenſus eſt*: Quod ſi adhuc velatum & occultatum eſt quibuſdam evangelium, quod prædicamus: dumtaxat iis qui pereunt, id eſt, reprobis, velatum eſt & occultum; ac ſi dicat: Non ideò fruſtratur aut miniſterium noſtrum, aut intentio noſtra: non enim propter reprobos, ſed propter electos prædicamus. *Omnia* namque *propter electos, ut ipſi ſalutem conſequantur*, ait 2. Tim. 2.

Obſ. contra ſect. ſacram ſcripturam, etiam fidelibus & electis obſcuram.

Omnia propter electos.

4. IN QUIBUS DEUS HUJUS SÆCULI EXCÆCAVIT MENTES INFIDELIUM. *Mentes* Græcè νοήματα, quod capite ſuperiori verſ. 14. *ſenſus* tranſtulit: quemadmodum Ambroſiaſter legit etiam hoc loco, tametſi res eadem ſignificatur. Nam ſenſus intelliguntur mentis, non corporis. Abuſi ſunt olim hoc loco Marcionitæ & Manichæi ad ſtatuendam duo rerum principia ſeu duos deos; quorum alterum bonum dicebant, alterum malum, ſive ut Marcion, juſtum, ſed non bonum. Et hunc quidem hujus ſæculi; alterum verò, alterius ac melioris ſæculi Deum ſeu principem faciebant: denique hunc eſſe veteris, illum novi teſtamenti Deum. Quam hæreſim ſemper ut impiam meritò deteſtata fuit eccleſia.

Marcionitarum & Manichæorum hæreſis de duobus principis, bono & malo.

Multi quò præſentem locum ab hujuſmodi ſenſu vindicent, ad hyperbaton confugiunt, ordinantes ſententiam hoc modo. In quibus Deus excæcavit mentes infidelium hujus ſæculi, ut Deus intelligatur verus ac bonus; qui excæcare dicatur fidelium mentes, non malitiam impertiendo, ſed gratiam non largiendo, qua prædicato ſibi evangelio credant. Ita diſtinguit & exponit Chryſoſt. quem cæteri commentatores Græci ſequuntur. Exſtat eadem diſtinctio apud Latinos, Ambroſiaſtrum, Primaſium, Sedulium, & apud poſteriores: imò & apud antiquiſſimos illos, quibus adverſus Marcionem diſputatio fuit; Irenæum, inquam, *lib. 3. contra Gnoſticorum hæreſes cap. 7. ac rurſum lib. 4. cap. 48.* & Tertull. *lib. 5. contra Marc. capit. 11.* Sed & Auguſtinus *libro 21. contra Fauſtum Manich. cap. 2.* teſtatur pleroſque catholicorum uti memorata diſtinctione, quam & ipſe recepit tam *eo loco*, quàm altero qui eſt *contra adverſ. leg. & proph. lib. 2. cap. 7. & 8.* oſtendens ex aliis ſcripturis, quomodo rectè dicatur ac ſanè intelligatur, Deum excæcare mentes quorumdam: id enim facere, *non malitia, ſed juſtitia*: videlicet ob merita præcedentium peccatorum.

Quomodo Deus excæcare dicatur mentes infidelium.

Verumtamen aliis affectata, nec parum violenta videtur hæc conſtructio: cùm præſertim ratio non eſſet quare cum adjunctione diceret Apoſtolus, *infidelium hujus ſæculi*: quandoquidem, ut ipſe Chryſoſtomus fatetur, *futurum ſæculum infideles minimè habiturum eſt, ſed hoc ſolum quod nunc fluit.*

Alij proinde ſequentes ordinem verborum Apoſtoli, Deum hujus ſæculi interpretantur Deum verum, utpote rerum omnium tam viſibilium quàm inviſibilium conditorem, & utriuſque ſæculi, tam præſentis quàm futuri principem: quem hoc loco Deum hujus ſæculi Paulus appellare voluerit, ut innueret ex rebus ſaltem corporeis & viſibilibus Deum ab omnibus cognoſci debuiſſe. Referunt hanc expoſitionem, nec improbant Chryſoſtom. Theophyl. & Oecumen. quamvis non eam præferunt ſuperiori.

Quis Deus hujus ſæculi, quorumdam expoſitio.

Sed quia ſcriptura nuſquam alibi Deum verum vocat Deum hujus ſæculi; magis autem uti ſolet appellatione hujus ſæculi in malam partem, ſive ad ſignificandam creaturam vanitati ſubjectam, Rom. 8. ſive ad hujus ſæculi vel cupiditates vel amatores deſignandos; velut Roman 12. *Nolite conformari huic ſæculo*, & 2. Timoth. 4. *Demas me relinquit, diligens hoc ſæculum*, & addito epitheto, Galat. 1. *ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam*: propter hoc, alii Deum quoque hujus ſæculi in malum interpretantur, arbitrantes non alium eo nomine ſignificatum eſſe, quàm illum quem Dominus apud *Joan. cap. 11. 14. & 16.* principem hujus mundi vocat, id eſt, diabolum. Quod mirum non eſt; quando & angeli ejus, id eſt, dæmones, à Paulo 1. Cor. 2. *Principes hujus ſæculi*, & Eph. 6. κοσμοκράτορες, *mundi rectores*, ſeu principes appellantur. Quibus & deorum nomen in Pſalmis paſſim aſcribitur. Unde eſt illud Pſal. 95. ſecundum LXX. *Omnes dii Gentium dæmonia.*

Aliorum ſententia probabilior.

Vocatur autem diabolus à Paulo hujus ſæculi Deus, eadem prorſus ratione qua Chriſtus apud *Joan. locis jam cit.* eum vocat hujus mundi principem quia nimirum (uti ferè exponunt) iis principatur; qui terrena ac peritura bona cæleſtibus atque æternis anteponunt: quales in hoc mundo plurimi ſunt.

Diabolus hujus ſæculi Deus cur vocetur, rationes.

Hunc commentarium, qui diabolum interpretatur hujus ſæculi Deum, adeò non rejicit Auguſtin. *ut eodem* adverſus Fauſtum *libro cap.9.* necnon *libr.2. contra legis adverſ. cap.* 7. doceat etiam aliis ſcripturis eſſe conſentaneum. Exponit autem Deum *hujus ſæculi*, id eſt, *hominum impiorum, non niſi in hoc ſæculo florere volentium.* Meminit quoque Tertull. hujus interpretationis, utique tamquam ſimplicioris, *loco priùs citato.* Videtur & Primaſius hunc ſenſum probare: licet *propter calumniantes*, ut ait, *ita pronuntiandum ſit, ut dicamus, Deum mentes infidelium hujus ſæculi excæcaſſe.* Referunt autem hunc cõmentarium unà cum prioribus etiam alii Latini, nominatim Lombardus & S. Thom. imò & ſolum adfert tamquam germaniorem idem S. Thom. in Summa, part. 1. qu. 65. art. 1. Quin & inter Græcos Cyrillus ſub initium diſputationis adverſus Julianum apoſtatam, idemque ab Oecumenio citatus, Satanam hoc loco vult intelligi: quem idcircò Deum hujus ſæculi vocatum ab Apoſtolo putat, quod talis à Gentilibus exiſtimatus & creditus fuerit. Quamquam nobis prior ratio ab aliis allata magis placet: quam & ipſe Cyrillus adfert *lib. 8. ſuper Joan. cap. 16.* docens ideò diabolum hujus mundi principem à Chriſto nuncupari, quia mundo ſive ſæculo dominatur, id eſt, pravis hominibus, *qui ſæcularia ſectantur deſideria.*

Poteſt autem & hæc ratio videri, cur hujus mundi princeps & hujus ſæculi Deus vocetur: quia mundum hunc inferiorem, in quo nos verſamur, ſibi quodammodo ſubjectum habet: quatenus ſcilicet in pœnam peccati quod in hunc mundum invexit, & per quod hominem ſibi ſubegit, data eſt ei poteſtas (reſtricta tamen arbitrio voluntatis divinæ) tam ſpiritualiter, quàm corporaliter hominibus nocendi per elementa ac res cæteras humanis uſibus ſubſervientes. Propter quam cauſam & cibus, quem ſumimus, *Sanctificatur per verbum Dei & orationem*, 1. Timoth. 4. vide ejus loci commentarium noſtrum: & quæ diximus ad illud Roman. 8. *vanitati creatura ſubjecta eſt*, & ad illud 1. Corinth. 2. *quam nemo principum hujus ſæculi cognovit*, item quæ dicturi ad illum locum Epheſ. 2. ubi diabolum Paulus appellat *principem poteſtatis aëris hujus*, ac præcipuè ad illa verba capit. 6. ejuſdem epiſtolæ: *Adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.*

Diabolo data poteſtas hominibus nocendi per mundũ hunc elementarẽ.

Senſum quemdam ab omnibus ſuperioribus diverſum huc adducit Cajetanus. Cenſet enim *Deum hujus ſæculi* ab Apoſtolo vocari: *Dilectum quemque finem ab hominibus qui affecti ſunt his tranſitoriis: ſive ille finis ſit delectatio carnis, ſive gloria, ſive quodcumque aliud tranſitorium. Et talis finis*, inquit, *Deus hujus ſæculi vocatur, ſicut venter Deus deditorum gulæ.* Philip. 3. Cujus Commentarii gloſſator quoque meminit, & poſt eum alii nonnulli. Sed cum varii ſint fines hominum diligentium hoc ſæculum, non diceret Apoſtolus Deum, ſed Deos hujus ſæculi excæcaſſe mentes eorum, ſi hunc ſenſum voluiſſet.

Cajetani cõmentarius refellitur.

Porrò quod ait, *In quibus*, & mox, *infidelium*, eodem referendum eſt: ut verborum ejus hic ordo ſit & ſenſus: Obvelatum eſt evangelium noſtrum iis qui pereunt, hoc eſt, iis infidelibus quorum mentes hujus ſæculi Deus, id eſt, diabolus excæcavit: dum pravis ſuggeſtionibus & ſuaſionibus eos avertit à fide evangelii ipſis annuntiati: quemadmodum id Auguſtinus exponit *lib. 21. contra Fauſtum cap 9.* Significatur autem his verbis velum oppoſitum mentibus infidelium: ipſa nimirum cæcitas inducta à diabolo.

Velum mẽtibus infidelium oppoſitum.

UT NON FULGEAT ILLIS ILLUMINATIO EVANGELII GLORIÆ CHRISTI. Codices in quibus *illis* vel *eis* non additur, defectivi ſunt. In Græco & Syriaco legitur: ut & in Latinis vetuſtis ac probatis: quorum alia *eis* habent, alia *illis*. Atque hinc concici poteſt occaſio pronominis à ſcribis prætermiſſi: quod nempe duæ continuæ dictiones *illis* & *illuminatio* literas eaſdem haberent initiales. *Ut* particula vel conſecutivè capitur; ſi videlicet in parte præcedenti Deum verum intelligas; vel potiùs id cujus gratia, denotat. Eſt enim Græcè: εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι, vel διαυγάσαι αὐτοῖς, id eſt, *ad hoc ne fulgeat*, vel *transfulgeat eis*, & cætera.

Ex quo rurſus argumentum ſumitur, Deum hujus ſæculi diabolum intelligi, cujus ſtudium eſt impedire ne lumen evangelicum affulgeat infidelium mentibus. Textus Ambroſianus ſenſum magis quàm verba reddit: *ut non pervideant lumen evangelii majeſtatis Chriſti.* Cæterùm perſiſtit Apoſtolus in allegoria luminis, gloriæ ſeu claritatis & veli. Dicit itaque diabolum velo quodam excæcationis obtegere mentes infidelium, reproborum, ut eas ſuis radiis non attingat lumen evangelii: cujus prædicatione gloria Chriſti per Apoſtolos ipſius miniſtros, ejuſque lumine perfuſos, ad aliorum illuminationem toto mundo diffunditur.

QUI EST IMAGO DEI. Quod in quibuſdam Græcis additur τὸ ἀόρατος, *inviſibilis*, non eſt hujus loci, ſed huc temerè tranſcriptum ex ſimili loco, qui eſt *Coloſſ. 1. verſ. 15.* Nam hîc quidem nullus illud interpretum agnoſcit: & abſque eo citat hanc Pauli ſententiam Tertull. *lib. 5. adverſus Marcio. cap.* 11. Hîc obſerva profunditatem ſenſus Apoſtolici, quo tandem univerſum hoc lumen, de quo locutus eſt, ad Deum refert, ut fontem totius luminis. Nam mundus ab Apoſtolis illuminatur; Apoſtoli à claritate Chriſti lumen recipiunt; velut Moyſes à claritate angeli ſibi apparentis: qui procul dubio Chriſti perſonam gerebat. Chriſtus autem, cùm ſit imago Dei non qualiſcumque, ſicut homo, ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, *Geneſ. 1.* ſed omnibus, ut ita dicam, numeris abſoluta atque perfecta non quidem illuminatur à Deo, quia lumen non accipit participativè, ſed à Deo Patre emanat tamquam lumen de lumine. Loquitur enim Apoſtolus de Chriſto ſecundùm naturam increatam: ſecundùm quam imago Dei dicitur & *hoc loco & Coloſſ. 1.* quia natus ex Deo, perfectiſſimè Patrem Deum repræſentat, adeò ut rogatus oſtendere Patrem, reſponderit: *Qui videt me, videt & Patrem*, Joan. 14. Qua ratione etiam Hebr. 1. vocatur *ſplendor gratiæ Dei, & figura ſubſtantiæ ejus.* Et Sapient. 7. *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago bonitatis illius.*

Profunditas ſenſus apoſtolici.

Chriſtus imago Dei qualis.

Ex quibus & illud intelligitur, Apoſtolum dicentem de Chriſto, quod ſit imago Dei, non ſolùm attendere in eo nomine relationem ad exemplar, id eſt, ad Patrem cujus eſt imago: verùm etiam ad eos qui imaginem intueri poſſunt, id eſt, ad rationalem creaturam, quæ in Chriſto tamquam imagine Patrem cognoſcat: ac ſi dicat Paulus, Chriſtum nobis eſſe imaginem Dei, primùm quidem Apoſtolis, qui propiùs eum intuiti ſunt: deinde & cæteris per Apoſtolos ad eamdem imaginem intuendam adductis. Sic enim qui vident Chriſtum, vident & Patrem; ut qualem quantumque ex operum & doctrinæ conſideratione cognoſcunt filium, talem ac tantum cognoſcant & patrem. Ita Pater qui per ſeipſum inviſibilis eſt, viſibilem quodammodo ſeſe exhibet in imagine ſua, id eſt, in filio. Porrò quænam in univerſum ad imaginis perfectæ rationem requirantur; & utrum etiam Spiritus-ſanctus imago Dei dici poſſit aut debeat; explicatum eſt à nobis ad *diſt. 27. lib. 1. ſent.*

Chriſtus imago Dei relativè ad creaturã intellectualem.

An Spiritus-ſanctus imago Dei.

5. NON ENIM NOSMETIPSOS PRÆDICAMUS, SED JESUM-CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM. Græcè, *ſed Chriſtum Jeſum Dominum*, abſque pronomine, *noſtrum*; quod & omittunt vetuſta quædam Latina, Primaſii quoque textu ſuffragante.

Significat Apostolus, cur addiderit, *gloriæ Christi*: simulque verum officium ministri evangelici pergit declarare. *Non enim*, inquit, *nosmetipsos prædicamus*, hoc est, in evangelio prædicando non nostram spectamus gloriam, nec nostræ studemus utilitati; quemadmodum faciunt pseudapostoli: sed prædicamus *Jesum Christum Dominum*, id est, omnis prædicatio nostra ad eum refertur, ut Dominum nostrum; vel absolutè, ut Dominum totius creaturæ: etiam secundùm humanam naturam. *Omnia* namque *subjecta sunt ei*, 1. Corinth. 15. & ipsum Deus *constituit hæredem*, ac proinde Dominum *universorum*, Hebr. 1.

Christus totius creaturæ Dominus.

Nos autem servos vestros per Jesum. *Nos*, Græcè ἑαυτὸς, *nosipsos*, ut priùs. Non dicit autem, servos Jesu, quod consequenter videbatur dicendum, quia Jesum dixerat Dominum; sed id dicit, quod est longè inferius atque humilius, *servos vestros*. Attamen ne nimis abjectè de suo ministerio loqui aut sentire videatur, addit, *Per Jesum*, vel ut habent Græca & Syriaca, *propter Jesum*: quemadmodum etiam legunt atque exponunt Ambrosiaster & Sedulius. Videtur autem in hac parte non repetendum verbum quod præcessit, *prædicamus*, (non enim in eo versabatur Apostolorum prædicatio, ut annuntiarent se esse servos hominum) sed aliud quippiam supplendum, velut, exhibemus, fatemur aut profitemur, aut quid simile: ut sensus sit: Nosmetipsos autem vobis exhibemus ut servos; palàm fatemur nos non aliud esse quàm servos vestros propter Jesum Dominum, à quo ministerium hoc nobis injunctum est: *servos*, inquam, *vestros*; quia more servorum nos totos impendimus utilitati & saluti vestræ procurandæ. Quo item sensu de se ait 1. Corinth. 9. *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci.* Si cui videatur in hoc membro repetendum verbum *prædicamus*, id fiet per syllepsin quamdam: cum idem verbum plura concipiens, minus propriè refertur ad id quod est remotius: veluti verbum *Laxat* in carmine Virgiliano 2. Æneid. *Inclusos vero Danaos, & pinea furtim Laxat claustra Sinon.* Sic ergo, prædicare, respectu hujus membri erit profiteri.

Apostoli hominũ servi, quo sensu.

6. Quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris. *Ipse*, multis in codicibus non legitur; ut nec in Græco est, nec apud Tertullianum, nec apud commentatores Ambros. & Primasium: sed ejus loco Græca & Syra cum nonnullis Latinis mss. annuente etiam Primasio, repetunt relativum *qui*. Ne autem pendeat imperfecta oratio, verbum (est) quod Hebræo more tacetur, intelligi debet ad initium sententiæ, supplendæ ad hunc modum: *Quoniam Deus* est *qui dixit de tenebris lucem splendescere*; *qui* idem & *illuxit in cordibus nostris*. Pro *splendescere* & *illuxit*, quæ in Græco sunt ejusdem thematis verba, λαμψαι & ἔλαμψεν, Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 8. & alibi legit, *claruisse* & *claruit*. Verti poterat, *splendescere* & *splenduit*, potiùs quàm ut Erasmus vertit *illucescere* & *illuxit*.

Porrò rationem hîc reddit Apostolus quare dixerit, *Non nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum*. Et sensus est: Quia *Deus* est *qui dixit*, id est, jussit, suæ voluntatis imperio fecit *de tenebris*, vel ut in Græco, *è tenebris*, scilicet illis quæ priùs *erant super faciem abyssi, lucem splendescere*, dicendo *fiat lux*; ut habetur Genes. 1. Et idem est qui *resplenduit in cordibus nostris*, id est, lumen fidei & cognitionis mysteriorum Christi, mentibus nostris, id est, Apostolorum, infudit ac superfudit. Nam quod apud Chrysostomum, eumque solum, pro *nostris*, ἡμῶν, legitur *vestris* ὑμῶν, Apostoli scopo non est accommodum.

Patet ex sensu quem dedimus, illud *è tenebris*, non materiam subjectam, sed terminum à quo procedat mutatio, denotare: nec eum qui solo naturæ seu rationis ordine lucem præcesserit; ut vult Cajetanus juxta suam illam opinionem, qua scribens super Genesim docuit omnia simul in principio creata fuisse: sed qui præcesserit ordine temporis ac realis existentiæ: quippe cùm perspicuè tradat scriptura, tenebras exstitisse priusquam lux fieret. Simul autem indicat Apostolus allegoriam subesse memoratæ historiæ Genesis; qua nimirum doceamur Deum, sicut verbo fecit è tenebris lucem splendescere: sic itidem verbo, hoc est imperio & efficacia suæ voluntatis, ex infidelibus facere fideles. Nam infideles tenebrarum, & fideles lucis nomine significari, ipse docet alibi, ita fideles alloquens: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, Eph. 5.

Tenebræ luce priores ordine temporis, non solùm naturæ, ut vult Cajetanus.

Allegoria lucis è tenebris productæ verbo Dei.

Ad illuminationem scientiæ claritatis Dei. Sive ex Græco: *ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei*: quemadmodum & Tertullian. legit *libro de resurr. car. c.* 44. Potest autem istud duobus modis accipi: *vel* de Apostolis illuminatis, *hoc sensu*: Deus infulsit cordibus nostris, illuminans nos notitia gloriæ suæ, id est, notitia mysteriorum, in quibus ipse glorificatur. Qui Græcorum commentarius est. *Vel* melius de Apostolis illuminantibus, ut sit *sensus*: Deus illuxit nobis, ut nos illuminaremus: refuso videlicet à nobis in illos eodem lumine cognitionis gloriæ ejus. Qui sensus optimè respondet superioribus, & ministerium evangelicum explicat. Estque locus similis Ephes. 3. ubi de eodem suo ministerio agens, dicit sibi datam esse gratiam hanc, *illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo.* Sensum hunc posteriorem tradunt Latini, Ambros. Primasius, Hervæus, S. Thom. ac cæteri: tametsi quidam, ut Lombardus & Carthusianus, adferant etiam priorem.

Hujus loci sensus melior de Apostolis illuminantibus.

Non debet autem alienum videri, si dicantur Apostoli mundum illuminasse: quamvis id Christo proprium sit: de quo Joan. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem*. Qui & de seipso testatur, Ego sum lux mundi, *Joan.* 8. Siquidem & Apostolis suis honorem illius nominis communicatum voluit, dicens eis, *vos estis lux mundi*, Matth. 5. Quapropter & ecclesia non immeritò suis hymnis eos salutat *vera mundi lumina*. Verùm aliter Christus, aliter illi lux mundi sunt. Christus enim lux est principaliter illuminans mundum, videlicet sua lege, suaque doctrina, & gratia: Apostoli vero, Christi legem, doctrinam & gratiam prædicando, mundum illuminare dicuntur; utique tamquam illius ministri & vicarii; idque juxta veriorem intelligentiam ejus quod sequitur.

Aliter Christus, aliter Apostoli lux mundi.

In facie Christi Jesu. Græcè ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *in facie*, vel *persona*, *Jesu-Christi*. Nam πρόσωπον ut faciem, ita & personam significat: quod ex facie soleat persona cognosci. Jacob. Faber transtulit *in persona*: sicque etiam ex Syriaco reddidit Fabricius. Nec secus legit Tertull. *libr. 5. contra Marc. cap. 11. & de resurr. carn. cap.* 44. Si faciem intelligas, poterit hic esse sensus: Claritatis seu gloriæ Dei quæ refulget in facie Christi, id est, in Christo, qui est imago Dei: ut rursus allusio sit ad Moysen, cujus in vultu gloria Dei refulsit. Hoc enim ferè modo partem hanc exponunt qui *faciem* legunt. Si verò personam interpreteris, bifariam id exponi potest. Nam secundùm Cajetanum (cui etiam placet hæc lectio) significatur, gloria Dei, id est, ipsa Deitas esse in persona Christi: quia Christus est verus Deus. Ad cujus mysterii notitiam aliis communicandam Apostoli divinitus erant illuminati.

In facie Christi quid.

In persona Christi bifariam exponitur.

Verum quia gloria seu claritas Dei nusquam in præcedentibus accipitur pro deitate, sed generatim pro gloria mysteriorum Dei, seu pro mysteriis ipsis

Melior expositio.

glorioſis ; idcircò rectiùs & faciliori commentario ſic exponitur hic locus de perſona intellectus. Quod officium illuminationis exequimur & exercemus *in perſona Jeſu-Chriſti*, id eſt, nomine, vice & authoritate Chriſti, cujus nos hac in parte legati ſumus & miniſtri. Sic enim ſuprà cap. 2. dixit ſe donaſſe *in perſona Chriſti*. Et hunc ſenſum aliis verbis exprimit infrà, capite proximo, dicens: *Pro Chriſto legatione fungimur*, & iterùm *Obſecramus pro Chriſto*. Proinde eadem Paulo ſunt *in perſona Chriſti*, &, *pro Chriſto*.

Congruit hic ſenſus cum eo quod dixit: *Non noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum-Chriſtum Dominum: nos autem ſervos veſtros propter Jeſum*, cujus ſcilicet legati ſumus. Imò convenit cum univerſo Apoſtoli ſcopo, qui eſt commendare miniſterium evangelicum à dignitate Domini, cujus in eo miniſterio perſona geritur. Exſtat hic ſenſus apud veteres Latinos Pelagium, Primaſium & Sedulium, quamvis uſos textu, qui haberet *in facie*. Sedulii verba ſunt: *In facie Jeſu, hoc eſt, vice Jeſu, ut pro quo legatione fungimur*. Pelagius cum dixiſſet, *Quæ claritas eſt in facie Chriſti major quàm Moyſi*: ita ſubjungit: *vel in perſona Chriſti nos* (Apoſtoli) *homines ſcientia illuminamus*. Primaſius quidem loco gloſſematis tantum ſcribit: *in perſona Chriſti*, ſed eodem ſenſu cum gloſſa Pelagii: ex quo ſolitus etiam verbatim multa decerpere.

Cæterùm inter recentiores ſenſum hunc benè explicat Faber tam in commentario quàm in examinatione literæ. Similiter Gagnæus & Guillaudus; tametſi nec priorem qui à Græcis traditur, prætermittant. Valla quoque in ſuis annotationibus perſonam intelligi mavult, argumento ſimilis loci quem diximus, *cap.* 2. Nam quod aiunt qui faciem malunt, Apoſtolum alludere ad faciem Moyſi, in qua refulſit claritas Dei; quaſi dicat eam in facie Chriſti refulſiſſe majorem, quod & Pelagii prior habebat expoſitio; falli in eo videntur. Non enim Paulus in ſuperioribus Moyſem contulit cum Chriſto, ſed cum ejus Apoſtolis, evangelii miniſtris. Cur autem Græci de perſona nihil meminerint, ea ratio eſt, quod illuminationem intellexerint paſſivè de Apoſtolis illuminatis: Cui ſenſui non congruit προσωπον interpretari perſonam Neque enim illuminati, ſed illuminantes Chriſti perſonam gerunt. Jam quod ex Neotericis quidam *in facie Chriſti* interpretantur in conſpectu Chriſti, ſeu coram Chriſto, cur id textui Græco non videatur accommodatum, ſatis oſtendiſſe me puto ad illud cap. 2. *In perſona Chriſti*. Certe Græcorum nullus hunc locum ſic interpretatus eſt.

Argumenta diverſæ expoſitionis ſolvuntur.

7. HABEMUS AUTEM THESAURUM ISTUM IN VASIS FICTILIBUS. Græcè, ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, *in teſtaceis vaſis*, quomodo legit Tertull. *lib. de reſurr. carn. cap.* 7. & 44. Proſequens Apoſtolus inſtitutum ſuum removet objectionem quæ moveri poterat ex ſuprà dictis. Dixerat enim miniſterium novæ legis multò magis eſſe in gloria quàm miniſterium veteris. At id planè falſum apparebat, quandoquidem Apoſtoli novæ legis miniſtri, eſſent homines inglorii, mundo contemptibiles, & multis obnoxii preſſuris, ærumnis ac periculis. Primùm itaque docet in eo ipſo Deum glorificari, quod per tales homines evangelium ſuum mundo publicet; dum eos inter tot mala quibus evangelii cauſa præmuntur, incolumes conſervat. Deinde verò oſtendit gloriam miniſtrorum evangelii de qua locutus eſt, non in hac vita manifeſtandam, ſed in futura.

Occupatio.

Porrò *theſaurum*, tamquam rem valde precioſam, vocat munus ſibi creditum à Deo, hoc eſt, ipſum miniſterium evangelii. Hunc enim theſaurum intelligi ſuperiora declarant; illud maximè quod hujus capitis initio dicitur, *habentes hanc miniſtrationem*. Neque tamen aberrant qui theſaurum intelligunt illuminationis, de qua verſu præcedenti; velut B. Thom. & alii: idque ſuffragante Tertulliano, qui theſaurum interpretatur de lumine. Nam miniſterium evangelicæ prædicationis, miniſterium eſt illuminationis: ut ſanè videatur Apoſtolus poſt illuminationis unam & alteram mentionem vaſa fictilia nominans, alludere velle ad lumina quæ portantur in vaſculis, olim plerumque fictilibus. Simul autem per hoc ſignificatur, iſtum theſaurum ab Apoſtolis non occultari, ſed palàm mundo exhiberi, more lucernæ evangelicæ poſitæ *ſuper candelabrum ut luceat omnibus, qui in domo ſunt*, Matthæi 5.

Theſaurum quem vocet Apoſtolus.

Allusio ad lumina quæ portantur in vaſis fictilibus.

Porrò theſaurum hunc habere ſive geſtare dicuntur Apoſtoli in vaſis fictilibus, non ſolùm quia corpore mortales erant, quod omnibus eſt hominibus commune: ſed etiam quia viles hominum æſtimatione; ut qui rudes eſſent ſcientiarum ſæcularium iidemque ignobiles & inopes: eoque propenſiùs, propter evangelium quod prædicabant, omnium injuriis expoſiti: quemadmodum de iis memorat Paulus *in priore epiſt. cap.* 4. nec non in conſequentibus hujus loci. Igitur *in vaſis fictilibus* ſeu teſtaceis utrumque Paulus conſiderat, & quod fragilia ſint, & quòd vilia, nimirum ex luto facta.

Cur in vaſis fictilibus.

Per ea verò ſignificat vel corpora, vel ipſos homines luteorum vaſculorum inſtar fragiles, & contemptibiles propter ea quæ in corporibus patiuntur: ut ſenſus ſit; Apoſtolos geſtare precioſum ac lucentem evangelici miniſterii theſaurum in ſeipſis tamquam vaſis fictilibus. Senſum enim hunc ſequentia videntur exigere, quæ perſonis magis quàm corporibus attribuunt ea quæ ad contemptum pertinent: uti ſunt, preſſuras, anxietates & perſecutiones pati.

Apoſtoli, vaſa fictilia.

UT SUBLIMITAS SIT VIRTUTIS DEI, ET NON EX NOBIS. Græcè prior pars ſic habet; *ut exceſſus* (ὑπερβολὴ) *virtutis ſit Dei*. Hieron. lib. 3. Dialogi contra Pelagianos cap. 3. citat hoc modo. *Ut abundantia fortitudinis noſtræ ſit ex Deo*. Sed rectius habet quod alii veteres legunt: *Ut eminentia virtutis ſit Dei*: Ita textus Ambroſ. necnon Auguſt. *epiſt.* 143. *ſerm.* 15 *de verbis Apoſt. cap.* 12. *& alibi*: & ante eos Tertull. *adverſ. Marc. lib.* 5. *cap.* 11. Niſi quod in verbo *ſit* collocando variant trifariam, *ſit virtutis Dei, virtutis ſit Dei, virtutis Dei ſit*. Porrò *virtutis*, Græcè δυνάμεως, id eſt, *potentiæ*; quam Hieron. dixit fortitudinem.

Duplex ſyntaxis & ſenſus hujus loci.

Quod ad ſyntaxim & ſenſum hujus partis attinet, Theophyl. ordinem verborum qui eſt in Græco ſecutus, virtutem cum ſublimitate conſtruit, non cum Deo. *Ut*, inquit, *magnitudo & excellentia virtutis quæ in nobis apparet, Dei ſit*, hoc eſt, tota Deo tribuatur: uti declarat ſequentibus verbis. Idipſum prorſus voluit Hieronym. quando de ſuo addidit *noſtræ*, & pro *Dei* dixit, *ex Deo*. Sic enim & Syrus interpres tranſtulit, *ut magnitudo virtutis ex Deo ſit*. Eamdem conſtructionem ſequitur Cajetanus. Quæ & Laurentio probatur, & Eraſmo placuit uſque adeo, ut ejus commonſtrandæ cauſa vocabulum *virtutis* longiùs à *Dei* removerit, vertens ad hunc modum; *ut virtutis eminentia ſit Dei*.

Aliorũ melior interpretatio.

At verò Latini plerique enarratores, cum quibus facit Tertull. ordinem verborum qui eſt in vulgata verſione ſecuti, virtutem Deo jungunt: idque profectò meliùs; ac pro conſuetudine Pauli, qui libenter meminit virtutis ſeu potentiæ Dei, ſicuti de fructu & profectu evangelii loquitur. Unde *Roman.* 1. evangelium vocat Dei virtutem, & 1. Corinth. 2. ſic ait, *ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*, & hujus epiſtolæ cap. 6. *In verbo veritatis, in virtute Dei*, & 2. Timoth. 1. *Collabora evangelio ſecundum virtutem Dei*. Nec quicquam obſtat ordo verborum in Græco, cùm nemo neſciat ordinem grammaticæ conſtructionis à verborum ordine ſæpenumero diſcrepare. Quocirca Chryſoſt. quoque & præter Theophyl. cæteri Græci cum Latinis ſen-

tiunt, planè ac perſpicuè virtutem ad Deum referentes: atque in eo Chryſoſtom. adducit illud quod Dominus ad Paulum ait: *Virtus mea in infirmitate perficitur*, infrà cap. 12.

Senſus igitur Paulinus eſt hujuſmodi: Quod pretioſum hunc theſaurum evangelici miniſterii portamus in vaſis fictilibus, id propterea voluit Deus, ut omne bonum ex illo theſauro proveniens, attribueretur potentiæ Dei, & non ex nobis eſſe crederetur: id eſt, ut tam incolumitas noſtra inter tot adverſitates & pericula, quàm fructus evangelicæ prædicationis, qui ſecuturus erat maximus & ampliſſimus, non hominum evangelizantium viribus aut induſtriæ aut ſapientiæ aſſcriberetur, ſed virtuti divinæ. Quamvis enim omnia bona Deo ſint authori tribuenda, etiam tunc quando vel maximè humana adhibetur induſtria, ſapientia & potentia: non tamen ita declaratur & apparet Dei virtus illis adhibitis, ſicut conſpicitur & agnoſcitur ſine illis. Nam etſi fatendum ſit, exempli gratia victoriam omnem eſſe à Deo, ſive quis vincat in multis, ſive in paucis: magis tamen apparet Deum dare victoriam, quando pauci multos ſuperant.

Dei virtus magis appareat, ubi præſidia deſunt humana.

8. IN OMNIBUS TRIBULATIONEM PATIMUR, SED NON ANGUSTIAMUR. Oſtendit Dei virtutem, in eo quòd vaſa fictilia quæ theſaurum portant, inter tot cadendi & frangendi pericula conſervet. *In omnibus*, Græcè ἐν παντὶ, *in omni*, quod ferè vertunt *in omnibus*. Quamquam hoc loco non incommodè verti potuit *variè*, *multifariam*. Nam eo faciliùs etiam ad ſequentia membra referetur. Vide quæ diximus ad illud 1. Corinth. 1. *In omnibus divites facti eſtis*. Pro verbis quæ hîc & in ſequentibus habentur, in Græco participia ſunt paſſiva præſentis temporis: quæ quia Latinè cum eodem tempore reddi non poſſunt, conſultò noſter interpres ea mutavit in verba. Quod & Eraſmus imitatus eſt, ita vertens: *Dum in omnibus premimur, at non anxii reddimur*, &c. ubi meliùs dixiſſet, *at non coarctamur*, ut habet alia quædam verſio. Textus Ambroſianus participia retinet. *In omnibus preſſuram paſſi, ſed non coangustati*, &c. Similiter Hilarius ſuper Pſal. 118. *In omnibus tribulati, ſed non angustiati*.

Senſus eſt: Quamvis undique premamur rebus adverſis: non tamen ita redigimur in anguſtum, ut comprimamur & conteramur, ſed Dei ope ſervamur in mediis preſſuris. Hunc ſenſum exigunt Græca, θλιβόμενοι, στενοχωρούμενοι. Quidam hîc anguſtiam interpretantur animi anxietatem: quod expreſſit Eraſmus verbis memoratis ſuæ verſionis. Atqui Pauli inſtitutum hoc loco non eſt declarare virtutem Dei in eò quod Apoſtoli in mediis malis, quæ propter evanlium patiebantur, animo non deficerent, quod erat fortitudinis & conſtantiæ; ſed quod inter tot moriendi pericula ſervarentur in vita: velut ſi vaſa fictilia atque fragilia vehementer agitata non frangantur. Id Paulum velle, patebit amplius ex *verſibus* 10. & 11. Quæ res obſervata juvat etiam ad trium ſequentium pericoparum veram intelligentiam. Et tamen hæc non ita ſunt accipienda, quaſi Deus ſuos Apoſtolos perpetuo ſervet, ne tandem malis opprimantur & occumbant (ſic enim martyrii gloriam numquam adipiſcerentur) ſed tantùm eouſque, dum tempus advenerit ab ipſo conſtitutum, quo, pro miniſterio fideliter ac ſufficienter expleto, velit eos evocatos ex hac vita coronare.

Quid hoc loco anguſtiari.

APORIAMUR, SED NON DESTITUIMUR. In Græco jucunda eſt alluſio verborum ſimplicis & compoſiti, ἀπορούμενοι, ἐξαπορούμενοι: quaſi dicas, *aporiati, ſed non exaporiati*: quorum ſimplex, Græcis ſignificat in re difficili inopem conſilii, ideoque hærentem ac neſcientem quid facto opus ſit: compoſitum vero, eum qui evadendi conſilio ac ſpe deſtitutus, obruitur periculo, nec evadit. Itaque Latinum verbum *aporiamur* è Græco fictitium eſt, ac Latinè verti poterat: *hæremus, inopes conſilii ſumus*. Textus quidem Ambroſ. ſic habet: *Inopiam paſſi, ſed non deſtituti*, quod commentator ad inopiam rerum neceſſariarum retulit, dum ſic exponit: *Id eſt, in inopia poſitis adfuit Paſtor Deus*. Eadem ſignificatione Græcum verbum accepit Theophyl. item Faber & Eraſmus tam in *verſione* quàm in *paraphraſi*: quos & Cajetanus ſequitur. Imo Latinorum hæc ferè communis eſt interpretatio: quorum vetuſſimus Tertull. *in Scorpiaco cap.* 13. Græcarum vocum paronomaſiam ita Latinè reddidit, *indigemus, ſed non perindigemus*.

De qua aporia ſive inopia Paulus loquatur.

Verùm prior verbi ſignificatio quam dedimus, magis apud Græcos in uſu eſt: eamque ſpectarunt in ſuis ſcholiis Theodoritus & Oecum. Nec ſecus accepiſſe videtur Baſilius *in reg. brev. reſp. ad interrog.* 270. ſi benè tranſtulit ejus interpres: *Aporiamur, id eſt, ſummis circumvenimur difficultatibus*. Eidem ſenſui congruit quod habet Syra tranſlatio: *Conquaſſamur*. Poſterius verbum ἐξαπορεῖσθαι etiam ſupra legimus cap. 1. ubi noſtra verſio habet: *ita ut taderet nos etiam vivere*, & alii verterunt: *ita ut etiam de vita deſperaremus*.

Neque tamen ſecum pugnat Apoſtolus, hoc loco de ſe ſuiſque collegis id negans, quod illic affirmare videtur. Nam illic eo verbo ſignificare voluit, non modò conſilii inopem in periculo ſe fuiſſe; ſed omninò putaſſe quod non eſſet evaſurus, tamquam mortis in ſemetipſo reſponſum habens; ut ibi loquitur. Hîc verò ſentit, Apoſtolos etiam in tanta deſperatione vitæ poſitos, divina tamen ope non deſtitui. Cujus rei præter alia fidem faciunt ea quæ Lucas narrat de Apoſtolis Petro, Paulo & aliis, vel è carcere mirabiliter eductis, vel aliter ab inſtanti periculo toties liberatis, ut *Actorum* 5. 12. 14. 16. 19. & 27. Quo pertinent & ea Pauli pericula multa & magna, quæ in hac eadem *epiſt. cap.* 11. enumerat: è quibus omnibus, ſuum Apoſtolum Dominus eripuit.

Paulus alibi deſperâs evaſionem periculi, non ſibi contrarius.

9. PERSECUTIONEM PATIMUR, SED NON DERELINQUIMUR. In perſecutionibus, inquit, quas cauſa miniſterii noſtri patimur & quibus agitamur, non deſerimur à Deo: non permittit nos Deus à perſecutoribus occidi, quamvis permittat comprehendi & malè mulctari, vult enim nos ſervare ad majorem evangelii fructificationem. Sequitur hoc loco in multis libris, *Humiliamur, ſed non confundimur*. Quod & Lombardus & alii poſteriores exponunt, gloſſam ordinariam ſecuti: Exponunt autem hoc modo: Affligimur & contemnimur, nec tamen erubeſcimus: quia cauſa non ſubeſt erubeſcendi; quippè qui inculpatè verſemur in ſancto miniſterio.

Pericope temerè huc inſerta,

At ſciendum hanc partem nec in Græco legi, nec in Syriaco, nec in Latinis mss. probatioribus: ſed nec apud veteres ſcriptores, uno dempto Sedulio, vel expoſitam, vel citatam reperiri. Tertull. *in Scorpiaco* & Auguſtinus in *Speculo* totum hunc Pauli locum referentes, iſtam pericopem non agnoſcunt. Hervæus quoque tametſi recentior non attingit: ubi imperitè quiſpiam ad marginem annotavit; *Hic videtur aliquid deeſſe*. Quapropter rectè caſtigatores Romani partem hanc ut aſſcititiam è textu ſubmoverunt. Nam & revera non convenit inſtituto præſentis loci. Non enim hîc agitur, quomodo fuerint affecti in afflictionibus & contumelis Apoſtoli: ſed quod divinitus inter tot & tanta pericula conſervati.

DEJICIMUR, SED NON PERIMUS. Dejectio ſignificare videtur periculi magnitudinem: ut cum quis in pugna ab adverſario dejicitur in terram, & proſtratus tenetur, jamjam, niſi quis opem ferat occidendus. Quamvis, inquit, in tam gravia pericula

gravia pericula sæpè incidamus, ut videamur illicò perituri : tamen Deo opitulante custodimur, ne pereamus. Idem aliis verbis repetit infrà cap. 6. *Quasi morientes, & ecce vivimus.*

Jam ex hac quatuor pericoparum explicatione, quarum quæque bimembris est, intelligitur, erga vasa fictilia thesaurum evangelici ministerii portantia, quid agat hominum malitia ; quid bonitas & virtus Dei. Nam priora membra declarant hominum conatum ut frangantur & pereant: posteriora, Dei protectionem ne frangantur, sed ut salva maneant. *Observanda* denique hic amplificatio rhetorica, qua res ferè eadem aliis & aliis verbis repetita pulchro orationis schemate extenditur : ut ne quis exactum quærat inter pericopas discrimen.

Amplificatio rhetorica.

10. SEMPER MORTIFICATIONEM JESU IN CORPORE NOSTRO CIRCUMFERENTES. Græcè, *Domino Jesu ;* nec additur *nostro* : tametsi in utroque textus Syriacus nostræ consentiat lectioni. Mortificationem Domini Jesu vocat Apostolus, vel ipsam Christi passionem & mortem, quam pro nobis sustinuit; quò respicit Ambrosiana versio, quæ sic habet : *Semper mortem Domini Jesu in corpore circumferentes* : vel mortificationem quam patiebantur, ipsi Apostoli, tum exemplo Christi passi, tum pro nominis ejus confessione. Quæ duæ expositiones etsi tamdem eòdem recidant, priorem tamen esse germaniorem, sequentia probant; ubi vita Jesu morti ejus opposita, non alia convenienter intelligi posse videtur, quàm ea qua Jesus ipse vivit. Igitur sensus est : Quotidianis periculis, & ut ita dicam, mortibus expositi sumus; & per hoc passionem & mortem Domini Jesu nos illius ministri atque vicarii repræsentatione quadam gestamus & circumferimus in nostris corporibus.

Mortificatio Jesu quæ intelligatur.

UT ET VITA JESU MANIFESTETUR IN CORPORIBUS NOSTRIS. Græcè & Syriacè & apud Ambrosiastrum, *in corpore nostro*, hoc est, uti statim exponit Apostolus, *in carne nostra mortali*. In qua quidem carne vita Jesu, qua vivit immortalis post resurrectionem, manifestatur : quia (quemadmodum benè mentem Apostoli Græcanica scholia declarant) dum corpora nostra mortalia, inter tot pericula mortesque quotidianas, occulta quadam virtute conservantur in vita ; manifestum ex eo fit Dominum Jesum, pro quo nos, resurrectionem & vitam ejus prædicantes, talia patimur, resurrexisse & vivere. Nam, ut ait Cajetanus, *afflictiones & tormenta evangelizantium, tam potenter non solùm tolerata sed superata, sunt testimonia Jesu-Christi viventis, & servantis & vincentis, propter quod & martyria sunt appellata.*

Quæ vita Jesu.

Quamquam Apostolus, ut in superioribus admonui, non tam de toleratis patienter afflictionibus ac tormentis loquitur, quàm de vita ministrorum evangelii, inter afflictiones, & persecutiones penè continuas, singulari ac mirabili Dei providentia ad fundandam & propagandam ecclesiam, diu conservata. Quod ut in multis aliis, ita specialiter ostendere voluit Deus in principibus Apostolis Petro & Paulo, qui senes mortem obierunt.

Res exemplis declarata.

Ejusdem rei insigne est exemplum in B. Athanasio inter continuas Arianorum persecutiones usque custodito : ut ecclesiæ suæ præfuerit annis ferme quinquaginta. Quapropter & hunc Apostoli locum in die ejus solemni ad sacrificium missæ recitat Ecclesia Romana. Sensum memoratum exigunt & illustrant verba sequentia.

11. SEMPER ENIM NOS QUI VIVIMUS, IN MORTEM TRADIMUR PROPTER JESUM. *Qui vivimus*, in Græco participium est, οἱ ζῶντες, *viventes*, hoc est, in vita manentes ; vita salva ; sic ut vitam non amittamus. *Sensus* enim est : Quotidie propter evangelium Jesu pro nobis mortui, nos ejus ministri in mortis pericula tradimur ; nec tamen morimur, sed Dei virtute nos protegente permanemus in vita.

UT ET VITA JESU MANIFESTETUR IN CARNE NOSTRA MORTALI. Id est, ut in corporibus nostris mortalibus toties in mortem traditis, & tamen adhuc viventibus, manifesto appareat etiam Jesum, quem prædicamus, vivere.

12. ERGO MORS IN NOBIS OPERATUR, VITA AUTEM IN VOBIS. Græcè, ὥστε ὁ μὲν θάνατος ; *Itaque mors quidem*, ut habet textus Amb. Pro verbo, *operatur*, Erasmus, *agit*, vertendum putavit : ut & alii nonnulli. Quod secuti commentatores quidam hîc subesse volunt prosopopœiam in morte, & vita, quemadmodum alibi interdum apud hunc Apostolum, ut *Rom.* 5. 6. 7. & 1. *Cor.* 15. Verùm, ut aliàs annotavi, Græcum verbum ἐνεργεῖται quamvis medium sit, passivè tantùm ab authoribus Græcis usurpatur. Lege quæ suprà diximus ad cap. 1. v. 6. *Quæ operatur in tolerantia.* Et Roman. 7. vers. 5. *Passiones peccatorum, operabantur in membris nostris.* Proinde verbum Latinum *operatur*, passivè exponendum est, quomodo disertè exponunt *operatur*, id est, *efficitur*, glossa ordinaria & Lombardus ; licet etiam activam expositionem adferant priore loco.

Verbum operatur non activè exponendum, sed passivè.

Sensus autem germanus est : Igitur in nobis Apostolis, qui prædicamus vobis evangelium salutis, mors agitur & exercetur ; Nam (ut in superioribus dictum est) *persecutionem patimur : semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes ; semperque in mortem tradimur propter Jesum* : ut vicissim in vobis vita agitur & exercetur : id est, per nostra pericula nostramque quotidianam mortem vobis gignitur, augetur, perficitur vita spiritualis. Nam Apostolorum & martyrum mors vita est ecclesiæ, vult enim significare Paulus alterum esse causam alterius : ac si dicat: Ex evangelio per assidua moriendi pericula à nobis prædicato, provenit vobis fructus vitæ & salutis æternæ.

Martyrum mors vita ecclesiæ.

Chrysost. alium huc sensum adducit. Censet enim ironicam esse exprobrationem in Corinthios : tamquam dicere velit Apostolus : Interim dum nos quotidianis objicimur periculis, vos securi vitam agitis & animos relaxatis periculorum expertes. Meminerunt hujus expositionis etiam Latini ; sed quæ tamen ex contextu vix ullam habeat probabilitatem. Unde nec cæteri Græci hunc Chrysostomi Commentarium sequuntur. Par ratio de eo quod Primasius dicit Apostolum increpativè loqui & cum interrogatione : quasi sentiat iniquum esse & indignum, quod mors operetur in Apostolis, & vita in Corinthiis. Cæterùm nostræ expositioni, qua sine figura partem hanc interpretamur, optimè congruit illud quod paulò pòst sequitur : *Omnia propter vos.*

Non esse ironiam in verbis Pauli.

13. HABENTES AUTEM EUMDEM SPIRITUM FIDEI. Adhuc dicere quis poterat : Quamvis novæ legis ministri inter pericula diu conserventur in vita, multis tamen pressuris & persecutionibus per vitam obnoxii sunt ; ac certè tamdem eis moriendum est : ubi ergo illorum gloria major quàm Moysi, de qua capite superiori ? Plenius itaque nunc respondens Apostolus, docet gloriam ministrorum evangelii non hujus esse sæculi, sed per fidem exspectari in futuro. *Spiritum fidei*, dicit authorem, donatorem : vel metonymicè, Spiritum fidei, id est, fidem à Spiritu donatam ; quomodo legimus alibi Spiritum mansuetudinis, pietatis, fortitudinis, dilectionis, sobrietatis, pro ipsis hujusmodi donis Spiritus sancti.

Alia occupatio.

Quid Spiritus fidei.

Igitur *eumdem Spiritum fidei*, rectè intelligimus eamdem fidem ab eodem Spiritu profectam : quasi dicat Apostolus ; Cum ad eadem credenda ab uno Spiritu Sancto moveamur. Sed cum quibus eadem ? *Plerique* eadem intelligunt cum iis quæ Dauid credidit, cujus mox testimonium subjicitur : aut in

Quem dicat eumdem Spiritum fidei.

genere cum iis quæ crediderunt Sancti Patres & Prophetæ veteris Teſtamenti, quorum unus fuit David. Juxta quem intellectum, ut ab interpretibus tam Græcis quàm Latinis annotatum eſt, oſtendit hic locus contra Manichos, eumdem eſſe Spiritum & conſequenter eumdem Deum ac Dominum utriuſque teſtamenti: item oſtendit eamdem fuiſſe fidem Patrum qui Chriſti præceſſerunt adventum, cum fide noſtra. De qua re diſputant ex profeſſo Theologi ad *diſt.* 23. *l.* 3. *ſent.* Alii verò putant eadem intelligi cum iis quæ credebant Corinthii ad quos ſcribit; ac ſi dicat: Quamvis mors in nobis operetur, & vita in nobis: quia tamen nos eamdem vobiſcum fidem habemus, idcircò ad eadem promiſſa tendimus, & eamdem vobiſcum in futuro ſæculo vitam & immortalitatem exſpectamus. Hoc enim eſt quod poſteà ſequitur: *Quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit & conſtituet vobiſcum.* Ex quo certè ſenſus iſte non parum accipit firmamenti.

Eadem fides antiquorum & noſtra.

SICUT SCRIPTUM EST. Græcè, κατὰ τὸ γεγραμμένον, *juxta quod ſcriptum eſt.* Ambroſ. *Secundùm quod ſcriptum eſt.* Poteſt autem hoc bifariam exponi; vel ut comparationem indicet cum eo quod præceſſit; vel ut cum eo quod ſtatim ſequitur, *& nos credimus*, &c. Ad partem præcedentem referunt qui in ea fidem intelligunt eamdem cum patribus antiquis: ut ſit ſenſus: nos habentes eumdem Spiritum fidei cum illis quorum unus divini Spiritus afflatu dixit, *Credidi* &c. Qui verò fidem illic eamdem intelligunt cum Corinthiis, iidem hanc comparationem ad ſequentia referunt. Quod ſanè probabilius eſt, ſi ſeries orationis ſpectetur.

CREDIDI PROPTER QUOD LOCUTUS SUM. Initium eſt Pſalmi 115. juxta verſionem LXX. Nam in Hebræo continuus eſt pſalmus cum præcedente. Siquidem in Hebræo legitur, *Credidi, quia loquar.* Sed LXX. ſenſum benè reddiderunt. Nam frequenter apud Hebræos tam præteritum quàm futurum ſervit indefinito tempori ſignificando: & Hebræum כ *chi*, id eſt, *quia*, cauſalis conjunctio, ponitur interdum pro rationali ſeu redditiva ſua, *ideò*, *propterea*, *propter quod*, Græcè ὅτι: ut cauſa ſignificetur, non in eo quod ſequitur conjunctionem, ſed in eo quod præcedit. Exemplum promptum eſt in principio pſalmi præcedentis, *Dilexi quoniam exaudiet Dominus.* Sed ea de re jam diximus ſuprà ad illud cap. 1. *fidelis Deus, quia ſermo noſter*, &c. Minus placet quod Cajetanus ſuper hunc utrumque pſalmum ſcribens, vult particulam *quia* conſtruendam eſſe à fronte totius orationis, hoc modo: Quia dilexi, exaudiet Dominus; Quia credidi, locutus ſum. Hæc enim conſtructio coactior eſt: nec ad omnes alios locos ſimiles poteſt accommodari, quamquam alioqui res eadem dicitur.

Cauſalis conjunctio pro rationali.

Quod ad ſenſum attinet, his pſalmi verbis, ad literam, agit David de fide qua firmiter credidit divinis promiſſis ſibi per Samuëlem de regno Iſraëlitico nunciatis. Ex qua fide, palàm ac liberè apud homines de divina erga ſe bonitate loqui ſe, eamque prædicare, teſtatur. Cæterùm de ſenſu myſtico hujus verſus ac totius pſalmi, eoque duplici; conſule Janſenium breviter utrumq; tradentem in argumento pſalmi. Theodoritus exponit illud *Credidi* de fide reſurrectionis. *Cùm enim*, inquit, *David in præcedente pſalmo dixiſſet, Placebo Domino in regione vivorum; non videbatur autem ipſa regio: incipiens pſalmum qui ſequitur, dixit; Credidi, propter quod locutus ſum.* Hæc ille. Nobis quod priùs diximus, videtur eſſe magis literale. Neque enim neceſſe eſt, Davidem dicentem, *Credidi*, & Paulum ſubjicientem, *& nos credimus*, de eadem re credita interpretari. Quin potiùs, ut Cajetanus ad hunc locum annotat, *Fiduciam poſteris præbuit Paulus utendi ſacra ſcriptura tranſſumptive ad ſpirituales materias, ex hoc ipſo quod ipſe utitur Pſalmo tranſſumptivè.*

De qua fide loquatur David ad literam.

De qua fide juxta ſenſum myſticum.

Annotatio Cajetani de ſcripturis utendis tranſſumptivè.

ET NOS CREDIMUS PROPTER QUOD ET LOQUIMUR. Reſpondet hæc pars illi, *Sicut ſcriptum eſt, Credidi*, &c. unde quidam ſupplent adverbium ſimilitudinis: ita & nos credimus. Quod non eſt neceſſe, ſi illic legamus, ut habent Græca, *Secundùm quod ſcriptum eſt.* Nam contextus eſt: Secundùm quod Propheta dicit ſe credidiſſe, & propterea locutum eſſe: etiam nos credimus; propter quod & loquimur. Quamvis autem non de eadem re credita agat Apoſtolus, de qua cecinit Pſalmographus: aptiſſimè tamen illius verba citat; ac ſi dicat: Quemadmodum David inter perſecutiones & pericula credidit ſe perventurum ad regnum ſibi à Deo promiſſum; & propterea de eo confidenter apud homines locutus eſt: ita nos quoque miniſtri novæ legis, licet perſecutionibus preſſi & periculis expoſiti, tamdemque morituri; certiſſimè tamen credimus nos ad gloriam promiſſam perventuros. Propter quod & confidenter vobis de ea loquimur. Accedit ad convenientiam teſtimonii citati, quod in Davide præceſſit expreſſa quædam figura Chriſti & membrorum ejus, præſertim evangelii miniſtrorum; quicumque per labores & afflictiones Chriſti nomine toleratas, tendunt ad conſortium gloriæ ejus.

Verba Davidis appoſitè Paulus ad ſe transfert.

David typus Chriſti & miniſtrorum novi teſtamenti.

14. SCIENTES, QUONIAM QUI SUSCITAVIT JESUM, ET NOS CUM JESU SUSCITABIT. Græca priore loco *Dominum Jeſum* legunt: poſteriore *per Jeſum*, pro eo quod nos habemus *cum Jeſu.* Græcis in utroque ſuffragatur textus Ambroſ. Sed & Syra priore loco legunt *Dominum noſtrum Jeſum*: & poſteriore *per manum Jeſu*, id eſt, *per Jeſum.* At verò Tertull. *lib. de reſur. carnis c.* 44. in utroque noſtram vulgatam præit verſionem, niſi quod *cum ipſo* legit, ubi nos *cum Jeſu.* Exponit autem *cum ipſo*, id eſt, *ſicut ipſum.* Neque enim ſignificatur idem tempus reſurgendi, ſed ipſa reſurrectio capiti membriſque communis.

Cum Jeſu ſuſcitandi ſumus, quo ſenſu.

Itaque *ſenſus eſt:* Scientes, id eſt, certiſſima fide perſuaſi, quòd Deus Pater qui Dominum Jeſum crucifixum & mortuum reſuſcitavit à morte ad vitam immortalem & glorioſam: nos quoque miniſtros ejus ad ſimilem gloriam, per ipſius meritum, ſuſcitaturus eſt. Unde Chriſtus de ſua claritate loquens Joan. 12. *Ubi ego ſum*, inquit, *illic & miniſter meus erit*, & cap. 17. *Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego; & illi ſint mecum.* Et de eadem re Paulus Rom. 8. *Qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Unus codex Græcus apud Rob. Stephanum habet σὺν Ἰησοῦ, cum Jeſu: potuitque hujus præpoſitionis διὰ mutandæ occaſio fuiſſe, quod non intelligeretur quomodo Paulus ſe & alios fideles *cum Jeſu* ſuſcitandos dicat, qui jam olim ſuſcitatus fuit. Propter quod & Tertull. expoſitionem præpoſitionis ſtatim adjecit.

ET CONSTITUET VOBISCUM. *Conſtituet*, παραστήσει, *exhibebit.* Non nos ſolos, inquit, qui miniſtri ſumus evangelii, provehet Deus ad conſortium reſurrectionis cum Chriſto: ſed & vos qui nobis miniſtrantibus evangelio credidiſtis, à morte ſuſcitatos nobis adjunget ſibi exhibendos. Hoc ſentit Apoſtolus, alioqui modeſtiæ ejus eſt; quod non dixit; & conſtituet vos nobiſcum; ſed è converſo, *nos conſtituet vobiſcum:* ne ſibi plus aliquid in illa gloria reſurrectionis præſumere videretur præ aliis fidelibus, quibus Evangelium miniſtrarat: ſed ut magis appareat ipſum alios ſibi præpoſuiſſe. Conſideravit enim illos ut cauſam finalem ſui miniſterii. Id enim eſt quod pro ratione ſubjicit.

Nota modeſtiam Pauli.

15. OMNIA ENIM PROPTER VOS. Benè dixi, inquit, quod Deus nos conſtituet vobiſcum: nam omnia noſtra ſunt aut fiunt, propter, vos, id eſt, univerſum miniſterium noſtrum ordinatur ad utilitatem & ſalutem veſtram; ideoque nos æquum

Apoſtolorum miniſterium propter aliorum ſalutem.

eſt fieri conſortes ſalutis & gloriæ veſtræ. Sic alibi generaliori ſententia dicit *omnia* ſe *ſuſtinere propter electos*, 2. Tim. 2.

UT GRATIA ABUNDANS PER MULTOS IN GRATIARUM ACTIONE ABUNDET IN GLORIAM DEI. In Græco diverſa ſunt verba, πλεονάσασα & περισσεύση: quæ interpres eodem verbo Latino reddidit, *abundans*, & *abundet*. Græca ſic ferè transferuntur; *ut gratia abundans propter plurium gratiarum actionem exuberet in gloriam Dei*. Ambroſiaſter ita legit, *ut donum abundans per multorum gratiarum actionem abundet ad gloriam Dei*. Primaſij textus cum noſtro convenit, excepta præpoſitione *in*, quam omittit, ut & textus ordinariæ gloſſæ, & ipſa gloſſa, & exemplaria quædam mss. Valla textum vulgatæ verſionis refert ad hunc modum: *ut gratia abundans per multas gratiarum actiones abundet*, &c.

At ſenſus omnium ferè idem eſt: Ex eo, inquit, quod Deus vos ejuſdem nobiſcum gloriæ facturus eſt participes, conſequitur hic fructus, ut gratia, ſeu beneficium illud in multos ſparſum, iiſdem multis pro eo gratias Deo agentibus, redundet atque exuberet ad gloriam Dei. Nullo enim opere noſtro magis quam gratiarum actione glorificatur Deus. In eumdem ſenſum convenit interpretatio Syriaca, quæ ſic habet: *ut abundante gratia per manum multorum* (id eſt per multos) *augeatur gratiarum actio in gloriam Dei*.

Nota, gratiarum actione maximè glorificari Deum.

Verumtamen notandum eſt (quod ab Eraſmo non ineptè ſuggeritur) Græcam vocem περισσεύση, quam interpretes vertunt *abundet*, *exuberet*, verbis abſolutis; poſſe tranſitive ſumi pro eo quod eſt *abundare*, *exuberare faciat*: adhærente ei quarto caſu εὐχαριστίαν, id eſt, *gratiarum actionem*: ac tum ex Græco ſic reddetur oratio: *ut gratia abundans per plures gratiarum actionem abundare faciat in gloriam Dei*. Hoc eſt, ut in multos effuſa gratia, per multas itidem perſonas gratiarum actionem pariat atque diffundat, qua Deus glorificetur.

Expoſitio probabilior.

Hanc Græci verbi tranſitivam acceptionem, ne cui videatur inſolens, habemus in hac *eadem epiſtol. cap.* 9. ubi ſic legitur, etiam ſecundùm noſtrum interpretem: *Potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in vobis*. Habemus & alibi apud Paulum, ut *Epheſ.* 1. *verſ.* 8. & 1. *Theſſal.* 3. *verſ.* 12. Quæ loca multum probabilitatis adferunt huic expoſitioni, quæ non ſoli Eraſmo placuit. Conferendus eſt etiam hic locus cum altero ſimili, qui eſt hujus epiſt. cap. 1. *ut ex multis perſonis ejus quæ in nobis eſt donationis per multos gratiæ agantur pro nobis*.

16. PROPTER QUOD NON DEFICIMUS. Refertur hæc illatio ad illud quod dixit: *Scientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit*. Propter ſpem, inquit, illius gloriæ quam ex reſurrectione expectamus, non ſuccumbimus malis quæ nobis evangelij miniſtris plurima ſuperveniunt. Eſt enim idem in Græco verbum, quod initio capitis, ἐνκακοῦμεν.

SED LICET IS QUI FORIS EST, NOSTER HOMO CORRUMPATUR, TAMEN IS QUI INTUS EST, RENOVATUR DE DIE IN DIEM. *Is qui foris eſt*, ὁ ἔξω, *externus*, ſive *exterior*. Item, *is qui intus eſt*, ὁ ἔσωθεν, *internus*, *interior*. Exteriorem & interiorem legit Tertull. *in Scorp. c.* 13. *de reſur. carnis cap.* 40. & 43. & *contra Marc. lib.* 5. *c.* 11. Item Auguſt. *lib.* 2. *de baptiſ. parv. c.* 7. & 13. commentator Amb. & Sedulius. Nec Græcè eſt, *de die in diem*, ſed ἡμέρα ἐξ ἡμέρα, *die & die*, quemadmodum & legit Tertull. *in Scorpiaco*, & *lib. de reſur. carn.* niſi quod poſteriore loco additur præpoſitio, *de die & die*, ſed quam ſuſpicor additam à ſcribis ex vulgata lectione.

Die & die pro quotidie, Hebraiſmus.

Eſt autem Hebræa phraſis *de die & die*, non diſſimilis illi quæ Pſ. 86. *Homo & homo natus eſt in ea*, id eſt, multi homines, alij poſt alios. Legitur autem in Hebræo ſine conjunctione, *die, die*. Pſalm. 60. ubi nos habemus, *ut reddam vota mea de die in diem*, & Pſal. 67. ubi nos, *Benedictus Dominus die quotidie*: quemadmodum & Eze. 14. *Homo, homo*, ſeu *vir vir de domo Iſraël*, id eſt, quilibet homo, ſeu vir. Dicit itaque Paulus *die & die*, pro eo quod Latinè dicimus, *quotidie*, *in dies*, vel, ut Eraſmus vertit, *in dies ſingulos*: nec malè noſter interpres *de die in diem*. Voluit autem Apoſtolus ſignificare quotidianum incrementum & profectum renovationis in homine interiore, ſicut eſt in exteriore quotidianus ad corruptionem acceſſus.

Non eſt hoc loco diſſimulandus inſignis lapſus Cajetani, viri alioquin egregiè docti, qui ex annotat. Eraſmi malè intellecta, pro illa parte *de die in diem*, credit Apoſtolum ſcripſiſſe adverbium *novè*, eamdemque vocem exponit, ac ſublimiter in ea philoſophatur: quum Eraſmus non aliud dicat, quàm novè ſcriptum à Paulo ἡμέρα ἐξ ἡμέρα, *die & die*, pro καθ' ἡμέραν, *in dies*. Id admonendum duxi, ne quis fallatur: tum ut intelligat lector, quàm facilè aberret in ſcripturis interpretandis, qui linguæ originalis ignarus, tantum ex aliis authoribus venatur, quid Græca Hebræa habeant.

Originalis linguæ notitia ſcripturarum interpreti quam neceſſaria.

Hominem *exteriorem* phraſi quadam ſua ac peculiari vocat Apoſtolus hominis corpus, vel uti pleniùs explicat Aquinas, corpus hominis *cum natura ſenſitiva*. Hominem verò *interiorem* appellat Spiritum, mentem, rationem, id eſt, animam rationalem cum potentiis ei propriis. Ad quem modum & alii tam Græci quàm Latini commentatores utrumque hominem interpretantur: & ante eos Tertull. *lib. de reſurr carn.* At paulò aliter Cajetan. qui interiorem, & exteriorem hominem cenſet unum eumdemque hominem eſſe *ſecundùm diverſas conditiones*. *Quilibet enim homo*, inquit, *ſecundùm conditiones animi vocatur internus homo*: *ſecundùm conditiones corporis externus*. Idipſum antè Cajetanum docuit Hugo Victorinus *quæſt.* 12. *hujus epiſtol.* Verùm S. Thomæ & aliorum explicationem magis eſſe ex mente Pauli, ſatis arguit locus huic ſimilis in epiſtola ad Roman. 8. *Si Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus vero vivit propter juſtificationem*. Vide etiam quæ de utroque homine diximus ad illud Roman. 7. *Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem*.

Eſt autem hæc hominis in exteriorem & interiorem hominem diſtinctio (quemadmodum & Hugo obſervat in quæſtione memorata) diverſa ab ea qua ſecundùm eumdem Apoſtolum homo diſtinguitur in veterem & novum: *ut Roman. 6. verſ. 6. Epheſ.* 4. *verſ.* 22. & 24. & *Col.* 3. *verſ.* 9. & 10. nam prior diſtinctio locum habet in omni homine, etiam Chriſto Domino jam immortali: poſterior autem non niſi in homine lapſo, & quadamtenus reparato. De qua poſteriori diſtinctione ſuis locis agendum eſt. Has verò duas hominis differentias ab Apoſtolo traditas confudiſſe videtur S. Ambroſius, dum in epiſt. 77. locum hunc ita refert: *Qui foris eſt noſter homo, corrumpitur ſecundum deſideria erroris*, videlicet errante memoria conjungens id quod de veteri homine dicitur *Epheſ.* 4. cum homine exteriori, cujus hîc fit mentio.

Non idem quod per hominem veterem & novum.

Senſus itaque loci præſentis eſt: Non deficimus animo; quin potiùs, etſi corpus hoc noſtrum ſenſitivum ac vegetabile, quod eſt homo noſter exterior, paulatim deficiat, &, ſive per afflictiones & plagas frequentes, quas pro Chriſto patimur, ſive etiam ex ſe ipſo propter immortalitatem peccato contractam, quotidie magis ac magis ad interitum vergat: animus tamen, ſeu ſpiritus, qui eſt homo noſter interior, per hanc ipſam corporis corruptionem patienter toleratam, in dies magis magiſque renovatur.

Nota, homo interior in piis renovatur exteriore deficiente.

Renovatur autem, ut benè S. Thomas exponit, à vetuſtate ignorantiæ & peccati ad novitatem

veritatis & justitiæ. Quamquam in hac vita novitatem perfectam non assequitur, sed demum in futura. Cæterùm imperitè, quemadmodum idem Doctor annotat, ex horum verborum occasione, quibusin uno homine duplex homo distinguitur, interior & exterior; docuit Tertull. animam rationalem habere figuram, sive, ut loquitur, effigiem & membra corporea, videlicet ad modum sui corporis: ut interior homo respondeat exteriori. Locus apud Tertull. est in *lib. de ani. cap. 9.* ubi inter alia sententiam hanc suam comprobat revelatione divina, quam sorori cuidam, id est, Christianæ mulieri per ecstasin inter Dominica solemnia factam fuisse commemorat: addens illi visam fuisse animam aerii lucidique coloris. Sed hunc tam stupidum errorem, recitatis etiam Tertull. verbis, doctè refellit August. *lib. 10. de Genesi ad lit. cap. 25. & 26.* Qua de re præterea consule Jacobi Pamelii ad dictum Tertulliani librum *annotationes*, & quæ scripsit ad *paradoxum 7. ejusdem authoris*, scilicet de anima corporea. Quibus locis rectè eam revelationem, utique falsam, ascribit furoribus Montanisticæ familiæ.

Error Tertulliani, animam habere membra corpora.

Revelatio falsa.

17. ID ENIM QUOD IN PRÆSENTI EST MOMENTANEUM ET LEVE TRIBULATIONIS NOSTRÆ. Græca sic habent: τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν. Id est. *Quod enim in præsenti leve afflictionis nostræ.* Aut breviùs & clariùs: *Præsens enim levitas afflictionis nostræ.* Nam adjectivum neutrum loco substantivi posuit Apostolus, ut & alibi, more Græcis atque etiam Latinis usitato. Significat autem τὸ παραυτίκα, quod ita præsens est ut citò transeat. Unde ἡπαραυτικὴ ἡδονὴ apud Demosthenem, id est, præsens ac momentanea voluptas.

Quid Apostolo momentaneum & leve.

Itaque putant quidam illa duo versionis nostræ *in præsenti* & *momentaneum* respondere uni voci παραυτίκα, sive ab eodem interprete scripta, sive à diversis. *Aliis* autem videtur hæc duo *momentaneum & leve* respondere eidem vocabulo ἐλαφρόν: in quo dum alij significationem æstimant ex etymo (dicitur enim ἀπὸ τῆς ἔλαφος, à cervo, notæ celeritatis animali) verterunt *momentaneum*, quod quasi momento transit.

Alii magis usum ejus attendentes verterunt *leve*, videlicet gravi oppositum. Sic enim Matth. 11. sumitur, ubi Latinè, *Et onus meum leve*, & hujus epist. c. 1. *Numquid levitate usus sum?* Nam & hîc antithesis postulat significari levitatem: ut cui pondus opponatur. Tertullian. tam *in Scorp. quàm in lib. de resur. carnis*, hanc partem ita legit: *Nam quod ad præsens est temporale & leve pressuræ nostræ.* Augustinus in enarr. Psalm. 93. ad hunc modum, *Etenim quod est ad præsens temporale & leve tribulationis nostræ.* Porrò textus Pelagij sine conjunctione legit, *momentaneum leve.*

SUPER MODUM IN SUBLIMITATE. Primasius legit, *in sublimitatem.* Quod vicinius est Græcæ lectioni quæ sic habet: καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν, id est, *secundùm excessum in excessum*: vel quomodo vertit Theophylacti interpres, *per excessum ad excessum.* Augustinus legit ac repetit, *juxta incredibilem modum, & incredibilem modum*, in expositione Psalmi 93. Tertullianus, *per supergressum insuper*, in Scorpiaco. Quidam vertit, *præter modum, supra modum.* Est autem ejusdem vocis excessum significantis geminatio, qua utuntur interdum Hebræi ad significandam vel copiam vel excellentiam quamdam immensam, ut Gen. 17. *Multiplicabo te plurimum plurimum*, ubi Hieronym. *multiplicabo te vehementer nimis*, & cap. 30. *Crevit vir valde valde.* Pro quo Hieronymus: *datus est homo ultra modum.* Tantùm illud hîc peculiare, quod præpositionem Paulus variat, nihil tamen diversum significans: quod & aliàs facit, ut capite præcedenti, *per gloriam & in gloria.* Potest igitur hoc quod dicit; ita reddi Latinè; *excellenter supra modum*; vel ut Erasmus, *mirè suprà modum.* Significare enim voluit Apostolus aliquid incomparabiliter majus & excellentius. Quod declarat verbis sequentibus.

Hebraica geminatio ejusdem vocis.

ÆTERNUM GLOIÆ PONDUS OPERATUR IN NOBIS. Græcè & Syriacè, *operatur nobis*, sine præpositione: ut & veteres habent concordantiæ, & exemplaria quædam mss. Sic etiam citant Tertull. *utroque loco priùs indicato* & Aug. in *enarr. Psal. 93.* ubi & disertè exponit, *operatur nobis.* Est autem *operatur*, Græcè κατεργάζεται, verbum diversum ab eo quod suprà *vers.* 12. passivè exponebamus. Hoc enim activæ significationis est, ac si dicatur, efficit, parit, procreat nobis. Tertullianus, *perficit nobis.*

Porrò totus hic versus, *Id enim quod in præsenti*, &c, rationem continet ejus quod dixerat, *non deficimus*: & contentionis rhetoricæ speciem habet, antithetis hinc inde positis. Sumpta est enim ratio à præmio collato cum labore & afflictione. Nam, inquit, hæc momentanea ac levis afflictio corporis, quam evangelij causa patimur, adfert ac parit nobis in futurum, gloriam sui comparatione inæstimabilem, utpote gloriæ pondus æternum. Igitur antitheta sunt momentaneum & æternum quæ ad tempus referuntur: ac rursum levitas & pondus, quæ ad magnitudinem.

Antitheta.

Unde satis intelligitur ponderis nomine significatam esse perfectionis ὑπερβολὴν, non autem extensionis seu durationis, uti vult Erasmus in annotationibus. Monstrat hic locus opera bona patientiæ, qua toleramus afflictiones, tametsi momentaneas ac leves, esse merita, quibus æterna ac præcellens gloria futuri sæculi pro mercede retribuenda sit. Illud enim *operatur*, causam efficientem denotat, ad quod genus reducitur causa meritoria: tamquam Apostolus dicat, Opus patientiæ nostræ procreat ex se fructum æternæ & immensæ gloriæ; nimirum merendo, & meriti ratione tandem assequendo. Nam licet inter hoc opus & illam mercedem nulla sit comparatio, quantum ad diuturnitatem & magnitudinem attinet: (Propter quod alibi negat idem Apostolus esse condignas hujus sæculi passiones *ad futuram gloriam*, Rom. 1.) Est tamen valore comparatio & æqualitas quædam; non ex natura quidem hujusmodi passionum, sed ex Dei voluntate, qui tantam mercedem bonis justorum operibus constituit, ac redditurum se promisit: quemadmodum ad memoratum locum epistolæ ad Romanos id à nobis explicatum est.

Obs. contra Sect. opera bona gloriæ æternæ esse meritoria.

Quæ comparatio bonorum operum nostrorũ ad mercedem viæ æternæ.

18. NON CONTEMPLANTIBUS NOBIS QUÆ VIDENTUR, SED QUÆ NON VIDENTUR. In Græco genitivi sunt absoluti σκοπούντων ἡμῶν, ne quis ablativos Latinos existimet regi ab *in* præcedente; vel dativos esse putet, referendos ad verbum *operatur.* Est autem σκοπεῖν propriè non contemplari, sed spectare ac velut in scopum intueri; (Tertull. *intuentibus* legit) quomodo qui operatur, respicit ad præmium, ut sensus sit: Dum non spectamus ad hæc præsentia bona, quæ videmus, ut sunt opes, honores, dignitates, & omnis gloria hujus sæculi: sed ad bona futura, quæ non videmus, sed credimus. Hinc liquet intuitu mercedis ac præmii cælestis operantem Christianum non modò non peccare, quod dicunt Hæretici; (quos Synodus Trid. condemnat *sess. 6. c. 11. & can. 13.*) sed Apostolorum exemplo rectè & laudabiliter agere. Loquitur enim adhuc Paulus ex persona ministrorum evangelij.

Obs. contra hæret. operantem intuitu mercedis æternæ non peccare, sed bene agere.

QUÆ ENIM VIDENTUR TEMPORALIA SUNT. Potiùs *temporaria*, ad tempus durantia, hoc est, quæ brevissimi sunt temporis. Id enim significat Græcum vocabulum πρόσκαιρα, quod idem legitur *Matth. 13. & Marc. 4.* de iis quos comparat Dominus semini germinanti, statimque exarescenti. Legimus & Hebr. 11. v. 25. πρόσκαιρον ἀπόλαυσιν, *temporariam jucunditatem.*

QUÆ AUTEM NON VIDENTUR, ÆTERNA SUNT. Quæ, inquit, non videntur, ſed creduntur à nobis, in æternum duratura ſunt; ideoque meritò hæc præ illis ſpectanda nobis ſunt & ſperanda. Nam de præmiis ſermo eſt: uti benè locum hunc explicat S. Th. 1. *quæſt. 65. art. 1. ad 1.*

CAPUT V.

SCimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in cælis. 2. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt ſuperindui cupientes: 3. ſi tamen veſtiti, non nudi inveniamur. 4. Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati: eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri; ut abſorbeatur quod mortale eſt, à vita 5. Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus ſpiritus. 6 Audentes igitur ſemper, ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino (7. per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) 8. audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. 9. Et ideò contendimus, ſive abſentes, ſive præſentes, placere illi. 10. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum ſive malum. 11. Scientes ergo timorem Domini, hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem & in conſcientiis veſtris manifeſtos nos eſſe. 12. Non iterùm commendamus nos vobis: ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde. 13. Sive enim mente excedimus, Deo: ſive ſobrii ſumus, vobis. 14. Charitas enim Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: 15. Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut, & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. 16. Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem. Et ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum; ſed nunc jam non novimus. 17. Si qua ergo in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia nova. 18. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum: & dedit nobis miniſterium reconciliationis 19. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. 20. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. 21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.

Apoc. 16. a. 13.

Rom. 14. b. 10

Iſa. 43. c. 19. Apoc. 21. b. 9.

SUMMARIUM.

SPe gloriæ futuræ volunt evangelici miniſtri (quando aliter id fieri non poteſt) à corpore peregrinari, ut Chriſto Domino præſentes ſint. Cui interim, ut omnium judici, placere ſtudent, non ſibi viventes, ſed illi qui pro omnibus mortuus eſt, & reſurrexit: ac legatione pro eo fungentes apud homines, ut per eum Deo reconcilientur.

SCIMUS ENIM, QUONIAM SI TERRESTRIS DOMUS NOSTRA HUJUS HABITATIONIS DISSOLVATUR. Magnitudinem præmii miniſtris evangelicis in futurum reſervati, de quo locutus fuerat in genere, nunc ſpeciatim explicat, tam quod ad corpus attinet, quàm quod ad animam. Græcè ſic eſt: *Novimus enim, quod ſi terreſtris noſtra domus* ſeu *domicilium* (οἰκία) *tabernaculi diſſolutum fuerit.* Tertull. quoque legit, *hujus tabernaculi*, lib. de reſurr. carnis cap. 41. Quidam in verbis Apoſtoli putant eſſe hypallagen, pro eo quod diceret; *quod ſi terreſtris domus noſtræ tabernaculum fuerit diſſolutum.* Simpliciùs obliquum *tabernaculi* per rectum exponemus: ut ſenſus ſit appoſitivus; terreſtris domus noſtra quæ eſt tabernaculum. Quippe tabernaculum opponit ædificio, de quo parte ſequenti.

QUOD ÆDIFICATIONEM EX DEO HABEMUS DOMUM NON MANU-FACTAM, ÆTERNAM IN CÆLIS. *Quod* redundat. Jam enim dictum erat *quoniam* ſeu *quòd*: Nec repetitur in Græco. Pro ædificatione commodius erat *ædificium*. Non enim actum ædificandi ſignificare voluit Apoſtolus, ſed opus ædificatum & conſtructum, id eſt, habitaculum: Idque vox Græca ſignat οἰκοδομὴ; ſenſus autem totius verſus eſt: Certa fide perſuaſi ſumus nos miniſtri novæ legis, quod poſteaquam domus noſtra terreſtris hujus tabernaculi diſſoluta ſeu deſtructa fuerit; id eſt, corpus hoc noſtrum, in quo velut in tabernaculo moramur ad tempus ſuper terram, morte fuerit diſſolutum, habituri ſimus ædificium in cælis, à Deo nobis præparatum, domicilium, inquam, non manu-factum (Græcè ἀχειροποίητον) id eſt, factum non opere humano, qualia ſunt quæ ſibi manibus ſuis ad exiguum tempus duratura conſtruunt homines in terris: ut illis meritò comparentur corpora noſtra mortalia, tamquam & ipſa ſint manu-facta: ſed opere divino, ſupra omnem naturæ facultatem; corpus videlicet glorioſum, immortale, æternum.

Corpus immortale domicilium à Deo æternũ, cæleſte.

In Apoſtoli verbis primùm obſerva, *ſi*, poſitum loco adverbii poſtquam: niſi quis malit Apoſtolum dubitanter locutum fuiſſe de corporis diſſolutione, propter eos qui vivi in adventu Domini reperientur; quos abſque diſſolutione corporis & ſomno mortis ad immortalitatem immutandos eſſe ſignificare voluerit; ſecundùm ea quæ tradit 1. *Cor.* 15. & 1. *Theſſ.* 4. Quocirca Cajetanus ex hoc etiam loco confirmari putat opinionem quæ negat eos morituros (ſaltem loquendo de electis) quos adventus domini vivos inveniet. Vocatur autem corpus noſtrum, domus noſtra; quia ſecundùm animam nos in eo habitamus. Eſt enim corpus animæ quodammodo domicilium.

Corpus animæ domicilium.

Porrò corpus hoc mortale vocatur domus terreſtris, non tam idcircò quod in terram reſolvi poſſit aut debeat, quàm quia ſuper terram inhabitatur: ſicut immortale corpus domus erit cæleſtis, quia in cælo poſſidebitur. Nam Græcè non eſt, χοϊκὴ, id eſt, terrena, terrea, ex terra conſtans ut 1. Cor. 15. *Primus homo de terra, terrenus*; item, *qualis terrenus tales & terreni*: ſed ἐπίγειος *terreſtris*, id eſt, quæ in terra ſive ſuper terram eſt. Quamquam ex eo quod ſit ſuper terram, ſimul ipſa corruptibilitas ejus intelligitur: quandoquidem omnia terreſtria corruptibilia ſunt.

Cur dicatur domus terreſtris aut cæleſtis.

Idem corpus hîc & paulò poſteriùs appellatur tabernaculum; quo ſignificetur haud diu duraturum; more tabernaculorum, quæ in paucos dies parari ſolent. Quam tabernaculi metaphoram attendit & Petrus 2. epiſt. 1. dicens: *Certus ſum quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei.* Jam vero poſteriorem ſententiæ partem ad eum modum quo nos expoſuimus, id eſt, de corpore glorioſo, multi ac ferè omnes interpretes exponunt, tam Latini quàm Græci. Cajetano etiam aſſentiente qui in eo ſenſu declarando multus eſt. Eumdem perſpicuè tradit Tertull. loco priùs citato, dicens hîc nobis *repromitti meliorem domum per reſurrectionem.* Nec diſſentit Auguſt. quum in enarratione Pſal. 68. *domum non manufactam, æternam, in cælis*, de qua loquitur Apoſtolus, exponit *immortalitatem præparatam nobis qua induendi ſumus in fine, cum reſurrexerimus à mortuis.* Quem locum Beda quoque in ſua collectanea retulit.

Cur tabernaculũ vocetur corpus noſtrum.

Sed nec ab horum ſententia longè recedit Macarius Ægyptius, qui homil. 5. tractans hanc ſcripturam, per domum non manufactam intelligit virtutem ſancti Spiritus, per quam in die reſurrectionis glorificabitur domus corporis noſtri; quemadmodum ait Apoſtolus: *qui ſuſcitavit Chriſtum à mortuis vivificabit & mortalia corpora veſtra per ſpiritum ſuum habitantem in vobis.* Rom. 8.

Sunt tamen nonnulli, ut inter Græcos Photius,

cujus ab Oecumenio verba referuntur, & inter Latinos Hervæus, aliam hunc adferentes expositionem, qua domum æternam & cælestem non corpus glorioſum, ſed æternam beatitudinem interpretantur: de qua Dominus ait Joannis 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Movet eos inter alia quod non dicat Apoſtolus, habebimus, ſed *habemus*, ſcilicet continuò poſt hujus terreni domicilii diſſolutionem. Nam de corpore immortali quod poſt tam longum tempus exſpectatur, non ſatis aptè dictum videretur, *habemus*, verbo præſentis temporis.

Pro hac expoſitione, rejecta priore, quam habet utraque gloſſa, præ cæteris certat S. Thomas, cùm *in commentario*, tum *in opuſculo* quod ſcripſit contra Græcos, Armenos & Saracenos *cap. 9.* probare volens ex hoc loco ſic intellecto, Sanctorum animas ante corporum reſurrectionem frui gloria ac beatitudine cæleſti: quamquam id ex *ſequentibus verſibus 6. 7. & 8.* benè probatur; ut illic oſtendemus. Præcipuum ejus argumentum eſt ex intentione Pauli quam eſſe dicit ut oſtendat, Sanctos rationabiliter ſuſtinere tribulationes quibus vita præſens corrumpitur, quia per hoc ſtatim perveniunt ad gloriam cæleſtem. Quod de corpore glorioſo conſtat non eſſe verum. Sanctum Thomam hac in re ſequuntur Liranus & Carthuſianus, etſi minori cum aſſeveratione. Siquidem & Hervæus ſecundo loco profert expoſitionem de corpore glorioſo: neque ſignificat utram cenſeat meliorem. Certè iſtorum argumenta qui beatitudinem animarum ſignificari putant, haud convincunt.

Refellitur ea expoſitio.

Quod enim ad ſcopum attinet Apoſtoli, ſatis ex præcedentibus liquet, eum de gloria futura miniſtrorum novæ legis diſſerere in genere: ſive ea ad corpus, ſive ad animam pertineat; & ſive ſtatim a morte ad eam perveniatur, ſive multo pòſt. Nam & reſurrectionis corporum paulò antè meminit apertè, dicens: *Scientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit.* Nec movere debet verbum præſentis temporis *habemus*: nam de eo quod certò nos habituros novimus, non ineptè dicimus id nos habere; quomodo Joan. 3. Baptiſta dixit; *Qui credit in filium, habet vitam æternam*, & ipſe Dominus de ſe, Joan. 5. *Qui verbum meum audit, habet vitam æternam*, & cap. 6. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Et iterùm: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.*

Uſus verbi præteriti temporis pro futuro.

Ita pronunciat idem Joannes in 1. ſua epiſt. cap. 5. dicens: *Vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Nec inſuetus eſt etiam vulgo hujuſmodi ſermo, præſertim ſi ſubintelligas repoſitum, reſervatum, aut quid ſimile; quod hoc loco commodè poteſt intelligi, propter illud quod ſequitur, *in cælis*; illuc enim verbum *habemus* referendum eſt. Ita Petrus 1. epiſt. 1. dixit *hæreditatem incorruptibilem* nobis *conſervatam in cælis*; loquens de reſurrectione corporum in noviſſimo tempore futura: cujus ſpem aſtruit ex reſurrectione Chriſti.

Nec verò novum eſt Apoſtolum Paulum de reſurrectione futura loquentem, uti præſentis temporis verbo: nam & in priore epiſt. c. 15. de corpore quod per mortem ſeminatur, ſecundum Græcam lectionem ſic ait: *Reſurgit in gloria*; *reſurgit in virtute*; *reſurgit corpus ſpirituale.* Ac ſanè præſens hic locus diligenter expenſus, valde congruit cum iis quæ in priore epiſtola de reſurrectione corporum dicta ſunt. Ut enim illic homini terreno opponitur homo cæleſtis; ita hîc terreſtri domui domus cæleſtis: Et quemadmodum illic corruptio opponitur incorruptioni; ita hîc diſſolutio ſive deſtructio æternitati; Rurſum ut illic indumenti mentio fit cum dicitur, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*: ita & hîc ſtatim poſt, cum dicitur, *Superindui cupientes*; & iterùm, *Nolumus*

Cõfertur hic locus cum eo qui eſt 1. Cor. 15.

expoliari ſed ſuperveſtiri. Denique ſicut illic *mors* ſecundum prophetiam *abſorbenda* dicitur *in victoria*: ita dicitur hoc loco; *ut abſorbeatur quod mortale eſt, à vita.*

Quibus omnibus accedit, quod Apoſtolus in Epiſtola ad Hebr. cap. 9. Chriſti corpus quod divina virtute formatum eſt in utero virginis, vocat tabernaculum non manufactum, de quo etiam ipſe dixerat; *ſolvite templum hoc: & in tribus diebus excitabo illud*, Joan. 2. Quare & hoc loco per domum non manufactam, quæ nobis ad ſimilitudinem Chriſti promittitur, nihil convenientiùs accipitur, quàm corpus reſurrectione glorificandum. Per hæc igitur non ſolùm refelli videtur eorum commentarius, qui domum non manufactam æternam, quam in cælis habituri ſumus, intelligi volunt beatitudinem cæleſtem; verùm etiam majorem in modum ſtabiliri communis patrum intellectus, exponentium hæc Apoſtoli verba de corpore glorioſo & immortali, quale futurum per reſurrectionem exſpectamus.

Argumentũ à gemitu Sanctorum.

2. NAM ET IN HOC INGEMISCIMUS, HABITATIONEM NOSTRAM QUÆ DE CÆLO EST, SUPERINDUI CUPIENTES. Probat gemitu & deſiderio ſanctorum, certò futurum ut terreſtri domo hac diſſoluta, domum æternam aliquando ſint habituri in cælis. Valet probatio ſecundùm S. Thomam: quia ſi deſiderium naturæ non eſt inane, multò minùs deſiderium gratiæ, quale eſt iſtud de quo loquitur Apoſtolus, inane eſt & ſine effectu. Quamquam non eſt neceſſe per hujuſmodi axioma connectere partem hanc cum ſuperiori; quum non aliud Apoſtolus velle videatur, quàm alterum eſſe cauſam alterius, ex quo velut effectu & ſigno probetur, uti ſtatim a nobis explicabitur. In Græco pro habitatione, *domicilium* eſt οἰκητήριον, non ut ſuprà σκῆνος tabernaculum. Amb. legit *habitaculo noſtro, quod*, &c. Sed & illud *in hoc*, Græcè non eſt εἰς τοῦτο, *ad hoc*, in eum finem; quomodo dicitur Rom. 4. *In hoc Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit; ut & mortuorum & vivorum dominetur*, & 1. Joan. 3. *In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli*: ſed ἐν τούτῳ, *in hoc*, auferendi caſu, qui Græco dativo reſpondeat. Quem nonnulli referunt ad tabernaculum; quaſi dicat Apoſtolus, ſe in hoc tabernaculo, id eſt, in mortali corpore ingemiſcere; ſentiatque cauſam ſui gemitus eſſe corporis hujus miſeriam.

Cauſa gemitus Sanctorum.

At alii probabiliùs ita exponunt, *In hoc*, id eſt, propter hoc quod dictum eſt: nempe ita demum nos habituros ædificium ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis, ſi priùs domus noſtra hujus tabernaculi diſſoluta fuerit: ut ſenſus ſit; Atque ea res quam dixi, nobis eſt cauſa gemendi & ſuſpirandi: ut qui habitaculo cæleſti, id eſt, immortali corpore, cupiamus ſuperindui: non depoſito tabernaculo corporis hujus per mortem, ſed abſque mortis interventu immortalitate donando. Sic enim quodammodo ſuperindui nos contingeret, veſte immortalitatis accedente ad veſtem corporis.

Hinc ergo jam patet ratio, cur illud ſuperius ſit Sanctis cauſa gemitus ac ſuſpirii: quia nimirum ardua res eſt ac dura, domum cæleſtem aſſequi non poſſe, niſi domo terrena priùs per mortem diſſoluta: repugnante videlicet deſiderio noſtro naturali, quo ſine morte vellemus ad illud bonum pertingere. Quod deſiderium ſignificatur Græca voce ἐπιποθοῦντες, *deſiderantes*. Ita præter alios intellexit hunc locum Auguſtinus *lib. 1. de baptiſmo parvul. cap. 2.* ubi etiam docet, deſiderium illud in Adamo, ſi non peccaſſet, complendum fuiſſe; ſic ut corpus animale quod geſtabat, & in quo creatus fuerat, abſque morte media commutaretur in corpus ſpirituale & incorruptibile.

Deſiderium naturale.

Porrò corpus immortale vocat Apoſtolus habitaculum quod de cælo eſt, eodem ſenſu quo

Corpus immortale.

habitaculum de cælo.

proximè vocavit ædificium quod ex Deo habemus; eo nempe quia ſola divina virtute nobis conſtruetur. Sunt qui habitaculum quod de cælo eſt, interpretentur glorioſum corpus ipſius Chriſti, de quo 1. Corinth. 15. *Secundus homo, de cælo cæleſtis.* Nam & Chriſtum à nobis indui, phraſis eſt Apoſtolica, *Rom.* 13. & *Gal.* 3. Verùm prior intellectus accommodatior eſt contextui loci præſentis.

3. SI TAMEN VESTITI, NON NUDI INVENIAMUR. *Veſtiti*, Græcè ἐνδυσάμενοι, *induti*, ut legit Auguſtinus. Indicat *in ſuo commentario* Chryſoſtomus & ex eo Oecumen. codices hoc loco variare, quoſdam enim legere ἐνδυσάμενοι, induti; alios unius literulæ diſcrimine, ἐκδυσάμενοι, exuti. Quo ſanè poſteriore modo legiſſe Macarium quem ſuprà citavi, declarant hæc ejus verba: *Contendamus hîc per fidem & ſtudioſam vitæ converſationem comparare nobis indumentum illud: ne corpore exuti, nudi reperiamur, nec ſit quod glorificet in die illa carnem noſtram.* De Latinis quoque codicibus admonet commentator Ambroſ. alios pro *induti*, legere expoliati. Quæ lectio apud Tertull. eſt libro 5. contra Marc. cap. 12. *Siquidem deſpoliati, non inveniamur nudi*, & libr. de reſurr. carnis, cap. 4. & 42. *Siquidem exuti, non nudi inveniamur.* Quæ lectione S. Pauli num etiam uſum fuiſſe, liquet ex his ejus verbis, epiſt. ad Severum: *ſi diſpoliatus à corpore, non inveniaris nudus ab opere.* Ex quo I eo ſcholion ſuum deſumpſiſſe videtur Primaſius, ejuſdem lectionis conſors: *Si tamen*, inquit, *exſpoliati corpore, non nudi inveniamur ab opere.* In quem ſenſum Ambroſian. quoque eam lectionem pluribus exponit. Eamdem ſequitur Eraſmus in *ſua paraphraſi*: ſenſumque tradit conſimilem; licet in verſione ſcripſerit, *induti.*

Varia lectio Græca.

Quæ quidem, ut eſt pervulgata lectio tam Græcorum codicum, quàm Latinorum, ſuffragante etiam Syro interprete: ſic & ſincerior eſſe videtur. Nam illud, *ſi tamen exuti*, ſive exſpoliati, non reſpondet ei quod dictum eſt, *ſuperindui cupientes*: ſed magis repugnat. Porrò ſenſum ejus vulgatæ lectionis, gloſſa quæ dicitur interlinealis, ſuppeditat hujuſmodi: Quod tamen non alia conditione ſperare licet, ſcilicet habitaculo cæleſti ſuperindui: quàm ſi virtutum ac bonorum operum ornamentis induti, non autem nudi in die adventus Domini reperiamur. De quo nimirum indumenti genere Paulus alibi præcipit dicens: *Induite vos ſicut electi Dei, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem*, &c. Col. 3. De quo & Joan. Apoc. 16. *Beatus qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* Hunc enim ſcripturæ locum multi codices annotatum habent ad marginem.

Veræ lectionis varii ſenſus.

Verùm commentarius iſte, quamvis eum plures Latini ſequantur, neque contextui inhæret, neque ſervit intentioni Paulinæ: quemadmodum rectè cenſet S. Thom. Eſt enim omnibus electis commune tali modo veſtitos & non nudos inveniri; Superindui verò vel nullorum eſt vel paucorum. Deinde cum differat hæc Apoſtolus in perſona bonorum & fidelium miniſtrorum novæ legis; non admodum congruere videtur huic loco interpoſita conditio, *ſi tamen*, &c. quod illa jam dudum in ſuperioribus ſuppoſita fuerit.

Latinorum commentarius.

Æquè refellitur expoſitio Græcorum, quæ talis eſt: Si modò poſtquam induti fuerimus corpore per reſurrectionem, non nudi inveniamur à gloria: Reſurrectio namque communis erit omnibus; at gloria juſtis propria. Refellitur, inquam, iiſdem rationibus; quas facile eſt applicare. Deinde, principium petit Apoſtolus ſecundùm hanc expoſitionem. Dicit enim fore ut ſuperinduamur corpore glorioſo, ſi in reſurrectione non inveniamur nudi à gloria. Qui ſermo battalogus eſt. Ipſe S. Thomas, & eum ſecutus Liranus, hunc faciunt ſenſum: *Superindui cupientes*; Quod quidem nobis contingeret, ſi veſtiti corpore & non nudi inveniremur in adventu Domini.

Expoſitio Græcorum.

Expoſitio S. Thomæ.

Sed quoniam, inquiunt, hoc fieri non poteſt (oportet enim animam priùs exui tabernaculo terreno, quàm induatur habitaculo cæleſti:) idcircò gemimus; deſiderio naturæ quo nolumus mori, retardante deſiderium gloriæ. At Apoſtolus non dixit, *inveniremur*, ſed inveniamur, vel ut in Græco eſt, εὑρεθησόμεθα, *invenimur.* Quod non videtur dictum de re impoſſibili, ſed de ea quæ fieri poſſit, & in quibuſdam futura ſit. Proinde Cajetanus hunc commentarium corrigens dicit Apoſtolum idcircò loqui conditionatè, *Si tamen veſtiti non nudi inveniamur*, quia revera quidam veſtiti invenientur, alii verò nudi. Nam electi qui ſuperſtites erunt in adventu Domini, reperientur veſtiti corpore: Qui verò ante illud tempus ex hac vita migraverint, invenientur corpore nudati. Quo fiet ut hi quidem induantur corpore per reſurrectionem ſimul accedente indumento gloriæ: illi verò tantùm ſuperinduantur gloria, utpote non nudi inventi, ſed adhuc corpore veſtiti, nec eo ſpoliandi. Igitur ſecundùm Cajetanum contextus & ſenſus hujuſmodi eſt: *ſuperindui cupientes*: Idque adeo de re ipſa nobis continget, ſi in die Domini veſtiti corpore, non autem nudi reperti fuerimus: id eſt, ſi tunc reſidui futuri ſumus, & nondum mortui.

Cajetani commentarius cæteris probabilior.

Hîc ſenſus ſimplex & perſpicuus eſt, idemque probè conſentiens cum aliis duobus locis, quibus de reſurrectione mortuorum & adventu Domini diſſerit Apoſtolus, ſcilicet 1. *Cor.* 15. & 1. *Theſſ.* 4. Tertull. *lib. de reſurrect. carnis*, etſi non legit, *induti*, ſed *exuti*; tamen his verbis Apoſtoli verba proſequitur: *Id eſt, antè volumus ſuperinduere virtutem cæleſtem æternitatis, quàm carne exuamur. Hujus enim gratia privilegium illos manet, qui ab adventu Domini deprehendentur in carne, & propter duritias temporum Antichriſti, merebuntur compendio mortis per demutationem expunctæ, concurrere cum reſurgentibus.* Sic ille, pro confirmatione ſubjungens duo Pauli loca quæ jam citavimus.

Utrum reſidui in adventu Domini ſunt morituri.

Sed tamen utrum ex hoc *comment. præſentis loci* conſequens ſit eos qui reſidui erunt in adventu Domini, ſine morte tranſituros ad gloriam, juxta Tertulliani & Græcorum opinionem, cui Cajetanus accedit; non planè conſtat. Poſſet enim reſponderi, ex Apoſtoli mente eos non cenſeri corporibus ſuis exuendos, nudoſque futuros, quorum mors adeò brevis erit, ut neque ſomno mortis occupentur, neque corporum reſolutionem patiantur: utpote continuò redituri ad vitam; ſecundùm ea quæ diximus ad illum locum 1. Cor. 15. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.*

4. NAM ET QUI SUMUS IN HOC TABERNACULO, INGEMISCIMUS GRAVATI. Græcè, καὶ γὰρ οἱ ὄντες, ἐν τῷ σκήνει, &c. Ad verbum: *Etenim exiſtentes in tabernaculo*; vel, *dum ſumus in tabernaculo*; vel ut Theophylacti interpres *quum ſimus.* Priori modo participium reddidit ipſe noſter interpres paulò pòſt: *dum ſumus in corpore. Tabernaculi nomine corpus hoc mortale denotat: in quo velut in tabernaculo ad tempus moramur, expectantes domum non manufactam, æternam, in cælis, uti ſuprà dixit.*

Tabernaculum corpus hoc mortale.

EO QUOD NOLUMUS EXSPOLIARI, SED SUPERVESTIRI. *Eò quòd*, Græcè ἐπειδὴ, *quandoquidem*, ut habent codices Græci quæ nunc ſunt in manibus. Nam veteres, quibus etiam vult editio Complutenſis, legerunt ἐφ' ᾧ, *in quo.* Quod & Latinè legitur apud Hilarium *in enarr. Pſal.* 64. & apud Auguſt. *lib.* 1. *de bapt. parv. c.* 2. Cæterùm Oecumen. ἐφ' ᾧ per ἐπειδὴ diſertè exponit. Pro verbis *exſpoliari*, *ſuperveſtiri*, aptiora ſunt *exui*, *ſuperindui*, ut habet textus Ambroſ. & legit Tertull. Repetit autem Apoſtolus eadem aliis verbis; ſimul adjiciens modum ſuperindutionis à ſanctis deſideratæ, cùm ait.

UT ABSORBEATUR QUOD MORTALE EST, A VITA. *Quod mortale eſt*, Græcè τὸ θνητὸν, id eſt, *mortale*: quod & verti poteſt *mortalitas*, ut reſpondeat vitæ: quomodo vertit Eraſmus. Hæc pars apud Irenæum ſic legitur: *Ut abſorbeatur mortale ab immortalitate*, lib. 4. cap. 70. & 75. Quamquam rurſus *lib. 3. cap. 13.* legit, *à vita*. Porrò totius periodi ſenſum hunc reddere poſſumus; Etenim nos Evangelicæ legis miniſtri, quamdiu verſamur ac degimus in hoc tabernaculo mortalis & caduci corporis, dolemus ac gemimus, hac corruptibili carne velut onere depreſſi; ſuſpirantes ad incorruptionem: non quod velimus exui corpore & eo carere: (id enim refugit naturalis voluntas) ſed quia volumus ſuperindui immortalitatem corpori; nec ita tamen ut mortale corpus idem ſit immortale; ſed ut à vita incorruptibili mortalitas corporis abſorbeatur, ſicque corpus ex mortali reddatur immortale. Breviſſimè Tertullianus illud, *nolentes exui, ſed ſuperindui*, ſic exponit, *nolentes mortem experiri, ſed vita præveniri*, lib. 5. contra Marcion. cap. 12.

Quid mortale abſorberi à vita.

Adducit hunc eumdem Pauli locum Hieron. in epiſt. ad Marcellam, quo doceat futurum, *ut qualia corpora mortuorum reſurrectura ſint, in talem ſubſtantiam etiam vivorum corpora transformentur*. Recitatis enim verbis Apoſtoli quibus ait: *Nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur mortale hoc à vita*, ſubjungit: *ne ſcilicet corpus ab anima deſeratur, ſed anima habitante in corpore, fiat inclytum quod antè inglorium fuit*. Cæterùm abſorptionis vocabulo in re propoſita ſignificare voluit Apoſtolus perfectam abolitionem mortalitatis & corruptionis; ſicut & in priore epiſt. cap. 15. citans illud Prophetæ teſtimonium, *Abſorpta eſt mors in victoria*. Quò ſanè videtur etiam hoc loco alluſiſſe.

Abſorptio quid hoc loco ſignificet.

Admonent Græci, locum hunc facere contra veteres hæreticos, qui negaverunt idem numero corpus reſurrecturum. Si enim Sancti nolunt exui corporibus ſuis, ſed eadem retinere volunt ex mortalibus immortalia facta, conſequens eſt non aliorum, ſed eorumdem corporum expectandam eſſe reſurrectionem: quando nec reſurrectio verè dici poteſt, ubi non reſurgit idem quod cecidit. Valet etiam hic locus adverſus Origeniſtas, qui docuerunt animas in hæc corpora contra naturam detrudi, velut in carceres. Jam quomodo cum eo quod dicit Apoſtolus, *nolumus exſpoliari*, non pugnet illud ejuſdem ad Philip. 1. *Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto*; adeoque quòd hîc paulò pòſt dicit, *bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore*: &c. ſuis locis declarabitur.

Idem numero corpus reſurrecturum, hinc oſtenditur.

Origenis error animam, eſſe in corpore ut in carcere.

5. QUI AUTEM EFFICIT NOS IN HOC IPSUM, DEUS. Subaudi *eſt*. In Græco participium eſt aoriſtum ὁ κατεργασάμενος, *qui effecit*, ut in nonnullis Latinis legitur. Bedæ textus habet, *qui operatus eſt nos*. Sedulii, *qui perfecit*, licet apud Ambroſ. tam in textu quàm in commentario legatur præſentis temporis verbum *perficit*. Significat autem vox Græca perficere, parare, & formare. Sed huic loco magis convenit parare & formare. Nam *ſenſus eſt*: Qui nos Evangelii miniſtros paravit atque formavit, & quotidie parat aptoſque reddit ad hoc ipſum, id eſt, ad induendum vel ſuperinduendum domicilium cæleſte, Deus eſt. Hoc dicit, ne quid ſibi tribuere videantur ii quorum in perſona loquitur: ſed ut tales eſſe doceat, qui omne meritum ſui miniſterii, quo ad immortalitatem aptantur, aſſcribant virtuti & gratiæ Dei. Quod in nonnullis codicibus Græcis, quorum unum Rob. Stephanus annotavit, additur, ὁ χρίσας ἡμᾶς, *quique unxit nos*, huc ingeſtum eſt ex *cap. 1. hujus epiſt. verſ. 21.* Sequitur ratio cur illud ipſum ad quod aptantur ac formantur, certò ſperare debeant.

Omne meritum immortalitatis, gratiæ Dei aſſcribendum.

QUI DEDIT NOBIS PIGNUS SPIRITUS. Græcè, *Qui & dedit nobis arrham ſpiritus. Arrahabonem* legit Tertullianus. Textus Ambroſiani lectio eſt. *Qui etiam dedit nobis pignus ſpiritum*. Videtur & Primaſius, *ſpiritum* non *ſpiritus* legiſſe. Sed ea lectio quædam expoſitio noſtræ lectionis eſt. Exponit enim tranſitivum per intranſitivum. Nam ipſe Spiritus ſanctus, cujus multa dona magna & manifeſta jam accepimus, ait Apoſtolus, eſt pignus, id eſt, arrha futuræ gloriæ, nobis data à Deo; ut de gloria immortalitatis adipiſcenda non dubitemus, imò certiſſimi ſimus, ſi arrham ſuo tempore repræſentamus. Eumdem ſpiritum vocavit pignus datum in cordibus, *ſuprà cap. 1.*

Quid pignus ſive arrha ſpiritus.

6. AUDENTES IGITUR SEMPER, ET SCIENTES QUONIAM DUM SUMUS IN CORPORE, PEREGRINAMUR A DOMINO. Quia dicere quis poterat; Illa gloria corporis de qua hactenus, non ſtatim habetur à morte, ſed fortaſſis erit in longum expectanda dum veniat Dominus: ideò ſubjungit de gloria animæ, quam Evangelicos miniſtros continuò poſt mortem accepturos eſſe declarat. *Audentes*, Græcè θαῤῥοῦντες, *confidentes*. Tertullian. *confiſi*. Ambroſ. *fidentes*. *Dum ſumus*, Græcè ἐνδημοῦντες, *domi agentes*, Ambroſ. *inhabitantes*: quod noſter infrà vertit, *præſentes*: Opponit enim Apoſtolus hæc duo, ἐνδημεῖν, domi agere, & ἐκδημεῖν, peregrinari, foris agere: quæ pari gratia paronomaſiæ Latinè reddi non poſſunt. Eraſmus participia pro verbis poſita interpretatur, hoc modo: *Ita bono animo ſumus ſemper; & ſcimus quod cum domi ſumus in corpore, peregrinamur à Domino*.

Verùm ex conſuetudine ſermonis Apoſtolici magis apparet ſententiam inabſolutam & ſuſpenſam eſſe, quàm poſt pauculorum verborum paretheſim compleat, ibi: *audemus autem*, &c. reſumpto verbo cujus participium præmiſerat. Quamquam, ut lux accedat orationi, participia per verba commodè explicantur, ad hunc modum: Itaque certe ſpe futuræ gloriæ ſubnixi, ſemper bono ac fidenti animo ſumus: non interim ignari quòd quamdiu degimus, & quaſi domi ſumus in hoc mortalis corporis habitaculo, peregrinamur & abſentes ſumus à Chriſto Domino; cui cupimus eſſe præſentes. Dominum Chriſtum interpretor hîc, & in eo quod ſtatim ſequitur, *& præſentes eſſe ad Dominum*; tum quia familiare eſt Apoſtolo, Chriſtum dicere Dominum; tùm verò, quia futuram beatitudinem alibi quoque denotat hujuſmodi ſermone, eſſe cùm Chriſto: ut Philip. 1. *Deſiderium habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, & 1. Theſſal. 4 *Et ſic ſemper cum Domino erimus*. Ubi Chriſtum intelligi oportere, loci contextus palàm exigit. Sed & ipſe Dominus ad latronem, Luc. 23. *Hodie*, inquit, *mecum eris in Paradiſo*. Unde & Apocal. 14. omnes beati deſcribuntur *ſequentes agnum quocumque ierit*: & cap. 20. *regnare* dicuntur *cum Chriſto*.

Dum ſumus in hoc corpore peregrinamur à Domino.

7. (PER FIDEM ENIM AMBULAMUS, ET NON PER SPECIEM.) Voculam *&* Græca non habent: ut neque textus Ambroſ. Eſt autem imperfecta ſententia. Non enim ambulatur per ſpeciem; nam vita futura non via eſt per quam ambuletur, ſed terminus in quo ſtetur. Supplendum igitur; non per ſpeciem ſtamus, cognoſcimus aut videmus, aut quid ſimile. Eſt quidem ubi ambulandi metaphora etiam beatis attribuitur, ut Apocal. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt*. Sed infrequens eſt hujuſmodi locutio; nec ambulare dicuntur beati, niſi adjuncto aliquo quod tropo gratiam addat: quale eſt, in albis veſtibus. Alioquin uſitatum eſt ut ambulare tribuatur iis quos Theologi viatores vocant.

Ambulare viatorum eſt.

An etiam beatis competat.

Explicat autem Apoſtolus abſentiam, de qua dixit, *peregrinamur à Domino*. Per fidem enim, inquit, ambulamus, dum in hoc corpore mortali ſumus; hoc eſt, fide duce ac prævia tendimus ad cæleſtem

patriam ; nec adhuc ad ſpeciem pertigimus ; ſive, nec-
dum per ſpeciem videmus, id eſt, *facie ad faciem* ; ſi-
Videre per ſpeciem & videre facie ad faciem, eadem ſunt. cut in *priore epiſt.* locutus eſt, *cap.* 13. Quod enim vi-
dere per ſpeciem, & videre facie ad faciem, eadem
ſint Apoſtolo ; liquet ex eo quod fidei, tamquam im-
perfectæ & ænigmaticæ viſioni, utrumque opponat ;
hoc quidem loco, id quod eſt *per ſpeciem* ; in priore
autem epiſtola, *videre facie ad faciem.*

Quid videre Deum per ſpeciem. Itaque per ſpeciem videre Deum, eſt ipſam ſpeciem,
hoc eſt (ut benè Cajetanus exponit) ipſam *naturam*
& propriam pulchritudinem Dei intueri, ſpecies enim
veritatem, id eſt, rem ipſam, ſeu rei naturam, hîc ſi-
gnificat : quemadmodum & imago *Hebr.* 10. in illis
verbis : *non ipſam imaginem rerum.* Hinc apud dia-
lecticos ſpecies, Græcè εἶδος, pro natura rei propria,
quam ſpecificam vocant, uſurpatur. Et quidem hanc
ſpeciei ſignificationem attendit, qui vertit : *In fide*
verſamur, non in ipſa re.

Domino præſentes vident per ſpeciem. Porrò ſi per fidem ambulantes peregrinamur à Do-
mino, igitur Domino præſentes videmus per ſpeciem
ſive per eſſentiam. Non quod, ut multi putant, Do-
mino præſentem eſſe ſit idem quod Deum per eſſen-
tiam videre : ſed quia præſentiam illam hoc bonum co-
mitatur. Non enim dicuntur eſſe cum Chriſto, niſi
qui participes ſunt bonorum Chriſti hominis ; quo-
rum præcipuum eſt Deum videre. Atque hoc nimirum
eſt, quod ait Dominus, Joan. 17. *Pater, quos dedi-*
ſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum. Sequi-
tur enim, *ut videant claritatem meam quam dediſti*
mihi. Quibus utique verbis precatur ſuis fidelibus
gloriæ ac felicitatis ſecum poſt hanc vitam con-
ſortium.

8. AUDEMUS AUTEM ET BONAM VOLUNTATEM HABEMUS. Explet ſententiam ſuperiorem. Dixerat
enim, *Audentes & ſcientes.* Deinde ſubjunxit quid
ſciant. Nunc verò illud *audentes* quò referendum ſit
exponit : idque verbo ipſo repetito, cum dicit, *Au-*
demus autem, ſive confidimus, & bonam voluntatem ha-
bemus; Græcè uno verbo εὐδοκοῦμεν, id eſt, *probamus,*
acquieſcimus, quod, vulgo diceretur, *benè volumus.*
Ambroſ. legit *conſentimus.* Tertull. *boni ducimus*, alias
bonum ducimus. Juxta ſyntaxin verborum Apoſtoli
quam dixi, quamque genuinam puto, particula καὶ,
autem, παρέλκει *redundat*, ut loquitur Oecumenius, &
ex eo repetit Gagnæus. Quamquam & ſic non in-
commodè reddi poteſt : *Audemus*, inquam, *& pro-*
bamus, &c

MAGIS PEREGRINARI A CORPORE, id eſt, abſen-
tes eſſe à corpore velut domicilio noſtro, magis ſeu
Contra Platonem & Origenem, quibus corpus eſt carcer animæ. potiùs quàm in corpore morari. Quod ſi, ut habet
Philoſophia Platonis, & Theologia Origenis, corpus
eſſet carcer animæ, & non naturalis ejus ſedes atque
inſtrumentum ; non diceret Apoſtolus, animam à cor-
pore peregrinari.

ET PRÆSENTES ESSE AD DOMINUM. Græcè, *&*
domi agere ad Dominum, ſive *apud Dominum*, id
eſt, tamquam in patria præſentes apud Dominum
morari. Tertull. *immorari* dixit. Singula verba ſin-
gulis membris in hac pericope reddenda videntur.
Nam fiducia ſignificata verbo *audemus*, propriè reſ-
picit præſentiam cum Domino. Cujus fiduciæ cau-
ſa reddita fuit illis verbis, *Qui autem efficit nos*, &c.
Animus verò acquieſcens, quem ſignificat illud, *bo-*
nam voluntatem habemus, refertur ad hoc proximum,
peregrinari à corpore. Quod, etſi per ſe ac nudè con-
ſideratum voluntati contrarium ſit, ſecundùm quod
dixit, *Nolumus expoliari :* conſideratum tamen ut
medium ſine quo non pervenitur ad rem per ſe bo-
nam, ſummeque expetendam, quale eſt Domino
præſentem eſſe, Deumque videre : merito placet, &
ut bonum quoddam acceptatur à voluntate rationa-
li. Simile eſt quod dicit Philipp. 1. *Deſiderium ha-*
bens diſſolvi & eſſe cum Chriſto, multò magis
meliùs.

Senſus & doctrina Apoſtoli eſt ; Ex Dei promiſ-
ſione non modò fidenter expectamus gloriam cor-
porum noſtrorum per reſurrectionem futuram in fi-
ne ſæculi : verùm etiam interim ſecundùm animas
pari fiducia ſperamus beatam præſentiam cum Chri-
ſto. Qua ſpe ac fiducia roborati, æquo animo fe-
rimus : imò libenter ac prompta voluntate ſuſcipi-
Sanctorum animæ Domino præſentes ac Deum videntes. mus, quod à corpore peregrinandum nobis ſit. Evi-
denter oſtendit hic locus adverſus Græcos ſchiſma-
ticos & noſtri temporis hæreticos, ſanctorum ani-
mas corporibus exutas, ſive à corpore peregrinan-
tes, (utroque enim modo loquitur Apoſtolus) eſ-
ſe Domino præſentes ; & quidem eo modo, ut jam
non per fidem ambulent, ſed per ſpeciem teneant
ac videant, quod in corporibus agentes atque
à Domino peregrinantes, crediderunt ac ſperave-
runt. Hoc autem eſt Deum clarè & per eſſentiam
intueri.

Pauli ratiocinatio. Ratiocinatur enim Apoſtolus ad hunc modum ;
Dum ſumus in hoc corpore peregrini ſumus à Domi-
no ; quia in hac vita per fidem ambulamus, non per
ſpeciem : Ut ergo præſentes ſimus ad Dominum, ut-
que non ampliùs per fidem ambulemus, ſed per ſpe-
ciem Deum videamus ; placitum & optabile nobis
eſt à corpore peregrinari. Quæ quidam ratiocinatio
prorſus infirma eſſet, nec ullo pacto concluderet op-
tandum nobis eſſe peregrinari à corpore ut Domi-
no præſentes ſimus, Deum per ſpeciem viſuri ; ſi ad
ſpeciem non perveniretur, niſi poſt reſurrectionem
corporum. Sic enim non in peregrinatione à corpore,
ſed in corporis reſumptione conſequeremur eximium
illud bonum ; neque ad illud conſequendum, quid-
quam compendij nobis adferret quod à corpore pe-
regrinamur. Hic Apoſtoli ſenſus quem dedimus,
magis etiam eluceſcet, ſi conferantur iſta cum lo-
co memorato *Philip.* 1. quo dicit ſe cupere diſſol-
vi, & eſſe cum Chriſto. Nec verò ſolùm Latini in-
terpretes hunc locum ſic intellexerunt, ſed & Græci,
nominatim poſteriores, Theophylact. & Oecum.
qui id quod hîc dicitur, *per ſpeciem*, diſertè expo-
nunt per illud quod eſt, *facie ad faciem*, videre ; 1.
Corinth. 13. docentque ex mente Pauli eam feci-
licitatem contingere Sanctis dum à corpore pere-
grinantur.

9. ET IDEO CONTENDIMUS SIVE ABSENTES, SIVE PRÆSENTES PLACERE ILLI. Inter-
Contendere quid hoc loco. pres mutat vocabula quæ in Græco eadem perpe-
tuò ſunt, habentia jucundam, ut ſuprà dictum eſt,
alluſionem. Cæterùm Græca lectio ſic habet : *Idcir-*
cò & contendimus ſive domi agentes, ſive peregrinantes,
beneplaciti ei eſſe. Eodem ordine legit Ambroſ. *ſive præ-*
ſentes, ſive peregrinantes. Senſus eſt : Quoniam ergo
tanta præmia nobis propſita ſunt ac promiſſa ; pro-
pterea contendimus (Græcè φιλοτιμούμεθα) id eſt,
certatim atque omni ſtudio connitimur, fideliter ac
ſincerè coram Deo miniſterium noſtrum exequen-
do ; ut, ſive degentes in hoc domicilio corporis, ſi-
ve ab eo per mortem peregrinantes, id eſt, ſeu vivi
ſeu mortui Chriſto Domino placeamus, acceptique
ſimus. Nam ſi dum in corpore ſumus, ei placueri-
mus : haud dubiè poſt mortem non ſolùm placebi-
mus ei, ſed & præſentes illi erimus, & cum eo re-
gnabimus.

Minùs rectè Latini quidam abſentiam & præſen-
tiam ad Chriſtum referunt, hoc ſenſu : ſive abſentes
à Chriſto, ſive illi præſentes. Nam præſentia cum
Chriſto præmium eſt, propter quod aſſequendum
contendimus ei, & in vita & poſt mortem placere.
Et quidem Chriſto placere, in hac vita meritum eſt ;
poſt mortem autem, neceſſaria diſpoſitio ad illud
præmium.

10. OMNES ENIM NOS MANIFESTARI OPORTET ANTE TRIBUNAL CHRISTI. Rationem
reddit ejus quod dixit, *Contendimus, ſive præſentes,*

ſive abſentes placere illi: quia nimirum idem *ipſe eſt*, Petro teſte Actor, 10. *qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum*; quos hoc loco per præſentes & abſentes diximus ſignificari. *Pro manifeſtari* textus Ambroſianus habet *aſſiſtere*. S. Ambroſius legit *ſtare*, enarrans Pſalm. 1. Cæterùm Auguſt. pro duabus vocibus, *manifeſtari oportet* paſſim legit *aſtabimus*; ut Enchir. 109. *lib. de prædeſtin. Sanctor. cap.* 12. & ad *Dulcit. quæſt.* 2. ſed ut ſuſpicor, uſus codice qui confunderet hanc ſententiam cum altera ſimili Roman. 14. quæ habet: *Omnes ſtabimus*, ſive *aſtabimus, ſiſtemur, ante tribunal Chriſti.* Nam alioqui plus eſt *manifeſtari*, φανερωθηναι, quod hîc legitur, quàm aſtare, ſive ſiſti, παραστηναι, quod in epiſt. ad Rom. Multi namque judicibus ſiſtuntur, qui non manifeſtantur: ideoque Theodoritus annotat Apoſtolum non *dixiſſe ſiſti, ſed manifeſtari*. Bifariam autem hoc exponitur: vel ut *manifeſtari* referatur ad judicem; quia nimirum omnia omnium hominum facta perfectiſſimè Chriſto judici nota erunt; vel ut referatur ad cæteros omnes homines; quia, ut ait Liranus, *judicium* illud *apparebit omnibus juſtum, ſingulis videntibus omnia bona & mala aliorum.* Eſt enim ſermo de extremo & univerſali judicio.

Plus eſt manifeſtari quam aſtare.

Manifeſtari non ad judicem referendum, ſed ad omnes judicandos.

Poſterior hic ſenſus congruit cum eo quod dixit in prima epiſt. cap. 4. de judice Chriſto; *Qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*: utique non ſibi, qui omnia novit ab initio; ſed cunctis angelis & hominibus. Hunc ſenſum præter alios expreſſerunt Theodoritus & Theophylact. quorum alter *omnibus*, alter *omnia* dicit in illo judicio manifeſtanda. Certè prior ſenſus admitti vix poteſt. Non enim tunc propriè manifeſtabimur judici; cui ſemper manifeſti ſumus: tametſi impropriè poſſet intelligi nos illi manifeſtum iri, quatenus ſcilicet ipſo actu & effectu judicij, monſtraturus eſt omnia noſtra ſibi eſſe manifeſta. Porrò *tribunal Chriſti* non aliud eſt quàm poteſtas ejus judiciaria: Et ante tribunal Chriſti non aliud quàm coram Chriſto judice. Quod verò dicit *omnes nos*; intellige omnes homines ſine exceptione, & proinde etiam nos Apoſtolos, omneſque novæ legis miniſtros; videlicet rationem ſui miniſterij Chriſto Domino redditur. Quo generali ſenſu locum ſimilem qui eſt *Roman.* 14. oſtendimus accipiendum. Ubi & illud expoſuimus, quomodo judici Chriſto ſiſtendi ſint etiam Apoſtoli, ſicut hîc dicitur, ſcilicet ab illo judicandi: cum eos ſimul cum Chriſto judices ſeſſuros, atque duodecim tribus Iſraël judicaturos, ipſe Chriſtus pronunciet Matth. 19. & Luc. 12. Hoc enim propterea dictum eſt; quia qui Chriſtum propiùs ſecuti ſunt, omnibus ſuis Evangelii cauſa relictis, quales imprimis fuerunt Apoſtoli; tam erit eorum excellentia ſanctitatis omnibus nota, ut, ſi de judicis humano more loquendum ſit, non ſolùm non judicandi videantur operum ac meritorum diſcuſſione, verùm etiam digni reputentur quos judex honoris cauſa ſibi jubeat aſſidere, velut judiciariæ poteſtatis ex aliqua parte conſortes: quemadmodum dicto loco pluribus id à nobis explicatum eſt.

Omnibus omnia in illo judicio manifeſtanda.

Quod tribunal Chriſti.

Omnes homines ſine exceptione judicandi. Apoſtoli judices & judicandi.

Ut referat unusquisque propria corporis prout gessit: sive bonum sive malum. Illa verba, *propria corporis, prout geſſit*: in Græco ſic leguntur, τὰ διὰ τοῦ σώματος, πρὸς ἃ ἔπραξεν, id eſt, ea quæ per corpus, *ad ea* ſeu *juxta ea* quæ fecit, niſi quod exemplaria quædam habeant, πρὸς ὅ, *juxta quod fecit*, ſenſu tamen eodem. Supplendum autem priori parte, *ea quæ per corpus*, facta ſunt: quod Ambroſian. breviter legit, *facta corporis.* Quod additur *prout geſſit*, ſive *juxta ea quæ fecit*, declarat analogiam retributionis ad merita. Senſus enim Apoſtoli eſt, unumquemque in illo judicio reportaturum pro iis quæ in corpore geſſit bona vel mala, præmium vel ſupplicium; idque juxta meritorum cujuſque rationem: ut priori parte ſignificetur juſta retributio in genere, quæ ad juſtitiam commutativam pertinet: poſteriori juſta retributionis proportio, ſcilicet ut quæ erit in utramque partem meritorum diſparitas, eadem ſervetur & in remuneratione bonorum, & in punitione malorum: quod eſt officium juſtitiæ diſtributivæ. Græcæ lectioni favet Tertullianus, *qui libro de reſurrect. carn.* capit. 43. locum hunc ita refert: *Ut unuſquiſque reportet per corpus ſecundùm quæ geſſit.* Et cap. 59. *Ut referat per corpus prout geſſit.* & lib. 5. contra Marcionem cap. 12. *quæ per corpus admiſit.* Item Auguſtin. qui legit. *ſecundùm ea quæ per corpus geſſit*, lib. 17. *de civitate Dei, cap.* 4. *& aliis locis ſuprà citat.* Meminit hujus lectionis etiam Lombardus in commentario. Suffragatur & Syra paraphraſis, quæ ſic habet: *Ut rependatur unicuique in corpore ſuo, id quod factum eſt in ipſo.*

Varia lectio.

Portio retributionis ad merita.

Juſtitia tam commutativa quam diſtributiva locum habebit in extremo judicio.

Cæterùm noſter interpres qui ſcripſit, *propria corporis*, in Græco pro ἴδια legit ἴδια, quod & hodie legitur in Complutenſibus ac Regiis. Eam Latinam lectionem habet Cyprianus *ad Quirin. lib.* 2. *teſtim.* 28. & lib. 3. teſtim. 56. Nec non Ambroſius in enarratione Pſalmi primi, & Ruffinus exponens illa ſymboli verba, *judicare vivos & mortuos.* Dicuntur autem *propria coporis*, non diverſa ab iis quæ propria ſunt animæ, ſed ea quæ ſinguli fecerunt, quiſque in ſuo corpore dum hîc veniret. Quem etiam Græcæ lectionis ſenſum eſſe diximus. Quamquam & anima dum in corpore eſt nihil agit ſine corporis adminiculo: quemadmodum nec cogitare quidquam poteſt ſine phantaſmate corporeo. Quò tamen Apoſtolum reſpexiſſe non putamus. Igitur quod ait, *prout geſſit*, prorſus generale eſt, ut non modò complectatur actiones exteriores, verùm etiam intimas animorum cogitationes, quas per *conſilia cordium* ſignificavit Apoſtolus 1. Cor. 4.

Propria corporis quæ dicantur.

Prout geſſit prorſus generale.

Solet hîc moveri quæſtio de infantibus ſive renatis in Chriſto, ſive non renatis, qui in ea ætate mortui ſunt, utrùm etiam hujus ſententiæ generalitate comprehendantur. Non enim videntur quidquam geſſiſſe, id eſt, feciſſe in corpore, quod præmium aut pœnam mereatur, ut qui rationis uſum nunquam habuerint. Reſpondet Auguſtinus unumquemque cenſeri geſſiſſe in corpore, non ſolùm id quod ſua voluntate fecit: ſed & quod circa ipſum factum eſt, ut ei noceret aut prodeſſet, dum eſſet in corpore. Quod quidem in parvulis habere locum oſtendit; quoniam iis vel damnationem adfert peccatum primi parentis, vel prodeſt ad ſalutem baptiſmus eis impenſus. Ita docet *lib. 9. contra Julian. cap.* 10. *& in epiſt.* 107. *quæ eſt ad Vital.* & attingit, *lib. de prædeſtinatione Sanctor cap.* 12. Idipſum repetivit ex Auguſtino, Beda, Gloſſator, Lombardus, Hervæus, & alii.

Utrum infantes judicandi prout geſſerunt.

Auguſtini reſponſio.

Sed hæc reſponſio difficultatem habet. Non enim niſi valde improprio & violento ſermone dici poteſt, parvulos ea feciſſe, quæ circa illos neſcientes aut non conſentientes facta ſunt ab aliis: præſertim ſi facta ſint ipſis nondum natis, quale eſt peccatum primi parentis, quo totum infecit genus humanum.

Quare facilior & ad Apoſtoli mentem accommodatior erit reſponſio, ſi dicamus ea quæ quiſque fecit, ſicut ad cogitationes cordium conſtat extendi, ſic etiam extendi debere ad habitus bonos & malos, aut ſi quid habitibus ſimile, voluntati dominans: ita nimirum ut ſecundùm illud operatura ſit voluntas, ſi rationis uſus accedat, & nihil aliud impediat. Tale eſt autem peccatum originale, quo infecta eſt uniuſcujuſque parvuli voluntas, donec renaſcatur. Eſt enim habitus quidam pravus atque corruptus, uti docet S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 82. *art.* 1. *& alibi*: Tales quoque ſunt habitus infuſi, fides,

Alia reſponſio probabilior.

Non ſolùm actus, ſed & habitus ſubjiciendi judicio Dei.

ſpes, charitas: quas etiam parvuli dum baptizantur, accipiunt. Neque enim ſolùm actus boni & mali ſubjicientur judicio Dei, verùm etiam habitus virtutum & vitiorum, quatenus voluntarii ſunt. Secundùm hos enim, ut coram Deo laudabiles & vituperabiles ſunt homines, ſic & præmiis aut pœnis digni; quemadmodum oſtendimus *ad diſt.* 30. *libr.* 2. *ſentent.*

Obſe. contra Sectarios, ſuffragia fideliũ pro defunctis impugnantes.

Hunc Apoſtoli locum ſolent objicere Sectarii contra preces & ſacrificia, quæ pro defunctis in eccleſia Catholica frequentantur. Nam ſi in die judicii referet unuſquiſque prout ipſe geſſit in corpore dum viveret, ſeu bonum ſeu malum: igitur, inquiunt, nil prodeſt mortuis, quod pro eis agunt viventes. Verùm huic *objectioni* jam olim occurrit Auguſtin. *variis locis*, ut *in lib. de cura pro mort. cap.* 1. *Enchirid. c.* 110. *quæſt.* 2. *ad Dulc. & ſerm.* 32. *de verbis Apoſt.* Summa reſponſionis eſt, mortuos dum viventium ſuffragiis adjuvantur, recipere ea quæ ipſi geſſerunt in corpore, quandoquidem ut ſic juvari poſſent, dum viverent, meruerunt. *Hoc* enim *meritum* (ait Auguſt. in Enchir.) *ſibi quiſque cùm in corpore viveret comparavit, ut ei poſſent iſta prodeſſe, quæ pro mortuis aguntur à vivis.*

Obſe. contra Sectarios, operum tam bonorum quàm malorum merita ſtatui ex hoc loco.

Cæterùm è diverſo manifeſtè facit hic locus pro meritis operum, tam bonorum (quæ negant hæretici) quàm malorum. Nam de utriſque, quod ad generalem retributionis ac meriti rationem attinet, ſimiliter loquitur Apoſtolus, dicens unumquemque recepturum prout geſſit, ſive bonum ſive malum: eo dumtaxat diſcrimine, quod ad mala merita quiſque ſibi ſufficit; bona verò merita Dei dona ſunt, gratuitò nobis per Chriſti meritum collata.

11. SCIENTES ERGO TIMOREM DOMINI, HOMINIBUS SUADEMUS. Timorem dixit pro re timenda, more ſcripturæ: Cùm igitur (inquit) nos Evangelicæ legis miniſtri, certò futurum ſciamus, & ante oculos habeamus ſeverum illud, omnibuſque meritò timendum ac tremendum judicium Chriſti Domini; nitimur hominibus perſuadere noſtram integritatem, ne cui ſcandalo ſimus.

Nõ Deo, ſed hominibus ſuadet Paulus.

DEO AUTEM MANIFESTI SUMUS. Dico, inquit, *hominibus ſuademus:* Nam quod ad Deum attinet, nihil opus eſt ut illi noſtram integritatẽ perſuadeamus. Novit enim ille receſſus intimos cordis noſtri. Videtur huic loco ex diametro repugnare quod dicit Galat. cap. 1. *Modò enim hominibus ſuadeo, an Deo?* quaſi dicat, non hominibus, ſed Deo. Verùm quomodo non repugnet, ex illius loci commentario planum fiet. Pro *manifeſti ſumus*, Græcè quidem verbum eſt præteriti temporis πεφανερωμεθα, quod vertendum cuipiam videatur, *manifeſtati ſumus*, uti reperio nonnullos vertiſſe: ſed revera ſignificationem habet præſentis, etſi conjuncti cum præterito; ut in aliis quibuſdam Græcis verbis contingit. Significatur enim manifeſta Dei de nobis notitia ſic præſens, ut ſemper fuerit. Unde penè omnes cum noſtro interprete verterunt, *manifeſti ſumus*. Quod & è Syriaco textu nobis redditur. Interim obſerva: quòd ſi Deo jam manifeſti ſumus; non ergo Chriſto nos manifeſtandos eſſe demum in extremo judicio, ſed hominibus coram Chriſto, uti dictum eſt ſuprà.

SPERO AUTEM, ET IN CONSCIENTIIS VESTRIS MANIFESTOS NOS ESSE. In Græco non exprimitur pronomen. Itaque verti poſſet numero ſingulari, *manifeſtum me eſſe:* niſi tam præcedentia, quàm quæ ſequuntur pluralem numerum exigerent: quæ omnia communi nomine fidelium miniſtrorum verbi Dei, dicuntur. Jam quod proximè dictum eſt de verbo Græco, pro quo tranſtulit interpres, *manifeſti ſumus*, ad hunc quoque locum pertinet: Nec enim probo quod apud Sedulium lego, *manifeſtatos eſſe:* licet ex verbo πεφανερωσθαι. *Senſus* igitur eſt: Spero & confido ſinceritatem noſtram qua in Evangelico munere verſamur, ita vobis jam diu manifeſtam & probatam eſſe, ut benè recteque de nobis ſentiatis. Hoc dicit propter aliquos qui à Pſeudapoſtolis malè perſuaſi, minùs bonam habebant de Paulo & ejuſdem collegis exiſtimationem.

12. NON ITERUM COMMENDAMUS NOS VOBIS. Græcè, *Non enim iterum nos ipſos commendamus vobis:* Tametſi particula *enim*, quæ in Syro textu legitur, nec in Ambroſiano, nec in omnibus Græcis, haud videtur ad ſenſum conferre; niſi poſitam intelligamus pro illativa: ac ſi dicat Apoſtolus, ideoque non hæc ſcribo, quod magnopere ſtudeam me meoſque Evangelii ſocios iterùm vobis commendare: ut quorum in conſcientiis ſatis manifeſti ſumus. Vide noſtram expoſitionem ejus quod ſuprà dixit initio capitis 3. *Incipimus iterùm noſmetipſos commendare?* Ubi etiam ratio reddita, cur dicat *iterùm.*

Paulus nõ ſe commendat, cur & quo ſenſu.

SED OCCASIONEM DAMUS VOBIS GLORIANDI PRO NOBIS. *Damus*, Græcè διδοντες, *dantes*, & *gloriandi*, καυχήματος, *gloriationis*. Interpretes ne oratio ſit imperfecta, participium per verbum reddiderunt. Nam quaſi interrogaretur, Si hæc quæ ad laudem veſtram pertinent, non ſcribis ſtudio commendandi tui ac tuorum, quorſum igitur ea commemoras? Sed, inquit, hæc ſcribimus *occaſionem dantes vobis*, id eſt, ad hoc ut occaſionem demus vobis Corinthiis, noſtro nomine gloriandi: vel clariùs, ut præbeamus vobis materiam gloriandi de nobis; idque adverſus æmulos gloriæ noſtræ Pſeudapoſtolos, qui nobis obtrectant. Hæc enim erat Paulo juſtiſſima cauſa ſui commendandi; ne per ipſius vituperationem & contemptum, fructus Evangelio deperiret. Senſum hunc explicat quod ſequitur.

UT HABEATIS AD EOS QUI IN FACIE GLORIANTUR, ET NON IN CORDE. *Ad eos*, Græcè προς τους, &c. Quod verti poteſt *adverſus eos*. Quo ſenſu dixit Latinus interpres, 1. Cor. 15. *Si ad beſtias pugnavi.* Nam & Græcè dicitur, μαχεσαι προς τινα, quod Latinè, pugnare cum aliquo, id eſt, contra. Porrò verbum εχητε, *habeatis*, ſupplemento eget. Unde alii pleno ſenſu vertunt, *Ut aliquid habeatis adverſus eos.* Quæ & Ambroſiana lectio eſt. Idque ſuo commentario planè confirmat Oecumenius: nec diſſentit Primaſius, cujus ſcholion eſt. *Ut habeatis ad eos quid reſpondeatis.* Atqui Gagnæus ſupplet ex eo quod præcedit: *Ut habeatis occaſionem gloriandi adverſus eos.* Eraſmus annotat *habeatis* poſitum pro *poſſitis gloriari.* Nam εχειν, habere, pro poſſe, Græcæ conſuetudinis eſt. Et tamen idem author in ſua verſione maluit ſcribere quod primo loco dixi, ſicut apud Ambroſ. legerat. Quod & nobis maximè probatur.

Quid gloriari in facie, nõ in corde.

Itaque *ſenſus eſt:* Ut habeatis in promptu, quod pro nobis dicatis adverſus eos qui gloriantur in facie, ſive in exteriori ſpecie, id eſt, de iis quæ exteriùs apparent, gloriam captant; nimirum ad hoc intenti ut coram hominibus appareant glorioſi, ſive ea de ſe prædicantes quæ nihil ad veram laudem faciunt, qualia ſunt ſapientia & eloquentia ſæcularis, nobilitas generis, & alia hujuſmodi: ſive more hypocritarum ſimulantes virtutes quas non habent. *Non autem in corde*, id eſt, non ex cordis ac conſcientiæ teſtimonio: quemadmodum ipſe Paulus gloriabatur. Sic enim ſuprà cap. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Sciendum hanc extremam partem in Græco legi ſine præpoſitione, & *non corde*; ut ſenſus eſſe poſſit; & non ita ſentiunt corde, uti foris de ſe prædicant: non tales intus ſe vident, quales exteriùs videri volunt: conſcientia non reſpondet externæ ſpeciei.

13. SIVE ENIM MENTE EXCEDIMUS, DEO. Nonnulli codices mss. nec non concordantiæ veteres pro ſecunda vocali tertiam legunt; *excidimus* pro

excedimus. Verùm noſtræ lectioni conſonat textus Ambroſianus. Eſtque ſanè probabilius interpretem noſtrum vertiſſe *excedimus*: ut qui etiam aliàs mentis exceſſum vocat, quem ἔκστασιν Græci dicunt, ut Actor 10. & 11. Eſt autem hoc loco verbum reſpondens ἐξέστημεν, id eſt, *mente excedimus*; ac ſi dicat, extra nos poſiti ſumus; quod alii quidam vertunt, *inſanimus*: quemadmodum & Syra transferuntur. Qua ſignificatione legitur idem verbum *Marc.* 3. ubi nos habemus, *Quoniam in furorem verſus eſt*. Cæterùm Auguſt. quidem paſſim legit in præterito, *mente exceſſimus*, obſervato tempore verbi Græci, ut *tract.* 7. *in Joan. lib.* 12. *contra Fauſt. cap.* 26. *& in enarr. Pſal.* 30. *conc.* 1. *& Pſal.* 103. *conc.* 3. Verùm id accidit interpretis imperitia; qui non advertit hoc verbum ex iis eſſe in quibus ſoleat uſurpari tempus præteritum pro præſenti. Simile verbum habuimus *ſup. verſ.* 11.

Quid mente excedere.

Dicere cœperat Apoſtolus quæ ad laudem ſuam & gloriam ſpectarent; idque adeò in conſequentibus hujus epiſtolæ, prolixiùs & copioſiùs facturus eſt, improbitate ſuorum adverſariorum ad eam rem impulſus: De eo nunc ſe excuſat, & hac ſententia Corinthios præmonet, ut intelligant id cum ratione, & ob juſtam utilitatem à ſe fieri. Quod autem hujuſmodi gloriationem, ſuique laudationem ſignificare voluerit nomine inſaniæ atque inſipientiæ; patet ex iis quæ ſcribit *inf. cap.* 11. *&* 12. Ratio appellationis eſt, vel quia vulgus eos æſtimat parum ſanos, qui laudes ſuas prædicant: vel potiùs quoniam id abſque juſta neceſſitate facere, revera ſtultum & inſanum eſt: ut inſanire dicatur hoc loco qui facit quod ſolent homines non ſanæ mentis.

Juſta poteſt eſſe ratio cõmendandi ſui ipſius.

Cur inſanire dicantur qui ſeipſos laudant.

Porrò ſupplenda eſt oratio repetitione verbi, in hunc ſenſum: Sive inſani ſumus gloriosè de nobis ipſis loquentes, Deo inſani ſumus: id eſt, hoc ipſum facimus ad gloriam Dei: ne, ſi nos ejus miniſtri vobis habemur contemptui, ſimul ejus doctrina per nos prædicata contemnatur. Quæ res utique cederet in ipſius Dei contemptum.

SIVE SOBRII SUMUS, VOBIS. Mentis ſobrietas intelligitur. Nam Græcè eſt, εἴτε σωφρονοῦμεν, id eſt, *ſanæ mentis ſumus*, pro quo legit Ambroſ. *ſanum ſapimus*, Auguſtin. verò *temperantes ſumus*. Quorum omnium ſenſus idem eſt, iſte: ſive de nobis humiliter ac modeſtè loquamur; quod ſolent homines ſanæ mentis: vobis tales ſumus, hoc eſt, id totum veſtri cauſa facimus, imbecillitati veſtræ nos accommodantes, & humilitatis exempla præbentes. Ad hanc bimembrem Apoſtoli ſententiam (quàm totam Valla breviter & completè ſic reddit: *Sive deſipimus, Deo deſipimus, ſive ſapimus, vobis ſapimus*) Græci, Theophyl. & Oecumen. plures adferunt ſenſus. Ac Latini plerique ex Auguſt. *locis ſup. citatis*, mentis exceſſum interpretantur contemplationem ſublimium myſteriorum, quæ capacitatem infirmorum excedunt: ſobrietatem verò, doctrinam captui vulgari accommodatam. Verùm *ſenſus* quem dedimus, quem eumdem nec Græci nec Latini præterierunt, nobis videtur omninò germanus. Cæterùm *notanda* Pauli modeſtia vel in eo ipſo, quòd cùm hæc quæ ſcribit, in ipſius perſonam potiſſimè competerent; tamen, ut communi nomine multorum ſcribens, utatur numero plurali.

Sobrietas mentis quæ.

Nota, Pauli modeſtiam.

14. CHARITAS ENIM CHRISTI URGET NOS. Græcè συνέχει, *conſtringit, compellit nos*. Id verò eſt urgere. Charitatem Chriſti intelligit vel eam qua nos Chriſtum diligimus, vel qua Chriſtus nos diligit. Nam uterque ſenſus exſtat apud interpretes tam Græcos quàm Latinos. Prior ſic explicatur. Ad id quod dixi faciendum, urget nos Apoſtolos & Evangelii miniſtros illa charitas qua Chriſtum ut Dominum noſtrum qui nos redemit, diligimus, volentes omnia facere ad ejus nutum & honorem, ut ſervos redemptitios decet, qui non ſunt ſui, ſed Domini. Cui intellectui poſſunt etiam quæ ſequuntur aptari. Quæ tamen diligentiùs expenſa magis poſtulare nobis videntur alterum ſenſum: ut tale ſit quod dicit Apoſtolus; neque gloriæ cupiditas cogit nos inſanire; neque rurſus abjectio & puſillitas animi ſobrios nos reddit: ſed ad utrumque nos urget & impellit exemplum charitatis Chriſti pro omnibus mortui.

Chatitas Chriſti bifariam exponitur.

Si enim Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; quid non facere nos debemus, ut eos pro quibus ille mortuus eſt, adducamus ad ſalutem? Unde ait in priore epiſtola cap. 9. *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos*. Exemplum verò Chriſti, ad procurandam proximorum ſalutem, alibi quoque Paulus allegat; ut Rom. 15. *Unuſquiſque veſtrûm*, inquit, *proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit*. Et iterùm, *ſuſcipite invicem; ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos, in honorem Dei*. Similiter allegat Joannes 1. epiſt. 3. dicens: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Confirmat hunc commentarium quod Paulus iſta ſcribit de ſe ſuiſque collegis, ut vicariis & legatis Chriſti: quemadmodum in ſequentibus apertè declarat. Itaque dicere vult, exemplo Chriſti, qui ſic dilexit nos ut pro nobis omnibus mortem ſubiret, urgeri ſe tamquam ejus legatum, ad impendendum ſe totum iis quos Chriſtus ita dilexiſſet.

Nota, exemplum Chriſti omnibus Evangelii miniſtris propoſitum eſſe debere.

Senſus.

ÆSTIMANTES HOC, QUONIAM SI UNUS PRO OMNIBUS MORTUUS EST, ERGO OMNES MORTUI SUNT. Æſtimantes, Græcè κρίναντας, *judicantes*, ut habet textus Ambroſ. ſicut & legit Auguſt. *lib.* 11. *contr. Fauſt. cap.* 8. & ſenſus eſt; animo reputantes. Particula εἰ, *ſi*, in quibuſdam Græcis codicibus abeſt; nec eam legerunt Theophyl. & Oecum. Veriſimile tamen eſt à Paulo ſcriptam fuiſſe; quod & ſermonis connexioni ſerviat; & in plurimis adhuc legatur Græcis codicibus qui hodie exſtant. Anſam prætermittendi incauto ſcriptori Græco dediſſe potuit ſimilitudo dictionum ει & εις; ut in ejuſmodi contingit. Quod dicit Apoſtolus *unum pro omnibus*, ſcilicet hominibus redimendis, *mortuum eſſe*, nempe Chriſtum Dominum; id rectè Proſper in *reſponſione prima ad objectiones* Vincentianas, de magnitudine & potentia precii per Chriſtum in morte oblati, exponit. Fuit enim precium illud ſufficiens & ſuperabundans ad omnes redimendos atque ſalvandos. Verùm non omnibus, ſed ſolis electis, ex Dei prædeſtinantis voluntate applicatur.

Quo ſenſu Chriſtus pro omnibus mortuus.

Atque hoc eſt quod Theologi tradunt, Chriſtum ſua paſſione ſufficienter omnes redemiſſe, ſed non omnes efficienter. Quàm efficientiam attendentes alii quidam, priore ſenſu non repudiato, Paulum de prædeſtinatis interpretantur: ut quibus omnibus & ſolis efficaciter ad ſalutem prodeſt mors Chriſti. Hic commentarius eſt apud Haimonem & Hervæum: nec non apud Hugonem Victorinum *in quæſtionibus loci præſentis:* ubi ſenſum hunc Hieronymo aſcribit. Eumdem tradit S. Thom. exponens illud Hebr. 2. *ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*: quamvis & alterum ſenſum adjungat.

Chriſtũ omnes ſua paſſione redemit ſufficiẽter, non efficienter.

Pro omnibus & ſolis prædeſtinatis mortuus Chriſtus, quo ſenſu.

Uter verò ſenſus huic loco magis conveniat, pendet ex intellectu ejus quod infert Apoſtolus, *ergo omnes mortui ſunt*. Quod quidem B. Thomas trifariam intelligi poſſe docet. Primùm, ut ſenſus ſit, omnes eſſe mortuos morte peccati in Adam. Quæ expoſitio ferè eſt omnium commentatorum, adeoque legentibus obvia ut Cajetanus affirmet, *procul dubio* ſermonem hîc eſſe *de omnium hominum morte* quæ eſt *peccati originalis*. Ac certè, bona eſt ſequela; Si pro omnibus mortuus eſt Chriſtus; omnes mortuos eſſe morte peccati. Si quidem Chriſtus ad hoc mortuus eſt, ut homines à morte peccati redimeret. Quare ſi nullus eſt hominum pro quo Chriſtus non ſit mor-

Omnes mortui trifariam exponitur.

Omnes mortui morte peccati.

ſit mortuus; utique conſequens eſt, nullum eſſe qui ſit à peccato, ſaltem originali, immunis. Hic commentarius ſupponit ſenſum antecedentis generalem; ſcilicet pro omnibus in univerſum hominibus mortuum eſſe Chriſtum; & non ſolùm pro prædeſtinatis. Non enim aliter ex hoc loco colligi poſſet omnes in univerſum homines morte peccati mortuos eſſe: quod ex eo colligunt dictæ expoſitionis authores.

Infantes naſcuntur in peccato, quia pro eis mortuus Chriſtus.

Unde & Auguſtin. *adverſus Pelagianos* originale peccatum negantes, utitur inter alia hujus ſcripturæ teſtimonio, quo doceat ne quidem infantes recenter natos à peccato liberos eſſe; quoniam & pro eis mortuus ſit Chriſtus, ut *lib. 1. de Baptiſ. parvulorum cap. 27. & lib. 6. contra Julianum cap. 4.* Qui & ejuſdem doctrinæ generalitatem expreſſit *lib. 20. de civitate Dei cap. 6.* ubi recitatis ex hoc loco verbis Apoſtoli, ſic infert: *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, ſive originalibus ſive etiam voluntate additis.* Quæ eadem verba V. Beda retulit *in ſua collectanea*: deinde & Hervæus intexit *ſuo commentario.* Nam exceptio quæ apud hunc authorem, ſub Anſelmi nomine citari ſolicitum appoſita legitur, *dempta matre Dei*, contra mentem authoris, ac repugnante contextu, inſerta eſt ab aliquo, zelum (ut arbitror) habente matris Dei, non ſecundùm ſcientiam. Verumtamen hic commentarius, quem primo loco diximus adferri à S. Thoma. etſi veram ſententiam contineat; non admodum quadrat Apoſtoli inſtituto, nec connecti facilè poteſt cum iis quæ ſequuntur.

Omnes in peccatis mortui, nemine prorſus excepto.

Secundus ſenſus, omnes mori debere veteri vitæ.

Eſt igitur ſecundus apud eumdem ſenſus: ut omnes mortui dicantur veteri vitæ: nec ſignificetur quid ſit, ſed quid eſſe debeat. Nam quia Chriſtus mortuus eſt ad delenda peccata: ſi pro omnibus mortuus eſt, igitur omnes mori debent veteri vitæ, ſcilicet peccati; & vivere vita juſtitiæ. Quod & typicè per Chriſti mortem ac reſurrectionem ſignificatum fuit: quemadmodum docet idem Apoſtolus Rom. 6.

Tertius ſenſus, omnes mortuos eſſe debere ſibi-ipſis.

Tertius apud Aquinatem ſenſus eſt: *Ergo mortui ſunt omnes*, id eſt, *ita ſe debet quiſque reputare*, & ut ait Apoſtolus, judicare, *ac ſi mortuus eſſet ſibi ipſi.* Qui proinde non debeat deinceps ſibi vivere ſectando ea quæ ſibi commoda ſunt; ſed vivere Chriſto, gloriam ejus quærendo, & voluntatem ejus implendo. Senſum hunc ex gloſſa ordinaria deſumptum S. Thomas amplectitur tamquam magis literalem, atque eum ſolum adfert Liranus Thomæ ſententiam ſecutus.

Hic ſenſus cæteris probabilior.

Ac revera ſenſus iſte contextui ſermonis Apoſtoli maximè congruit. Nam verbis ſuperioribus quibus dixit, *ſive enim mente excedimus, Deo,* &c. profeſſus eſt ſe nihil ſui gratia facere, ſed omnia ſua referre ad Dei gloriam & communem hominum ſalutem. Quæ verò ſequuntur, hunc intellectum planè explicant; uti ſtatim videbimus. Eſt autem locus huic ſimillimus *Rom. 14.* ubi ſic ait. *Nemo enim noſtrûm ſibi vivit & nemo ſibi moritur; ſive enim vivimus, Domino vivimus; ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus ſive morimur, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Ex quo etiam loco declaratur vis argumentationis Apoſtolicæ, conſiſtens in eo quod Chriſtus ſua morte nos redemit. Qua ratione & ipſe factus eſt omnium noſtrûm Dominus: & nos, ejus ſervi: Servus autem non ſuus eſt, ſed Domini ſui; ideoque non ſibi operatur, ſed domino. Quare ſi pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: omnes ergo, quod ad ſuas ipſorum actiones attinet, ſibi mortui ſunt, & Chriſto Domino vivere debent.

Servus non ſuus eſt, ſed Domini.

Exponitur ſecundus & tertius ſenſus de prædeſtinatis.

Denique jam ex his ſatis apparet, id quod dicit Apoſtolus, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe; de prædeſtinatis ſive electis convenienter intelligi; tamquam ratiocicetur hoc modo; Si Chriſtus pro omnibus quos ad vitam elegit, mortuus eſt: igitur omnes redemptionis ejus facti partipes, qui proinde ex electorum numero ſe eſſe meritò confidunt, (juxta ſecundum ſenſum) mori debent in dies veteri vitæ, & vivere vitam novam; aut (juxta tertium ſenſum) mortui eſſe debent ſibiipſis, ut jam non ſuis commodis ſtudeant, ſed gloriæ Domini redemptoris ſui, & ſaluti electorum pro quibus redimendis ille mortuus eſt, ſicut idem Apoſtolus alibi dicit, *Omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur. 2. Tim. 2.* Porrò conſequentiam argumentationis quam juxta poſtremum ſenſum facit Apoſtolus, ampliùs declarant ea quæ ſequuntur.

15. ET PRO OMNIBUS MORTUUS EST CHRISTUS. In Græco non additur *Chriſtus*; ſed ſubauditur *unus* ex parte præcedenti. Particulam & alij pro cauſali ſcriptam volunt. *Nam pro omnibus mortuus eſt*: quod Hebræis non eſt infrequens: Alii per *autem* exponunt; ut hæc ſit antecedentis conditionaliter poſiti reſumptio, quaſi dicat; Atqui pro omnibus mortuus eſt unus, nempe propter id quod ſequitur.

UT ET QUI VIVUNT, JAM NON SIBI VIVANT, SED EI QUI PRO IPSIS MORTUUS EST, ET RESURREXIT. Græcè, *Ut qui viuunt, non ampliùs ſibiipſis vivant, ſed*, &c. Aug. quoque ſine conjunctione legit, *ut qui vivunt*: lib. 20. de civit. *Dei cap. 6. & alibi.* Senſus periodi eſt: Ad hoc unus ille ſcilicet Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: ut iidem illi pro quibus mortuus eſt, quamvis vivant vita naturali, deinceps tamen non ſibi vivant quaſi liberi, facientes quidquid ſuggeſſerit propria voluntas; ſed ſibi mortui, vivant ei qui pro ipſis mortuus eſt, id eſt, omnes ſuæ vitæ actiones inſtituant ad nutum & voluntatem & honorem ſui Domini, qui ipſos ſua morte redemit, eoque redemptionis jure ſervos ſuos effecit. Addit autem *& reſurrexit*: ſive ad inſinuandum beneficium immortalitatis per Chriſti reſurrectionem, velut exemplarem cauſam, omnibus nobis propoſitum; ſeu potiùs ut ſignificet, nobis vivendum eſſe Chriſto, ea vita, cujus typus eſt reſurrectio Chriſti, id eſt, vita nova: ſicut mori debemus nobis ipſis, ac vitæ veteri; quam mortem typicè denotat mors Chriſti, ut habetur Rom. 6. Pro quo ſenſu facit quod paulò pòſt dicitur, *Si quis ergo in Chriſto, nova creatura, vetera tranſierunt,* &c. Jam ex hac declaratione liquet quàm locus iſte perſimilis ſit ei quem paulò antè protulimus *ex epiſt. ad Roman. cap. 14.*

Chriſtus propter quid pro omnibus mortuus.

Cur additum, & reſurrexit.

16. ITAQUE NOS EX HOC NEMINEM NOVIMUS SECUNDUM CARNEM. *Ex hoc*, ſcilicet tempore. Nam Græcè eſt ἀπὸ τοῦ νῦν, *ex nunc*, id eſt, deinceps, de cætero. Obſcuritatem habet hic verſus, adeò ut ingenuè fatentur Hofmeiſterus, commentator haud inptus, hæc Apoſtoli verba ſuum intellectum longè ſuperare. Inde nata varietas expoſitionum, quas permultas videre eſt apud S. Thomas in *commentario*: ubi docet illud, *ſecundùm carnem*, poſſe conſtrui vel cum vocabulo *neminem*, vel cum verbo *novimus*: id eſt, poſſe referri vel ad cognitum vel ad cognoſcentem. Utriuſque verò conſtructionis plures adfert ſenſus: Ex quibus ſatis nobis erit adduxiſſe magis probabiles. Inter quos ſanè vix numerari poteſt, quod Theophylactus & Oecumenius authore Chryſoſtomo *neminem ſecundùm carnem*, id eſt, nullum viventem ſecundùm vetetem & carnalem vitam, deinceps à Paulo cognoſci, interpretantur. Neque enim Chriſtum ſecundùm carnem (quod affirmat verbis ſequentibus) hoc modo Paulus aliquando cognoverat. Unde & in ea parte variare coguntur ſuam expoſitionem.

Locus obſcurus & difficilis.

Admodum variè exponitur.

Rejicitur Græcorum expoſitio.

Alii multò probabiliùs hoc ſenſu nectunt iſta verba cum ſuperioribus: Quoniam Chriſtus pro nobis reſurrexit ut nos immortales redderet: idcircò nos hac ſpe immortalitatis erecti, & in eam totis animis intenti, de cætero neminem ſecundùm carnem hanc mor-

Alia probabilior.

talem magni facimus ; nec magnopere curamus ea quæ ſunt præſentis ac mortalis vitæ, tam in nobis quam in aliis ; quandoquidem nec Chriſtum ipſum (juxta id quod ſequitur) jam cogitamus ut mortalem, ſed ut immortalem ; & proinde ejus præſentiam in carne mortali, quæ cæteris Apoſtolis contigit, quam & ego aliquando magni feci, nunc parvipendo. Et quid mirum ? quando illa Chriſti præſentia ſecundùm carnis infirmitatem, impedimento fuit Apoſtolis quo minùs ſpiritualem Chriſti doctrinam caperent. Unde dicit ad eos, Joannis 16. *Expedit vobis ut ego vadam ; ſi enim non abiero, paracletus non veniet ad vos.*

Ita ferè locum hunc intellexerunt Auguſt. *lib* 11. *contra Fauſtum cap.* 7. *&* 8. *&* Leo *ſermone* 1. *de reſurrect. Domini.* Senſum Auguſtini penè verbatim referunt in ſuis commentariis, Lombardus & Hervæus. Sed & Thomas hunc intellectum cæteris anteponere videtur.

Quomodo beati Chriſtum in carne viderunt.

Nec verò repugnat quod Dominus, *Matth.* 13. & *Luc.* 10. beatos pronunciat ſuos diſcipulos, quod ipſum coram etiam in carne mortali viderent & audirent; quæ res antiquis prophetis & juſtis exoptata non contigiſſet. Nam beatos dicit ex comparatione dumtaxat, id eſt, ſi ipſi conferantur cum illis qui Chriſti venturi tantùm obſcuram habuerant notitiam. Sunt enim (quod ad rem præſentem attinet) tres gradus notitiæ Chriſti conſiderandi, in quorum infimo conſiſtit obſcura notitia quam habuerunt de Chriſto Prophetæ, ac cæteri priorum temporum juſti.

Tres gradus notitiæ Chriſti.

Secundum gradum tenet evidens per ſenſum notitia : qualis fuit Apoſtolorum & omnium eorum qui Chriſtum in carne mortali videntes, in eum crediderunt. *Tertius* gradus eſt ejus notitiæ, qua Chriſtus cognoſcitur per præſentiam in vita immortali. De qua ſuperiùs, verſu 8. *Confidimus*, inquit, *præſentes eſſe ad Dominum.* Medius ergo gradus reſpectu primi magnum quiddam erat ac vehementer optabile : non magnum autem, ſed imperfectum, reſpectu tertii.

Refutatio dictæ expoſitionis.

Cæterùm hic commentarius, etſi probus & ab Auguſt. diligenter explicatus, infirmari tamen videtur hac ratione ; quia Paulus illo modo Chriſtum ſecundùm carnem numquam noverat, hoc eſt in carne mortali numquam eum viderat : ut dicere poſſet id quod ſequitur : *Et ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum.* Nec ſatis eſt ſi dicas (ut quidam reſpondent) in perſona aliorum Apoſtolorum hoc à Paulo ſcribi. Nam tota hac diſputatione qua de miniſtris agit novæ legis, quæcumque ſcribit, ea vel maximè ſua ipſius perſona ſcribit. Eadem ratione refellitur Cajetanus, qui locum hunc exponit de Meſſia carnali, qualem expectarunt & adhuc expectant Judæi. Senſum enim facit hujuſmodi : Itaque nos ex eo tempore quo Chriſtus reſurrexit, didicimus & novimus neminem renovatorem ſæculi ſecundùm carnem, hoc eſt ſecundùm carnis officia viventem, nobis expectandum eſſe. Et quamvis Apoſtoli Chriſtum ſuſceperint ſecundùm carnis officia viventem, quando cum eo converſati ſunt in terra ; id tantùm ad tempus fuit, donec compleret Chriſtus myſterium noſtræ redemptionis. Nam de cætero uſque in æternum, nec illi, nec nos Chriſtum ut talem novimus : ſed ſolummodò novimus eum viventem ſecundùm ſpiritum in carne immortali. Hic ſenſus, quem & alii quidam, etſi diverſis verbis, tradunt, refellitur, ut dixi, perinde uti ſuperior: quia de Paulo falſum eſt, quòd eo modo Chriſtum ſecundùm carnem aliquando noverit. Adde quòd non de ſolo Meſſia loquitur Paulus, ſed generaliter inquit, *ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem* : Quod deinde ſpeciatim etiam de Chriſto pronuntiat.

Refellitur Cajetani commentarius.

Expoſitio maximè probabilis.

Eſt igitur alia quædam expoſitio, quam inſinuant magis quàm aperiunt Gagnæus & alii nonnulli, quam & ſequitur Eraſmus *in paraphraſi.* Cùm enim Pſeudapoſtoli, qui utique Judæi erant, inter alia gloriarentur de nobilitate generis, quòd Hebræi, quòd Iſraëlitæ, quòd ſemen Abrahæ eſſent : *ut infrà cap.* 11. *verſ.* 22. quòd totum Apoſtolus ibidem *verſu* 8. vocat gloriari ſecundùm carnem : docet hîc, uſque adeò ſe ſibipſi ac veteri vitæ mortuum eſſe, & in alium hominem tranſmutatum ; ut jam nihil illorum magni faciat. Docet autem id ipſum plenius in epiſtola ad Philip. 3. ubi adverſus eoſdem agens Pſeudapoſtolos *in carne fiduciam habentes*, ſcribit ſe quidem etiam habere unde confidere poſſit in carne; ſed univerſam illam in carne gloriandi materiam æſtimaſſe propter Chriſtum ut detrimenta & ſtercora. Qui locus eſt pro *comment. loci præſentis.*

Cujus proinde ſenſus quàm maximè probabilis, eſt iſte : Cùm itaque nos novæ legis miniſtri per Chriſtum mortui ſimus vitæ veteri ac nobis ipſis, & in novam cùm Chriſto vitam transformati, ſanè ex eo jam tempore quo fungimur hoc miniſterio, neminem novimus ſecundùm carnem, notitia videlicet amoris & propenſioris affectus ; id eſt, in nemine gloriamur carnalis propinquitatis cauſa ; ne quidem in ipſo Abraham patre noſtro *ſecundùm carnem* ; ut appellatur Rom. 4.

Nota ad mores, exemplo Apoſtoli miniſtris Evangelij non gloriandum in amicis.

ET SI COGNOVIMUS SECUNDUM CARNEM CHRISTUM ; SED NUNC JAM NON NOVIMUS. Græcè ; *Si verò etiam cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum, ſed nunc non ampliùs cognoſcimus.* Ubi, *ſed* pro *tamen* poſitum eſt, quomodo reddidit interpres capite ſuperiori verſu 16. *tamen is qui intus eſt, renovatur*, &c. Auget orationem Apoſtolus hac parte, quaſi in immenſum. Poterat enim dicere, Nec ipſum Abraham novimus ſecundùm carnem : Sed nominare voluit quemdam incomparabiliter majorem. Quin etſi, inquit, aliquando magnum & glorioſum putavimus, gentilem & conſanguineum eſſe Chriſti ſecundùm carnem : at nunc ita penitus mortui ſumus affectibus vitæ veteris, ut non ampliùs in hujuſmodi re gloriandum nobis cenſeamus. Etenim Pſeudapoſtolos in eo vel imprimis gloriatos fuiſſe quòd Chriſto eſſent carne & ſanguine conjuncti ; non eſt dubitandum : quandoquidem Apoſtolus Rom. 9. inter prærogativas Judæorum hoc etiam enumerat, quod ex iis eſſet *Chriſtus ſecundùm carnem.* Verumtamen id non eſſe magnifaciendum, ipſe etiam Chriſtus docuit : quando quibuſdam ſibi nunciantibus adventum ſuæ matris, & fratrum, reſpondit : *Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt*, Lucæ 8.

Paulus nec Chriſtum novit ſecundùm carnem.

Porrò *ſciendum eſt* hujus loci teſtimonio Fauſtum Manichæum quondam abuſum fuiſſe, quo doceret Chriſtum Dominum non habuiſſe veram carnem. Dicebat Paulum, quamvis aliter fortaſſis aliquando ſenſiſſet, ut in epiſtola quam ad *Romanos* ſcripſerat, *cap.* 1. ubi Chriſtus legitur *factus ex ſemine David ſecundùm carnem*, in hoc loco ſententiam correxiſſe, quando dixit, *Et ſi cognovimus Chriſtum ſecundùm carnem, nunc tamen non novimus.* Ita refert Auguſt. ipſius Fauſti verbis *lib.* 11. *adverſus eum ſcripto cap.* 1. Refellit autem *cap.* 7. Idque duplici ratione. *Primùm*, quia ſi Chriſtus numquam fuit ſecundùm carnem : mentitus eſt Paulus cum ait, *Cognovimus eum ſecundùm carnem.* Siquidem nemo cognoſcit quod non eſt. Neque enim Paulus dixit, Putavimus, quod eſt opinantis verè aut falsò, ſed *cognovimus. Deinde*, & quidem efficacius, hoc argumento : Quod ſi Chriſtus ideò non habuit carnem, quia dicit Apoſtolus *ſe nunc* eum non noviſſe ſecundùm carnem ; igitur nec illi carnem habuerunt de quibus dicit, *Ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem* : Quod nec ipſe Fauſtus ſenſit.

Manichæi negantes in Chriſto veram carnem, uſi hoc loco.

Refellit eos Auguſtinus.

Addo tertiam rationem. Non enim dici poteſt Apoſtolum correxiſſe ſententiam quam poſteà ſcripſit. Atqui præter hoc quod in ſecunda ad Timotheum

epiſtola multò pòſt ſcripta, cap. 2. dicit, *Memor eſto Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David, ſecundùm Evangelium meum:* Etiam hoc ipſum quod ad Romanos ſcripſit, poſteà ab eo ſcriptum eſt. Nam ordine temporis epiſtolam ad Romanos utraque ad Corinthios ſcripta præcedit: uti ſuo loco monſtravimus.

Obſ. contra Sacramentarios, malè abſentiam carnis Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento colligentes.

Poſtremò, liquet quàm futiliter ex hoc loco probare nitantur Sacramentarii quidam abſentiam carnis Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento: quaſi ſenſus ſit, Chriſtum ex quo cælos petivit, non ampliùs ut carne præſentem à nobis cognoſci. Quem ſenſum hujus loci nullus ſcriptor orthodoxus tradidit. Refellitur autem pari ratione, qua Fauſti ſenſum refellit Auguſt. quia ſi Chriſtum Paulus ideò non ampliùs noverat ſecundùm carnem', quod eum non noſſet carne præſentem: igitur nec quemquam alium hominem cognoſcebat carne præſentem; quia generaliter dixit: *Ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem.*

Fœmininum genus ab interprete pro maſculino poſitum.

17. SI QUA ERGO IN CHRISTO, NOVA CREATURA. Græcè. *Itaque ſi quis in Chriſto*, &c. Quamvis enim Græcum τις, commune ſit ad *quis* & *quæ*; Græci tamen enarratores maſculinum genus, utroque ſexu comprehenſo, ſeſe intelleXiſſe declarant. In quem ſenſum & Origenis interpres, ex mente ſui authoris, hoc modo vertit in homilia 2. ſuper Leviticum: *Omnis ergo, ſecundùm Apoſtolum, qui in Chriſto eſt, nova creatura eſt.* Ex Latinis quoque S. Ambroſius *epiſt. 8. ad Fauſt.* ſcripta, locum hunc ita recitat, *Si quis in Chriſto, nova creatura.* Et exponit *Si quis in Chriſto eſt, nova creatura eſt, non naturæ novitate formatus, ſed gratiæ.* Eumdem lectionem volunt Pelagius & Sedulius, quorum hoc eſt ſcholion, *Si quis credit in Chriſto, nova eſt creatura.* Denique ex Syriaco ſic interpretantur: *Quiſquis igitur in Chriſto eſt, creatura eſt nova.*

Quiſquis in Chriſto eſt, nova creatura eſt.

Patet ex his, ſenſum hujus partis non pendere ex eo quod ſequitur, *vetera tranſierunt*: quo modo multi Latinorum acceperunt: ſed in ſeipſo perfectum eſſe, verbo *eſt* bis intellecto, ad hunc modum. Quare ſi quis eſt in Chriſto, nova creatura eſt; licet Hentenius Oecumenii commentario ſuam verſionem accommodans, priorem partem alio verbo ſuppleat, *Si quis vivit in Chriſto.* Sed res eodem redit. Nam quod ſentit Apoſtolus, tale eſt; Cùm Chriſtus mortuus fuerit ac reſurrexerit pro omnibus, ut jam non ſibi vivant, ſed Chriſto; quod eſt vetuſtate depoſita novum eſſe hominem: conſequens eſt, non modò nos Evangelicæ legis miniſtros, ſed & omnem eum qui Chriſto per fidem inſitus eſt, & Chriſto jam vivit, per ipſius gratiam novum eſſe hominem, ac novam creaturam; qui proinde ea omnia, quæ veteris ſunt hominis, quale eſt noviſſe aliquem ſecundùm carnem, abjicere debeat. Unde ſequitur.

Vetera quæ dicantur, & quo ſenſu tranſierint.

VETERA TRANSIERUNT. Græcè παρῆλθεν, *præterierunt. Vetera* dicit quæcumque ad veterem hominem pertinent; ut peccatum, erroreſque gentilium, & omnis carnalis affectus: Item vetus teſtamentum cum ſuis legalibus; ipſaque præcipuè veteris teſtamenti ſervitus; denique corruptio mortalitatis. Hæc autem præterierunt & abolita ſunt per Chriſtum, in iis qui Chriſti ſunt; nondum quidem ſimpliciter & perfectè, ſed partim re, partim ſpe, partim ſecundùm inchoationem huic vitæ convenientem.

Omnia facta nova, quo ſenſu.

ECCE FACTA SUNT OMNIA NOVA. Scilicet ex veteribus. Hoc eſt, Omnis vetuſtas in novitatem commutata eſt. Quod ſimiliter intellige partim in re, partim autem in ſpe futuri ſæculi: de quo propriè dictum eſt illud à ſedente in throno: *Ecce nova facio omnia*, Apoc. 21. Nova igitur ſunt illis veteribus oppoſita, fides, juſtitia, ſanctitas; novum teſtamentum cùm ſuis inſtitutis; ac præcipuè novi teſtamenti libertas: & in futuro ſæculo totus homo novus & beatus ſecundùm animam & corpus; Denique cælum novum & terra nova, & Hieruſalem, id eſt, Eccleſia nova; ſicut in Apocalypſi legimus. Videtur autem D. Thomæ & Cajetano Paulus hoc loco alludere, ſecundùm myſticam intelligentiam, ad verba Moyſi, Lev. 26. quibus ait: *Vetera novis ſupervenientibus projicietis.* Atqui locus expreſſior eſt apud Iſaiam c. 43. ubi *hæc dicit Dominus; Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: Ecce ego facio nova, & nunc orientur: utique cognoſcetis ea.* Ad hunc locum alluſiſſe Paulum multò veriſimilius eſt.

Paulus omnia nova reſolvit in Deũ, ut primum authorem.

18. OMNIA AUTEM EX DEO. Hoc ad proximam ſententiam referendum eſt, qua dixerat, omnia nova facta eſſe; per Chriſtum videlicet. Id enim innuit ſuperiori parte, *Si quis in Chriſto, nova creatura.* Hîc igitur more ſuo, quæ dixit eſſe per Chriſtum, tamdem revocat ac reſolvit in Deum ut primum authorem: ac ſi dicat, Univerſum hoc beneficium renovationis quod Chriſtus nobis promeruit, quodque jam partim habemus, partim expectamus, ex Deo eſt, ut fonte & authore omnis boni. Non ergo quod dicit, *omnia*, complectitur utrumque genus præcedens, vetera & nova, ſed ſola nova. Quamquam & vetera quædam, ut vetus teſtamentum cum ſuis præceptis ac cærimoniis, ab uno & eodem eſſe Deo, ſecundùm fidem catholicam fatendum eſt.

Vetus teſtamentum ab uno vero Deo.

QUI NOS RECONCILIAVIT SIBI PER CHRISTUM. Græcè, *per Jeſum Chriſtum*, aſtipulante textu Ambroſiano. Qui Deus (inquit) nos peccatores æternæ morti obnoxios, in gratiam & amicitiam recepit, hoc eſt peccata condonavit, juſtificavit, in filios adoptavit (totum enim hoc continetur in nomine reconciliationis;) idque per Jeſum Chriſtum, meditatorem & pacificatorem noſtrum, qui paſſione ſua ac morte pro peccatis noſtris Deo Patri ſatisfecit, ejuſque gratiam nobis promeruit. Pelagius illud, *per Chriſtum*, exponit hoc modo; *per Chriſti doctrinam pariter & exemplum.*

Reconciliatio cum Deo quid complectitur.

Quam Chriſti gratiam prædicaverit Pelagius.

Hæc nimirum Chriſti gratia eſt quam tradidit Pelagius, conſtituens eam in doctrina Chriſti, quam ſequamur; & exemplo vitæ ejus, quod imitemur: quaſi nobis ad reconciliationem iſta duo ſufficiant, doctrina & exemplum Chriſti; nec opus habeamus pretio ſanguinis ejus ad redemptionem, nec merito paſſionis ejus, ad juſtitiam. Quod planè Pelagianum eſt & hæreticum. Quocirca Primaſius hunc Pelagii commentarium volens corrigere, repoſuit hoc gloſſema: *per ſanguinem & exemplum Chriſti: quia & redemit & docuit.* Quæ tamen haud plena correctio eſt: Nam Paulus dicens Deum nos ſibi reconciliaſſe per Chriſtum, non ad exemplum neque ad doctrinam Chriſti reſpexit, ſed ad precium & meritum, quo utroque reconciliationem cum Deo nobis procuravit.

Corrigit Primaſius haud plenè.

Miniſterium reconciliationis, quod ſit.

ET DEDIT NOBIS MINISTERIUM RECONCILIATIONIS. Hoc eſt, Injunxit ac delegavit nobis Apoſtolis miniſterium reconciliationis hominibus annunciandæ: voluit nos humanæ reconciliationis quam Chriſtus ſua paſſione paravit, eſſe velut executores & adminiſtros: utique per Evangelii Chriſti prædicationem. Sub qua tamen comprehende Sacramentorum ejus adminiſtrationem. Chriſtus enim ſuis Apoſtolis, quos ad miniſterium reconciliationis miſit, non ſolùm prædicandi Evangelii, ſed & baptizandi credentes, & peccata remittendi poteſtatem commiſit. *Matth. 28. & Joan. 20.* Quamquam Paulus tantùm priorem modum explicat in ſequentibus; qui & in priore epiſt. cap. 1. dixerat: *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare.* Hîc jam tacitè & opportunè redit Apoſtolus ad commendandam dignitatem miniſterii novæ legis: per quod nimirum ipſa reconciliatio, & renovatio de qua dixit, *Ecce facta ſunt omnia nova*, perducitur ad effectum: Deo videlicet Apoſtolis, ut miniſtris ad eam rem utente.

19. QUONIAM QUIDEM DEUS ERAT IN CHRISTO MUNDUM RECONCILIANS SIBI. *Quoniam quidem*, Græcè ὡς ὅτι, pro quo Erasmus, *quandoquidem*: At meliùs Faber, *ut quod*. Declarat enim Apostolus reconciliationem suo ministerio annunciandam, de qua dixerat, *Qui nos reconciliauit sibi per Christum.*

Duplex hujus loci constructio.

Potest autem sententia duobus modis ordinari: Vel sic, ut illud *in Christo* jungatur præcedentibus, sitque *sensus*: Deus mundum sibi reconcilians, erat in Christo per unitatem essentiæ: Pater, inquam, in Filio, juxta dictum Filii, Joannis 14. *Ego in Patre & Pater in me est.* Vel hoc modo: Deus erat reconcilians sibi mundum in Christo; id est, reconciliavit sibi genus humanum per Christum. Quem sensum expressit Hentenii versio. *Deus per Christum reconciliabat mundum sibi.*

Tertia Cajetani.

Addit Cajetanus & tertiam constructionem, *in Christo mundum*; ut *inquit limitetur reconciliatio ad mundum in Christo*, id est, ad eam partem hominum, quæ *jungitur*, sive *incorporatur Christo*.

Refellitur.

Verùm hæc constructio, quamvis Cajetano præ reliquis placeat, dura & coacta est; quam nec facilè Græca admittunt.

Secunda, quæ Græcorum, probatur.

Cæterùm prima constructio Latinorum est, Ambrosiastri, Primasii, & passim aliorum, tam veterum quàm recentiorum; qui inde probant unitatem Christi cum Deo, id est, Filii cum Patre: licet eorum nonnulli sic exponant; *Deus erat in Christo* homine: quatenus scilicet in humana Christi natura divinitas salutem nostram operabatur. At verò secundam constructionem & sensum uno consensu tradunt omnes interpretes Græci. Refert & S. Thomas posteriore loco. Nec dubium, quin hic commentarius & phrasi Paulinæ congruat, *in Christo*, id est, per Christum; & aptè respondeat tam præcedentibus, ubi dixit. *Qui nos reconciliavit sibi per Christum*, quàm iis quæ deinceps sequuntur.

Mundus pro genere humano.

Mundus hoc loco genus humanum significat, ut frequenter alibi: sed utrùm generaliter an strictè, paulò pòst expendemus.

NON REPUTANS ILLIS DELICTA IPSORUM. *Non reputans* ab interprete dictum pro *non imputans*, Græcè μὴ λογιζόμενος. Explicatur autem reconciliatio mundi cum Deo, non ex toto genere, sed ex ea parte quæ continet abolitionem offensæ; cum alioquin in plena significatione reconciliationis, etiam gratia & amicitia contineatur: licet disputent Theologi num remitti possit offensa, si non & gratia per offensam perdita restituatur. Verùm Apostolus in parte totũ voluit intelligi; *Deus*, inquit, *erat in Christo non imputans*, hoc est per Christum remittens, *illis*, id est, mundo sive hominibus, *peccata ipsorum*, adeoque eos sibi gratificans (ut ait *Ephes.* 1.) in dilecto filio suo. Nam remissionem peccatorum ac reconciliationem non fieri sine interna mentis sanctificane, passim idem Apostolus nos docet, ut Colos. 1. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso.* Mundi nomine quidam volunt universum genus humanum intelligi, id est, omnes & singulos homines, tamquam sentiat Apostolus in Christi passione fuisse meritum ac precium pœnamque sufficientem ad reconciliandum Deo totum mundum & ad omnia mundi peccata tollenda, licet hujus reconciliationis ac remissionis effectus non in omnibus exsistat, sed in iis tantùm qui verbum reconciliationis sibi prædicatum recipiunt. Sensus hic verus est, non tamen huic loco conveniens. Nusquam enim ita scriptura loquitur, ut dicat Deum infideles & numquam credituros sibi reconciliare: iisdemque non imputare sua delicta.

Problema Theologicum. Quid non imputare delicta.

Reconciliatio non fit absque interna sanctificatione.

An mundi nomine totũ genus humanum intelligatur.

Mundus, id est, ex toto mundo electi.

Rectiùs itaque sentiunt, qui mundum interpretantur homines ex toto mundo electos seu prædestinatos ad salutem. Ita disertè Glossator, Haimo, Lombardus, Hervæus & Carthusianus, & ante hos omnes Augustinus *tractatu* 110. *super Joannem*: Qui locus etiam à Beda refertur *in collectaneis*. Sed & *tractatu* 87. *ejusdem operis*, idem Augustin. citans hunc locum Apostoli, dicit per mundum Ecclesiam significari, videlicet toto orbo diffusam, ac de mundo collectam; atque eam mundi acceptionem in scripturis usitatam aliis etiam exemplis declarat. Accedunt Liranus & Cajetanus: quorum ille mundum ad Christianos restringit, iste (quemadmodum suprà retulimus) ad eam partem mundi quæ incorporatur Christo: sicut Angelus dixit ad Joseph, *Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum*, Matth. 1.

Utrum soli electi, an omnes vocati.

Non refert autem utrum mundum, id est, genus humanum, intelligas in electis, an in omnibus vocatis atque vocandis efficaciter ad fidem Christi, dummodò constet electos principaliter ab Apostolo significari. Nam *omnia propter electos*, 2. Timoth. 2. Hos igitur ex omnibus gentibus per Apostolorum ministerium ad finem vocat Deus. De quo ministerio sequitur.

ET POSUIT IN NOBIS VERBUM RECONCILIATIONIS. Quidam (verbum) interpretantur negotium juxta phrasim Hebræam; ut sit sensus: Deus negotium reconciliationis nobis commisit. Sed probabilius est Apostolico more loquendi verbum Evangelicæ prædicationis significari: tamquam Paulus dicat, Ut reconciliatio mundi quam Deus in Christo paravit, effectui demandetur, nobis Apostolis injunxit munus evangelizandi mundo gratiam hanc reconciliationis; nos elegit ac fecit ministros annunciandi tanti beneficii.

Quid verbũ reconciliationis.

20. PRO CHRISTO ERGO LEGATIONE FUNGIMUR. Usum ministerii Apostolis commissi, his & sequentibus verbis declarat. Officium nostrum, inquit, sedulò exequimur, legationem obeuntes *pro Christo*, id est, vice & loco Christi, & ut alibi loquitur, *in persona Christi*, cujus Apostoli sumus. Dum meminit legationis, innuit nobis principatum Christi. Quippe magnorum principum est legatos mittere; nempe quales significantur Græca voce πρεσβεύομεν, *legatione fungimur*. Pro quo dici potest, ait Faber, *oratores & legati construimur*. Ita simul & sui, id est, Apostolici minister ii dignitatem Paulus amplificat.

Legationis nomen & Christi principatum, & Apostolorum dignitatem insinuat.

TAMQUAM DEO EXHORTANTE PER NOS. Pro *exhortante* aliis placet *obsecrante*, aliis *consolante*. Hæc enim omnia significat Græcum παρακαλοῦντος. Sed consolandi significatum huic loco non quadrat. *Sensus* autem est. Cùm nos legatione nostra fungentes exhortamur aut obsecramus homines, ut per fidem & pœnitentiam Deo reconcilientur: sic accipere debent, ac si Deus exhortetur aut obsecret. Ille enim per nos hæc agit, tamquam per suos ministros; qui hæc egit aliquando per Christum in terra degentem. Sed postquam sublatus est Christus in cælum, nos illius vices nunc gerimus in terra. Deus igitur primus author, Christus minister principalis, nos ministri secundarii atque vicarii, à Deo & Christo missi. Sermo est autem de Christo homine. Nonnulli partem hanc connectunt cum ea quæ sequitur, sensu nequaquam improbando: sicque magis conveniet obsecrationem Græco vocabulo significari.

Deus per Apostolos hortatur & obsecrat.

OBSECRAMUS PRO CHRISTO. Id est, rogamus homines vice Christi, tamquam Deo per nos obsecrante. Non dicit præcipimus, admonemus: sed δεόμεθα, *rogamus*, *precamur*. Imò Deum quoque facit obsecrantem, non quidem simpliciter, sed per ministros, ut per hæc ostendat, Euangelii præconem non solùm præcipiendo, increpando, admonendo; verùm etiam rogando & obsecrando agere debere, ut homines accedant ad Christum. Unde scribit Timotheo 2. epistol. 4. *Argue, increpa, obsecra, in omni patientia & doctrina*, Idque adeò præstitit ipse Paulus in suis epistolis, ut Roman. 12.

Quid obsecrare pro Christo.

Obsecro vos, inquit, *fratres per misericordiam Dei*, & Ephes. 4. *Obsecro vos ego vinctus in Domino*. Quid autem rogent & obsecrent homines legati Christi, subjungit.

RECONCILIAMINI DEO. Modus est imperativus in Græco, καταλλαγητε, *reconciliamini*, sed qui serviat obsecrationi. Igitur obsecramus, inquit, pro Christo, dicentes hominibus; *Reconciliamini Deo*, quasi dicat, Hoc est quod homines ex Christi persona rogamus, hoc est quod Deus ipse per nos obsecrat, ut cum ipso redeant in gratiam. Mira Dei bonitas: Ipse est quem homines peccando offenderunt: & tamen legatos cum precibus ad eos mittit pro reconciliatione. Nec minùs stupenda malitia mentis humanæ, quæ precum blanditiis ad ea quæ suæ salutis sunt, invitari debeat.

Nota, quàm sit mira Dei bonitas erga homines.

Quomodo mundus reconciliatus, adhuc invitetur ad reconcilationẽ.

Jam quomodo mundum adhuc invitent Apostoli ad reconciliationem cum Deo; qui sicut antè dictum est, mundum in Christo sibi reconciliávit: ex superioribus intelligi potest. Reconciliavit enim sibi mundum in Christo; quatenus in Christi passione causam dedit efficacem, omnes eos sibi reconciliandi quos ex humano genere elegit ad salutem: Quamquam ut effectum habeat in singulis reconciliatio, causam illam necesse est iis applicari per fidem, pœnitentiam, divini nominis invocationem, ipsaque sacramenta divinitus ad exequendam reconciliationem, ordinata: quæ tamen omnia ab eodem fonte meritorum passionis Christi promanant.

Passio Christi nobis applicatur per fidem, &c. quæ tamen ipsa sunt effectus passionis.

Notandum est cum Cajetano, hoc quod Apostolus ait; *Tamquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo*: signativè ab eo scribi, verbis scilicet actũ signatum, ut dialectici loquuntur, indicantibus; non actum exercitum. Non enim hîc obsecrat Paulus: sed docet officium legatorum Christi esse, ut omnes homines etiam obsecrando, studeant ad Christum adducere. Cujus rei argumentum est quod non dicat, Deo vos exhortante, vos obsecramus; quasi speciatim ad Corinthios hæc verba spectarent: sed absolutè ac nullo addito pronomine, videlicet ad significandum officium ministrorum novæ legis in genere, erga omnes ad quos mittuntur. Illud verò *Reconciliamini Deo*, mimeticum est, juxta datam à nobis expositionem. Sed & sequentia materialiter accipienda, censet idem Cajetanus.

Actum signatum non exercitum, indicant Apostoli verba.

21. EUM QUI NON NOVERAT PECCATUM PRO NOBIS PECCATUM FECIT. Scilicet Deus. Nam quod in quibusdam codicibus August. tempore legebatur, *Is qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: tamquam pro nobis Christus ipse peccaverit: eam lectionem ut mendosam, meritò reprehendit idem August. *in Enchirid. cap.* 41. & *lib.* 2. *contra Maxim. cap.* 2. Hanc pericopen, in Græco causalis conjunctio nectit cum præcedenti τὸν γὰρ μὴ γνοντα ἁμαρτίαν. *Eum enim qui non cognovit peccatum*, &c. Ratio namque redditur sperandæ & quærendæ reconciliationis cum Deo. Ea ratio est magna Dei benignitas & misericordia, qua filium suum, qui peccatum non noverat pro nobis peccatum fecit. Ac fortassis ob similitudinem characterum, *eum* & *enim*, hoc posterius excidit,

Christus non novit peccatum quo sensu.

Dicitur Christus non novisse peccatum phrasi Scripturæ; quia peccatum nullum fecit; id est, adeò fuit à peccato alienus, ac si prorsus peccatum ignoraret. Nec mirum, quando nec peccare potuit ille homo qui idem Deus erat. Ita loquitur in Psalm. 34. *Quæ ignorabam, interrogabant me*. Quod autem sequitur, *pro nobis peccatum fecit*; tribus modis intelligi potest, uti diligenter à Lombardo & S. Thom. annotatum est. *Primùm* hoc sensu; Fecit eum hostiam seu sacrificium pro peccatis nostris. Nam more veteri sacrificia pro peccatis peccata vocabantur. Unde dicitur *Osee* 4. de sacerdotibus, *peccata populi mei comedent*, id est, oblata pro peccatis. Hoc modo

Christus pro nobis peccatum factus, trifariam exponitur.

Sacrificia pro peccatis in lege vocabantur peccata.

post Ambrosianum exponunt Pelagius, Primasius, Sedulius & Haimo, locum adducentes ex lege *Levitici* 4. juxta versionem interpretum LXX. *Et imponet manum suam super caput peccati*: quemadmodum & in Hebræo legitur, pro quo Hieronymus; *super caput hostiæ quæ pro peccato est*. Tale & illud est in Hebræo Levitici 10. *Cur non comedistis peccatum?* Ubi LXX. *quod pro peccato*, Hieronymus *hostiam pro peccato*. Item *Numer.* ubi similes occurrunt locutiones, observatæ ab August. *quæst.* 12. *super Numer.* Placet hic sensus multis aliis, ac nominatim ipsi August. qui passim eum tradit; *ut duobus locis jam antè cit.* ac præterea *lib. de pecc. orig. cap.* 32. *lib.* 3. *contra duas epist. Pelag. cap.* 6. *serm.* 48. *de verbis Dom. cap.* 4. & *serm.* 6. *de verbis Apostolis, cap.* 8. & *epist.* 120. *ad Honoratum cap.* 30.

Secundus sensus: peccatum, id est, peccatoribus similis.

Alter *sensus est*: Fecit eum peccatum, id est, hominem morti, miseriis ac passionibus subjectum, & per hæc peccatoribus similem: ut in peccato, similitudo peccati, vel pœna peccati intelligatur. Hujus quoque sensus meminit Aug. *locis prius notatis in Enchir.* & *contra Maximum*, & *alibi*. Meminit etiam Oecumenius; & probat Paulus Burgensis.

Tertius sensus, peccatum, id est, reputatione peccatoris.

Tertius sensus: Fecit eum reputari peccatorem ab hominibus, sicut scriptum est Isaiæ 53. *Cùm sceleratis reputatus est*: ut hoc dictum sit ea forma loquendi, qua aliquid dici solet tale; non quia sit, sed quoniam opinantur homines esse tale: Quo sensu dixit Bethsabee ad Davidem, 3. Reg. 1. *erimus ego & filius meus Salomon peccatores*, id est, reputabimur ut fontes, ac de vita periclitabimur. Sed quia secundùm hanc expositionem videri potest Deus author falsæ reputationis, id est, erroris hominum ita malè judicantium; idcircò tertium hoc intellectum censeo sive corrigendum sive explicandum esse per commentarium Græcorum, Chrysostomi ac cæterorum; qui peccatum emphaticos interpretantur magnum peccatorem: ac si dicat Apostolus; Nostri causa tractavit eum tamquam ipsum peccatum, ipsum scelus, id est, tamquam hominem insigniter sceleratum, ut *in quo posuerit iniquitatem omnium nostrûm*, Isaiæ 53. Idque more capri emissarii, qui portabat omnes iniquitates filiorum Israël, quas ejus capiti pontifex fuerat imprecatus. *Lev.* 16.

Explicatur tertius sensus.

Peccatum, id est, magnus peccator.

Fecit igitur Christum Deus peccatum, quando tradidit eum in mortem crucis; quo genere supplicij solent affici famosi latrones, qualis Barabas, quales & illi duo nequam cum Domino crucibus affixi, *Luc.* 23. Sic alibi Christus dicitur factus pro nobis maledictum: *quia scriptum est*: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, Galat. 3. & Deut. 21. Nam & illam scripturam huc adducunt Chrysostomus & alii.

Christus maledictum.

Hinc porrò jam sequitur (quod habebat tertia expositio) Christum reputatum fuisse magnum peccatorem, scilicet ab iis qui solent ex pœnis æstimare peccata. In hoc sensu Græcorum, magis quam in duobus prioribus elucet antithesis inter peccatum & justitiam, ab Apostolo intenta: quam complet verbis subjunctis, simul explicans particulam, *pro nobis*.

UT NOS EFFICEREMUR JUSTITIA DEI IN IPSO. *In ipso*, Hebraismus, id est, *per ipsum*, ut habet textu. Ambrosianus, & exponit Oecumenius. Per ipsum inquam, Christum, hoc est per Christi meritum. Sed quomodo per Christum nos efficiamur justitia Dei, *quærendum est*. Abutuntur enim hoc loco Sectarii, quo doceant omnem nostram justitiam qua justi vocamur, externam esse, scilicet ipsam Dei vel Christi justitiam, quæ nostra fiat dum nobis illam gratuitò Deus imputat, eodem (ut aiunt) modo quo Christus peccatum sive peccator factus est, non injustitia sibi inhærente, sed imputatione nostrorum peccatorum, *quæ ipse pertulit in corpore suo super lignum*, 1. Petri 2. Deo videlicet juxta prophetam *in eo ponente iniquitatem omnium nostrûm*

Obs. contra Sectarios, imputativam justitiam hinc probare nitentes.

Dei justitia, quæ in nobis à Deo.

Verùm hujuſmodi intellectus à mente Sanctorum Patrum & orthodoxorum interpretum, prorſus eſt alienus. Etenim Dei juſtitiam nobis attribuit tam B. Auguſt. paſſim exponit eam quæ in nobis eſt, non à nobis, ſed à Deo; id eſt, quam nobis internam & inhærentem, ex Dei gratia habemus. Loca ſunt *lib. de ſpiritu & litera cap. 9. & 18.* tractatu 26. *ſuper Joannem, ſermone* 15. *de verbis Apoſtoli cap. 1. in enarr.* Pſalm. 98. ad verſiculum, *Judicium & juſtitiam in Jacob tu feciſti*, & lib 3. contra duas *epiſt. Pelagianorum cap.* 7. Quibus locis diſertè explicat, quemadmodum eadem vocetur juſtitia Dei & noſtra; Dei, quia à Deo eſt; noſtra verò, quia in nobis: Dei, quia Deus eam donat; noſtra, quia nos eam recipimus. Quem eumdem ſenſum pluribus proſequitur *in epiſtola ſeu libr. de gratia novi teſtamenti ad Honoratum cap.* 30. ubi inter cætera rem declarat ex ſcriptura ſimili: *Sicut* enim, *inquit*, *quod legitur* Pſalmo 3. *Domini eſt ſalus: non ea ſalus intelligitur, qua Dominus ſalvus eſt; ſed qua ſalvi ſunt quos ipſe ſalvos facit: ſic cum legitur Dei juſtitia* (citat autem locum Rom. 10. *Ignorantes Dei juſtitiam*, &c.) *non eſt illa intelligenda, qua Deus juſtus eſt: ſed qua juſti ſunt homines quos gratia ſua juſtificat.* Hæc ille.

Eadem juſtitia Dei & noſtra.

Juſtitia Dei, id eſt, coram Deo vera.

Nec aliter ferè Græci & Latini commentatores: niſi quod juſtitiam Dei nonnulli interpretantur eam quæ coram Deo juſtitia eſt: ut nimirum hæc ſit notatio veræ juſtitiæ. Quem ſenſum hujus apud Paulum locutionis admodum eſſe probabilem, oſtendimus in expoſitione *epiſtolæ ad Romanos cap. 1. verſ. 17. & cap. 3. verſ. 21. & cap. 10. verſ. 3.* Quamquam hic ſenſus à priore non diſſidet. Nam ea demum coram Deo, id eſt, vera, juſtitia noſtra eſt, quam in nobis Deus ipſe facit: cui nihil placere poteſt, niſi quod ſuum eſt. Itaque ſentit Apoſtolus, Chriſtum pro nobis factum eſſe peccatum, ut nos per eum verè juſti efficeremur, ea nempe juſtitia, quæ Deo probata ſit: ut hinc vel maximè refellatur imputativæ juſtitiæ commentum.

Deo nihil placet niſi quod ſuum eſt.

Neque vero quia Chriſtus ſola reputatione peccator fuit; ideo conſequens eſt etiam nos ſola reputatione juſtos fieri. Nam nec decuit nec fieri potuit, ut Chriſtus veram injuſtitiam in ſe reciperet; & ſi recepiſſet, haudquaquam fuiſſet idoneus ad ſatisfaciendum Deo pro noſtris peccatis. Injuſtitia namque ſatisfactioni contraria eſt; & alia rurſus ſatisfactione indigeret. Chriſtus igitur cum iniquis reputatus, & pro nobis factus maledictum, in cruce; dum verè ſuſtinuit pœnam noſtris peccatis debitam, (*Verè enim languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*, Iſaiæ 53.) veram quoque juſtitiam nobis promeruit; qua nimirum verè & propriè ſecundùm internam animi rectitudinem juſti eſſemus. Nec tamen dixit Apoſtolus, ut nos efficeremur juſti à Deo, ſive coram Deo; ſed *juſtitia Dei*: vel propter antitheſim expreſſiorem inter peccatum & juſtitiam; vel ſecundùm Chryſoſtomum & Theophylactum, *ut excellentiam gratiæ oſtenderet*; qua ſcilicet ita perfectè quis juſtificatur, ut nullus in eo nævus, nullave macula peccati jam inveniatur. Quæ expoſitio reſpondet acceptioni peccati in priori membro. Verùm illa juſtitiæ perfectio quæ omem peccati maculam excludat, non hujus eſt ſæculi, ſed futuri.

Objectionis adverſa ſolutio.

Chriſtus verè pro nobis paſſus, veram nobis juſtitiam promeruit.

Quo ſenſu nos juſtitia Dei.

Si quis contendat utroque membro reputationem ſignificari: non valde refragamur, dummodo meminerit, in priori parte reputationem hominum intelligi; qui ſua opinione ſæpiſſimè falluntur, reputantes id quod non eſt: in poſteriori, reputationem Dei; qui falli non poteſt, & cujus judicium ſemper eſt ſecundùm veritatem. Sic igitur Chriſtus peccator coram hominibus, qui falluntur: nos autem juſti coram Deo, qui non fallitur. Unde ex hac reputatione qua nos Deus juſtos æſtimat, rurſus id ſequitur quod dixi, nos verè & non tantùm imputativè juſtos eſſe, quemadmodum pleniùs à nobis declaratum eſt ad illud Rom. 4. *Credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad juſtitiam.*

Chriſtus peccator falſa reputatione hominum: nos juſti vera reputatione Dei.

CAPUT VI.

1. ADjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. 3. Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum. 4. Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, 7. in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris. 8. Per gloriam & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: ut ſeductores, & veraces, ſicut qui ignoti & cogniti: quaſi morientes, & ecce vivimus: ut caſtigati, & non mortificati: 10. quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. 11. Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthii, cor noſtrum dilatatum eſt. 12. Non anguſtiamini in nobis: anguſtiamini autem in viſceribus veſtris: 13 eamdem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini & vos. 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? 15. Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? 16. Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos: & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. 17. Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: 18. & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & in filias, dicit Dominus omnipotens.

Iſa. a. 49. c. 8. 2. *Cor.* 1. *g.* 32. 1. *Cor.* 4. *a.* 1. 2. *Cor.* 3. *d.* 27. & 6. *d.* 19. *Lev.* 26. *b.* 12. *Jer.* 31. *a.* 9.

SUMMARIUM.

HOrtatur ne tempus gratiæ & ſalutis negligant. Oſtendit ſe ſuum miniſterium commendaſſe tam multorum malorum tolerantia, quàm vitæ integritate. Excitat ad cordis dilatationem: & revocat à jugo cum infidelibus ducendo: quum ipſi ſint templum & populus & filii Dei.

ADjuvantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Hæc quoque verba pertinent ad declarandum officium legatorum Chriſti; ſicut illa præcedentis capitis, *Obſecramus pro Chriſto*, *Reconciliamini Deo.* Proſequitur enim adhuc Apoſtolus idem argumentum. *Adjuvantes*; Græcè συνεργοῦντες, id eſt, *cooperantes*: quomodo legit Auguſtinus *lib. 1. de baptiſmo parvulorum cap.* 27. Græca ſic habent ad verbum: *Cooperantes autem & exhortamur* (Auguſtinus, *& Rogamus:* Sedulius, *& obſecramus*) *non in vacuum gratiam Dei recepiſſe vos*, id eſt, ne vacuum gratiam Dei receperitis. Conjunctionem *&* habent etiam multi Latini codices mss. nec non veteres concordantiæ. Ambroſius ita legit, *Quin & adjuvantes obſecramus.* Idque ſecutus eſt Eraſmus.

Porrò vocabulum *adjuvantes*, ſeu *cooperantes*, alii ad homines referunt: id eſt, ad Corinthios, ut Latini veteres: in quam ſententiam etiam Chryſoſtomus eſt propenſior. Alii ad homines & Deum, ut Theophylactus, & inter Latinos Lombardus, Hervæus, Aquinas & Carthuſianus: Alii (quod magis placet) ad Deum ſolummodo, ut Oecumenius, & Liranus & Cajetanus. Nam ſimili prorſus ſermone dixit in priore epiſtola cap. 3. *Dei adjutores* ſeu *cooperatores ſumus.*

Itaque *ſenſus* Apoſtoli eſt : Cum Deus in Chriſto mundum ſibi reconciliaverit, cauſam exhibendo ſufficientem reconciliationis ejus ac juſtificationis, in merito paſſionis Chriſti: nos Apoſtoli, quibus à Deo datum eſt miniſterium reconciliationis annunciandæ & exequendæ; Deo cooperantes tamquam ejus miniſtri, cum obſecratione vos exhortamur, ut ne tantum Dei beneficium quod per nos vobis Corinthiis non modò prædicatum, verùm etiam impenſum eſt (quippe qui illud recepiſtis) in vacuum & ſine fructu receperitis : hoc eſt ne reddatis illud vobis inutile. Quod certè futurum eſt, ſi in fide ſuſcepta non perſeveretis, aut fidem ſine bonis operibus arbitremini vobis ſufficere. Ita ferè exhortationem hanc de gratia Dei, ne ſit in vacuum recepta, veteres exponunt.

Gratia Dei quando in vacuum recepta ſit.

Unde liquet non hîc intelligi gratiam ſive habitualem, ſive actualem animæ inhærentem; uti rectè monet etiam Cajetanus; ſed generale illud beneficium reconciliationis mundi; de quo jam antè locutus fuerat Apoſtolus: & de quo ſcribit ad Tit. 2. *Apparuit gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus*, &c. Quod tamen beneficium, priuſquam applicetur, magis in Deo intelligitur, quàm in hominibus; ut hæc gratia ſit benigna Dei voluntas, qua filium ſuum nobis dedit propiciatorem : ſicut exponimus locum memoratum *epiſt. ad Tit.* Quamquam & inhærens gratia in vacuum recepta rectè dicitur, quando quis in ea non perſeverat, ſed peccando eam abjicit.

2. AIT ENIM. Subaudi, ſcriptura; vel potiùs, Deus. Hoc enim proximè præceſſit. Et utique Dei loquentis verba ſunt quæ citantur. Ad quem verò loquatur, mox videbimus.

TEMPORE ACCEPTO EXAUDIVI TE: ET IN DIE SALUTIS ADJUVI TE. Habetur hoc teſtimonium apud *Iſaiam cap.* 49. verbatim reſpondens tam verſioni LXX. interpretum (quorum ipſa verba ponuntur) quàm Hebraicæ veritati. Sunt autem apud Prophetam verba Dei patris ad Chriſtum, quibus teſtatur ſe eum exaudiſſe orantem pro electorum ſalute, eorum qui ex Gentibus erant colligendi; proque eadem cauſa laboranti (ſicut dicitur ejuſdem Prophetæ *capit.* 53. quòd laboravit anima ejus) auxiliatum fuiſſe: idque in tempore accepto ſeu placito, hoc eſt meritò omnibus acceptabili; & in quo Gentes ad ſalutem vocare conſtituit. Apoſtolus autem, juxta multorum expoſitionem, accommodat eum locum Deo promittenti exauditionem & auxilium hominibus, ſi oportunitatem temporis à ſe conceſſi, quo ſalus ipſi paratur, non negligant, & gratiam Dei non in vacuum recipiant. Verùm nulla neceſſitas eſt ſenſum propheticum mutandi. Siquidem poteſt & Apoſtolus ad hunc modum exponi; *Dicit enim*; ſcilicet Deus Pater ad Filium incarnatum, *Tempore accepto exaudivi te.* &c. quomodo nunc expoſita ſunt. Quorſum verò hunc Patris ſermonem ad Filium adducat ex propheta; declarat verbis ſubjunctis.

ECCE NUNC TEMPUS ACCEPTABILE; ECCE NUNC DIES SALUTIS. En, inquit, Apoſtolus, tempus illud acceptabile & ſalutiferum, de quo Deus Pater verbis Prophetæ memoratis locutus eſt ad Filium, nunc eſt, nunc advenit, jamque vobis annunciatum eſt : & propterea vos exhortamur, ne committatis ut gratiam hanc in vacuum receperitis. Porrò ſatis apparet, acceptum, & acceptabile, non ad Deum, ut quidam volunt, ſed ad homines referendum eſſe; & explicari per diem ſalutis. Sic enim tempus illud vocatur hominibus acceptum, id eſt, dignum quod cum plauſu & exultatione ab omnibus acceptetur ac ſuſcipiatur; utpote mundo ſalutem adferens (id quod expreſſiùs ſignificatur per vocem *acceptabile*) quomodo Chriſtus ipſe vocatur *exſpectatio Gentium*, Gen. 49. & *deſideratus cunctis gentibus*, Aggæi 2. non quòd gentes eum aut exſpectarint aut deſideraverint, (Neque enim præmiſſus aut prænunciatus fuerat gentibus.) Sed quia gentium futurus erat Salvator, ideoque ab illis meritò cum ingenti deſiderio exſpectandus.

Notandum quoque, pro accepto & acceptabili, diverſa eſſe in Græco vocabula, δεκτὸς, εὐπρόσδεκτος : quorum poſterius auget ſignificatum prioris : quaſi dicat Apoſtolus, Ecce nunc tempus, non dico acceptum, ſed acceptiſſimum : & (ut alibi loquitur, de eodem myſterio ſalutis agens) *omni acceptione dignum*, 1. Timoth. 1. Præſentem locum ab his verbis, *Ecce nunc tempus acceptabile*, uſque ad verſum 12. tranſcripſit. Aug. *in lib.* 4. *de doct. Chriſt. cap.* 10. ut hoc exemplo doceat Apoſtolo Paulo non defuiſſe facultatem magna granditer & ornatè eloquendi : Quod in oratore ſuo Tullius requirit. Certè res ipſa clamat, totam hanc orationem, ſeu genus dicendi, ſeu ſermonis ornatum ſpectes, cum materia propoſita pulchrè convenire.

Grandiloquentia Apoſtoli.

3. NEMINI DANTES ULLAM OFFENSIONEM. Græcè *nullam in quoquam dantes offenſionem.* Et hoc modo legit Aug. *loco proximè cit.* nec non *lib.* 8. *de Trinit. cap.* 9. tametſi cum noſtro interprete, qui præpoſitionem ἐν non videtur legiſſe, conſonat textus Ambroſianus. Pendet hæc pars ab illa, *Adjuvantes autem exhortamur ne* &c. Quare totum hoc intermedium, *Ait enim* &c. notis parentheticis ſecludunt multi codices. Participium *dantes* ſunt qui conſtruant cum verbo recipiatis; at minus rectè. Non enim hæc quæ ſequuntur, ad Corinthios aut quoſlibet fideles referenda ſunt, tamquam exhortationes & præcepta vitæ; ſe ad ipſum Paulum, ac cæteros quos habebat Evangelii prædicandi collegas. Poſtquam enim ſatis expoſuit in ſuperioribus excellentiam ſui miniſterii : nunc de ſe ſuiſque Evangelii ſociis ſermonem proſequens, oſtendit qua integritate & patientia in eo miniſterio verſentur: ſimul in ea re deſcribens formam boni & fidelis Evangeliſtæ. Dicit ergo, Officium noſtræ legationis exercemus, ſedulò caventes ne cuiquam in ulla re ſimus offendiculo, ne quem verbo aut facto ſcandalizemus. Id quomodo præſtiterit Apoſtolus Paulus, à multis etiam licitis abſtinendo, *ne quod offendiculum daret Evangelio Chriſti*; probant ea quæ ſcribit in priore epiſt. ad Cor. cap. 9.

Nota formâ boni & fidelis Evangeliſtæ.

UT NON VITUPERETUR MINISTERIUM NOSTRUM. ἵνα μὴ μωμηθῇ ἡ διακονία, *ut non reprehendatur* miniſterium; abſque pronomine. Senſus enim eſt; Ut miniſterium evangelicæ prædicationis, cujus excellentiam ſuprà demonſtravi; non reprehendatur, non infametur, non malè audiat apud homines. Quod futurum eſſet, ſi nos qui illo miniſterio fungimur, non caveremus ab offendiculis.

4. SED IN OMNIBUS EXHIBEAMUS NOSMETIPSOS SICUT DEI MINISTROS. Græcè, *Sed in omnibus commendantes noſipſos, ut Dei miniſtri.* Conſentit Ambroſianus; niſi quod pro *commendantes* habet *commendemus*, ſi non eſt mutatum errore ſcribæ. Nam Auguſtinus *locis antè citatis* & alibi, *commendantes* legit : quemadmodum & Cyprianus, ſeu quiſquis author *libri de ſingularitate clericorum.* Nam & veriſimile eſt, in noſtra verſione participium mutatum in verbum, *exhibentes* in *exhibeamus*, occaſione ejus quod in officio eccleſiaſtico Dominicæ 1. Quadrageſimæ (ubi locum hunc totum ad omnes fideles eccleſia accommodat) exhortandi modo recitatur.

Alioquin apud Apoſtolum non exhortatio eſt, ſed narratio; *ſenſum* habens hujuſmodi : Quin contra potiùs in omni re (quod Græcè eſt, ἐν παντὶ, id eſt, variè, multipliciter) noſipſos exhibentes & commendantes hominibus, tamquam Dei miniſtri; id eſt, uti facere convenit Dei miniſtros : quorum eſt

non suam sed Dei gloriam, cujus ministri sunt, & cujus in conspectu versantur, in omnibus spectare. Quod dixit in omnibus, jam deinceps in partes distribuit.

IN MULTA PATIENTIA. Græcè ἐν ὑπομονῇ πολλῇ, *in sustinentia* seu *patientia multa*: sive latiniùs, per *patientiam multam*: significatur autem vel magna patientia, vel potius patientia multorum malorum quæ passim Evangelii ministris inferebantur: ad quæ toleranda nihilominus opus erat magna patientia. Ponit autem à capite patientiam; quod hæc virtus Evangelii ministris sit imprimis necessaria; quodque per eam veri ministri probentur, ipso testante Roman. 5. quod *patientia probationem operatur*. Subtexit autem consequenter ea mala sive adversa, numero novem, quibus exerceri dicit suam suorumque patientiam.

Nota per patientiã probari verum ministerium Evangelii.

IN TRIBULATIONIBUS, IN NECESSITATIBUS, IN ANGUSTIIS. Subaudi, tolerandis. Differunt hæc tria, seu gradibus quibusdam inter se: quòd tribulationes seu pressuræ, θλίψεις sint qualescumque afflictiones, etiam vulgares & quotidianæ: necessitates, ἀνάγκαι, graviores: angustiæ, στενοχωρίαι, gravissimæ; qualem descripsit hujus *epistolæ cap.* 1. Colligitur hoc discrimen partim ex Theophylacto, partim ex Oecumenio: licet alii aliter distinguant. Indigentias significari per necessitates, ut quidam volunt, non est verisimile. Vix enim Græca vox eum usum habet.

5. IN PLAGIS. Id est, in verberibus quibus corpus læditur, ferendis. Quas plagas tulerit Paulus, commemorat ipse pleniùs infrà cap. 11.

IN CARCERIBUS. & hoc infrà de se repetit cum exaggeratione, dicens capit. 21. *in carceribus abundantiùs*.

IN SEDITIONIBUS. Id est, in sustinendis tumultibus populi passim adversum nos seditiosè concitatis, potissimùm à Judæis. Exempla sunt *in Actis Apostolorum cap.* 13. 14. 16. 17. 18. 19. Ambrosiaster legit, *in perturbationibus*, eamdemque vocem exponit. Porrò Theophylactus & Oecumenius Chrysostomum secuti, non seditiones significari putant, sed instabilitates; ut quando quis persecutionibus exagitatus, non sinitur uno loco consistere, sed identidem locum mutat. Unde ait in prima epistola, cap. 4. *Instabiles sumus*. Verùm illic Græcè est ἀστατοῦμεν: hic autem verbale nomen ab illo diversum ἀκαταστασία: quod etsi in numero singulari significet inconstantiam seu instabilitatem; haud scio tamen an in plurali reperiatur ea significatione. Seditiones autem plurali numero significari, vel ex scriptura clarum est; ut Luc. 21. Cùm audieritis *prælia & seditiones*. Et hujus epistolæ cap. 12. *ne forte seditiones sint inter vos*. Quin & in priore *epist. cap.* 14. *vers.* 33. & Jacobi 3. *vers.* 16. quibus locis in singulari legitur ἀκαταστασία, quam interpres modò dissensionem, modò inconstantiam vertit; non instabilitas loci significatur, sed hominum contentiosorum inter se tumultuatio. Quare multò probabilius est, etiam hoc loco seditiones seu tumultus populares intelligi debere.

IN LABORIBUS, IN VIGILIIS, IN JEJUNIIS. Scilicet Evangelii causa toleratis: aut etiam sponte susceptis, ut exponunt Chrysostomus, Theophylactus & alii. Num verò respiciat ad laborem manuum, de quo dixit cap. 4. prioris epist. *laboramus operantes manibus nostris* (quod iidem existimant) incertum est. Constat autem eum alios graviores labores propter Evangelium sustinuisse, de quibus ait infrà cap. 11. *In laboribus plurimis*. Hactenus ea recensuit Apostolus quibus exercetur patientia, quam primam nominaverat. Nunc cætera prosequitur, per quæ se suosque Evangelii collegas exhibere dicit semetipsos, ut Dei ministros.

6. IN CASTITATE. Græcè ἐν ἁγνότητι, *In puritate*. Hentenius, *In sinceritate*. Vox Græca communis est ad castitatem, & eam virtutem qua quis à cupiditate munerum alienus est. Quod quidem Paulus adeò præstitit, ut apud Corinthios citra sumptum eorum, prædicarit Evangelium. De utraque virtute Græci interpretantur; admonentes tamen generaliter intelligi posse puritatem in omnibus servatam: Quod & nobis probatur. Cæterum, *in puritate*, id est, per puritatem; & ita in consequentibus.

Nota virtutẽ castitatis maximè decere præcones Evangelii.

IN SCIENTIA. Chrysostomus ejusque sequaces sapientiam divinam significari putant, oppositam humanæ philosophiæ ac sapientiæ sæculari, qua inflati erant pseudapostoli. Theodoritus doctrinam intelligit, hoc est docendi studium. Rursus alii prudentiam; alii denique scientiam, cujus fit mentio Rom. 10. cum dicit de quibusdam, *quod æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam*: Qui utique erant Judæi & Judaizantes. Verùm illic non est γνῶσις, ut hoc loco, sed ἐπίγνωσις. Verisimile est Apostolum de scientia loqui, quam in *priore epist. cap.* 12. & 13. numeravit inter charismata Spiritus-sancti. Nam illius scientiæ maximus erat usus ad docendum imperitos & imperfectos. Sapientiam verò hîc tacuit, quia non passim apud quoslibet, sed tantùm inter perfectos sapientiam loquebatur, ut ait 1. Cor. 2.

IN LONGANIMITATE. Id est, *animi lenitate*. Virtus est qua illatæ ab illis injuriæ æquo animo feruntur. Quò pertinet illud 1. Cor. 4. *maledicimur, & benedicimus*.

IN SUAVITATE. ἐν χρηστότητι, in benignitate, ut ferè vertunt neoterici; quemadmodum & habet textus Ambrosianus, & translatio qua usus est Augustinus, *lib.* 4. *de doct. Christ.* quamvis idem *in* 8. *de Trinit.* legat in bonitate. Significatur autem comitas & facilitas qua quis aliorum moribus, quantum licet, sese accommodat, asperitati morum opposita. Hanc in se virtutem pluribus verbis Apostolus commendat prioris epistolæ capit. 9. ubi demum ita concludit, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*.

Nota comitatẽ & facilitatem morum necessariam, esse ministris Evangelii.

IN SPIRITU-SANCTO. Græci referunt hoc ad superiora; quasi dicat Apostolus: Ad ea præstanda quæ commemoravi, Spiritus-sanctus nobis auxiliator fuit; Addit Theophyl. intelligi posse dona spiritualia, per quæ documentum dabant Apostoli se veros esse Dei ministros. Qui sensus non est improbabilis: ut hæc pars per se sit posita, sicut & aliæ, & hunc sensum habeat; Fervorem Spiritus-sancti quo agimus, opere manifestamus etiam per varia charismata quæ nobis largitus est, uti sunt donum linguarum, prophetiæ, sanitatum, &c.

IN CHARITATE NON FICTA. Græcè ἀνυποκρίτῳ, *non simulata*, ut legit Ambros. Eadem nostro interpreti vocatur *dilectio sine simulatione*, Rom. 12. *Sensus est*, Non solis verbis charitatem ostendimus, quod faciunt qui fictè amant, suis commodis intenti, sed ipsis factis eam præstamus, salutem hominum unicè quærentes, etiam cum nostro detrimento & periculo. Hac enim re dilectionem suam erga Corinthios multipliciter probat infrà cap. 11. & 12. ubi illud demum adjungit: *Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos*. Loquitur autem de actu charitatis, non de habitu, Notatque pseudapostolos *in astutia ambulantes*, uti superiùs dixit *cap.* 4.

7. IN VERBO VERITATIS. Id est, Veritatem Evangelicam apertè & sincerè prædicantes. Hoc quoque ponit ad discrimen pseudapostolorum, *adulterantium verbum Dei*: quo nomine eos notavit *suprà capit.* 2. & 4. Quæ duo loca pro commentario sunt hujus partis.

IN VIRTUTE DEI. Græcè, ἐν δυνάμει θεοῦ. *In potentia Dei*. Græci referunt etiam hoc ad præcedentia; tamquam dicat Apostolus (ait Theophyla-

ctus;) *Nihil* horum quæ dixi, *meum eſt: ſed hæc omnia in virtute & potentia Dei facta ſunt.* Addit idem author, intelligi poſſe virtutem Dei quæ oſtenditur per miracula. Sic enim *Rom.* 15. cùm de fructu Evangelii à ſe prædicati loqueretur Apoſtolus, adjecit: *in virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti.* Et 1. Cor. 2. ſermonem ſuum fuiſſe dicit, *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis.* Græcorum ſententia videtur probabilior. Confer ſuprà, cap. 4. ad illud, *Ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.* Unde videtur referendum ad præcedens, ſcil. in verbo veritatis: nec videtur exponendum de virtute miraculorum; nam ſolet eam ſignificare per operationem Spiritus-ſancti, *ut Rom.* 15.

Significat ergo quòd verbum veritatis in quo laborat, ſit efficax & fructuoſum per virtutem Dei. Pelagius *virtutem Dei* virtutem legis interpretatur, juxta ſuam hæreſim; conſtituens gratiam Dei in lege & doctrina. Inhæreamus igitur ſenſui illi Græcorum communi. Pro expoſitione autem Theophylacti propria quæ ſcripturæ ſunt allatæ, magis faciunt pro ſecunda expoſitione paulò antè data illius particulæ, *In Spiritu ſancto.* Confer quæ diximus ad illud Rom. 1. *Secundum ſpiritum ſanctificationis.*

PER ARMA JUSTITIÆ A DEXTRIS ET A SINISTRIS. Græcè, dextra & ſiniſtra; conſtruuntur enim cum ſubſtantivo *arma*: Sicque legit Auguſtinus *in expoſitione pſalmi* 92. & 93. Quidam *arma juſtitiæ* interpretantur opera virtutum, propterea quod *Epheſ.* 6. armaturam militis Chriſtiani per virtutes deſcribat Apoſtolus; A dextris autem & ſiniſtris, idem valere putant quod undique & omni ex parte: ut ſenſus ſit, Commendamus noſmetipſos undequaque per opera virtutum omnis generis. At *ſciendum*, per arma generaliter inſtrumenta poſſe intelligi, ſecundùm quod Apoſtolus ad Rom. 6. ſcribit, *Ne exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma juſtitiæ Deo.* Dextera verò & ſiniſtra convenienter intelliguntur proſpera & adverſa. Id quod ſua verſione exprimere voluit Stapulenſis, ita vertens, per arma juſtitiæ ſecundorum & adverſorum. Unde & in extremo judicio oves à dextris, hœdi autem à ſiniſtris collocandi dicuntur. *Matth.* 25.

Rectè igitur plerique tam Græci quàm Latini, partem hanc ita exponunt, Declaramus nos Dei miniſtros in proſperis & adverſis; dum utriſque utimur velut inſtrumentis virtutum. In proſperis, exhibentes nos temperantes & humiles: in adverſis, patientes & fortes; in utroque genere immobiles à rectitudine juſtitiæ. Juſtitiam verò generalem intelligit, ut alibi confirmant & explicant hunc intellectum membra ſequentia; quibus alia dextra, alia ſiniſtra nominantur.

8. PER GLORIAM ET IGNOBILITATEM. Græcè, ignominiam, id eſt, contemptum. qui gloriæ opponitur. PER INFAMIAM ET BONAM FAMAM. Quaſi diceret, per maledicta & laudes. *Senſus eſt*, ſive honore ſive ignominia nos afficiant homines; ſive benè de nobis loquantur, ſive malè: ſemper tenemus rectum juſtitiæ curſum; ab integritate & ſinceritate miniſterii noſtri præſtanda, non diſcedimus. Bene S. Thomas admonet nemini licere dare cauſam infamiæ ſuæ; ſed unumquemque debere bonam famam ſibi procurare, juxta illud Eccleſiaſt. 41. *Curam habe de bono nomine.* Cæterùm ſi quem contingat infamari; æquo & forti animo id ferendum ut alia adverſa.

UT SEDUCTORES ET VERACES. Duo ſiniſtra poſuerat, ignobilitatem & infamiam; ea deinceps explicat enumeratione quadam malorum apparentium quæ ignominiam aut infamiam adducebant, quibus tamen è diverſo vera bona ſingulis opponit: ut hac etiam ratione miniſtrorum Evangelii tum integritatem, tum dignitatem commendet. *Notandum* itaque comparationis adverbium *ut*, vel *ſicut*, per omnes partes ſequentes ſimilitudinem & apparentiam dumtaxat, non veritatem ſignificare; Nam veritas ſignificatur poſteriori membro cujuſque partis. Quod & S. Thomas in fine harum ſententiarum obſervavit, dicens Apoſtolum ideò ſimilitudinis adverbiis uti, quia in rei veritate non ſic erat, ſed in opinione hominum. Quod olim monuerat S. Aug. *in Pſal.* 48 *Conc.* 2.

Porrò ad infamiam pertinet quod primo loco dicit, *Ut ſeductores*, ſive *impoſtores*; id eſt, errorum magiſtri, tales enim habebantur Paulus & ſocii ejus à multis, maximè à Judæis; qui & Chriſtum Dominum ut ſeductorem infamarunt, *Matth.* 27. Quod autem ſequitur, *Et veraces*, adverſativè dicitur. Unde Ambroſius loco conjunctionis &, in hoc membro & tribus ſequentibus, *ſed*, legit; quod imitatus eſt in ſua verſione Hentenius. Eraſmus adverſitatem ita reddidit; *Et tamen veraces*, eodemque modo in ſequentibus. *Senſus eſt.* At falsò tales reputati, ut qui revera veraces ſimus, veritatem prædicantes divinitus acceptam, id eſt, ipſum Dei verbum.

SICUT QUI IGNOTI, ET COGNITI. Ad ignobilitatem pertinet hoc cum ſequentibus. In Græco participia ſunt præſentis temporis. Auguſtinus per verba legit, utroque loco dudum citato. *Ut qui ignoramur, & cognoſcimur.* Senſus; Multis videmur incogniti, & contemptibiles ac nullius precii homines: At revera cognoſcimur, & in precio habemur apud omnes probos ac pios, qui miniſterii noſtri excellentiam agnoſcunt.

9. QUASI MORIENTES, ET ECCE VIVIMUS. Id eſt, propter quotidiana pericula, in quibus Evangelii cauſa verſamur, videmur aſſiduè mori, ſemper ſumus tamquam morti proximi & jamjam morituri; at revera non morimur, ſed (quod eſt admiratione dignum) Dei providentia huc uſque ſervamur in vita. Tale eſt quod cap. 4. dixit, *Dejicimur, ſed non perimus.* Et iterùm: *Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum.* Qui locus hunc illuſtrat.

UT CASTIGATI, ET NON MORTIFICATI. Rurſus in Græco præſentis temporis participia ſunt; ὡς παιδευόμενοι, καὶ μὴ θανατούμενοι. Quod ita rectè vertas, ut qui caſtigamur, ſed non occidimur. Mirum verò pro *caſtigati*, Ambroſianum legere & exponere *tentati*, præter authoritatem Græcè lectionis: Rectiùs Auguſtinus, *coërciti* legit. Plerique partem hanc non de apparentia, ſed rei veritate exponunt, hoc ſenſu, Corripimur à Deo, non occidimur; juxta illud Pſal. 117. *Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti tradidit me.* Nam & Apoſtolus generaliter pronunciat Hebr. 12. *Quem diligit Dominus caſtigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Et iterùm, *Quis filius quem non corripit pater?*

Verùm nihil eſt neceſſe partem hanc diſſimiliter à prioribus interpretari. Poteſt enim convenienter accipi de caſtigatione quæ fit ab hominibus; quemadmodum Cajetanus exponit ſanè probabiliter, ut ſit *ſenſus*: Videmur caſtigari, quando flagris cædimur à magiſtratibus velut malefactores, & publicæ pacis perturbatores: Sed ad declarationem innocentiæ noſtræ, factum eſt divinitus, ut inter tot perſecutiones & ſupplicia, nondum ſimus occiſi. Dico, videmur, quia revera non caſtigatur aut coërcetur, qui flagellatur immeritò; ſed tantùm ibi ſimilitudo caſtigationis eſt; quemadmodum fuit in Chriſto, de quo Pilatus, cum flagellaturus, dicebat ad Judæos, *Emendatum*, id eſt, *caſtigatum*, illum dimittam. Luc. 23. Nam ibi Græcè idem eſt verbum, quod hoc loco.

Videndum an poſſit ſic intelligi, Ut à Deo per malos homines perſecutores noſtros caſtigati, non tamen mortificati; quia Deus nondum permiſit iis in

nos usque ad mortem sævire, ut sit allusio ad versum allegatum ex *Psalm.* 117. Quod satis probabile est. Nam cur alioqui uteretur Apostolus verbo castigandi? ad *Hebr. cap.* 12. castigationem divinam intelligit, quæ tamen fiat per homines malos & fidei persecutores; unde dicit eis eodem cap. *Nondum usque ad sanguinem restitistis.* Et ita pars hæc non exponetur dissimiliter communi ferè omnium expositioni: quia castigatio hæc fit per homines, nescientes tamen quid Deus per ipsos agat. Ita Deus populum suum quondam castigavit per varios hostes, ut Philistæos, Syros, Assyrios, Chaldæos.

10. QUASI TRISTES, SEMPER AUTEM GAUDENTES. Tristes, Græcè, dolentes. *Sensus est*: Propter mala quæ patimur, sumus quasi dolentes, & mœrore affecti; sed revera semper in Domino gaudemus. Hinc de Apostolis dicitur Actor. 5. quod *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti essent pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et generale præceptum est Jacobi 1. *Omne gaudium existimate, cùm in tentationes,* id est, tribulationes, *varias incideritis.* Et ipsius Pauli, *Gaudete in Domino semper*, Philipp. 4. Itaque gaudium illum internum Sanctorum facilè prævalebat dolori quem ex pressuris & contumeliis percipiebant; ut simpliciter non dolentes sed gaudentes dici debuerint.

SICUT EGENTES, MULTOS AUTEM LOCUPLETANTES. Ambrosianus, Ut pauperes, multos autem ditantes. Nam in Græco non est, *egentes*, participium, sed nomen pauperes; sive quomodo legit Augustinus, *egeni.* Sumus, inquit, similes egenis; Putamur esse pauperes, sed falsò, quia multos ditamus, vel bonis spiritualibus per ministerium verbi, velut ipsos Corinthios, quibus scribit 1. epistolæ cap. 1. *In omnibus divites facti estis, in omni verbo & in omni scientia*: Vel bonis temporalibus, quia dum hortamur ad largitatem eleemosynarum, ut in hac ipsa *epistola cap.* 8. *&* 9. bona divitum facimus pauperum esse communia, juxta illud 1. Timoth. 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe facilè tribuere, communicare.* Ita Paulus ditavit pauperes sanctos qui erant Jerosolymæ, quando per ecclesias Achaiæ & Macedoniæ collectas indixit, ad subveniendum eis; quas & ipse Jerusalem pertulit.

Utriusque sensus meminerunt tam Græci quàm Latini interpretes; tametsi posterior magis videtur esse literalis. Idemque judicium est de parte sequenti. Nam alioqui non constaret antithesis inter membra. Quamvis item Apostoli revera pauperes fuerint, omnibus propter Christum relictis, & interdum quoque inediam & penuriam paterentur; Unde ait infrà cap. 11. *In fame & siti, in frigore & nuditate*: non tamen eo modo pauperes erant quo putabantur, quia neque inviti patiebantur pauperiem, neque deerant fratres quorum liberalitate ad omnem necessitatem suam uterentur quando vellent. Quod patet infrà eodem cap. 11. ubi dicit: *Cum essem apud vos & egerem; nulli oneerosus fui; Nam quod mihi deerat, supppleverunt fratres qui venerunt à Macedonia.* Unde adhuc sequitur.

TAMQUAM NIHIL HABENTES, ET OMNIA POSSIDENTES. In Græco jucunda paranomasia est, in vocabulis (habentes) & (possidentes) ἔχοντες, κατέχοντες; quam Latina interpretatio reddere nequit. Erant Apostoli & Evangelici ministri tamquam nihil habentes; quia postquam reliquerant omnia propter Evangelium, similes erant iis qui ita nihil habent, ut & re & ope destituti sint; atque ut tales reputabantur: & tamen revera possidebant omnia, quia omnium piorum ædes eis patebant, omniumque possessiones ad usum eis cedebant. Unde Paulus confidenter scribit Philemoni, *para mihi hospitium.* Simile est quod scribit ad Philip. 4. *Habeo autem omnia, & abundo.* Nimirum hoc erat quod Christus promiserat omnia propter se relinquentibus, *Marci* 10. *& Luc.* 18. nempe eos multò plura, & quidem centies tantum, recepturos in hoc tempore domos & fratres & sorores & matres: eam quippe Domini promissionem per hunc Apostoli locum exponit Augustinus *epist.* 89. *ad Hilarium.* Vide hoc loco Commentarium Bedæ ex Aug. sumptum. Huc quoque pertinet illud *Proverb.* 17. secundum 70. Hieronymo citante sub finem *epist.* 103. ad Paulinum, *Credenti totus mundus divitiarum est.* Quod & apud Augustin. legitur *in Psalm.* 48. & *Tract.* 117. *in Joan.* Idem ex hoc loco secundùm sententiam docet Apostolos votum paupertatis fecisse, in *Psalm.* 10. *conc.* 3. ad illud, *Illic passeres nidificabunt.* Eadem nimirum tradit quæ ex illo posteà Gregorius *homil.* 5. *in Evang.* Apostolos etiam desideria habendi reliquisse.

relinquentibus omnia, quale sit.

Obiter annotandum in septem membris jam explicatis, Græcè semper idem esse similitudinis adverbium ὡς, quod interpreti nostro libuit quatuor diversis vocabulis reddere, *ut, sicut, quasi, tamquam.* Sed benè annotat Valla festivitatem hanc interpretis in variandis dictionibus, non habere tantum decoris, quantum habet Græca simplicitas, id est, Paulina oratio, sublimis & ejusdem dictionis in principio sententiarum repetitione, urgens; quam figuram rhetores Epanaphoram vocant. De ornamentis dicendi, ac de ardore orationis qui est penè toto hoc capite, videatur S. Aug. De *doct. Christ. lib.* 4. *c.* 20.

11. OS NOSTRUM PATET AD VOS, Ô CORINTHII. Post generalem sermonem quo demonstravit integritatem & patientiam ministrorum novæ legis, nunc speciatim Corinthios alloquitur, contestans suum erga eos affectum; ut hac quasi præfatione molliat asperitatem admonitionis & correptionis subsequentis. *Os nostrum*, inquit, *ô Corinthii*, apertum est ad vos, vel erga vos; scilicet ad loquendum liberè vobiscum, & plenè vos instituendos; quasi dicat. Non possum silere, & pro salute vestra vos non commonefacere; & quia ex abundantia cordis, os loquitur, ideò subdit.

Nota zelum, fervorem & vim charitatis Apostolicæ erga salutem aliorum.

COR NOSTRUM DILATATUM EST, per charitatem, ut multi interpretantur. Ita repetendum erit illud, *ad vos*, ut sensus sit: Cor nostrum ingenti quodam affectu charitatis erga vos expassum est; Sinus cordis nostri latissimè patet ad vos, quos diligo, complectendos.

Potest etiam intelligi dilatatio cordis per affectum gaudii, sicut apud Isaiæ 60. *Tunc mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Quo etiam sensu rectè accipitur illud psalm. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, id est, postquam à pressura tribulationis cor meum gaudio recreasti; quamvis & hoc alii de charitate cor dilatante accipiant; simile & illud psalmi 4. *In tribulatione dilatasti me*, ut habet psalterium Romanum ex Græca versione LXX. interpretum. Sanè de gaudio jam anteà dixerat Apostolus, *Quasi tristes, semper autem gaudentes*: & repetit sequenti capite, *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Vult enim suo gaudio lenire tristitiam Corinthiorum. Unde statim post dicit, *Dilatamini & vos.* Quare dilatationem gaudii potiùs quàm charitatis hîc significatam puto, præsertim quòd ea phrasis in scriptura magis ad gaudium soleat pertinere. Verùm juxta hunc intellectum non erit ex priori parte repetendum, *ad vos.* Utrique porro sensui potest accommodari quod sequitur.

12. NON ANGUSTIAMINI IN NOBIS; ANGUSTIAMINI AUTEM IN VISCERIBUS VESTRIS. Indicativus sermo est, non præceptivus, ut ex Græco benè probat Erasmus. Verbum Græcum hîc refert Apostolus ad angustiam animi, quod *suprà cap.* 4. ad corporales Apostolorum pressuras retulerat. Est autem sumpta metaphora ab iis quo-

Apostoli pauperes, & tamen divites.

Centuplum à Christo promissum

rum præcordia conſtringuntur, ut ægrè reſpirare queant, ſibique videantur præfocari. *Senſus eſt*: Quod anguſtiam patimini, quod triſtes eſtis & compreſſo corde, non ex nobis id provenit, qui vobis ex charitate quàm optimè volumus, & in quibus exemplum habetis gaudij ſpiritualis; ſed ejus anguſtiæ cauſa eſt *in viſceribus veſtris*, id eſt, *in vobis*; ut refert hunc locum Hilarius *in enarratione Pſalm.* 118. Nam intra vos ſunt qui vos conturbant & mœrore cor veſtrum conſtringunt. Videtur enim reſpicere Apoſtolus tum ad fornicarium quem Satanæ tradiderat, cujus cauſa valde fuerant contriſtati Corinthij, poſtquam erant ab Apoſtolo admoniti, quemadmodum liquet ex præcedentibus *hujus epiſt.* & rurſum *ex capite ſubſequenti*; tum ad alios multos qui nondum egerant pœnitentiam ſuper gravibus quibuſdam peccatis quos notat *in fine cap.* 12.

Græci verò ſenſum reddunt hujuſmodi, Cùm cor meum ampliſſimè ad vos pateat per dilectionem; non utique habetis locum anguſtum in nobis, ſive in corde noſtro, quamvis tot tantique ſitis: At in cordibus veſtris anguſtiam multam patimini, ut me qui unicus ſum, vix capiatis, quaſi dicat. Ego quidem valde vos diligo: vos autem non perinde multum me diligitis; ſed anguſto loco cordis veſtri me habetis. Cum quo ſenſu convenit, quod infrà dicit, cap. 12. *Licet plus vos diligens, minus diligar.* Verùm prior expoſitio magis inhæret contextui. Nam anguſtiæ ſeu mœroris cauſam ex ipſis Corinthiorum viſceribus natam mox aperit, ubi de jugo non ducendo cum infidelibus eos ſincerè admonet. Et juxta hunc Græcorum ſenſum dicere debuiſſet, Ego anguſtior, (id eſt, anguſtè habito) in viſceribus veſtris, vel, in cordibus veſtris.

13. EAMDEM AUTEM HABENTES REMUNERATIONEM, TAMQUAM FILIIS DICO, DILATAMINI ET VOS. *Renumerationem*, Græcè ἀντιμισθίαν. Id eſt, *mercedis retributionem*, ut habet Ambroſianus textus. Participium *habentes* in Græcis abeſt; videtur autem ſupplendæ ſententiæ gratia additum ab interprete, tam noſtro quàm eo cujus verſione uſus eſt Ambroſius. Græci quidam ſupplent verbum, *adferte*, ut ſit ſenſus: Eadem remunerationem, id eſt, compenſationem & æqualitatem amoris vos quoque adferte: præbete viciſſitudinem charitatis, ſicut cor meum ad vos dilatatum eſt, ita viciſſim cor veſtrum dilatate erga me. Id autem vobis dico tamquam filiis, quos oportet non ſigniter patrem redamare.

Alij, inter quos Chryſoſt. ſine hujuſmodi ſupplemento ſic exponunt; Eamdem amoris retributionem vobis tamquam filiis, dico, id eſt, injungo, eamque à vobis ut pater à filiis exigo; dicens: *Dilatamini & vos*: mutua ſcilicet erga me charitate.

Porrò juxta priorem expoſitionem ſententiæ præcedentis, quam nobis probabiliorem diximus, hic erit *ſenſus*: Eamdem remunerationem quam ex laboribus Evangelij cauſa ſuſceptis ac fideli miniſterio, nos percipimus dum in perpetuo gaudio ſumus, licet triſtes hominibus videamur; vobis quoque, tamquam filiis, annuncio ac dico; *Dilatamini & vos*, interno gaudio Spiritus ſancti, ſicut & alibi, *Gaudete in Domino ſemper.* Volo enim vos filios meos participes eſſe mercedis & gaudii noſtri; Quòd ut fiat, amputate cauſas malorum, quæ vobis triſtiam perpererunt. Hinc ergo ſequitur.

14. NOLITE JUGUM DUCERE CUM INFIDELIBUS. Poteſt ex Græco ſignificantiùs hoc modo reddi, Ne ſitis jugo copulati cum infidelibus. Significat autem verbum Græcum jugi imparitatem & inclinationem in alteram partem. Quod diligenter expendit Theophylactus: unde & vocantur imparia connubia, quibus contingit alterum conjugem ob potentiam, nobilitatem, opeſve alterius, gravari. Tale autem jugum eſt hominis fidelis cum infideli; propter imparitatem ac diſtantiam perſonarum quoad religionem, quam cultus diſparitatem vocant.

At quæres quid ſit jugum ducere ſeu jugo copulari cum infidelibus: Neque enim Corinthii vetabantur habitare cum infidelibus, neque negociari, neque cibum ſumere, dicit Apoſtolus 1. Cor. 10. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire* &c. Et ejuſdem epiſt. cap. 5. cùm dixiſſet, *Ne commiſceamini fornicariis*; addidit, *non utique fornicariis hujus mundi* (id eſt infidelibus): *Alioqui debueratis de hoc mundo exiſſe.* Denique nec prohibebantur habere conjuges infideles, atque cum iis manere; juxta illud cap. 7. *Si quis frater uxorem habet infidelem.*

Jugum cum infideli quis ducat. Nota ad mores pericula & mala pravæ converſationis aut ſocietatis.

Reſpondemus eos jugum cum infidelibus ducere, qui cum eis arctam ineunt ſocietatem ſeu neceſſitudinem, ex qua nimirum oriatur periculoſa quædam neceſſitas communicandi in moribus & religione, vel, ut habet Græcorum expoſitio, jugum ducunt cum infidelibus, qui talem cum illis ineunt ſocietatem, qua fiat ut in partem illorum declinent, mores eorum & vita ſequentes, juxta illud pſalm. 105. *Commixti ſunt inter gentes; & didicerunt opera eorum.* Hujuſmodi verò ſocietas maximè eſt conjugium. Unde *loco jam jam citato prioris epiſtolæ*, quamvis non prohibeat Apoſtolus fidelibus permanere in conjugio cum infidelibus anteà contracto, quando infidelibus abſque religionis & pietatis injuria conſentit cohabitare cum fideli; prohibet tamen nova iniri conjugia cum infidelibus; ubi dicit, *Cui vult nubat, tantum in Domino*, quemadmodum in ejus loci expoſitione monſtravimus.

Conjugia fidelium cum infidelibus aut hæreticis, illicita.

Eſt autem manifeſta ratio diverſitatis inter eum qui conjugem habet infidelem, & eum qui ducit, quemadmodum & inter ſervum qui habet Dominum infidelem, & eum qui dat ſe ejuſmodi Domino in ſervitutem. Nam qui conjugatus eſt, jam non habet in poteſtate jugum illud abjicere; uti nec ſervus Dominum habens infidelem. Cæterùm in hac ſcriptura contineri prohibitionem ne fideles cum infidelibus contrahant matrimonia, quamvis à commentatoribus id non ita ſit expreſſum, ſed tantùm generali ſententia comprehenſum; apertè tradit Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovin. cap.* 5. *& in epiſt. ad Ageruchiam, de monogamia, cap.* 2. Nec immeritò ſanè; quandoquidem omnium ſocietatum humanarum ea ſit intima & arctiſſima, qua per conjugium ſibi invicem adhærent vir & mulier. Jam ſi propter periculum illicita ſunt fidelium conjugia cum infidelibus, id eſt, qui fidem numquam ſuſceperunt (hos enim infidelium nomine intelligit Apoſtolus) quantò magis cum hæreticis, quorum & periculoſior & cohabitatio, & difficilior converſio? Quod autem irrita nullaque ſint eccleſiaſtico jure matrimonia, quæ fideles cum infidelibus contrahere tentant; non item quæ cum hæreticis; id aliam rationem habet, explicatam à nobis *in* 4. *diſt.* 39.

QUÆ ENIM PARTICIPATIO JUSTITIÆ CUM INIQUITATE? Rationibus oſtendit quàm ſit abſurdum fideles jugum ducere cum infidelibus. Etenim ſicut fieri nullo modo poteſt ut juſtitia conſortium habeat cum injuſtitia (pugnant enim hæc inter ſe quàm maximè) ita rectè fieri non poteſt, ut fidelis, qui in Chriſto factus eſt juſtitia Dei, quemadmodum dictum eſt in fine capitis ſuperioris, in unum jugum coëat cum infideli, cujus vita injuſtitia eſt penè perpetua ſeu continua.

AUT QUÆ SOCIETAS LUCI AD TENEBRAS. Pro *ſocietate*. Græcè eſt communio. Porrò ſive lucem & tenebras propriè intelligas, ſive metaphoricè, valet ratio Apoſtoli. Neutro enim modo lux cum tenebris communionem habere poteſt; ac bonum ducitur argumentum ex analogia ſpiritualium cum corporalibus. Quamquam de luce & te-

nebris ſpiritualibus, quæ transſlativè tales dicuntur, magis apparebit Apoſtolum loqui, ſi hanc partem conferas cum ea quæ præcedit, & cum ſequentibus. Lucem ergo vocat fideles ; ſicut alibi dicit, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Eph. 5.

15. QUÆ AUTEM CONVENTIO CHRISTI AD BELIAL? *Conventio* Græcè συμφώνησις. Id eſt, conſonantia, conſenſus, concordia. Ac ſanè videri poteſt interpretem vertiſſe conſenſionem, non conventionem. Nam & apud Ambroſianum conſenſio legitur. *Belial*, Hebraicum vocabulum eſt, quo ſignificatur qui eſt abſque jugo; ſic enim ipſe Hieron. exponit *Judicum* 19. Pagninus ubique pro *filiis Belial*, vertit impios : Alij ex Hebræo interpretantur filios abſque profectu, ut qui non ad utilitatem reipublicæ, ſed magis ad nocumentum & perniciem vivant. De iſto vocabulo (Belial) dignus lectu Janſenius *in Proverb. cap. 6.* ad illud, *Homo apoſtata.* Apoſtolus hoc loco nomine Belial diabolum procul dubio ſignificare voluit. Sed & Hieron. 3. *Reg.* 21. filios Belial ex Hebræo interpretatur filios diaboli, & viros diabolicos : ſicut ergo nullus eſſe poteſt conſenſus Chriſto cum Belial, id eſt, cum diabolo (venit enim Chriſtus ut deſtruat opera diaboli, 1. *Joan.* 3.) ita nec eſſe debet inter membra Chriſti & membra diaboli.

Filii Belial qui ſunt.

AUT QUÆ PARS FIDELI CUM INFIDELI? *Pars*, id eſt, participatio ſeu communio. Chryſoſt. præmium ſeu mercedem putat ſignificari; Id enim (pars) Hebræa phraſi ſignificat interdum. Quod tamen huic loco minus congruit. Urget hac parte Apoſtolus ipſa nomina fidelis & infidelis ; quæ manifeſtam ſonant contrarietatem. Quare nonniſi abſurdè, & cum periculoſo fidei, participabit ac neceſſitudinem contrahet fidelis cum infideli.

16. QUIS AUTEM CONSENSUS TEMPLO DEI CUM IDOLIS? Pro *conſenſu*, conventionem hoc loco legit Ambroſianus, Græca dictio diverſa eſt à ſuperiori, & propriè ſignificat eum aſſenſum qui fit dato ſuffragio, tametſi & generaliter uſurpatur pro conſenſu. Pro *idolis*, quidam legunt idoliis, id eſt, templis idolorum, annuente verſione Syriaca quæ ſingulariter habet, templo dæmoniorum, ut ſupicio ſit in Græcis quibuſdam codicibus olim pro εἰδώλων, ſcriptum fuiſſe εἰδωλείων. Atque eo modo magis exprimitur oppoſitio duorum, qualis in cæteris membris.

Secundùm noſtram lectionem *ſenſus eſt* : Sicut abſurda res eſt in templo Dei idola, id eſt, falſorum Deorum ſimulacra, collocare, & venerari ; per hunc enim perverſum uſum quodammodo deſinet eſſe templum Dei, fietque templum idolorum : Ita rem vobis indignam facitis, ac vos ipſos profanatis, dum ad ſocietatem recipitis infideles, idolorum cultores.

Juxta alteram lectionem planior erit hic *ſenſus* : Quæ conſenſio ſeu confœderatio vobis qui eſtis templum Dei, cum infidelibus, qui ſunt templa idolorum, id eſt, diaboli, qui in idolis colendum ſe ingerit ? quaſi dicat, nulla poteſt eſſe hujuſmodi conſenſio, niſi cum graviſſima Dei & veſtra ipſorum injuria. Ad hunc intellectum, etiam priorem lectionem accommodant Græci Theophylact. & Oecumen. Videtur autem Apoſtolus hac præcipuè parte notare eam Corinthiorum cum infidelibus communicationem, qua, propter amicitiam, miſcebant ſe ſacrificiis eorum, & menſis in quibus idolothyta parata erant ; ac per hoc participatione quadam idololatræ efficiebantur, atque ſocios ſe reddebant dæmoniorum ; uti pleniùs oſtendit in *priori Epiſtol. cap.* 10.

VOS ENIM ESTIS TEMPLUM DEI VIVI. Græcè, viventis. Explicat poſtremam rationem aſſumptione, qua dicit ipſos fideles Dei veri ac vivi templum eſſe. Nec ait templa, ſed templum ; ut ſignificet ita ſingulos eſſe Dei templa, ut tamen omnes unum Dei Templum conſtituant ; ſicut conſtituunt unum corpus & unam Eccleſiam. Qua ratione autem fideles dicantur templum Dei, & quomodo ſcire debeant ſe eſſe templum Dei, declaratum à nobis eſt ad illud 1. Corinth. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis?* Sed & hîc ſequitur ejus rei per ſcripturam probatio.

SICUT DICIT DEUS. Græcè, dixit. Ipſius (inquit) Dei teſtimonio probamus vos eſſe Dei templum.

QUONIAM INHABITABO IN ILLIS, ET INAMBULABO INTER EOS : ET ERO ILLORUM DEUS, ET IPSI ERUNT MIHI POPULUS. *Inambulabo*: Græcè, ἐμπεριπατήσω. Cujus ſignificationem clariùs expreſſit Ambroſianus textus : Inter eos ambulabo. Nam Latinis ambulare non eſt aliud quàm ſpatiari. Locus eſt Levitic. 26. ubi Dominus ſic populum Iſraël alloquitur, *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri*; Id eſt, quod hîc dicit, *Inhabitabo in illis.* Deinde mox ſequitur : *Ambulabo inter vos ; & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus.* Similis eſt ſententia, novi teſtamenti promiſſoria, apud Ezechielem 37. *Erit tabernaculum meum in eis : & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Quæ quidem promiſſio principali ſenſu non completur, niſi in vero Iſraële, id eſt, in populo Novi Teſtamenti ; in quem proinde rectiſſimè eam interpretatur Apoſtolus. Senſus autem Apoſtoli eſt : *Inhabitabo in eis*, per gratiam, qua faciam ut me colant ; *& ambulabo in eis*, varias virtutum actiones quibus me colant, in eis excitando atque operando.

Quod autem ſequitur : *Et ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus*, variè poteſt intelligi. *Uno modo*, ut priori membro ſignificetur quid Deus facturus ſit ; poſteriori, quid populus : ſitque *ſenſus* : Ego me eis Deum exhibebo, gubernans & protegens eos ac benefaciens : Et ipſi viciſſim ſe mihi populum præſtabunt, obedientem atque ex animo ſubditum. *Altero modo*, ut priori membro quid populus : poſteriori, quid Deus ſit facturus, ſignificetur, hoc nimirum ſenſu : Illi me habebunt pro Deo ſuo, ac ſpem ſalutis me ponent : & ego viciſſim habebo eos pro meo populo, protecturus eos & beneficiis affecturus.

Tertius ſenſus utrumque membrum refert ad id quod Deus facturus ſit: Ego me Deum illis præſtabo; & ut populum meum eos diligam, protegam, beneficiiſque fovebo.

Eſt & quartus ſenſus quo utrumque referatur ad id quod populus ſit facturus : Illi me pro Deo ſuo habebunt ; & tamquam populus meus vero cultu ſe mihi ſubjicient. Porrò quamvis horum ſenſuum nullus à regula fidei deflectat (neque enim populus quicquam boni facturus prædicatur, quod non Deus per ſuam gratiam in eo ſit operaturus) eum tamen ſenſum quem tertio loco poſui, germanum eſſe puto & proinde cæteris præferendum. Cujus ratio eſt, quia tota ſententia continet promiſſionem beneficentiæ Dei erga populum: Ea verò non exprimitur in membris expoſitis de eo quod populus facturus ſit. Unde & quartus ſenſus ab eo quem intendit ſcriptura longiùs recedit, quàm primus aut ſecundus. Habentur hæc eadem verba apud Jeremiam *capit.* 31. quæ citat Apoſtolus *ad Hebr.* 8. Quo loco rurſus de vero eorum ſenſu aliquid dicemus.

Tertius ſenſus ut germanus probatur.

17. PROPTER QUOD, EXITE DE MEDIO EORUM ET SEPARAMINI, DICIT DOMINUS. Collectio Apoſtoli manifeſta eſt. Vos templum Dei eſtis, nam Deus habitat & ambulat in vobis ; atqui templo Dei nullus eſſe debet conſenſus cum templis idolorum ; ergo recedendum vobis eſt ab iis qui templa ſunt idolorum. Hanc vero concluſionem,

fionem, perinde ut ſuperiora, verbis ſcripturæ enunciat, ſimul cum eo quod ſequitur.

ET IMMUNDUM NE TETIGERITIS. Verba ſunt apud Iſaiam *cap.* 52. quæ ſic habent ex Hieronymi verſione: *Recedite, recedite; exite inde, pollutum nolite tangere; exite de medio ejus*, ſcilicet Babylonis. Tum ſequitur, *Mundamini qui fertis vaſa Domini.* Ubi pro *mundamini*, LXX. verterunt ſeparamini, eodem Græco vocabulo quod hîc ab Apoſtolo poſitum eſt. Ex quo intelligendum eſt, Apoſtolum hortari fideles non ut corporali converſatione & habitatione ſeparentur ab infidelibus; Sic enim (ut in priori Epiſtola jam dixerat) debuiſſent de hoc mundo exire: Sed ut animo ſeparentur, malis non conſentientes, &, ſicut ſtatim initio ſequentis capitis explicat, ſeſe mundantes ab omni iniquinamento carnis & ſpiritus. Denique id facientes quod præcepit Epheſ. 5. dicens: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum; magis autem redarguite.*

Infideles quomodo deſerendi.

Nota ad mores, de cavenda ſocietate malorum.

Hoc igitur eſt exire de medio infidelium & ſeparari, & immundum non tangere; ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, quo infideles coinquinati ſunt, ſeſe mundum ac purum præſtare; & malis eorum operibus non communicare; etiamſi aliqua neceſſitate exigente in medio eorum verſandum ac vivendum ſit. Quam doctrinam perſpicuè tradit Auguſtinus *lib.* 3. *contra epiſtolam Parmen. cap.* 2. *& ſequentibus.* Cæterùm quatenus cuique periculum eſt ſuæ ſalutis ex corporali cohabitatione ſeu converſatione cum infidelibus; eatenus etiam corporaliter ab iis ſe debet abſtinere; videlicet ex ea naturæ lege qua quiſque tenetur periculum ſuum vitare. Quod autem interponit Apoſtolus, *dicit Dominus*; à Propheta non additum. Loquitur enim ille in ſua, non Domini perſona: Sed quia ſententia præcedens ex Levitico deſumpta, Dei loquentis verba continebat; ideò & hæc poſteriora ex Dei perſona commemorat Apoſtolus, addendo, *dicit Dominus.*

18. ET EGO RECIPIAM VOS. Græcè *ſuſcipiam vos*, ſcilicet de medio infidelium exeuntes, quaſi dicat. Non eritis deſolati, ſi malam infidelium ſocietatem reliqueritis: Nam ego vos, ut dilectos & amicos meos, beneficiis fovebo; relicta ſæculi conſolatione, tranſibitis in amicitiam meam, & bonorum meorum participationem. Hæc particula *loco Iſaiæ memorato* non legitur expreſsè, facilè tamen aſſentior Anſelmo, qui putat Apoſtolum reſpicere ad illud quod eodem Prophetæ loco ſequitur, *Et congregabit vos Deus Iſraël*; recedentes ſcilicet de medio Babylonis.

ET ERO VOBIS IN PATREM, ET VOS ERITIS MIHI IN FILIOS ET FILIAS. Promiſſio eſt adoptionis filiorum novi Teſtamenti, qua Deus ſic aliquos in ſuam recepit amicitiam & gratiam, ut per eam efficiantur, qu emadmodum loquitur Petrus, 2. Epiſtolæ capite primo, *Divinæ conſortes naturæ*; & per hoc cœleſtium bonorum hæredes ac participes. Id enim eſt eſſe Dei Filium per adoptionem. Utrumque verò ſexum nominat, dicendo *filios & filias*; quia de conjugiis in quibus uterque ſexus copulatur, admonuerat jugum non eſſe ducendum cum infidelibus. Porrò nota ſcripturæ phraſis eſt, *in Patrem, in filios, & filias*, pro eo quod planè diceretur: Ero vobis pater, & vos eritis mihi filij & filiæ.

Sed Unde deſumpſerit hæc verba Apoſtolus non liquet; adeò ut ſuſpicetur Cajetanus eſſe verba cujuſpiam Prophetæ ex eorum numero quibus caremus, & quorum meminerunt libri Regum ſeu Paralipomenon. S. Thom. verò refert ad locum 2. *Reg.* 7. ubi de Salomne Dominus ait: *Ego ero ei in patrem & ipſe erit mihi in filium.* Aliis pleriſque magis placet Apoſtolum verbis paulùm mutatis reſpicere ad locum Jeremiæ 31. ex Dei perſona ſic loquentis: *Quia factus ſum Iſraëli pater, & Ephraim primogenitus meus eſt.* Atque hunc locum ad marginem annotatum habent codices vulgati. Præter quem, huc etiam adducit Anſelmus illud Iſaiæ 43. *Adfer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.*

DICIT DOMINUS OMNIPOTENS. Addit Domino epitheton omnipotentiæ; ne de promiſſione ejus adimplenda quis dubitet.

CAPUT VII.

HAs ergo habentes promiſſiones, chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei 2. Capite nos: Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. 3. Non ad condemnationem veſtram dico: prædiximus enim quod in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum, & ad convivendum. 4. Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra 5. Nam & cum veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ, intus timores. 6. Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus in adventu Titi. 7. Non ſolùm autem in adventu ejus, ſed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem. 8. Quoniam etſi contriſtavi vos in epiſtola, non me pœnitet: & ſi pœniteret, videns quod epiſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtavit, 9. Nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. 10. Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur. 11. Ecce enim hoc ipſum ſecundùm Deum contriſtari vos, quantum in vobis operatur ſolicitudinem: ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam: in omnibus exhibuiſtis vos, incontaminatos eſſe negotio. 12. Igitur, etſi ſcripſi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui paſſus eſt: ſed ad manifeſtandam ſolicitudinem noſtram, quàm habemus pro vobis 13. Coram Deo: ideo conſolati ſumus. In conſolatione autem noſtra, abundantius magis gaviſi ſumus ſuper gaudio Titi, quia refectus eſt ſpiritus ejus ab omnibus vobis. 14. Et ſi quid apud illum de vobis gloriatus ſum, non ſum confuſus: ſed ſicut omnia vobis in veritate locuti ſumus, ita & gloriatio noſtra, quæ fuit ad Titum, veritas facta eſt. 15. Et viſcera ejus abundantiùs in vobis ſunt: reminiſcentis omnium veſtrùm obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepiſtis illum. 16. Gaudeo quod in omnibus confido in vobis. 1. *Pet.* 2. *c.* 19.

SUMMARIUM.

DEclarat ſuam erga Corinthios dilectionem, & viciſſim conſolationem, quam ex illis accepit. Gaudet illos per ſuam epiſtolam fuiſſe contriſtatos ſecundùm Deum: & gloriatur de ipſorum obedientia.

HAS ERGO HABENTES PROMISSIONES, CHARISSIMI. Græcè, *dilecti.* Poſt verba Prophetica nunc ſuis verbis exhortationem concludit: Cùm igitur, inquit, tam præclaras à Deo promiſſiones acceperimus ſcriptas in Prophetis, &c. Promiſſiones illæ ſunt, quòd Deus in nobis tamquam in templo ſuo ſit habitaturus & ambulaturus; quòd ille nobis futurus ſit Deus & pater; quodque nos ejus populus, & filii & filiæ.

MUNDEMUS NOS AB OMNI INQUINAMENTO CARNIS ET SPIRITUS. Græcè, *nos ipſos.* Ideò ſcilicet quia templum Dei ſanctum eſſe debet & purum ab omni immunditia; & quia populum Dei & filios ejus ac filias decet eſſe ſanctos, omniſque fœditatis & contaminationis expertes. Carnis inquinamentum eſt omne peccatum, quod carnali voluptate conſummatur, ut ſunt impudicitiæ, comeſſationes, ebrie-

Peccatorum alia carnalia, alia ſpiritualia.

tates. Spiritus inquinamentum est in primis idololatria & omnis ejus participatio ; ac prætereà sectæ, dissensiones, æmulationes & alia hujusmodi quorum consummatio sine sensuum voluptate consistit. Hinc statuitur divisio peccatorum in carnalia & spiritualia. Nam licet omnibus peccatis commune sit quod spiritum seu mentem hominis coinquinent ; attamen peculiari ratione carnalia vocantur ea quæ per carnis ac sensuum delectationem id faciunt.

Porrò ex his verbis, velut epilogo superioris exhortationis, colligere licet, quàm latè pateat periculum peccandi, à quo revocare conatur Apostolus Corinthios illo præcepto. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Jam quod in prima persona loquitur: *Mundemus nos*, &c. tamquam semetipsum includens in eorum numero qui mundandi sunt, ostendit ne perfectos quidem quales erant Apostoli, ita prorsus mundos esse, ut ampliùs mundatione non egeant, attestante Salomone, Proverb. 20. *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum à peccato?* simul hac ratione magis suasibilem reddit exhortationem.

PERFICIENTES SANCTIFICATIONEM IN TIMORE DEI. Græcum verbale potius sanctimoniam significat quàm sanctificationem. *Sanctitatem* legit Ambrosianus. Est autem apud eum peculiaris lectio hujusmodi. *Mundemus nosipsos ab omni inquinamento carnis, ut perficiamus sanctitatem spiritus in timore Dei.* Sed hanc metathesin vocabuli *spiritus* in nullis aliis codicibus reperio ; licet alioqui sensum habeat ea lectio percommodum. Videtur illius versionis author genitivum (*spiritus*) in Græco sic accepisse ut jungatur sequentibus, & regatur à nomine, *sanctitatem*. Quod tamen Græcus textus haud patitur, nisi participium *perficientes* commutemus in verbum perficiamus, uti factum est ab illo interprete.

Nostræ versionis hic *sensus* est : Perficientes quotidiano profectu sanctitatem in baptismo inchoatam; quia nimirum sanctitas consistit in munditia carnis & spiritus, inquinamento utriusque jam dicto contraria. *Perficientes*, inquam, in timore, id est, per timorem Dei, cujus scilicet templum sumus : Qui proinde vereri debemus ne per aliquam immunditiam carnis aut spiritus, templum Dei profanemus, & profanando violemus. Nam ut in priori Epist. cap. 3. scriptum est: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Hinc discе, contra novos hæreticos, timorem pœnæ à Deo comminatæ conducere ad justitiam & sanctitatetem.

Obs. contra Sectarios, timorem pœnæ à Deo comminatæ saluti utilem esse.

2. CAPITE NOS. Ambrosianus legit, *Capaces estote nostri.* Quod & Erasmus atque Hentenius imitati sunt. Sic enim clariùs explicatur Græci verbi significatum, quod est capere eo modo quo vas aut locus capere aliquid dicitur : Quidam exponunt *hoc modo* : Vos corde per charitatem dilatato nos capite, id est, affectu charitatis complectimini ; ut sit repetitio ejus quod superiùs dixit, *dilatamini & vos. Alii* sic intelligunt, recipite intra vos exhortationem meam; verba mea descendant in animum vestrum, & locum inveniant. Cui sensui favet illa Domini sententia Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum hoc.* Et iterùm: *Qui potest capere, capiat.* Est enim idem verbum Græcum quod hoc loco. Utrumque sensum adferunt Græcorum commentarij. S. Thomas exponit, *Capite nos*, per imitationem. Cui sensui benè quadrant sequentia.

NEMINEM LÆSIMUS. Græcè *injuria affecimus*, Ambrosianus, *nemini nocuimus.* Meritò, inquit, à vobis exigimus vel charitatem, vel obedientiam qui syncerè & innoxiè vobis Evangelium ministravimus.

NEMINEM CORRUPIMUS. Hoc plerique ad corruptelam doctrinæ referunt, quasi hoc velit Apostolus quod dixit cap. 2. *Non enim sumus, sicut pluribus, adulterantes verbum Dei.* At Thomas corruptionem intelligit quæ fit per mala vitæ exempla; de qua in priori epistola, *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.*

NEMINEM CIRCUMVENIMUS. Græca vox significat avarè quippiam ab alio extorquere, quocumque modo vel arte id fiat. A quo vitio rursus & seipsum & Titum *infrà cap.* 12. immunem fecit, eodem usus verbo Græco quod hic posuit. De cujus significato, plura diximus ad illud capitis 2. *Ne circumveniamur à Satana.* Cæterum Apostolus dum à se removet hujusmodi vitia, lædere, corrumpere, circumvenire alios ; ex obliquo pseudapostolos, ut talia facientes, perstringit ; palàm eorum detecturus improbitatem & hypocrisin *infrà cap.* 11.

Pseudapostoli tacitè notati & depicti.

3. NON AD CONDEMNATIONEM DICO. Quidam codices, Syris suffragantibus, addunt pronomen, *Non ad condemnationem vestram dico.* Quibus annuit Ambrosiana versio, *Non ad condemnationem vestri hoc dico.* Nostra lectio Græcis consonat ; tametsi sensus postulat pronominis supplementum. Tribus autem modis hæc pars exponi potest.

Primò sic : Non ego me excusando vos accuso, quasi tales sitis qualem me esse nego, Non ad accusationem vestri, sed pseudapostolorum qui in vobis sunt, hæc dico. Ita plerique exponunt tam Græci quàm Latini.

Secunda expositio. Non hæc dico velut tacitè vos accusans quòd talia de nobis suspicemini. Jam enim suprà dixerat *cap.* 3. se non egere commendatione apud Corinthios, & cap. 5. *Spero*, inquit, *& in conscientiis vestris manifestos non esse.* Sensum hunc sanè probabilem tradunt Cajetanus, Catharinus & alii nonnulli. *Tertiò* potest quod hic dicit Apostolus, referri ad superiorem exhortationem qua dixerat, *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, ac deinde monuerat ut se mundarent *ab omni inquinamento carnis & spiritus*: Hæc, inquit, non dixi ad condemnationem vestram ; non vos traduco ; sed corrigere volo. Hunc sensum innuit magis quàm expressit S. Thomas. Porrò tam huic intellectui quàm duobus reliquis benè potest aptari sequens probatio.

PRÆDIXI ENIM QUOD IN CORDIBUS NOSTRIS ESTIS AD COMMORIENDUM ET AD CONVIVENDUM. Id est; Jam antè dixi vobis in hac epistola, quòd sitis in cordibus nostris velut inscripti per continuam memoriam vestri, quam gerimus ex intimo erga vos amore; adeò ut & mori & vivere vobiscum cupiamus; Quod utique vehementissimi amoris indicium est, nolle nec in vita, nec in morte, ab eo quem ames separari. Respicit Apostolus ad illud quod dixit cap. 3. *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris.* Quod enim hìc addit, *ad commoriendum & ad convivendum*, explicatio est affectus significati illis verbis, *In cordibus nostris estis.*

Nota vota charitatis erga proximum in Apostolo.

4. MULTA MIHI FIDUCIA EST APUD vos. Ab hoc loco transitus est latens & artificiosus ad aliud argumentum, quo acturus est de eo quod accidit Corinthiis accepta priori epistola : Siquidem ea graviter illos contristaverat. Quare ne contristandi studio, tamquam severus objurgator, eam scripsisse videatur, præmittit quædam ad ipsorum laudem, suumque erga eos optimum affectum declarandum, pertinentia. Multa mihi est, inquit, fiducia apud vos vel erga vos ; id est, ita benè de vobis sentio, ut cum magna fiducia & sermonis libertate (quod significat vox Græca παῤῥησία) vobiscum agam, vosque etiam admoneam, confidens vos benignè ac placidè meas admonitiones & increpationes accepturos. Vide extrema verba hujus capitis.

MULTA MIHI GLORIATIO PRO VOBIS. Græcè & apud Ambroſianum, *de vobis*, id eſt, multum ac ſæpè apud alios de vobis ac veſtri nomine glorior, prædicans obedientiam veſtram erga me Apoſtolum & patrem veſtrum. Etenim, ut ait ſcriptura, Proverb. 10. *Gloria patris eſt filius ſapiens.*

REPLETUS SUM CONSOLATIONE. Id eſt, maximum ſolatium ſuper malis quæ paſſus ſum, attulit mihi veſtra correctio per Titum annunciata. Senſum hunc aperiunt ea quæ ſtatim ſequuntur.

SUPERABUNDO GAUDIO IN OMNE TRIBULATIONE NOSTRA. Id eſt, in omnibus afflictionibus & preſſuris quæ mihi triſtitiam adferunt, tam exuberanti gaudio à vobis profecto perfuſus ſum, ut omnem triſtitiam exſtinxerit. Nam verti etiam poteſt, ſuper omni afflictione noſtra: quum Græcè non ſit, ἐν, ſed ὑπέρ.

5. NAM ET CUM VENISSEMUS IN MACEDONIAM, NULLAM REQUIEM HABUIT CARO NOSTRA. Græcè, *nullam habuit remiſſionem*, ſeu *relaxationem, caro noſtra*. Quoniam tribulationis ſuæ fecerat mentionem, exponit qualis & quanta fuerit, ut inde cognoſcatur magnitudo conſolationis & gaudii quæ triſtitiam illam potuerit abolere. Nam, inquit, poſt tribulationem quæ facta nobis eſt in Aſia, de qua *cap.* 1. etiam poſtquam veniſſemus in Macedoniam, tanta mala repentè nobis excitata ſunt ab adverſariis, ut carni, id eſt, corpori noſtro, quod ſine fomentis & quiete diu ſubſiſtere nequit, nulla daretur relaxatio, nulla requies.

Vel, *Caro noſtra*, id eſt, nos nullam habuimus requiem. Profectiones Pauli ex Aſia in Macedoniam, atque inde in Græciam narrat Lucas initio *capit.* 20. *Act.* ſed ita breviter, ut afflictionis quæ Paulo contigit in Macedonia, prorſus non meminerit. Ex quo, ſicut ex aliis locis Epiſtolarum Pauli, colligitur multa geſtorum ejus à Luca *in Actis* fuiſſe prætermiſſa. Falluntur autem, qui locum præſentem referunt ad hiſtoriam *Actor.* 16. quam utique conſtat multo antè contigiſſe; quemadmodum monſtravimus ad eum locum cap. 2. *Profectus ſum in Macedoniam.*

Sed omnem tribulationem paſſi ſumus. Græcè, *Sed in omnibus afflicti*, ſupple, fuimus; uti legit & ſupplet Ambroſianus textus. Eſtque *ſenſus*: Undique tribulationes irruebant in nos. Vel, omne genus tribulationum paſſi ſumus. Hoc enim explicari videtur per id quod ſequitur.

Foris pugnæ, intus timore; ſcilicet erant. Tribus modis hanc partem S. Thomas exponit. *Primo ſic*: Exteriùs erat nobis pugnandum cum hoſtibus evangelii; interiùs verò, id eſt, animo, patiebamur timores novarum perſecutionum. *Secundò*, Foris, id eſt, ab infidelibus qui ſunt extra eccleſiam (& alibi vocantur ii *qui foris ſunt*, ut 1. Cor. 5.) inferebantur nobis pugnæ perſecutionum: Intus autem, id eſt, pro fidelibus qui ſunt in eccleſia (& eodem Apoſtoli loco vocantur *qui intus ſunt*) angebamur timore, ne vi perſecutionum dimoverentur a fide. Hæc Græcorum eſt expoſitio. *Tertiò*: Non ſolum ab hoſtibus manifeſtis palàm oppugnati ſumus; verùm etiam timores paſſi ab hoſtibus occultis & domeſticis (quos alibi vocat falſos fratres) idque juxta illud Matth. 10. *Inimici hominis domeſtici ejus.*

Quartam expoſitionem adfert Cajetanus; Foris inquit, id eſt, in publico multæ pugnæ; Intus vero, id eſt, in domibus nobis exiſtentibus timores incutiuntur; & ſic nullibi quieſcimus. Harum expoſitionum *prima* maximè nobis germana videtur. Nam ſimili ſermone ſenſuque dictum eſt, Deut. 32. *Foris vaſtabit eos gladius & intus pavor.* Nec mirum ſi Paulus timores confiteatur; quando & Chriſtus Dominus timorem paſſionis & mortis in ſe ſuſcipere dignatus eſt *Marc.* 14. Sic autem pugnam ſibi cum adverſariis aſſcribit Apoſtolus, quomodo dixit in priori Epiſtol. capit. 15. *Si ad beſtias pugnavi Epheſi.* Pugnat enim etiam qui defendit. Pro hujus partis expoſitione confer ea quæ dicuntur infrà, ad illud cap. 1. *Præter illa quæ extrinſecus ſunt.*

Senſus germanus hujus loci.

6. SED QUI CONSOLATUR HUMILES, CONSOLATUS EST NOS DEUS IN ADVENTU TITI. Id eſt, Deus afflictorum & humilium conſolator, in tantis afflictionibus conſolatus eſt nos, per adventum & præſentiam Titi à vobis reverſi. Hunc enim, diu exſpectatum, Paulus non invenerat priuſquam ipſe ex Aſia in Macedoniam veniſſet, ut habetur cap. 2. Dicit autem, *qui conſolatur humiles*, ad diſcrimen ſuperborum, quibus Deus reſiſtit. Porrò conſolatum ſe dicit Apoſtolus, *per adventum Titi*, vel quia præſentia Titi gratiſſima ipſi erat, tamquam fidelis adjutoris & ſocii laborum, ut multi exponunt; vel quia Titus Corintho reverſus, bona de ſtatui Corinthiorum annunciabat: quod poſterius magis eſt probabile. Nam inſtitutum Apoſtoli eſt, conſolationem ſuam & gaudium, de quibus ſupra dixit, *Repletum ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*; Corinthiis accepta referre. Vide infrà commentarium *verſ.* 13.

7. NON SOLUM AUTEM IN ADVENTU EJUS; VESTRAM CORRECTIONEM ANNUNCIANTIS; SED ETIAM IN CONSOLATIONE, QUA CONSOLATUS EST IN VOBIS. Id eſt, per conſolationem quam ille de vobis accepit: quaſi dicat. Duplici nomine conſolatus eſt nos Deus ex parte veſtra; tum quia Titus adveniens annunciavit nobis quam rectè vobiſcum ageretur, tum quia etiam ipſe Titus qui priùs contriſtatus fuerat ob diſſenſiones & alia peccata quæ de vobis audierat, correctos vos inveniens, conſolationem accepit. Itaque Titi conſolatio à vobis profecta mihi quoque conſolationem attulit.

Referens nobis veſtrum deſiderium. Græcè, *annuncians*, id eſt, cum annunciaret ac referret nobis, quanto mei deſiderio teneremini, quantopere deſideraretis adventum noſtrum; quod eſt ſignum amoris.

Veſtrum fletum. Græcè, ὀδυρμὸν, quod alii luctum verunt. Sed & Græcorum ſcholia declarant non ſimpliciter lachrymas, ſed amarum luctum ſignificari, quem habebant Corinthii de eo quod Paulus ipſorum cauſa & culpa contriſtatus fuiſſet. Theophyl. & Oecumen.

Veſtram æmulationem pro me. Id eſt, veſtrum pro me ſtudium. Græcè, ζῆλον, quo ſcilicet accenſi fuiſtis adverſus eos qui mihi detrahebant. Ita ferè interpretes. At verò Cajetanus, illud *pro me* interpretatur nomine meo, ut ſenſus ſit, Titum retuliſſe zelum eccleſiæ Corinthiorum, quo, nomine ac vice Pauli abſentis, proceſſerant ad puniendum fornicarium, exequentes id quod in *priori epiſtol. capit.* 5. Paulus eis mandaverat, dicens: *Congregatis vobis & meo ſpiritu tradere hujuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis.* Atque hic profecto ſenſus magis inhæret contextui. Interim obſerva ſermonis Apoſtolici venuſtatem, ſimul & vehementiam, in eo quod dicit, *veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem.* Concurrentibus videlicet duabus aut tribus figuris, epanaphora, aſyndeto, & incremento.

Ita ut magis gauderem. Duarum mediarum dictionum ordo commutatus legitur in quibuſdam codicibus, *ita magis ut gauderem*: ſed vitioſè, & ſenſu turbato. Nam vera lectio eſt, *ut magis*, quam plurimi codices exhibent, tam vetuſti quàm recentiores, ac nominatim Clementinæ caſtigationis, idque Græcis convenienter, in quibus legitur, ita ut magis gaviſus fuerim. Et *ſenſus* eſt: Apoſtolum auditis iis quæ Titus referebat, majus gaudium ex eis cepiſſe, quàm fuerat afflictio, de qua paulò antè locutus eſt: *Vel potius*, quàm fuerat dolor quem

perceperat ex eo quod Corinthios sua Epistola contristasset. Hunc enim posteriorem sensum magis congruere cum sequentibus, affirmat Photius apud Oecumenium.

Potest etiam intelligi comparatio gaudij posterioris cum priore, quasi dicat Apostolus Tito apud ipsum referente ea quæ jam dicta sunt, gaudium suum magis ac magis crevisse. *Vel* potiùs, quod consolatio Titi auxerit gaudium quod ex ejus adventu ceperat. Conferatur *vers.* 13. ubi est horum repetitio.

8. QUONIAM ETSI CONTRISTAVI VOS IN EPISTOLA, NON ME POENITET. Deinceps ostendit utilitatem tristitiæ quam acceperant Corinthij ex priori Epistola ad se missa, qua graviter fuerant increpati quod fornicarium illum incestum apud se tolerarent. Respicit enim potissimùm ad ea quæ scripserat ab illo cap. 4. *Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam*, usque ad finem capitis quinti; Qui totus locus multum continet severæ objurgationis. Hoc autem est quod dicit; *Nam etsi per epistolam* priorem *vos contristavi*; nunc non me pœnitet, non doleo me ea scripsisse, quæ vos contristarent; postquam Titus à vobis reversus annunciavit quem fructum peperit in vobis illa nostra severior objurgatio.

ETSI POENITERET. Græcè, *etsi me pœnitebat.* Quod alij vertunt, *etsi pœnituerit* vel *pœnituisset*; uti legit Ambrosianus, id est, etiamsi ante adventum Titi, nondum certior factus de fructu tristitiæ doluerim vos contristasse. Doluerat enim vel quia tristitia per se malum quoddam est, ideoque ab iis quos diligimus, avertendum; vel quia metuebat ne fortè Corinthij ex tristitia qua eos affecerat, veterentur in odium sui Apostoli, & per hoc fructus Evangelij periret.

Quomodo Apost. intelligendus pœnituisse.

Est autem sciendum non doluisse Apostolum de epistola à se conscripta, quam sciebat se spiritu divino scripsisse, sicut & istam, in cujus fine dicit: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Verùm pœnituisse se dicit, id est, doluisse, de quodam effectu epistolæ, quod scilicet per eam Corinthios contristasset, ut proinde optaret ea parte scriptam non fuisse: Quomodo si Propheta quispiam vel Apostolus videns suam divini verbi prædicationem quibusdam perversis offendiculo fuisse ad graviùs peccandum, atque de ea re dolens, diceret; Pœnitet me prædicati illis hominibus Evangelij, quod eis factum est in ruinam. Ex quibus etiam liquet, hanc Apostoli pœnitentiam non fuisse de peccato aliquo, sed de facto ex quo præter suam culpam & expectationem aliquid mali ortum aut oriturum fuisse verebatur.

VIDENS QUOD EPISTOLA ILLA (ESTI AD HORAM) VOS CONTRISTAVIT. In Græco nova periodus est: *Video enim quod*, &c. Juxta nostram versionem causa significatur ejus quod proximè præcessit, ut sensus sit: Pœnitebat me, cùm viderem vos per Epistolam meam (tametsi res ea tantùm ad tempus duraverit) contristatos fuisse. At secundùm Græcam lectionem ratio redditur ejus quod dixerat. *Non me pœnitet*, quia nimirum, video nunc, inquit, id est, planè cognosco ex relatione Titi, quòd Epistola mea vos quidem, tametsi ad breve tempus contristavit; de qua re dolebam: Verùm

9. NUNC GAUDEO; NON QUIA CONTRISTATI ESTIS: Nam vestra tristitia tametsi tantùm ad horam fuerit, non est materia gaudii mei. Nota quàm solicitè Apostolus, tamquam amantissimus pater, id agat ne videatur contristare Corinthios filios suos voluisse. Ex quo paterno affectu jam superiùs scripserat, c. 2. *Si enim ego contristo vos, & quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?*

Nota charitatem Apostoli.

SED QUIA CONTRISTATI ESTIS AD POENITENTIAM, quasi dicat. Non gaudeo de tristitia vestra, sed de fructu tristitiæ, qui est pœnitentia seu correctio vestra, quomodo medicus non gaudet de amaritudine potionis, vel dolore sectionis ægroti; sed de ejus effectu, id est, sanitate. Quamquam etiam ipsa tristitia considerata cum fructu correctionis, potuit Apostolo esse causa gaudii; sic enim quoddam bonum erat; contristari, inquam, ad pœnitentiam, hoc est ad emendationem. Nam ipsa alioqui pœnitentia, cùm sit dolor de peccatis, malum tristitiæ in se includit.

Contristati enim estis secundùm Deum. Gaudii sui rationem refert in Deum. Nam tristitia ad pœnitentiam est tristitia secundum Deum, id est, procedens ex amore Dei & justitiæ quam Deus præcipit; non autem ex amore sæculi, quam statim pòst vocat sæculi tristitiam. Etenim qualis amor est, talis & tristitia; quemadmodum hoc loco annotat & benè explicat Doctor angelicus.

Ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Pro *detrimentum patiamini*, Græcè unum verbum est præteriti temporis ζημιωθῆτε *detrimentum passi sitis.* Sensus est; Adeo ut nulla ex parte detrimento sitis affecti per nos, qui vobis causa tristitiæ fuimus, cùm ea tristitia vobis fuerit admodum salutaris. Est enim in his verbis Liptote, qua minus dicitur & plus intelligitur. Qualis in re contraria, est illa Sap. 1. *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest*; id est, multum nocet. Atque hæc ferè Latinorum est expositio.

Porrò Græci sic exponunt: Ideò vos objurgando contristavi, ne pateremini ex me detrimentum spirituale. Præceptor enim discipulo damnum infert, & pater filio; quando delinquentem non objurgat. Sed hic sensus textui non videtur congruere. Non enim dicit Apostolus, Objurgavi vos ut in illo detrimentum patiamini; Sed, *contristati estis secundum Deum, ut in nullo*, &c. Denique priorem sensum clarè probat quod sequitur.

10. QUÆ ENIM SECUNDUM DEUM TRISTITIA EST, POENITENTIAM IN SALUTEM, STABILEM OPERATUR. Græcè, *pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam*, vel uno verbo (sicut Augustinus legit *lib.* 14. *de civit. Dei cap.* 8 *& serm.* 2. in feria quinta Paschæ (*impœnitendam operatur.* Gaignæus suspicionem facit interpretem nostrum legisse, ἀμέτανόητον, id est, immobilem; repugnantibus licet vetustis Græcorum commentariis; qui omnes habent & exponunt, ἀμεταμέλητον, impœnitendam. Dubium est autem tam in Græco textu quàm Latino, stabilem seu impœnitendam, utrò referendum sit, ad pœnitentiam, an salutem. Certè, (stabilem) si legas, id ad salutem multò aptiùs refertur, quemadmodum referunt omnes Latini. (Impœnitendam) verò Græci ad pœnitentiam referunt, eleganti schemate conjunctis contrariis, nisi quod Theophylactus, si non fallit ejus interpres, salutem non pœnitendam intellexit, manente nihilominus allusione: quemadmodum & August. Qui sanè intellectus neutiquam rejicendus est.

Fructus tristitiæ quæ sit secundùm Deum.

Dicit ergo Apostolus, Tristitia namque quæ secundùm Deum est, parit pœnitentiam salutiferam; ideoque minimè pœnitendam. Nam boni ac fructuosi operis neminem rectè pœnitet. Vel secundùm Theophylactum & Latinos; parit pœnitentiam, quæ causa est salutis semper mansuræ & numquam pœnitendæ. Quare consentaneum est de ipsa quoque tristitia à qua salus hujusmodi manat, non dolere, sed gaudere potiùs.

Quærit hoc loco S. Thomas, quomodo tristitia jam dicta pœnitentiam operetur, cùm pœnitentia sit ipsa tristitia, qua de peccato secundùm Deum quis dolet. Adfert autem duas ad hanc quæstionem solutiones, quas apud ipsum videre est, ut & tertiam subtiliorem allatam à Cajetano. Neque enim videtur ulla earum satisfacere difficultati.

Vera reſponſio poteſt accipi ex interpretatione partis illius antegreſſæ, *quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Ubi ſignificatum eſt, triſtitiæ fructum eſſe pœnitentiam, hoc eſt correctionem; idque etiam ſecundum expreſſam ipſius S. Thomæ explanationem. Itaque triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, operatur pœnitentiam, quia parit & ſecum adducit correctionem hominis contriſtati, tamquam effectum & fructum ſuum.

Aliter reſponderi poteſt Apoſtolum non dicere quòd triſtitia quæ ſecundùm Deum eſt, pœnitentiam operatur, ſed quòd operatur pœnitentiam in ſalutem; id eſt, efficit pœnitentiam eſſe ſalutarem: velut ſi dicam, homo ſtudioſus efficit hominem doctum, & ſobrius, ſanum; ut perſpicuus ſenſus ſit; triſtitiam quæ eſt ſecundum Deum, cauſam eſſe ſalutis. Quem ſenſum probabilem facit antitheſis. Sequitur enim.

SÆCULI AUTEM TRISTITIA MORTEM OPERATUR. Pro *ſæculo*, *mundus* eſt in Græco, nec non apud Ambroſianum. Triſtitia ſæculi ſeu mundi, triſtitia eſt ſecundùm ſæculum, id eſt, exponente S. Thoma, quæ naſcitur ex amore ſæculi, de quo Joannes 1. Epiſt. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Hujuſmodi triſtitia eſt quam patiuntur homines ex amiſſione, vel impedita perceptione eorum quæ carnaliter diliguntur; ut voluptatum atque aliorum bonorum temporalium, vel etiam parentum, propinquorum, amicorum inordinatè dilectorum. Parit autem ea triſtitia mortem, vel æternam, quatenus Deus plerumque graviter per eam offenditur: vel temporalem, eò quòd homines immodica triſtitia preſſi ſæpè in morbos incidant periculoſos & mortiferos, juxta illud Eccleſiaſtici 30. *Multos occidit triſtitia*, & Proverb. 17. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa.*

Nota ad mores nocumenta inordinatæ ſæculi triſtitiæ.

Quamvis & triſtitia quæ ſecundùm Deum eſt, ex redundantia doloris in partem inferiorem animæ, corpus lædere & mortem adferre poteſt. Unde eſt quod ait Salvator, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Quocirca probabilior eſt de morte æterna expoſitio, maximè quod mortem Apoſtolus opponat ſaluti non corporis, ſed animæ. Tale enim eſt quod dicit: Juſtum eſt me gaudere de hac triſtitia veſtra quæ ſecundùm Deum eſt; quia longè alius eſt effectus illius triſtitiæ, quàm triſtitiæ ſæculi. Nam illa ſalutem & vitam gignit perpetuam; hæc vero mortem æternam conciliat.

II. ECCE ENIM HOC IPSUM SECUNDUM DEUM CONTRISTARI VOS, QUANTAM IN VOBIS OPERATUR SOLICITUDINEM. In Græco verba ſunt præteriti temporis, contriſtatos eſſe, item *operatum eſt*, *effecit*, *genuit.* Probat Apoſtolus quod dixit triſtitiam Corinthiis fuiſſe ſalutarem; idque per ipſius rei experientiam, qua conſtabat eam in illis multa bona ad ſalutem ducentia peperiſſe, cujuſmodi ſeptem hîc ordine enumerat. Ecce enim, inquit, *hoc ipſum quod ſecundum Deum contriſtati fuiſtis, quantam in vobis genuit ſolicitudinem*, vel ut in Græco eſt, *diligentiam & ſtudium.* Cùm enim anteà negligenter ageretis circa punitionem illius inceſtuoſi; hæc ſecundum Deum triſtitia, vos ad tollendum è vobis malum, valde diligentes ac ſolicitos reddidit.

Particularis enumeratio fructuum triſtitiæ Chriſtianæ.

SED DEFENSIONEM. Græcè ἀπολογίαν, quam alibi ſatisfactionem vertit interpres, *ut* 1. *Petr.* 3. alibi rurſus defenſionem, *ut* 2. *Timoth.* 4. Porrò defenſionem plerique intelligunt eam qua Corinthii defendebant & laudabant factum Apoſtoli tradentis fornicarium Satanæ. Theodoretus verò & Oecumenius ἀπολογίαν interpretantur qua Corinthii purgabant ſemetipſos, per hoc quòd ſerio & ſecundùm Deum contriſtati propter flagitium apud ſe commiſſum, ac ſeverè illud punientes, oſtendebant ſe ejus non eſſe participes.

Verùm quoniam apologia propriè dicitur ea defenſio quæ verbis fit, maximè profectò probabile eſt Apoſtolum loqui de eo quod Corinthii ſeſe apud Titum prolixè & ſolicitè excuſarunt, ſuper negocio fornicarii; docentes quid ad ejus punitionem & correctionem egiſſent. Nam Apoſtolus hæc, velut ex Titi relatione accepta, commemorat. Conjunctionem *ſed*, in hac parte & ſequentibus, pro & poſitam annotat Oecumenius. Atque ita reddidit Syrius interpres. Equidem crediderim augendi vim ei ineſſe hoc loco; ut idem ferè ſit quod *imò*, ſicut Eraſmus vertit, aut *quin etiam*, *inſuper*; quæ idem valent.

Clarior erit oratio ſi per ſingula ſuppleas (non ſolum) hoc modo; operatur ſolicitudinem, non ſolum, ſed & defenſionem; nec ſolum, ſed & indignationem. Eſt enim mos Apoſtoli Pauli ſic loqui, ut Rom. 5. *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus*, & cap. 9. *Non ſolum autem; ſed & Rebecca*, & hujus epiſtolæ capite ſequenti. *Non ſolum autem; ſed & ordinatus eſt*, &c. Quidam hîc obſervant figuram rhetoricam, quam polyſynteton vocant, in repetitione vocabuli ἀλλὰ, *ſed*: conciliat enim orationi gravitatem & acrimoniam. Mirum verò quid ſecutus Ambroſianus membrum hoc negativè legat, *non excuſationem*, addito hoc gloſſemate. Rectè, quia pœnitentia non habet excuſationem ſed confeſſionem. At non hîc agitur de excuſatione qua peccatum commiſſum negetur, ſed de ea qua rei veritas exponatur.

SED INDIGNATIONEM; quam coram Tito oſtendiſtis adverſus hominem flagitioſum. SED TIMOREM; ne ſimile quid iterùm contingat. Hujuſmodi enim timor veræ pœnitentiæ comes eſt. Alii timorem divini judicii intelligunt: Sed hic timor potiùs cauſa triſtitiæ eſt, quàm ejus effectus. SED DESIDERIUM; nempe illud quod ſuperiùs dixit Titum ſibi retuliſſe. Nam ex Pauli increpatione contriſtati ſecundùm Deum flagrantiùs ejus præſentiam deſiderabant.

SED ÆMULATIONEM; hanc quoque ſuperiùs nominavit inter ea quæ Titus retulerat. Neque aliter hoc loco exponenda eſt. SED VINDICTAM. Hoc, inquit, egit in animis veſtris illa ſecundum Deum triſtitia, ut gravi ac ſevera caſtigatione, juſtaque ſatisfactionis pœna peccatum illius fornicerii vindicandum putaveritis, in tantum, ut à me rurſus ad lenitatem fueritis revocandi. Id enim fecit ſuperiùs *cap.* 2. Rectè Catholici doctores ex hoc loco ſumunt argumentum pro ſatisfactione quæ pœnitentiæ pars eſt, qua quis in ſeipſo vindicat quod malè egit; quippe cùm hic vindictam numeret Apoſtolus inter ea bona quæ ſalutarem Corinthiorum pœnitentiam fuerant conſecuta.

Obſ. contra Sectarios argumentum pro ſatisfactione.

IN OMNIBUS EXHIBUISTIS VOS INCONTAMINATOS ESSE NEGOCIO. Græcè, *pueros eſſe in negocio.* Textus Ambroſianus ſic habet: *In omnibus caſtos vos exhibuiſtis eſſe in eo negocio.* Quamquam quod dicitur *exhibuiſtis*, verti etiam potuit *commendaſtis*, ſicut in illo loco capitis ſuperioris, in omnibus exhibeamus noſmetipſos &c. *Sen ſus eſt*, Tot argumentis præſtitiſtis ac declaraſtis vos à crimine immunes, atque voſmetipſos ut tales in præſentia Titi commendaſtis, ut qui in priori epiſtola à me accuſati eſtis quod videremini flagitioſis operibus communicare, nunc ita ſitis apud me excuſati & purgati, ut quod ampliùs objiciam vobis, non habeam.

Negocii nomine tegit inceſti crimen, nolens illud exprimere propter turpitudinem. Eſt qui negocium interpretatur illud de quo altera erat objurgatio, 1. Cor. 6. illis verbis, *Audet aliquis veſtrum habens negocium adverſus alterum judicari apud iniquos*; Et eò trahit etiam verba proximè ſubjecta: quaſi *ſenſus* Apoſtoli ſit. Nihil prætermiſſum eſt à vobis, quo manifeſtũ

faceretis vos ab illo negocio immunes esse, quod criminis loco vobis objiciebatur, de causa adversus fratrem ad iniquos judices delata. Sed hic commentatius non modò coactus est, verùm etiam longiùs Apostolum abducit ab instituto.

12. IGITUR, ETSI SCRIPSI VOBIS; NON PROPTER EUM QUI FECIT INJURIAM, NEC PROPTER EUM QUI PASSUS EST: Supplendum, *scripsi*, vel *feci*. Quod igitur, inquit, per epistolam vos objurgavi; non tantùm, nec præcipuè id feci propter eum qui fecit injuriam, id est, propter filium incestuosum, ut ille puniretur aut etiam corrigeretur; nec item propter eum qui passus est injuriam adulterii & incestus, id est, propter patrem, ut ille vindicaretur, aut ab injuria liberaretur.

SED AD MANIFESTANDAM SOLICITUDINEM NOSTRAM. Græcè, *Sed ut manifestaretur studium* seu *diligentia nostra*. QUAM HABEMUS PRO VOBIS CORAM DEO. Multa exemplaria mss. legunt, *pro vobis, ad vos coram Deo*. Porrò Græci codices qui hodie sunt in manibus, variant pronomina. Quidam enim habent *studium vestrum pro nobis*; Alii contrà, studium nostrum pro vobis; omnes autem addunt, *ad vos*. Sanè posterior lectio sicut in præstantioribus est exemplaribus, ac nominatim in Complutensi & Regio, nec non in commentariis veterum, annuente etiam Ambrosiano; sic & sensum habet obvium ac facilem, hujusmodi; Sed etiam ac præcipuè, id *feci*, ut innotesceret studium ac solicitudo nostra pro salute vestra, id est, me potissimùm movit cura totius ecclesiæ seu corporis vestri; quæ per epistolam erat apud vos declaranda.

Solicitudo episcopi pro grege sua dum quempiam excommunicat.

Locus sic intellectus ostendit præcipuam excommunicantis intentionem esse debere, ut quemadmodum hoc loco Chrys. & Theophyl. significant, à peccati contagio totum corpus servetur incorruptum, etiamsi fortè salus excommunicandi fuerit desperata. Unde & in priori epistola cap. 5. dixerat, *modicum fermentum totam massam corrumpit*. Et iterùm: *Auferte malum ex vobis ipsis*.

Alteram Græcorum lectionem videat, qui volet, expositam à Cajetano *in comm.* & ab Erasmo *in annotat.* qui tamen in *paraphrasi*, mutata sententia, priorem lectionem ut meliorem sibi sumpsit explicandam. Quod sequitur, *coram Deo*, vel jurantis est, sicut illud Galat. 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior*, quasi dicat: Testis est Deus quod ad manifestandam meam pro vobis solicitudinem id fecerim. Sic enim & S. Thomas putat intelligi posse. Vel potiùs, significat solicitudinem suam fuisse sinceram & ex charitate profectam, qualem velit probari coram judice.

13. IDEO CONSOLATI SUMUS. Id est, consolationem accepimus, ut legit Ambrosianus. Sequitur: IN CONSOLATIONE AUTEM NOSTRA, ABUNDANTIUS MAGIS GAVISI SUMUS SUPER GAUDIO TITI. Notanda est hujus loci varia lectio atque distinctio. Ambrosianus ac cæteri Latini cum nostra versione consentiunt. Græci codices qui nunc circumferuntur, ita habent: Propter hoc consolati sumus super consolatione vestra: Abundantiùs autem magis gavisi sumus super gaudio Titi. Quæ lectio etiam apud Oecumenium est. Porrò Chrysostomus & Theophylactus similiter quidem ut Latini, distinxisse videntur; sed cum hodiernis Græcis id habent commune, quod pro *nostra* legunt *vestra*.

Sensus Latinæ lectionis potest esse talis; Quoniam inventi estis puri & incontaminati in negocio; idcircò consolationem accepimus. Atque in ea consolatione multò etiam magis gavisi sumus propter gaudium Titi, quasi dicat gaudium Titi vehementer auxit consolationem nostram quam ex vobis accepimus. Eadem est sententia lectionis tertio loco allatæ. Nam consolationem vestram Theophylactus interpretatur activè, quia nimirum vos consolati estis me; ut hoc pacto eadem sit consolatio vestra & nostra.

At verò secundæ lectionis diversam adferentis distinctionem, hîc videtur esse *sensus*; Cùm hæc omnia ita se habeant, consolationem & gaudium cepimus ex vobis, utpote qui jam correcti, nobis afflictis fueritis materia solatii: nam nostram consolationem & gaudium majorem in modum auxit gaudium Titi quod cepit ex vobis. Distinctionem hanc, & sensum, probabilem facit tum præpositio Græca ὅτι, quæ eadem est in utroque membro; tum quòd videatur hîc esse quædam repetitio ejus quod suprà dixerat, se consolatum à Deo non solùm in adventu Titi, sed etiam in consolatione quam ille receperat à Corinthiis. Adde, quod illud, *consolati sumus* in consolatione vestra, dictum appareat Hebræa phrasi; quales sunt in scripturis, timere timorem, concupiscere concupiscentiam, laudare laudem, videlicet actu posito pro re objecta. Verba sequentia explicant gaudium Titi.

QUIA REFECTUS EST SPIRITUS EJUS AB OMNIBUS VOBIS. Græcè, *quia requievit*, ut & legit Ambrosiaster; id est, refocillatus est, ac recreatus ab anxietate quam propter vos patiebatur. Nam vos invenit correctos. Quod autem dicit, *ab omnibus vobis*; non singulos significat, sed ecclesiam, seu corpus ipsum.

14. ET SI QUID APUD ILLUM DE VOBIS GLORIATUS SUM; NON SUM CONFUSUS: Hoc quoque referendum est ad consolationem Pauli; quod nimirum ob ea quæ apud Titum prædicaverat de fide & profectu Corinthiorum, gloriatus in illis tamquam pater in filiis à se genitis & institutis; non esset pudefactus, tamquam inaniter & falsò gloriatus. Dicit autem, *si quid*, quia parcè gloriatus fuerat propter vitia quæ adhuc apud illos regnabant.

SED SICUT OMNIA VOBIS IN VERITATE LOCUTI SUMUS; Id est, sicut quæcumque vobis tamquam Apostolus prædicavi, vera fuerunt; quia sermo noster qui fuit apud vos, uti dixit 1. capite, *non est in illo Est & Non, sed Est in illo fuit*.

ITA ET GLORIATIO NOSTRA QUÆ FUIT AD TITUM, VERITAS FACTA EST. Hoc est, Ita & verba mea quibus apud Titum de vobis fueram gloriatus, comperta sunt esse vera. Titus enim tales vos invenit, quales ego vos apud eum descripsi.

15. ET VISCERA EJUS ABUNDANTIUS IN VOBIS SUNT. Græcè *in vos* vel *ad vos*. Viscera, phrasi consueta, vocat intimos affectus. REMINISCENTIS OMNIUM VESTRUM OBEDIENTIAM. Malè in quibusdam codicibus legitur reminiscentes. *Sensus* autem sententiæ est; Ipse etiam Titus cum antehac vos diligeret, nunc multò magis ex intimis animi visceribus erga vos afficitur; dum recordatur & secum recolit quanta cum obedientia susceperitis nostra monita, quæ ad vos detulit.

QUOMODO CUM TIMORE ET TREMORE EXCEPISTIS ILLUM. Hoc est, dum iterùm recordatur & in memoriam revocat, quanta cum solicitudine eum à nobis missum susceperitis, metuentes ne quid in vobis esset quod eum offenderet. Tale quid enim significat illa locutio, *cum timore & tremore*, ut Psalmo 2. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, & Philip. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Vide Commentarium nostrum ad 1. *Cor.* 2. *v.* 3.

16. GAUDEO QUOD IN OMNIBUS CONFIDO IN VOBIS. *In omnibus*, id est, per omnia, & usquequaque. Bifariam autem hanc partem Theophylactus & Oecumenius exponunt. Uno modo: *Gaudeo quòd tales inventi sitis qui non pudefaciatis me, sed fiduciam præbeatis ampliùs in posterum gloriandi de vobis.*

Aliter. *Gaudeo me tantum fiduciæ inveniſſe apud vos, ut abſque periculo offenſionis poſſim liberè vobiſcum agere monendo, corripiendo, increpando, atque etiam petendo quippiam à vobis.* Annotat enim Oecumenius hoc dicere Apoſtolum, ut viam præſtruat orationi ſubſequenti de eleemoſyna. Huic poſteriori ſenſui favet illud quod ſuprà verſu 4. dixit, non diſſimili ſermone, *Multa mihi fiducia eſt apud vos.* Nam ibidem de gloriatione, velut diverſum quid, ſubjunxit, *Multa mihi gloriatio pro vobis.* Favet & illud quod legitur infra capite decimo in principio.

CAPUT VIII.

NOtum autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ: 2. quòd in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipſorum fuit; & altiſſima paupertas eorum, abundavit in divitias ſimplicitatis eorum: 3. quia ſecundùm virtutem teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarii fuerunt, 4. cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterii, quod fit in Sanctos. 5. Et non ſicut ſperavimus, ſed ſemetipſos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei; 6. ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam. 7. Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſolicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos, ut & in hac gratia abundetis. 8. Non quaſi imperans dico: ſed per aliorum ſolicitudinem, etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans. 9. Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu-Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis. 10. Et conſilium in hoc do: hoc enim vobis utile eſt, qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore: 11. Nunc verò & facto perficite: ut quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis. 12. Si enim voluntas prompta eſt, ſecundùm id quod habet, accepta eſt; non ſecundùm id quod non habet. 13. Non enim ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate. 14. In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt: 15. Qui multum, non abundavit; & qui in modicum, non minoravit. 16. Gratias autem Deo, qui dedit eamdem ſolicitudinem pro vobis in corde Titi, 17. quoniam exhortationem quidem ſuſcepit: ſed cum ſolicitior eſſet, ſua voluntate profectus eſt ad vos. 18. Miſimus etiam cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias: 19. non ſolùm autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ, in hanc gratiam, quæ miniſtratur à nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram: 20. devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis. 21. Providemus enim bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. 22. Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum quem probavimus in multis ſæpè ſolicitum eſſe; nunc autem multò ſolicitiorem, confidentia multa in vos; 23. ſive pro Tito, qui eſt ſocius meus, & in vos adjutor, ſive fratres noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti. 24. Oſtenſionem ergo quæ eſt charitatis veſtræ, & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos oſtendite in faciem Eccleſiarum.

Exod.15.d.18.

Rom.12.d.17.

SUMMARIUM.

HOrtatur eos ad eleemoſynam pauperibus qui Jeroſolymis agebant prompto animo tribuendam, tum Macedonum commendatione, tum Chriſti exemplo; admonens, ut quod jamdudum facere propoſuerant, id nunc pro cujuſque facultate præſtent, & miniſtros collaudat, quos ad eam mittit colligendam.

NOTAM AUTEM VOBIS FACIMUS, FRATRES, GRATIAM DEI, QUÆ DATA EST IN ECCLESIIS MACEDONIÆ: Ab hoc capite facit Theodoretus initium tomi ſecundi hujus epiſtolæ. Continet autem hoc caput cum eo quod ſequitur, exhortationem Corinthiorum ad largam eleemoſynæ collationem faciendam in pauperes fideles qui erant Jeroſolymis, & in Judæa. Nam quia brevis ad eam rem admonitio, quam fecerat in extrema parte prioris epiſtolæ, parum videbatur eos moviſſe; neceſſarium putavit idem nunc prolixiùs atque efficaciùs agere. Eſtque totus hic locus moralis, ad commendandum meritum eleemoſynæ. Incipit autem Apoſtolus à narratione; qua quid jam à Macedonibus actum eſſet, exponit; idque non ſine egregia eorum commendatione; ut horum exemplo Corinthios ad parem liberalitatem exſtimulet. Dico ergo, *Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei*, &c. id eſt: Reddimus vos certiores de beneficio divinitus collato in Eccleſias Macedoniæ; ſcire vos volo, quantum boni Deus in illis operatus fuerit. Loquitur autem (uti ſequentia verba declarant) de duplici bono, videlicet patientiæ & beneficentiæ. Quod utrumque nomine gratiæ divinitus datæ complectitur; quia, ut annotat S. Thomas, quidquid boni facimus, eſt ex gratia Dei.

Nota locum moralem ad cõmendandum meritũ eleemoſynæ.

Nonnulli ſic exponunt. Certiores vos facio de eleemoſyna quam in Eccleſiis Macedoniæ colligimus. Nam & ipſam eleemoſynam interdum vocabulo gratiæ ſignificari, conſtat ex illis verbis, 1. epiſtolæ cap. 16. *Quos probaveritis per epiſtolam, hos mittam perferre gratiam veſtram in Jeruſalem.* Quin & conſequentibus hujus capitis modò beneficium, ſive eleemoſynam datam, modò ipſum opus beneficentiæ gratia vocatur ab Apoſtolo. Sed *notandum* eſt eleemoſynam tum hoc capite, tum alibi ſimpliciter gratiam vocari, vel gratiam eorum qui eam tribuunt; non autem gratiam Dei; ſicut in hac parte loquitur Apoſtolus. Denique gratiam Dei ſic intelligendam eſſe hoc loco, ut generatim ad bona opera referatur, ſatis probat quod ſequitur.

Eleemoſyna non fit ſalutariter ſine ſpeciali Dei gratia.

2. QUOD IN MULTO EXPERIMENTO TRIBULATIONIS, ABUNDANTIA GAUDII IPSORUM FUIT. Interpres verbum *fuit* de ſuo addidit, ut orationem alioqui imperfectam abſolveret. Oecumenius ex ſequenti parte ſupplendum putat verbum *abundavit*, ſive exuberavit; tamquam dicat Apoſtolus, abundantiam abundaſſe. Cæterùm Ambroſianus nomen *abundantia* mutavit in verbum. Sic enim legit. Quod in multa probatione preſſuræ abundavit gaudium ipſorum. *Senſus* autem eſt. Primum quidem vobis notum facio de fratribus Macedonibus, quòd multas afflictiones paſſi & per eas probati, magnum ex ea re gaudium perceperunt juxta id quod Rom. 5. ſcribit idem Apoſtolus: *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem*, ſpes autem gaudium gignit, ſecundùm illud ejuſdem epiſt. c. 12. *Spe gaudentes.*

Dicuntur autem homines probari per tribulationes, quia per eas innoteſcit eorum virtus & conſtantia. Cajetanus & alii quidam exponunt *hoc modo*: Quod multas experti tribulationes, valde ſunt gaviſi. Sed hic commentarius refellitur ex vocabulo Græco δοκιμὴ, quod in ſcripturis probationem ſignificat, qualem ſumus jam interpretati.

Quæritur autem de qua tribulatione Macedonum hîc loquatur Apoſtolus. Sunt qui exiſtiment eum loqui de tribulatione, cujus mentio fit *Act. 16.* ubi Paulus & Silas Philippis civitate Macedoniæ leguntur affecti plagis, & miſſi fuiſſe in carcerem. At ea afflictio non tam Macedonum fidelium, quàm Apoſtolorum fuit; eademque ſtatim poſt unam noctem ceſſavit, ut ex *hiſtoria Actorum* liquet. Deinde *ſciendum*, illam afflictionem multo tempore ante ſcriptam epiſtolam contigiſſe, ſcilicet in primo acceſſu Pauli ad Macedones, ut ex eadem hiſtoria manifeſtum eſt. Hîc autem recentiorem aliquam Macedonum afflictionem Corinthiis vult indicare: quam ob rationem, nec de ea videtur hic locus intelligi poſſe, cujus ad Theſſalonicenſes (qui & ipſi Mace-

dones fuere) ſcribens meminit, 1. *epiſt. cap.* 2. dum ait eos ſimilia paſſos à contribulibus, qualia Judæi fideles à ſuis. Nam & hanc afflictionem multò antè contigiſſe, vel ex eo conſtat, quòd prior ad Theſſalonicenſes epiſtola ſcripta fuerit ab Apoſtolo omnium prima.

Quocirca magis placet id quod veriſimilius putat Cajetanus, Apoſtolum loqui de tribulatione cujus meminit capite ſuperiori, dicens: *Cùm veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra; ſed omnem tribulationem paſſi ſumus*, &c. Hanc enim tribulationem credibile eſt cæteris quoque illius loci fidelibus cum Apoſtolo fuiſſe communem. Niſi magis placeat, loqui Apoſtolum in genere de tribulationibus anteà illatis, ſive olim, ſive recenter; ex quibus inciderant in paupertatem, ac ſenſus ſit, quod in tam multis tribulationibus fuerint gaviſi; & gaudeant adhuc in ſua paupertate.

Ingens liberalitas pauperum Macedonum.

ET ALTISSIMA PAUPERTAS EORUM ABUNDAVIT IN DIVITIAS SIMPLICITATIS EORUM. Hæc altera gratia eſt, commendationem accipiens ex priori. Valde enim laudabile eſt animi conſtantis argumentum, inter perſecutiones à pio opere non deſiſtere. Ambroſianus legit, *& profunda paupertas*, &c. Græca ſonant quaſi dicas, & in profundum depreſſa; vel, ad fundum uſque exhauſta, paupertas eorum; ut ſit jucunda quædam antitheſis inter profundam paupertatem & ſequens verbum *abundavit*. Itaque, præter mentem Apoſtoli eſt, quod gloſſa quædam, quam S. Thomas ita citat ut non probet, paupertatem altiſſimam interpretatur ſublimem, propter elevationem ſpiritus, tamquam è ſublimi deſpicientis res temporales.

Senſus autem Apoſtoli eſt. Hoc quoque vobis notum facimus quod profunda & magna eorum paupertas exundavit in opulentam ſinceri cordis largitatem. Quod explicatiùs ita dici poteſt. Macedones fratres quamvis valde pauperes ſint (nam direptionem bonorum paſſi fuerunt à civibus ſuis, ut indicat locus 1. *Theſſal.* 2. quem hîc citavit Theophylactus & Oecumenius) abundanter tamen, & quidem ſimplici corde, contulerunt in uſum pauperum ſanctorum qui ſunt in Judæa.

Nota ad mores, ſimplicitatem, ſive ſyncerã & ſim plicem intentionem, in dandis eleemoſynis requiri.

Videtur Apoſtolus ipſam largitatem ſeu collationem vocare ſimplicitatem; propterea quòd Deo non ſit accepta niſi ex ſimplicitate, id eſt, ſinceritate cordis procedat, qua nimirum non aliud ſpectetur quàm quod in dandis eleemoſynis ſpectandum eſt, ſcilicet ut pauper ſubſidio juvetur, & Deus honoretur. Nam qui aliud opere oſtendit, aliud animo cogitat, cor duplicat, ut loquitur Auguſtinus; velut ſi quis ob inanem gloriam, vel ut pauperem ſibi devinciat, vel (uti ſequenti capite dicitur) *ex triſtitia aut neceſſitate* tribuat. Cujuſmodi vitioſis & impuris affectibus ſæpe contingit divitum eleemoſynas inquinari.

3. QUIA SECUNDUM VIRTUTEM, TESTIMONIUM ILLIS REDDO, ET SUPRA VIRTUTEM VOLUNTARII FUERUNT. Id eſt, non modò pro tenuitate ſuarum facultatum, ſed etiam ſupra vires, voluntarii ac ſua ſponte prompti fuerunt ad tribuendum: quaſi dicat; ſuis etiam neceſſitatibus detraxerunt quod tribuerent: quod eſt ſupra vires tribuere. Sed hoc ipſum intelligendum eſt ſecundùm dictamen rectæ rationis; quæ aliquando ſuadet ſupra vires, modo jam explicato, dandum eſſe: ut ſi alius magis egeat, aut valde dignus ſit beneficio. Nam præter hujuſmodi rationem, talis largitio non eſſet actus virtutis; quemadmodum benè Cajetanus admonet. Quod autem interponit Apoſtolus, *teſtimonium illis reddo*, Græcè μαρτυρέω, *teſtor*, (nam pronomen *illis* addidit interpres de ſuo) ad totam ſententiam, cum Ambroſiano referri poteſt, qua ſecundùm vires & ſupra vires affirmantur voluntarii fuiſſe Macedones: quamvis ſi quis referat ad ſolam partem poſteriorem, *ſupra vires*, non videbitur aberrare. Pro *voluntariis*, in Græco vocabulum eſt αὐτοίζηται, ſpontaneæ & propriæ electionis ſignificativum, quod manifeſtè pro libero facit arbitrio, contra noſtræ ætatis hæreticos. Porrò ſe teſtem facit Apoſtolus liberalitatis Macedonum, eò quòd ipſo præſente geſta eſſent quæ ſcribit.

Supra vires eleemoſynã facere, quando laudabile.

Obſerva Liberum arbitrium contra Sect.

4. CUM MULTA EXHORTATIONE OBSECRANTES NOS. Meliùs ni fallor verti poterat, *cum multa obſecratione*, ſive *obteſtatione, rogantes nos*. Ambroſianus, *cum multis precibus orantes*.

GRATIAM ET COMMUNICATIONEM MINISTERII QUOD FIT IN SANCTOS. Græci codices addunt *ſuſpicere nos*; tametſi Chryſoſtomi textus id non habet, uti nec quatuor exemplaria Roberti, nec Theophylactus qui annotat ejuſmodi quid deeſſe ac ſupplendum eſſe. Legitur autem apud Ambroſianum; ejuſdemque commentando meminerunt Primaſius, & Scholiaſtes Hieronymianus. Sanè neceſſarium eſt ad ſenſum, ut legatur aut ſuppleatur: Nam *ſenſus eſt*, Obſecrantes nos ut de manibus ipſorum ſuſciperemus eleemoſynam (hanc enim gratiæ nomine tamquam beneficium ac gratuitum munus appellat.)

ET COMMUNICATIONEM. Græcè *communionem*; hoc eſt, pecuniam à ſe collectam & fratribus communicandam, ut ſcil. ea noſtro miniſterio perferretur ad pauperes ſanctos qui ſunt Jeroſolymis. Nam Paulus, ut in *Actis cap.* 11. *fin.* & 12. *fin.* legitur, huic miniſterio præfectus erat. Quid vocet communionem, intelligi poteſt ex illo Rom. 12. *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes.*

5. ET NON SICUT SPERAVIMUS. Supplenda eſt ſententia: Et non ſolùm ſicut ſperavimus, egerunt. Sentit enim Macedones ſpem ipſius & expectationem ſuperaſſe. Alii ſic exponunt. Et non factum eſt ſicut putabamus futurum; quia propter bonorum direptionem quam paſſi fuerunt, videbantur ſeſe excuſaturi.

SED SEMETIPSOS DEDERUNT, PRIMUM DOMINO; DEINDE NOBIS PER VOLUNTATEM DEI. *Deinde* non eſt in Græco, ſic enim habet *Primùm Domino, & nobis*. Rectè tamen ad ſenſus explicationem additum eſt ab interprete noſtro & aliis. Sed, inquit, præter ſpem noſtram, non ſua modò, verùm & ſemetipſos obtulerunt ac tradiderunt, *primùm Domino* Chriſto, *deinde & nobis* ejus miniſtris, ut ſcilicet nos tamquam vice Chriſti Domini, tantum ab eis acciperemus in ſubſidium pauperum ſanctorum, quantum nobis placeret; declarantes ſe totos eſſe Chriſti & miniſtrorum ejus; & proinde paratos facere, quidquid injungeremus. Id autem fecerunt *per voluntatem Dei*, hoc eſt ſecundùm voluntatem Dei. Nam Deo gratum quòd homines ſe totos ſubmittant Chriſto & ejus vicariis. Vel, *per voluntatem Dei*, id eſt, Deo tam pium affectum ſubjectionis, & beneficentiæ in eorum cordibus operante.

Porrò digna eſt annotatu conſideratio Photii, apud Oecumenium, circa factum Macedonum hîc à Paulo commendatum, in quo ſex quædam præclara dicit obſervanda. *Primum*, quòd ſecundùm vires contulerunt. *Secundum*, quòd ſupra vires. *Tertium*, quòd voluntarii. *Quartum*, quòd multa cum obteſtatione. *Quintum*, quòd ſupra quàm ab eis ſperabatur. *Sextum*, idemque cæteris majus, quod ſeipſos dederunt Domino & miniſtris ejus.

6. ITA UT ROGAREMUS TITUM, UT QUEMADMODUM COEPIT, ITA ET PERFICIAT IN VOBIS ETIAM GRATIAM ISTAM. Græca ſonant in hunc modum: *In hoc, ut rogaremus*, ſive *adhortaremur nos Titum, ut quemadmodum anteà cœpit, ita & perficeret in vos*, ſive *erga vos, etiam gratiam iſtam*. Nonnulla etiam Latina habent, *in vos*. Cajetanus volens illud,

in hoc jungere præcedentibus, multumque ſeſe torquens ut tollat contextus duritiem, ut loquitur; oſtendit ſe, Græcè imperitum, non perſpicere quid Græcorum verborum contextus poſtulet. Nam certè vetus interpres, aſtipulante etiam Ambroſiano textu, ſenſum Apoſtoli expreſſit. Eſt enim *ſenſus* hujuſmodi. Tam egregium & laudabile Macedonum exemplum me impulit ad hoc ut exhortarer & rogarem Titum, ut quemadmodum dudum, quum apud vos eſſet, incœpit, ita & perficiat erga vos (aut in vobis) etiam gratiam iſtam de qua nunc ſermo eſt, id eſt, eleemoſynæ in Jeruſalem mittendæ collectionem.

Dicit *etiam*; ut innuat Titum alia quædam apud ipſos jam perfeciſſe, atque ex eo ſpem eſſe ut & hanc gratiam perficiat. Illud, *ad vos*, quod interpres vertit, *in nobis*, poteſt etiam in hunc ſenſum explicari, ſuſcepta denuò ad vos profectione. Ad hanc enim teſtatur Apoſtolus infrà, ſe Titum exhortatum fuiſſe. Notandum obiter, Interpretem nunc *rogandi*, nunc *exhortandi* verbo, reddere idem vocabulum Græcum hoc capite & ſequenti; quemadmodum facit & alibi. Solet enim exhortatio preces habere conjunctas.

7. SED SICUT IN OMNIBUS ABUNDATIS FIDE ET SERMONE ET SCIENTIA. Adverſativa particula, *ſed*, refertur ad gratiam adhuc imperfectam verbis proximè antegreſſis ſignificatam; tametſi alii vertere malunt, *imò*; ſicut capite ſuperiori. *Senſus eſt*: Sed ſicut per omnia & prorſus abundatis fide, & gratia ſermonis, & ſcientia. Quo ſenſu dicat his donis abundare Corinthios, qui multa adhuc egebant inſtructione, explicatum à nobis eſt ad illud 1. epiſtol. cap. 1. *In omnibus divites facti eſtis, in omni verbo, & in omni ſcientia, ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia.* Ex quo etiam loco, petendum eſt quid per *ſermonem* & *ſcientiam* velit Apoſtolus ſignificare.

ET OMNI SOLICITUDINE. Græcè *diligentia*. Hanc ſuperiori capite commendavit in Corinthiis. Unde apparet ſignificari ſolicitudinem quam habebant pro ſalute fratrum:

INSUPER ET CHARITATE VESTRA IN NOS. *Inſuper*, in Græcis & Syris non eſt. mss. quoque Latina quædam non habent. Græcè ſic legitur. Et ea quæ ex vobis in nobis eſt charitate. Quod interpres benè vertit, *& charitate veſtra in nos*; id eſt, ea quæ procedit ex vobis, diligentibus; in nos dilectos.

UT ET IN HAC GRATIA ABUNDETIS. Ambroſianus textus ad complendum ſenſum, addit *facite*. Quod Eraſmus quoque & Hentenius imitati ſunt. Alii ſupplent, *hortamur*, aut quid ſimile. Verùm hujuſmodi ſupplemento non eſt opus. Pendet enim adhuc oratio ab eo; *Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit*, &c. Dicit enim ſe hortatum fuiſſe Titum, ut quod de colligenda eleemoſyna cœperat apud Corinthios, perficiat, & per hoc, Corinthii ſicut aliis abundant chariſmatis, ut etiam in hac eleemoſynaria gratia abundent, videlicet liberaliter ac promptè tribuendo. Dicens autem, *& in hac gratia*; ſignificat etiam præcedentia quæ enumeravit, fidem, ſermonem, &c. gratias eſſe. Quare, gratia hoc loco non idem eſt quod beneficentia, quomodo eam tranſtulit Eraſmus; ſed in genere ſignificat gratuitum Dei donum, ſub quo, inter alia, continetur eleemoſynæ ſeu beneficentiæ virtus.

8. NON QUASI IMPERANS DICO. Græcè, *Non ſecundùm imperium dico*, quemadmodum & Ambroſianus legit. Atque ita alibi vertit ipſe noſter interpres, ut 1. Corinth. 7. *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundum imperium.* Senſus eſt. Nolo vos urgere præcepto: quamvis alioqui poſſem ut veſter Apoſtolus. Sic enim ad Philemonem ait, *Fiduciam habens imperandi tibi*; *magis obſecro, ſive adhortor.* Quare non pugnant cum hoc loco ea quæ leguntur prioris epiſtolæ cap. 16. *Sicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.* Nam quod ibi dicitur, magis videtur pertinere ad modum eleemoſynam paulatim colligendi per unumquemque ſeparatim, & ut de contributione ipſa illic eſſet præceptum Apoſtoli: tamen locum habere poteſt quod hîc ait, ſe non agere imperiosè, ſe nunc non agere ut imperantem, ſed ut conſulentem quod ſaluti ſit perutile. Poteſt alia reſponſio dari ex Commentario hoc *ad verſ.* 10. Hinc ergo ne colligas eleemoſynam non eſſe in præcepto; quum, etiamſi Paulus præcipere non poſſet, Dei tamen præceptum ſufficere deberet.

SED PER ALIORUM SOLICITUDINEM, ETIAM VESTRÆ CHARITATIS INGENIUM BONUM COMPROBANS. *Solicitudinem*, rurſus pro ſtudio ac diligentia poſuit interpres; & *comprobans* dixit pro ſimplici, probans. Quod autem vertit ingenium bonum, in Græco una dictio eſt γνησιον; id eſt, ingenuum: atque ita vertiſſe interpretem nonnulli ſuſpicantur. Ambroſianus legit, *animum bonum*; vel ſecundùm alios codices, nudè & ſubſtantivè; *bonum*. Editio Syriaca, *conſtantiam* habet. Porrò *ingenuum*. pro ingenuitate, germanitate, ſynceritate, dictum eſt ab Apoſtolo, iuxta conſuetudinem Græcæ linguæ; qua neutrum pro abſtracto frequenter uſurpatur.

Senſus eſt. Sed propoſito exemplo diligentiæ aliorum, ſcilicet Macedonum, qui vos in hoc officii genere non prævenerunt; etiam veſtræ charitatis indolem ac ſynceritatem probans, id eſt, hujuſmodi opere beneficentiæ exploratam ac probatam reddere volens. Nam; ut ait Gregorius *homil.* 30. *ſuper evangel.* probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Dicit autem *veſtræ charitatis*, quia de opere charitatis erga proximos loquitur.

9, SCITIS ENIM GRATIAM DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI. Hortatur exemplo beneficentiæ Chriſti Salvatoris erga nos, quæ fuit incomparabiliter major ea quam exigebat à Corinthiis. Cognoſcitis enim, inquit, à nobis edocti, quod & quantum beneficium in vos gratuitò contulerit Dominus noſter Jeſus Chriſtus.

QUONIAM PROPTER VOS EGENUS FACTUS EST. Id eſt, quòd veſtri cauſa pauper factus ſit & indigens rerum temporalium, videlicet in aſſumpta natura; adeò ut ipſe dicat Matth. 8. *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Non ſolùm enim nihil proprium poſſidere voluit in hac mortali vita; ſed inſuper etiam penuriam pati. Quod inter egenum & pauperem hîc quidam diſtinguunt, rationem adferentes cur Apoſtolus non dixerit, pauper, ſed egenus; tamquam plus ſit egenum eſſe quàm pauperem: piè quidem illi, ſed extra textum contemplantur, cùm verbum Græcum propriè ſignificet pauperem fieri, paupertatem pati, ſubire.

An Chriſto ut homini tribuendum regnum & dominatio totius mũdi.

Rectiùs alii, qui ex hoc loco & ſimilibus, eorum refellunt opinionem, qui Chriſto ut homini tribuunt, regnum & dominationem temporalem totius mundi. Nam temporalis adminiſtratio regnorum parum convenienter attribuitur ei qui bonorum temporalium inopiam elegerit. Imò verò & propriè ſecundùm naturam humanam egenus non erat, ſi ſecundùm eam, ut illa habet opinio ita Dominus erat orbis terrarum, ut omnium bonorum temporalium haberet proprietatem. Sic autem dictum eſt: *Propter vos egenus factus eſt, cùm dives eſſet*; ut ſi diceretur, Propter vos mortalis factus eſt, cùm eſſet immortalis: ſcilicet utrumque verè ac propriè: alterum ut homo, alterum ut Deus.

CUM DIVES ESSET. Intellige, in natura divina, vel quia ſibi ſufficientiſſimus in bonis ſuæ divinitatis, vel quia Dominus omnium rerum ac totius creaturæ. Græcè, *dives exiſtens*. Neque enim dives eſſe

desiit, quando pauper factus est: quia non desiit esse Deus, quando factus est homo.

UT ILLIUS INOPIA VOS DIVITES ESSETIS. Vel, diteſceretis; utroque enim modo verti poteſt verbum Græcum. Senſus. Ut illius paupertate in temporalibus, vos efficeremini divites in ſpiritualibus. Doctè verò ſenſus hunc explicat S. Thomas in *comment.* docens Apoſtolum hoc dicere propter duo; nempe propter exemplum & ſacramentum. Propter *exemplum* quidem, quia ſi Chriſtus amplexus eſt paupertatem, & nos illius exemplo eam diligere & amplecti debemus. Propter *ſacramentum* autem, quia quæcumque Chriſtus egit aut ſuſtinuit, pro noſtra ſalute fecit. Unde quemadmodum per hoc quod mortem ſuſtinuit, liberati ſumus à morte æterna ac vitæ reſtituti; ſic per hoc quod ſuſtinuit inopiam in temporalibus, liberati ſumus ab inopia rerum ſpiritualium, & facti earum divites.

Nota, de paupertate exemplo, Chriſti, amplectendâ.

Utitur autem Apoſtolus ſecunda perſona potiùs quàm prima, tum ut fortiùs premat Corinthios, tum quia reſpicit ad illas Corinthiorum divitias, de quibus priori epiſtola cap. 1. *quòd in omnibus*, inquit, *divites facti eſtis in illo*. Cæterùm intelligendam relinquit Corinthiis applicationem iſtius ſententiæ, hanc aut ſimilem; Quòd ſi Chriſtus cùm dives eſſet, temporalem ſuſtinuit inopiam, ut ſpiritualiter vos ditaret; utique debetis, ut eum quadamtenus imitemini, temporalia veſtra ſaltem abſque inopiæ periculo fratribus communicare.

10. ET CONSILIUM IN HOC DO. *In hoc*, caſu ablativo, id eſt, in hac re, ut ex Græco patet. Superiùs dixit, ſe nolle imperare tamquam Apoſtolum; Nunc conſilium dat tamquam amicus. Sic enim & Daniel regem iniquum alloquitur dicens, *Conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* At verò ex his ſcripturis non ſequitur eleemoſynam eſſe conſilii tantùm, non etiam præcepti, ſuperfluum habentibus: Nam licet Paulus imperare nollet, ſed tantùm hortari Corinthios (ſæpè enim hortando & rogando plus obtinetur quàm imperando:) tamen ex Dei præcepto paſſim in ſcripturis expreſſo, adeoque ex lege naturali, tenebantur Corinthii tamquam divites ad hoc genus miſericordiæ præſtandum, quemadmodum & ſine dubio rex ille apud Danielem tenebatur.

Eleemoſyna, non tantum conſilii eſt, ſed etiam præcepti.

Itaque præceptum Dei erat, etſi conſilium eſſet hominum, qui vel nollent vel non poſſent præcipere; quomodo ſæpè ægrotis à medico conſulitur, quod tamen ab eis exigit lex naturæ. Adde, quòd præceptum Dei non erat ut Corinthii darent ita abundanter pro ratione facultatum, ſicut fecerant Macedones, quorum exemplo Apoſtolus illos provocabat. Denique non omnes Corinthii habebant ſuperfluum; cùm tamen omnium eſſet collecta. Quòd autem in genere debitum fuerit à Corinthiis hoc ſubſidium, & qua ratione debitum illis pro quibus petebatur, oſtendit Apoſtolus *Rom* 15. Ad quem locum, ejuſque commentarium lectorem remitto. Videat etiam quæ diximus 1. *Cor.* 16. *in pr.*

HOC ENIM VOBIS UTILE EST. Rationem dat conſilii. Nam, inquit, hoc quod conſulo, id eſt, opus eleemoſynæ, vobis conducit & utile eſt, non ad bonum aliquod temporale, ſicut utile eſt accipientibus; ſed ab bonum ſpirituale, ſcilicet ad Deum promerendum, *Talibus enim hoſtiis promeretur Deus*, ait Heb. 13. de beneficentia & communione loquens.

QUI NON SOLUM FACERE, SED ET VELLE COEPISTIS AB ANNO PRIORE. Laudem miſcet exhortationi, ut in ſuperioribus; tametſi & ſub laude ſubſit occulta reprehenſio tarditatis ad perficiendum, ut infrà explicabitur. Habet autem obſcuritatem & difficultatem hæc ſententia, cùm potiùs contrà dicendum videretur, *Non ſolùm velle, ſed & facere cœpiſtis.* Siquidem pluris æſtimatur facere quàm velle tantùm; parum enim eſt velle niſi efficaciter velis, faciaſque quod volueris. Opinantur quidam verba tranſpoſita eſſe, & contrario ordine legenda; quomodo legitur in Syriaca verſione. Verùm id contra fidem eſt omnium Græcorum & Latinorum exemplarium. Gregorius *lib.* 20. *moral. cap.* 26. citans hunc Apoſtoli locum, docet quomodo plus ſit velle quàm facere. Facile quippe eſt, inquit, in bono opere obedire, etiam nolentem; ſed hæc magna in diſcipulis virtus extiterat, eos bonum quod illis præceptum eſt, & ante voluiſſe. Sic ille.

Plerique verò ſic exponunt, Qui non ſolùm nunc facere, ſed etiam ab anno ſuperiore velle cœpiſtis, id eſt, faciendi voluntatem habuiſtis, quaſi dicat: Quod nunc facere cœpiſtis, id non ex repentino motu animi, ſed ex matura & benè deliberata prodiit voluntate, quæ initium habet ab anno ſuperiore. Quæ quidem expoſitio valde probabilis eſt, Non enim Corinthii facere cœperant ab anno priore, quos Apoſtolus in *prima epiſtola* ſic exhortatur, tamquam nihil adhuc feciſſent, velle tamen cœperant. Sed pro majori explicatione *ſciendum*, Græca ſonare ad hunc modum, Qui non ſolùm ipſum facere, ſed & ipſum velle priùs incœpiſtis ab anno ſuperiore. Quod interpretes ſic intelligunt; Priuſquàm ego vos hortarer, adeoque ſponte veſtra, velle cœpiſtis, jam inde ab anno præterito.

Poteſt autem & hoc modo intelligi; Qui non ſolùm priuſquàm Macedones incœpiſtis facere, ſed etiam priùs incœpiſtis velle, id eſt, voluntatem veſtram declarare, nimirum ab anno ſuperiore. Nam, ut patet ex *ult. cap. prioris epiſt.* nondum Apoſtolus venerat in Macedoniam de collecta facienda cum Macedonibus acturus, quando Corinthios ad collectas hortabatur. Indicat hunc ſenſum Cajetanus, dicens Apoſtolum ſignificare quod Corinthii non incœperint exemplo Macedonum moti; idque propterea, ne moleſtè ferrent Macedones ſibi in exemplum proponi; quaſi dicat. Alia parte vos illis eſtis potiores; quia priuſquam illi, & facere & velle cœpiſtis; quamvis illi jam vos prævenerint perficiendo. Senſum hunc confirmat illud quod ſcribit capite ſequenti; *De vobis glorior apud Macedones, quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos.* Pro ſenſu Cajetani facit quod Apoſtolus 1. *Cor.* 16. non dixit, Sicut ordinavi Eccleſiis Macedoniæ; ſed dumtaxat, *Sicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ*: quia tunc Eccleſiis Macedoniæ nondum ordinaverat id de quo ibi loquitur.

NUNC VERBO ET FACTO PERFICITE. Græcè, *nunc autem & ipſum facere perficite;* ut veriſimile ſit interpretem vertiſſe, (factum) non (facto.) Non igitur ſenſus eſt, Quod voluiſtis, perficite facto; ſed, ſicut explicatiùs alii tranſtulerunt, Quod facere cœpiſtis, perficite. Jam enim facere incœperant Tito hortante; de quo paulò antè dixit, ſe eum rogaſſe, ut quemadmodum cœperat, ita & perficeret in illis hanc gratiam. Tacitè verò taxatur Corinthiorum tarditas præ Macedonibus in colligenda eleemoſyna; ut qui rem ante annum incœptam nondum abſolviſſent.

UT QUEMADMODUM PROMPTUS EST ANIMUS VOLUNTATIS. In Græco non exprimitur verbum. Nam poteſt etiam ſuppleri præteritum, fuit; hoc modo. Ut quemadmodum adfuit vobis animi promptitudo qua velletis, ſcilicet ab anno ſuperiore.

ITA SIT ET PERFICIENDI, EX EO QUOD HABETIS. Græcè, *Ita & perficere ex ipſo habere.* Videtur autem interpres priori loco legiſſe τῷ pro τό. Senſus eſt, Ita vobis adſit & perficere, id eſt, Ita & perficiatis; idque ex eo quod habetis & poſſidetis, hoc eſt, ſecundùm facultates; quaſi dicat. Sic hortor ad perficiendum, ut tamen nihil exigam à vobis ſupra vires. Poteſt etiam, retento eodem ſenſu, verbum (*habere*)

referri ad *promptum animum*; vertendo, *ex eo quod habet*, ſive *poſſidet*: quomodo vertit Hentenius. Atque eò refertur verbis ſequentibus juxta noſtram verſionem.

12. SI ENIM VOLUNTAS PROMPTA EST. Græcè, *Si enim promptitudo animi præjacet.* Eſt enim idem vocabulum, quod modò verterat, promptum animum. *Præjacet* autem, dictum, pro eo quod eſt, præcedit, priùs adeſt; videlicet tamquam boni operis fundamentum.

SECUNDUM ID QUOD HABET ACCEPTA EST, NON SECUNDUM ID QUOD NON HABET. Græca pleniùs ſic redduntur, *Juxta quodcumque illud eſt quod habet aliquis, acceptabilis eſt; non juxta quod non habet.* Et quidem (acceptabilis) vel ad perſonam quam deſignat iſtud *aliquis*; vel ad voluntatem promptam, æquè referri poteſt; ac certè, cum noſtro interprete, meliùs ad voluntatem. Uſitatiùs enim de rebus, quàm de perſonis dicitur εὐπροσδεκτος; velut ſuprà cap. 16. *Ecce nunc tempus acceptabile*; ſignificans id quod meritò eſt acceptandum. *Senſus* totius ſententiæ eſt, Quod ſi ſuppetit prompta animi voluntas ad dandum; ea meritò acceptanda eſt, ſi quiſque det juxta modum ſuarum facultatum, ſive multum illud ſit, ſive parum; ita ut non exigatur à quoquam ampliùs quàm pro ratione ejus quod habet ac poſſidet.

13. NON ENIM UT ALIIS SIT REMISSIO, VOBIS AUTEM TRIBULATIO: Significantiùs apud Ambroſianum, *Non enim ut aliis relaxatio ſit, vobis autem anguſtia.* Supplenda eſt autem oratio, Non enim ſic moneo largiendum eſſe, ut alii ex veſtris eleemoſynis abundent ac plus habeant quàm opus ſit ad eorum inopiam levandam; vos autem anguſtiam patiamini.

14. SED EX ÆQUALITATE IN PRÆSENTI TEMPORE VESTRA ABUNDANTIA ILLORUM INOPIAM SUPPLEAT. In multis Latinis codicibus poſt, *æqualitate*, punctum figitur; ut nova ſententia ſit, *In præſenti tempore*, &c. Græci verò continuam faciunt orationem, conjunctione *ut* ex præcedenti parte ſupplendam hoc modo; *Sed ut ex æqualitate in tempore præſenti*, &c. Quod & ſequuntur Ambroſianus, S. Thomas, Liranus, aliique nonnulli, ut ſit *ſenſus*. Sed hoc volo & exigo, vt vos qui bonis temporalibus abundatis (erat enim Corinthus opulenta civitas) de veſtra copia illorum (ſcilicet fratrum qui in Judæa ſunt) inopiæ temporali ſccurratis, idque *ex æqualitate*, hoc eſt per quamdam æqualitatem: vobis enim abundantibus, & illis indigentibus, multa eſt inæqualitas: quæ ad æqualitatem quamdam reducetur, videlicet non mathematicam, ſed civilem, dum præſtabitur ut ſit ſufficientia, ubi nunc eſt inopia. Sic enim æqualitas inter vos & illos erit, in eo quod eſt ſufficienter habere, & non indigere.

Pronomen *illorum* quidam ad Macedones referunt, ſed ſanè præter Apoſtoli mentem. Quod verò addit, *In præſenti tempore*, vel hunc habet ſenſum, durante dumtaxat illorum præſenti neceſſitate, quam ſperamus non diu duraturam: vel intellige, In hoc ſæculo. Nam in futuro ſæculo non erit opus. Uter ſenſus potior, mox patebit.

UT ET ILLORUM ABUNDANTIA VESTRÆ INOPIÆ SIT SUPPLEMENTUM. Sunt qui etiam hanc partem de temporalibus intelligant, hoc ſenſu, Ut alio tempore quando illos abundare & vos indigere continget, illi de ſua copia viciſſim veſtram ſuppleant inopiam. Pro quo intellectu facere putant id quod dixerat, *In præſenti tempore*, juxta priorem ejus particulæ expoſitionem. Sed obſtat illud evangelicum Lucæ 14. *Ne fortè te & ipſi reinvitent & fiat ibi retributio. Beatus autem eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum.* Quare nullo modo probabile ſit, ſpe temporalis retributionis voluiſſe Apoſtolum hortari Corinthios ad eleemoſynam, quæ profectò jam non eſſet eleemoſyna, ſaltem pura, ſed mutui quamdam ſpeciem haberet, ſi temporalem retributionem reſpiceret. *Adde*, quòd nec veriſimiliter expectandum erat, ut qui in Judæa erant fratres, aliquando locupletiores facti Corinthiis egentibus ſubvenirent. Nam illi partim omnia relinquerant, partim bonorum ſuorum rapinam paſſi fuerant. Corinthii verò ſua retinebant.

Itaque juxta communem penè omnium interpretationem de bonis ſpiritualibus hæc pars accipienda eſt, quemadmodum prior de temporalibus. Quaſi dicat Apoſtolus, In hoc ſæculo veſtra temporalis abundantia ſuppleat illorum temporalem inopiam, ut viciſſim aliquando, nimirum in futuro ſæculo, ſpiritualis illorum abundantia veſtræ ſpiritualis inopiæ ſupplementum fiat: juxta illud Salvatoris: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, Lucæ 16. & illud ipſius Apoſtoli, 2. Tim. 1. *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpè me refrigeravit; det illi Dominus invenire miſericordiam à Domino in illa die.*

Nota, ſpe retributionis ſpiritualium nos ad eleemoſynam excitari debere.

Senſum hunc confirmat quod capite proximè ſequenti dicit Apoſtolus, in eodem adhuc argumento perſiſtens, *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, utique in futuro ſæculo; & quod ad Galat. 9. *Bonum facientes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes*: Jam & alibi bona ſpiritualia ſanctorum qui Jeroſolymis erant, ita commendat Apoſtolus, ut dicat, *Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis.* Rom. 15.

Igitur illi ſancti primique fideles, & jam prorogaverant ſpiritualia iis à quibus temporalia recipiebant, & rurſum in futuro ſæculo ſpiritualia ſua iiſdem communicaturi erant, videlicet ea communione, qua in Eccleſia Chriſti aliorum merita per charitatem ad alios derivantur. Unde locus hic Apoſtoli, contra noſtræ ætatis hæreticos, oſtendit poſſe Chriſtianos minus ſanctos, meritis ſanctorum adjuvari, etiam in futuro ſæculo. Denique *notanda* virtus eleemoſynæ, quæ facit hominem participem meritorum ejus in quem confertur. Cæterùm qua ratione bonorum ſpiritualium inopiam hîc in Corinthiis taxet Apoſtolus, qui in *prima epiſt. capit.* 1. laudaverat eos tamquam divites in omnibus bonis ſpiritualibus, ex illius loci commentario petatur.

Obſ. contra Sectarios, nos meritis Sanctorum adjuvari poſſe etiam in altero ſæculo. Nota virtutem eleemoſynæ.

UT FIAT ÆQUALITAS. Quidam repetitionem eſſe putant ejus quod antè dixit, *ex æqualitate*, ut tantùm de temporalibus ſit ſermo, juxta ſenſum ibi datum. Quod enim ſequebatur: *Ut & illorum abundantia*, &c. per parentheſim interjectum eſſe putat Gagnæus. At ſane probabilius eſt, præſentem particulam referendam eſſe ad utrumque membrum præcedens, ut æqualitatem Apoſtolus intelligat fieri quadamtenus, etiam in ſpiritualibus, inter abundantes & inopes; dum quod quibuſdam fidelibus deeſt ad ingreſſum regni cælorum, per aliorum ſanctorum merita quibus in hoc ſæculo benefecerunt, ſuppletur. Fiunt enim hoc pacto ſanctis æquales, in eo quod eſt, ſufficentia bona habere ad ingrediendum in æterna tabernacula.

15. SICUT SCRIPTUM EST. *Exodi* 16. Quod enim ibi ſcriptum eſt de colligentibus manna, quædam figura fuit æqualitatis hujus, tam temporalis quàm ſpiritualis, de qua loquitur Apoſtolus.

QUI MULTUM, NON ABUNDAVIT; ET QUI MODICUM, NON MINORAVIT, id eſt, defecit, minus habuit. Cæterùm in multis codicibus legitur oratione completa. *Qui multum habuit, non abundavit*, &c. Syriaco textu aſtipulante; tametſi probabilius eſt verbum, *habuit*, non ab interprete, ſed

poſteá ab alio quopiam ad ſupplendam ſententiam, additum eſſe. Nam in Græco non additur, nec apud Paulum, nec apud LXX. ſed intelligendum relinquitur (habuit) vel potiùs (collegit) aut quid ſimile. S. Auguſt. commodam in ſuo codice habuit hujus ſententiæ verſionem, *lib.* 2. *contra adverſ.* leg. & Proph. c. 7. hanc, *Qui multum, non abundavit; qui modicum, non defuit illi.* Senſus enim eſt; Non plus habuit qui plus collegit; neque minus habuit qui minus collegit: ſed omnes æquè multum.

Cùm enim filiis Iſraël præceptum eſſet, ut unuſquiſque colligeret ex manna, quantum in diem ſibi ad edendum ſufficeret, ſcilicet menſuram gomor per ſingula capita; & tamen ut fit, alii plus, alii minùs colligerent: poſtquam explorabant id quod collegerant ad menſuram gomor, inventum eſt, divino miraculo, neminem quidquam vel ſupra vel infra menſuram habere; ſed omnes tantum, quantum ea menſura capiebat: quæ eadem erat unicuique panis diurni menſura ſufficiens, nec redundans.

Fuit autem ea res figura quædam utriuſque æqualitatis ſupradictæ; Impletur autem illa figura perfectè, quando qui bonis terrenis abundant, nihil volunt boni ſuperflui retinere, ſed totum indigentibus elargiri; & qui divites ſunt ſpiritualium bonorum, quantum in ipſis eſt, communicatione meritorum alios ſibi adæquant.

Poteſt autem hæc ex Moyſe deprompta ſententia referri ad communionem ſacræ Euchariſtiæ, maximè quod manna fuerit inſignis quædam & expreſſa ſacræ Euchariſtiæ figura. Quare ſicut illic *qui multum, non abundavit; & qui modicum, non minoravit*: Ita & in perceptione ſacræ Euchariſtiæ, qui duplum ſumit, id eſt, utramque ſpeciem, non plus habet, & qui ſimplum, id eſt, alteram tantum ſpeciem, non minus habet: ſed fructus utrinque eſt æqualis.

Porrò circa ſuperiorem Apoſtoli doctrinam qua vult eleemoſynas dari uſque ad quamdam æqualitatem accipientis cum dante; & pro abſurdo habet ita eas dari, ut remiſſio ſit accipientibus, dantibus autem anguſtia; *Dubitabit aliquis*, quomodo contra hanc doctrinam non faciant, qui juxta conſilium Dominicum omnia quæ habent, dant pauperibus aut ſæculo relinquunt, ipſi poſteà paupertate affligendi. *Reſpondet* Cajetanus Dominum in evangelio loqui de eleemoſynis volentium mutare ſtatum, id eſt ex ſtatu communi tranſire ad ſtatum perfectionis; Paulum verò loqui de eleemoſynis eorum qui in ſtatu ſuo perſeverant. Horum enim, inquit, eleemoſynæ moderatæ eſſe debent & commenſuratæ facultatibus quas habent; illorum verò eleemoſynæ debent commenſurari mutationi ſtatus.

Omnia dare pauperibus, an contra doctrinam Apoſtoli.

Sed adverſus hanc reſponſionem in promptu *objectio* eſt de vidua Evangelica, à Domino laudata *Marci* 12. *Lucæ* 21. quæ totum quod habuit, miſit in gazophylacium. Reſpondere quidem ad hoc nititur Cajetanus, dicens, id à vidua factum fuiſſe ſupra communem hominum regulam, aut fortè eam ſibi aliquid ad victum reſervaſſe, cùm neceſſarium hujuſmodi non conſtat in indiviſibili. Verùm neutra ſolutio firma eſt: *Non prior*, quia quæcumque alia vidua ſimiliter faceret, ſimiliter eſſe laudanda, tamquam ſequens regulam rectæ rationis. *Non item poſterior*, quia pugnat cùm expreſſis Domini verbis, quibus apud utrumq; Evangeliſtam dicit viduam de penuria ſua miſiſſe omnia quæ habuit, ac totum victum ſuum, id eſt, totum illud unde viveret. *Adde*, quod vidua illa obtulit Deo, non pauperibus. Adde & hîc quod dare pauperi minùs indigenti quàm tu egeas, ſi tu fortior ſis ad ferendam inopiam, non eſt inordinatum, ſed magnæ charitatis opus. Et hoc faciunt qui dant omnia pauperibus, Chriſtum nudi ſequentes.

Proinde magis probanda videtur reſponſio S. Thomæ, quam accepit ex gloſſa interlineali, nempe quòd ſimpliciter melius ſit totum dare pauperibus, & affligi pro Chriſto, intellige, modò id voluntariè fiat & forti animo, & ita quidem, ut ne quis ſemetipſum in extremam neceſſitatem conjiciat, quod non eſt putandum viduam illam feciſſe, cùm ex labore manuum vixiſſe eam exiſtimandum ſit.

Quod autem Apoſtolus hoc loco docet, id, inquit S. Thomas, condeſcendendo fecit, quia infirmi erant Corinthij, de quibus metuendum eſſet, ne fortè deficerent à fide ſemel ſuſcepta, ſi ejus occaſione inopia premerentur. Fortiores erant Macedones, qui etiam ſupra vires dare erant parati. Cui tamen reſponſioni illud etiam addendum, non licere eis qui familiam domi alendam habent, ita largiri pauperibus externis, ut domeſtici indigeant; eſſet enim talis eleemoſyna contra rectum ordinem charitatis. Eleemoſynæ cum prudentia & charitatis ordine facienda.

16. GRATIAS AUTEM DEO. Græcè, *Gratia*, id eſt, gratiarum actio, ſupple, reddenda eſt Deo. In noſtra verſione, ſubaudiendum eſt verbum, ago, ſeu agimus.

QUI DEDIT EAMDEM SOLICITUDINEM PRO VOBIS IN CORDE TITI. Redit Apoſtolus ad narrationem de Tito, quem dixerat à ſe rogatum, ut quod cœperat apud Corinthios de collecta, perficeret. Dicit itaque Titum ſponte etiam ſua ſolicitum fuiſſe ut id faceret. Addit autem, *pro vobis*: vel quia opus eleemoſynæ plus prodeſt danti quàm accipienti, vel ſecundùm S. Thomam, hoc ſenſu, pro vobis exhortandis ad collectam perficiendam. Porrò locus hic dupliciter oſtendit opera bona eſſe Dei dona: tum in eo quod Apoſtolus dicit Deum dediſſe piam illam curam & ſolicitudinem in corde Titi; tum quia gratias agit Deo, quod id fecerit, nam gratiarum actio certiſſima eſt doni gratuiti teſtificatio. Sanè Græci commentatores diligenter annotant hanc Titi ſolicitudinem Dei opus fuiſſe. Opera bona Dei dona.

17. QUONIAM EXHORTATIONEM QUIDEM SUSCEPIT. Græcè, *accepit*, id eſt, gratam habuit exhortationem noſtram, de qua ſuperiùs ait, *Ita ut rogaremus Titum.*

SED CUM SOLICITIOR ESSET, SUA VOLUNTATE PROFECTUS EST AD VOS. Græcè, Diligentior autem cùm eſſet, ſpontaneus exivit ad vos, id eſt, tanta fuit ejus ſolicitudo pro vobis, ut etiam ſponte ſua (facturus id, etiam ſi mea adhortatio non acceſſiſſet) ad vos iter ſuſciperet, collectæ perficiendæ cauſa. Non ſignificat Apoſtolus Titum ante ſcriptam hanc epiſtolam fuiſſe jam præmiſſum ad Corinthios, cùm ſatis ex ſequentibus appareat, & communis interpretum ſententia ſit, per ipſum Titum ac duos ejus comites, de quibus infrà, miſſam fuiſſe hanc epiſtolam: ſed, quod dicit *profectus eſt*, aut ſic expone, jam paratus eſt & accinctus ad profectionem, aut potius referendum eſt ad illud tempus, quo à Corinthiis erat legenda hæc epiſtola. Tunc enim verum erat Titum ad eos profectum eſſe, ſicut & ea quæ ſequuntur de duobus fratribus unà cum Tito miſſis; qui quidem nondum erant miſſi Paulo hæc ſcribente.

18. MISIMUS ETIAM CUM ILLO FRATREM CUJUS LAUS EST IN EVANGELIO PER OMNES ECCLESIAS. Quis fuerit hic frater ab evangelii laude tantopere commendatus, diverſæ conjecturæ ſunt & opiniones. Hieron. in *Catal. ſcript. Eccleſiaſt.* & in *Præfat comment. in Matth.* nec non *in comment. epiſt. ad Philem.* de Luca dictum accepit: ut qui laudem meruerit per omnes Eccleſias ex Evangelio quod ſcripſit. Quem & Paulinæ peregrinationis comitem fuiſſe, ex Actis ab eo conſcriptis palàm eſt. De eodem Primaſius, Cajetanus, Faber & multi alii locum hunc exponunt. Veriſimile eſt autem Hieronymum hauſiſſe eam opinionem ex ignatii Martyris epiſtol. ad Epheſ. in qua Lucam Evangeliſtam citans Quis frater iſte adjunctus Tito, ſententiæ variæ. Prima.

citans ita ſcribit; *Ut teſtatur Lucas, cujus laus eſt in Evangelio*: tametſi non ibi affirmat Paulum hoc de Luca ſcripſiſſe, licet in ejus elogio Pauli verbis utatur.

Sanè Græci interpretes opinionem de Luca ſic referunt, ut minus probare videantur, idque meritò. Neque enim Paulus de Evangelio ſcripto loquitur, ſed quomodo paſſim alibi, de Evangelio prædicato. *Deinde* nec ſatis conſtat Evangelium Lucæ jam tum editum fuiſſe, quando Paulus hanc epiſtolam ſcripſit. Nam Acta quidem Apoſtolica ſcripſiſſe videtur ſtatim poſt Evangelium, tamquam ejuſdem voluminis libros primum & ſecundum: ſcripſit autem Acta poſt biennium Pauli Romæ commorantis, id eſt, multis annis poſt hanc epiſtolam. Quare circa idem tempus Evangelium ab eo ſcriptum fuiſſe, credibile eſt. *Adde*, quòd etſi Lucas Apoſtolo Paulo fuerit peregrinationis comes; nuſquam tamen de eo legitur id quod hîc ſequitur, nempe *quòd ab Eccleſiis ordinatus fuerit comes peregrinationis Pauli in eam gratiam*, de qua hîc ſermo eſt. Imò Lucas cœpit Paulo comes adhærere poſt hujuſmodi ordinationem; ſiquidem non ante caput 16. Actorum loquitur tamquam Pauli comes. Nam illic demum incipit loqui in prima perſona, *quæſivimus, venimus*, &c.

Igitur Græci potiùs de Barnaba Paulum loqui exiſtimant, quod in eum competere videantur omnia, quæ hîc dicuntur. Nam Barnabas ex Evangelii prædicatione laudem apud omnes Eccleſias meruit; & Pauli ſocius fuit in miniſterio ſanctorum, id eſt, eleemoſyna per Eccleſias colligenda, & ad fratres in Judæa habitantes, deferenda; quemadmodum Lucas *in fine capitis* 11. *Actorum* teſtatur. Verùm neque hæc opinio benè fundata eſt; ut enim omittam quòd Barnabas magnæ authoritatis Apoſtolus non debuit à Paulo mitti, & Tito ſocius adjungi; certè miniſterium cujus mentio fit *Act.* 11. diverſum fuiſſe conſtat ab eo de quo nunc agitur: nam illud expletum fuit multò antè quam Paulus Corinthum veniret, ſic enim in *fine capitis* 12. *Act.* ſcribitur: *Barnabas autem & Saulus reverſi ſunt ab Jeroſolymis, expleto miniſterio.* Denique diſceſſerunt ab invicem Paulus & Barnabas *Act.* 15. neque poſteà reperiuntur ſimul profecti, nec omninò deinceps ulla Barnabæ mentio: planum eſt autem, ea quæ hîc de miniſterio ſanctorum ſcribuntur, eſſe longè poſteriora, videlicet reſpondentia hiſtoriæ *Act.* 20.

Secunda.

Tertia opinio eſt, Paulum hîc loqui de Apollo. Nam & de eo verum eſſe putant, laudem ejus in evangelio fuiſſe per omnes Eccleſias: deſcribitur enim *Act.* 18. vir eloquens, & potens in ſcripturis, quique fervens ſpiritu loqueretur & doceret diligenter ea quæ ſunt Jesu. Accedit, quod ſub finem prioris epiſtolæ ſpem fecerit Corinthiis Apoſtolus hunc virum ad eos mittendi. Verùm & hîc obſtat, quod de Apollo nuſquam legitur eum ordinatum ab Eccleſiis comitem Paulinæ peregrinationis.

Tertia.

Alii proinde Silam intelligere malunt, cujus ſub nomine Silvani ſuprà meminit cap. 1. Quæ ſententia nobis maximè probatur. Hujus enim fratris laus in Evangelio fuit per omnes Eccleſias; ſive quod propter inſignem operam quam poſuit in Evangelio prædicando, celebratus fuerit ubique apud fideles; ſive, juxta veriorem ſenſum hujus loci, quòd ex evangelio per omnes Eccleſias prædicato, magnam laudem adeptus fuerit. Nam ut ſcribitur *Actorum* 15. Silas unà cum Juda, quod primi eſſent in fratribus, idemque prophetæ, & potentes ſermone, in legationem Apoſtolicam ad Gentes, à concilio Jeroſolymitano delectus & miſſus eſt. Poſteà vero ex evangelii prædicatione multò clarior factus, quando unà cum Paulo digreſſus Antiochia per loca Syriæ, Ciliciæ, Aſiæque provinciæ, tum Macedoniæ & Achaiæ; maximo cum fructu evangelium prædicavit, partim confirmans Eccleſias pridem inſtitutas, partim novas inſtituens: uti videre eſt *Actorum 15. cap. & tribus ſequent.* ut propter hoc etiam Apoſtoli nomen Silas meruerit, ipſo etiam nomine ſuo eam dignitatem præferens; nam Silas miſſum, legatum, Apoſtolum ſignificat. Jam verò prorſus in eum convenit & illud quod ſequitur, ut mox videbimus.

Quarta.

19. Non solum autem, sed et ordinatus est ab Eccesiis comes peregrinationis nostræ. Græcè, *Comperegrinus noſter.* Nec id ſolùm, inquit, verùm etiam ab Eccleſiis delectus eſt ac ſuffragiis deſignatus (id enim ſignificat Græcum vocabulum, quod interpres vertit *ordinatus*, de quo plura diximus in 4. diſtinct. 24. in fine: χειροτονηθεὶς) ut eſſet comes, imò ſocius & collega noſtræ peregrinationis.

In hanc gratiam quæ ministratur a nobis. Græcè, *cum hac gratia*: ſenſus enim eſt, hunc fratrem ita fuiſſe ab eccleſiis ordinatum Paulinæ peregrinationis ſocium ad prædicandum Gentibus evangelium, ut ſimul ei injunctum fuerit miniſterium eleemoſynæ procurandæ, quam Apoſtolus ut 1. *Cor.* 16. ita hîc gratiam vocat, id eſt, beneficentiam ſive gratuitam erogationem. Quamquam Cajetanus haud incommodè gratiam hanc interpretatur ipſum officium procurandi eleemoſynas, adminiſtratum à Paulo, ejuſque ſocio; Quod officium rectè gratia dicitur ratione rei objectæ, hoc eſt ipſius eleemoſynæ procurandæ ſeu colligendæ. Porrò non alium quàm Silam his verbis ab Apoſtolo ſignificatum eſſe colligi poteſt ex loco *Act.* 15. ubi poſt Barnabæ diſceſſum à Paulo, ſic legitur: *Paulus autem electo Sila profectus eſt, traditus gratiæ Dei à fratribus.*

Intelligendum eſt autem id factum fuiſſe cum nova delegatione miniſterii quo Barnabas & Paulus antea fungebantur. Quod quidem duplex erat: evangelii Gentibus prædicandi, & eleemoſynæ pro pauperibus Jeroſolymitanis colligendæ. Confirmatur ea res *ex epiſt. Gal. c.* 2. ubi cùm dixiſſet Paulus de ſe & Barnaba, *tantùm ut pauperum memores eſſemus*, ſtatim plurali numero in ſingularem mutato, de ſe ſolo ſubjungit, *Quod etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere*, videlicet innuens in executione miniſterii pro pauperibus ſuſcepti, ſe poſt id tempus non habuiſſe Barnabam ſocium, utpote à ſe diſgreſſum; ſed aliquem alium; quem utique Silam fuiſſe locus prædictus *Actorum* declarat. Unde etiam, ſi quæritur à quibus eccleſiis fuerit Silas ordinatus comes Pauli; reſpondendum, ab eccleſiis quæ erant in Judæa, nominatim verò ab Jeroſolymitana & Antiochena; quemadmodum ex *eodem loco Act.* ſagaci lectori colligere non eſt difficile.

Dei gloria fructus procuratæ aut datæ eleemoſynæ.

Ad Domini gloriam. Græcè, *ad ejuſdem gloriam*, ut referatur ad Deum ſupra nominatum, ibi, *Gratia autem Deo qui dedit*, &c. Poterat alioqui de Chriſto intelligi, qui paſſim in Apoſtolicis literis Dominus vocatur; & quidem Oecumenius de Chriſto diſertè exponit. Notandum autem quod Græci particulam hanc conſtrunt cum participio, *ordinatus eſt*; Latini verò cum eo quod proximè præcedit, idque ſanè probabilius; quoniam & ſub finem capitis ſequentis, glorificatio Dei numeratur inter effectus & fructus memorati miniſterii. Proinde *ſenſus eſt*, Quæ gratia à nobis adminiſtrata, facit ut Dominus laudetur & glorificetur in beneficentia eorum à quibus eleemoſynæ per noſtrum miniſterium colliguntur.

Et destinatam voluntatem nostram. Græcè, *& promptitudinem animi veſtri.* Ambroſianus, *& promptitudinem veſtram*; eſt enim in Græco idem vocabulum quod noſter interpres modò promptum animum, modò voluntatem promptam,

ſuperiùs vertit. Supplendum eſt autem aliquid, hoc modo; *& ad promptitudinem animi veſtri excitandam*, provehendam ſeu manifeſtandam. Nam & hic erat illius miniſterii fructus; qui tamen etiam ad Dei gloriam cadebat, juxta illud: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Matth. 5.

20. DIVITANTES HOC. Conſtruendum eſt στελλόμενοι participium, cum verbo *miſimus*. Quod tamen alii aliter ex Græco verterunt; Hetenius, contrahentes; interpres Thophylacti, vertit metuentes; Eraſmus, declinantes, id eſt, ſolicite caventes: ſumptum eſt enim Græcum vocabulum à nautis ſive contrahentibus vela, ſive flexo curſu ſcopulum aut periculum declinantibus.

Nota ad mores, quod pecuniæ tractatio magnam hominis integritatem poſtulet.

NE QUIS NOS VITUPERET IN HAC PLENITUDINE QUÆ MINISTRATUR A NOBIS. Pro *plenitudine* verti poterat, abundantia, exuberantia. *Senſus eſt.* Ideò miſimus viros tam integros, & extra omnem ſuſpicionem poſitos, Titum & alterum fratrem cujus laus in Evangelio: ne quis malè de nobis loquatur aut malè ſuſpicetur, quaſi non ſatis fideliter & caſtè pecunia tam larga, noſtro miniſterio collecta, à nobis tractetur. Nam ut pecuniæ cupido latiſſimè graſſatur: ita ejuſdem tractatio ſummam fidem exigit, ac perfacilè in eo genere vel peccatur vel peccari exiſtimatur.

21. PROVIDEMUS ENIM BONA. Græcè, *providentes*, ſeu procurantes *bona*, honeſta,

Nota ad mores, curam famæ habendam, non ſolius conſcientiæ.

NON SOLUM CORAM DEO, SED ETIAM CORAM HOMINIBUS. *Deo* Græcè, *Domino*. Similis eſt ſententia *Roman.* 12. de qua ibi diximus. Reſpicit Apoſtolus ad illud Salomonis præceptum, Proverb. 3. ſecundùm LXX. *Provide bona coram Domino & hominibus.* Itaque *ſenſus eſt*: Neque enim ſolùm nobis curæ eſt ea facere quæ recta ſint Deo teſte & judice: ſed etiam quæ probentur hominibus: ut ne quis infirmus ex iis quæ agimus, offendatur. Nam, ut ait Auguſtin. *ſermon. priore de vita communi ſuorum clericorum*, Beda & Primaſio in hunc locum citantibus, *Duæ res ſunt conſcientia & fama: propter nos, conſcientia noſtra ſufficit nobis: propter alios fama neceſſaria eſt: conſcientia, tibi: fama, proximo tuo. Qui fidens conſcientiæ ſuæ, negligit famam ſuam, crudelis eſt in proximum.* Sunt duo ſermones de vita communi clericorum, S. Auguſtini, *tomo* 10. *de diverſis, numer.* 49. *&* 50. inter additos à Lovanienſibus.

21. MISIMUS AUTEM CUM ILLIS ET FRATREM NOSTRUM, QUEM PROBAVIMUS IN MULTIS SÆPE SOLICITUM ESSE. Seu, diligentem eſſe, id eſt, cujus ſolicitudo ac diligentia multis argumentis nobis explorata eſt: nam illud, *in multis, ſæpe*, ad verbum *probavimus* referendum eſt, non ad *ſolicitum eſſe*. Tertius hic frater quis fuerit incertum eſt: tametſi S. Thomas & Liranus, gloſſam interlinealem ſecuti, putent Apollo fuiſſe. Nam quod Cajetanus Timotheum fuiſſe ſuſpicatur, vanum eſſe convincitur ex eo quod in exordio *hujus epiſt.* Timotheus una cum Paulo nominatur, ut à quibus mittatur epiſtola; at non ab eodem mittitur & perfertur. Probabilior eſt conjectura de Luca; quem circa idem tempus Paulo adfuiſſe, ſatis apparet ex *Act.* 20. Non improbabile eſt fuiſſe Zenam legiſperitum, de quo *Tit.* 3. Vide illic comment. Hieron. Eum illic ſimul cum Apollo jubet deduci Apoſtolus. Suſpicari etiam quis poſſet de Soſthene, quem ſibi in exordio prioris epiſtolæ conjunxit.

NUNC AUTEM MULTO SOLICITIOREM, ſive diligentiorem: CONFIDENTIA MULTA IN VOS. Hoc plerique jungunt cum eo quod proximè præcedit. Exponunt autem bifariam: aut de fiducia Pauli erga Corinthios, ut qui fratris hujus diligentiam in negotio ad illos ſibi demandato auxerit: aut de fiducia ipſius fratris, quam de Corinthiis ex relatione Titi concepe-

rat. Unde alius vertit, ob multam fiduciam quam habeo erga vos: Alius, quam habet erga vos. At verò longè rectiùs fortaſſe partem hanc retuleris ad miſſionem trium fratrum prædictorum: quorum Titus primus erat: hac enim ratione multum lucis accedet huic loco, alioqui vehementer obſcuro: ut ſit *ſenſus*: Miſimus, inquam, fratres commemoratos, optimè confiſi de vobis quòd eos, tamquam viros integræ ac probatæ fidei, pro dignitate ipſorum & noſtra expectatione, ſuſcipietis. Explicat hunc ſenſum quod ſequitur.

23. SIVE PRO TITO: Id eſt, Titi nomine confiſi, QUI EST SOCIUS MEUS, ET IN VOS ADJUTOR. Non *in verbis* ut quidam habent codices. Nobiſcum facit editio Clementina, textusque Græcus. Porrò duæ voculæ, *qui eſt*, ad ſupplendum ſenſum additæ fuerunt ab interprete noſtro; Nam in Græco non leguntur. Ut proinde ſolœciſmum in Apoſtoli ſermone agnoſcat hoc loco Gagnæus. Commendat verò Paulus Titum quòd ſocius & collega ſuus ſit in Evangelii negotio, quod ſuus adjutor ſeu cooperator erga Corinthios, id eſt, ad promovendam eorum ſalutem.

SIVE FRATRES NOSTRI. Pro eo quod dicendum erat, ſive pro fratribus noſtris, ſicut dixerat *ſive pro Tito*. Sed quia caſum proximè mutaverat, hîc in eodem perſiſtit. Eſt autem *ſenſus*; Sive confiſi de vobis nomine fratrum noſtrorum, nempe reliquorum duorum quos mittimus. Quamquam & hoc modo poteſt exponi quem ſuggerunt Græcorum commentaria, & expreſſit Hentenii verſio, *ſive pro aliis duobus*, ſcilicet confiſi, quippe qui fratres noſtri ſunt, id eſt, Judæi ſunt, quos alibi vocat ſuos cognatos ſecudùm carnem. Hoc peculiare dicit de iſtis duobus; nam Titus Gentilis erat, *Galat.* 2.

APOSTOLI ECCLESIARUM. Hoc eſt, ait Theophyl. ab Eccleſiis miſſi & electi, videlicet ad hoc munus colligendæ & perferendæ pecuniæ. Unde alii vertere maluerunt, *legati Eccleſiarum*. Itaque, *Eccleſiarum Apoſtoli* dicuntur, ut annotat Cajetanus, ad differentiam Apoſtolorum Chriſti, id eſt, eorum qui à Chriſto miſſi fuerunt: Eccleſias verò intellige quæ in Judæa erant; de quibus ſuprà: *Sed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes*, &c. Hoc quoque peculiare illis duobus: nam Titus, quia Gentilis, non erat ab Eccleſiis Judeæ miſſus, ſed tantùm à Paulo.

Nota, Miniſtri ſinceri gloria Domini ſui.

GLORIA CHRISTI. Ita legendum ex caſtigatione Romana, non *gloriæ Chriſti*, quod erat in multis vulgatis codicibus. Nam in Græco δόξα legitur: aſtipulantibus etiam mss. quibuſdam Latinis, & concordantiis biblicis. Vocantur autem fratres illi *gloria Chriſti*, quod tales eſſent vita & moribus, ut in iis Chriſtus glorificaretur: quomodo & filius ſapiens dicitur gloria patris; quod in tali filio glorificetur pater.

24. OSTENSIONEM ERGO QUÆ EST CHARITATIS VESTRÆ, ET NOSTRÆ GLORIÆ PRO VOBIS, IN ILLIS OSTENDITE. De ſuo interpres addit, *quæ eſt*, quod nec apud Ambroſianum legitur; *gloriam* quoque pro gloriatione tranſtulit; quemadmodum & alibi, cùm ſint in Græco vocabula planè diverſa. Ambroſianus exultationem legit. Quod verò dicit Apoſtolus, *Oſtenſionem oſtendite charitatis*, &c. verterunt quidem Eraſmus & Hentenius hoc modo: Demonſtrate documentum charitatis, &c. tamquam oſtenſio ſit idem quod documentum, argumentum, ſpecimen.

At probabilius eſt phraſim eſſe Hebræam, qua ſæpenumero in ſcripturis actio pro re objecta ponitur, quatenus circa eam actio verſatur, ut Pſalmo 105. *Laudaverunt laudem ejus*, & 1. Pet. 3. *Timorem eorum ne timueritis*; quale & illud capitis 2. hujus epiſtolæ, *ut cognoſcam experimentum veſtrum*. Eſt igitur

ſenſus: Proinde declarate charitatem veſtram erga fratres quos miſimus; declarate etiam quod gloriatio noſtra qua de vobis apud Titum ac reliquos fratres gloriati ſumus, non ſit inanis. Id totum autem oſtendetis ac declarabitis, ſi memoratos fratres ſuſceperitis pro eorum dignitate noſtraque expectatione; ſic nimirum ut ſpe liberalitatis veſtræ in pauperes ſanctos exercendæ, non fruſtrentur.

IN FACIEM ECCLESIARUM. Græcè, *& in faciem*, vel, *in perſonam Eccleſiarum*. S. Thomas etiam & Liranus, *in faciem* legunt. Græcè eſt, εἰς πρόσωπον, quod rectè vertitur, in conſpectu: quomodo videtur intellexiſſe Chryſoſt. Poteſt autem & in alium ſenſum Græca lectio accipi, ut quiddam tale ſit quod dicit Apoſtolus, Oſtendite charitatem veſtram in illos, atque adeò in ipſas Eccleſias, quarum perſonam illi gerunt; utpote earum legati, ut paulò ante dictum eſt: loquitur enim de Eccleſiis quæ erant in Judæa juxta hunc intellectum, qui apud Theophylact. & Oecum. reperitur.

CAPUT IX.

1. NAm de miniſterio, quod ſit in ſanctos ex abundanti eſt mihi ſcribere vobis. 2. Scio enim promptum animum veſtrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos. 3. Miſi autem fratres: ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati ſitis: 4. ne cum venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubeſcamus nos (ut non dicamus vos) in hac ſubſtantia. 5. Neceſſarium ergo exiſtimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe, ſic quaſi benedictionem, non tamquam avaritiam. 6. Hoc autem dico: Qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 7. Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus. 8 Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum: 9. ſicut ſcriptum eſt: Diſperſi, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. 10. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti: & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ: 11. ut in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. 12. Quoniam miniſterium hujus officii, non ſoldm ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, 13. per probationem miniſterii hujus, glorificantes Deum in obedientia confeſſionis veſtræ, in Evangelium Chriſti, & ſimplicitate communicationis in illos, & in omnes, 14. & in ipſorum obſecratione pro vobis, deſiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. 15. Gratias Deo ſuper inenarrabili dono ejus.

Eccl.35. b. 11.

Pſal.111. b.9.

SUMMARIUM.

APoſtolus ſuſpicionem excludens: docet eleemoſynam eſſe dandam velociter, abundanter & hilariter.

NAM DE MINISTERIO, QUOD FIT IN SANCTOS, EX ABUNDANTI EST MIHI SCRIBERE VOBIS. Apud Primaſium & Thomam legitur *ex abundantia*. Græca ſic habent, nam quidem de miniſtratione in ſanctos (ſubaudi, inſtituta ac decreta) abundans, ſive, ut benè legit Ambroſianus, ſuperfluum mihi eſt ſcribere vobis. Malè igitur illud, *ex abundanti*, quidam connectit præcedentibus, hoc modo, *Quod ſit in ſanctos ex abundanti*, quaſi ſenſus ſit, de miniſterio quod abundanter & copiosè fit in ſanctos, mihi ſcribendum eſt ad vos. Neque enim hujuſmodi diſtinctionem admittit contextus Græcus; neque convenit ea expoſitio cum ſequentibus. Perſpicuus igitur *ſenſus eſt*, Monui vos ut oſtendatis charitatem veſtram erga legatos Eccleſiarum; neque quidquam dico de eleemoſyna conferenda ac miniſtranda in ſubſidium ſanctorum pauperum qui ſunt Jeroſolymis: nam de ea vobis ſcribere, voſque hortari, ſupervacaneum cenſeo.

Sed *quæres* quomodo ſupervacaneum, quando-quidem Apoſtolus ſuperiori capite, hîc & rurſum, ſtudiosè Corinthios adhortetur ad eleemoſynam prædictam; imò & obliquè taxet eorum tenacitatem, atque adeò ſe metuere ſignificet ne pudore propter eos afficiatur. Quidam ſupplent Apoſtoli ſermonem; *ſuperfluum eſt mihi*, multa *ſcribere vobis*. At profecto quæ ſcribit in eam rem Apoſtolus, hoc & præcedenti capite non pauca ſunt.

Melius ergo reſpondetur, quòd ſupervacaneum erat Apoſtolo, Corinthios hortari ad eleemoſynam quam ab anno jam ſuperiori facere conſtituerant; neque dubitabat, quin eſſent facturi: ſed exſtimulandi erant divites Corinthii ad faciendam largiorem aliquam collectam pro ratione ſuæ opulentiæ & abundantiæ: id autem agit deinceps Apoſtolus. Et hãc reſponſionem, quam in ſequentibus habet etiam Oecumenius, apertè comprobant ea quæ ſequuntur.

Divites hortandi ad largiores eleemoſynas.

2. SCIO ENIM PROMTUM ANIMUM VESTRUM. Novi enim, inquit, promptitudinem animi veſtri ad contribuendam eleemoſynam. De προθυμία Græco vocabulo, quod variè reddit interpres, ſuprà ſatis dictum eſt. Ambroſianus hoc loco promptam voluntatem legit.

PRO QUO DE VOBIS GLORIOR APUD MACEDONES. Verti poterat, *de quo pro vobis glorior*, &c. Gloriatio hæc erat non de liberalitate Corinthiorum, ſed de promptitudine; Si quidem Macedones, ut initio *ſuperioris capitis* vidimus, largitate Corinthios ſuperabant, quamvis tempore à Corinthiis præventi, quemadmodum & ibi dictum eſt, & hîc jam ſequitur.

Aliud promptitudo, aliud liberalitas eleemoſynæ.

QUONIAM ET ACHAIA PARATA EST AB ANNO PRÆTERITO. *Et* conjunctio Græcis abeſt, nec eam agnoſcit Ambroſianus, nec mss. codex Laudenſis. Eſt autem ſenſus, Hoc eſt de quo veſtri nomine glorior apud Macedones, quòd Achaia, cujus caput eſt Corinthus, parata ſit ad collectam, ab anno ſuperiore: non dicit Achaiam dediſſe, ſed paratam eſſe à tanto tempore. Itaque hæc pars explicat promptitudinem animi de qua loquebatur.

ET VESTRA ÆMULATIO PROVOCAVIT PLURIMOS. Græcè, *Et quæ ex vobis eſt æmulatio provocavit plures*, ſive *complures*. Id eſt, Veſtrum exemplum multos ad piam æmulationem, qua ſimiliter facere vellent, concitavit. Exemplum intelligit promptitudinis, qua jam ante annum ſe paratos declaraverant Corinthii. Nullam enim adhuc miſerant pecuniam.

3. MISI AUTEM FRATRES: Titum & alios duos, UT NE QUOD GLORIAMUR DE VOBIS, Græcè, ut ne gloriatio noſtra de vobis, EVACUETUR IN HAC PARTE. Senſus eſt. Hos fratres ideò præmiſi ad vos, ne gloriatio noſtra, qua de vobis apud Macedones gloriati ſumus, inanis & falſa appareat, quantum attinet ad præſens negotium eleemoſynæ. De iſta particula, *In hac parte*, vide ſuprà ad *c. 3. v. 10.*

UT QUEMADMODUM DIXI, Macedonibus vos paratos fore: vel, *dixi*, id eſt, juſſi, in priori ſcil. epiſtola, iis verbis; *De collectis quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite*, &c. cap. 16.

PARATI SITIS, in adventum meum. Non eſt autem ſenſus, ut ſitis voluntarii & prompti ad collectam faciendam; jam enim dictum eſt eos, ad id paratos fuiſſe ab anno præterito; ſed ut inveniatur apud vos pecunia jam collecta, & ad mittendum

parata, *ne cùm venero, tunc collecta fiant*; ut in priori dixit epistola, cap. 16.

4. Ne cum venerint Macedones mecum. Græcè, *ne quo modo*, vel, *ne fortè si venerint mecum Macedones*, scilicet apud quos de vobis tam magnificè gloriatus sum.

Et invenerint vos imparatos; eo modo quo jam dictum est: Erubescamus nos, ut non dicamus, vos, in hac substantia. Græca addunt, *gloriationis*: sicut & infrà cap. 11. v. 17. *Substantiam*, Græcè ὑπόστασιν, dixit pro argumento & materia, seu negotio; uti diligenter exponit Theophylactus. Ac ferè idem est, *in hac substantia*, cum eo quod modò dixerat, *in hac parte*. Unde & hoc loco legit Ambrosianus, *in hac parte*. Porrò nonnulli istud, *in hac substantia gloriationis*, referendum putant ad solum illud superius *erubescamus*, eò quòd sequitur (*ut non dicamus, vos*) parentheticis notis intercluſum, propterea quod Paulus gloriatus fuisset de Corinthiorum prompta voluntate, non ipsi Corinthii.

Verùm alii non incommodè ad utrumque referunt, ut hyperbato non sit opus, hoc nimirum *sensu*; Ne forte contingat, ut, si Macedones mecum venerint & vos offenderint imparatos, ego meique collegæ, qui de vestra promptitudine apud Macedones gloriati sumus, coram eis pudefiamur, tamquam vani in hoc argumento gloriationis, imò & vosipsi, quod dicere durum est, pudefiatis in eodem argumento gloriationis nostræ pro vobis; ut qui opere non respondeatis promptitudini quam de vobis prædicavi.

Acris cum tacita laude exhortatio Apostolica.

Annotant Græci, dicere Apostolum, *in hac substantia*; & superiùs, *in hac parte*; quasi diceret, Aliis in rebus quibus de vobis gloriatus sum, non vereor ne pudefiam; satis enim apparent in vobis ea quæ prædico: sed hîc solùm periclitatur & gloria mea, & honor vester, si non inveniamini parati. Sanè quàm efficax est hæc Apostoli exhortatio ad maturandum negotium collectæ.

5. Necessarium ergo existimavi rogare fratres; vel, *adhortari fratres*: nempe tres illos suprà memoratos. Ut præveniant ad vos. Legendum, *præveniant*. Sic enim habent codices emendatiores, textusque Primasii, S. Thomæ & aliorum. Græcè est, *ut præcederent ad vos*; quomodo & Ambrosianus legit: præcederent, inquam, priusquàm ego veniam cum Macedonibus.

Et præparent repromissam benedictionem. Græcè, *& præparent antè promissam benedictionem vestram*. Ambrosianus quoque *vestram* addit. Sensus est. Et priusquam nos veniamus, procurent eleemosynam seu collectam vestram, quam dudum, id est, ab anno præterito, facturos vos promisistis. Eleemosynam more scripturæ vocat *benedictionem*, id est, opus seu munus beneficentiæ.

Hanc paratam esse sic quasi benedictionem. Id est, ut ea in adventum nostrum parata sit, sic tamquam benedictio, sive quæ mereatur nomen benedictionis. Nam benedictio largitatem significat in scripturis, saltem quoad animum dantis; ut qui studeat satis dare ad tollendam inopiam.

Non tamquam avaritiam. Græcè πλεονεξίαν, quod Erasmus fraudationem vertit; interpres Theophylacti, circumventionem; quod & apud Ambrosianum legitur. Verùm simplicius est & rei propositæ convenientius, ut *avaritia* intelligatur, quam haud dubiè etiam in scripturis, passim Græca dictio significat. Neque enim aliud vult Apostolus, quàm ut eleemosyna Corinthiorum larga sit non avara, non parca, non accisa ac tenuis, quæ videatur ab avaro animo profecta. Hunc enim intellectum manifestè delarant sequentia verba.

6. Hoc autem dico. Interpres supplementi causa addidit, *dico*; cùm Græcè tantùm sit, *Hoc autem*; quasi dicat Apostolus, Hoc est quod volo dicere, aut quod volo vos scire.

Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Utrobique, *benedictionibus*, habent Græca, quemadmodum & legit Ambros. Est enim apud Paulum elegans anadiplosis, eaque gemina, quam non omnino servavit interpres. Sic enim est Græcè; Seminans parcè, parcè & metet: & seminans in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Ostendit hac sententia, ab exemplo eorum qui seminant, largè tribuendum esse, ut larga sit retributio. Potest autem hoc quod dicit, accipi de ea re à qua sumitur similitudo. Nam agricola parcè seminans, parcè metet; at qui largè seminat, copiosam recipiet messem.

Nota ad mores, largiter conferendam eleemosynam.

Ex quo intelligendum, rem ita quoque habere apud Deum, ut qui in dandis eleemosynis parciùs seminat, minorem percipiat retributionis fructum in futuro sæculo; qui verò largiùs seminat, fructum quoque percipiat copiosiorem. Arbitror tamen hoc posterius Apostolum immediatè dicere voluisse, cum respectu ejus quod agricolis contingit. Nam similiter Galat. 6. scribit de spirituali seminatione: *Quæ seminaverit homo, hæc & metet*: & quæ sequuntur. Loquitur autem & alibi scriptura de bonis operibus, præsertim misericordiæ, sub comparatione seminis, ut Ecclesiastæ 11. *Manè semina semen tuum: & vespere ne cesset manus tua.*

Liquet autem ex dicta explicatione, quid sibi velit illud, *in benedictionibus*. Est enim Hebraismus, significans idem quod largè & copiosè, pro quo Hentenius vertit, in magnificentia. Quamvis autem hæc Apostoli sententia possit intelligi de participandis meritis sanctorum, in quos quisque contulerit eleemosynas, de qua participatione locutus est superiori capite, ut *sensus sit*, Qui parum & parcè tribuerit illis, parum juvabitur opum meritis; qui multum, multum juvabitur: melius tamen, secundùm omnes expositores, generaliter de retributione bonorum operum accipitur.

Valet autem hic locus contra duas hæreses, veterem & novam. Contra veterem quidem Joviniani hæresim, ostendit præmia regni cælestis non omnibus æquali reddi, sed aliis ampliora, aliis minora, prout quisque plus minusve seminaverit in hac vita. Contra novam verò quæ nostræ ætatis sectariis communis est, apertè significat hominem per opera misericordiæ (& idem judicium est de cæteris bonis operibus) mereri retributionem futuri sæculi: comparat enim Apostolus opera bona semini respectu fructus qui ex semine proventurus expectatur. Igitur sicut semen naturaliter profert ex se fructum, qui proinde naturaliter ex eo expectatur; ita bona opera divina ordinatione valent ad consequendum præmia vitæ æternæ, similiter ex illis expectanda.

Præmia beatorum inæqualia.

Obs. contra Sectarios, quod beatitudo merces est bonorum operum.

Sed quæres quomodo qui parcè seminat, parcè metet, cum Deus det omnibus affluenter, Jacobi 1. & ipse Dominus in Evangelio dicat, *Mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*, Lucæ 6. Respondeo cum S. Thoma dicere Apostolum, parcè metet, non simpliciter, sed comparatione ejus qui largiùs seminaverit: nam etsi omnes electi satiabuntur cùm apparuerit gloria Domini, & omnes replebuntur bonis domus Dei, *Psalm. 16. & 64.* non æqualiter tamen, sed quisque pro sua capacitate, quam habiturus est pro modo charitatis. Est enim & hoc *notandum*, parcitatem & largitatem eleemosynæ hîc non æstimari ex quantitate muneris, sed ex animo & charitate donantis. Plus enim dedit illa paupercula vidua, *Marci* 12. quæ in gazophylacium templi misit æra minuta duo, quàm multi divites jactantes multa. Denique

Nota, non ex quantitate doni, sed ex charitate donantis æstimandam magnitudinem eleemosynæ.

ex eo quod dicitur, *Qui parcè ſeminat, parcè & metet*, diſcimus opera etiam imperfectè bona, modo procedant ex fonte charitatis, acceptura eſſe mercedem apud Deum.

7. UNUSQUISQUE PROUT DESTINAVIT IN CORDE ſuo. In Græco verbum eſt præſentis temporis, *Unuſquiſque ſicut proponit corde*; Ambroſianus legit, unuſquiſque ſecundum præceptum cordis. Id eſt, quiſque tribuat, prout apud ſe & in animo ſuo liberè conſtituerit ac prædeliberaverit: quaſi dicat. Non eò tendit exhortatio mea ut aliquem velim urgere invitum ad amplius aliquid dandum; ſed volo bonum veſtrum etiamſi exiguum ſit, eſſe voluntarium, ne mercede privetur apud Deum. Unde ſequitur.

NON EX TRISTITIA AUT EX NECESSITATE. *Ex triſtitia* dat, qui dat avaro & triſti animo; ideoque dat minus quam oportet. *Ex neceſſitate dat*, qui vel majorum authoritate vel aliorum exemplis impulſus, ac pudore inductus, dat; alioqui non tam multum daturus: atque hic etſi det quantum oporteat, non tamen quo modo dandum ſit. Similis eſt locus Apoſtoli in *epiſtola ad Philemon.* (cujus loci commentarius videatur) ubi quippiam ab eo petens, dicit ſe nolle ei imperare, ſed rem permittit ipſius conſilio ac deliberationi; ut ne velut ex neceſſitate bonum ejus eſſet, ſed voluntarium: nam & hic ſuperiùs dixerat, *Non quaſi imperans dico, ſed veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans*, cap. præcedent.

Nota, quomodo danda eleemoſyna.

HILAREM ENIM DATOREM DILIGIT DEUS. *Hilarem datorem* vocat eum qui libenter & ex animo dat. *Hunc Deus diligere* dicitur, quia benefacere ei conſtituit, opus beneficentiæ ejus magnificè remuneraturus: nam Dei diligere eſt benefacere velle. Triſtem vero datorem, id eſt, involuntarium, Deus non diligit; quia non approbat, non remunerat. Unde Auguſtin. in expoſitione Pſalmi 42. *Si panem dederis triſtis; & panem & meritum perdidiſti.* Similes ſcripturæ ſunt, Eccleſiaſtici 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Roman. 12. *Qui miſeretur, in hilaritate.*

Obſ. contra Sectarios, fruſtra ex hoc loco vota fidelium impugnari.

Locum hunc Apoſtoli proferre ſolent hæretici contra vota quæ Deo fiunt à fidelibus. Nam vota, inquiunt, ex neceſſitate reddenda ſunt; & per hoc faciunt triſtem datorem; quem non diligit Deus. *Reſpondeo*, neceſſitatem, quam Apoſtolus à bono opere remotam eſſe vult, ut cauſam involuntarii, non eſſe neceſſitatem præcepti, ſed coactionis: ſive coactio hæc contingat ex præcepto, ſive aliunde. Nam qui cogitur, invitus facit, ſaltem involuntario mixto. Præcepti verò neceſſitas per ſe neque cauſat involuntarium, neque omninò minuit bonitatem operis quod præcipitur; ſed potiùs auget, propter adjunctum obedientiæ meritum. Quod ſi hæc neceſſitas obſtaret operis bonitati, tollenda eſſent omnia præcepta, ac nominatim primum illud maximumque præceptum de Deo ſuper omnia diligendo. Cæterùm vota, cum liberè Deo fiant, non aliam quàm præcepti neceſſitatem inducunt: quia præceptum eſt divinum ac naturale, quo quiſque quod vovit reddere tenetur: ſi quis autem reddit triſtis & involuntarius, non id provenit ex obligatione voti aut ex neceſſitate præcepti, ſed ex defectu bonæ voluntatis: perinde ut ſi quis involuntarius reddat depoſitum, aut mutuum reſtituat, aut quodvis aliud faciat ad quod ex præcepto tenetur.

8. POTENS EST AUTEM DEUS OMNEM GRATIAM ABUNDARE FACERE IN VOBIS. Græcè, εἰς ὑμᾶς, *in vos*. Occurrit tacitæ cogitationi metuentium ſibi inopiam, ſi copioſiùs tribuerent: docetque quidquid dederint, ad ipſos cum fœnore redditurum. *Gratiam* vocat beneficentiam ſive eleemoſynam, ſicut aliquoties capite ſuperiori. Deus, inquit, potens eſt efficere, ut totum hoc beneficium ad quod vos exhortor, in voſipſos exuberet, id eſt, cum affluentia redundet: atque adeò ſperandum eſt quod facturus ſit. Hanc enim vim apud Apoſtolum habet illud: *Potens eſt Deus*, ut aliàs annotavi. Quidam gratiam interpretantur omne genus gratiæ ſpiritualis: Sed prior ſenſus, qui Græcorum eſt, propiùs videtur inhærere contextui; & explicatur per id quod ſequitur.

Nota, ſpe divinæ providentiæ nobis affuturæ debere liberales fieri eleemoſynas.

UT IN OMNIBUS SEMPER OMNEM SUFFICIENTIAM HABENTES, ABUNDETIS IN OMNE OPUS BONUM. Multi Græci codices *ſemper* πάντοτε, non addunt: Nec legiſſe videtur Chryſoſtomus & Theophylactus: Legit tamen Oecumenius Græcus, & omnes Latini: ſuffragante etiam Syro interprete. Codicibus Græcis in quibus legitur annumero biblia Complutenſis editionis. Ac ſanè rem de qua agitur, amplificat, ſimul etiam orationem exornat hæc ſignorum univerſalium congeries, ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν. Dicitur autem Græcis αὐτάρκεια, ſufficientia; cum quis eò quod ſatis eſt contentus, nihil ultra deſiderat. Qua dictione uſus eſt etiam 1. *ad Timoth. 6.* ubi quæſtum magnum vocat pietatem cum ſufficientia. *Senſus* igitur eſt: Ut undequaque plenam rerum temporalium, quibus contenti ſitis, ſufficientiam habentes; etiam largiter utamini iis ad varia pietatis & miſericordiæ opera. Loquitur enim de bonis operibus iis quibus exercendis materiam præbent temporalia bona quum ad abundantiam ſufficiunt. Non tamen in iis nominat abundantiam, ſed ſufficientiam: quia deſiderium ſuum ultra hanc extendere, affectus avaritiæ eſt. Cæterùm bonis operibus ſemper ampliùs abundare velle, ac numquam dicere, ſufficit, ad officium pertinet hominis Chriſtiani. Ideò de iis loquens abundantiæ meminit. Ubi & illud obſervandum, temporalium quidem bonorum ſufficientiam Corinthiis Paulum quodammodo permittere, ſi liberaliter tribuant: ſed hoc ipſum ſtatim referre, ſicut oportet, ad finem ſpiritualem.

Nota, ſufficientiã temporaliũ quærendam, non abundantiã.

Abundantiæ bonorũ ſpiritualium ſtudere, Chriſtianum eſt.

9. SICUT SCRIPTUM EST; in Pſalmo III. quo deſcribitur laus & felicitas hominis juſti. DISPERSIT, DEDIT PAUPERIBUS. Id eſt, more ſeminantis ſpargit opes ſuas, ac diſtribuit eas in pauperes. Hic verſus admonet beneficentiam extendendam in multos, quatenus opes ferunt, potiùs quàm (quod à quibuſdam fieri videmus) in paucos multa conferenda.

JUSTITIA EJUS MANET IN ÆTERNUM. Quaſi dicat: quamvis pecuniæ ſic diſperſæ videantur ei perire; *Juſtitia tamen ejus in æternum permanebit*, videlicet quod ad fructum juſtitiæ attinet: qua perpetuam laudem apud homines, & glorioſam mercedem apud Deum conſequetur. *Juſtitiam* more ſcripturæ dicit *vel* eam quæ generalis eſt virtus, complectens etiam gratuitam beneficentiam ac miſericordiam, de qua hîc ſermo eſt: *vel* ſpecialiter ipſum opus eleemoſynæ; quod ita nobis in ſcriptura commendatur, ut interdum juſtitiæ nomine deſignetur, tamquam juſtitiæ pars non poſtrema, ut Matth. 6. *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Et hic paulò inferiùs: *Augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.* Commentator Ambroſiaſter dicit hanc miſericordiam ideò juſtitiam appellari, quia juſtum eſt non ſibi ſoli retinere, quod in commune datum eſt omnibus à Deo.

Eleemoſyna vocatur juſtitia, & cur.

Teſtimonium hoc ab Apoſtolo citatum ad quæ ſuperiora referendum ſit ambigunt nonnulli: Verùm certè commodiùs aliò referri non poteſt, quàm ad partem proximè præcedentem, ut ei connectatur hoc aut ſimili modo, *Abundetis in omne opus bonum, ſicut* ille de quo *ſcriptum eſt*: aut *faciendo quod ſcriptum eſt*, Diſperſit, dedit, &c. Non enim probare intendit Apoſtolus allegatione hujus ſcripturæ, ſed exhortari; idque eò facit efficaciùs, quòd

Præmium eleemosynæ æternum.

non solùm opus justi hominis commemoratur hoc versu, sed etiam præmium operis adjungitur, laus scilicet & merces in æternum mansura. Porrò quod nonnulli codices pro, *in æternum*, habent *in sæculum sæculi*, ex loco psalmi putamus huc esse translatum.

10. QUI AUTEM ADMINISTRAT SEMEN SEMINANTI. Græcè, ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν, *Qui autem suppeditat.* ET PANEM AD MANDUCANDUM PRÆSTABIT. Græcè, *Et panem in cibum suppeditet.* Est enim optativi modi verbum χορηγήσαι, sicut & duo verba sequentia πληθύναι & αὐξήσαι: non indefinitivi, quod Erasmus errans putavit, & eum secutus hac in parte Cajetanus. *Notandum* etiam in quibusdam codicibus Græcis diversam haberi distinctionem. Nam verbum, *suppeditet*, cum parte sequenti construunt, ut illud, *panem in cibum*, regatur à verbo *suppeditet*, quod præcessit. Quod & videre est in Syriaca versione.

ET MULTIPLICABIT SEMEN VESTRUM. Græcè, (ut jam dixi) *Et multiplicet.* ET AUGEBIT INCREMENTA FRUGUM JUSTITIÆ VESTRÆ. Græcè, Et augeat seu crescere faciat fructus, proventus, germina justitiæ vestræ; Græcè γενήματα. Porro juxta Latinam lectionem in verbis prædictis commendatio quædam est providentiæ divinæ, retribuentis bona tam corporalia quàm spiritualia, iis qui eleemosynas largiuntur; ut hic sit *sensus*: Deus, qui per suam providentiam suppeditat seminanti semen, idem etiam panem (sub quo cætera ad victum necessaria comprehende) suppeditabit in alimoniam vestram; &, ne in posterum desit unde sustentemini, multiplicabit etiam semen vestrum jactum in terram; &, quod præcipuum est ac primo loco quærendum, augebit etiam atque ad perfectionem perducet proventus ac fructus justitiæ vestræ quam in erogandis eleemosynis ostenderitis: ut ea sic aucta atque perfecta, juxta memoratum psalmographi versiculum maneat in æternum.

Nota, eleemosynas à Deo bonis tum spiritualibus tum corporalibus compensari.

Sententia sic explicata non affirmat perpetuum providentiæ divinæ modum erga largos eleemosynarios, sed ordinarium, quoad submini-strationem sufficientiæ temporalis. Nam interdum aliter contingit; ad probationem electorum, & gloriam majorem. Consonat his illud ejusdem Apostoli 1. Tim. 4. *Pietas ad omnia valet, promissionem habens vitæ præsentis & futuræ.*

Nota, ordinariè non destitui necessariis liberalem eleemosynarium.

Cæterùm Græcè lectionis idem sensus est; eo solùm excepto, quòd secundùm eam optativè seu deprecativè ab Apostolo dicantur, quæ textus Latinus reddit enunciativè. Nec illud tamen negligendum quod de diversa quorumdam codicum Græcorum distinctione diximus; convenit enim ea cum loco Isaiæ. 55. qui sic habet: *Et dat semen serenti, & panem comedenti.* Quò quidem Apostolum respexisse non temerè existimat Theophylactus; sunt enim verba apud LXX. penè eadem. Hoc igitur pacto *sensus erit.* Deus qui secundùm Prophetæ testimonium suppeditat semen ad serendum, & panem ad comedendum; idem etiam suppeditet ac multiplicet semen vestrum, &c.

11. UT IN OMNIBUS LOCUPLETATI ABUNDETIS IN OMNEM SIMPLICITATEM. Interpres addidit de suo, *ut*, &, *abundetis*; cùm in Græco tantum legatur, *In omnibus ditati in omnem simplicitatem.* Qui tamen sermo hiulcus est, ac necessario supplendus, vel eo modo quo supplevit noster interpres, vel ut Syrus, Erasmus & Hentenius hujusmodi expositione. *Ut in omnibus locupletemini in omnem simplicitatem:* vel secundùm Cajetanum hoc modo, Qui in omnibus estis locupletati in omnem simplicitatem, ut sensus sit causalis: quasi dicat Apostolus, Deus ea quæ dixit vobis præstabit (aut præstet) utpote qui sitis per omnia divites perfectæ simplicitatis, id est, virtute sinceræ liberalitatis. Nam simplicitatem vocat liberalitatem quæ simplici & sincero corde exercetur: non ex inani gloria, aliove pravo affectu quemadmodum à nobis explicatum est ad illud capitis præcedentis, *Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis.*

Nota, Liberalitatem sincerè debere exerceri.

QUÆ OPERATUR PER NOS GRATIARUM ACTIONEM DEO. Id est, Quæ vestra simplicitas efficit ut per nos gratiæ agantur Deo: materiam nobis præbet agendi gratias Deo, tamquam authori tanti boni. Vel potiùs, *Per nos*, id est, interveniente nostro ministerio; ut scilicet intelligantur gratiæ quæ Deo agantur à pauperibus sanctis in Judæa: de quibus proximè loquetur Apostolus. Utrovis modo significatur egregius eleemosynæ fructus ad alios redundans; id est, gratiarum actio quæ Deo redditur. Quem fructum pleniùs exponit verbis sequentibus.

12. QUONIAM MINISTERIUM HUJUS OFFICII NON SOLUM SUPPLET EA QUÆ DESUNT SANCTIS. Pro *ministerio officii* Græcè est διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης, id est, ministratio seu functio ministerii sacri hujus. Nam λειτουργία quamvis apud probandos authores ministerium in genere significet; in sacris tamen libris, & apud scriptores Ecclesiasticos, plerumque usurpatur pro ministerio sacro; cujusmodi imprimis est sacrificium. Unde Theophylacti interpres vertit ministerium sacrificii & oblationis hujus. Itaque insinuat Apostolus ministerium sibi delegatum ad procurandam & perferendam eleemosynam, esse functionem cujusdam sacrificii Deo gratissimi, ea nimirum generali ratione qua omne opus bonum ad honorem Dei factum, maximè si fiat cum exteriori quadam oblatione, quale est opus eleemosynæ, sacrificium in scripturis vocatur. Etenim, inquit, hujus sacri ministerii a me susceptι functio non hanc solùm adfert utilitatem quod subveniat necessitatibus pauperum sanctorum qui in Judæa sunt.

Λειτουργία quid apud sacros scriptores.

SED ETIAM ABUNDAT PER MULTAS GRATIARUM ACTIONES IN DOMINO. Græca ad verbum, per multos gratias agere Deo. Quod Ambrosianus textus sic expressit; per multorum gratiarum actionem Deo. Nisi fortè Ambrosiaster in suo codice Græco habuit εὐχαριστιῶν, ut multi libri: quum alii legant εὐχαριστῶν: qua posteriore lectione posita, poterit illud quod præcedit ἐπιτελοῦσα δὲ, exponi activè, abundare facit, ut paulò ante v. 8. Vide Com. *ad c.* 4. *v.* 15. Sensus autem est, Verùm etiam exuberat in hoc, id est, hunc fructum adfert, ut per multos, ac præsertim eos qui vestræ liberalitatis fiunt participes gratiæ Deo agantur.

13. PER PROBATIONEM MINISTERII HUJUS GLORIFICANTES DEUM. Obscuritatem parit mutatio casus apud Apostolum, nam *glorificantes* referendum ad genitivum (multorum) in Græco; ut sensus sit, Dum per nostrum ministerium probata illis vestra liberalitate Deum glorificant.

IN OBEDIENTIA CONFESSIONIS VESTRÆ IN EVANGELIUM CHRISTI. Pro *obedientia*, subjectionem Ambrosianus legit. *Sensus*, Super fide vestra, qua cum humili subjectione animi, & externa oris confessione, suscepistis Evangelium Christi. Hæc enim prima erat gratiarum actionis & glorificationis divinæ materia. Qua ex re clarè constat totum hoc fuisse opus gratiæ Dei: Nam Deo gratias agere Deumque glorificare de opere non suo, stultum & impium est. Hinc quoque discε ad fidei rationem pertinere voluntatis obedientiam: sicut & Rom. 1. dicitur, *ad obedientiam fidei.* Sed de ea re expressiùs in capite proximè sequenti loquitur.

Fides donum Dei speciale.

Fides in sacris literis commendata est cum bono affectu.

EE SIMPLICITATE COMMUNICATIONIS IN ILLOS ET IN OMNES. Id est, & super liberalitate vestra, qua simplici animo puraque intentione participes bonorum vestrorum temporalium feceritis ipsos ac cæteros Christi pauperes.

14. ET IN IPSORUM OBSECRATIONE PRO VOBIS. Contextus poſtulare videtur ut hæc etiam pars pendeat ab eo quod dixerat, *glorificantes Deum*: ſed quia ſenſus eſt parum commodus, ut glorificaturi Deum dicantur illi ſancti de ſuis orationibus quas pro Corinthiis funderent: idcircò, ad mentem Apoſtoli accommodatiùs referetur ad illud præcedens, *Sed etiam abundat*: ut ſit *ſenſus*: Redundabit prætereà beneficium hoc eleemoſynæ ad hunc fructum, ut pauperes illi ſancti pro vobis orent Deum quæ eſt communis obligatio pauperum eleemoſynas accipientium. Collige ex Apoſtoli dictis quatuor eleemoſynæ fructus: qui ſunt refocillatio pauperum, gratiarum actio Deo facta, atque ejuſdem glorificatio de bono opere, & oratio ad Deum pro ſalute operantis.

Eleemoſynæ fructus quadruplex Apoſtolo.

DESIDERANTIUM VOS PROPTER EMINENTEM GRATIAM DEI IN VOBIS. Id eſt, qui magno veſtri videndorum deſiderio teneantur (nam, videre, additur in textu Ambroſiano: Græci verò ſubintelligunt) idque propter eminentem Dei gratiam quam vobis ineſſe cognoſcent; gratiam, inquam, fidei ac beneficentiæ ex fide profectæ: hæc enim duo paulò ante nominavit. Similia loca ſunt, *Rom. 1. verſ. 11. Suprà cap. 7. verſ. 7.*

15. GRATIAS DEO SUPER INENARRABILI DONO EJUS. Græcè, *Gratia autem Deo*, &c. Concluſio eſt, ac velut epiphonema, quo Deo gratias agit ſuper multiplici fructu quem ſuperioribus verbis oſtendit ex eleemoſyna tam ad dantes quàm ad accipientes promanare. Vocat autem *inenarrabile hoc donum*, quia pro dignitate verbis explicari non poteſt.

CAPUT X.

IPſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis. 2. Rogo autem vos ne præſens audeam, per eam confidentiam qua exiſtimor audere, in quoſdam, qui arbitrantur nos tamquam ſecundùm carnem ambulemus. 3. In carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus. 4. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes 5. & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, 6. & in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, cùm implera fuerit veſtra obedientia. 7. Quæ ſecundum faciem ſunt, videte. Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterùm apud ſe: quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos. 8. Nam, & ſi ampliùs aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram: non erubeſcam. 9. Ut autem non exiſtimer tamquam terrere vos per epiſtolas: 10. quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graves ſunt & fortes: præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis: 11. hoc cogitet qui ejuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto. 12. Non enim audemus inſerere, aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant: ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes & comparantes noſmetipſos nobis, 13. Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundùm menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus, menſuram pertingendi uſque ad vos. 14. Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuperextendimus nos: uſque ad vos enim pervenimus in Evangelio Chriſti, 15. Non in immenſum gloriantes in alienis laboribus: ſpem autem habentes creſcentis fidei veſtræ, in vobis magnificari, ſecundùm regulam noſtram in abundantiam, 16. etiam in illa, quæ ultra vos ſunt, evangelizare, non in aliena regula in iis quæ præparata ſunt gloriari 17. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. 18. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.

Eph. 4. b. 8.

Jerem. 9. g. 23. 1. Cor. 1. d. 31.

SUMMARIUM.

ADverſus pſeudapoſtolos, apud quos habebatur contemptibilis, dignitatem ſuam tuetur, addens ſe non gloriari ultra modum laboris ſui.

HOc caput cum duobus ſequentibus, apologiam quamdam continet Apoſtoli Pauli adverſus obtrectatores ſuos pſeudapoſtolos: qua & illorum improbitatem ac vitia detegit ac palàm traducit: & de ſua poteſtate, prædicatione, laboribus & periculis evangelii cauſa ſuſceptis, adverſus illos gloriatur; multa commemorans quæ ad ſuæ perſonæ dignitatem & excellentiam declarandam pertineant. Loquitur autem deinceps de ſe numero ſingulari, propterea quòd hîc jam non, ut in ſuperioribus, cauſam agat communem miniſtrorum novi teſtamenti, ſed ſuam ſolius, eò quòd ipſum peculiariter odiſſent, & in contemptum atque odium apud novos quoſque fideles adducere conarentur illi pſeudapoſtoli.

Pſeudapoſtolorũ Paulo adverſantium qualitates.

Verùm priuſquàm ad expoſitionem verborum Apoſtoli veniamus, operæ precium fuerit breviter oſtendere, qui vel quales fuerint pſeudapoſtoli, contra quos Paulus hanc ſuam defenſionem inſtituit. Id verò colligendum ex ipſius Apoſtoli adverſus eos diſputatione. Ex qua primùm liquet, Judæos fuiſſe; atque de eo ipſo gloriatos fuiſſe: dicit enim capite ſequenti, deſcribens eos velut ſecundùm carnem gloriantes, *Hebræi ſunt, Iſraëlitæ ſunt, ſemen Abrahæ ſunt.* Sed & ad Philippenſes de iiſdem loquens, ſatis apertè ſignificat Hebræos & circumciſos fuiſſe. Item, Chriſtianos ſe jactabant: *Si quis*, inquit, *confidit ſibi Chriſti ſe eſſe*, &c. Infrà hoc cap. Imò & fidem Chriſti prædicabant; Unde ait cap. 11. *Miniſtri Chriſti ſunt*, & ad Philippenſes 1. *Quidam*, inquit, *ex contentione Chriſtum annunciant.*

Cæterùm inſectabantur Apoſtolum Paulum: & tam doctrinam ejus quàm vitam & actiones reprehendebant: quemadmodum patet ex toto hoc contextu, propriam gloriam quærebant; contrà toti in hoc ut Pauli gloriam deprimerent atque exſtinguerent: uti manifeſtum eſt non ſolùm ex conſequentibus hujus epiſtolæ, verùm etiam ex eodem loco *Philip. 1.* quum dicit quoſdam ex contentione & non ſincerè Chriſtum annunciaſſe, exiſtimantes ſe preſſuram ſuſcitare vinculis ipſius: Præter hæc, magno ſupercilio oſtentabant ſæcularem doctrinam & eloquentiam ſuam; habebat enim per id tempus Judaica natio viros in externis diſciplinis & arte oratoria exercitatos, ut Philonem, Joſephum. Unde Paulum habebant deſpectui velut imperitum ſermone. Notat hoc eorum ſupercilium Apoſtolus illis verbis hujus capitis, *Ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei.*

Denique miſcebant doctrinæ Chriſtianæ legem Moſaicam, & Phariſaicas traditiones; ut patet ex *tota epiſtola ad Galatas*, quorumdam pſeudapoſtolorum perſuaſione traductos in legem. Quod & colligi poteſt ex iis quæ ſcribit ad *Philip. 3. Col 2. & Tit. 1.* Unde & hîc dicit capite 11. *ſe timere ne* per illorum doctrinam *corrumpantur ſenſus Corinthiorum & excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto.* Quo capite & pſeuapoſtolos eos vocat, & operarios ſubdolos, & miniſtros Satanæ, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, ac miniſtros juſtitiæ. Quò pertinet quod ſuperiùs dixit capite ſecundo & quarto eos adulterare verbum Dei. Nam id non ſolùm de perverſitate intentionis, verùm etiam de fermento pravæ doctrinæ, quam cum Evangelio Chriſti miſcebant, intelligendum eſſe, ſuis locis oſtendimus. Atque hanc rem luculenter declarat. Theophylactus in *commentar. hujus cap. & ſeq.* Dicit enim pſeudapoſtolos externa ſapientia uſos, pleraque multa nugatos fuiſſe & per hypocriſin nova dogmata & impias traditiones introducere conatos.

Paulus cur præ cæteris, inviſus pſeudapoſtolis.

Ex his porrò, etiam liquet cur præ cæteris Chriſti Apoſtolis Paulum exoſum habuerint pſeudapoſtoli, omnemque ei authoritatem apud eccleſias detrahere ſtuduerint. Ratio quippe manifeſta eſt, quod Paulus, tamquam Gentium Apoſtolus, ut jugum legis ab eis averteret, apertiùs ac ſtudioſiùs quàm alii, legis & ceremoniarum abrogationem per Chriſtum factam, prædicaret. Unde & à Judæis tanta paſſus eſt, quanta paſſim *in Actis* deſcribitur. Nam & Judæos Chriſtianos malè de eo ſenſiſſe propter legis controverſiam, docet idem liber *Act. cap.* 15. *&* 21. Jam igitur ad Apoſtoli verba veniamus.

1. IPSE AUTEM EGO PAULUS OBSECRO VOS PER MANSUETUDINEM ET MODESTIAM CHRISTI. Pro *modeſtia*, Græcè eſt ἐπιείκεια, quod comitatem, clementiam, benignitatem ſignificat; quæ à manſuetudine non alio differat, ut nonnullis placet, quàm quod manſuetudo magis ad animum, ἐπιείκεια verò magis ad exteriorem converſationem pertineat. Idcircò verò Paulus hujuſmodi utitur exordio *obſecrationis per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti*; quia cupiebat non provocari ad ſeveritatem vindictæ; quaſi dicat. Oro vos per Chriſti manſuetudinem ne me cogatis iraſci. Quem ſenſum ſupplent ſequentia, uti mox patebit.

Qui in facie humilis ſum inter vos. Græcè, *ſecundùm faciem*, ut infrà vertit Ambroſianus, ad faciem, id eſt, coram & in conſpectu, opponitur enim abſenti; nam ſequitur.

Abſens autem confido in vobis. Græcè, *confido*, vel *audeo, in vos*, ſiquidem ipſe interpres mox idem verbum vertit, audere. *Senſus eſt:* Ego Paulus, inquam, qui (quod mihi vitio vertitur ab adverſariis) quum apud vos ſum, humiliter & ſubmiſsè me gero; quum abſens ſum, audaciam & confidentiam cum authoritate erga vos oſtendo in epiſtolis quas ſcribo. Hæc enim ab Apoſtolo ſic de ſeipſo dici, velut in vituperium ipſius ab aliis objecta, conſtat ex eo quod infrà, diverſis verbis & eodem ſenſu, dicit; *Quoniam quidem, inquiunt, epiſtolæ graves ſunt & fortes: præſentia autem corporis infirma & ſermo contemptibilis.* Græci quidam in his Apoſtoli verbis ironiam eſſe arbitrantur: ſed potiùs videtur eſſe ſermo concedentis: verè enim ſic erat, non ſine ratione quam Deus in hoc ſpectabat, licet inde adverſarii caperent occaſionem detrahendi Paulo. Certè ipſe Apoſtolus clare de ſeipſo hoc profitetur 1. Corinth. cap. 2. *Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* Idipſum ſatis apparet ex verbis hîc ſubjunctis.

2. ROGO AUTEM NE PRÆSENS AUDEAM, PER EAM CONFIDENTIAM QUA EXISTIMOR AUDERE, IN QUOSDAM. Exprimit nunc quod dixerat ſe obſecrare. Poſt *audere*, comma ſubnotandum eſt; nam quod ſequitur, *in quoſdam*, non cum infinitivo, *audere* conſtruendum, ſed cum verbo *audeam.* Eſt enim *ſenſus*; Rogo vos, inquam, ne veſtra culpa contingat; ut qui præſens apud vos humiliter hactenus me geſſi, poſthac cum ea fiducia qua abſens audere *exiſtimor*, etiam præſens audeam, hoc eſt, audacter & intrepidè poteſtatem meam exerceam in quoſdam ex vobis.

Qui arbitrantur nos tamquam ſecundùm carnem ambulemus. Græcè, *ambulantes. Ambulare ſecundùm carnem*, idem eſt, quod Rom. 8. *ſecundùm carnem vivere.* Senſus. Qui malè perſuaſi à pſeudapoſtolis, exiſtimant nos ſecundùm carnem ambulare ſeu vivere; hoc eſt ſecundùm carnales & humanos affectus vitam & actiones inſtituere, more hominum qui cupiditate habendi vel metu amittendi ea quæ carnaliter amant, omnia faciunt. Putabant enim Paulum quando præſens erat, ſive captandæ gratiæ cauſa, ſive quod timeret offendere, vel ſimili affectu humano prohibitum fuiſſe ne poteſtatem exerceret, quam abſens per literas venditabat. Id autem falsò eos putaſſe, docet verbis ſequentibus.

Militia ſpiritualis Pauli Apoſtoli.

3. IN CARNE ENIM AMBULANTES, NON SECUNDUM CARNEM MILITAMUS. Quaſi dicat, quod falſum eſt. Nam etſi converſamur & vitam hanc agimus in carne quoad naturam carnis; non tamen militamus ſecundum inclinationes & deſideria carnis, non ſequimur carnales affectus, non exercemus carnalem militiam.

4. NAM ARMA MILITIÆ NOSTRÆ NON CARNALIA SUNT; Metaphoram *militiæ* quam verbo attigerat, partibus quibuſdam explicat; oſtendens ex ratione armorum quibus utitur, ſe non ſecundùm carnem militare. Dirigit autem intentionem contra pſeudapoſtolos, qui præſidiis humanæ ſapientiæ nixi tamquam armis, oppugnabant humilitatem & ſyncéritatem doctrinæ quam Paulus tradebat. *Nam*, inquit, *arma militiæ noſtræ* Apoſtolicæ, qua nimirum Chriſto imperatori noſtro militamus ad evangelium ejus propagandum, *non carnalia ſunt*, id eſt, ut S. Thomas exponit, accommodata & ſubſervientia militiæ ſeu vitæ carnali; ut ſunt opes, honores, voluptates & potentia hujus ſæculi. Vel potiùs, *carnalia*, hoc eſt, humana, mundana, ſæcularia; cujuſmodi ſunt in militia corporali, arma corporalia; in militia verò ſeu pugna diſputationum, artes & ſcientiæ humanæ; hæc enim erant arma quibus inſtructi pſeudapoſtoli, doctrinæ à Paulo prædicatæ reſiſtebant.

Sed potentia Deo. Ambroſianus legit fortia Deo, eſt autem *Deo* Græcis dativus, Latinè reddendus per ablativum efficientis cauſæ; ut ſignificetur arma Apoſtolica eſſe potentia ſeu valida per Deum, ac virtute divina, non viribus humanis. Ea arma ſunt humilitas, patientia, manſuetudo, charitas ac cæteræ virtutes; item ſapientia, ſcientia, Prophetia, cum cæteris chariſmatis Spiritus-ſancti: Denique poteſtas verbi regiminis, & ſacramentorum, à Chriſto accepta. Quibus omnibus armati Apoſtoli, militiam ſuam exercebant.

Ad deſtructionem munitionum. Cohæret cum dictione, *potentia*; Et ſenſus eſt, ea arma valere ad demoliendas & evertendas munitiones adverſariorum, id eſt, omnia ea per quæ illi vel oppugnabant fidei veritatem, vel ſuos errores ſtabiliebant. Quo in genere erant in primis ſcientiæ ſæculares, ſive veræ ſive falſæ aut erroribus permixtæ; totum enim hoc genus quatenus aſſumebatur ad expugnandam fidem Chriſtianam & ſcientiam Dei, quam ſtatim nominat, deſtruendum erat armis Apoſtolicis. Itaque pertinent huc ſcripturæ quas in priori epiſtola citavit cap. 1. *Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus ſæculi?*

Effectus militiæ Apoſtolicæ.

Conſilia deſtruentes, Græcè, λογισμοὺς, id eſt, cogitationes; quemadmodum & Ambroſianus legit. Quo vocabulo accipi poteſt omnis ſubtilitas ingenii & conſilii humani. Theophylact. ſimplex per compoſitum exponens, ſyllogiſmos intelligit, id eſt, ratiocinationes dialecticas Græcorum ſapientum. Meminit autem horum Oecumenius in parte præcedenti. Cæterùm ad hanc partem referendæ ſunt ſcripturæ capitis tertii prioris epiſtolæ à Paulo citatæ, *Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum*; &, *Dominus novit cogitationes ſapientum quoniam vanæ ſunt.*

Quidam laborant ut hanc partem cum ſuperioribus conſtruant; quod ut aptè fiat & ſine ſolœciſmo, participium *deſtruentes* ordinant cum verbo *militamus*; ut quæ intercedunt, per parentheſim legantur. Verùm hæc conſtructio ſenſum Apoſtolici ſermonis obſcurat & confundit. Quare illud, *conſilia deſtruentes*, ita accipe, quaſi dictum ſit, quibus armis conſilia deſtruimus.

5. ET OMNEM ALTITUDINEM EXTOLLENTEM SE ADVERSUS SCIENTIAM DEI. Græcè, *& omnem*

celſitudinem quæ extollitur adverſus cognitionem Dei. Nam altitudo alibi profunditatem ſignificat interpreti noſtro, ut Roman. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, hîc verò per *altitudinem* ſive *celſitudinem* Apoſtolus ſignificare voluit quicquid in ſermone vel ſcientia ſæculari grande & ſublime eſt, & apud homines admirationem excitat. Quod totum *deſtruendum* dicit quatenus extollitur adverſus ſcientiam Dei, qua nimirum Deus agnoſcitur. Quam ſcientiam S. Bernardus in *ſerm. ad milites templi cap.* 3. & S. Thomas *in comment.* fidem Chriſtianorum interpretantur; de qua Iſaiæ 11. *Repleta eſt terra ſcientia Dei.*

Et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Græcè, *& captivantes* (ſeu captivum ducentes) *omnem intellectum ad obedientiam Chriſti.* Nam obedientiam, mox in eo quod ſequitur, reddit ipſe interpres; Ambroſianus item obedientiam legit. Pro *intellectu*, alii malunt cogitationem: Græcum νόημα utrumque ſignificat; ſed magis actum quàm potentiam, quaſi dicas intellectionem. Verti etiam poſſet, ingenium; ut ſenſus hic eſſe videatur. Et captivum ducimus omne ingenium humanum, quantumcumque excellens & ſcientiis excultum, ad obediendum & humiliter ſubmittendum ſe Chriſto per fidem; omne ingenium, inquam; id eſt, magnam etiam magnorum ingeniorum multitudinem. Cujus rei exempla ſunt in Dionyſio Areopagita, Ariſtide, Juſtino, Pantæno Philoſophis, ad Chriſtum adductis; & in iis qui magicos libros Epheſi, authore Paulo, combuſſerunt, *Actor.* 19. Hos enim Theophylact. pro exemplo captivitatis hujus allegat.

Diſcrimen fidei Chriſtianæ, à quavis alia perſuaſione humana.

Ex his Apoſtoli verbis colligunt doctores diſcrimen fidei Chriſtianæ, à quacumque alia perſuaſione hominum, atque à fide dæmonum. Per fidem enim Chriſtianam captivatur intellectus in obſequium Chriſti, ſic ut, ſepoſita omni humana ratione, ſimpliciter & indubitanter homo ſuſcipiat ea omnia, quæ, tamquam revelata divinitus, ab eccleſia traduntur, & credenda proponuntur. In hac fide laudatur obſequium, id eſt, obedientia, qua voluntas humiliter ſubjecta veritati divinæ ſibi per eccleſiam annunciatæ, imperat intellectui ut credat. Itaque vera & Chriſtiana fides numquam eſt abſque tali ſubmiſſione ſive obedientia voluntatis. Hujuſmodi verò obedientia non eſt in aſſenſu earum veritatum quæ per ſenſum vel demonſtrationem, aut omninò per experientiam cognoſcuntur. Unde & dæmones, quos Jacobus Apoſtolus *cap.* 2. teſtatur credere & contremiſcere, non credunt tamquam obedientes, ſed naturali lumine ac rerum experientia convicti & coacti.

6. ET IN PROMPTU HABENTES ULCISCI OMNEM INOBEDIENTIAM. Id eſt, ad manum habentes poteſtatem ulciſcendi omnem inobedientiam, animadvertendi in omnes inobedientes; ſcilicet eos qui fidem Chriſti ſuſceperunt & inter fideles numerantur: *Quid enim mihi de iis qui foris ſunt, judicare*; ait 1. Corinth. 5. Ulciſcitur autem Paulus, & quilibet Apoſtolorum ſucceſſor omnem inobedientiam, non gladio corporeo, qui principi aut magiſtratui politico datus eſt ad vindictam malefactorum, *Rom.* 13. & cujus uſus eſt in corporali militia; ſed gladio ſpirituali, id eſt, cenſuris eccleſiaſticis, quarum præcipua eſt excommunicandi poteſtas. Hunc enim gladium Apoſtolus jam antè exemerat adverſus illum fornicarium, quando eum à corpore fidelium amputavit. Nunc verò rurſus eodem uſurum ſe comminatur in quoſdam inobedientes atque impœnitentes. Nam *inobedientiam* vocat contumaciam; quæ ſola excommunicationem meretur. Hic igitur locus excommunicandi poteſtatem qua adverſus contumaces utuntur eccleſiæ prælati confirmat. Et B. Auguſt. *epiſt.* 50. ex hoc loco probat poteſtatem puniendi hæreticos.

Gladius ſpiritualis, excõmunicatio, cũ aliis eccleſiaſticis cenſuris.

Cùm impleta fuerit veſtra obedientia. Referendum hoc non ad illud *habentes in promptu*, ſemper enim in promptu erat illa Apoſtolis poteſtas, ſed ad verbum *ulciſci*: quaſi dicat; tunc ea poteſtate utemur cùm veſtra obedientia fuerit impleta, id eſt, cùm vos plenè ad obedientiam reductos videro. Hinc apparet Apoſtolum minari pſeudapoſtolis ultionem, tamquam inobedientibus; ſed eam differre propter Corinthios, quorum quidam adhuc inobedientes erant; ne videlicet hos eadem pœna cum pſeudapoſtolis involvere cogatur, atque hoc eſſe quod dicit, *Cum impleta fuerit veſtra obedientia.* Ita ſentiunt plerique commentatores. At contra eſt, quod Apoſtolus adverſus pſeudapoſtolos non agit ut ſubditos, ſed potiùs ut adverſarios, pari loco adverſus ipſum contendentes, tamquam forent Chriſti Apoſtoli & evangelii miniſtri. Sanè cum hi fuerint Judæi; non eſt veriſimile Paulum voluiſſe ſtringere in eos gladium excommunicationis; ne gentem ſuam ſatis adverſum ſe concitatam irritaret.

Proinde rectiùs accipitur illa comminatio de iis qui adhuc inter Corinthios magnis peccatis erant obnoxii: in quos, quia multi erant, non facilè poterat exerceri diſciplina per excommunicationem: quoniam ut ait Auguſt. *lib. 3. contra Parmen. cap. 2.* Quicquid ſceleris & iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem. Et iterùm: Si contagio peccati multitudinem invaſerit; divinæ diſciplinæ ſevera miſericordia neceſſaria eſt. Nam conſilia ſeparationis (hoc eſt, excommunicationis) & inania ſunt & perniciosa, videlicet ob periculum ſchiſmatis & manifeſtæ rebellionis.

Igitur Apoſtolus hoc loco priùs vult multitudinem ſanari (id enim eſt quod dicit, *cùm impleta fuerit veſtra obedientia*: id eſt, cùm multò maxima pars veſtrûm, ac fermè omnes, ad obedientiam legis Chriſtianæ revocati fueritis) ac deinde in paucos permanentes in peccatis, vindicare juxta ſeveritatem eccleſiaſticæ diſciplinæ: ſicut jam antè in unum inceſtuoſum illum fecerat. Nam quòd apud Corinthios adhuc gravia peccata regnabant, cum ex prima epiſtol. ſatis intelligitur, tum manifeſtiùs id conſtat ex *fine cap.* 12. *hujus epiſt.* quo etiam loco ac deinceps, pluribus verbis minatur ſe, cum venerit, non parciturum iis quos invenerit priſtinis peccatis adhuc involutos. De his ergo videtur omninò accipienda præſens comminatio. Quamquam quæ ſunt iſto *verſ.* 6. poſſunt etiam ſic accipi; Quum vos ſeparaveritis à vobis fratres inordinatè ambulantes, ſicut præcepi in priore epiſtola: tunc ego vindicabo, mea authoritate veſtrum factum approbans & confirmans. Quemadmodum è diverſo dixit hujus epiſtolæ cap. 2. *Cui aliquid donatis; & ego.*

Quinque partes ſuæ militiæ cõmemoraſſe Apoſtolum.

Porrò ſi quis ſuperiora benè conſideret, inveniet quinque partes Apoſtolicæ militiæ, ſumptas ex comparatione militiæ corporalis. *Prima* eſt deſtruere munitiones fortes & validas: quod fieri dicit Paulus per arma Deo potentia. *Secunda* eſt, deſtruere conſilia ſeu cogitationes: id eſt, quicquid ingenioſe contra fidem Chriſtianam excogitatur. *Tertia*, deſtruere, machinas quæ ſublimitate videntur inexpugnabiles. *Quarta*, hoſtes captivos ducere & ſuo principi ſubjugare. *Quinta*, eaque poſtrema, inobedientes ac rebelles per juſtam animadverſionem ulciſci.

7. QUÆ SECUNDUM FACIEM SUNT VIDETE. Græcum verbum ambiguum eſt ad, *videte*, & *videtis*. Et quidem hoc poſterius eligunt interpretes Græci: quos & Cajetanus ſequitur. Secundùm hos objurgatorius eſt ſermo. Neque refert utrum per interrogationem legatur, ut poſt Theodoretum vult idem Cajetanus; an enunciativè: niſi quod interrogatio reddit acriorem objurgationem: quaſi dicat:

Itane vos Corinthii ea quæ in conſpectu ſunt tantum videtis: atque ex iis tantùm quæ foris apparent, judicatis? videlicet contra illud Salvatoris Joan. 7. *Nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate.* Cæterùm noſtra verſio, textui Ambroſiano communis, ſenſum exigit hujuſmodi: Moneo vos ut ſaltem ea quæ conſpicua ſunt & omnibus nota, conſideretis; ex iis enim facilè vobis erit de me & æmulis meis æſtimare: quaſi dicat; ſecundum faciem, ut aiunt, humilis ſum: ergo quæ ſecundùm faciem ſunt videte, & ex iis de me & illis judicate; nam & alibi Corinthios dictorum ſuorum, ut in re evidenti, facit judices 1. epiſt. cap. 10. *Voſipſi judicate quæ dico.* Uterque ſenſus bonus eſt: & utrique poſſunt aptari verba ſequentia.

SI QUIS CONFIDIT SIBI CHRISTI SE ESSE. Id eſt, ſi quis de ſeipſo confidit, vel ſibi perſuaſum habet (ſic enim etiam ex Græco verti poteſt) ſe Chriſti fidelem eſſe: aut potiùs Chriſti miniſtrũ; nam capite ſequenti dicit, *Miniſtri Chriſti ſunt; & ego*, & conſequentia hujus loci declarant Apoſtolum loqui de poteſtate & officio miniſtrorum. Poteſt & ſic exponi, Si quis gloriatur ſe eſſe Chriſti. Confer quæ dicta ſunt ad *cap. 3. verſ. 4. & ad Rom. 2. verſ. 19.* Signat autem pſeũdapoſtolos: qui jactabant ſe Chriſti miniſtros.

HOC COGITET ITERUM APUD SE. Id eſt, hoc etiam atque etiam perpendat apud ſe: vel, ut in Græco legitur, à ſeipſo: ſcilicet ut non opus habeat à nobis doceri; res enim per ſe manifeſta eſt.

QUIA SICUT IPSE CHRISTI EST, ITA ET NOS. Addunt Græca, *Chriſti.* Hoc cogitet, inquit, quòd perinde atque ipſe Chriſti miniſter eſt, ſic & nos miniſtri Chriſti ſumus; hac parte non ſumus eo inferiores. Hoc autem dicit, gradum faciens ad ſequentia, quibus oſtendit ſe illos præcellere.

8. NAM ETSI AMPLIUS ALIQUID GLORIATUS FUERO DE POTESTATE NOSTRA. Hoc eſt, Si enim etiam amplius aliquid, ſive præ illis qui mihi detrahunt, ſive præ eo quòd eſt quomodocumque Chriſti miniſtrum eſſe; ſive ampliùs quam ſoleam, gloriatus fuero de poteſtate noſtra Apoſtolica, qua non tantùm prædicare evangelium, ſed etiam corripere & punire delinquentes poſſum.

QUAM DEDIT NOBIS DOMINUS, Chriſtus ipſe, non homo quiſpiam; ſicut ait Galat. 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum.* Ne verò poteſtatis commemoratio moleſta ſit: addit.

IN ÆDIFICATIONEM, ET NON IN DESTRUCTIONEM VESTRAM, aut *veſtri.* Ad hoc, inquit, poteſtatem mihi dedit, ut vos & alios homines ædificem ſpiritualiter, id eſt, ad ſalutem promoveam; non autem ut deſtruam, id eſt à ſalute aut profectu ſalutis impediam. Quis legitimus uſus poteſtatis. Significatur finis & legitimus uſus poteſtatis. Unde intelligitur, quemadmodum Cajetanus annotavit, eccleſiaſticam poteſtatem nihil poſſe adverſus bonos mores; imò nec adverſus meliora bona, qualia ſunt conſilia Chriſti: quoniam hoc non eſſet poſſe in ædificationem, ſed in deſtructionem ſpiritualem.

Quæret, aliquis quomodo non ſit huic loco contrarium quod dicit Dominus ad Jeremiam 1. *Conſtitui te ſuper Gentes & regna, ut evellas ac deſtruas, & diſperdas, & diſſipes.* Reſpondeo, locum illum, ſalvo literali ſenſu, qui eſt de regnorum terrenorum deſtructione prophetanda, myſticè accipiendum de deſtructione veteris hominis, & evulſione cupiditatum ac vitiorum ejus; quibus eradicatis creſcat bona ſeges virtutum. Unde ad extremum ſequitur, *& ædifices & plantes*: priùs enim exſtirpanda ſunt vitia; deinde inſerendæ virtutes: hic verò ſermo eſt de deſtructione ædificationi contraria, id eſt, ea quæ eſt contra charitatem: quomodo deſtruit ille, ad mentem Apoſtoli, qui indiſcretè utitur gladio excommunicationis, non ad ædificationem & ſalutem fidelium. Quapropter monet Tridentina ſynodus *ſeſſ. 25. cap. 3. reform.* gladium illum ſobriè magnaque circumſpectione exercendum eſſe; cùm experientia doceat, ſi levibus ex cauſis incutiatur, magis contemni quàm formidari, & perniciem potiùs parere quàm ſalutem. Cenſura excommunicationis magna circumſpectione infligenda.

Notandum etiam quòd deſtructio quandoque non eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem; nam excommunicatio deſtructio quædam eſt, qua membrum à corpore præſcinditur: quæ tamen non eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem; quando præciſio illa fit, uti fieri debet, pro ſalute & præſervatione totius corporis: imò & (quatenus poſſibile eſt) pro ſanatione & reſtitutione membri præciſi, dicente Apoſtolo, *Ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini.* 1. Cor. 5. *Ut confundatur*: 2. Theſſal. 3. *Ut diſcant non blaſphemare.* 1. Tim. 1. Ipſa deſtructio ad ædificationẽ poteſt referri ac debet.

NON ERUBESCAM. Hoc, inquit, ſi fecero, *non pudefiam* tamquam mendax, quia veritatem dicam: aut, *non pudefiam*, tamquam arrogans, quia jure & cum honeſtate id facere poſſum: ſunt enim quædam juſtæ & honeſtæ cauſæ gloriandi; præſertim ubi veritas hominibus utilis ac ſalutaris, periclitatur. Qua de re plura ſequenti capite. Interdũ juſta eſt homini cauſa prædicandæ ſuæ poteſtatis ſpiritualis.

9. UT AUTEM NOS EXISTIMER TAMQUAM TERRERE VOS PER EPISTOLAS. Græcè, *ut ne videar*, &c. ſine conjunctione, *autem.* Unde & Græci ea quæ ſequuntur ſine parentheſi legunt: hanc verò partem jungunt præcedentibus: ac ſi diceret Apoſtolus; Memini poteſtatis meæ, ſed ad ædificationem datæ, non ad deſtructionem veſtri; idque ne videar vos velle perterrefacere per epiſtolam. Aut *hoc modo*: poſſem gloriari de poteſtate mea: non faciam tamen, ne videar, &c. *Verùm* noſtra lectio, cui conſonat Ambroſiana, ſenſum habet abſque dubio commodiorem: & pro ea ſunt nonnulli codices Græci, inter quos Complut. Tale eſt igitur quod dicit: Ut autem non videar terrere vos velle & metum incutere per epiſtolas, quaſi præſens nihil audeam: ſequitur parentheſis. Senſus.

10. (QUONIAM QUIDEM EPISTOLÆ, INQUIUNT, GRAVES SUNT ET FORTES. Græcè, *inquit*, ſingulari numero, nam & ſuperiùs ſingulariter dixerat, *Si quis confidit*, &c. & infrà, velut uni reſpondens, dicit: *Hoc cogitet qui ejuſmodi eſt.* Quamquam de numero non admodum refert: neque enim unus tantùm erat à quo talia dicebantur. Epiſtolæ quidem, inquiebant, minaces ac terribiles ſunt, tonant ac fulminant, magnamque poteſtatem & authoritatem oſtendunt. Enallage numeri eſt; nam de una tantum epiſtola loquebatur, quam ad Corinthios ſcripſerat: in qua quædam habentur minacia & authoritatis plena, maximè ſub extremum *capitis 4. & toto capite 5.* ubi de inceſtuoſo Satanæ tradendo, aliiſque excommunicandis agitur.

PRÆSENTIA AUTEM CORPORIS INFIRMA. Id eſt, Cùm præſens eſt, humiliter, demiſſe ac timide ſe gerit, tamquam nullius ſit authoritatis. Ferè ſimiliter in ſequentibus de infirmitate loquitur Apoſtolus, c. 11. & 12. ubi *ſe in infirmitatibus gloriari* dicit; & cap. 13. *quando nos infirmi ſumus.* Item 1. epiſt. cap. 2. *Et ego in infirmitate*, &c. verſ. 3. Porrò præſentiam corporis infirmam opponebat adverſarius epiſtolarum fortitudini: ſicut earum gravitati, id quod ſequitur.

ET SERMO CONTEMPTIBILIS. Græcè *contemptus*, participium, id eſt, dejectus, humilis: & per hoc contemptui expoſitus; utpote, in quo nulla loquentis ſeveritas appareret, ſicut in epiſtolis. Non igitur hoc ab æmulis Pauli dicebatur tamquam nitorem & eloquentiam ſermonis ei detrahentibus, ut quidam interpretati ſunt; hac enim parte ſermo ejus non differebat ab epiſtolis: ſed quoad authoritatem & poteſtatis ſignificationem, negabant ſermonem præſentis, cum epiſtolis quas abſens ſcribebat, conve-

nire. Huc autem uſque parentheſis ; nunc orationem quam ſuſpenſam reliquerat, abſolvit.

11. Hoc cogitet qui ejusmodi est : Id eſt, hoc reputet ac perſuaſum habeat, quiſquis eſt qui talia dicit:

Quia quales sumus verbo per epistolas, absentes ; nominandi caſus eſt, *abſentes*.

Tales et præsentes in facto. Græcè, *tales & præſentes opere*. Senſus. Cogitet quod quales ſumus abſentes, ſermone tranſmiſſo per epiſtolam, nempe poteſtatem noſtram ac ſeveritatem oſtendentes : tales etiam ſumus præſentes ; nec ſolùm ſermone, ſed & opere, ſcilicet cùm opus eſt. Vel tales erimus præſentes, poſtquam iſtuc advenerimus. Unde dicit cap. 12. ſe *metuere ne inveniatur à Corinthiis, qualem non velint*, & cap. 13. *Si*, inquit, *venero iterùm, non parcam*.

pſeudapoſtoli arrogantes & immodeſti.

12. Non enim audemus inserere aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant. Arrogantiæ & immodeſtiæ crimen ſuperioribus verbis à ſe depulſum, hîc jam Apoſtolus in adverſarios tegerit. *Neque verò*, inquit, *audemus*, id eſt, ſuſtinemus, in animum inducimus connumerare aut comparare nos quibuſdam qui ſeipſos magni faciunt, ſeque paſſim apud omnes ambitiosè & gloriosè commendant, quum à rebus ipſis non commendentur. Videlicet æmulos ſuos intelligit Pſeudapoſtolos; quibus ſeſe conferre velle, turpe & indignum judicat. Verbum Græcum, *audere*, pro ſuſtinere poſuit, & alibi : ut Rom. 5. *Nam pro bono forſitan quis audeat mori*. Quamquam Oecumenius & alii nonnulli dictum putant ironicè, *Non audemus*, quaſi dicat ; illi tam magnos ſe faciunt, ut non audeamus nos cenſere cum talibus. Porrò verba illa, *inſerere & comparare*, in Græco affinitatem inter ſe habent, ut ſi Latinè dicamus, inferre aut conferre.

Sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes et comparantes nosmetipsos nobis. Ut juxta hanc noſtram lectionem perfecta ſit oratio ; participia verbis interpretanda ſunt, metimur, & comparamus; idque hoc ſenſu ; *Sed metimur nos ea menſura quæ nobis convenit, & ad eam noſmet comparamus*. Hoc eſt, ea tantùm de nobis dicimus, quæ factis noſtris & veritati reſpondent, quæque, uti S. Thomas ait, proportionata ſunt nobis. *Nam gloria noſtra teſtimonium eſt conſcientiæ noſtræ*; quemadmodum dixit capite 1. Quæ expoſitio apud Oecumenium quoque legitur. Cæterùm Ambroſianus textus orationem abſolvit adjungendo quod ſequitur, *Non in immenſum gloriabimur*; ſublatis duabus voculis mediis *nos autem*. Quod mirum eſt, cùm in omnibus aliis ſint exemplaribus, tam Latinis quàm Græcis. At verò in Græcis omnibus additur, δὲ οὐκ ; non intelligunt ; eaque additione perficitur oratio.

Sciendum eſt autem pronomen Græcum ἑαυτοὺς indeterminatæ eſſe perſonæ, ſic ut diverſis accommodetur perſonis ; prout exigit ſtructura ſermonis; quod noſter interpres vertit, *nos & ſemetipſos*. Quare cum Græci legant verbo tertiæ perſonæ, non intelligunt ; eorum lectio verſionem poſtulat hujuſmodi, *Sed ipſi in ſeipſis ſeipſos metientes, & comparantes ſeipſos ſibipſis, non intelligunt*. Quod Græci ſic exponunt; Sed ipſi adverſarii noſtri ſemetipſos metientes atque æſtimantes ſuo ipſorum animo ac judicio, & comparantes ſemetipſos ſibi, quales de ſuo judicio fingunt ; aut certè commendantes ſeſe mutuò, & gloriam ab invicem accipientes, non intelligunt quàm ſe ridiculos aliis exhibeant ; ut ſupplet Theophylactus ; aut, non intelligunt quàm ſint arrogantes ſeſeque fallant, quemadmodum ſecundùm quamdam expoſitionem ſupplet Oecumenius ; aut denique, non intelligunt, *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* ; ut ex alio loco Apoſtoli ſupplet Auguſtinus in *enarr. Pſal.* 34. legit enim ille hunc locum eo modo quo Græci, non ibi tantùm, verùm & alibi, ut in *Pſalmum* 118. & 141. & *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 27. ubi & juxta Græcorum ſententiam ea verba exponit.

Verumtamen ſatis apparet coactum videri, ut hujuſmodi ſupplementa ſermoni Apoſtolico adhibeantur. Sanè probabilius eſt, juxta conſuetudinem Græcæ linguæ participia pro verbis infinitivis eſſe poſita ; ut *ſenſus ſit* ; Sed ipſi arrogantia & ambitione excæcati, non intelligunt ſe metiri & comparare ſemetipſos magnoſque facere ex ſuo ipſorum judicio ; quod eſt hominum ſibi immodicè placentium. Porrò Hentenius Oecumenii interpres Græcam lectionem diverſo adhuc modo reddidit, idque congruenter cum ſcholio quod primo loco ab Oecumenio adfertur, de quo ipſum locum conſule, ſimul & annotationem marginalem interpretis, qua docet unde nata apud Græcos ſit expoſitionum diverſitas. Senſus.

13. Nos autem non in immensum gloriabimur, *In immenſum*, Græcè, εἰς τὰ ἄμετρα, id eſt, ultra modum ; ſeu potiùs, ultra terminum ac metas laboris noſtri in evangelio. Videntur enim Pſeudapoſtoli, quemadmodum annotavit Theophyl. & Oecumenius, ſeſe mendaciter jactitaſſe, quod, juxta Pſalmi verſiculum uſque ad fines orbis terræ propagaſſent evangelium Chriſti, quod erat in immenſum gloriari. Nos autem, inquit, non ita gloriari volumus.

Sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus. Græcè, *quæ* vel *quam partitus eſt nobis Deus*. Nec ſecus habet Ambroſianus textus. Videtur autem noſter interpres legiſſe ἐμέτρησεν pro ἐμέρισεν. Senſus.

Mensuram pertingendi usque ad vos. Græcè, *uſque etiam ad vos*. Senſus verborum eſt. Sed gloriabimur ſecundùm menſuram regulæ à Deo nobis præſcriptæ, quia nimirum partitus eſt nobis portionem noſtram in opera evangelii. Quæ quidem ſic alias multas provincias quibus prædicavimus, comprehendit, ut etiam ad vos uſque pertigerit, voſque etiam includat. *Metaphora* eſt, à fabris ſumpta, qui ad amuſſim operantur ; & regulam à magiſtro operis præſcriptam, non permittuntur excedere. Dicit autem Deum ſibi partitum eſſe hujuſmodi menſuram, non quod præceptum haberet à Deo illuc uſque perferendi evangelium, & non ultrà tamquam certis ſibi terminis ad prædicandum præfixis, quos præterire non liceret; quod velle videtur Cajetanus, contra illud Christi ad Apoſtolos Matth. ultimo, *Euntes docete omnes gentes* : Sed quia totum illud in quo ſecundùm veritatem gloriari poterat, erat ei diſtributum à Deo ; & proinde ſi gloriatus fuiſſet ultra modum ac terminos ſui laboris, ſicut Pſeudapoſtoli faciebant ; fuiſſet ea gloriatio ſupra menſuram ipſi datam à Deo, & hoc modo rectiùs Apoſtolum intellexit Aquinas.

14. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos. Immoratur in metaphora menſuræ & regulæ. Neque enim, inquit, objici nobis poteſt quod quum de vobis ut filiis gloriamur, extendamus nos ultra menſuram, quaſi revera non pertingamus uſque ad vos per regulam quam partitus eſt nobis Deus :

Usque ad vos enim pervenimus in evangelio Christi. Græcè, *Nam & uſque ad vos pervenimus in evangelio Chriſti*. Id eſt, nam utique manifeſtum eſt etiam uſque ad vos Corinthios perveniſſe nos in evangelio Chriſti propagando : ut proinde veraciter ac meritò poſſim de vobis, ut filiis, & ut opere meo, gloriari, ac dicere, *In Chriſto Jeſu per evangelium ego vos genui*, & *Opus meum eſtis in Domino* 1. Cor. 4. & 9.

15. Non in immensum gloriantes in alienis laboribus. Senſus eſt : Et per hoc, dum de vobis gloriamur ut filiis noſtris in Chriſto, dumque eo jure

poteſtatem nobis in vos aſſcribimus ; non gloriamur extra menſuram noſtram, ac ſuper alienis laboribus ; uti faciunt æmuli noſtri.

SPEM AUTEM HABENTES CRESCENTIS FIDEI VESTRÆ. Genitivi ſunt in Græco abſolutè poſiti; quos reddere conveniebat per ablativos, *creſcente fide veſtra.*

Senſus. IN VOBIS MAGNIFICARI SECUNDUM REGULAM NOSTRAM, IN ABUNDANTIAM. Senſus hujus partis eſt: Atque adeo ſperamus futurum, ut, creſcente & augeſcente per noſtrum miniſterium fide veſtra, magnificemur in vobis ; hoc eſt, majorem & auctiorem de vobis laudem acquiramus ; ut etiam abundantiùs, id eſt, ampliùs quàm hactenus, gloriari poſſimus ; & quidem ſecundùm regulam noſtram, id eſt, menſuram ac terminos laboris noſtri. Particulam *in abundantiam* conſtruimus cum verbo *magnificari*, Græca ſcholia ſecuti ; tametſi poſſit alioqui cum eo quod proximè præcedit, ordinari, hoc ſenſu, *ſecundùm regulam noſtram* extenſam & ampliatam, nam fides creſcens, id eſt, in plures dilatata, argumentum erat etiam ampliatæ regulæ.

16. ETIAM IN ILLA QUÆ ULTRA VOS SUNT, EVANGELIZARE. *Etiam* in Græco non eſt ; ſupplenda tamen conjunctio quæ partem hanc ſuperiori copulet. Ambroſianus textus ſenſum magis quàm verba reddidit, hoc pacto : *Et ut etiam in regionibus quæ ultra vos ſunt evangelizem.* Sentit enim Apoſtolus, ſe ſperare ut non modò ſuam in evangelio gloriam uſque ad Corinthios protenſam, fide eorum creſcente, majorem faciat: verùm etiam futurum ut evangelium importet in ulteriora Corinthiis loca, regula nimirum ipſius, jubente ac volente Deo, longiùs extenſa atque porrecta. Unde ſequitur.

NON IN ALIENA REGULA, IN IIS QUÆ PRÆPARATA SUNT, GLORIARI. Græcè *in ea quæ parata ſunt gloriari.* Dubium eſt autem utrum intelligat parata à ſe, an ab aliis : Ex quo naſcitur diverſus ſenſus. Si enim parata à ſe ; *ſenſus erit* ; Ut non in aliena regula atque in alienis laboribus, ſed in his quæ noſtro labore parata fuerint, gloriemur. Sin autem parata ab aliis, erit hic intellectus, Ut non in aliena regula, videlicet in iis quæ jam ab aliis occupata ſunt, & per evangelij culturam præparata, gloriemur ; quemadmodum Pſeudapoſtoli faciunt, gloriantes de alienis. Eſt & tertius commentarius, qui *præparata* exponit à Deo nobis commiſſa.

Verùm ſecundus ſenſus, quem plerique tradunt interpretes tam Græci quàm Latini, præ cæteris videtur nobis Apoſtoli mentem explicare. Conferendus eſt autem hic locus cum eo qui eſt *Roman.* 15. ubi Pſeudapoſtolorum jactantiam tacitè perſtringens, ſic ait : *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam gentium.* Et nonnullis interpoſitis ; *Sic autem prædicavi evangelium hoc non ubi nominatus eſt Chriſtus ; ne ſuper alienum fundamentum ædificarem ; ſed ſicut ſcriptum eſt ; Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt*, &c.

17. QUI AUTEM GLORIATUR, IN DOMINO GLORIETUR. Quoniam frequentem gloriationis mentionem fecerat, denique nunc brevi ſententia docet, in quibus rebus ſit gloriandum, utpote non in falſis aut alienis bonis tamquam propriis quomodo gloriabantur Pſeudapoſtoli ; neque in malis, quæ à Deo non ſunt ; quomodo ille cui dicitur in Pſalmo, *Quid gloriaris in malitia?* Et de quibus Proverb. 1. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis* : ſed in bonis quæ verè quis habeat, quæque proinde ſint illi à Deo per Chriſtum. Quicumque, inquit, gloriatur, ſive ego, ſive alius quilibet ; glorietur in Domino Chriſto ; id eſt, de iis tantùm glorietur quæ à Deo per Chriſtum accepit, atque ab eo ſe accepiſſe agnoſcat ; &, ut ait S. Thomas *in comment.* totum quod cedit ad gloriam ſuam, referat in Deum : juxta illud 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepiſti?* & ad Galat. ult. *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Vide quæ dicta ſunt ad 1. Corinth. 1. in fine. Nota, gloriandum in Domino ſolummodo.

18. NON ENIM QUI SEIPSUM COMMENDAT, ILLE PROBATUS EST ; SED QUEM DEUS COMMENDAT. Gnomica ſententia claudit ſuperiora. *Deus*, Græcè & Syriacè *Dominus*, aſtipulante etiam Ambroſiano, cum nonnullis mss. Latinis. Senſus eſt. *Non ſtatim in veritate probatus eſt* & gloria dignus, *quiſquis ſeipſum commendat* ; multi enim commendant ſeipſos à bonis non ſuis, ſed falſis aut alienis, ſicut faciebant Pſeudapoſtoli : Multi quoque ſe commendant à ſuis tamquam non aliunde acceptis, ſicut Judæi & Pelagiani : *ſed* ille demum probatus eſt, *quem Deus commendat*, id eſt, commendabilem, ex iis quæ verè per eum operatur, oſtendit : nam Deus, ut annotat B. Thomas, eſt cauſa totius boni operis per homines facti. Vel, *Quem Deus commendat*, id eſt, cui Chriſtus per meritum ſuum verè communicat ea per quæ commendetur. Ex dicta expoſitione facilè intelligitur, Paulum adverſus ſuam hanc doctrinam non peccaſſe commendando ſeipſum hominibus, ſecundùm illud quod ſuperiùs dixit, capite 4. *Sed in manifeſtatione veritatis commandantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo* : nam addendo : *in manifeſtatione veritatis*, & *coram Deo* : ſatis ſignificavit ita ſe commendaſſe ſemetipſum hominibus, ut à Domino Deo commendaretur, juxta ſenſum jam explicatum. Senſus.

CAPUT XI.

1. UTinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ, ſed & ſupportate me: 2. Æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. 3. Timeo autem ne, ſicut ſerpens Hevam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto 4. Nam ſi is qui venit, alium Chriſtum prædicat, quem non prædicavimus, aut alium ſpiritum accipitis quem non accepiſtis ; aut aliud Evangelium, quod non recepiſtis : rectè pateremini 5. Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe à magnis Apoſtolis 6. Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia : in omnibus autem manifeſtati ſumus vobis. Aut numquid peccatum feci meipſum humilians ; ut vos exaltemini? quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis? 8. Alias Eccleſias expoliavi, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum 9. Et cum eſſem apud vos & egerem, nulli oneroſus fui : nam quod mihi deerat, ſuppleverunt fratres, qui venerunt à Macedonia : & in omnibus ſine onere me vobis ſervavi, & ſervabo. 10. Eſt veritas Chriſti in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ. 11. Quare? Quia non diligo vos? Deus ſcit. 12. Quod autem facio, & faciam : ut amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem, ut in quo gloriantur, inveniantur ſicut & nos. Nam ejuſmodi Pſeudapoſtoli, ſunt operatij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. 14. Et non mirum : ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis. 15. Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ : quorum finis erit ſecundùm opera ipſorum. 16. Iterùm dico, (ne quis me putet inſipientem eſſe, alioquin velut inſipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier.) 17. Quod loquor, non loquor ſecundum Deum, ſed quaſi in inſipientia, in hac ſubſtantia gloriæ. 18. Quoniam multi gloriantur ſecundùm carnem ; & ego gloriabor. 19. Libenter enim ſuffertis inſipientes : cum ſitis ipſi ſapientes. 20. Suſtinetis enim ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit. 21. Secundum ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego : Hebræi ſunt, & ego : Iſraëlitæ ſunt, & ego : ſemen Abrahæ ſunt, & ego : 23. Miniſtri Chriſti ſunt, ut minus ſapiens dico, plus ego : in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. 24. A Judæis quinquies, quadragenas, una minus, accepi. 25. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui: 26. In itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, peri-

Deut. 25. a. 3.
Act. 16. c. 22.
Act. 14. c. 18.
Act. 27. a. 2.

te, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: 27 in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate: 28. præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? 30. Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor. 31. Deus & Pater Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit quod non mentior. 32. Damaſci præpoſitus Gentis Aretæ regis, cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum, ut me comprehenderet. 33. & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus ejus.

Act. 9. d. 24.

SUMMARIUM.

PRæfatus Apoſtolus non eſſe gloriandum niſi in Domino, nec eum qui ſeipſum commendat probatum eſſe ſi non à Domino commendetur, hîc jam accingitur ad gloriandum & commendandum ſeipſum; quod facit toto ferme hoc capite & ſequenti. Verùm id nonniſi ſecundum veritatem & in Domino; atque ad hoc ipſum neceſſitate compulſus; quòd videret Corinthiorum ſalutem non leviter offendi, ſi ipſe apud eos contemptus haberetur, ac Pſeudapoſtoli eſſent in pretio: dicit ergo.

VTINAM SUSTINERETIS MODICUM QUID INSIPIENTIÆ MEÆ. Pro quo Græcè eſt, *utinam ſuſtineretis me paululum in inſipientia*, ſive *quoad inſipientiam*. Interpres videtur eamdem lectionem Græcè habuiſſe, quam duo Græci codices à Roberto ſignati; μικρον τι τῆς ἀφροσύνης. Nam quod Eraſmus (quem imprudenter in ea re ſecutus eſt Cajetanus) vertendum potiùs putavit, ſuſtinuiſſetis, ſeu toleraſſetis, quod in Græco ſit verbum præteriti imperfecti, non animadvertit hujuſmodi verbum apud Græcos aliquando vim habere præſentis optativi, ſicut & eo loco, Rom. 9. *Optabam anathema eſſe*. Certè in paraphraſi ſua à communi interpretum verſione & ſenſu non recedit. Optat enim, & petit Apoſtolus à Corinthiis, ut pauliſper ſuſtineant ipſius inſipientiam; quam intelligit in gloriatione, & commendatione ſui ipſius. Loquitur autem ad hunc modum, non quòd vera eſſet inſipientia ſic gloriari, quomodo ipſe gloriari intendit, ut propterea ſuſtinendus eſſet tamquam rem ſtultam faciens; ſed quia gloriari & laudare ſeipſum vulgo judicatur eſſe opus hominis inſipientis ac vani: eſtque revera tale, niſi juſta aliqua neceſſitas excuſet. Unde Sapiens præcipit Proverb. 27. *Laudet te alienus, & non os tuum*: ſed & ſi juſta ratio cogat aliquem ut ſeipſum laudet, ſicut hoc loco Paulum; non tamen evadet quin apud eos qui cauſam facti vel ignorant, vel non conſiderant, habeatur inſipiens, & propter hoc Apoſtolus in conſequentibus ubi laudes ſuas explicat, modò inſipientem, modò quaſi inſipientem ſe vocat.

Propria laus vel inſipientis eſt, vel habet inſipientiæ ſpeciē apud multos.

SED ET SUPPORTATE ME. Vel *ſuſtinete me*: eſt enim in Græco idem verbum cum ſuperiori: poteſt autem indicativè verti ſuſtinetis, atque in eum ſenſum exponūt Græcorum ſcholia: quaſi dicat Apoſtolus. Imò verò ſuſtinetis me, facitis quod opto, perſuaſum habeo vos ita me diligere, ut facilè me toleretis inſipienter loquentem. Noſtræ lectionis *ſenſus eſt*, quod opto ut meam inſipientiam toleretis, id etiam peto ut faciatis. Author Ambroſiani textus pro Græco verbo ambiguo Latinum æquè ambiguum repoſuit, hoc pacto, ſed & patimini me. Senſui noſtræ lectionis probè reſpondet ratio ſubjuncta, propter quam meritò facere debeant Corinthii quod Apoſtolus petit.

2. ÆMULOR ENIM VOS DEI ÆMULATIONE. Vim Græcorum vocabulorum Latina non exprimunt proinde textus Ambroſianus, retentis Græcis, ita legit; Zelatus enim ſum vos Dei zelo; hoc eſt, ut alii vertunt, zelotypus ſum erga vos Dei zelo: ſermo tranſlatus ab iis qui vel uxores ſuas, vel virgines ſuæ cuſtodiæ commiſſas, ſic amant ut non ferant alienum quemquam cum iis miſcere colloquium, aut ab iis amari; quem affectum Græci zelotypiam nominant. Quo ſenſu Deus in ſcripturis aliquando zelotes erga nos, dicitur; quod ſic amari & coli à

Deus zelotes quo ſenſu in ſcripturis dicatur.

nobis velit, ut non ferat in amore rivalem. Dicit autem Apoſtolus, *Dei zelo*, vel ut hunc zelum ſuum ſignificet non eſſe vitioſum, qualis eſt humana zelotypia, ſed ſecundùm Deum, & ad Deum; vel ut oſtendat, ſe non pro ſemetipſo zelotypum eſſe, ſed pro Deo ac Domino ſuo, id eſt, Chriſto ſponſo; cujus ipſe ſit paranymphus, qui' ſponſam acceperit cuſtodiendam, ut intactam eam ſponſo exhibeat. Itaque dicens, *Dei zelo*, tacitè Chriſtum innuit eſſe Deum: atque hîc ſenſus optimè convenit cum verbis ſequentibus, quibus officium paranymphi declarat, & ſponſum Chriſtum apertè commonſtrat.

DESPONDI ENIM VOS UNI VIRO VIRGINEM CASTAM EXHIBERE CHRISTO. Pro *deſpondi* Græcè eſt, *aptavi* quemadmodum & apud Auguſt. legitur *libro 2. de Geneſi contra Manich. lib. 15. contra Fauſt. cap. 13. Et libr. de bono vid. capit.* 10. Ambroſianus legit, *paravi*: nonnulli vertunt, *adjunxi*: ſenſus autem eſt; Ego quippe tamquam ſpiritualium nuptiarum pronubus, & paranymphus, aptavi ac deſpondi vos uni viro, ſcilicet Chriſto; ut vos illi exhibeam, tradam, aſſignem, virginem caſtam, & incorruptam. Significat Corinthiorum eccleſiam, quam alloquitur, licet ex multis collectam perſonis, unam eſſe ſponſam eamque virginem, uni viro Chriſto deſponſatam: eſtque eadem ratio de unaquaque eccleſia particulari; maximè verò de eccleſia univerſali, cujus eccleſiæ particulares ſunt membra, & ad quam propriè pertinent promiſſa dotalia: dicitur autem virgo, propter integritatem fidei charitate informatæ; quæ licet non ſit in ſingulis membris, eſt tamen & permanet in corpore eccleſiæ. Porrò deſponſationis hujus, de qua Paulus loquitur, tempus eſt præſens; fit enim ea per fidem & baptiſmum: tempus autem thalami nuptialis ſæculum eſt futurum in quo conjunctio erit indiſſolubilis Chriſti cum eccleſia & omnibus ejus membris. Verba ſequentia declarant neceſſitatem quæ Paulum urgebat ad tuendam ſuam adverſus Pſeudapoſtolos authoritatem, ut proinde ſupportare eum Corinthi debuerint laudes ſuas commemorantem.

Apoſtolus paranymphus.

3. TIMEO AUTEM NE SICUT SERPENS HEVAM SEDUXIT ASTUTIA SUA: pro, *ne*, Græcè, *ne quo modo*, quæ particula non eſt otioſa: reddit enim ſermonem Apoſtoli vehementiorem.

ITA CORRUMPANTUR SENSUS VESTRI, ET EXCIDANT A SIMPLICITATE QUÆ EST IN CHRISTO. Illud, *& excidant*, neque in Græcis exemplaribus habetur, neque apud Ambroſianum. Auguſt. quoque *libr. 15. contra Fauſt. cap. 3. & libro 22. capit. 4.* citans hunc Apoſtoli locum partem eam prætermiſit; ut veriſimile ſit ab interprete vel quopiam alio explicandæ ſententiæ cauſa additam eſſe. Quod verò apud eumdem Ambroſianum, necnon apud Auguſtinum duobus locis jam indicatis pro *ſimplicitate* legitur *caſtitate*; videri poteſt ex eo accidiſſe quod diverſus interpres diverſum vocabulum in Græco legerit, ἁγνότητος pro ἁπλότητος. *Senſus eſt.* Metuo, ne quo pacto ſicut diabolus ſerpens ille antiquus, per ſerpentem corporeum ſeduxit Hevam matrem noſtram, aſtutia ſeu verſutia ſua (nam dictio Græca πανουργια, verſutiam propriè ſignificat) ita per hos Pſeudapoſtolos corrumpantur ſenſus mentis veſtræ (Græcè νοήματα dixit Apoſtolus) ac dimoveantur à virginali *ſimplicitate qua eſt in Chriſto*; Græcè *in Chriſtum*: id eſt, à

simplici, pura & incorrupta fide quam habetis in Christum.

Metuendum fidelibus à fraude novorum magistrorum.

Meritò hoc metuebat Apostolus, quia Pseudapoli serpentis illius erant ministri; &, *ut infrà* dicit, operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi; iidemque per dulces sermones, & benedictiones (sicut dicitur *Rom. ultimo*) seducebant corda innocentium. Faciebant autem hoc, partim humanam introducendo sapientiam, partim legem Mosaicam miscendo cum evangelio Christi. Sed cur non dixit Apostolus, sicut serpens Adamum seduxit? Respondet ipse Apostolus 1. Tim. 2. Quia Adam non est seductus; mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Id verò quo sensu dictum sit ab Apostolo, videndum suo loco. Seductionis autem Hevæ per serpentem, nota est historia, *Gen.* 3.

4. NAM SI IS QUI VENIT, ALIUM CHRISTUM PRÆDICAT, QUEM NON PRÆDICAVIMUS. Removet hîc Apostolus excusationem qua dicere poterant Corinthii se non esse prohibendos à novis magistris audiendis, utpote qui præstantiora traderent quàm Paulus tradidisset. Verbum *venit* præsentis temporis est, Græcè participium ἐρχόμενο, veniens; neque significatur is qui sponte venit, non missus; licet id urgeant hoc loco plerique, nam Christus ipse qui missus est à Patre, sæpè ἐρχόμενος vocatur. Rursus, in Græco non est *Christum* sed *Jesum*.

AUT ALIUM SPIRITUM ACCIPITIS, QUEM NON ACCEPISTIS; Græcè, *aut spiritum alterum accipitis*. AUT ALIUD EVANGELIUM QUOD NON RECEPISTIS. Græcè, *aut evangelium alterum, quod non suscepistis*. Videtur autem hic repetendum ex primo membro, *prædicat*.

RECTE PATEREMINI. Vel sustineretis. Est enim idem verbum Græcum cum superiori, quod interpres tribus reddidit Latinis; sustinere, supportare, & pati: quod admoneo, ne quis inaniter laboret ut illa tria distinguat. Porrò locum hunc quidam sic exponunt; Nam si is qui post me supervenit & accedit ad vos tamquam novus magister salutis, Christum & evangelium ejus prædicat excellentiùs quàm à me prædicatum est; aut si ejus ministerio potiora Spiritus-sancti dona accipitis quàm per me accepistis; rectè magistrum ac prædicatorum hujusmodi sustineretis. Hic commentarius alium Christum, & aliud evangelium, intelligit non diversum, sed aliter, & quidem melius atque excellentius annunciatum; itemque alium spiritum, propter excellentiora dona: sic autem facilè ostenditur huic loco non esse contrarium illud Apostoli Galat. 1. *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.*

Nullo fructu audiri novos magistros.

Verùm quoniam hæc expositio coactior est: magis placet ut (quod ex Photio annotavit Oecumenius) intelligatur Apostolus uti deductione ad absurdum & impossibile, quod Corinthii nullo modo concesserint; nec ipsi Pseudapostoli dicebant se alium Christum prædicare. Nam si (inquit) novus magister superveniens alium Jesum prædicat à nobis non prædicatum, qui verè alius sit, idemque excellentior eo quem nos prædicavimus; aut si illo prædicante alium spiritum accipitis, eumque præstantiora dona in vos effundentem, quem me prædicante non accepistis; denique si idem ille magister aliud evangelium idemque præstabilius, id est, meliora promissa complectens, quod me prædicante non suscepistis, vobis annunciat: rectè sustineretis talem magistrum, ejusque ferretis imperium & authoritatem. Jure enim sustinetur & in precio habetur, qui tradit meliora: Sed quia nullo modo in animum inducitis alium agnoscere Jesum-Christum, alium spiritum, aliud evangelium quàm à nobis prædicatum, sicut revera non est aliud, *Gal.* 1. idcircò non potestis ad excusationem vestri, quicquam tale prætendere.

Jam verò patet ex hac expositione Apostolum nihil dicere contrarium anathemati de quo *Gal.* 1. quin potiùs hoc ipsum quod *ad Gal.* 5. anathemate damnat, hoc loco tamquam rem absurdissimam adfert; ad subvertendam Pseudapostolorum authoritatem. Vide S. Thomam locum hunc *in comment.* benè explicantem.

5. EXISTIMO ENIM NIHIL ME MINUS FECISSE A MAGNIS APOSTOLIS. Græca sic ferè sonant, Arbitror enim nihil me minus fuisse iis qui supra modum Apostoli sunt: & ad eum modum vertit interpres capite sequenti, *Nihil enim minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli*, ex quo loco conjectura sumi potest scripsisse Interpretem hoc loco, *fuisse*, non, *fecisse*. Textus Ambrosianus sic habet, *Existimo enim me in nullo inferiorem fuisse iis qui valde sunt Apostoli.* Valde, seu supra modum Apostolos, vocat eos qui inter Apostolos eximii erant & summi: quales Petrus, Jacobus, & Joannes. Nam hos nominatim exprimit *Gal.* 2. & columnas vocat.

Sensus.

Porrò quod Apostolus hac parte dicere vult, tale est. Dicent fortè adversarii se missos à præcipuis Apostolis, & doctrinam ab illis acceptam eamque nostra meliorem vobis tradere. Quibus respondeo me nulla re, quod ad doctrinam attinet, inferiorem esse magnis illis Apostolis. Nam communicato cum illis Evangelio, quemadmodum ad *Gal.* 2. scribitur, nihil mihi contulerunt: itaque nihil excellentius habet illorum doctrina quam mea, sed eadem prorsus est. Quare nec isti magistri, si verè magnorum Apostolorum discipuli sunt, & ab eis missi (quod tamen eis non est credendum:) quicquam adferre possunt excellentius iis quæ a me didicistis. Quod nonnulli putant ipsos Pseudapostolos hoc loco per ironiam à Paulo vocari magnos Apostolos, tamquam sensus sit, Nihilo sum inferior illis, qui seipsos venditant, magnis Apostolis; haud consonat cum locis jam *citatis cap. seq. hujus epist. & ad Gal.* 2.

6. NAM ETSI IMPERITUS SERMONE, SED NON SCIENTIA. Græcè, *Sed etsi imperitus sermone. Imperitus*, Græcè, ἰδιώτης, indoctus. Hæc sententia quemadmodum benè annotat Ambrosianus, non est referenda ad superiorem quasi Paulo fuerit objectum aut objici potuerit quod saltem eloquentia & sermonis peritia minor esset magnis Apostolis, atque ad hoc respondeat, etsi imperitus sum sermone, sed non scientia. Neque enim magni Apostoli quos ex *epist. ad Gal.* supra nominavimus, Paulum hac parte superaverunt: cùm Petrus & Joannes, *Actor.* 4. vocentur homines idiotæ & sine literis; de quibus & Hieronymus testatur *in epist. ad Paulinum cap.* 4. quod uterque illorum dicere poterat, Etsi imperitus sermone, non tamen scientia: cum denique omnium illorum trium extent epistolæ, non admodum quod ad sermonis compositionem attinet, Paulinis anteponendæ. Sed nova est objectio adversariorum, Paulo detrahentium eloquentiam, quam sibiipsis attribuebant.

Quæstio de eloquentia S. Pauli. An verè fuerit imperitus sermone.

Ubi quæritur, vere-ne Paulus sermone fuerit imperitus? fuerunt enim qui dicerent Paulum hoc humiliter, non verè de seipso scripsisse: quos refellit Hieron. *in com. epist. ad Titum c.* 1. ac rursus *in epist.* 151. *ad Algas. quæst.* 10. ita scribens, Illud, quod sæpè diximus, *Etsi imperitus sermone, non tamen scientia*; nequaquam Paulum de humilitate, sed de confcientiæ veritate dixisse, etiam nunc approbamus: profundos enim & reconditos sensus lingua non explicat; & cùm ipse sentiat quod loquitur, in alienas aures puro non potest transferre sermone: quem cùm in vernacula lingua habeat disertissimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes Gamalielis viri in lege doctissimi; seipsum interpretari

Sententia Hieronymi

cupiens involvitur. Idem cùm alibi *in commentariis*, tum exponens 3. *caput epiſt. ad Epheſios*, vitia ſermonis in Apoſtolo notat: veluti ſolœciſmos, hyperbata, inabſoluta; & alia hujuſmodi. Quotieſcumque verò (inquit) tale quid annotamus, non Apoſtolum pulſamus, ut malevoli criminantur, ſed magis Apoſtoli aſſertores ſumus, qui abſque rhetorici nitore ſermonis & verborum compoſitione & eloquii venuſtate, numquam ad fidem Chriſti totum mundum traducere valuiſſet, niſi evangelizaſſet eum non in ſapientia verbi, ſed in virtute Dei. Hæc Hieronymus, ſubjungens ad eam rem ipſius Apoſtoli teſtimonium, 1. Corinth. 2. *Non veni in ſublimitate ſermonis.* Et iterùm, *Sermo meus non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis.*

Sententia Auguſtini.

At verò Aug. *lib. 4. de doct. Chriſt. cap. 7.* ſermonis imperitiam prorſus à Paulo removet, eloquentiſſimum eum fuiſſe affirmans, idque adeò ex ipſius epiſtolis demonſtrari & conſtare cenſet. Neque tamen exiſtimat illud Paulum humiliter ac non verè ſcripſiſſe de ſeipſo. *Etſi imperitus ſermone.* Nota eſt enim Auguſtini doctrina, humilitatem in parte mendacii non conſiſtere; nec ulla ratione fatendum, in ſacris literis aliquid falſi contineri: ſed aliter quàm Hieronymus verba Apoſtoli intellexit; quaſi concedendo obtrectatoribus, ſic locutus fuerit; non tamquam id verum agnoſceret confitendo. Non diſſentit ab Auguſtino Chryſoſt. qui Paulum ediſſerens frequentiſſimus eſt in explicando verborum & ſententiarum ejus artificio.

Quin ipſe Hieron. *in epiſtol. ad Pammachium* 50. artificioſum Pauli ſermonem in epiſtolis ejus, maximè ad Rom. ad Gal. ad Eph. admiratur, & *ad eumdem epiſt. 61.* Paulum, inter alia quæ ei tribuit encomia, vocat flumen eloquentiæ Chriſtianæ. Nec verò putamus Hieronymum dum hæc ſcribit à ſeipſo diſſentire: verum eſt enim utrumque quod ſcribit. Etenim Paulum eloquentem, & ut *Hier.* ait, diſertiſſimum fuiſſe, res ipſa teſtatur: adeò reſperſæ ſunt ejus epiſtolæ penè omni genere troporum ac ſchematum quæ à rhetoribus tradi ſolent; uti benè probat Auguſtinus *lib. 4. de doct. Chriſt. cap. 6. & 7.* & ſi res pateretur, copioſiùs à nobis poſſet oſtendi. Nec ſanè Paulum Lyſtrii Mercurium vocaſſent, quod dux eſſet verbi; quemadmodum refertur *Actorum* 14. ſi facundia (cujus Principem Poëtæ Mercurium fingebant) illi defuiſſet. Erat autem Pauli facundia non ex ſcholis Rhetorum petita, ſed quæ linguam viri divino ſpiritu pleni, magnoque affectu de magnis rebus loquentis, ſponte ſequeretur. Unde Auguſtinus loco memorato, Sicut, inquit, Apoſtolum præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe non dicimus: ita quod ejus ſapientiam ſecuta ſit eloquentia, non negamus. Sic ille.

Cæterùm linguæ Græcæ nitorem, eloquentiam, facilitatem, qualis in ſcriptis Græcorum oratorum ac philoſophorum conſpicitur; Item ſermonis perſpicuitatem, Paulo non adfuiſſe, ingenuè fatendum. Res enim clarior eſt ex ipſius epiſtolis, quàm ut opus ſit probari, aut ut negari poſſit. Atque hac parte verè ſenſit Hieronymus, & cum eo plerique interpretes, Paulum ſermone fuiſſe imperitum. Hoc igitur eſt quod dicit, Etſi, quod ad ſermonem attinet quo vobiſcum loquor aut ſcribo, ſim imperitus ac velut idiota: non tamen quoad ſcientiam earum rerum quas docere me profiteor, ſcilicet divinarum, & ad veſtram ſalutem ſpectantium. Nam utique ſine hujuſmodi ſcientia, verus Chriſti Apoſtolus ac doctor Gentium eſſe non poſſem. Porrò Cajetanus urget illud, *idiota*, id eſt plebeius; & putat Paulum loqui de quotidiano ſermone ſuo, non de epiſtolis: ſed falli eum puto.

IN OMNIBUS AUTEM MANIFESTATI SUMUS VOBIS. Græcè, *ſed per omnia manifeſtati in omnibus ad vos*, id eſt, nihil apud vos diſſimulanter egi, totus & per omnia vobis manifeſtatus ſum: utrumque quod dixi, noſtis per experientiam; & imperitum me eſſe ſermone, non imperitum ſcientia. Græci annotant ex obliquo taxari Pſeudapoſtolos, qui per hypocriſim ſua vitia tegebant, volentes videri quod non erant.

Demiſſio & modeſtia Pauli.

7. AUT NUMQUID PECCATUM FECI, MEIPSUM HUMILIANS, UT VOS EXALTEMINI? Reſpondet de humilitate ſuæ præſentiæ: *ſenſus eſt*, An peccavi in eo quod meipſum apud vos humiliavi, gerens me tamquam nullius eſſem authoritatis; ut vos exaltaremini apud Deum? quaſi dicat, Humilitas illa & præſentia corporis infirma, quam mihi pro vitio objiciunt æmuli, veſtra fuit exaltatio, *factus ſum enim infirmis infirmus, ut infirmos ſalvos facerem.* 1. Cor, 9. Proinde nihil ibi à me peccatum eſt, nihil quod offendere quemquam debeat; minus autem dicit, plus volens intelligi; videlicet hoc factum ſuum dignum eſſe commendatione & laude.

Gratis fieri dicitur aliquid bifariam.

QUONIAM GRATIS EVANGELIUM DEI EVANGELIZAVI VOBIS? Ad humilitatem Pauli converſantis apud Corinthios pertinebat quod ex evangelio nihil acciperet ſtipendii, ſed propriis ſe manibus tranſigeret. Ideo ſub eadem interrogatione hoc addit, An peccavi quòd gratis & ſine ſumptu vobis evangelium prædicavi? tametſi quidam abſque interrogatione legunt, ut verba ſint commemorantis merita ſua erga Corinthios; quaſi dicat. Uſque adeò non peccavi in vos, ut & ſingulari beneficio vos affecerim, gratis evangelium prædicans, quod apud alios non feci.

Quæres, Quid ergo eſt, quod omnibus Apoſtolis & evangelii miniſtris præcipitur à Domino, *Gratis accepiſtis, gratis date?* Matth. 10. *Reſpondeo*, bifariam intelligi poſſe quod dicitur gratis; nam *uno modo*, gratis dat aut laborat, qui non vendit, id eſt, pretium nullum accepit pro re data aut labore impenſo, licet interim ſuſtentationem vitæ requirat. Hoc modo præcipit gratis conferri curationes, evangelium prædicari, dari Spiritum ſanctum; quia noluit ad quæſtum exponi: non prohibens tamen quo minus qui hæc præbet, vitæ neceſſaria recipiat aut etiam requirat; nam ut ibidem ſubjicit, *Dignus eſt operarius cibo ſuo.* Cæterùm *alio* & perfectiori *modo*, gratis facit, qui nec ſuſtentationem aut ſumptum accipit: atque hoc eſt de quo peculiariter apud Corinthios gloriatur Apoſtolus, gratis ſe evangelium iis prædicaſſe, de hoc enim apud Macedones gloriari non poterat. Unde ſequitur.

Senſus.

8. ALIAS ECCLESIAS EXPOLIAVI ACCIPIENS STIPENDIUM, AD MINISTERIUM VESTRUM. Metaphoris utitur à militia ſumptis: ſunt enim militaria vocabula, ſpoliare, & ſtipendium: nulla verò ſignificatio eſt injuriæ in eo quod dicit, *expoliavi*, aut ſimpliciter, ut in Græco, *ſpoliavi*, ſive *deprædatus ſum*; ſed ut annotat Theophyl. aſperiorem orationem facere voluit, quò magis urgeret & culpabiles oſtenderet Corinthios. *Senſus* autem eſt; Ab aliis eccleſiis, quamvis eſſent vobis pauperiores ut proinde ſpoliari ac denundari viderentur, accepi ſtipendium ac ſumptum neceſſarium, ut vobis evangelium miniſtrarem: deſignat autem præcipuè eccleſias Macedoniæ.

Sed cur Apoſtolus non potiùs commemorat quod alibi dicit, & à Luca refertur *Actor. 18.* ſcilicet Corinthi agentem labore manuum victum comparaſſe? Bene reſpondet Cajetanus, Pſeudapoſtolos in Paulo criminatos fuiſſe quod manibus operaretur, tamquam non habens poteſtatem more aliorum Apoſtolorum accipiendi ſtipendia ſui miniſterii: propter hoc enim dixit in priori epiſtola cap. 9. *Numquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi?*

quare ut hujusmodi potestatem monstraret se habere, dicit se ab aliis ecclesiis accepisse stipendia, non solùm pro ministerio illarum, sed etiam (quod majoris fuit authoritatis) ad ministrandum Corinthiis, simul autem aliarum ecclesiarum exemplo Corinthios divites, sed avaros, provocare voluit ad æmulationem: ne quia Paulus non accipiebat, putarent se non debere nec ipsi nec aliis evangelii ministris.

9. ET CUM ESSEM APUD VOS, ET EGEREM, NULLI ONEROSUS FUI. *Nulli*, scilicet vestrûm; etsi vobis evangelium prædicarem: negat autem onerosum se fuisse, id est, quicquam accepisse ab eis: non quod revera onus sit alere suum Apostolum, sed vel ad significandum jus ac debitum; quasi dicat, Hoc jus meum à nullo vestrûm exegi; vel quia carnales homines judicant esse onus. Annotant hîc Theophylact. & Oecumen. id quod in Græco est, etiam sic intelligi posse, quamvis egerem cùm apud vos essem, non tamen obtorpui aut elangui (tale quid enim propriè verbum Græcum significat:) id est, non idcircò segnior ad prædicationem fui. Verùm prior intellectus contextui magis quadrat: & quidem illa priori significatione repetit idem verbum Apostolus *cap. sequenti*, semel & iterùm; ut dubium non sit quin & hîc eodem modo accipiatur. Vide de eo vocabulo Hieronymum in epistola ad Algasiam.

NAM QUOD MIHI DEERAT, SUPPLEVERUNT FRATRES QUI VENERUNT A MACEDONIA. Rectiùs, *qui venerant*: quomodo est in codice Laudensi. Ne hîc quidem Apostolus meminit laboris manuum, sed solùm ab aliis sibi, quod deerat, suppletum esse refert, idque ob causam paulò antè dictam; subindicat tamen se de suo aliquid impendisse, per hoc quod alios non dedisse sed suppleviisse dicit: nam supplere non dicitur qui totum suppeditat, sed qui partem. Porrò *fratres Macedones*, non alios hîc intelligere debemus quàm Philippenses, ad quos ita scribit capite 4. *Scitis autem & vos Philippenses quod in principio evangelii, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi ecclesia communicavit in ratione dati & accepti, nisi vos soli*, qua de re pleniùs in ejus loci commentario.

ET IN OMNIBUS SINE ONERE ME VOBIS SERVAVI, ET SERVABO. *sine onere*, Græcè, nomen est compositum ἀβαρῆ, quasi inonerosum, minimè gravem. Non solùm (inquit) ante hac vobis onerosus non fui ulla in re, sed nec in posterum oneri sum futurus, paratus iterum vobis idem ministerium salutis exhibere quod hactenus. Id enim est quod dicit, *me vobis servavi & servabo*: addit autem de futuro tempore, ne commemorando præteritam abstinentiam, videatur admonere Corinthios quid in posterum erga se facere debeant.

10. EST VERITAS CHRISTI IN ME. Juramento confirmat quod dixit, *& servabo*: sensus est. Veritatem dico teste Christo; &, ut exponit Ambrosianus sub testimonio Christi, sic enim Rom. 9. *Veritatem dico in Christo; non mentior.*

QUONIAM HÆC GLORIATIO NON INFRINGETUR IN ME, IN REGIONIBUS ACHAIÆ. Id est, Quod hæc mea gloriatio evangelii gratis prædicati, non infringetur in me, sive (ut magis propriè reddatur ex Græco) non obstruetur aut interrumpetur adversum me, in regionibus Achaiæ. Hoc est, Non patiar hujus gloriæ cursum mihi intercidi; sed volo eam habere perpetuam apud vos & per totam Achaiam.

11. QUARE? QUIA NON DILIGO VOS? Excludit falsam rationem quam suspicari poterant Corinthii cur ab ipsis nihil vellet accipere: nam quos non diligimus eorum dona recusare solemus.

DEUS SCIT. Hîc quoque juramentum agnoscunt Ambrosianus & Theodoretus, quasi dicat. Testis est Deus, qui novit illam non esse causam, vel, qui novit quòd impensè vos diligam. Porrò falsa ratione remota, veram nunc subjicit.

12. QUOD AUTEM FACIO, ET FACIAM: id est, sed quod hactenus facio, gratis per Achaiam prædicans evangelium; idem & facturus sum deinceps:

UT AMPUTEM OCCASIONEM EORUM QUI VOLUNT OCCASIONEM; quam dicat occasionem ex sequentibus intelligendum.

Quare apud Achivos evangelium annunciarit Paulus nullo ipsorum onere.

UT IN QUO GLORIANTUR, INVENIANTUR SICUT ET NOS. Plerique tam Græci quàm Latini locum hunc sic intelligunt, Persistam in prædicando gratis evangelio, ut istis æmulis meis præcidam occasionem quam quærunt, gloriandi adversum me; nempe quòd evangelium gratis prædicent: ut (inquam) in ea re inveniantur nobis pares, nec habeant quod præ nobis glorientur: hic sensus satis obvius est. Addunt Græci, Pseudapostolos fuisse divites, eoque faciliùs potuisse ab accipiendo sumptu abstinere, quàm Paulum, quem inopia præmebat; neque tamen illos omninò abstinuisse, sed palàm recusasse munera, clanculùm verò accepisse.

Verùm adversus hanc expositionem facit quod Pseudapostoli passim jactabant se discipulos primorum Apostolorum, de quibus 1. *Corinth.* 9. testatur Paulus quòd usi fuerint potestate vivendi ex evangelio: quo nimirum exemplo isti quoque similem potestatem sibi vendicabant, etiam apud Corinthios. Id enim est quod eodem capite dicit, *Si alii potestatis vestræ participes sunt: quare non potiùs nos?* hoc ipsum manifestè significant quæ sequuntur hoc capite, *Sustinetis si quis vos devorat, si quis accipit.*

Igitur Cajetanus diversum sensum adferens, textum Apostoli ordinat & exponit hoc modo: *Ut amputem occasionem* Pseudapostolorum, *quærentium occasionem*: quam verò occasionem? *ut inveniantur sicut & nos*: in quo (scilicet in eo quod est, inveniri sicut & nos) gloriantur. Cupiebant enim illi Paulum accipere sumptus, quoniam & ipsi accipiebant: ut jactare possent Paulum aliis partibus, ut eloquentia & sapientia humana, se inferiorem; ne hac quidem parte præcellere, sed parem ipsis inveniri: at Paulus illis occasionem gloriandi subtrahere volens, noluit accipere sumptus; ut vel in hoc cogerentur agnoscere se ab illo superari. Hic sensus est apud Augustinum *lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 16.* Indicatur à Gagnæo; & elici potest ex commentariis Ambrosiani & Aquinatis: convenit autem procul dubio magis cum moribus Pseudapostolorum quales ab Apostolo depinguntur, quàm prior expositio. Ut autem hic sensus legenti magis appareat; illa pars (*in quo gloriantur*) parenthesi claudenda erit.

13. NAM EJUSMODI PSEUDAPOSTOLI SUNT OPERARII SUBDOLI. Hîc jam propriis epithetis insectari incipit novos magistros. Verbum (*sunt*) additum est ab interprete aut à scribis: nam sunt boni veteres codices qui non habent, in quibus Laudensis. Dupliciter autem construi potest sententia: vel ut sit una enunciatio, *pseudapostoli sunt operarii subdoli*: vel potiùs, distinguendo; *Nam ejusmodi* doctores *sunt Pseudapostoli*; iidemque *sunt operarii subdoli* seu *dolosi*. Pseudapostoli quidem, id est, falso titulo Apostoli; tum quia verè non erant missi nec à Christo, nec ab ejus Apostolis ad prædicandum, sed ingerebant seipsos, mentientes se missos esse; juxta id quod ipsimet Apostoli scribunt in epistola ad Gentiles Actor. 15. *Quidam ex nobis exeuntes, quibus non mandavimus, turbaverunt vos verbis*: tum quia sub umbra nominis & doctrinæ Christianæ, legalia tradebant; ut ex eodem *loco Actor.* patet; ac, ut ait Theophyl. impias quasdam traditiones occultè servabant: utraque autem in re, hæreticorum duces & Patriarchæ. Nam hæreticis commune est, hoc maximè

Novi magistri cur Pseudapostoli.

sæculo, sine legitima vocatione prædicandi munus arripere, & sub Christi nomine sua dogmata venditare. Cæterùm *operarii dolosi*; vel quatenus operari quidem videbantur in vinea Domini, revera autem vineam dissipabant; ut Græci exponunt: vel potiùs quia non quærebant utilitatem Domini cujus se jactabant operarios, sed prætextu Evangelii privatum agebant negocium: *Hujusmodi enim* (ait ad Rom. ult.) *Christo Domino non serviunt, sed suo ventri.* Eosdem *Philip.* 3. malos operarios vocat: *suprà* verò *cap.* 4. testatus est eos adulterare, & (ut in Græco est) dolo tractare verbum Dei.

Cur operarii subdoli hîdē dicti.

TRANSFIGURANTES SE IN APOSTOLOS CHRISTI. Græcè, *transfigurati in Apostolos Christi*, scilicet à seipsis, id est, assumentes personam Apostolorum Christi, dicentes se esse Christi Apostolos; sed falsò, ut jam explicatum est.

14. ET NON MIRUM: quòd audeant se transfigurare in Apostolos Christi: IPSE ENIM SATANAS TRANSFIGURAT SE IN ANGELUM LUCIS. Græcè, *transfiguratur in Angelum lucis.* Amplificatio est à comparatione. Nam, inquit, ipse Satanas eorum magister, assumere solet personam boni angeli; sæpissimè quidem invisibiliter, suggerendo quædam in se vel in speciem bona, ex quibus hominem perducit ad ruinam; interdum verò visibiliter apparens & ostendens se tamquam angelum Dei: nam & hoc pacto multos delusit diabolus, aut in assumpto corpore videndum sese exhibens, aut imaginaria visione eos ludificans. Non dicit autem, quod dicendum videbatur, Satanam se transfigurare in Christum; quemadmodum in quorumdam sanctorum gestis legitur; quia quo tempore Paulus hæc scribebat nondum tale quid facere permissus fuerat. Angeli boni vocantur angeli lucis, id est, veritatis & justitiæ, quam hominibus à Deo ministrant; sicut contrà, angeli mali sunt angeli tenebrarum, quoniam errores & peccata suggerunt hominibus.

Quibus modis Satanas transfiguretur in angelum lucis.

15. NON EST ERGO MAGNUM: Id est, mirandum tamquam res magna, SI MINISTRI EJUS. Græcè, si & ministri ejus, Ambrosiano consentiente, TRANSFIGURENTUR VELUT MINISTRI JUSTITIÆ. Id est, figuram ac personam assumant ministrorum justitiæ, quo nomine vocat Apostolos Christi, propterea quod ministerium justitiæ, de quo *suprà c.* 3. id est, ministerium novæ legis per quam justitia confertur, eis concreditum fuerit. Est autem argumentum Apostoli à minori: minus enim credibile est Satanam transformari posse in angelum lucis, cum sit major distantia, quàm ministros illius in ministros justitiæ. Interim observa pseudapostolos apertè hic ab Apostolo vocari Satanæ ministros.

QUORUM FINIS ERIT SECUNDUM OPERA IPSORUM. Quasi dicat, Etsi fallant homines; Deum fallere non poterunt, à quo tandem recipient mercedem operibus debitam, hoc est, interitum & mortem æternam; juxta illud ad Philippens. 3. *Quorum finis interitus.* & Roman. 6. *Stipendia peccati mors.*

16. ITERUM DICO. Resumit intermissam sui ipsius commendationem: quæ verò sequuntur parenthesi legenda, (NE QUIS ME PUTET INSIPIENTEM ESSE. scilicet ob id quia meipsum prædico: nam justa causa est cur id faciam. Est autem hic sermo prohibentis, non verò reddentis causam.

ALIOQUIN, VELUT INSIPIENTEM ACCIPITE ME. Pleniùs & clariùs ex Græco, *Sin aliter: saltem ut insipientem suscipite me*, id est, Sin minus persuadeo me non insipienter agere: at interim tolerate me tamquam insipientem, hoc est quod initio capitis dixit, *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ; sed & supportate me.*

UT ET EGO MODICUM QUID GLORIER.) id est, ut cùm illos æmulos nostros toleretis tam multa de se jactantes; mihi quoque concedatis vel paulùm de meipso gloriari: huc usque parenthesis. Omninò autem legendus est de hoc loco, B. August. *de doct. Christ. lib.* 4. *cap.* 7.

QUOD LOQUOR, NON LOQUOR SECUNDUM DEUM. Græcè & Syriacè, *Quod dico, non dico secundùm Dominum*: sed & Latina quædam missalia, *Dominum* legunt.

SED QUASI IN INSIPIENTIA, IN HAC SUBSTANTIA GLORIÆ. pro (*gloriationis*) ut in Græco est & apud Ambrosianum. Et hoc postremum, *in hac*, &c. videtur referendum ad illud superius, *quod dico*; ut hic sit totius orationis sensus; Iterùm dico, id est, dicere aggredior, quæ ad laudem meam spectant; tametsi quæ dicam, quantum attinet ad hoc negotium seu materiam gloriationis, non dicturus sim quasi secundùm Deum, hoc est, convenienter legi divinæ; Cùm Deus neque præcipiat, neque consulat homini laudare seipsum, sed alicubi prohibeat, sicut prohibet jurare: vel, quasi secundùm Dominum Christum, cujus ministros decet omnis humilitas & modestia, quique *non sibi ipsi placuit*, Roman. 15. sed quasi per insipientiam. Supplemus sententiam, dicendo, quasi secundùm Deum; sic enim Apostolus altera parte seipsum exponit, dum modò sibi tribuit insipientiam, modò quasi insipientiam: alioqui, sicut in capite sequenti absolutè negat se insipienter agere, cùm dicit, *etsi voluero gloriari non ero insipiens*: ita quoque absolutè negandum est Apostolum hîc aliquid dicere non secundùm Deum.

Cur autem quasi insipienter, & quasi non secundùm Deum loqui se dicat; rationem suprà dedimus, quia nimirum laudes suas prædicare, quod hîc facit Apostolus quantumvis justa necessitate coactus qua id faciat, similitudinem quamdam habet cum eo quod stulti facere solent, quos gloria vexat inanis; ut est in versiculo Catonis. Hinc ait cap. sequenti, *Factus sum insipiens, vos me coegistis.*

Porrò cum iste sit hujus loci sensus, non potest ex eo quod dicit Apostolus, *non loquor secundùm Deum*, colligi, quædam in sacris literis humano tantùm ac privato spiritu, non ex inspiratione divina, scripta esse.

Alii, *secundùm Deum*, interpretantur secundùm res divinas & spirituales; tamquam Apostolus sentiat se non secundùm hujusmodi gloriaturum, sed secundùm res carnales, uti sunt genus, & circumcisio, de quibus pseudapostoli gloriabantur. At certè non de his tantùm, sed & de iis quæ veram laudem merentur, in consequentibus gloriatur Apostolus; ut quod minister sit Christi, quodque pro Christo multum passus fuerit: quæ profecto non sunt dicenda carnalia.

18. QUONIAM MULTI GLORIANTUR SECUNDUM CARNEM: ET EGO GLORIABOR. Cajetanus *secundum carnem*, exponit secundum carnalem affectum, quo quidem modo gloriari vitiosum est & reprehensibile: Unde dicit Apostolum non addidisse, & ego gloriabor secundum carnem: sed tantùm dixisse, *& ego gloriabor*; quia licet pseudapostoli glorientur secundùm carnem, non tamen Apostolus. Verùm intelligentia hujus partis petenda est ex simili loco ad Phil. 3. ubi dicit, *quamquam & ego habeam confidentiam in carne: si quis alius videtur confidere in carne; ego magis: circumcisus octavo die; ex genere Israël; de tribus Benjamin.*

Rectiùs igitur S. Thomas & alii locum istum sic exponunt: Quandoquidem multi (pseudapostolos intelligit, qui Judæi erant) gloriantur secundum res carnales, & externas, puta de generis nobilitate, de lege, ac circumcisione: ego quoque gloriabor, non de illis modò, verùm etiam de aliis quæ verè laudabilem me reddunt; gloriabor, inquam, non ut

llos malè gloriantes imiter, ſed ut eorum jactantiam reprimam, & meam apud vos authoritatem defendam; idque juxta præceptum Sapientis Proverb. 26. *Reſponde ſtulto ſecundùm ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.*

19. LIBENTER ENIM SUFFERTIS INSIPIENTES, CUM SITIS IPSI SAPIENTES. Ironia quædam eſt in eo quod dicit, *cum ſitis ſapientes*, ſive prudentes: utroque enim modo verti poteſt Græcum φρόνιμοι; nam ſi verè tales fuiſſent Corinthii, non aurem præbuiſſent novis magiſtris, ipſos avertere conantibus ab Apoſtolo ſuo. Certè prudentiam in iis deſiderat Apoſtolus ſuperiùs, ubi dixit *Timeo ne ſicut ſerpens Hevam ſeduxit aſtutiâ ſuâ*, &c. Senſus eſt, Spero me gloriando vos non offenſurum: quia non gravatè fertis alienam ſtultitiam, tamquam ipſi ſapientes. Eſt quidem illud verè ſapientis inſipientes ſuſtinere, modò fiat quemadmodum recta ratio poſtulat. Corinthii verò contrà ſui magiſtri honorem, & cum ſuo periculo pſeudapoſtolos tolerabant, non ſolùm ineptè & falsò gloriantes, ſed & graviora committentes in Corinth. cujuſmodi ſequuntur.

20. SUSTINETIS ENIM SI QUIS VOS IN SERVITUTEM REDIGIT, *ſuffertis*, *ſuſtinetis*; idem Græcè ἀνέχεσθε. Cajetanus poſt Aquinatem, hoc exponit de ſervitute legis Moſaicæ, ad quam Corinthios pertrahere pſeudapoſtoli nitebantur. Probabilius eſt, quod alii interpretes volunt, ſignificari imperioſam pſeudapoſtolorum in Corinthios fideles dominationem, qua eos propemodum ut ſervos premebant; nam ad ejuſmodi ſubjectionem pertinent, quæ ſequuntur.

SI QUIS DEVORAT, ſubaudi, vos; ex membro præcedenti, hyperbolicè ſignificat inexplebilem pſeudapoſtolorum aviditatem quantum ad ſumptus vitæ, quos identidem exigebant. In tales etiam illud dicit Rom. 16. *Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ſuo ventri*; & ad Philip. 3. *quorum Deus venter eſt*; item ad Tit. 1. *Ventres pigri.*

SI QUIS ACCIPIT, ſcilicet à vobis: quod videtur referendum ad res à ſumptu vitæ diverſas, quas arte extorquebant ſpecie munuſculorum.

SI QUIS EXTOLLITUR, id eſt, extollit ſe ſupra vos, poteſtatem ſibi vendicat in vos. Hæc omnia faciebant pſeudapoſtoli tamquam Apoſtolico jure, quod ſibi falſo titulo arrogabant; de quo jure multa in 1. *Cor.* 9. & tamen ejuſmodi juris limites multùm etiam excedebant. Quamquam hoc poſtremum *ſi quis extollitur*, meliùs (ni fallor) intelligi poteſt hoc ſenſu, quod ſe extollerent ſupra Corinthios, dicendo ſe eſſe populum Dei; illos, ex Gentibus peccatores; juxta id quod ſequitur.

SI QUIS IN FACIEM VOS CÆDIT, ſermonis improprietatem exponit per id quod ſequitur.

21. SECUNDUM IGNOBILITATEM DICO; Græcè, *ſecundum ignominiam dico*; ſenſus eſt: Quod dico, *ſi quis in faciem vos cædit*, id quod ad ignominiam attinet; dico non quod facies veſtras percuſſerint; ſed de contumeliis intelligi volo quibus illi vos afficiunt, in faciem exprobrantes quod fueritis idololatræ, peccatores, immundi; quod orti ex ignobili genere, quod ſitis præputium; de ſeipſis verò omnia contraria prædicantes, quòd ſint populus à Deo electus, gens ſancta, filii Patriarcharum, circumciſi, &c.

QUASI NOS INFIRMI FUERIMUS IN HAC PARTE. Græci & Syri codices non addunt, *in hac parte*, Aug. quoque *lib.* 4. *de doct. Chriſti cap.* 7. ubi totum hunc Apoſtoli locum percenſet, ita legit; *quaſi nos infirmati ſumus*: nec addit, in hac parte. Suſpicor explicandi gratia textui inſertum eſſe à quopiam. In Græco ſic eſt ad verbum; *quaſi nos quia infirmati ſumus.* Senſus eſt, Hæc quæ dixi, ita ab illis fiunt ut me qui veſter ſum Apoſtolus præ ſe contemnant tamquam Senſus.

inferiorem, impotentiorem, qui non habeam quemadmodum ipſi de quibus gloriari queam, ut ſimili ratione mihi authoritatem apud vos comparem. Quod quàm ſit falſum, oſtendit ſermone conſequenti. *Infirmari*, pro eo quod eſt inferiorem eſſe, & ab alio ſuperari; Hebraiſmus eſt, in ſacris literis frequens, uti 1. Reg. 2. *Quæ multos habebat filios, infirmata eſt.* Pſal. 57. *Intendit arcum ſuum donec infirmentur.* Nec diſſimili locutione Paulus Roman. 4. de Abraham, *& non infirmatus eſt fide*, & cap. 8. de lege, *in quo infirmabatur per carnem.*

IN QUO QUIS AUDET, (IN INSIPIENTIA DICO) AUDEO ET EGO. Græcè, *In quocumque vero quis audet*; id eſt, in quacumque re quiſpiam illorum audet gloriari; *audeo & ego*, utpote nulla re illis inferior, quamquam hoc iterùm quaſi per inſipientiam dico; quia gloriari ſtultorum eſt: ob quam etiam rationem utitur vocabulo audendi, quia nec facilè nec ſine neceſſitate eò veniendum, ut quis ſeipſum laudet. Quamquam audere pro arrogare poſitum intelligi poteſt ſicut alibi interdum, ut Roman. 15. *Non enim audeo aliquid loqui eorum*: ita ſenſus eſt, Quæcumque illi ſibi arrogant tamquam glorioſa, ego quoque mihi arrogabo.

22. HEBRÆI SUNT; ET EGO. ISRAELITÆ SUNT; ET EGO. SEMEN ABRAHÆ SUNT; ET EGO. Nonnulli codices tam Græci quàm Latini legunt interrogativè omnia hæc, *Hebræi ſunt? Iſraëlitæ ſunt? Semen Abrahæ ſunt? Miniſtri Chriſti ſunt?* Sed majoris fructus eſt diſcutere quid differant inter ſe Hebræi, Iſraëlitæ & ſemen Abrahæ. Quidam enim ita tractant hunc locum, tamquam iidem prorſus ſignificentur; etſi rationes appellationum diverſæ ſint. At verò Chryſoſtomus ejuſque ſequaces ideo volunt addidiſſe Apoſtolum *Iſraëlitæ ſunt*; quod non omnes Hebræi eſſent Iſraëlitæ; nam, inquiunt, etiam Ammonitæ & Moabitæ Hebræi erant. Addere poſſumus, etiam Idumæos & Madianitas Hebræos fuiſſe, & quotquot orti erant ex Abraham multarum gentium patre. Verùm, ut omnes illi quondam tempore Patriarcharum Hebræi dicti fuerint: non arbitror tamen apud alios quàm Iſraëlitas, illius nominis poſſeſſionem ſequentibus ſæculis remanſiſſe. Hebræi, Iſraëlitæ, & ſemen Abrahæ quod differant.

Sed nec placet quod ſcribit Cajetanus, primo membro ſignificari gloriationem ex antiquitate generis; eo quod Hebræi nomen trahunt ab Heber, cujus tempore diviſæ ſunt linguæ, quamvis & ipſius Auguſtini *in libr. de civitat. Dei*, & Aquitanis *in comment.* & plurimorum aliorum hæc de etymo vocabuli, opinio ſit. Multò enim probabilius eſt Abraham, qui primus Hebræus appellatus legitur *Gen.* 14. ita cognominatum fuiſſe ab Hebræa dictione עבר *eber*, id eſt, trans, ultra; tamquam dicas tranſitorem; quod ex regione quæ trans fluvium Euphratem erat, in terram Chanaam veniſſet. Noſtri tranſfluvialem vocarent: ſicut aliquos vocamus tranſmarinos, tranſmontanos, tranſtyberinos: itaque nomen illud non eſt Abraham antiquius, ut nec ipſius nominis ratio. Hebræi unde dicti.

Simul etiam redarguuntur qui Hebræos ab ipſo Abraham dictos volunt tamquam Abræos, contracta voce: non enim Abraham à ſeipſo patronymicos appellari potuit. Sed de ea re plura *in argumento Epiſtolæ ad Hebræos.*

Quod ad præſentem locum attinet, propior vero ſententia eſt eorum, qui primo membro ſignificari volunt gloriationem à lingua, ut Hebræi dicantur, qui lingua loquebantur Hebraica: ſic interpretantur Lombardus, Hervæus, & Aquinas. Sciendum eſt enim Judæos ex quo tempore in varias terræ plagas per captivitates & bella fuere diſperſi, linguam cum regione mutaſſe, & quidem neceſſariò, ut cum iis converſari poſſent ac negociari inter quos habitabant. Itaque paulatim deſueviſſe loqui Hebrai-

cè, poſteros autem eorum avitæ linguæ manſiſſe prorſus imperitos. Qui verò in Judæa ac vicinis locis relicti fuerant, uſum prioris linguæ, id eſt, Hebraicæ, retinuiſſe: qua peculiari ratione vocabantur Hebræi; cæteri verò, Græci; quod plerique eorum Græcè loquerentur, cujus linguæ per orbem uſus erat eo ſæculo maximè communis.

Diſcrimen hoc Hebræorum à Græcis *Acta Apoſt.* perſpicuè declarant, ubi legimus creſcente numero diſcipulorum, factum fuiſſe murmur Græcorum adverſus Hebræos, eò quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum, *Act. 6.* nam Græci eo loco non Gentiles intelliguntur (neque enim Gentilium cuiquam adhuc prædicatum erat Evangelium; neque id ſtatim fieri debuit, ſed expectato opportuno tempore quod Deus deſignaret; ſicuti factum à Petro Lucas docet *Actor. 10. 11.*) Verùm ſignificantur eo nomine ex Judæis illi qui quòd in exteris regionibus nati eſſent & educati, non Hebraicæ linguæ, ſed Græcæ vel Latinæ vel alius cujuſquam uſum haberent. His enim occaſio murmuris & quærelæ fuit adverſus fratres Judæos, qui ſuprà dicta ratione Hebræi vocabantur, quòd ipſorum viduæ negligerentur in miniſterio victus quotidiani, videlicet Hebræis (quibus, tamquam indigenis ac linguæ privilegio potioribus, miniſterium illud commiſſum fuerat) ſuos inopes magis quàm alienos curantibus. Hoc modo rurſum de Græcis loquitur Lucas *cap. 9. Actor.* ubi refert Paulum diſputaſſe cum Græcis: illos autem quæſiviſſe ut eum occiderent: & capite 11. illis verbis: *Loquebantur ad Græcos, annunciantes Dominum Jeſum.* Ac ne quis dubitet; non eos ἕλληνας iis locis appellat quo nomine Græci propriè dicuntur, ut *Roman. 1. 2.* & alibi; ſed ἑλληνιστὰς, quaſi dicas Græciſtas, id eſt, Græca lingua utentes. Hæc pluribus, ut oſtenderem, quos Hebræos, & quo diſcrimine, vocet Apoſtolus, tam hoc loco quàm ad *Philip. 3.* ubi ſe dicit Hebræum ex Hebræis.

Igitur Hebræi quos dixi, glorioſum ducebant quod loquerentur lingua ſuæ Gentis primitiva, qua & ipſorum Patriarchæ & Prophetæ uſi fuerant; imò Deus ipſe, quando legem patribus eorum & reſponſa Prophetis dedit: atque hoc titulo ſeſe ante alios efferebant. In horum numero erant pſeudapoſtoli, contra quos Paulus agit: quorum jactantiæ reſpondet ſe quoque Hebræum eſſe. Quamvis enim Paulus Tharſi Ciliciæ natus eſſet; parentes ejus tamen quòd non ita dudum illuc ex Judæa commigraſſent, nec inde procul abeſſent, linguam patriam adhuc retinebant, & ea ſtudiosè filium imbuerat pater Phariſæus. Unde eſt quòd Hebraicè concionatur ad populum Jeroſolymitanum magno cum ſilentio audientem, *Act. 22.* Sed & Hieron. *in epiſt. ad Algaſiam, quæſt. 10.* Paulum affirmat in vernacula lingua diſertiſſimum fuiſſe.

Lingua, qua Chriſtus & Apoſtoli uſi, qualis fuerit.

Neque nunc diſtinguo linguam Hebraicam à Syriaca. Conſtat enim linguam quæ Judæis tunc erat vernacula, quaque Chriſtus & Apoſtoli fuerunt uſi, non purè Hebraicam fuiſſe, ſed mixtam, & dialecto non parum diſſimilem; quæ Syriaca poſtmodum vocata eſt. Addit verò, *Iſraelitæ ſunt, & ego*; vel ne ſuſpicio eſſet ipſum lingua tantùm non etiam Gente Hebræum eſſe; vel potiùs, ad ſignificandam nobilitatem generis, quia negat ſe illis inferiorem, ea maximè ſignificatur nomine Iſrael, in ſcripturis celeberrimo, quodque divinitus datum fuerat ipſorum Patriarchæ Jacob.

Addit deinde, *ſemen Abrahæ ſunt; & ego:* nam id multò adhuc honorabilius cenſebant, propterea quod Abraham & primus eorum eſſe Patriarcha, & præ cæteris eximia in Deum pietate ac fide fuiſſet, eoque Dei amicus appellatus, & dignum habitus cui tam præclaræ à Deo fierent promiſſiones, in ſemine ejus, id eſt, in poſteris, implendæ. Eſt igitur in hoc Pauli ſermone figura quam incrementum vocant. Etenim glorioſius erat Iſraelitam dici, quam Hebræum, & ſemen Abrahæ dici, quam Iſraelitam.

23. MINISTRI CHRISTI SUNT; (UT MINUS SAPIENS DICO) PLUS EGO. Particulam *& ego* proximè ſubjunctam illis verbis, *miniſtri Chriſti ſunt*, quæ in permultis erat codicibus, eademque à non paucis tractatoribus expoſita, jure expunxerunt Romani correctores: nam Græci & Syri codices non agnoſcunt; ut nec Auguſt. *in loco ſuperiùs citato*, ſed neque ex Ambroſiano commentario apparet eam in textu fuiſſe. Denique Latini codices emendatiores tum manuſcripti tum impreſſi non habent; ut prorſus veriſimile ſit, librariorum præpoſtera diligentia huic quarto membro ex tribus ſuperioribus aſſcriptam eſſe. Quod verò noſtra verſio habet, (*ut minus ſapiens dico*) Græcè eſt, παραφρονῶν λαλῶ: id eſt, deſipiens, ſive ſtulteſcens ac delirans, loquor: tamquam dicat Apoſtolus, Miniſtri Chriſti ſunt: (ſtultè loquor, ſtultitiæ meæ ignoſcite) plus & excellentiùs ego ſum: nam excellentiam ſignificat Græcum ὑπὲρ, id eſt, ſuper, ut legit Auguſtinus.

Repetit autem Apoſtolus excuſationem inſipientiæ hoc loco, non quia gloriatur ſe Chriſti miniſtrum, quod ubique inculcat; ſed quia in re tanta ſe aliis anteponit, dicendo, *plus ego.*

Quæres, Quomodo nunc miniſtros Chriſti vocet, quos paulò antè vocavit pſeudapoſtolos, operarios ſubdolos, & miniſtros Satanæ? Reſpondeo, Quatuor iſta quæ velut affirmanter ab Apoſtolo dici videntur, *Hebræi ſunt, Iſraelitæ ſunt, ſemen Abrahæ ſunt, miniſtri Chriſti ſunt*; per rhetoricam conceſſionem dicta eſſe, quaſi dicat, Demus eſſe tales. Nam ut verè fuerint Hebræi, & Iſraelitæ, & ſemen Abrahæ, tamen Chriſti miniſtri non erant, niſi quod ad Chriſtum quoquo modo prædicandum, ſeſe ingerebant, quemadmodum ad Philip. 1. dicit. Quidam *reſpondent*, illa quatuor eſſe legenda cum interrogatione, quæ nihil affirmet, ſed lectori judicium relinquat, an verè tales ſint: mihi prior reſponſio probatur. Quod autem dixit *plus ego*, ne dictum arrogantiùs videatur, tum quia ad inſtitutum commendandi ſui miniſterii pertinebat, deinceps latè probat. Eſtque *notandum* cum Theodoreto, Paulum hîc non adducere in medium miracula quæ fecit, ut mortuos ſuſcitatos, claudos reſtitutos, dæmones effugatos (licet horum obiter, & reſtrictè, tantumque in genere meminerit capite ſequenti, dicens *ſigna ſui Apoſtolatus facta fuiſſe ſuper Corinthios in ſignis & prodigiis, & virtutibus*) ſed ea tantùm quæ pro Evangelio perpeſſus eſt. Senſus.

IN LABORIBUS PLURIMIS, Auguſtinus legit *plurimum*, Græcè eſt, *abundantius*, ut in parte ſequenti. *Senſus*; In eo quod graves ac multos labores Evangelii cauſa ſuſcepi, intelligitur, miniſter Chriſti declaratus aut probatus ſum, aut quid tale: ſimiliter expone in ſequentibus.

IN CARCERIBUS ABUNDANTIUS, IN PLAGIS SUPRA MODUM. Hæc duo membra contrario ordine apud Græcos leguntur. Illud (*abundantius*) aut comparationem innuit Pauli cum iis qui ſe vocabant Chriſti miniſtros, ut ſentit Ambroſianus, eò quòd parum admodum illi laboraſſent, ac vix aliquid paſſi eſſent, aut potiùs ſecundùm Oecumenium, ſine comparatione perſonarum, ipſius rei exceſſum, ſive frequentiam ſignificat: ſic enim & alibi accipitur. Neque veriſimile eſt pſeudapoſtolos propter Evangelium fuiſſe paſſos incarcerationem. De Paulo autem incarcerato ante hanc epiſtolam *in Actis Apoſtolorum* non legimus quidem, niſi *cap. 16.* ubi à Philippenſibus in carcerem miſſus legitur: ſed permulta Paulus & fecit & paſſus eſt quæ in Actis non ſcribuntur. Quod verò dicit, *in plagis ſupra*

modum, id est, in verberibus insolenter, &, ut ita dicam, excessivè mihi illatis; id mox quibusdam partibus explicat.

In mortibus frequenter. *Mortes* vocat mortis pericula; quemadmodum & 1. *capit. hujus epistol.* ubi noster interpres vertit, *Qui de tantis periculis nos eripuit*: Eas verò mortes paulò pòst multas enumerat.

24. A Judæis quinquies, quadragenas una minus, accepi. Plagas intellige. Legimus *Deut.* 25. præceptum Israelitis fuisse ut in flagellando fratre, id est, Hebræo, quem dignum plagis comperissent, quadragenarium numerum plagarum excederent. Judæi verò, sive caventes ne fortè in ipso verberandi impetu præfinitum numerum transilirent; sive clementiæ & humanitatis causa memorato numero statuerunt unam plagam demendam esse, etiamsi quis integrum numerum plagarum commeruisset. Quod quidem arbitror referendum ad Judaicas traditiones in Dei legem injuriosas: Neque enim illis licebat numerum legis, in quo etiam mysterium continebatur, unitate dempta mutare: siquidem quadragenarius numerus afflictioni & pœnitentiæ consecratus est.

Porrò quoniam Judæi Paulum vehementer oderant, nec tamen eum morti adjudicare permittebantur, à Romanis prohibiti, juxta illud Joan. 18. *Nobis non licet interficere quemquam*: idcircò plagis eum onerabant, quam multis poterant secundùm legem consuetudine restrictam & moderatam, hoc est, undequadraginta. Id autem factum quinque diversis temporibus. Sed cur Lucas *in Actis* ne unius quidem flagellationis ex quinque miminit? Ideò videlicet, quòd de Paulo penè ea sola quibus ipse præsens fuit, sigillatim recenseat; alia verò vel silentio pertranseat, vel summatim ac breviter referat, ut interdum tribus verbis complurium mensium atque etiam annorũ res gestas perstringat. Qua in re *notanda* humilitas Pauli, qui suas & tot tam graves pro Christo passiones Lucæ comiti suo non aperuerit; ne hic quidem recitaturus, nisi coegisset eum amor salutis Corinthiorum. Apparet autem has flagellationes fuisse factas in synagogis; ad significandum, contra legem Moysi aut religionem peccatum fuisse. Dicit enim Dominus Matth. 10. *In synagogis suis, flagellabunt vos.*

Nota, humilitatem & modestiam Pauli.

25. Ter virgis cæsus sum, à Gentilibus: erat enim Romanis consuetudo virgis cædere nocentes. Cajetanus hinc apparenter colligit Judæos non virgis, sed alio instrumento flagellare solitos; quoniam ter dumtaxat virgis cæsum se dicat Apostolus. Porrò Lucas tantùm semel meminit hujus contumeliæ Paulo illatæ, scilicet *Act.* 16. ubi scribit eum unà cum Sila virgis cæsum à Philippensibus.

Hîc *quæri* potest, cur passus sit Paulus sese virgis cædi, cùm dicendo se Romanum esse, evadere potuerit flagellationem, ut fecit simile quiddam *Actor.* 23. Responderi potest quod id non putavit faciendum, nisi gloria Dei & salus Ecclesiæ hoc videretur postulare. Nam utique *Act.* 16. virgis cædi se permisit, nec Romanum se declaravit, nisi postera die, quando magistratus jubebat eum dimitti. Quod si initio dixisset se civem Romanum, non fuisset occasio convertendi ad fidem Christi custodem carceris cum tota domo.

Semel lapidatus sum. Id passus est Lystris Lycaoniæ, potissimùm à Judæis, adeoque graviter, ut mortuus putaretur; quemadmodum refertur *Act.* 14. Et quidem *eodem cap.* legitur etiam Iconii factum fuisse à Judæis & Gentilibus impetum, ut Paulum & Barnabam lapidarent, sed tunc fuga periculum evasisse Apostolos Lucas significat. Cæterùm, ab hoc loco mortes suas incipit Apostolus recensere, de quibus dixit, *In omnibus frequenter.*

Ter naufragium feci. Nullum Pauli naufragium attingit Lucas in Actis, præterquam quod passus est Romam proficiscens, *Actor.* 27. sed illud apud Melitam, multò post scriptam hanc Epistolam, contigit. Itaque falluntur qui hoc numerant inter hæc tria.

Nocte et die in profundo maris fui. Ad verbum in Græco est, *noctiduum in profundo feci.* Quod Erasmus vertit, *noctem & diem in profundo egi*; tametsi non malè noster interpres addidit *maris:* nam vox Græca, licet nihil aliud addatur, sæpè apud scriptores accipitur pro maris profunditate. Nec aliter commentatores plerique locum hunc accipiunt, idque convenienter textui; Cum enim dixisset, *se ter naufragium feciſſe*, utique in mari: subjunxit aliud periculum marinum longè gravius, nempe quod demersus fuerit ex naufragio in profundum maris, ubi tamen divina ope fuerit servatus incolumis noctem & diem, atque inde posteà liberatus.

Quamquam Syria versio, quæ loco illius, *in profundo*, legit *sine navigio in mari*, alium sensum indicat, scilicet, Paulum fuisse jactatum undis extra navim in vasto mari, quod à Poëtis altum vocatur. Simile quid sentit Ambrosianus, qui tamen in eo manifestè fallitur, quod partem hanc exponit de illa navigatione qua Romam ibat Apostolus, postquam Cæsarem appellasset. Constat enim hanc epistolam antè scriptam esse. Porrò Theophylactus scribit asserere nonnullos, hîc significari quod in quodam puteo, cui nomen Bythos, id est, profundum, absconditus fuerit Paulus, post periculum apud Lystrios. Refert quoque Beda ex Theodoro Archiepiscopo Gentis Anglorum, *libro quæstionum, quæst. 3. titul.* 8. fuisse apud Cyzicenos, quæ una erat civitatum Asiæ, carcerem quemdam teterrimum, qui quòd altissimus esset, profundum maris vocaretur, eadem ratione qua carcer apud Athenienses famosissimus, barathrum appellatus est: nam & in scriptura, profundi carceres passim lacus appellantur. De hoc carcere Cyziceno neotericus quidam scriptor (vide Baron. *ad Martyro. Rom. Septemb.* 21. *cap. & tom* 1. *anno Christi* 58. §. 43.) præsentem Apostoli locum intelligi posse putat. Verùm ut taceam à nullo authore proditum esse quòd Paulus aliquando Cyzici prædicaverit Evangelium, certè si hic de carcere quopiam Apostolus loqueretur, non adderet *noctem & diem*; non enim magnum est aut memorandum uno die naturali fuisse in carcere, tametsi profundo: cùm plerumque diutiùs soleant homines in carceribus detineri: qua ratione Chrysostomus illud de carcere refellit. Quocirca communem expositionem probabiliorem existimo. Sic enim dixit Apostolus, noctem & diem se egisse in profundo maris, quomodo de Jona dicit scriptura quod tribus diebus ac noctibus fuerit in ventre ceti: qui etiam de seipso ita loquitur ad Dominum, *& projecisti me in profundum, in corde maris*, Jonæ 2.

26. In iteribus sæpe, non solùm molestis, sed & periculosis, uti declarant sequentia. Periculis fluminum, quæ interdum non minùs periculosa sunt navigantibus, quàm mare.

Periculis latronum, in quos inciderat iter faciens. Horum meminit, non quòd latrones ipsum invaserint propterea quod Christum prædicaret, nam nec mare aut flumina ei naviganti infesta fuerunt propter Evangelium: sed idcircò hæc commemorat, inquit post Chrysostomum Theophylactus, quia Evangelii causa molestas & periculosas profectiones susceperat, ut proinde meritò gloriaretur se hæc omnia pro Christi ministerio pertulisse, seque per ea declarari verum & insignem Christi ministrum.

Periculis in genere, id est, à Judæis, qui cum

ipſo ejuſdem erant generis, quoſque alibi cognatos ſuos vocat: nam & hoc loco Syriacus textus habet, *ex cognatione mea.* Hos verò quàm graves ſemper inimicos ſenſerit, ex ipſius *Epiſtolis* atque ex *Actis* à Luca conſcriptis, clariſſimum eſt.

PERICULIS EX GENTIBUS, id eſt, à Gentilibus: ſed iis plerumque à Judæis in ipſum concitatis; ut ex *Actis* liquet. PERICULIS IN CIVITATE, velut Damaſci, Jeroſolymis, Epheſi, atque alibi; PERICULIS IN SOLITUDINE, id eſt, in deſertis locis, in quibus ei ab adverſariis collocabantur inſidiæ.

PERICULIS IN MARI. Jam antè quid in mari paſſus fuerit, expoſuit: verùm hîc peculiariter loquitur de periculis ſibi mare naviganti paratis ex inſidiis hoſtium, maximè Judæorum, cujus exemplum habemus *Actorum* 20. ubi ſcribitur factas illi fuiſſe inſidias à Judæis navigaturo in Syriam: tametſi illud veriſimiliter contigerit poſt ſcriptam hanc Epiſtolam, atque ſimilia potuerunt antè contigiſſe.

PERICULIS IN FALSIS FRATRIBUS. Id eſt, periculis quæ paſſus ſum à ſimulatis & falſo nomine Chriſtianis: qui ſunt hoſtes inteſtini ac domeſtici, eoque magis periculoſi. Quorum typum geſſit Judas proditor; de quo David in perſona Chriſti canit Pſalmo 54. *Quoniam ſi inimicus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique: Tu vero homo unanimis*, &c.

27. IN LABORE ET ÆRUMNA. Proſequitur alias afflictiones, in quibus Evangelii cauſa toleratis, aut ſponte etiam ſuſceptis, excellens Chriſti miniſter declaratus ſit. Pro *ærumna*, moleſtiam legit Ambroſianus: noſter interpres alibi *fatigationem* vertit, 2. *Theſſ.* 3. ſignificat autem vox Græca laborem cum difficultate ac fatigatione conjunctum.

IN VIGILIIS MULTIS. Græcè, *In vigiliis ſæpe.* Quales fuerint vigiliæ Pauli, diſcere licet ex *Actis Apoſtol.* nam Philippis in carcere media nocte Deum orat & laudat, *Actorum* 16. item Troade ſermonem in die Dominica protrahit uſque in mediam noctem. Denique Mileti, apud preſbyteros Epheſo evocatos, conteſtatur ſe per triennium, nocte & die, non ceſſaſſe ab officio veri paſtoris, *Actorum* 20. His adde vigilias quas exegit opere manuum; de quibus 2. ad Theſſalonicenſes 3. *Neque gratis*, inquit, *panem manducavimus ab aliquo: ſed in labore & in fatigatione nocte & die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus.*

IN FAME ET SITI. Inediam & penuriam paſſus eſt, gratis Evangelium prædicans. Unde ait 1. Corinth. 4. *Uſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus*, & ad Philippenſ. 4. eſurire & penuriam pati, inter ea numerat in quibus inſtitutum ſe dicit.

IN JEJUNIIS MULTIS. Iterùm *ſæpè*, pro *multis*, in Græco & apud Ambroſianum. Ut autem pars hæc à præcedenti diverſa ſit, intellige, cum S. Thoma, jejunia ad purificandam mentem, & edomandam carnem, ſponte aſſumpta, quò fructuoſiùs Evangelium prædicaret. Sic enim ait in priori Epiſtola capite 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne fortè*, &c.

IN FRIGORE ET NUDITATE. Hæc duo conjungit, ut ſignificet ob nuditatem & veſtium inopiam frigora paſſum ſe fuiſſe. Quamquam poſſunt diverſa mala intelligi. Nam æſtate, quis patitur nuditatem, non frigus, ſi veſtibus careat. Nuditatis etiam meminit. 1. *Cor.* 4.

28. PRÆTER ILLA QUÆ EXTRINSECUS SUNT; INSTANTIA MEA QUOTIDIANA. Chryſoſtomus ac cæteri Græci expoſitores hæc dividunt; priorem partem ſuperioribus jungentes. Quod enim in Græco eſt, παρεκτὸς, id eſt, extrinſecus, ut noſter interpres vertit, illi accipiunt ut idem ſit quod præter, quomodo accipitur, *Matth.* 5. ubi dicitur, *excepta fornicationis cauſa*, Græcè, *præter verbum fornicationis*: tamquam dicat Apoſtolus, *Abſque iis quæ prætermitto*: quò ſignificet ſe nondum omnia quæ pro Evangelio paſſus ſit commemoraſſe; ſed quædam ſtudio prætermittere. Quod autem noſter vertit, *inſtantiam*, illi de tumultibus & commotionibus ſeu concurſibus hominum adverſus ipſum frequenter excitatis intelligunt. Sic enim & alibi vox Græca ἐπισύστασις accipitur: ut Actor 24. *aut concurſum facientem turbæ.*

Porrò Latini plerique totum hoc ſejungunt à ſuperioribus; & ad hunc ferè modum exponunt. Jam verò præter illa quæ foris & extrinſecus mihi accidunt, id eſt, corporis afflictiones & pericula, cujuſmodi ſunt quæ hactenus recenſui, ſunt & peculiares animi dolores atque afflictiones, quibus excrucior Evangelij cauſa. Nam quotidie ad me, tamquam Apoſtolum Eccleſiarum, concurritur undique à fidelibus, ob varias difficultates circa negocium Evangelicum emergentes: quæ res animum meum inquietat majorem in modum. *Senſus* hic valdè probabilis eſt. Similiter enim & *ſuprà cap.* 7. utrumque genus afflictionis complexus eſt, dicens: *Omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ: intus timores.*

Nec admodum quadrat Græcorum expoſitio: quia tumultus populorum adverſus Paulum non erant quotidiani, ſed rariores. Neque conveniebat Apoſtolum cum modeſtia de ſe gloriantem, uti hyperbolis. Græca quoque lectio Latinorum commentarium facilè admittit: ſi inſtantiam hominum ad Paulum concurrentium, intelligamus, qualem jam diximus: quomodo ſanè B. Auguſt. intellexit, ſcribens *in Pſal.* 98. ubi hunc locum ita legit, *Incurſus in me quotidianus*: Nec ſecus in 4. de doctrina Chriſtiana. Illud etiam (*extrinſecus*) benè ſe habet. Nam Græcum adverbium παρεκτὸς, ex præter & extra compoſitum, utriuſque ſignificationem participat: unde & locus Matthæi percommodè verti poteſt, *extra cauſam fornicationis*: denique ſequentia noſtræ expoſitioni applaudunt.

SOLICITUDO OMNIUM ECCLESIARUM. Etiam earum quibus ipſe Evangelium non prædicaverat, aut in quibus non fuerat; quod epiſtolæ ejus declarant ad Romanos, & ad Coloſſenſes: ſi enim pro invicem ſolicita ſunt membra ejuſdem corporis etiam minora: quantam oportuit eſſe pro reliquis omnibus ſolicitudinem tanti tamquè nobilis ac præcellentis membri? Nec ideò præfuit toti Eccleſiæ Paulus, quaſi parem cum Petro poteſtatem ſortitus: nam etſi ſolicitudo præfecturam conſequatur; non tamen è converſo præfectura ſolicitudinem: quemadmodum patet in eo quod jam dictum eſt de membris pro ſe invicem ſolicitis.

Poteſt & ſic intelligi, *omnium Eccleſiarum*, id eſt, plurimarum, ſcilicet earum quas ipſe fundaverat, aut quibus per ſe vel per diſcipulos ſuos Evangelium prædicaverat. Quamquam etiam ultra eas ſollicitudinem ſuam extendiſſe liquet ex *epiſt. ad Rom.* ſcripta, quibus prædicaverat. Porrò ſolicitudinem hanc & curam omnium Eccleſiarum Paulo incumbentem, meritò Chryſoſtomus inter afflictiones hactenus enumeratas, onus omnium maximum fuiſſe cenſet.

Nota, ſolicitudinem plurium eccleſiarum afflictionem cenſeri ab Apoſt. & onus maximum; quam tamen hodie multi adeo non horrent, ut etiam ambiant.

29. QUIS INFIRMATUR, ET EGO NON INFIRMOR? Partem Apoſtolicæ ſolicitudinis explicat his verbis: Quis, inquit, fidelium infirmatur animo, propendet ad lapſum, pronus eſt ad peccandum levi occaſione, quomodo qui corpore parum firmi ſunt; Et ego non infirmor per intimum affectum commiſerationis, metuens ac ſolicitè cavens ne frater infirmus cadat? Dixit hoc & in priori Epiſt. cap. 9. *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem*: vide ejus loci commentarium.

QUIS SCANDALIZATUR, ET EGO NON UROR ? Plus eſt ſcandalizari, quàm infirmari ; inquantum deterius eſt cadere, quàm pronum eſſe ad caſum. Sed cur non dicit, & ego non ſcandalizor ; ſicut dixerat, & ego non infirmor ? quia ſcandalizari non ſic in bonam partem intelligi poteſt, ſicut infirmari : dicitur enim mater & nutrix infirmari cum infante, & medicus cum ægroto ; quia ad ejus infirmitatem ſe dimittit, eique ſeſe accommodat per commiſerationem & tolerantiam infirmitatis : At ſcandalizari non dicitur qui cadentibus condolet aut condeſcendit ; ſed qui ſimiliter impingit & cadit. Uri verò dicitur, qui vehementi dolore animi afficitur, velut ſi igne ureretur : quod illi neceſſe eſt accidere qui proximum quem vera charitate diligit, videt ex alienis factis minùs rectis in ruinam impelli, quod eſt ſcandalizari. Unde Auguſtinus *in enarr. Pſalm. memorati* locum hunc tractans ait, Quantò major charitas, tantò majores plagæ de peccatis alienis.

30. SI GLORIARI OPORTET ; QUÆ INFIRMITATIS MEÆ SUNT GLORIABOR ; Quoniam dicens, *& ego non infirmor* ? in eo quod infirmitatis eſt gloriari videbatur, ideò nunc generaliter affirmat ſe in his quæ infirmitatis ſuæ ſunt, gloriari. Quandoquidem, inquit, cogitis me ad gloriandum, de his gloriabor quæ ſunt infirmitatis meæ : ſic capite ſequenti, *Pro in me autem nihil gloriabor, niſi infirmitatibus meis.* Infirmitas in ſacris literis variè ſumitur, ut annotavimus ad illud Roman. 5. *Cùm adhuc infirmi eſſemus.* Hoc loco, & ſequenti capite, ſuas infirmitates Apoſtolus vocat ea quæ paſſus fuerat ; utpote talia propter quæ quis apud homines carnales deſpectus & contemptibilis haberi ſoleat. Hujuſmodi ſunt quæ jam longo ordine enumeravit, ab eo loco, *In laboribus plurimis.* Nam laboribus atteri, carceribus includi, plagis affici, virgis cædi, periculis exponi, inediam ac nuditatem pati, & his ſimilia ; refugiuntur ab hominibus, partim ut dura & aſpera, partim ut probroſa : quibus annumerat quod mox ſubjicit, de fuga ſua quando per feneſtram in ſporta dimiſſus fuit ex muro ; cujuſmodi fuga animo excelſo videretur parum honeſta. Sed quid in ea narratione ſpectet Apoſtolus, ſtatim exponemus.

Gloriatur autem in his potiùs quàm in iis quæ erant potentiæ, velut in ſignis & miraculis, quæ plurima ediderat, quæque hominem mundo ſpectabilem & glorioſum reddere ſolent ; eò quòd in iis quæ infirmitatis ſunt, maximè declaretur virtus Chriſti ; quemadmodum docet ſequenti capite, tum quoniam hac parte multis modis ab ipſo ſuperabantur pſeudapoſtoli. Denique quod infirmitates non ſic animum erigunt, uti miracula ; quorum proinde nullam in ſuperiori catalogo mentionem facere voluit, ſed ea *ſequenti capite* tantùm obiter ac breviter attingit, tamquam ſigna ſui Apoſtolatus.

Quod ad textum attinet, ubi dicit : *Quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor* ; in Græco ſubauditur κατά, ſecundùm ea, id eſt, de iis quæ, &c. ſicut ſuperiùs expoſitum eſt. Auguſtinus legit, in iis quæ, &c. quod perinde valet. Porrò *ſciendum* eſt totum hunc locum Apoſtoli uſque ab illis verbis, *Iterum dico, ne quis me putet inſipientem*, &c. tranſſcriptum eſſe ab Auguſt. *lib. 4. de doct. Chriſt. c. 7.* videlicet pro inſigni exemplo quo doceat eſſe in ſacris literis eloquentiam, non illam ſtudio quæſitam & arte compoſitam, qualis in libris ſæcularium ſcriptorum ; ſed nativam & caſtam, quæ tamquam ſapientiæ famula, ſponte, etiam non vocata, dominam ſuam comitetur. Obſervare eſt in his quæ tranſſcripſit Auguſtinus, præter cola & commata, & periodos cum decentiſſima varietate interpoſita, quæ ille diligenter annotavit, crebras etiam ac varias metaphoras quas vocant, aliaque locutionis ſchemata, quibus oratio non modò jucunda & venuſta, verùm etiam mirum in modum acris ac vehemens redditur.

Qualis eloquentia in ſacris literis

13. DEUS ET PATER DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, QUI EST BENEDICTUS IN SÆCULA, SCIT QUOD NON MENTIOR. Ad *Deum & Patrem* refertur illud, *qui eſt benedictus in ſæcula*, quemadmodum ex Græco manifeſtum eſt, ubi hic eſt ordo, *Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti ſcit, is* (inquam) *qui eſt benedictus in ſæcula, quod non mentior* ; atque ita etiam ab Auguſtino citatur. Tota verò ſententia, quamvis ad ſubjectam narrationem à multis referatur, quod & velle videtur Reſponſorium quoddam Eccleſiaſticum de ſancto Paulo (unde & nonnulli hîc faciunt exordium novi capitis :) attamen ratio magis exigit, ut, quod aliis placet, ad ſuperiora reſpiciat, quæ de ſe Apoſtolus commemoravit. Nam hoc quod ſequitur de fuga ſua, tam forti aſſeveratione qua hîc utitur, non eget, ſed quia quæ ſuprà recenſuit, tam multa & magna ſunt ut videri poſſint fidem excedere ; propterea confirmat ea juramento, quòd tacitum ineſt in his verbis. Qui enim pro confirmatione eorum quæ dixit, ſubjicit, Deus ſcit, aut ſimile quippiam ; is Deum adducit dictorum ſuorum teſtem, tamquam omnia ſcientem. Certè formulam hanc eſſe juratoriam, docet S. Auguſtinus *epiſt. 29. quæſt. ult.* S. Thomas quoque juramentum hîc agnoſcit. Quaſi ergo ſic dicit Apoſtolus ; Deus horum omnium teſtis eſt, qui novit me non mentiri, ſed vera dicere. Emphaſim habet quod addit, *qui eſt benedictus in ſæcula* ; quaſi dicat, abſit ut abutar ejus teſtimonio, cui omnis laus & honor debetur in omnem æternitatem : ſic enim hanc phraſim exponendam oſtendimus *in comment. Roman.* 1.

32. DAMASCI PRÆPOSITUS GENTIS ARETÆ REGIS CUSTODIEBAT CIVITATEM DAMASCENORUM. Res geſta quam hîc attingit, narratur à Luca, *Actorum* 9. Subjicit autem & hanc narrationem, ut gloriandi materiam ; non quòd glorietur de fuga, dicens, *& ſic effugi manus ejus* : ut enim fuga licita fuerit, (de quo mox aliquid dicemus) non tamen erat illi materia gloriæ adverſus pſeudapoſtolos. Fugere enim pericula, per ſe timoris eſt, non fortitudinis aut patientiæ. Sed gloriatur de periculo (ſicut in ſuperioribus) eoque tanto ut periturus eſſet, niſi fuga fuiſſet elapſus. Erat autem & hoc periculum à Judæis, ut eadem Acta teſtantur. *Damaſci*, genitivus adverbialis eſt ; Græcè, *In Damaſco.* Quod autem ſequitur, *præpoſitus Gentis*, compoſitum eſt nomen ἐναρχὸς, ad quod totum refertur genitivus ſequens, *Aretæ regis.* Nec *cuſtodia* qualiſcumque ſignificatur, ſed quæ fit cum excubiis. Clariùs itaque verti potuit hoc modo, civitate Damaſci, is qui Gentis præfectus erat nomine Aretæ regis, excubiis poſitis ſervabat Damaſcenorum civitatem. Fuit Aretas Herodis tetrarchæ ſocer, Arabiæ petrææ atque Damaſci regulus, ut author eſt Joſephus *Antiq. Jud lib.* 18.

UT ME COMPREHENDERET. Græcè, *comprehendere me volens*, ſcilibet Judæis adverſariis meis tradendum : nam Judæorum opera qui Paulum interficere cupiebant, factum eſſe quod hîc ſcribit Lucas *in Actis Apoſtol.* diſertè exponit.

33. ET PER FENESTRAM IN SPORTA DIMISSUS SUM PER MURUM. Id eſt, per mœnia civitatis, idque nocte, & à diſcipulis, id eſt, Chriſtianis, ut refert *Actorum hiſtoria.*

ET SIC EFFUGI MANUS EJUS. *Sic*, abeſt in Græcis & Syris codicibus, atque in nonnullis manuſcriptis Latinis, quibus & Ambroſianus ſuffragatur.

Quæret aliquis, cur Paulus inter ea quibus gloriatur, fugæ ſuæ mentionem inſerens, non det maculam in gloria ſua ; cùm ſit mercenarij, non paſtoris,

perſecutorem fugere, dicente Domino Joannis 10. *Mercenarius, & qui non eſt paſtor, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Reſpondeo, Paulum non ita fugiſſe ut oves quoad curam illis debitam, dimitteret, fieretque quod ſequitur in verbis Domini, *& lupus rapit & diſpergit oves.* Non omnes tunc illius loci fideles perſecutionem patiebantur, ſed ſolus Paulus Judæis peculiariter inviſus; qui proinde juxta prudentiæ regulam, præſertim fratribus id ipſum poſtulantibus, fugiendo vitare debuit imminens periculum, ut ſe in futurum tempus ſervaret utilitati Eccleſiæ. Nam & Dominus hoc præcepit Matthæi 10. dicens: *Cum perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam.* Neque vero deerant qui in illius abſentia fideli populo neceſſaria ſalutis ſubſidia ſubminiſtrarent, Ananias, & aliis; quemadmodum nec defuerant antequam ipſe Damaſcum veniret.

Cæterùm fuga de qua Dominus in Evangelio loquitur, non tam corporis eſt quàm animi; qua nimirum quis ita relinquit oves, ut earum ſalutem ſuis commodis aut vitæ etiam temporali poſtponat. Velut ſi tempore perſecutionis, vel ob peſtem, aut hoſtium incurſum, ſui præſentiam ovibus ſubducat, quando illa ad ea quæ ſalutis ſunt miniſtranda, ovibus eſt neceſſaria. Qua de re diſſerens ex profeſſo beatus Auguſtinus, *Epiſtol.* 180. ad Honoratum, ita tamdem concludit: *Quicumque igitur iſto modo fugit, ut Eccleſiæ neceſſarium miniſterium illo fugiente non deſit; facit quod Dominus præcepit, ſive permiſit. Qui autem ſic fugit ut gregi Chriſti ea quibus ſpiritualiter vivit, alimenta ſubtrahantur; mercenarius ille eſt, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non eſt ei cura de ovibus.* Hæc ille ibi.

CAPUT XII.

1. SI gloriari oportet (non expedit quidem:) veniam autem ad viſiones & revelationes Domini 2. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, (ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit) raptum hujuſmodi uſque ad tertium cælum 3. Et ſcio hujuſmodi hominem, (ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit) 4. quoniam raptus eſt in Paradiſum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 5 Pro hujuſmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor niſi in infirmitatibus meis. 6. Nam, & ſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. 7. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. 8. Propter quod ter Dominum rogavi ut diſcederet à me: 9. & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cum enim infirmor, tunc potens ſum. 11. Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis. Ego enim à vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli: tametſi nihil ſum: 12. ſigna tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus. 13. Quid eſt enim quod minus habuiſtis præ cæteris Eccleſiis, niſi quod ego ipſe non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam. 14. Ecce, tertiò hoc paratus ſum venire ad vos: & non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis. 15. Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris: licet plus vos diligens, minus diligar. 19. Sed eſto: ego vos non gravavi: ſed cùm eſſem aſtutus, dolo vos cepi. 17. Numquid per aliquem eorum quos miſi ad vos, circumveni vos? 18. Rogavi Titum, & miſi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? Nonne eodem ſpiritu ambulavimus? nonne iiſdem veſtigiis? 19. Olim putatis quod excuſemus nos apud vos? Coram Deo in Chriſto loquimur: omnia autem chariſſimi propter ædificationem veſtram. 20. Timeo enim, ne fortè cum venero, non quales volo, inveniam vos: & ego inveniar à vobis, qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos: 21. ne iterùm cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt. *Act. 9. a. 3.*

SUMMARIUM.

Commendat ſe Apoſtolus ex divinis revelationibus: & ponit ibi remedium contra periculum ſuperbiæ: & ſeipſum excuſat exponens beneficia Corinthiis impenſa.

SI GLORIARI OPORTET, NON EXPEDIT QUIDEM. *Si*, non eſt in Græco, poteſtque videri in noſtris huc aſſcriptum ex loco ſuperiori. Cæterùm varietas quædam eſt in Græcis codicibus, ob ſimilitudinem trium dictionum, δεῖ, δή, δέ; oportet, ſanè, autem; tametſi plurimorum codicum lectio eſt, eaque probatiſſima; *Gloriari ſanè non expedit mihi.* Id eſt, quamvis propter vos oporteat me gloriari, ut dignitatem miniſterii mei tuear adverſus obtrectatores: mihi tamen id non expedit, intellige ſimpliciter, & extra caſum præſentem aut ſimilem; tum quia ſpeciem habet jactantiæ, tum propter elationis periculum. Ambroſianus quoque, *mihi*, non *quidem* legit. Ac videri poteſt Interpres pro μοὶ legiſſe ὦμ. Utitur autem rurſum Apoſtolus hujuſmodi præfatione, quod nunc non ea quæ infirmitatis ſunt, ſed præclarum ac ſublime quiddam de ſe commemoraturus ſit. Quapropter & ad declinandam jactantiæ ſuſpicionem, quaſi de alio quodam homine rem narrat, additque ſe neſcire quomodo res acciderit, in corpore an extra corpus.

Gloriari cur non expediat per ſe.

VENIAM AUTEM AD VISIONES, ET REVELATIONES DOMINI, ſcilicet commemorandas. Græcè eſt, *Veniam enim*, velut cauſam reddit Apoſtolus cur dixerit ſibi non expedire quod ſuper his rebus gloriaretur. Inter viſionem & revelationem Liranus & Cajetanus poſt D. Thom. ita ferè diſtinguunt, quòd revelatio viſionem includat aut ſupponat, non contrà; cum enim aliquid videtur, cujus intelligentia ſive ſignificatio videntem latet, viſio ſolùm eſt, quales fuere viſiones Pharaonis & Nabuchodonoſor, qui neſciebant quid per eas ſignificaretur: quando autem aperitur intelligentia rei viſæ, revelatio eſt; qualem habuerunt Joſeph & Daniel ac cæteri Prophetæ. Meminit hujus diſtinctionis etiam Theophylactus. Conjungit ergo Apoſtolus viſiones & revelationes, quia quæ vidit, etiam perfectè intellexit: vocat autem eas *viſiones & revelationes Domini*; id eſt, à Chriſto Domino ſibi factas: unde & *Gal. 1.* profitetur ſe Evangelium ſuum accepiſſe per revelationem Jeſu Chriſti.

Viſionis & revelationis diſtinctio.

2. SCIO HOMINEM IN CHRISTO. Id eſt, novi hominem quemdam Chriſtianum, Chriſto per ſacramentum fidei incorporatum. Hoc Paulum de ſe, & non de alio dicere clamat totus contextus; illud maximè, *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi*, &c. Et alioqui, nihil ad inſtitutum faceret iſta narratio.

ANTE ANNOS QUATUORDECIM. Hæc temporis deſignatio, quamquam videri cuiquam poſſit referenda ad particulam præcedentem, *in Chriſto*; rectiùs tamen ex conſenſu omnium interpretum, refertur ad illud ſequens, *raptum hujuſmodi*, &c. Propterea verò tempus rei geſtæ duxit annotandum, inquit Chryſoſtomus, ut ſignificaret ſe, qui tamdiu rem tacitam & occultam tenuerat, ne tunc quidem proditurum fuiſſe, niſi maxima neceſſitas ipſum compuliſſet: deinde ut detur intelligi, quantis poſte-

donis divinitus cumulatus fuerit, quem à tam multis annis tam insigni revelatione Christus fuisset dignatus; Ex hoc annorum numero collato cum annis imperatorum Romanorum qui per id tempus regnarunt, colligit S. Thomas raptum Pauli quem hîc commemorat, contigisse in ipso anno conversionis ejus ad Christum; ac probabile censet, quod quidam dicunt, Apostolum has visiones habuisse in illo triduo quo statim à conversione Damascum introductus, (ut habetur *Actor.* 9.) erat non videns, ac neque comedens neque bibens. In eandem sententia concedunt Liranus & alii.

Tempus quando raptus Paulus, Vide Baron.

Verùm qui temporum rationem diligentiùs investigarunt; certioribus argumentis ostendunt raptum hunc Pauli contigisse octennio post ipsius conversionem, scilicet *anno Domini* 44. Claudii verò Imperatoris 2. cùm ejus conversio in annum *Domini* 36. inciderit. Constat enim scriptam fuisse hanc epistolam *anno Domini* 58. Neronis autem 2. Non igitur eo anno quo conversus fuit, sed quo prædicandi in gentibus Evangelii munus unà cum Barnaba accepit, secundùm ea quæ *Act.* 13. scribuntur, hanc revelationem Paulo ostensam fuisse, existimandum est; qui quidem annus fuit à conversione ejus octavus. An autem sit eadem hæc revelatio cum illa de qua scribit Gal. 1. *se accepisse Evangelium per revelationem Jesu Christi*; ac rursum cap. 2. *se ascendisse Jerosolymam secundùm revelationem, ut de Evangelio quod prædicabat in Gentibus, conferret*: Vide nostrum eo loco commentarium.

Sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio. Dubitationem hanc Pauli sic accipiunt nonnulli, tamquam ignorare se dicat utrùm simul cum corpore fuerit raptus in tertium cælum atque in paradisum; quomodo Habacuc Propheta raptus fuisse legitur ut Danieli cibum adferret, *Daniel. ult.* quomodo & Philippum diaconum Spiritus Domini rapuit à conspectu Eunuchi, & in Azotum transtulit, *Actor.* 8. an verò sola anima Pauli, corpore in terris relicto, rapta fuerit; quomodo raptum se in visione Ezechiel describit *cap.* 8. In hunc sensum non solùm Ambrosianus Apostoli verba disertè exponit, verùm etiam Chrysostomus eo modo intellexisse videtur: Dicit enim Apostolum non habuisse pro comperto, num anima rapta fuerit, corpore mortuo relicto; an verò corpus etiam raptum fuerit. Quin & patres Ancyrani concilii *cap. ult.* maleficarum mulierculârum errorem, existimantium se cum suis corporibus multa terrarum spatia nocturnis horis pertransire, cum id tantum in phantasia, per dæmonum illusionem, patiantur, hoc argumento inter alia refellunt, quod nec ipse Paulus audeat dicere se raptum in corpore.

Verum S. Augustin. *libr. 12. de Genes. ad lit. cap. 3.* & post eum S. Thomas *in commentario*, hunc intellectum dubitationis apostolicæ vehementer improbant: nec abs ratione. Nam si unà cum corpore fuisset raptus in cælum; utique sensibus corporis fuisset usus ad cognoscenda quæ illic erant; vidisset ergo Christum oculis corporeis, & loquentem auribus corporeis audivisset. Nec sanè ignorare potuisset se sensibus corporis ad hujusmodi actiones usum fuisse.

Sensus dubitationis Apostoli.

Sensus ergo dubitationis est, utrùm ea quæ vidit in raptu, viderit anima in corpore manente, an à corpore separata: nam etsi dicatur anima mansisse conjuncta corpori; rectè tamen intelligi potest eam fuisse raptam in tertium cælum, & in paradisum, propter contemplationem sublimium & ineffabilium mysteriorum; sicut *angeli hominum in terra custodes, semper in cælis vident faciem patris*, Matth. 18. Tametsi hoc quod de angelis dixi, non per raptum contingit; uti mox patebit ex declaratione ejus quod est, raptum esse. Cæterùm in eo quod Apostolus bis dixit, *nescio*: nulla battalogia est; significat enim se neutrum affirmare posse, quòd utrumque nesciat.

Jam cum Apostolus ipse ignorare se fateatur; utrum in corpore an extra corpus anima existente, raptus sit; haud immeritò August. *lib. 12. de Genesi ad lit. cap. 3. & lib. de peccato orig. cap. 23.* censet impudentem ac temerariam esse inquisitionem, utro modo raptus ille contigerit: sed hoc intellige de inquisitione, qua certa cognitio quæritur, non qua probabilis duntaxat. Unde non est arguendus temeritatis aut impudentiæ S. Thomas qui 2. 2. *quæst.* 175. *art.* 5. & 6. nec non *in commentario hu us loci, probabile* putat in hoc raptu animam Pauli non fuisse à corpore separatam, sed conjunctam mansisse, sic tamen ut mens ejus ad ea videnda vel audienda quæ in raptu vidit vel audivit, esset à sensibus corporeis alienata. Sanè raptum illum contigisse anima manente in corpore, magis etiam ex eo probabile fit, quod alioqui fatendum esset Paulum tempore raptus mortuum fuisse, siquidem mors hominis non aliud est quam animæ separatio à corpore. Quare, & post raptum anima revertente ad corpus fuisset idem Apostolus à morte resuscitatus, & quidem, secundùm eos qui duos raptus hîc distinguunt, in tertium cælum, & in paradisum, bis hoc Paulo contigisset: quod non est verisimile, quia miracula non sunt multiplicanda sine necessitate: Sed neque scriptura raptus ejusmodi quo anima divelleretur à corpore, usque meminit. Illud quoque inauditum, quod quis ad hanc mortalem vitam secundò resuscitaretur. Neque verò hæc Apostolus ignoravit, sed tantùm scire se negat, id est, certè cognoscere utrùm in corpore, &c. sicut certò sciebat, hominem raptum. Unde & subjungit.

Probabilius fuisse raptū in corpore.

Deus scit. Quod hoc loco non est jurantis, ut paulò antè, *Deus scit quod non mentior*: sed Deo tribuentis certam scientiam rei sibi non certò cognitæ, quemadmodum solemus de rebus incognitis & occultis aut alioqui incertis, dicere, Deus novit an ita sit.

Raptum hujusmodi usque ad tertium cælum. Pendet ab eo quod dixit, *Scio hominem. Raptum.* autem dicit hujusmodi hominem, id est, raptu quodam elevatum, est enim raptus, secundùm S. Thomam, ab eo quod est secundùm naturam, in id quod est supra naturam, ex vi superioris naturæ elevatio. Ex qua definitione potest intelligi, nec angelos nec homines animasve beatas raptas esse ad Deum videndum, quia quamvis eleventur à Deo ad id quod est supra naturam, non tamen alienantur aut abstrahuntur ab eo quod est secundùm naturam, quemadmodum Paulo contigit hoc loco, & Petro quando factus in extasi. *Act.* 10.

Quid raptus.

Quod verò *tertium cælum* dicat Apostolus, ex scriptura discendum est, quæ tres tantùm cælos agnoscit: *Primum*, nobis proximum, id est, aëreum: unde dicuntur aves cæli, & nubes cæli. *Secundum*, stellatum, sub quo non solùm planetarum orbes, verùm etiam totum illud quod supra nubes extensum est, comprehenditur, quia scriptura non distinguit. Hinc stellæ cæli dicuntur. *Tertium* cælum est, quod Theologi empyreum vocant, sedes beatorum, de quo dicitur: *Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris*: & in oratione Dominica, *Pater noster qui es in cælis*, & rursum: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Quod quidem cælum corporeum est, utpote ad quod Christus secundùm corpus, per ascensionem, fuit elevatus, & ad quod omnes electi post resurrectionem corporaliter assumentur. Hoc igitur est tertium cælum, ad quod raptum se dicit Paulus. Tradit hanc triplicis cæli distinctionem Joannes Damascenus *lib. 2. de fide orthod.* cap. 6. licet empyreum non nominet: Est enim hoc nomen recentiùs.

Quoddam tertium cælū.

Matth. 18.

Matth. 6.

At Caje-

At Cajetano non aſſentior, qui empyreo cælo rejecto, tertium ac ſummum cælum, idemque beatorum habitaculum, cælum aqueum eſſe dicit, id eſt, aquas quæ ſuper cælos ſunt, quarum ſcriptura frequenter meminit. Verùm quid de aquis illis ſentiendum, diximus *in* 2. *diſt.* 14. Certè nec ſcriptura ſignificat, nec Patrum quiſquam docet, nec ratio dici permittit, cælum aqueum eſſe beatorum ſedem.

Vide, ſi placet, hoc loco Doctorem Angelicum mira ſubtilitate philoſophantem de triplici intellectu trium cælorum; facit enim tres cælos infra animam, & tres in anima, & totidem ſupra animam: atque ad unumquodque iſtorum ponit raptum peculiarem. Quamquam ſatis eſt huic loco, Paulum idcircò dici raptum ad tertium cælum, prædicto modo intellectum, quòd animo à ſenſibus alienato fuerit elevatus ad ſublimia quædam & ſupernaturalia perfecto quodam modo cognoſcenda; quomodo ea cognoſcunt angeli qui in cælis ſunt; ut ratione hujuſmodi cognitionis, in tertio cælo ſecundùm animam aut mentem fuiſſe dicatur.

3. ET SCIO HUJUSMODI HOMINEM. Hîc quoque ſeipſum intelligit. SIVE IN CORPORE, SIVE EXTRA CORPUS, NESCIO; DEUS SCIT. Eadem verba rurſus, parentheticè, interponit, humiliter ſcire ſe negans quod neſcit, ut fidem mereatur in eo quod ſcire ſe affirmat.

QUONIAM RAPTUS EST IN PARADISUM. Id eſt, *quòd raptus ſit in paradiſum*. Ex hac parte jam evidentiùs apparet Apoſtoli dubitationem non eſſe, fueritne rapta anima ſimul cùm corpore, an ſine corpore; ſed eam quæ ſuperiùs explicata eſt: ſejungit enim *raptum eſſe*, ab eo quod dixit, *in corpore vel extra corpus*, ita ut cum eo conſtrui non poſſit. *Paradiſum*, non terreſtrem, ſed cæleſtem rectè plerique omnes intelligunt, id eſt, ſupernæ beatitudinis locum, tametſi diſſentit Epiphanius *in epiſt. ad Joannem Epiſcopum Jeroſol.* quæ extat inter epiſtolas Hieronymi; Diſputans enim contra Origenem contendit paradiſum de quo Paulus loquitur, eumdem eſſe cum paradiſo è quo pulſus fuit Adam. At communis interpretum ſententia nobis multò magis probatur, de cæleſti paradiſo Paulum loqui: Id eſt, de loco beatorum, ut proinde paradiſus à tertio cælo non videatur eſſe diverſus: licet aliqui diverſum imaginentur.

Paradiſus & tertium cælũ an idem.

Unde quæritur, utrùm Paulus duas diverſas hoc loco revelationes commemoret, an verò unam eamdemque diverſis verbis. Commentator Ambroſ. Primaſius & Anſelmus exiſtimant diverſas fuiſſe. Quod & Gregorius indicat ſe ſentire lib. 19. Moral. cap. 5. cum dicit Paulum *ad tertium cælum raptum, rurſumque raptum in paradiſum*. Favet his ipſa repetitio verborum, *ſive in corpore*, &c. Quæ viderentur inaniter repeti, ſi de eadem viſione ſermo eſſet. Accedit quòd plurali numero dixerit Apoſtolus: *Veniam ad viſiones & revelationes Domini*. Plures ergo narrare inſtituit. Eadem ſententia Chryſoſtomi ac cæterorum Græcorum eſſe videtur; quamvis enim dicant, Apoſtolum multas viſiones recenſere potuiſſe, ideoque dixiſſe numero plurali, *Veniam ad viſiones*, &c. cæterùm unius ſolummodò meminiſſe, modeſtiæ cauſa: revera tamen duas faciunt; unam autem vocant, ex duabus conſtantem & continuatam. Dicunt enim Paulum primò raptum fuiſſe è terra in tertium cælum, & mox è tertio cælo in paradiſum.

Quod autem una eademque ſit viſio, quadam repetione ſignificata, ſentiunt S. Thomas, Liranus, Cajetanus, Catharinus, aliique neoterici. Diſputat de eadem re beatus Auguſtinus *lib.* 12. *de Geneſi ad lit.* ac tandem *cap.* 34. in eam partem inclinatur, ut paradiſus de quo Apoſtolus, non alibi quam in tertio cælo intelligatur, quem & vocat paradiſum paradiſorum: unde nec viſiones diſtinguit, ſed unam facere videtur. Idque ſanè ex Apoſtolo probabilius apparet. *Primùm*, quia ſecundo loco non aliud tempus aſſcripſit præter illud quod initio poſuerat, quatuordecim annorum. *Deinde*, quia in priori parte non dicit, quid viderit, audiverit, vel egerit, ſed utramque narrationem ex altera ſupplendam relinquit, quaſi nihil diverſum in una quàm in altera contigerit. Si ergo ejuſdem temporis utraque viſio eſt; &, ſi non alia vidit vel audivit in una quàm in altera, conſequenter & locus idem fuit & eadem viſio. *Confirmat* hoc & communis Eccleſiæ ſenſus, quæ poſt Chriſti in cælos aſcenſionem, non alium agnoſcit paradiſum, ad quem fidelium vota ſuſpirent, quàm patriam cæleſtem. Certè Lucæ 23. quum Dominus dicit latroni *Hodie mecum eris in paradiſo*; paradiſus pro loco beatitudinis ponitur, ut hîc: quamvis tunc nondum tertium cælum eſſet ille locus, hominibus. Non tamen negandum eſt quamdam rationis diverſitatem in diverſis vocabulis Apoſtolum ſignificare voluiſſe, quam Thomas & Cajetanus ita explicant, ut dicere voluerit Apoſtolus ſe raptum fuiſſe non ſolùm ſecundùm vim intellectivam ad cognoſcenda quædam ſublimia myſteria, quæ inſinuantur per tertium cælum, verùm etiam ſecundùm voluntatem, ad percipiendam ex hujuſmodi cognitione ſpecialem quamdam & ineffabilem ſuavitatem: quod intelligitur nomine paradiſi. Nam paradiſus hortum ſignificat amœnitatis ac voluptatis. Argumentum ſumptum ex plurali numero viſionum ac revelationum facilè ſolvitur, ſi dicamus multa Paulo revelata fuiſſe eodem tempore, & propter hoc vocari pluraliter viſiones & revelationes. Hoc ſenſu talis erit ſermonis continuatio, Scio, inquam, hujuſmodi hominem.

ET AUDIVIT ARCANA VERBA, QUÆ NON LICET HOMINI LOQUI. *Arcana*, Græcè, *ineffabilia*, vel *non dicenda*, ut poſterior pars, ſit prioris expoſitio. Non refert autem, ſive verba pro ſignis rerum accipias, ſive, quomodo frequenter in ſcripturis accipiuntur, pro rebus ipſis quæ verbis ſignificari ſolent: nam ſenſus utroque modo conſtat, ita tamen ut priori modo verba non ſenſibilia, ſed intelligibilia ſignificentur: fuit enim hæc viſio purè intellectiva. Quod verò dicit, *quæ non licet homini loqui*, multiplicem poteſt habere ſenſum pro diverſa ſignificatione verbi *licet*, & prout illud *homini* poteſt regi à diverſis. Aut enim ſenſus eſt, non eſſe homini licitum ea verba loqui; aut, non eſſe licitum ea verba loqui cuiquam homini; aut, non eſſe homini poſſibile ea verba eloqui; aut denique, non eſſe poſſibile ea verba eloqui cuiquam homini. Quæ tota varietas intelligendi etiam in Græco textu locum habet. *Secundum* ſenſum multi tradunt: Aliis verò non paucis placet *tertius* ſenſus; hoc enim dici ſolet ineffabile quod homini non eſt poſſibile eloqui ſeu verbis explicare. Sic idem Apoſtolus ſuprà cap. 9. *donum Dei inenarrabile* vocat; & Rom. 8. *gemitus inenarrabiles*, dixit; & Petrus 1. epiſtolæ cap. 1. *lætitiam inenarrabilem*. Atque hic ſenſus etiam beato Thomæ magis probatur.

Itaque ſentit Apoſtolus, illa quæ audivit, talia & tanta eſſe, ut ea verbis humanis explicari nequeant; quippe cùm rei magnitudo facultatem humani ſermonis excedat. Ex hoc loco benè colligunt Auguſt. *Tract.* 98. *in Joan.* Theophylactus & Oecumenius, Apocalypſin Pauli nomine aliquando evulgatam, apocrypham eſſe & falſo titulo inſcriptam: Quomodo enim ſcribi potuerunt *arcana verba, quæ non licet homini loqui*? Non malè tamen, in genere, quidam ſpeculantur de myſteriis Paulo oſtenſis, unde Gregorius *homil.* 4. *ſuper Ezechielem* putat Apoſtolum in hoc tertio cælo vidiſſe ordines agminum cæleſtium; quos poſteà deſcripſit *Coloſſ.* 1. & alibi:

Quæ in raptu Paulus viderit.

cujuſmodi aliquid etiam Theodoretus annotavit. Alii plenius eum inſtructum arbitrantur de myſterio vocationis Gentium, deque cæteris ad religionem Chriſtianam pertinentibus.

Porrò S. Auguſtin. *lib.* 12. *de Geneſ. ad literam & epiſtola* 112. *ad Paulinam*, atque eum ſecutus Beda, Anſelmus & Thomas *in ſuis Commentariis* exiſtimant Paulum in hoc raptu divinam eſſentiam vidiſſe, quomodo videtur a beatis; eo ſolùm diſcrimine, quòd Paulo contigerit dumtaxat in tranſitu videre, quod beati vident permanenter. Eadem ſententia legitur apud Hugonem Victorin. *quæſt.* 34. *ſuper hanc epiſtolam.* Verùm apud ſcriptores Græcos & Latinos vetuſtiores, qui in Paulum commentati ſunt, nihil tale legitur. Et verò ſi totus hic locus diligenter expendatur, non multum probabilitatis in illa opinione reperietur. Quamvis enim in eo quod dicit Apoſtolus *ſe audiviſſe arcana verba quæ non licet homini loqui*, ſignificare voluerit viſionem aliquam, quia dixerat, *Veniam ad viſiones* (non enim in intellectu videre & audire diſtinguuntur, ſicut in ſenſu) verumtamen ad ſignificandam perfectiſſimam viſionem quæ eſt viſio Dei per eſſentiam, non fuiſſet uſus metaphora accepta à ſenſu inferiori, dicendo ſe audiviſſe; multò quippe minus eſt audire quàm videre, magiſque ſecundùm ſcripturas ad fidem pertinet auditus, quàm ad viſionis evidentiam; quia *fides ex auditu*, Roman. 10. Deinde, de Deo ſive eſſentia Dei, non diceret pluraliter *verba*; præſertim cùm in divinis non ſit niſi unum verbum. Quocirca phraſis illa, *audire verba*, nulla parte videtur accommoda per quam ſignificetur viſio Dei per eſſentiam. His adde Patrum ſententias: quorum quidam, ut Ambroſius *libro* 5. *de fide ad Gratian. cap. ultimo.* & Gregorius *l.* 18. *Moral. cap.* 38. *& hom.* 8. *ſuper Ezechiel.* nominatim ac diſertè à Paulo removet eſſentiæ divinæ viſionem.

Deum ipſum conſpectum Paulo, non probabile.

Cæterùm plurimi ac penè omnes, universe negant quemquam hominem in hac mortali vita Deum vidiſſe aut videre poſſe, ea viſione quæ beatis ſervatur in futurum. De qua re tota accuratè egimus *in* 2. *ſent. diſt.* 8. Neque verò diverſum probat, quòd *in tertium cælum & in paradiſum* (quibus nominibus locum beatorum ſignificari ſupra dictum eſt) *raptum* ſe fuiſſe dicit Apoſtolus; Non enim illuc raptus eſt quoad communicationem viſionis Dei beatis propriæ, ſed quoad communicationem myſteriorum quorumdam ineffabilium, ſimiliter beatis propriam, quam eſſet perpetuò retenturus. Non meminit autem hîc illius viſionis qua ipſum Dominum vidit: quia de illa jam ſemel iterùmque locutus fuerat *in priore epiſt. cap.* 9. & 15.

5. Pro hujusmodi gloriabor. Id eſt, de illo tali homine, quem novi, gloriabor, non autem de me, ut ſtatim ſequitur. Nam illum hominem tanta revelatione dignatum à Deo, quaſi finxit alterum à ſe multis infirmitatibus ſubjecto; quia qualitates & accidentia diverſa ſunt, licet in eumdem hominem cadentia; ſicque illam ſuam excellentiam, quaſi ſit alterius hominis, per humilitatem diſſimulat. Itaque in ea re eſt fictio quædam perſonæ velut à ſua perſona diverſæ.

Pro me autem nihil gloriabor. Græcè, *De meipſo autem non gloriabor*; ſcilicet ut de me, vel in mea perſona: Nisi in infirmitatibus meis, juxta id quod ſuprà dixerat; *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor*, quo loco ſatis explicatum quas Apoſtolus vocet ſuas infirmitates.

6. Nam et si voluero gloriari, non ero insipiens; Ambroſianus & Græca conjunctionem *&* non legunt, tametſi addita lucem adfert orationi. Senſus eſt, Nam & ſi de meipſo voluero gloriari in his quæ glorioſa videntur hominibus, ut ſunt viſiones & revelationes, revera non ero inſipiens, licet aliquo modo futurus ſimilis inſipientibus.

Veritatem enim dicam. Ex ſuperioribus intelligendum eſt, Apoſtolo fuiſſe neceſſitatem gloriandi, ut gloriam pſeudapoſtolorum falſam & Corinthiis noxiam reprimeret. Qua neceſſitate conſtituta, benè ſequitur: *Veritatem dicam*, ergo ſi gloriatus fuero, non ero inſipiens: alioqui, etiam in veris gloriationem ſtultam eſſe perſæpè contingit. Neceſſitas excuſat gloriationem veram.

Parco autem ne quis me existimet. Græcè & Syriacè, *in me exiſtimet*, quod ſic videtur intelligendum, Ne quis imputet in rationes meas: Id enim ſonat phraſis Græca, quæ habet pronomen accuſativi caſus. Et eum ſenſum inſinuavit interpres Theophylacti, dum vertit, *ne quis imputet mihi.*

Supra id quod videt in me. Multa exemplaria legunt *quod videt me*: quibus Græca & Syriaca cum Ambroſiano patrocinantur. Aut aliquid audit ex me. Quod dicit Apoſtolus tale eſt: Ab hujuſmodi magnis & glorioſis recenſendis abſtineo, veſtri cauſa, ne quis propter illa plus mihi tribuat ac majorem exiſtimet, quàm mea facta quæ videt, & meus ſermo quem audit me eſſe declarant. Nam, ut annotant Græci, ſi victimas ei mactare tamquam Deo voluerunt Lyſtrenſes propter claudum ſanatum, *Act.* 14. Et, ſi Melitenſes Deum appellabant, quod viperam de manu illæſus excuſſiſſet, *Act. ultimo*: quid non tandem honoris ei impendiſſent homines, ſi præter ea magnificas illas revelationes eis manifeſtaſſet?

7. Et ne magnitudo revelationum extollat me: Græcè, *Et magnitudine*, ſive *excellentia revelationum ut ne extollar*: fermè conſonat Ambroſianus textus, nec non Auguſtinus in quæſtionibus ſuper librum Judicum; quorum alter legit, *ſublimitate*; alter, *in magnitudine.* Inter noſtram lectionem & Græcam hoc intereſt, quod ſecundùm Græcam poſſet eſſe ſenſus. Ne ob magnitudinem revelationum extollar ab hominibus, juxta id quod dixerat, *Ne quis me exiſtimet*, &c. Sic enim intellexit Photius apud Oecumenium, ſed benè rejicit hoc Theophyl. eumque reddit ſenſum, quem & contextus exigit, & interpretatio Latina magis expreſſit: Ne præ magnitudine revelationum inſoleſcam & vanè glorioſus ſim. Nam (inquit) & ipſe Paulus homo erat. Itaque hic locus oſtendit Apoſtolum non ita fuiſſe confirmatum in virtute, quin adhuc extolli poſſet in ſuperbiam. Nota, etiam ſanctiſſimis periculum à ſuperbia.

Datus est mihi stimulus carnis meæ. Græcè, *Datus eſt mihi ſtimulus*, ſeu *palus carni*, id eſt, in carne. Neque enim Græcè eſt κέντρον, ut Act. 9 *durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*, ſed σκόλοψ, quod propriè palum peracutum ſignificat, tametſi etiam pro ſtimulo & aculeo ponitur interdum. Sequitur appoſitivè.

Angelus Satanæ. Græcè eſt, Σατᾶν, indeclinabile ſine articulo; ut proinde ambiguum ſit, utrùm angelus Satanas intelligatur, id eſt, angelus adverſarius, ut vult Cajetanus, Faber & alii nonnulli; an verò, angelus Satanæ, quomodo plerique omnes accipiunt tam Græci, quàm Latini: idque rectiùs, juxta conſuetam phraſim ſcripturæ, qua miniſtri Satanæ ſeu diaboli vocantur angeli ejus.

Ut me colaphizet. Id eſt, colaphis cædat. Repetunt hîc Græci, *ut non extollar*, quod in quibuſdam exemplaribus Ambroſiani textus additum legitur, licet in Romanis abſit. Porrò quem Apoſtolus dicat ſtimulum carnis ſibi datum ne extolleretur, quem & angelum Satanæ vocat, vetus dubitatio eſt, necdum hactenus explicata, de quo primum illud annotatu dignum, quod ſcribit Hieronymus *epiſtola* 25. *ad Paulum ſuper obitu Blæſillæ*, monitorem quemdam humanæ imbecillitatis, ad revelationum humiliandam ſuperbiam, Apoſtolo Paulo appoſitum fuiſſe, in ſimilitudinem triumphantium, quibus in curru retrò comes adhærebat, per Quis ille ſtimulus Apoſtoli.

ſingulas acclamationes civium, dicens : Hominem te eſſe memento.

Notandum etiam quod Auguſtinus *lib. 2. de peccatorum meritis cap. 16.* exiſtimat Paulum hoc carnis ſtimulo, quiſquis ille fuerit, uſque ad mortem non caruiſſe. Quod & conſentaneum eſt verbis Apoſtoli, negantis ſe exauditum in eo quod Dominum rogavit, ut hoc malum ab ipſo diſcederet. Sed enim quis fuerit hic ſtimulus Pauli monitor, memorati Patres iis locis non exponunt. Imò Auguſtinus *libro de natura & gratia cap.* 27. ſe neſcire fatetur. In quem Auguſtini locum eſt dignum lectu ſcholion Henrici Gravii.

Feruntur autem variæ ſententiæ. Quarum una eſt Paulum cephalalgia, ſeu capitis dolore graviter ac ſæpè laboraſſe: cujus quidem opinionis ferè omnes meminerunt interpretes, itemque Hieronymus in commentario epiſtolæ ad Galat. ſuper illud cap. 4. *Et tentationem veſtram in carne mea non ſpreviſtis.* Sed vix ulli ſunt qui approbent; adeoque Græci diſertè rejiciunt, eo ſcilicet argumento, quo Apoſtolus hunc ſtimulum vocet angelum Satanæ; nam Apoſtolo Paulo dolorem capitis à Satanæ, id eſt, diabolo, fuiſſe immiſſum, &, ut Oecumenius loquitur, Pauli caput diaboli manibus fuiſſe traditum, ut rem perabſurdam, non ſine ratione exiſtimant; cùm Paulus is fuerit, qui poteſtatem haberet alios homines tradendi Satanæ, qui id meruiſſent. Pari ratione refelluntur qui ſtimulum interpretantur iliacum ſeu viſcerum dolorem; cujus meminit S. Thom. *in comm.* Et omninò qui morbum ſeu dolorem aliquem corporis ſignificatum putant; de quo generaliter meminerunt Chryſoſtomus *homil. 6. de laudibus Pauli*, & Auguſtinus *ſuper Pſal. 98. & 130.*

His igitur opinionibus rejectis, Chryſoſtomus ac reliqui commentatores Græci, atque inter Latinos Ambroſianus, & Primaſius, contendunt per ſtimulum carnis qui idem angelus Satanæ fuerit, intelligi oportere Pauli adverſarios, à Satana concitatos ad hoc ut ejus prædicationi & piis conatibus, velut quidam ſtimuli ſeu pali oppoſiti, ubique reſiſterent; quales fuere Alexander ærarius, Hymenæus, Philætus, Demetrius, & pſeudapoſtoli contra quos agit in hac epiſtola. Cæterùm quamvis hi plurimi fuerint, idcircò tamen Apoſtolum numero ſingulari dixiſſe, *angelum Satanæ*, quòd plerumque ſingulis locis unuſquiſpiam eſſet, qui Paulo reſiſteret, ducemque ſe aliis ad reſiſtendum præberet. Probant hunc ſuum commentarium, quod Paulus de hujuſmodi ſtimulo videatur interpretari ſemetipſum verbis ſequentibus dum nominat infirmitatem ſive infirmitates; atque eas ipſas mox exponit per contumelias, pericula, perſecutiones & anguſtias pro Chriſto toleratas; quæ nimirum ab adverſariis ei paſſim ſuſcitabantur. Qua ratione motus Cajetanus, in eamdem ſententiam propendet.

Verùm obſtare videtur, non modò quòd ratio propter quam dicunt Apoſtolum cùm de multis loqueretur, non tamen dixiſſe angelos, ſed angelum; coacta ſit, & longè petita; ſed etiam quod ait *ſtimulum* hunc *carni*, ſive in carne ſua, *datum*; quod quomodo convenienter de adverſariis Evangelii dicatur, illi non explicant. Ac ſanè quamvis multa Paulus in carne, id eſt, in corpore paſſus fuerit ab adverſariis; magis tamen illi Paulo reſiſtentes, ſpiritum ejus affligebant quàm carnem. *Adde*, quòd non ſolus Paulus, verùm etiam Petrus ac cæteri Apoſtoli atque inſignes Evangelii præcones, paſſi ſunt ejuſmodi adverſarios; velut Simeonem Magum, Diotrephetem, atque alios; Imò & Chriſtus ipſe pontifices Judæorum, Scribas & Phariſæos: Nemo tamen illis propter iſtiuſmodi cauſam attribuit ſtimulum carnis. Jam nec ignorabat Paulus egregios Chriſti & Evangelii miniſtros numquam carere adverſariis à Satana ſuſcitatis; idque adeò ad gloriam Evangelii pertinere ut inter adverſariorum oppugnationes ac bella, magis etiam efflореſcat; proinde nec orandum fuiſſe, ut (quemadmodum dicunt) Evangelica prædicatio ſibi ſine periculis & adverſariis procederet. Quæ certè fuiſſet improba petitio; niſi ſic eam intelligat ut voluerit Apoſtolus hujuſmodi adverſitates minui, non autem (quod verba ejus ſonant) ſimpliciter auferri. Porrò non pauci putant Apoſtolum per carnis ſtimulum indicare voluiſſe incentivum libidinis, quod in carne patiebatur, ut qui etiam alibi videatur tale quid inſinuare: dicit enim 1. Corinth. 9. *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo*: Quod utique pertinet ad motus carnis reprimendos. Et Roman. 7. poſt alia. *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Quæ lex membrorum etſi latiùs pateat, maximè tamen apparet in motibus libidinoſis. Senſum hunc proponunt nec rejiciunt Primaſius, Sedulius & Anſelmus: Haimo verò etiam probabiliorem exiſtimat. Quin & Hieronymus *in epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis, & ad Demetriadem de virginit. ſervanda, cap. 6. & ad Ruſticum monachum de vivendi forma, ca. 3.* nec non Auguſtinus *concione 2. in Pſalmum 58.* probare videntur. Auguſtini verba ſunt, *Accepit Apoſtolus ſtimulum carnis à quo colaphizaretur. Quis noſtrûm hoc dicere auderet, niſi ille confiteri non erubeſceret?* Eadem verba retulit Beda in commentarium. Si autem neque de morbo corporis, neque de perſecutionibus loqueretur Auguſtinus, neque apparet de quo aptiùs quàm de ſtimulo carnalis tentationis intelligatur.

Sententia probabilior de ſtimulo carnis.

His accedit Theophylactus, apud quem, poſt allatam communem Græcorum expoſitionem, hæc in veteri verſione ſequuntur: *Vel quod ſatius eſt, Veneris incitamenta, quibus maximè urgebatur, his verbis expreſſit.* Qui locus Theophylacti, cur à recentiori interprete in alium ac diverſum ſenſum tranſlatus ſit, exploratum non habeo, Græco Theophylacti codice deſtitutus. Denique ad hunc modum S. Thomas ſecundo loco interpretatur, Auguſtinum citans authorem, & poſt eum Liranus. Quibus adde Salvianum *in ſermon. de circumciſione*, qui fertur Cypriani titulo: ubi ſtimulum carnis exponit inſitum nobis ex Adam concupiſcentiæ vitium. Innuit hoc ipſum Beda *in homil. Dominicæ 5. poſt Paſcha*, dum Apoſtolum dicit petiviſſe ut tentatione careret. Hanc expoſitionem *lib. de Monachis cap. 30.* probat Bellarmin. teſtimoniis veterum, & ratione oſtendit eſſe præferendam.

Senſum hunc probabilem reddit primùm quod Apoſtolus dicit, ſtimulum carnis ſibi datum ad humilitatis cuſtodiam, ne ſcilicet magnitudine revelationum extolleretur; ſingulariter enim ad conſervandam humilitatem ſanctorum facit quòd in excellentia virtutum nondum liberos ſe ſentiant à tentatione carnalis libidinis. *Secundò*, quod ſtimulum nominat, eumque carni datum, ſecundùm Græcam lectionem, id eſt, qui pungeret ac ſtimularet carnem Apoſtoli; quod quidem maximè competit in ſtimulum libidinis. *Poſtremò* quod addit, *ut me colaphizet*, id eſt, ignominiam afficiat, vilemque reddat & contemptibilem: nam eo vocabulo ſignificari ignominiam, docent alia ipſius Apoſtoli loca, ut cap. præcedenti. *Si quis in faciem vos cædit. Secundum ignominiam dico.* & 1. Corinth. 4. *Colaphis cædimur.* Atqui maximè ad ignominiam & pudorem hominis pertinet, pati in carne ſua turpes ac beſtiales motus libidinis. Jam verò palam eſt nihil iſtorum perinde convenire in morbum corporis, aut in adverſarios Pauli.

Probatur ſententia.

Porrò *ſtimulus* ille videtur ea ratione vocari *angelus Satanæ*, quia diaboli partes & regnum adjuvat, incitando homines ad peccata & inquinamenta

carnis, vel quia diabolus hujusmodi stimulo tamquam Angelo seu ministro atque instrumento suo utitur ad regnum peccati propagandum. Nam res inanimatas vocari Angelos, ministros, nuncios, non est alienum à scriptura: Dicitur enim psalmo 103. *Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.* Quod ad literam de ventis & fluminibus intelligitur à multis. Et psalmo 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*: scilicet tamquam angeli ejus & ministri.

Si cui tamen hæc interpretatio de angelo Satanæ coactior videtur, & magis putet ad personam referendum, præsertim quia sequitur, *Rogavi Dominum ut discederet à me*, quod in personam aptiùs quadrat: dici poterit significari dæmonem aliquem diaboli ministrum, quo tentante & stimulante Paulus hoc malum in carne passus fuerit. Nam dæmones etiam iis tentationibus quæ à carne & à mundo fiunt, sese incentores admiscere, in confesso est.

Rejiciunt quidem longissimè memoratam expositionem stimuli carnis, Faber & Erasmus, tamquam indigna sit Paulo tali viro, eoque jam sene: sed qui miratur in Paulo sene carnis incentivum, miretur & in Gregorio Nazianzeno, qui jam senex de eo carnis suæ malo sæpè graviterque in scriptis suis conqueritur. Loca sunt in *Carmine adversus carnem;* & altero, *De calamitate naturæ suæ*, & tertio, *De rebus suis*, & *in epist. 96.* Vide & B. Augustinum *serm 43. de verbis Domini cap. 9.* Quamquam Paulus quando hanc epistolam scripsit, annos habebat dumtaxat quinquaginta septem, ut Baronius declarat, *tom. 1.* docens eum interfectum quum annos haberet sexaginta octo, epistolam autem hanc scriptam undecim annos antèà. Neque sanè putandum est hujusmodi sanctos viros à motibus carnis prorsus liberos esse; licet id fortè paucis quibusdam, singulari privilegio, fuerit à Deo concessum.

Sancti etiam ab impuris carnis motibus non prorsus liberi.

Si quæras à quo datus fuerit Paulo stimulus carnis, idemque angelus Satanæ; *Respondet* indubitanter Augustinus *lib. de natur. & gratia cap. 27.* & ex illo Beda in commentario, datum fuisse à Deo, non à diabolo. *Neque enim*, inquit, *diabolus agebat ne magnitudine revelationum Paulus extolleretur, & ut virtus ejus proficeretur; sed Deus. Ab illo igitur traditus erat justus colophizandus angelo Satanæ, qui per eum tradebat & injustos ipsi Satanæ.* Sic Augustinus. Quod non ita intelligendum quasi Deus carnalis tentationis author fuerit; aut peccatum aliquod malo angelo præceperit, quod nefas est sentire; sed quia per divinam suam providentiam permittere voluit & ordinavit ut Paulus ad hunc modum colaphizaretur.

8. PROPTER QUOD TER DOMINUM ROGAVI, UT DISCEDERET A ME. Græcè, *Propter hoc*, vel, *super hoc*, id est, super hac re; Nec minùs aptè verti potest, Propter hunc, scilicet stimulum carnis angelum Satanæ, *Propter quem ter rogasse se Christum Dominum* dicit, *ut discedere* sive absistere eum *à se* juberet. Non quòd contentus fuerit ter tantùm orasse pro depulsione mali tam molesti: sed quia, quemadmodum ait S. Thom. ter expressè magisque devotè & instanter hoc petiit: vel, secundùm Græcos, ter, id est, frequenter. Vel denique, non sæpiùs quàm ter; eo quòd post tertiam orationem acceperit à Domino responsum.

9. ET DIXIT MIHI. Dominus; Ubi nota Paulum obiter aliam adhuc revelationem sibi à Domino factam insinuare.

SUFFICIT TIBI GRATIA MEA. Quasi dicat: Non est tibi necessarium neque expediens ut fiat quod petis; id est, ut auferatur à te stimulus carnis: quia sufficit tibi ad malum hoc, quodcumque illud est, superandum, gratia mea, id est, favor ac benevolentia mea qua tibi volo benefacere: per hanc enim gratiam meam etiam de illo angelo colaphizante victoriam reportabis. Quod quidam gratiam hîc intelligunt miraculorum, non rectè se habet. Non enim ea sufficeret, sed magis occasio esset inflationis, si abesset gratia quam diximus.

Gratia quæ hîc intelligatur.

NAM VIRTUS IN INFIRMITATE PERFICITUR. Græcè, *Nam virtus mea*, &c. *virtus* autem potentiam hoc loco significat, non virtutem moralem, ut humilitatem, patientiam, temperantiam, tametsi ad hunc modum S. Aug. *lib. 3. cont. 2. ep. Pelag. c. 7.* & B. Thomas *in comment.* necnon alii Latinorum exponant, sed Græco vocabulo, δυνάμις, repugnante. Et quidem secundùm Græcos sensus est hujusmodi: Non expedit tibi stimulum illum carnis à te auferri, quia potentia gratiæ meæ maximè declaratur in infirmitate dum per eam fit ut sive tentatio carnis, sive persecutiones à malis hominibus illatæ, sive quidquid aliud infirmitatis nomine potest hîc intelligi, superetur à te, aut ne noceat, toleretur, & per hoc magis illustrem fortemque te reddat.

Quæ virtus Christi, hic.

Cæterùm alii virtutem Christi intelligunt quæ Paulo inerat à Christo; & à qua Paulus ipse fortis ac potens dicebatur. Hunc enim intellectum exigere videtur id quod mox sequitur, *ut inhabitet in me virtus Christi*, ac magis etiam illud quod paulò pòst dicit velut explicans præsentem sententiam, *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Conferenda sunt quæ dicebamus suprà ad illud cap. 4. *Ut sublimitas sit virtutis Dei.* Sic autem intellecta virtus Christi non solùm declaratur in hominis infirmitate, verùm etiam propriè perficitur & confirmatur. Atque isto modo virtutem acceperunt in his Apostoli verbis, Hieron. *epist. 25. ad Paulum super obitu Blæsillæ*, & commentator Ambrosianus. Infirmitatem verò etiam ad illud infirmitatis genus quod in mentis ac virtutum imperfectione consistit, Augustinus extendit *lib. de gratia Christi cap. 12.* itemque *serm. 5. de verbis Apostoli, & contra duas epist. Pelag. loco suprà citato*: Non quod propriè virtus seu fortitudo Christiani hominis in hoc genere infirmitatis perficiatur, cùm sit ei contraria; sed quia, sicut Augustinus loquitur, perfici non potest homo, qui se non fateatur infirmum. Unde & Hieronymus *in epist. ad Ctesiphontem* affirmat hanc unam præsentis vitæ perfectionem esse, ut te imperfectum agnoscas.

Quæ hic infirmitas.

Verùm, etsi rectissimè secundùm fidei analogiam hæc dicantur; attamen hæc infirmitatis tam larga acceptio contextui Apostolico minus convenit; Videtur enim Apostolus per infirmitates ea significare quæ patiebatur tam in corpore quàm in animo, comprehensis etiam tentationibus carnis & diaboli; non autem animi vitiis aut peccatis: & virtutem ponit in patientia atque victoria infirmitatum, non autem in agnitione.

Porrò circa hanc Apostoli petitionem & Domini responsionem, sciendum est non ideò Apostolum non fuisse exauditum, quòd malè petiverit; neque enim reprehensa fuit à Domino ejus petitio: sed quia petebat aliquid quod cum esset per se bonum, nesciebat sibi non expedire. Hoc autem Domino revelante didicit. Itaque licet exauditus non fuerit in eo quod expressè voluit & petivit, exauditus tamen fuit secundùm id quod implicitè voluit atque intendit, id est, bonum suum salutare. Hinc B. Hier. (citante S. Thom.) in epist. ad Paulinum, *Bonus Dominus*, inquit, *qui sæpè non tribuit quod volumus, ut tribuat quod mallemus.* Hoc igitur exemplum Pauli & similia, nos docent illam Domini promissionem, *Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*, Joan. 15. cùm hac imprimis necessaria restrictione intelligendam esse: Quidquid expediens saluti vestræ petieritis; nam exaudire in eo quod non expedit, non esset beneficium tribuere, sed malum inferre, quod utique contra intentionem orantis est.

Quomodo Apostolus exauditus.

Quæ orationes exaudiantur.

LIBENTER IGITUR GLORIABOR IN INFIRMITATIBUS MEIS. Sermo plenior eſt in Græco, quomodo & apud Ambroſianum legitur : *Libentiſſime itaque magis gloriabor in infirmitatibus meis*; id eſt, quandoquidem juxta reſponſum Domini, *virtus in infirmitate perficitur*; equidem, ſi gloriandum eſt, libentiſſimè gloriabor in infimitatibus meis, magis ac potiùs quàm in ulla alia re qua videar excellere. Aut, ſecundùm Theophylactum, potiùs gloriabor in infirmitatibus meis, quàm contriſtabor in illis.

UT INHABITET IN ME VIRTUS CHRISTI. Ambroſ. *Ut prætendat in me.* Theophylacti interpres, *Ut tentorium figat ſuper me.* Recipit enim verbum Græcum hujuſmodi interpretationes. *Senſus eſt*, Ut fixam in me ſedem habeat, magiſque in dies ſuper me confirmetur potentia Chriſti, qua nimirum potens ſum in Chriſto ad ſuperandas omnes infirmitates. Oſtendit hic locus, Chriſti fuiſſe verba dicentis *Sufficit tibi gratia mea*, *Nam virtus mea*, &c.

10. PROPTER QUOD PLACEO MIHI IN INFIRMITATIBUS. Non tamquam per ſe expetendis, ſed quatenus per illas in me perficitur atque inhabitat virtus Chriſti : hanc enim cauſam beneplaciti, ſeu gaudii, quod capere ſe dicit ex infirmitatibus, ſignificare voluit dicendo, *Propter quod*, id eſt, propter inſignem earum utilitatem quam dixi. Nec malè refertur hoc etiam ad ſtimulum carnis, ſic intellectum quomodo Latini multi intelligunt. Stimulus enim carnis, ut ait S. Thomas, etſi ſecundùm ſe vitandus, tamen inquantum eſt via ad virtutem, & exercitium virtutis, appetendus eſt ; licet non fateamur eum ſimpliciter appeti poſſe. Cui reſponſioni congruit quod ſuperiùs dixit Apoſtolus, hunc carnis ſtimulum ſibi à Deo datum eſſe, ſcilicet inquantum eſſet virtutis exercitium. Qua de re vide noſtrum commentarium *in 2. diſt. 23.*

IN CONTUMELIIS, IN NECESSITATIBUS, IN PERSECUTIONIBUS, IN ANGUSTIIS PRO CHRISTO ; ſcilicet illatis ac toleratis. Hæ ſunt infirmitates de quibus locutus eſt, tametſi non ex toto genere. Eaſdem ferè & ſimiles recenſuit cap. 6. Quo loco expoſuimus quas dicat *neceſſitates*, & quas *anguſtias*. Addit autem, *pro Chriſto*, quo materiam ſignificet gloriationis. *Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes & colaphizati, ſuffertis* ? ait Petrus 1. epiſt. 2.

CUM ENIM INFIRMOR TUNC POTENS SUM. Id eſt, cùm imbecillis ſum, cùm ſubjicior infirmitatibus prædictis, eaſque patior ; tunc potens ſum, non mea, ſed Chriſti virtute, quæ me facit omnibus illis ſuperiorem, ideoque meritò glorior ac placeo mihi in illis.

11. FACTUS SUM INSIPIENS. Additur in Græco, *glorians*. Et referenda eſt tota ſententia ad totam gloriationem præcedentem, quam hîc rurſus excuſat. Senſus enim eſt, gloriando ac meipſum laudando factus ſum quaſi inſipiens. Ratio hujus ſermonis ſatis à nobis ſuperiùs explicata eſt.

Neceſſitas ſuperioris gloriationis ſeu propriæ laudis.

VOS ME COEGISTIS. Id eſt, veſtra me cauſa compulit ad hanc quaſi inſipientiam, qui tanti facitis pſeudapoſtolos, mei contemptores. Similiter utique dicere poterat beatus Job amicis innocentiæ ſuæ calumniatoribus, apud quos prolixa meritorum ſuorum commemoratione ſe laudavit cap. 29. 30. & 31. Poterat, inquam, dicere *factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis*. Debebat enim non ſolùm innocentiam ſuam à calumniis vindicare, verùm etiam pernicioſum errorem amicorum, ex quo calumniæ proficiſcebantur, eo pacto refellere.

EGO ENIM A VOBIS DEBUI COMMENDARI. Vos, inquit, me ad hanc veluti ſtultitiam coegiſtis, qui defueritis officio erga me veſtro, nimium addicti pſeudapoſtolis. Nam veſtrarum partium erat, me doctorem & Apoſtolum veſtrum commendare, meamque dignitatem adverſus obtrectatores tueri.

NIHIL ENIM MINUS FUI AB IIS QUI SUNT SUPRA MODUM APOSTOLI. *Fui*, non *feci*, quod vulgares quidam codices habent, legendum eſſe, docent plura ac probatiora mss. exemplaria, ſuffragantibus etiam bibilis Clementinis. Nec ſecus legiſſe Ambroſianum, Anſelmum, & ſcholiaſten Hieronymi operibus adjunctum, declarant eorum commentarij. Græcè ad verbum eſt, *Nihil enim defeci*. Hieron. lib. 3. dial. contra Pelag. *Nihil enim mihi defuit ab iis qui ſupra modum ſunt Apoſtoli*. Senſus eſt : Quod ad gratiam & functionem attinet Apoſtolici muneris, nihilo inferior fui, nihil minùs præſtiti, quàm illi *qui ſupra modum Apoſtoli ſunt*, id eſt, Apoſtolorum primi atque præcipui. Quos autem hoc nomine ſignificet, pleniùs expoſitum eſt *cap. ſuperiori.* Senſus.

Sed hîc rurſum obſerva modeſtiam Pauli, qui cùm plus omnibus laboraſſet ; tamen contentus fuit dicere, ſe non inferiorem cæteris fuiſſe : Ac revera ſatis hoc erat contra pſeudapoſtolos, negantes Paulum æqualem eſſe Apoſtolis, qui cum Chriſto fuerant in carne verſati. Æqualem autem, intellige, in Apoſtolico munere, doniſque ei connexis, cujuſmodi erat gratia miraculorum, cujus etiam mox infrà meminit. Quocirca nihil locus derogat prærogativæ Petri ; qui totius Eccleſiæ rector & paſtor conſtitutus, etiam cæteris Apoſtolis major atque ſuperior fuit.

Nota ad mores modeſtiam Apoſtoli.

In quo Paulus Petro æqualis.

In quo inferior.

TAMETSI NIHIL SUM. Præcedentibus adhæret hæc particula, qua, more ſuo, contra tentationem ſuperbiæ revocat ſe per veram humilitatem ad conſiderationem infirmitatis, & (ut ita dicam) nullitatis propriæ. *Senſus enim eſt*, Nihil ſum ex meipſo ; ſed totum quod ſum, quod habeo, & quod ago, gratiæ Dei in me & per me operanti, acceptum refero. Sic in prima epiſtola cap. 15. cùm dixiſſet, *Abundantiùs illis omnibus laboravi*, ſubjunxit, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.*

12. SIGNA TAMEN APOSTOLATUS MEI FACTA SUNT SUPER VOS. Græcè, & Syriacè, *ſigna quidem Apoſtoli facta*, ſeu perfecta, *ſunt in vobis*. Huic lectioni in eo quod habet, *Apoſtoli*, non *Apoſtolatus mei* conſentiunt Ambroſianus textus, & non pauci codices Latini mss. *Signa Apoſtoli* vocat opera quæ probant ipſum Apoſtolum eſſe, qualia ſtatim enumerat. Quamquam *ſigna Apoſtoli* poſſunt etiam intelligi miracula Apoſtolica ; nam ſignorum nomine miracula ſignificari, frequentiſſimum eſt in ſcripturis. Hoc modo, *ſenſus* & ratiocinatio Apoſtoli talis erit : Miracula non quævis, ſed tam magnitudine quàm numero Apoſtolica, patrata ſunt apud vos, ac vobis videntibus : At ea miracula non ab alio quàm à me facta ſunt : igitur negari non poteſt me eſſe Apoſtolum magnis illis Apoſtolis ſimilem. Ad hunc ſenſum invitat Græcum verbum, quod ſignificat, effecta, patrata. Cæterùm, *in vobis*, non *ſuper vos*, etiam Ambroſianus legit. Senſus.

Quæ ſigna veri Apoſtoli.

IN OMNI PATIENTIA. Primum ſignum Apoſtoli nominat omnimodam ac perfectam patientiam ; Apoſtolis à Chriſto ſingulariter commendatam, quando dixit, *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Primus character Apoſtoli, ait Theophylactus, eſt patientia, quæ facit omnia dextrè ac ſtrenuè ferre. Quoniam autem patientia, teſte Jacobo Apoſtolo, opus perfectum habet ; idcircò ſub patientia, licebit cæteras Apoſtolici animi virtutes comprehendere.

IN SIGNIS ET PRODIGIIS ET VIRTUTIBUS. Hæc inter ſigna Apoſtoli, ſecundo loco ponit, etſi primum admirationis locum habeant apud homines : Quomodo differant hæc tria, non conſtat. Oecumenius putat unum quiddam idemque, per ea ſignificari. Plerique diſtinguunt, alii aliter. Nobis ea maximè probabilis diſtinctio videtur, quam inter *ſigna & prodigia* dedimus in *expoſitione epiſt. ad Rom.* 15.

quam in hoc loco non est necesse repetere. Quid autem virtutum nomine significetur, item à nobis dictum est 1. *Cor.* 12.

Jam, quoniam superiùs diximus signa Apostoli posse intelligi miracula Apostolica; quorum tamen exemplum non potest assignari patientia : restat explicandus etiam ille sensus. Miracula, inquit, Apostolica apud vos, à me facta sunt, non cum fastu & imperio, quasi propterea me extollens, vosque in servitem redigens, sicut facere conantur Pseudapostoli, sed cum omni patientia & humilitate; facta sunt, inquam, multipliciter, id est, in signis & prodigiis & virtutibus.

13. QUID EST ENIM QUOD MINUS HABUISTIS PRÆ CÆTERIS ECCLESIIS? Id est, qua in re fuistis inferiores cæteris Ecclesiis, non iis solùm quæ ab aliis Apostolis, sed etiam quæ à me fundatæ sunt? Nam Apostolum comparare Corinthios cum aliis Ecclesiis etiam à se fundatis satis constat, tum ex eo quod dixit superiori capite, *Alias Ecclesias exspoliavi*, tum ex verbis hîc sequentibus.

NISI QUOD EGO IPSE NON GRAVAVI VOS. Scilicet, accipiendo sumptus in ministerium meum, quod & alij faciunt Apostoli, & ego in aliis Ecclesiis. Per ironiam abutitur exceptiva particula *nisi*; nam non gravari sumptibus, non erat minus habere cæteris Ecclesiis, sed præcellere. Quamquam in eo revera minus habebant, sed præter culpam sui Apostoli, quod tam infirmi essent, ut gratis prædicandum illis fuerit. Pro verbo *gravavi*, Græcè est κατενάρκησα, quod unum est ex iis, quibus, ut scribit Hieronym. *in epistola ad Algasiam quæstion.* 10. Paulus juxta morem urbis & provinciæ in qua natus erat, familiariùs usus est.

DONATE MIHI HANC INJURIAM. Hæc similiter urbana est ironia : Neque enim injuria erat, quæ condonaretur, sed beneficium, quod agnosceretur.

14. ECCE TERTIO HOC PARATUS SUM VENIRE AD VOS, ET NON ERO GRAVIS VOBIS. *Hoc* non est in Græcis plerisque : tamen Robertus notat tria exemplaria sibi conspecta quæ habuerint, quorum unum Complutense. Non est etiam apud Ambrosianum. Videtur additum ex initio capitis sequentis. Et quod interpres vertit, *non ero gravis vobis*, rursum Græcè est, οὐ καταναρκήσω ὑμῶν, *non gravabo vos*, scilicet repetito verbo de quo jam dixi. Non, inquit, hæc commemoro tamquam exprobrans, & admonens ut quod hactenus non feciſtis, posthac saltem faciatis : Ecce enim nunc tertiò paratus sum ut ad vos veniam, ac spiritualia vobis ministrem; idque sine vestro gravamine.

An ter Corinthum venerit Apostolus.

Quæritur an Paulus ter venerit Corinthum. Id enim tum ex hoc loco apparet, tum ex eo quod dicit capit. sequenti. *Ecce tertiò hoc venio ad vos.* Ita sentit Cardinalis Baronius *in annal. ad annum Domini* 58. atque ea Græcorum videtur esse sententia; tametsi non satis explicatè de ea re loquuntur : nam Theophylactus *hîc & sequent. cap.* à seipso dissentire videtur. Certè Lucas *in Actis* expressè tantum describit unum Pauli adventum ad Corinthios, *cap.* 18. alterum verò indicat, *cap.* 20. dicens Paulum venisse in Græciam, & tres menses ibi fecisse; ubi Græciam vocat Achaiam, in qua Corinthus est : hic adventus posterior fuit hac *secunda ad Corinthios epistola*, & in ea promissus. Accedit quod ipse Apostolus hujus *epistolæ*, *cap.* 1. cùm ait se voluisse venire ad Corinthios ut secundam gratiam haberent; satis significat se ante illud tempus semel tantùm Corinthiis adfuisse. Et hæc aperta est sententia S. Thomæ, qui quod hîc dicitur de tertio adventu, explicat ad hunc modum : Paulum Apostolum ter paratum fuisse adire Corinthios, sed bis tantùm eos adiisse. *Primùm* enim paratus fuit & adiit, quando eos convertit ad Christum. *Secundò*, paratus fuit & non adiit, quia fuit impeditus, qua de re excusat se primo capite hujus epistolæ. Nunc autem *tertiò* paratus est, & post scriptam hanc epistolam adiit. Itaque bis ivit Corinthum, & ter paratus fuit ire.

Hic Thomæ commentarius, cui Liranus subscribit, planè consonat cum illis Apostoli verbis cap. 1. *Volui priùs venire ad vos ut secundam gratiam haberetis; & per vos transire in Macedoniam, & iterùm à Macedonia venire ad vos.* Hæc enim verba secundum & tertium adventum Apostolo fuisse in voluntate & præparatione significant, licet secundus propter impedimentum non fuerit in executione. Consonat etiam cum eo quod dicit cap. sequent. *Prædixi, & prædico* : ut illic liquebit. Secundò autem Corinthum venisse Apostolum, ex eo constat quod inde tunc scripsit epistolam ad Romanos, ut *in argum. illius epist.* ostendimus.

NON ENIM QUÆRO QUÆ VESTRA SUNT, SED VOS. Id est, in ministerio meo erga vos, non specto commoda mea temporalia, non quæro pecunias vestras, sed vos, id est, vestram salutem : & quia hoc principaliter specto, idcircò, sicut hactenus, ita & deinceps paratus sum, vestræ salutis causa, gratis ministrare vobis spiritualia.

NEC ENIM DEBENT FILII PARENTIBUS THESAURIZARE, SED PARENTES FILIIS. Facti sui congruentiam ostendit alia ratione, sumpta ab officio patris. Quasi dicat. In eo quod à vobis nihil accipio, patres imitor, quorum non est à filiis accipere, sed filiis dare. Ita ego pater vester (*Nam in Christo Jesu ego vos per Evangelium genui*, 1. Cor. 4.) spiritualia vobis impendo, paratus nihil temporale recipere. Non negat Apostolus filios debere subvenire necessitati suorum parentum, prout lex divina præcipit, *Honora patrem tuum & matrem*; parique ratione fideles teneri ad alendum suos pastores : sed negat naturæ ordinem hoc habere, ut filij thesaurizent & congregent bona parentibus. Nam, ut ait Thomas, congregatio seu thesaurizatio fit in posterum; atqui naturaliter & ordinariè filij succedunt parentibus, non contrà; proinde naturalis amor parentes impellit ut filiis thesaurizent, non filios ut parentibus. Vide eumdem S. Thom. 2. 2. *qu.* 101. 2. 2.

15. EGO AUTEM LUBENTISSIME IMPENDAM, ET SUPER IMPENDAR IPSE PRO ANIMABUS VESTRIS. Græcè, *& expendar pro animabus vestris.* Pergit Apostolus animum suum paternum erga Corinthios, declarare. Equidem, inquit, lubentissimè non solùm, ut pater, quæcumque habeo vobis impendam, id est, impendere paratus sum, tantùm abest ut quæ vestra sunt quæram : verùm etiam si sit opus, pro vita & salute vestra ipse expendar, hoc est, meipsum in consumptionem & mortem dare paratus sum, juxta illud Salvatoris, *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Joan. 10.

LICET PLUS VOS DILIGENS MINUS DILIGAR. Obliquè notat Corinthiorum ingratitudinem, quòd tantis ab ipso beneficiis affecti, vicem non redderent amoris. Potest autem comparatio pluribus modis accipi; Vel ita, *Licet plus* (ut in Græco, abundantiùs) *vos diligens* quàm diligant vos Pseudapostoli; *minus* tamen quam illi *diligar* à vobis. Vel sic, *licet plus diligens vos* quàm alias Ecclesias quibus Christum prædicavi, (quod probant majores pro vobis susceptı labores sine sumptu vestro) *minus* vicissim à vobis *diligar*, quàm ab illis; quia Pseudapostolos æmulos meos susceptistis & colitis, quod aliæ Ecclesiæ non fecerunt. Vel comparatione reciproca, Licet vos non vicissim me tantùm diligatis, quantum ego vos diligo. Duæ priores expositiones apud S. Thomam leguntur : Tertia probabilitatem habet ex eo quod accidit in parentibus & filiis, quorum jam meminerat Apostolus : nam plerumque filij minus soleant parentes diligere quàm ab iis diligantur.

16. SED ESTO, EGO VOS NON GRAVAVI; SED CUM ESSEM ASTUTUS, DOLO VOS CEPI. Occurrit objectioni, quæ ex adverſo moveri poterat. *Eſto*, conceſſionem adverſarij ſignificat; ut ſit ſenſus, Conceſſerit fortè quis quòd ego ipſe vos ſumptu non gravavi, ſed dicet me, tamquam hominem aſtutum, dolo & arte vos circumveniſſe; nimirum alios ſubornando qui pro me acciperent, cùm ipſe nollem videri quicquam accipere. Suſpicatur Cajetanus Apoſtolum hæc dicere, quòd his artibus uterentur Pſeudapoſtoli, utpote doloſi operarij. Thomas Aquinas 2.2. *quæſt.* 55. *art.* 4. *ad* 1. intelligit hæc affirmanter dicta à Paulo de ſeipſo; & dolum interpretatur abuſivè ſumi in bonam partem, ſicut interdum accipitur aſtutia. Verùm idem S. doctor meliùs ex mente Apoſtoli locum hunc explicat *in comment.* quemadmodum nos fecimus; Nec alium ſenſum admittunt quæ ſequuntur.

17. NUMQUID PER ALIQUEM EORUM QUOS MISI AD VOS CIRCUMVENI VOS? Negatione interimit calumniam; quaſi dicat. Nihil tale feci. Græcam ſententiam obſcuriorem benè & clarè reddidit interpres, Eraſmo etiam aſtipulante. Quod ait *circumveni*, Græcè eſt, ἐπλεονέκτησα, avarè extorſi. De cujus vocabuli ſignificato pleniùs egimus *cap.* 2. & 7. *hujus ejuſdem epiſt.*

18. ROGAVI TITUM, Sive adhortatus ſum Titum, ut ad vos proficiſceretur. Utroque modo verbum Græcum vertit interpres *cap.* 8, ubi ſimiliter de Titi miſſione agitur.

ET MISI CUM ILLO FRATREM. Incertum quem fratrem dicat. Nec illud quidem conſtat, fueritne alter eorum quos unà cum Tito mittere ſe dixit *cap.* 8 diverſæ enim miſſiones ſunt: Nam ibi de præſenti loquitur miſſione, hîc de præterita. Quamquam additus in Græco articulus innuit fuiſſe fratrem aliquem inſignem & celebrem: fortè eumdem illum, *cujus laus in Evangelio per omnes eccleſias.*

NUMQUID TITUS VOS CIRCUMVENIT? Ambroſianus legit, *Numquid avarus in vos fuit Titus?* Plenior ſenſus ex Græco eſt, Num Titus aliquid, vel minimum à vobis extorſit? NONNE EODEM SPIRITU AMBULAVIMUS? Id eſt, An non eodem animo & eadem voluntate Titus & ego converſati ſumus erga vos? Poteſt etiam ad ſpiritum Dei referri; juxta illud Gal. 5. *Spiritu ambulate.*

NONNE IISDEM VESTIGIIS? Repetendum, ambulavimus, ingreſſi ſumus. Per eadem veſtigia, ſignificat externorum operum ſimilitudinem. Porrò interrogationes hæ vehementiorem multò reddunt orationem, quàm ſi nudè de Tito vel negaret aliquid vel affirmaret, quaſi dicat. Tam nota eſt omnibus Titi integritas, ut de eo aliter ſentire ac loqui nullus auſit.

19. OLIM PUTATIS QUOD EXCUSEMUS NOS APUD VOS? *Olim*, Græcè, *Iterùm*; ſicque legit Ambroſianus. Veriſimile eſt interpretem in Græco pro πάλιν, legiſſe πάλαι. Sed Græcorum lectioni favet ſimilis locus cap. 3. *Incipimus iterùm noſmetipſos commendare?* Ex quo etiam loco, magis apparet, interrogativè legendum quod hîc dicitur; & hunc habere ſenſum: Num iterùm ex occaſione ſuperiorum verborum arbitramini nos apologiam noſtri texere, idque agere præcipuè ut nos apud homines commendati ſimus; utque coram hominibus integri ac puri videamur? quaſi dicat. Non ille ſcopus in hac oratione mihi propoſitus eſt; ſed veſtram in omnibus ſpecto ſalutem. Hunc ſenſum oſtendunt tum illa ſequentis capitis, *Non ut nos probati appareamus*, &c. tum id quod hîc ſequitur.

CORAM DEO, IN CHRISTO LOQUIMUR. Duplex juramentum hîc agnoſcit S. Thomas in *comment.* necnon Eraſmus *in paraphraſi*, quæ ſic habet: Teſtis eſt Chriſtus, cujus negocium agimus. Sanè utraque pars, *coram Deo*, & *in Chriſto*, alibi reperitur juramenti vim habere apud Apoſtolum: Prior quidem. Gal. 1. *Ecce coram Deo quia non mentior*, Poſterior autem Rom. 9. *Veritatem dico in Chriſto, non mentior*: tametſi Cajetanus & alij, illud *in Chriſto* ſic malunt intelligere, ſecundum Chriſtum ejuſque doctrinam, id eſt, ſyncerè & ſine fuco: vel, in Chriſti ſpiritu, & Chriſto per me loquente; ut ait ſequenti capite: ut nimirum hoc ipſum ſit quod juratur, Chriſtum per Paulum loqui; vel certè illud quod ſequitur.

OMNIA AUTEM CHARISSIMI, PROPTER ÆDIFICATIONEM VESTRAM. Id eſt, quæcumque hactenus loquimur in noſtram quaſi commendationem, ea loquimur ad veſtram ſalutem promovendam; non ad gloriam aut excuſationem noſtram.

20. TIMEO ENIM NE FORTE, CUM VENERO, NON QUALES VOLO INVENIAM VOS. Rationem reddit cur adeò ſolicitus ſit pro ſalute Corinthiorum, ut tam prolixè propter eos ſe commendaverit. Similem dedit rationem ſuperiori capite, dicens: *Timeo ne ſicut ſerpens Hevam ſeduxit aſtutia ſua; ita corrumpantur ſenſus veſtri*, &c. Senſus eſt, Nam timeo ne quo pacto contingat, ut veniens ad vos, ſicut jam conſtitui; non quales velim, vos inveniam; id eſt, benè correctos à priſtinis vitiis, nominatim iis de quibus in priori epiſtola vos increpavi.

ET EGO INVENIAR VOBIS QUALEM NON VULTIS. Græcè, *Inveniar vobis*, *qualem non vultis*, ſcilicet, triſtis pater, & ſeverus judex, propter peccata veſtra nondum per pœnitentiam deleta: minatur ſeveritatem vindictæ erga malos: Unde contra hæreticos ſtatuitur tribunal eccleſiaſticum; quemadmodum & ex illo 1. Cor. 4. *Quid vultis? In virga veniam ad vos?* Sed de poteſtate hac apertiùs adhuc loquitur *cap. ſequenti.*

NE FORTE CONTENTIONES. Hinc uſque ad finem capitis explicat utrumque quod ſe timere dixit; ac prius quidem id quod priùs poſuerat, nempe ſe timere, ne Corinthios non quales velit, inveniat. Hoc eſt, inquit, *ne forte*, (vel ut Græcè, *ne quo modo*) multa adhuc vitia regnent apud vos; ut *contentiones*, id eſt, verborum pugnæ, ſolo vincendi ſtudio ſuſceptæ. Conferendus hic locus cum *c.* 5. *Gal.* illic ubi recenſentur opera carnis.

ÆMULATIONES. Genus invidiæ ſignificatur; dum quis dolet alium potiri bono, quod ipſe concupivit & aſſequi non potuit.

ANIMOSITATES. Alij vertunt, iras; Græca vox θυμοὶ impetum animi efferveſcentis, & adiram concitati, DISSENSIONES, Græcè *concertationes*; quæ intelligi poſſunt in ſtudiis & factis; ſicut contentiones in verbis; ut non malè diſtinguit Cajetanus. Vide Hieron. *comment. in cap.* 5. *ad Galat.*

DETRACTIONES, SUSURRATIONES, INFLATIONES. Ambroſianus pro *inflationibus timores* legit; ſignificatur autem ſuperbiæ vitium: Nam ſuperbi inflati dicuntur.

SEDITIONES SINT INTER VOS. *Seditiones*, id eſt, tumultuationes; quas Theophyl. interpres Græco vocabulo preſſiùs inhærens, *inordinationes* vertit. Videtur autem reſpicere Apoſtolus ad ſchiſmata Corinthiorum, de quibus initio *prioris epiſt.* ac rurſum, *cap.* 11. & 14. quod ſequitur *ſint inter vos*, ab interprete additum eſt cauſa explendæ ſententiæ quam Paulus reliquit imperfectam.

21. NE ITERUM CUM VENERO, HUMILIET ME DEUS APUD VOS. Explicat alterum quod timere ſe dixerat, quodque ex priori conſequens erat; videlicet ne inveniatur ab illis qualem nollent. In Græco eſt, *Deus meus*, idque emphaticè dictum ab Apoſtolo, Theophyl. & Oecumen. annotarunt. Quod ait *iterùm*, id vel ad adventum in humilitate referri poteſt, quaſi dicat ſe metuere ne ſecundus hic ſuus ad Corinthios adventus iterùm ſit in humilitate,

ſicut primus fuerat ; de quo ſuperiùs *cap.* 10. Vel ad ſolum adventum, ſicut, *cap.* 2. ut ſenſus ſit, ne iteratus hic adventus meus ſit in humilitate ; Vel denique referendum tantummodo ad verbum *humiliet.* Fuerat enim Paulus jam antè humiliatus, eo modo humilitatis de quo hîc loquitur ; quando nimirum abſens corpore, præſens autem ſpiritu, Corinthium illum incæſtum Satanæ tradiderat.

Correptio & punitio eccleſiaſtica fit cum dolore ejus qui exercet.

Etenim, quamvis Corinthum veniens uſurus erat poteſtate ſua adverſus malos, quemadmodum & adverſus fornicarium illum uſus fuerat, quod pertinere videtur ad exaltationem ; tamen humiliandum in eo ſe dicit, quoniam uſus ille poteſtatis non erat ſine magna ipſius utentis triſtitia & luctu, quibus humiliatur ac dejicitur homo. Unde ſuperiùs ait cap. 2. *Ut non, cum venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam.* Dicens autem, *humiliet me Deus* : illud ſignificare voluit quod cecinit Anna mater Samuelis 1. Reg. 2. *Dominus humiliat & ſublevat* ; ſcilicet tam triſtitia quàm læta Deo auhore provenire. Porrò humilitatem exponit per id quod ſequitur.

Luctus prælatorum ſuper impœnitentibus.

ET LUGEAM MULTOS EX IIS QUI ANTE PECCAVERUNT. Non antequam ad Chriſtum converſi eſſent, ſed poſt converſionem, & ante ſcriptam priorem epiſtolam ; ſicut & peccaverat ille quem Satanæ tradidit : Nam ad impudicitiæ peccata relapſos fuiſſe complures Corinthiorum, ſatis arguunt ea quæ ſcribit Apoſtolus *cap.* 5. *&* 6. *prioris epiſt.* Triſtitiam verò ſuam *luctum* vocat, ut innuat eos qui peccaverunt, Deo mortuos eſſe.

ET NON EGERUNT POENITENTIAM SUPER IMMUNDITIA ET FORNICATIONE ET IMPUDICITIA QUAM GESSERUNT. Notandum eſt Apoſtolum non dicere, Et lugeam multos qui peccant & permanent in immunditia, &c. ſicut intelleXiſſe videtur Auguſtinus lib. 3. contra epiſtol. Parm. capit. 2. ſed, *qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam de peccatis quæ geſſerunt*, id eſt, perpetraverunt : Nam, ut benè S. Thomas annotat, Corinthiorum quædam peccata erant præſentia, quædam præterita ; præſentia quidem ſpiritualia, ut contentiones æmulationes &c. de quibus in parte, præcedenti ; præterita verò, carnalia, de quibus hac parte, à quibus quidem abſtinere jam videbantur, ſed nondum per pœnitentiam ſalutarem erant expurgati : Quod enim ait eos non egiſſe *pœnitentiam ſuper immunditia*, &c. de fructibus dignis pœnitentiæ intelligendum eſt, quos nondum fecerant ; ad quos proinde compellendi erant Apoſtolica poteſtate. Hinc ergo refellitur illud Lutheri : *Optima pœnitentia nova vita, & à peccatis abſtinere.* Refellitur item Novatianus, qui fratres lapſos ad pœnitentiam admitti noluit. Inter *immunditiam, fornicationem, & impudicitiam*, hoc intereſſe videtur, quod fornicatio ſit concubitus maris & fœminæ extra conjugium ; immunditia comprehendat ea carnis peccata quæ contra naturam committuntur ; Impudicitia verò conſiſtat in libidinoſis oſculis, tactibus ac cæteris hujuſmodi. In hunc modum S. Hieron. de Immunditia loquitur, *in cap. 5. ad Galat.* ubi inter opera carnis ponitur immunditia. De impudicitia autem ſic Thom. 2. 2. *quæſt.* 151. 4. *c.*

Obſ. contra Sectarios, ſatisfactionis Chriſtianorum neceſſitatem.

CAPUT XIII.

ECce tertiò hoc venio ad vos : In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. 2. Prædixi, & prædico, ut præſens, & nunc abſens, iis qui antè peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi venero iterum, non parcam. 3. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus, qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis ? 4. Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate : ſed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi ſumus in illo : ſed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis. 5. Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide : ipſi vos probate. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt ? niſi forte reprobi eſtis. 6. Spero autem quod cognoſcetis, quia nos non ſumus reprobi. 7. Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non ut non probati appareamus, ſed ut vos quod bonum eſt faciatis : nos autem ut reprobi ſimus. 8. Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate. 9. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi ſumus, vos autem potentes eſtis. Hoc & oramus veſtram conſummationem. 10. Ideò abſens ſcribo, ut non præſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem. 11. De cætero, fratres, gaudete, perfecti eſtote, exhortamini, idem ſapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum. 12. Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſancti. 13. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis. Amen.

Deut. 19. *b.* 15. *Mat.* 18. *b.* 16. *Jo.* 8. *c.* 17. *Heb.* 10. *c.* 28.

SUMMARIUM.

PRæmonet eos, ſe iis qui peccaverant non parciturum, niſi agant pœnitentiam. Denique interpoſita ad pacem exhortatione, benè iis precatur.

ECCE TERTIO VENIO AD VOS. Iſtud *ecce*, plerique codices Græci non habent : eſt tamen in Compl. & quibuſdam aliis, ut notat Rob. Senſus eſt, *Tertius hic erit adventus meus ad vos* ; ut ad ſenſum benè vertit Eraſmus. Nam Græcum ἔρχομαι, licet formam habeat verbi præſentis temporis ; ſignificationem tamen habet futuri, nempe ejus quod ſit in procinctu ; præſertim in ſacris literis. Repetit Apoſtolus de adventu ſuo, ut eo metu corrigant ſeſe Corinthij ac virgam Apoſtolicam præveniant. Quomodo autem intelligendum ſit quod dicit ſe tertiò venire, explicatum eſt capite ſuperiori ad illud : *Ecce tertiò hoc paratus ſum*, &c. Ex quo etiam loco, particula *ecce* quam Græca hîc pleraque non habent, videtur huc aſſcita.

IN ORE DUORUM VEL TRIUM TESTIUM STABIT OMNE VERBUM. Præceptum eſt judiciale legis Moſaicæ, *Deuter.* 19. Cujus ſenſus eſt : Omnem controverſiam judicandam eſſe juxta teſtimonium duorum aut trium. *Dubitatur* autem utrum ſignificare velit Apoſtolus ſe in judicandis & puniendis peccatoribus proceſſurum ſecundùm formam divinæ legis, ſcilicet auditis duobus aut tribus teſtibus ; ne putent Corinthij quod vel præcipitanter ac temerè judicaturus ſit, vel magnam teſtium multitudinem adhibiturus ; quæ Cajetani expoſitio eſt : *An verò*, quod voluit Ambroſianus & Græci, reſpiciat & alludat ad ſuum ſecundum & tertium ad Corinthios adventum, ut quaſi duorum aut trium teſtium loco ſint duo vel tres adventus ipſius, per quos certiùs de peccatis & impœnitentia Corinthiorum, quibus virgam minatur, cognoſcere poterit. Huic ſenſui favet quod jam dixerat tertiò ſe venturum, quaſi tertius adventus tertium teſtimonium futurum ſit. Adde, quod de manifeſtis & notoriis peccatis loquitur in quibus judicandis & puniendis teſtium inductione non videtur opus fuiſſe, ſicut nec opus fuerat in puniendo eo qui patris uxorem habuerat : præterea confirmat hunc intellectum quod ſequitur.

2. PRÆDIXI ET PRÆDICO, UT PRÆSENS ET NUNC ABSENS, IIS QUI ANTE PECCAVERUNT, ET CÆTERIS OMNIBUS. Quædam mss. legunt *ut præſens bis* : Quæ lectio etiam apud Lombardum & Aquinatem eſt, atque alios mediæ ætatis commentatores. Pro *bis* Græca & Syra habent *ſecundò*, ſicque legit Auguſtinus *lib. 3. contra epiſt. Parm. cap.* 1. *&* 2. Quod pleniùs expreſſit textus Ambroſianus *ſecundo adventu.* Jam quod complures Latini codices non *bis* ſed *vobis* legunt, à non intelligentibus

ea facta mutatio eſt ; cum prorſus appareat ſynceram verſionis noſtræ lectionem eſſe, *ut præſens bis.*

Porrò Græca & Syra addunt aliquid hoc pacto, *& abſens nunc ſcribo iis qui* &c. tametſi ſine verbo, *ſcribo*, perfecta conſtat ſententia, quæ videtur eſſe hujuſmodi. *Prædixi vobis, & prædico*, id eſt, denunciavi & denuncio ; *prædixi*, inquam, *tamquam præſens ſecundò, & nunc prædico abſens, iis qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam*, ſicut ſupradictum eſt ; & non iis ſolùm, ſed & cæteris omnibus, tamquam teſtibus futuris denunciationis ac prænonitionis meæ. Hîc obſerva Apoſtolum de ſecundo adventu ſuo loquentem, non dicere, præſens, ſed *ut præſens* ; quemadmodum & de fornicario illo dixerat, *Jam judicavi ut præſens* ; ut hinc quoque intelligas quòd tantùm ſemel fuerat revera præſens ; ſed quia ſecundò propoſuerat venire, vult hoc æſtimari tamquam ſecundam præſentiam. Quid verò prædicat ac denunciet ſequitur.

QUONIAM SI VENERO ITERUM, NON PARCAM. *Iterùm* præcedenti verbo rectiùs jungitur, quàm ſequenti. Hoc eſt, inquit, quod prædixi & prædico, me, ſi rurſus venero, non parciturum illis qui peccaverunt ; ſicut peperci, à ſecundo abſtinens adventu. Sic enim ait hujus epiſtolæ cap. 1. *Parcens vobis non veni ultra Corinthum.* In eo quod dicit, *non parcam* ; virgam eccleſiaſticæ diſciplinæ comminatur, ut excommunicationem, & ſatisfactionis rigorem.

Diſciplinæ eccleſiaſticæ virga.

3. AN EXPERIMENTUM QUÆRITIS EJUS QUI IN ME LOQUITUR CHRISTUS ? Græcè ſine interrogatione legitur hoc modo ; *Quandoquidem probationem quæritis loquentis in me Chriſti.* Sic & Auguſtinus lib. 3. contra epiſtolam Parmeniani cap. 2. *quia probationem quæritis*, &c. Apud Ambroſianum ſic habetur : *Quomodo probationem quæritis ejus*, &c. niſi fortè mendum eſt, ut pro (quomodo) legendum ſit (quoniam) uti vertit Theophylacti interpres. *Senſus* Græcæ lectionis eſt ; Dico me non parciturum ; quandoquidem ita vos geritis quaſi dubitetis & experimento probare velitis an Chriſtus in me loquatur ; id eſt, an ex poteſtate à Chriſto accepta tamquam verùs ejus Apoſtolus, ego hæc loquar quæ dixi de puniendis impœnitentibus.

Idem *ſenſus* Latinæ lectionis ; niſi quod interrogatio vehementiorem reddit orationem, quomodo ſi præceptor diſcipulis dicat : An vultis experiri me eſſe præceptorem veſtrum, qui poſſim vos caſtigare ? Cæterùm hæc dicit Apoſtolus, ut timore Corinthiis incuſſo provocet eos ad pœnitentiam maturè agendam ; ne cùm venerit, cogatur punitivam & vindicativam, uti loquitur Oecumenii interpres, quam à Chriſto acceperat, poteſtatem in eos oſtendere.

QUI IN VOBIS NON INFIRMATUR, SED POTENS EST IN VOBIS. Priori loco Græcè non eſt *in vobis* ſed *in vos*, ſive *erga vos*. Qui Chriſtus, inquit, non eſt imbecillis in vos, id eſt, reſpectu veſtri tamquam in vos peccantes non poſſit animadvertere ; ſed fortis, ac potens eſt in vobis, quia potiam ſuam apud vos jam ſatis declaravit, non ſolùm per miracula virtute ejus facta, quibus adducti eſtis ad fidem, & per multiplicia ſancti Spiritus dona inter vos diſtributa, verùm etiam in punitione delinquentium, velut illius fornicarii in Chriſti nomine & virtute traditi Satanæ, 1. *Cor.* 5. itemque eorum qui indignè ſumpſerant corpus & ſanguinem Domini quorum alii in varias ægritudines inciderant, alii morte abrepti erant 1. *Cor.* 11.

4. NAM ETSI CRUCIFIXUS EST EX INFIRMITATE ; SED VIVIT EX VIRTUTE DEI. Id eſt, Quamvis crucifixus fuit, & in cruce mortuus, ſecundùm carnem infirmam, paſſibilem, mortalem, & hominum dæmonumque injuriis obnoxiam, vivit tamen nunc vita immortali & impaſſibili, ex virtute & potentia Dei patris, qui revocavit eum de morte ad vitam, non ultrà moriturum. Itaque jam non ampliùs infirmus, ſed potens eſt ; cujus proinde potentiam vos etiam in miniſtro ejus timere debetis. Ambroſianus legit, ſicut & Hilarius lib. 9. de Trinitate, *ex infirmitate noſtra*, & exponit Chriſtum propter peccata noſtra crucifixum eſſe : Siquidem peccata vocantur in ſcripturis infirmitates. Sed illi lectioni reclamant codices quotquot extant, tam Græci quàm Latini, tametſi Pelagius videri poteſt ita legiſſe ; ſic enim habet ejus commentarius, *Quod crucifixus eſt noſtræ eſt infirmitatis ; quod vivit, ſuæ virtutis.*

NAM ET NOS INFIRMI SUMUS IN ILLO. Id eſt, Sic igitur & nos Apoſtoli infirmi ſumus, utpote multis injuriis, periculis & afflictionibus obnoxii, idque *in illo*, hoc eſt, propter Chriſtum & verbum ejus, ut exponunt Græci ; vel ſecundùm Cajetanum in ipſo tamquam exemplari, cui nos ejus miniſtri conformamur, ſecundùm quod ipſe prædixit ; *Si me perſecuti ſunt & vos perſequentur.* Joan. 15. Unde & ait Apoſtolus ſuperiùs cap. 4. *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes.*

SED VIVEMUS CUM EO EX VIRTUTE DEI IN VOBIS. Græcè, *in vos*, vel *erga vos*, ut habet Ambroſianus. Sciendum multa Latina mss. quibus annuit Syriaca verſio, legere *vivimus*, verbo præſentis temporis : Qua ſanè lectione verus hujus loci ſenſus adjuvatur. Eſt autem talis ; Sed tamen etiam vivimus cum Chriſto, id eſt, Chriſto viventi ex virtute, nos quoque aſſimilamur, in eo quod ex eadem Dei virtute vivimus. *Erga vos*, id eſt, potentes ſumus veſtri reſpectu, ut non ſolùm miracula apud vos patrare, quemadmodum cap. ſuperiori dictum eſt, ſed etiam vos peccantes punire & caſtigare poſſimus. Vitam per potentiam exponimus : Nam vitam infirmitati opponit Apoſtolus, ſimulque reſpicit ad illud quod de Chriſto dixit, *Sed potens eſt in vobis.* Si legas *vivemus*, in futuro, quod in pleriſque Latinis eſt & omnibus Græcis, ac proinde minimè repudiandum, ſenſus haud minus commodus erit iſte : Sed inſtar Chriſti virtute Dei potentes erimus erga vos, tunc nimirum quando res poſtulabit ut poteſtatem in vos exerceamus.

5. VOSMETIPSOS TENTATE SI ESTIS IN FIDE, IPSI VOS PROBATE. Non ſolùm, inquit, in me loquitur Chriſtus per poteſtatem ab ipſo datam, verùm etiam, ſi volueritis voſipſos explorare ac probare, cognoſcetis in vobis Chriſtum eſſe per fidem. Vel hoc modo ; Quæritis experimentum loquentis in me Chriſti ? potiùs ad voſipſos reſpicite, & voſipſos tentate ac probate, num fidem habeatis, & per hoc (ſicut proximè ſequitur) Chriſtus in vobis ſit.

Dubium eſt de qua fide loquatur Apoſtolus. Ac primùm, non videtur intelligi poſſe de fide quæ omnibus Chriſtianis eſt communis, & à charitate ſeparari poteſt, tum quia ſcire poterant Corinthii ſine nova probatione ſe talem fidem habere ; teſtatur enim S. Aug. *libr.* 13. *de Trinit. cap.* 1. nos habere certiſſimam ſcientiam fidei quæ in nobis eſt, & D. Thom. *in hunc locum* ſcribens, affirmat nos ſcire quod teneamus fidem quam eccleſia catholica docet ac tenet ; Idemque in 1. 2. quæſt. 112. art. 5. ad 2. *Quiſquis*, inquit, *habet fidem, certus eſt ſe eam habere.* Tum quia per hujuſmodi fidem non continuò Chriſtus in nobis eſſe dicitur, juxta morem ſcripturæ. Quocirca, vel de fide per dilectionem operante loquitur Apoſtolus ; hanc enim ut humana quadam & conjecturali certitudine quiſque ſe habere ſciat, probare ſe ipſum debet ex operibus & intentione. Qui ſenſus ſatis congruit ſcopo Apoſtoli ; reprehendit enim Corinthios non de infidelitate, ſed de malis operibus : Vel certè, ſecundùm multorum expoſitionem, loquitur de fide miraculorum efficaci, & cum dono

Quæ fides ab Apoſtolo hîc intelligatur.

prophetiæ & linguarum conjuncta, quæ fides signum esse solet Christi habitantis in eo fidelium cœtu, in quo ipsa viget. Sic enim & alibi, gratiam miraculorum idem Apostolus assumit tamquam signum accepti Spiritus-sancti; ut ad Gal. 3. cùm ait; *Qui ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis*, &c.

AN NON COGNOSCITIS VOSMETIPSOS QUIA CHRISTUS JESUS IN VOBIS EST? Quasi dicat, Per experimentum fidei, in qua probatione adhibita invenitis vos esse, planè cognoscitis Jesum Christum esse in vobis; ut proinde de me, cujus ministerio fidem accepistis, ambigere non debeatis, quin loquatur in me Christus. Malè colligunt ex hoc loco sectarii, hominem justum certò scire se esse filium Dei, & Christum inhabitantem in se habere: Ac facilè refelluntur ex verbis præcedentibus. Etenim si Corinthios admonet Apostolus: ut seipsos probent ac tentent num sint in fide, per quam Christus in eis sit; utique de ea re certi non erant. Nam quod certum est, probatione non eget. At neque post probationem quisquam certus est omnimoda certitudine, Christum in se habitare; sed ex probatione cognitionem accipit magnæ probabilitatis, & ut jam dixi, moralis cujusdam certitudinis. Qua de re vide etiam S. Thomam *in hunc locum*. Quamquam videtur Apostolus non de singulis loqui, sed de ecclesia Corinthiorum; certiùs autem cognoscitur in ecclesia quapiam particulari Christum per gratiam habitare quàm in uno quopiam homine.

Obj. contra Sectarios, Fidei speciali non favere hunc Apostoli locum.

NISI FORTE REPROBI ESTIS. Græcè, *Nisi quid reprobi estis*: ubi *quid* videtur esse particula mitigantis asperitatem sermonis; durum enim erat suspicari Corinthios esse reprobos. Unde alii verterunt, Nisi in aliquo reprobi estis. Potest autem exceptio referri vel ad verbum *cognoscitis*, vel ad illud extremum, *in vobis est*; tametsi benè censet Cajetanus magis quadrare, ut ad prius referatur. *Sensus* enim est; Omnino cognoscitis experimento certorum effectuum Christum esse in vobis; nisi qua parte reprobi estis, id est, viles ac degeneres effecti, utpote carentes ac destituti signis illis, ex quibus excellentiam vestram cognoscatis. Neque enim reprobi hîc dicuntur, qui contra prædestinatos distingui solent, uti manifestius patet ex sequentibus. Ita hinc nullo modo consequens est quòd hæreticorum quidam docent, eos qui hoc modo reprobi dicuntur, numquam habere Christum in se habitantem per gratiam & justitiam.

Reprobi quinam hoc loco.

6. SPERO AUTEM QUOD COGNOSCITIS, QUIA NOS NON SUMUS REPROBI. Multi codices tam excusi quàm mss. legunt futurum, *cognoscetis*; quibus Græcus & Syriacus textus, nec non editio Clementina suffragantur. Ambrosianus quoque futurum tempus expressit, hoc modo: *Spero autem cognituros vos*. Proinde lectionem hanc arbitramur esse veram ac genuinam. Porrò *sensus*, juxta Græcos interpretes, comminatorius est, quasi dicat Apostolus, Si fortè non cognoscitis Christum in vobis esse, propterea quòd plerique vestrûm vita corrupti, dudum exciderunt à pristinis Spiritus sancti donis; at spero vos experientia cognituros, quod nos non simus reprobi, id est, viles ac potestate destituti; faciam ut agnoscatis authoritatem meam, nec patiar me contemni.

7. ORAMUS AUTEM DEUM UT NIHIL MALI FACIATIS. Græcè, *Opto apud Deum*; vel *Oro ad Deum ut* &c. Ambros. *Oro autem Deum*. Sensus & connexio talis est; Quod dico me sperare &c. non hoc dico quasi delectet me usus potestatis meæ in vos; quin potiùs opto ac Deum oro ne quicquam mali faciatis, videlicet dignum censura Ecclesiastica, & Apostolica, sic ut opus sit me declarare potestatem quam habeo ad puniendum malos. Patet hic sensus ex præcedentibus. Itaque impertinens est huic sententiæ, recténe Deum quis oret, ut careat omni peccato etiam veniali. Cæterùm benè ex ea sequitur quod abstinere à peccato sit ex Gratia Dei: Nam oratio gratiæ testificatio est. Protectio à peccatis divinæ gratiæ est.

NON UT NOS PROBATI APPAREAMUS: *Probati*, in Græco participium est; sed nomen oppositum ei quod dixit, *reprobi*. Non hoc, inquit, desideramus, aut a Deo petimus, ut nos judicando & puniendo vos, videamur esse magnæ authoritatis, id est, ut nos habeamur in precio, quem scopum pseudapostoli sibi propositum habent.

SED UT VOS QUOD BONUM EST FACIATIS; ut mihi non sit opus uti virga censoria. Benè utramque justitiæ partem eis precatur Apostolus: priorem ut nihil mali faciant; alteram, ut quod bonum est agant, implentes illud, *Declina malo, & fac bonum*. Hinc rursus sequitur, gratiæ Dei esse quod bonum facimus; sicut ex hoc loco colligit August. *lib. de gratia Christi, cap.* 25. Pſalm. 33. Opera salutaria ex divina esse gratia.

NOS AUTEM UT REPROBI SIMUS. *Ut*, id est, tamquam, quemadmodum superiùs capit. 5. *ut præsens*. Verbum autem *simus* concedentis est, quomodo dicimus, Esto; *Sensus* enim est, facilè patiar me haberi ut reprobum, id est vilem, gloriæ ac potestatis expertem; nec volo ullam meæ dignitatis haberi rationem; dummodo vos constanter in bono perseveretis, & nihil admittatis quod me cogat ostendere potestatem quam à Christo accepi.

8. NON ENIM POSSUMUS ALIQUID ADVERSUS VERITATEM, SED PRO VERITATE. Id est, Potestas mea punitiva nullum habet usum quamdiu veritas & justitia servatur; quia non est contra veritatem, ut illa destruatur, sed pro veritate conservanda: utpote data contra transgressores, non contra justos, juxta illud 1 Timoth. 1. *Lex justo non est posita, sed injustis*. Unde & ait Rom. 13. *Vis non timere potestatem, bene fac*. Quare, si vos Corinthii, nihil dignum punitione egeritis, sed quod bonum est feceritis, ego potestate vacuus apparebo. Nam ubi culpa non est, omnes sumus pares: ut ex Gregorio Thomas annotat: Porrò *veritatem* pro eo quod rectum & justum est, accipi frequens est in sacris literis. In quales exercenda potestas eccles.

9. GAUDEMUS ENIM QUONIAM NOS INFIRMI SUMUS, VOS AUTEM POTENTES ESTIS. Græcè, *cum*, vel, *si quando nos infirmi sumus, vos autem potentes estis*. Ambros. *cum nos infirmamur, vos autè fortes estis*. Verisimile est interpretem nostrum vertisse, *quando*; quod abbreviatè scriptum, facilè transit in *quoniam*. Habent *quando* mss. nonnulli, in quibus Laudensis. Estque sensus hoc pacto clarior, quia tempus significatur indefinitum. Non solùm, inquit, alieni sumus à cupiditate ostentandæ potestatis nostræ, verum etiam gaudemus, si quando nos infirmi & impotentes simus, videlicet subtracta nobis materia nostræ potestatis, & viciſſim vos potentes, ut adversus quos ego nihil possim, ob correctam vitam vestram. Potest & prior pars, juxta phrasim Hebræam, exponi per hypothesin; quemadmodum illud Roman, 6. *Gratias Deo quia fuistis servi peccati*, &c. ut sensus sit Gaudeo, vos esse potentes, etsi ego infirmus ac reprobus habear, non valens uti potestate. Sensus.

HOC ET ORAMUS, VESTRAM CONSUMMATIONEM. Græcè, *Hoc autem & oramus*, sive *optamus*, sive *votis prosequimur, vestram integritatem, perfectionem*, seu *refectionem ac instaurationem in integrum*; Tale quid enim verbale Græcum καταρτισις significat, deductum à verbo quod Matthæus usurpavit capit. 4. *reficientes retia*: quo & infrà Paulus utitur; *Sensus* est: Hoc quod dixi, scilicet ut potentes sitis, votis precibusque ad Deum fusis optamus; vestram, inquam, perfectionem, qua correctis vitiis ac sublatis dissidiis, integri sitis & irreprehensibiles, ac potestati nostræ nequaquam obnoxii.

10. IDEO HÆC ABSENS SCRIBO, UT NON PRÆSENS DURIUS AGAM. Pro *duriùs agam*, Græcè est

severiter seu *ridigè utar*. De Græco adverbio ἀποτόμως plura vide in commentario nostro ad illud Tit. 1. *Increpa illos durè*. Sensus autem est: Propterea hoc absens scribo, vosque commoneo, ne quum præsens fuero, vosque adhuc incorrectos invenero, cogar uti severitate & rigore disciplinæ adversum vos; idque

SECUNDUM POTESTATEM QUAM DOMINUS DEDIT MIHI, IN ÆDIFICATIONEM ET NON IN DESTRUCTIONEM. Hoc & superiùs dictum est, atque expositum *cap.* 10. Congruit autem cum eo quod paulò antè dixit, *se nihil posse adversus veritatem, sed pro veritate*. Non est autem consequens ex his Apostoli sententiis, dispensationes prælatorum Ecclesiæ quæcumque absque justa causa fiunt, prorsus irritas esse; sed tantùm, malè ac temerè factas esse, & præter finem ac legitimum usum potestatis à Deo concessæ: multa autem malè fiunt, quæ facta tenent, ut jura loquuntur. Idque manifestum est in ordinationibus sacerdotum, & collationibus beneficiorum, & aliis hujusmodi. Unde & Patres admonent injustam excommunicationem timendam esse.

An irritum quidquid nō fit recto usu ecclesiasticæ potestatis.

11. DE CÆTERO, FRATRES, GAUDETE. Epilogus est epistolæ. Græcum verbum tria significat, *gaudete, salvete, valete*: Quod postremum reddidit Erasmus. At Græci interpretes de gaudio exponunt. Nam quia contristaverat Apostolus Corinthios priore Epistola; nunc hortatur eos ad gaudium sanctum & spirituale, quale utique habituri erant si se corrigerent.

PERFECTI ESTOTE. In Græco, verbum à quo verbale, quod superiùs vertit interpres *consummationem*: quasi dicat, redintegramini; integri estote; corrigite vitia priora, ut nihil inveniam in quo cogar exercere meam potestatem. Observa Apostolum id nunc præcipere quod paulò antè orare se dicebat. Ex quo discimus eadem esse quæ præcipiuntur hominibus, & quæ à Deo præstanda hominibus exspectantur. Insuper observa quàm aptè congruant, quæ hîc in fine *secundæ Epistol.* dicuntur Epilogi loco, cum iis quæ dicta sunt in principio prioris. Illic enim dixerat, *Sitis perfecti in eodem sensu & eadem sententia*. Hîc repetit, eodem utens verbo Græco, *Perfecti estote*. Illic monuit dicens, *Ut idipsum dicatis omnes: & non sint in vobis schismata*. Hîc mox subjungit: *Idem sapite, pacem habete*. Unde intelligimus, præcipuam Apostolo curam in his Epistolis scribendis fuisse, ut per concordiam & charitatem benè cohærerent animis inter se Corinthii, tamquam unius atque integri corporis membra.

Bona opera & gratiæ esse, & liberi per gratiam præventi arbitrii.

EXHORTAMINI. Verti potest, *Consolamini* id est, consolationem accipite. Idque magis congruit: contristati enim fuerant, ut jam dictum est.

IDEM SAPITE. Id est, concordes atque unanimes estote: Syriacè, *sit inter vos concordia*. Hoc addit, propter dissensiones & schismata quæ inter illos fuerant; de quibus in epistola priore. Unde & sequitur.

PACEM HABETE. In Græco unum verbum est, quasi dicat. Pacificamini: vel ut rectè Ambros. In pace agite: Id est, non sint inter vos contentiones & rixæ.

ET DEUS PACIS ET DILECTIONIS ERIT VOBISCUM. In Græco contrarius ordo, dilectionis & pacis. Si, inquit, concordiam & pacem inter vos habeatis; Deus author fraternæ charitatis, quæ concordiæ parens est, idemque author pacis erit vobiscum per ampliora gratiæ suæ dona.

SALUTATE INVICEM IN OSCULO SANCTO. Hoc ipsum jam in duabus præcedentibus Epistolis audivimus.

12. SALUTANT VOS OMNES SANCTI. Id est, fratres seu Christiani qui apud nos sunt. Sic enim in priore Epistola, *Salutant vos omnes fratres*. Cur autem Christiani ab Apostolo sancti vocentur, alibi explicatum est.

13. GRATIA DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI. Id est, Gratuita beneficentia Christi redemptoris nostri. Quamquam pronomen *nostri* non est in Græco. Potest etiam intelligi gratia quæ datur per Christum, id est, per meritum ejus. Sic enim alibi sæpè gratia Jesu-Christi intelligitur. Sed sequentia magis postulare videntur intellectum priorem quem dedi; ut Christus Dominus significetur author gratiæ, sicut Pater & Spiritus-sanctus: & proinde consideretur secundum naturam divinam. Nam & ita sæpè loquitur Apostolus; quoties fidelibus ad quos scribit, precatur gratiam à Deo patre & Domino Jesu-Christo.

ET CHARITAS DEI PATRIS, qua scilicet nos dilexit. Quæ charitas in eo potissimùm commendatur, quod filium suum pro nobis in mortem tradidit. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, Joan. 3.

ET COMMUNICATIO SANCTI SPIRITUS. Id est, participatio seu larga effusio donorum Spiritus-sancti; ut communicatio activa intelligatur; sicut gratiam Jesu-Christi, & charitatem Dei patris interpretati sumus. Ita communicatio accipitur Heb. 13. *Beneficentiæ & communicationis nolite oblivisci*. Et in hac ipsa Epistola, ubi agit de communicatione quæ fit in Sanctos. Convenienter autem hujusmodi donorum largitio attribuitur Spiritui, sancto, qui amor est Patris & Filii; cui proinde bonitas appropriatur, quæ sui diffusiva est.

SIT CUM OMNIBUS VOBIS. Scilicet per multiplices effectus gratiæ Christi, & charitatis patris, & communicativæ bonitatis Spiritus-sancti. Hoc loco distinctè nobis insinuantur tres in divinis personæ. Id quod contra hæreticos Trinitatis mysterio contradicentes, diligenter à Græcis commentatoribus est animadversum. Porrò Græci codices post finem Epistolæ asscripta habent hæc verba: Ad Corinthios secunda scripta est è Philippis Macedoniæ per Titum & Lucam. Quæ subnotatio quatenus vera sit ac recipienda, facilè potest intelligi ex iis quæ *in argument. hujus Epistol.* & in *expositione cap.* 8. à nobis dicta sunt.

Sancta Trinitas expressa.

IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD GALATAS. COMMENTARIUS.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ.

CUM per Apoſtoli Pauli prædicationem inter alios etiam Galatæ verbum veritatis, hoc eſt, fidem Chriſtianam, rectè edocti eſſent, adeò ut & pro Chriſti nomine multa adverſa tolerarent, & virtute Spiritus-ſancti per Chriſtum accepti, apud eos etiam miracula ederentur: poſt Apoſtoli receſſum, à falſis quibuſdam fratribus qui ex circumciſione erant, ſolicitati ad circumciſionem cæteraſque Moſaicæ legis ceremonias traducti ſunt; non ita quidem ut Chriſtum penitus abjicerent, ſed ut legem cum Chriſto conjungerent, atque miſcerent. Illi namque pſeudapoſtoli, Chriſtum quidem ut doctorem ac præconem veritatis recipiebant; redemptorem verò authoremque juſtitiæ non agnoſcebant; & ceremoniis, peccatorum veniam; à Chriſto, doctrinæ veritatem & exempla perfectæ juſtitiæ quærenda, docebant; quaſi nihil aliud eſſet Chriſti Evangelium, quàm hominis ad pietatem inſtitutio, non item impii juſtificatio. Quod eatenus poſteà ſecutus eſt Pelagius hæreſiarcha, ut doctrinæ legis ac libero arbitrio ſalutaria virtutum opera & mandatorum Dei obſervationem aſſcriberet; ſolam peccatorum remiſſionem Chriſti merito reſervans.

Quum verò memorati pſeudapoſtoli ſcirent omnem Pauli conatum in hoc eſſe, ut gratiæ Chriſti ad benè ſanctéque vivendum neceſſitatem oſtenderet, legis infirmitatem argueret, ceremoniarum ceſſationem prædicaret; neque exemplo patientiæ Chriſti contentus, ſacramentum crucis inculcaret; multis modis laborabant, ut illius authoritatem elevarent ac deprimerent. Quod & diſcimus ex utraque ad Corinthios epiſtola. Itaque eum negabant verum Chriſti Apoſtolum, id eſt, à Chriſto miſſum, ut qui Chriſtum in carne non vidiſſet; ſed eſſe diſcipulum Apoſtolorum, qui doctrinam illorum nec ſatis intelligeret, nec fideliter referret. Cæteros Apoſtolos, quibus velut Chriſti quondam familiaribus, & apud fideles authoritate primis, potiùs eſſet credendum, aiebant aliud longè ſentire ac docere, quàm Paulus doceret.

Nam quia videbant Apoſtolos Judæis adhuc uſum legalium ceremoniarum indulgere, ipſoſque etiam, dum inter Judæos agerent, legem obſervare (ſi quidem mortua quidem lex erat, ſed nondum mortifera) arbitrabantur eorum doctrinam ab his quæ Paulus docebat planè diſcrepare; neque conſiderantes hujuſmodi facti ipſorum rationem, neque cauſam Gentilium ac Judæorum diſcernentes. Accedebat quòd Petrus Apoſtolorum princeps, etiam tunc cum eſſet Antiochiæ, quæ Gentilium, non Judæorum civitas erat, à cibis & menſa Gentilium ſeſe de induſtria ſubtraxerat: tamquam facto ſuo doceret à cibis lege vitiis ubique & omnibus ſine diſcrimine abſtinendum eſſe: proindeque legis ceremonias omnibus eſſe obſervandas.

Ad hæc Apoſtolus Paulus ita reſpondet hac epiſtola, ut in primis & dignitatem Apoſtolatus ſui adverſus pſeudapoſtolos tueatur, & ſuæ doctrinæ cum reliquis Apoſtolis concordiam, ex habita inter ipſos collatione, comprobet. Cæterùm de facto Petri ſic loquitur, ut eum propter hoc palàm à ſe reprehenſum dicat: qui tamen etiam ipſe, priuſquam quidam à Jacobo fratres Judæi advenirent, cum Gentibus cibum ſumpſerit, ut eo quoque quod Petrus fecerat, adverſariorum propoſitum elidat. Mox rationibus, & adductis è ſcriptura veteri teſtimoniis ab errore Galatas revocat: videlicet ex ipſa lege, legis abrogationem oſtendens. Interim varios affectus paſſim inſpergit epiſtolæ; modò admirans, modò increpans, nunc obſecrans, alibi obteſtans ac denuncians: quòd his modis, velut prudens medicus, ſciret cum iis ad quos ſcribebat, pro eorum ingenio agèndum eſſe: quippe qui & Timotheum inſtruat dicens: *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina;* & Tito præcipiat Cretenſes durè increpandos ut ſani ſint in fide. Quod autem in aliis epiſtolis facit, ut poſt doctrinam fidei, ſubjiciat præcepta morum; id & in hac præſtitit, mores informans à medio quinti capitis uſque ad finem.

1. Tim. 4. Tit. 1.

Porrò

Porrò convenit argumentum hujus epiſtolæ cum ea quæ ad Roman. ſcripta eſt, quòd in utraque doceat Apoſtolus, non ex lege & ceremoniis, ſed ex fide Chriſti, hominem juſtificari. Convenientia hujus & ad Rom. Epiſtolæ.

Verùm hoc intereſt, quod ad Roman. ſcribens intentionem magis dirigat contra opera legis qua parte moralis eſt, in quibus adverſus Gentiles gloriabantur Judæi: hic verò præcipuè contra ceremonias, ad quarum obſervationem à pſeudapoſtolis Galatæ (qui Gentiles erant) urgebantur. In quo differant.

Illud huic epiſtolæ peculiare, quòd (ſicut etiam à B. Hieronymo obſervatum eſt) ipſa ſola, inter tredecim Paulinas non ad unius civitatis fideles ſcripta eſt, ſed ad totius provinciæ. Nam Galatia, non urbis, ſed regionis nomen eſt, in Aſia minori ſitæ; in qua teſte Auguſtino *lib. de unit. eccleſ. cap.* 12. eccleſiæ erant innumerabiles. Ea Gallogræcia alio nomine vocata fuit, quòd in eam Græciæ partem Galli quondam ob finium ſuorum anguſtiam, commigraſſent. Quid huic Epiſtolæ inter Paulinas proprium.

Ubi & quando ſcripta ſit hæc epiſtola, non conſtat. Ex Epheſo miſſam eſſe, teſtatur argumentum Latinis exemplaribus præfixum: At Græcorum ſubſcriptio, miſſam eſſe vult ex urbe Roman. quod conſiſtere non poteſt, ſi ante epiſtolam ad Roman. ſcripta eſt, ut ſentit Theophyl. Atqui veriſimilius eſt poſteà ſcriptam eſſe; nam ad Roman. ſcribens Apoſtolus capit. 5. ſignificat ſe jam tum occupari in eleemoſyna colligenda pro ſanctis pauperibus qui erant Jeroſolymis; In hac verò epiſtola idipſum tamquam à ſe jam perfectum refert his verbis capit. 2. *Tantùm ut pauperum memores eſſemus; quod etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere.* Ubi & quãdo ſcripta ſit.

Eadem ratione Romæ potiùs quàm Epheſi ſcriptam apparet; quum enim in Aſia verſaretur Apoſtolus, ubi Epheſus eſt, id adhuc agebatur ut Achaia & Macedonia collationem facerent in pauperes memoratos. Sed nec ideò negandum Romæ ſcriptam eſſe, quòd in ea nullam faciat vinculorum ſuorum mentionem, ſicut in cæteris quæ ex urbe Roma miſſæ ſunt, ſcilicet ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Philemonem, & altera ad Timotheum: Nam ut taceam per *ſtigmata Chriſti* quæ ſe dicit *in corpore ſuo geſtare*, cap. ultimo, poſſe vincula aut vinculorum cicatrices intelligi; facilè reſponderi poteſt Paulum Romæ agentem non ſemper in vinculis fuiſſe, ſed aliquando, poſt primam defenſionem, liberatum. Nunc ipſum Apoſtolum audiamus.

IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD GALATAS.

CAPUT PRIMUM.

PAulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum-Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis: 2. & qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ. 3. Gratia vobis & pax à Deo patre, & Domino noſtro Jeſu-Chriſto, 4. qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundùm voluntatem Dei, & patris noſtri, 5. cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum: Amen. 6. Miror quod ſic tam citò transferemini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium: 7. quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti. 8. Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. 9. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico. Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. 10. Modò enim hominibus ſuadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. 11. Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem. 12. neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu-Chriſti. 13. Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Judaiſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam; 14. & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. 15. Cùm autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, 16. ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuò non acquievi carni & ſanguini: 17. neque veni Jeroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos: ſed abii in Arabiam: & iterùm reverſus ſum Damaſcum: 18. deinde poſt annos tres veni Jeroſolymam videre Petrum & manſi apud eum diebus quindecim: 19. alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini. 20. Quæ autem ſcribo vobis: ecce coram Deo, quia non mentior. 21. Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ. 22. Eram autem ignotus facie Eccleſiis Judææ, quæ erant in Chriſto: 23. tantùm auditum autem habebant: Quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat: 24. & in me clarificabant Deum. *1 Cor. 15. 8. 1. Epheſ. 3. 8. 3.*

SUMMARIUM.

VEhementer increpat Galatas quòd à doctrina per ipſum tradita receſſiſſent; oſtendens ſe ab ipſo Chriſto evangelium & Apoſtolatum accepiſſe; ab aliis autem Apoſtolis non fuiſſe edoctum.

PAULUS APOSTOLUS NON AB HOMINIBUS. Authoritatem ſuam contra pſeudapoſtolos aſſerit ſtatim initio; ſcribens *ſe Apoſtolum* creatum, aut (quod Apoſtoli nomen ſonat) miſſum, *non ab hominibus*, veluti à collegio Apoſtolorum, quomodo Matthias Apoſtolus factus eſt; aut ſuffragiis alicujus Eccleſiæ, quomodo nonnulli alii, ut Barnabas & Sylas.

NEQUE PER HOMINEM. Hoc duobus modis exponitur; vel ſic, Non per hominem mortalem qualis erat Chriſtus quando duodecim Apoſtolos elegit, ſed per hominem immortalem, qualis idem Chriſtus poſt reſurrectionem. Unde mox reſurrectionis ejus meminit, dicens: *qui ſuſcitavit eum à mortuis.* Et hæc Auguſtini expoſitio eſt. Vel, ſecundùm Hieronymum & alios pleroſque, hoc modo, Non per hominem purum quantumvis excellentem; qualis erat Petrus Apoſtolus Chriſti vicarius, per quem creatus fuit Clemens; ut Timotheus & Titus per Paulum. Hic commentarius potior videtur. Non enim in ipſo limine Epiſtolæ Paulum ſe cæteris Apoſtolis anteferre voluiſſe, credibile eſt. Adde quod hic ſenſus optimè congruit cum eo quod proximè ſequitur.

SED PER JESUM-CHRISTUM: qui non eſt purus homo, ſed homo Deus. Id quod ex hoc loco contra hæreticos, qui Chriſtum non aliud quàm hominem dixerunt, benè colligit Hieronymus.

ET DEUM PATREM, Jesu Christi naturalem. Significat autem se factum Apostolum à Deo patre per Christum filium ejus. Ubi notandum inter præpositiones *ab* & *per* non esse ponendum hoc loco discrimen; alioqui quam maximè dicendum fuisset, A Deo Patre, & non *per Deum Patrem*. Addit autem.

QUI SUSCITAVIT EUM A MORTUIS. Hoc addit ut tacitè saltem innuat, à Christo per resurrectionem immortali se constitutum Apostolum; quod nulli contigerat aliorum. *Quæri potest*, quomodo non ab hominibus Apostolum se creatum dicat; de quo Lucas scribit Actor. 13. quod ad Evangelium Gentibus prædicandum (quod erat Apostolici muneris) impositionem manuum accepit unà cum Barnaba, à senioribus ecclesiæ Antiochenæ. Respondeo, Paulum & Barnabam eo loco non fuisse creatos Apostolos; sed tantùm cum cærémonia manuum impositionis, adhibita oratione & jejunio, missos fuisse ad opus prædicationis Evangelicæ, ad quod jam assumpti & designati erant à Spiritu sancto. Sicut Petrus & Joannes à collegio Apostolorum missi sunt ad Samaritanos, non tamen ordinati Apostoli, sed multò antè à Christo. Certè Paulus non solùm dicere vult sese immediatè à Christo munus Apostolicum accepisse; verùm etiam Evangelium quod prædicaret, ab ipsomet per revelationem didicisse. Quod quidem expressiùs affirmat in consequentibus hujus capitis.

Conciliatio hujus loci cum princ. c. 13. Actor.

2. ET QUI MECUM SUNT OMNES FRATRES. Adjungit sibi fratres non unum & paucos, sed omnes qui secum erant; ut doceat se non ex sua tantùm, sed omnium fratrum sententia, scribere ea quæ scribit; idque propter eos qui Pauli doctrinam ut singularem & ab ecclesiis haud receptam, calumniabantur.

ECCLESIIS GALATIÆ. Subaudi, scribit, aut precatur, quod sequitur. *Ecclesias Galatiæ* dicit numero plurali; quia plures Galatarum erant ecclesiæ, quas à recto tramite Evangelii abduxerant pseudapostoli. Notant autem Græci interpretes Apostolum non ascribere titulos amoris aut honoris; ut dilectis, sanctis, sanctificatis; neque dicere hoc modo, Ecclesiis Dei quæ sunt in Galatia, aut quippiam tale, quod solet in aliis Epistolis; sed simpliciter ac nudè dicere, *Ecclesiis Galatiæ*. Quod signum esse putant indignantis adversus eos Apostoli; ut quos, ob gratiam Christi rejectam, nec dignos censeat iis appellationibus quas alibi communes facit omnibus Christianis.

3. GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO: Hæc salutationis forma quid sibi velit, jam in aliis epistolis expositum est.

4. QUI DEDIT SEMETIPSUM PRO PECCATIS NOSTRIS. Id est, tradidit semetipsum in mortem pro peccatis nostris delendis; utique secundùm naturam humanam, quæ sola mori potuit. Hoc autem Apostolus commemorat, ut innuat non à cæremoniis legis, sed ex cruce Christi remissionem peccatorum exspectandam. Quò pertinet etiam quod sequitur.

Fructus mortis Christi non unus

UT ERIPERET NOS DE PRÆSENTI SÆCULO NEQUAM, Sensus est: Item dedit semetipsum ut eximeret ac segregaret nos de numero impiorum, & vocaret in sortem sanctorum. *Præsens sæculum*, id est, tempus vitæ præsentis, vocat *nequam*, seu malignum; non quasi per se malum sit; quomodo quidam antiqui hæretici intellexerunt, quos refellit Hieronymus, sed metonymicè propter malos homines quorum numerus in eo plurimum prævalet; adeò ut omnes nascantur mali, nec boni fiant nisi ex malis. Apparet autem Apostolum cùm dicit *pro peccatis nostris*, & iterùm *ut eriperet nos*, in electorum persona loqui; quia qui segregantur ex massa impiorum, electi sunt; qui verò relinquuntur, reprobi.

Præsens sæculum quatenus malignum.

SECUNDUM VOLUNTATEM DEI ET PATRIS NOSTRI, Quem superiùs dixit patrem Christi, per naturam; nunc patrem nostrum vocat, propter adoptionem filiorum Dei. Cæterùm pars ista vel referri potest ad illud superius, *Qui dedit semetipsum*, ut sensus sit, Christum tradidisse seipsum in mortem, ex voluntate, decreto, & præcepto patris; vel ad effectum hujus spontaneæ traditionis, significatum verbis subsequentibus. Nam voluntatis ac beneplaciti divini est peccata nostra deleri, nosque eripi è massa perdita. Sed prior constructio magis convenit cum aliis scripturæ locis, in quibus pater filium in mortem tradidisse dicitur; & quibus filii erga patrem usque ad mortem obedientia commendatur.

5. CUI EST GLORIA IN SÆCULA SÆCULORUM; AMEN. Verbum *est* non additur in Græco, potestque non minùs commodè suppleri, *sit*, optativum: Hoc enim postulare videtur clausula, *Amen*, id est, fiat. Sensus: qui pro tanto beneficio dignus est à nobis & ab omnibus glorificari per sæcula semper duratura, id est, in omnem æternitatem. Huc usque salutatio.

6. MIROR QUOD SIC TAM CITO TRANSFERIMINI AB EO QUI VOS VOCAVIT IN GRATIAM CHRISTI IN ALIUD EVANGELIUM. Orditur Apostolus sermonem à castigatione. Nam quod ait, *Miror*, id, ex rei circumstantia, castigantis & increpantis significationem habet; simul eo verbo subindicat se magnam de Galatis opinionem anteà habuisse; nam casum magnorum miramur. Pro eò quod nostri codices habent, *sic tam citò*, Græcè tantum est, οὕτω ταχέως, id est, *sic citò*, vel *tam citò*, vel (ut apud Ambrosianum) *adeò citò*. Unde verisimile est, *sic* & *tam* ex diversis versionibus huc confluxisse. Rursum, Græcè non est *in gratiam*, sed *in gratia*; id est, ut Ambrosianus legit, per gratiam. Sanè Hieronymum *in gratia* & non *in gratiam* legisse, ex ejus commentario colligi potest: tametsi non negandum Græcas propositiones, ἐν, ἐπὶ, εἰς, apud Apostolum interdum confundi. Quod autem Augustinus pro *gratia*, *gloriam* legit, ex nullis codicibus qui hodie extent, suffragium habet, sed nec in Græcis vocabulis ulla affinitas est.

Jam verò quod Hier. & eum secutus in sua versione Erasmus, hyperbaton hoc loco faciunt, ut rectus ordo constructionis sit iste, *Miror quod tam citò transferimini à Christo, qui vos vocavit per gratiam* (Siquidem & hanc constructionem Græca non respuunt) id aliis non probatur; nec immeritò. Nam vocatio passim in epistolis Paulinis Patri, non Christo, tribuitur, ut videre est *Rom.* 8. 2. 2. *Thess.* 1. & 2. 2. *Tim.* 1. & alibi: Denique & hoc ipso capite ubi dicit: *Et vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me.* Quare nec Græcorum quisquam, nec Augustinus, nec Ambrosianus hujus hyperbati meminerunt; quin ipse Erasmus in paraphrasi cæteros secutus, priorem versionem suam deserit. Sensus.

Itaque planus est *sensus*. Miror vos tam citò post fidem Christi susceptam, ab eo qui vos admirabili benignitate vocavit in gratiam Christi filii sui, id est, ad participationem gratuitorum ejus beneficiorum, vel per gratiam Christi, id est, per meritum ejus gratuitò vobis applicatum, transferri seu traduci in aliud Evangelium, hoc est, diversum ab eo quod à me vobis prædicatum est, sive in aliam doctrinam quæ pro Evangelio vobis obtruditur. Non dicit, à meo Evangelio in aliud, sed *ab eo qui vos vocavit*, ne suum negocium agere videretur, suive causa commotus esse adversus Galatas, sed propter ipsos, quia à Deo vocante recesserant.

7. QUOD NON EST ALIUD. Correctio eſt ejus quod dixit *in aliud evangelium*, habetque vim expoſitionis ; Nam in ſcriptura propriè nihil corrigendum eſt. Tametſi, inquit, ea doctrina quæ nunc vobis ingeritur, non eſt digna nomine Evangelii. Neque enim præter illud quod prædicavi vobis, ullum eſt aliud evangelium : quicquid ab eo diverſum adfertur, evangelium non eſt, ſed pſeudoevangelium, magiſtris pſeudapoſtolis congruens.

NISI SUNT ALIQUI QUI VOS CONTURBANT, ET VOLUNT CONVERTERE EVANGELIUM CHRISTI. *Niſi* pro *ſed*, frequentiſſimo more ſcripturæ. Sed tantùm, inquit, quidam ſunt turbantes vos, dum volunt invertere Evangelium Chriſti, id eſt aliud docere quàm quod Chriſtus per Apoſtolos docendum tradidit. Non enim Chriſtus præcepit homines circumcidi, cæteraſque legis ceremonias obſervari ; ſed ab hoc jugo fideles ſuos liberavit. Volunt ergo convertere & in aliud tranſmutare Evangelium Chriſti ; qui, ſicuti Petrus in concilio loquitur *Actor.* 15. legis jugum Chriſti fidelibus tentant imponere.

Dicit autem, *volunt convertere*, ſignificans eorum conatum, non effectum; eò quòd Evangelium Chriſti, quemadmodum dictum jam eſt, unum & immutabile ſit. Quæ res etiam ab Hieronymo annotata eſt. Admonet hoc loco Theophyl. etiam exiguum quiddam Evangelio repugnans, quale erat ſabbatum, & circumciſio, ejuſmodi eſſe ut univerſum Evangelium invertat ; perinde ac ſi qui regii numiſmatis aliquantulum depravarit, is totum numiſma adulterinum reddidit. Quod obſervari vult, propter eos qui in quæſtione religionis ac fidei, ſaltem modicum quid putant adverſariis, cauſa pacis, concedendum.

In cauſa fidei nihil cenſendum eſt minutum.

8. SED LICET NOS, AUT ANGELUS DE CÆLO EVANGELIZET VOBIS PRÆTERQUAM QUOD EVANGELIZAVIMUS VOBIS, ANATHEMA SIT. Evangelium ſuum graviſſima execratione confirmat. Ubi *notanda eſt* in Apoſtolo conſtans authoritatis ſuæ defenſio, qua, ne angelo quidem cælitus advenienti, ſi quid ſecus annunciet, anathema dicere veretur. *Nos*, id eſt, ego ipſe Paulus qui vobis Evangelium prædicavi. Vel, ut alii volunt, nos Apoſtoli. Sed prior expoſitio melior, nam Pauli ſcopus eſt Evangelium ab ipſomet prædicatum, quod cum aliorum Apoſtolorum Evangelio convenire negabant pſeudapoſtoli, ab hujuſmodi calumnia vindicare. Quod autem ait, *aut Angelus de cælo* ; hypotheſis eſt rei impoſſibilis. Nam fieri non poteſt ut Angelus è cælo veniens atque à Deo miſſus, evangelizet præter id quod Paulus evangelizaverat : ſive quia Angeli boni confirmati ſunt in juſtitia & veritate, ſive quia Deus falſum nuncium mittere non poteſt. Notanda etiam catachreſis in verbo, *evangelizet* ; poſito loco generis, annunciet.

Anathema ſit, id eſt, maledictus & execrabilis; quod Hebræi vocabant *Horma*, nam pro eo LXX. ſcripſerunt ἀνάθεμα. Non excommunicat hac ſententia quemquam Apoſtolus, ſed declarat execrabilem eſſe & excommunicatione atque æterno interitu dignum; ſicut & 1. Corinth. 16. dicens: *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema.* Quomodo & intelligendi ſunt anathematiſmi conciliorum : Si quis dixerit hoc aut illud, anathema ſit. De hoc vocabulo plura vide ad locum memoratum 1. *Cor.* 16, *& ad Rom.* 9.

Obſ. contra Sectar. traditionibus quæ ſunt in eccleſia, non adverſari anathematiſmum Apoſtoli.

Porrò quia ſententiam hanc Apoſtolicam detorquent hæretici noſtri temporis adverſus Eccleſiaſticas traditiones ; id eſt, ea Eccleſiæ dogmata quæ ſola traditione continentur, non verbo ſcripto ; tamquam hoc genus ſit præter illud, id eſt, diverſum ab eo quod evangelizarunt Apoſtoli ; diligentiùs hujus loci ſenſus inveſtigandus eſt.

Quidam reſpondent Apoſtolum non dicere : Si quis annunciet aliquid diverſum ab Evangelio ſcripto ; ſed, *ſi quis annunciet vobis præter id quod evangelizavimus vobis* ; hoc eſt, ut Apoſtolus ſententiam ſuam repetens, explicat, *præter id quod accepiſtis.* Traditiones autem, inquiunt, etſi ſunt diverſæ ab Evangelio ſcripto, non tamen ab eo quod initio traditum & acceptum eſt. De iis enim ipſe Apoſtolus ſcribit 2. Theſſal. 2. *Tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem*, &c. At huic reſponſioni opponitur, quòd nullomodo veriſimile ſit Galatis adhuc rudibus in fide, ſtatim omnia Chriſtianæ religionis myſteria tradita fuiſſe ; cùm quædam eorum ſublimiora ſint, & minus neceſſaria, de quibus alibi dicit Apoſtolus, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Quæ proinde non initio novellis Chriſtianis proponebantur, ſed ſervabantur opportuno tempore tradenda. Quare ſi quis horum aliquid poſteà proponeret, & annunciaret ; non utique dicendum ei erat anathema. 1. Cor. 2.

Deinde ſi juxta horum intelligentiam, *præter* ſignificat id quod quocumque modo diverſum eſt ab iis quæ jam tum tradita erant ; Joannes Apoſtolus eſſet anathema, quia poſteà ſcripſit Evangelium & Apocalypſin, in quibus multa ſunt ab aliis non antè tradita. Quin ipſe Paulus ſibi anathema foret, qui & in hac epiſtola & in aliis poſteà ſcriptis, quædam docuit & tradidit anteà Galatis non tradita ; qui etiam 1. *Theſſal.* 1. promittit ſe completurum ea quæ deerant fidei ipſorum. Denique, quis dixerit angelum de cælo, ſi myſterium aliquod annunciaret, hactenus non revelatum hominibus, futurum anathema ; ac non potiùs fidem ei habendam, ſicut cæteris revelationibus Propheticis ?

Potior itaque reſponſio eſt, vocabulo *præter*, Græcè παρὰ non ſignificari ab Apoſtolo quod quocumque modo diverſum eſt, ſed ita diverſum, ut ſit etiam adverſum & contrarium ; quaſi dicat, quod ſi vel ego ipſe, vel angelus Dei vobis annunciet ac pro Evangelio proferat aliquid contrarium iis quæ ego vobis evangelizavi, ſit anathema.

Jam autem traditiones Eccleſiæ nequaquam hujuſmodi ſunt ; ſed cum doctrina quam Paulus tradidit, ac generatim cum verbo Dei ſcripto, quàm maximè conſentiunt. Id verò quod pſeudapoſtoli docebant, legem Moſaicam omnibus in Chriſtum credentibus, tam Gentilibus quàm Judæis, obſervatu neceſſariam eſſe, contrarium erat doctrinæ Pauli & cæterorum Apoſtolorum, ac non ſolùm diverſum, ut liquet ex *Actor.* 15. Et quidem hæc ſignificatio præpoſitionis παρὰ Græcis uſitatiſſima eſt, ut & Latinis ipſius *præter.* Hinc παρανομος, legis violator ; & παρανομία, legis tranſgreſſio ; & multa ſimilia. Sic ipſe Paulus Rom. 1. *præter naturam*, id eſt, contra naturam, ut benè vertit interpres. Et cap. 4. dicit, *Abraham præter ſpem in ſpem credidiſſe*, quod intepres vertit, *contra ſpem* : & ejuſdem Epiſt. cap. 16. præcipit obſervari eos qui diſſenſiones & offendicula *præter* (id eſt contra) doctrinam ipſis traditam, faciebant. Et Latinè dicimus, Præter legem, præter morem, præter opinionem, præter ſpem, præter dignitatem, id eſt contra. Hunc intellectum ſequuntur Hieronymus & Ambroſianus *in com.* nec non Auguſtinus *tract. 98. in Joan. & libr. 17. contra Fauſtum cap. 3. & lib. 23. cap. 7.*

Ex quo præterea liquet non adverſari Catholicis illud ejuſdem Auguſtini *lib. 3. contra lit. Petil. cap. 6.* Si angelus de cælo vobis annunciaverit præter quàm quod in ſcripturis legalibus & Evangelicis accepiſtis, anathema ſit. Nam Auguſtinum ex Auguſtino exponentes, dicimus ſenſum eſſe, contra id quod in ſcripturis accepiſtis. Ac ſi quis perpendat verba S. Auguſt. dicto *Tract. 98. in Joan. ſub finem*: videbit ipſum hîc non iſtud *præterquam*, ſed *præter*, de-

dissе: quod idem de nostro Interprete hoc loco meritò suspiceris, perpendens quid omnes codices Latini legant, *vers. proximè seq.*

Sed *objiciet* nobis aliquis Theophylacti commentarium, in quo sic legitur: Nec dixit, si contraria aut pugnantia prædicent; sed si vel parvum quid annuncient, præter id quod annunciamus, hoc est, si plusculum quippiam adjecerint, execrationi subdantur. *Resp.* Theophylactum loqui de additamento quo pars aliqua doctrinæ ab Apostolo traditæ, labefactetur. Videatur Græcus codex Theophylact. Qui sensus ex Chrysostomo, cujus vestigia Theophyl. insequitur, manifestus est: Dicit enim Chrysostomus, ideò Apostolum dixisse παρὰ id est, præter; ut hinc discamus non eos solum anathema decerni, qui apertè contraria docent, aut talia quæ totum Evangelium subvertunt; sed etiam illos qui aliquid addunt, quo quidvis, quantumvis minimum Evangelii labefactatur, etiamsi apertè ei contrarium non sit. Ac sanè Theophylactum aliter intelligi non oportere, perspicuè declarat illud quod ex ipso proximè annotavimus; ne quidem exiguum aliquid fidei repugnans adversariis concedendum esse.

9. SICUT PRÆDIXIMUS, ET NUNC ITERUM DICO, Id est, quemadmodum jam antè dixi; ita & nunc iterùm dico, ac sententiam repeto. Quod ergo dicit, *prædiximus*, vel ad aliud tempus, quo simile quid dixerat & contestatus fuerat, referendum; vel potiùs ad id quod proximè præcessit. Id enim repetit inculcationis causa; ne quod semel dictum erat minùs certum haberetur.

SI QUIS VOBIS EVANGELIZAVERIT PRÆTER ID QUOD ACCEPISTIS; ANATHEMA SIT. *Accepistis*, intellige, à nobis; repetit enim aliis verbis quod dixerat, *præter quod evangelizavimus vobis.* Hunc autem locum similiter Augustinus de eo quod contrarium sit traditis & accepitis, exponit. Tractans enim illud Joan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere,* & hanc Apostoli sententiam eò adducens; ita scribit, *Non ait, plusquam accepistis; sed præter quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipse præjudicaret, qui* 1. Thess. 3. *cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed, qui supplet, quod minus erat addit; non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei; non accedit in via, sed recedit de via.* Sic ille tract. 98. in Joan.

Regula, seu modus explorandi doctrinam fidei & omnes hæreses. Prætereà *notandum* ex hac & superiori Apostoli sententia, sumi posse generalem quamdam rationem explorandi doctrinam religionis. Ea ratio seu regula est, omnem doctrinam quæ præter doctrinam antiquitus traditam adfertur, rejiciendam esse. Eam verò quæ cum doctrina à majoribus accepta consentit, recipiendam & approbandam. Sic Joannes 1. Epist. cap. 2. *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat,* & in 2. Epistol. *Ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis,* Et rursum Paulus 2. Timoth. 2. *Tu permane in iis quæ didicisti, & quæ credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.*

19. MODO ENIM HOMINIBUS SUADEO, AN DEO? Sensus hujus interrogatiunculæ non ita obvius est. Sunt qui putent commodiùs verti posse, Numquid adhuc homines persuadeo, an Deum? Nam in Græco casus sunt accusativi. Sic autem exponunt; Non homines prædico, sed Christum; neque de humanis rebus persuasio mea est, sed de divinis. At sciendum, verbum Græcum accusativo junctum, eamdem vim interdum habere, quod Latinum suadeo cum dativo. Sic enim ipse Paulus aliàs hoc verbo usus est, ut 2. Cor. 5. *Hominibus suademus*; ubi Græcè est, *homines.* Neque verò nostra versio sensum habere potest quem alii quidam faciunt; An quod doceo & prædico, ad hominum gloriam prædico, ac non potiùs ad gloriam Dei? Nam alienus est hic sensus à significatione Græci verbi πείθω, præsertim juncti cum accusativo. Quocirca Chrysostomi sententiam amplectimur, interpretantis hoc modo: *Num ego jam causam dico apud homines, an apud Deum?* quasi dicat. Sicut non ab hominibus neque per hominem missus sum ad prædicandum evangelium, sed per Christum & Deum patrem: ita non apud homines judices, sed apud tribunal Dei ac Domini mei, causam hanc ago, illique meam doctrinam ut judici meo probare studeo. Hoc autem dicit, quia multos homines, & jam nomine Christianos, patiebatur contradictores; quorum judicia nihil morari se significat, Deo judice contentum. Unde & sequitur. Sensus.

AN QUÆRO HOMINIBUS PLACERE? Id est, Num studium meum est ut hominibus placeam, an potiùs ut placeam Deo? Studet autem hominibus placere, juxta mentem Apostoli, cujus studium est gratiam hominum eblandiri, ut ab iis consequatur quod carnaliter concupiscit; quo fit, ut veritatis cura postposita, tantùm solicitus sit ut ea dicat quæ homines lubenter audiunt, dicentes illud Isaiæ 30. *Loquimini nobis placentia.* Tales hominibus placentes damnat ille versiculus Psalmi 52. *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Non ergo pugnat cum hoc loco quod idem Apostolus dicit 1. Cor. 10. *se per omnia omnibus placere*; nam modum explicat dum addit, *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Quem modum placendi hominibus, etiam ab aliis exigit; Rom. 15. *Unusquisque vestrûm*, inquit, *proximo placeat in bonum, ad ædificationem.* Hominibus placere quo sensu malum.

SI ADHUC HOMINIBUS PLACEREM, CHRISTI SERVUS NON ESSEM. Græcè, *Si enim adhuc,* &c. ut sit probatio negationis quam postulat interrogatio præcedens. Quidam hanc partem sic exponunt; Si studerem hominibus placere, eo modo quo jam dictum est; fierem servus hominum & cupiditatum mearum: & per hoc desinerem esse Christi servus; quia nemo potest duobus dominis servire.

Sed probabilior est hæc aliorum expositio; Si adhuc studerem hominibus placere, sicut olim in Judaismo: non essem factus Christianus, non addixissem me Christo in servitutem; propter cujus evangelium tanta mihi apud contribules meos conflata est invidia, apud quos anteà summo loco habebar. *Potest & sic intelligi*; Si adhuc, ut olim, sectarer hominum gratiam, non essem idoneus Christi servus, non essem dignus eo nomine; quia ministerium quo Christo servio in evangelio, non syncerè, non sicut oportet obirem. Videtur enim servum Christi se dicere, speciali ratione, propter ministerium verbi; quemadmodum in exordio epistolæ ad Rom. *Paulus servus Jesu Christi.* Hæc præfatur Apostolus; ut ab integritate suæ personæ, causam quam suscepit agendam, commendet; simul obliquè taxans pseudapostolos, quibus studium erat hominibus placere. Sensus. Alius sensus.

11. NOTUM ENIM VOBIS FACIO, FRATRES, EVANGELIUM QUOD EVANGESIZATUM EST A ME, QUIA NON EST SECUNDUM HOMINEM. Pro *enim* Græcè est *autem*, Ambrosiano suffragante. *Sensus:* Scire vos volo evangelium quod à me prædicatum est, non esse humanum inventum (sic enim illud, *secundùm hominem*, exponit Augustinus, dicens, Evangelium quod secundùm hominem est, mendacium esse, quia omnis homo mendax.) Vel, ut Græci interpretantur, non esse *secundùm hominem*, id est, non esse mihi traditum hominis cujuspiam ministerio; scilicet ejus qui tantùm homo sit; quomodo superiùs dixit, *neque per hominem.* Qui posterior intellectus germanior est; non enim Paulo à Judaizantibus objiciebatur quòd confinxisset suum evangelium; sed, quod illud didicisset ab Apostolo quopiam, non ab ipso Christo, sicut cæteri Sensus.

Apoſtoli : Ex quo contendebant, eum longè illis inferiorem eſſe. Et hic ſenſus explicatur per id quod ſequitur.

12. NEQUE ENIM EGO AB HOMINE ACCEPI ILLUD, NEQUE DIDICI: Id eſt, non alicujus hominis interventu ſeu magiſterio, illud aut ſemel accepi, aut per temporis moram didici. Sic enim Hieronymus diſtinguit inter *accipere* & *diſcere*; tametſi fortè rectiùs intelligas Apoſtolum hæc duo poſuiſſe pro eodem. Rurſus autem ex hoc loco benè colligit idem Hieronymus, Chriſtum non purum hominem eſſe, ſed Deum.

SED PER REVELATIONEM JESU CHRISTI, ab eo mihi factam immediatè; Chriſtus enim Paulo per revelationem patefacere dignatus eſt totius Chriſtianæ religionis myſteria; volens ejus prædicationem apud homines non eſſe minoris authoritatis, quàm erat Petri & Jacobi ac cæterorum, qui Chriſtum in carne viderant, ac docentem audierant.

Quo tempore ſit Paulo facta à Chriſto ipſo revelatio myſteriorum fidei Chriſtianæ.

Quæritur, quo tempore revelationem hanc Apoſtolus acceperit. Hieronym. ad illud tempus refert, quando Paulus Damaſcum proficiſcens in itinere Chriſti vocem audivit, & cæcatis oculis (ſic enim loquitur) verum mundi lumen intuitus eſt. Thomas revelationem hanc Apoſtolo factam exiſtimat, quando raptus fuit in paradiſum, ubi audivit arcana verba, 2. *Corinth.* 12. Et quoniam in ejus loci commentario raptum illum contigiſſe ſcribit ipſo anno converſionis ejus, & quidem (ut probabile putat) in illo triduo quo Damaſci jejunus agebat ante baptiſmum: hinc conſequenter apparet, quod de tempore revelati Paulo evangelij, idem Doctor ſenſerit.

Verùm huic opinioni tam Hieronymi quàm Aquinatis, quæ ferè eadem eſt, vehementer obſtat, quod Paulò tunc quærenti, *Domine quid me vis facere?* reſponſum eſt, *Surge, & ingredere civitatem; & dicetur tibi quid te oporteat facere.* Nam ſi univerſum evangelium à Chriſto per revelationem, vel in hora converſionis, vel triduo ſubſequente, didicit; fruſtra mittebatur ad hominem à quo diſceret quid facere ſe oporteret. Didicit autem, poſt illud triduum jejunij, ex Anania ad ſe miſſo; videlicet ab eo non baptizatus modò, ſed & catechizatus, hoc enim totum includitur in illo, *Quid te oporteat facere.*

Actor. 9.

Neque verò Paulus uſquam negat ſe catechizatum ab homine, ſed, evangelium quod in Gentibus prædicaret, id eſt, myſteria Chriſtianæ religionis, per quæ perfectè eſſet inſtructus ad exequendum munus Apoſtolicum, ab homine accepiſſe. *Deinde* nec ſatis conſentaneum erat ut recenter ex tanto perſecutore converſus necdum baptizatus, nec impletus Spiritu ſancto (hæc enim ſecuta ſunt, ut ex hiſtoria patet) tam eximia revelatione dignus haberetur, ac Gentium crearetur Apoſtolus; præſertim cùm illud triduum magis eſſe debuerit pœnitentiæ & orationis. Quod & Dominus ſignificat, dicens: *Ecce enim orat.*

Nec verò putandum eſt primo illo tempore revelationem hanc Paulo factam eſſe, quod, *ut eodem loco Actor.* dicitur, continuò ingreſſus in ſynagogas, prædicaverit fidem Jeſu-Chriſti; prædicabat enim nondum ut Apoſtolus, ſed ut diſcipulus: quomodo multi alii gratiam verbi habentes; idque ex catechiſmo fidei, quo erant inſtituti ſaltem imperfectè. *Sic* enim & Apollo, quamvis nondum baptizatus, nedum ad Apoſtolicam dignitatem evectus, fidem Chriſti prædicaſſe legitur, *Act.* 18.

Quæ cùm ita ſint illud de tempore revelationis hujus verius alicui videri queat, eam non eſſe diverſam ab illa de qua 2. *Corinth.* 12. refert ſe in raptu audiviſſe arcana verba quæ non licet homini loqui. Quam quidem revelationem illic oſtendebamus contigiſſe octavo poſt ejus converſionem anno, quando nimirum Apoſtolus Gentium creatus eſt & ad prædicandum in Gentibus evangelium miſſus, unà cum Barnaba, *Actor.* 13. dicente Spiritu ſancto, *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.* Tunc ergo non ſolùm per revelationem perfectè didicerit evangelium quod prædicaret; verùm inſuper audierit arcana verba quæ hominibus eloqui non poſſet.

Sed alio tempore fuiſſe illi factam revelationem evangelij, quàm quo raptus audivivit arcana verba illa ineffabilia, de quibus *dicto capit.* 12. *poſterioris ad Corinth.* magnum argumentum ſumitur ex hoc ipſo *primo cap. ad Gal.* ubi infrà dicitur, *Cùm autem placuit ei qui me ſegregavit*, & quæ ſequuntur, verſ. 15. 16. 17. 18. Inde enim liquet Paulum non multo poſt converſionem ſuam tempore, accepiſſe evangelium ex revelatione divina; ideòque non contuliſſe illud cum quoquam Apoſtolorum; ſed tamquam Apoſtolum, profectum in Arabiam, ac inde reverſum Damaſcum, prædicaſſe in ſynagogis fidem Jeſu Chriſti: poſt tres autem annos rediiſſe Jeroſolymam, tantùm ut Petrum videret, non etiam ut ab eo diſceret; quemadmodum patet *ex initio cap.* 2. Quæ omnia multò ante octavum ab ejus converſione annum (quo ille ejus raptus ponitur) manifeſtum eſt accidiſſe. Facta eſt igitur ei revelatio evangelij, antequam ut Chriſti Apoſtolus fidem Domini Jeſu inciperet prædicare; non longè ſcilicet poſt converſionem ipſius.

13. AUDISTIS ENIM CONVERSATIONEM MEAM ALIQUANDO IN JUDAISMO. Narratio eſt qua fidem evangelio ſuo conciliat, ex iis quæ geſſit antequam eſſet ad Chriſti fidem converſus. Faciliùs enim creditur homini in quo tanta è contrario in contrarium accidit mutatio, qualis hic deſcribitur; quamque pulchrè Hieron. explicat *in commentario*: Neque enim hac parte probat Apoſtolus, ut Græci volunt interpretes, ſe evangelium ſuum non ab homine ſed per Chriſti revelationem accepiſſe; quod non eſt conſequens ex his verbis, ſed his opportunè præmiſſis, id agit ac docet poſteà. Adverbium aliquando non ad verbum *audiſtis* referendum, ſed ad proxima. *Senſus* enim eſt. Res notiſſima eſt, quam vos audiſſe non dubito, quomodo converſatus fuerim & quo ſtudio me geſſerim olim in Judaiſmo. Judaiſmum vocat ſectam Judaicam, id eſt, eorum qui legem Moſaicam mordicus retinebant, non admittentes abrogationem ejus per Chriſtum, inter quas Paulus præcipuum ſe fuiſſe paulò pòſt affirmat. Judaiſmus eſt, inquit Auguſtinus *epiſt.* 19. *ad Hieron.* quum putatur ex ceremoniis & lege ſalus eſſe, aut ſine illis non eſſe.

Senſus.

Judaiſmus quid.

QUONIAM SUPRA MODUM PERSEQUEBAR ECCLESIAM DEI; Id eſt, quod omni conatu ac ſtudio perſequebar Chriſtianos, qui ſunt eccleſia Dei. Quamquam plus aliquid vult, quum dicit, *perſequebar eccleſiam Dei*, quam ſi diceret perſequebar Chriſtianos. Nam *eccleſiam Dei* nominando manifeſtiùs ſignificat magnitudinem ſui peccati, ut qui diſſipare ac diſperdere voluerit eum cœtum, quem Deus in terris congregabat, quod erat adverſus Deum pugnare. Rurſus quod dicit *ſe perſecutum fuiſſe ſupra modum*; pro quo Græcè eſt, καθ' ὑπερβολήν, ſecundùm exceſſum, ſive exſuperantiam: non ita dicit, quaſi poſſit hoc ipſum fieri cum modo, ſicut dicitur aliquis ſupra modum lætus, triſtis, iratus, ſed excellentiam quamdam & maximam animi contentionem eo ſermone ſignificare voluit: quemadmodum alibi ſignificavit nomine inſaniæ, ut Actor. 26. *Et amplius*, inquit, *inſaniens in eos, perſequebar uſque in exteras civitates.*

ET EXPUGNABAM ILLAM, Græcè, ἐπόρθουν, id eſt, *depopulabar*, ut vertit Eraſmus: *vaſtabam* ſeu

devaſtabam, ut legunt Aug. & Hieron. Id Lucas alio vocabulo ſignificavit Act. 8. ubi nos legimus: *Saulus autem devaſtabat eccleſiam.* Nam ibi Græcè eſt, ἐλυμαίνετο, ſed ejuſdem ferè ſignificationis cum eo quod hîc legitur. At quod legitur Græcè *Pſal.* 128. ab utro que eſt diverſum, propriè ſignificans oppugnare. Quod igitur interpres noſter vertit hoc loco, *expugnabam illam*, poteſt quidem ſic accipi ut expugnaſſe ſe eam dicat, id eſt, deſtruxiſſe & evertiſſe quantum in ipſo erat. Neque enim ipſa expugnari poterat, quam Chriſtus ita fundavit ut portæ inferi numquam adverſus eam ſint prævalituræ.

Verùm Græca magis hunc exigunt ſenſum: Atque ea perſecutione vaſtitatem eccleſiæ inferebam, paſſim Chriſtianos aut occidens aut in vincula conjiciens, aut in fugam compellens. Sumpta quippe metaphora ab hoſte regionem & agros depopulante. Talem enim ſe Paulus Chriſtianis exhibebat. Quanto autem ſtudio id fecerit, Lucas expoſuit *Act.* 9.

Interim hîc nota, lector catholice, Si Paulus perſequi potuit eccleſiam Dei ac devaſtare; quod & poſt eum fecerunt tam multi hoſtes eccleſiæ, utique manifeſtam & conſpicuam eam eſſe oportere: quod hæretici dum negant, tenebras ſuas produnt.

Obſ. contra Sectarios, eccleſiam eſſe viſibilem.

14. ET PROFICIEBAM IN JUDAISMO SUPRA MULTOS COÆTANEOS MEOS IN GENERE MEO. Id eſt, In Judaiſmo ita proficiebam ut ſuperarem pleroſque meæ ætatis ſocios Judæos, hoc enim vocat genus ſuum: Cujus autem Paulus tunc ætatis fuerit colligendum eſt ex *Actor.* 7. *verſ.* 57. *& cap.* 9. *verſ.* 13.

ABUNDANTIUS ÆMULATOR EXISTENS PATERNARUM MEARUM TRADITIONUM. Hoc eſt, quum vehementiùs ac majorem in modum ſtudioſus eſſem ac zelator traditionum à patribus ſeu majoribus meis acceptarum. *Abundantius*, vel comparationem indicat Pauli cum coætaneis: vel ſine comparatione exceſſum ſignificat, ut interdum alibi in epiſtolis Paulinis, 2. *Corinth.* 2. *verſ.* 4. Cæterùm *paternas ſuas traditiones* vocat aut inſtituta Moſaica patribus tradita, & ab iis accepta: quorum abundantiùs æmulator fuit Paulus, quia voluit ea valere ultra tempus à Deo conſtitutum. Quo ſenſu patrias leges aliquoties nominant Machabæorum libri. Aut traditiones intelligit præter Moyſen à majoribus excogitatas. Harum enim, præ cæteris, ſtudioſi erant Phariſæi, quorum è numero Paulum fuiſſe ex Actis & epiſtolis ejus conſtat. Aut denique totum genus traditionum à majoribus acceptarum, comprehenſa etiam lege Moſaica. Qui generalis ſenſus magis placet; Nam generatim pro traditionibus & inſtitutis Judaicæ gentis pugnabat Saulus.

15. QUUM AUTEM PLACUIT EI QUI ME SEGREGAVIT EX UTERO MATRIS MEÆ. Græcè, *placuit Deo.* Hîc jam docere aggreditur ſe evangelium ſuum non ab hominibus accepiſſe. Quod autem ait, *qui me ſegregavit*, &c. ſecundùm Aquinatem & Cajetanum ſic intelligendum ad literam, Qui fecit me naſci ſecundùm carnem ex utero matris meæ: quam matrem fuiſſe nuncupatam Theocritam refert hoc loco Stapulenſis ex Zozymo papa. Nonnulli matrem Pauli, ſynagogam interpretantur, à cujus utero ſegregatum ſe dicat, quando à Judaiſmi tenebris ad lumen veræ fidei tranſlatus eſt. Rectiùs Hieron. & Græci commentatores prædeſtinationem hîc exiſtimant ſignificari; ut *ſenſus* ſit: Qui me jam inde ab ipſo nativitatis meæ exordio prædeſtinavit, ac puculiariter ex hominum numero delegit; tale quid enim ſibi vult ſegregandi vocabulum.

Senſus.

Ad quid vero ſegregatum ſe dicat (neque enim nunc agit de ſui prædeſtinatione ad vitam æternam) intelligetur ex illis verbis, *ut revelaret filium ſuum in me.* Sic enim & alibi ſegregatum ſe dicit in evangelium Dei. Roman. 1. Quò reſpicit etiam illa vox Spiritus ſancti, *Segregate mihi Saulum & Barnabam ad opus ad quod aſſumpſi eos.* Actor. 13. Nam ſegregatio quæ ab hominibus fit in tempore, reſpondet illi quæ ab æterno facta eſt in mente divina.

Illud ergo, *ex utero matris meæ*, temporis habet ſignificationem, non rei à qua facta ſit ſeparatio; ſuntque ſimiles ſcripturæ, Pſalm. 21. *In te projectus ſum ex utero* Pſalm. 57. *Alienati ſunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero*: & 70. *In te confirmatus ſum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus.* Senſus enim eſt; Ex eo tempore quo natus ſum.

Porrò dicendo *ex utero* &c. non negat Apoſtolus ab æterno ſe prædeſtinatum ſive ad gratiam fidei, ſive ad prædicandum evangelium; ſed hoc quod dicit, ſatis eſt ad ſignificandum id quod paſſim inculcat, nullis ſuis meritis electum ſe eſſe à Deo, ſed gratuita ejus bonitate.

Generaliter autem *notandum*, quod ſcriptura volens ſignificare prædeſtinationem, electionem, præceptum Dei æternum ſive ab æterno, non ſemper æternitatem nominat; ſed interdum alia quædam temporis principia nominando, nihilominus æternitatem inſinuat. Modò enim dicit ab æterno; modò, antequam mundus fieret; alias, ab origine ſeu conſtitutione mundi; quandoque nominat formationem hominis in utero materno, quandoque nativitatem ſive egreſſum ex utero. Et quidem Hier. loco ejus quod hîc dicitur, *ex utero*; in epiſtola 15. *ad Marcellam*, dicit, ante conſtitutionem mundi Paulum ſeparatum in evangelium Chriſti. Quæ tamen locutiones omnes idem volunt; ſcilicet, inde ab initio Deum quippiam decreviſſe, ſiquidem nominando principia hominibus nota, ut conceptum, nativitatem, &c. non vult excludere, ſed magis intelligendum relinquere principium illud ſine principio, quod eſt immenſa & incomprehenſibilis æternitas. Vide *annot. noſtras, Eccleſiaſt.* 1. & 49. *Jerem.* 1. *Matth.* 25. *Tit.* 1.

Planè gratuita & æterna eſt Dei prædeſtinatio.

ET VOCAVIT PER GRATIAM SUAM, *Vocatio* fit in tempore, eſtque *per gratiam Dei* efficax ad eam rem ad quam quis ab æterno prædeſtinatus eſt. Videtur autem loqui de tempore converſionis ſuæ.

16. UT REVELARET FILIUM SUUM IN ME, *Ut revelaret*, Græcè infinitivus eſt ἀποκαλύψαι *revelare*, id eſt, ad revelandum: dependet autem ab utroque verbo præcedenti, *Segregavit* & *vocavit*: Senſus enim eſt; Deum ab æterno prædeſtinaſſe & in tempore vocaſſe Paulum ut filium ſuum in ipſo revelaret; id eſt, juxta quorumdam expoſitionem, ut ipſi Paulo Chriſtum filium ſuum, quem anteà perſequebatur, notum faceret inſpiratione fidei & cognitionis myſteriorum ad fidem Chriſti pertinentium. Aliis magis placet, *in me*, pro eo, quod eſt per me, poſitum eſſe; quæ frequens eſt apud Apoſtolum præpoſitionis *in* acceptio. Sic ergo *ſenſus* erit; Ut per me, tamquam Apoſtolum & præconem, filium ſuum fideique ejus myſteria manifeſta mundo faceret. Qui ſenſus tam ſuperioribus ubi dicit, *ſe ſegregatum*, videlicet ad Apoſtolicum munus, uti jam expoſitum eſt; quàm iis quæ proximè ſequuntur, apprimè congruit.

UT EVANGELIZAREM ILLUM IN GENTIBUS: Hæc pars non eſt copulanda cum proximè præcedenti, quod alioqui videri poteſt, ſi ſolum textum Latinum quis inſpiciat; ſed referenda eſt ad initium illud ſententiæ, *Cùm autem placuit.* Eſt enim totus locus ſic ordinandus; Poſtquam Deo, qui olim me ſegregavit & poſteà per gratiam ſuam vocavit ad hoc ut filium ſuum per me revelaret, viſum eſt ut hoc ad quod ab eo ſegregatus & vocatus eram, facto exequerer, id eſt, ut filium ejus prædicarem apud Gentes: *continuo*, &c. Conſtructionem hanc

Græca non modò permittunt, verùm etiam attentiùs conſiderata, prorſus exigere mihi videntur; favetque ei textus Ambroſiani commentarii.

CONTINUO NON ACQUIEVI CARNI ET SANGUINI; Hierony. affirmat meliùs ex Græco verti, *Non contuli cum carne & ſanguine.* Sed & noſter interpres eo modo vertit proximo capite, *Mihi qui videbantur eſſe aliquid nihil contulerunt*; tametſi de eo loco videbimus in ejus expoſitione: ubi & Hierony. vim verbi Græci pleniùs exponit. Tertull. quoque partem hanc ita expreſſit libro de reſurrectione carnis, cap. 50. *Statim non retuli ad carnem & ſanguinem.* Caro & ſanguis, familiari ſcripturæ locutione, periphraſis eſt hominis mortalis, & qui tantum homo ſit, ut Mat. 16. *Caro & ſanguis non revelavit tibi*, id eſt nullus hominum, Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem*, id eſt, adverſus homines. Item Hebr. 2. *quia pueri communicaverunt carni & ſanguini*, id eſt, quia homines erant mortales, *& ipſe quoque filius Dei participavit eiſdem*, id eſt, naturam hominum aſſumpſit.

Caro & ſanguis quæ hîc intelligantur.

Sic igitur carnem & ſanguinem accipi hoc loco exiſtimat Chryſoſtomus & poſt eum cæteri Græci interpretes; ut ſit ſenſus: Simul atque Deo placuit per me prædicari evangelium in Gentibus, non communicavi negocium prædicationis cum quoquam mortalium; nempe idcircò, ut idem Chryſoſtomus aliique exponunt, quòd evangelium per revelationem Jeſu Chriſti acceptum, cum hominibus, tametſi Chriſti Apoſtolis, tamquam dubium, & ab eis aut corrigendum aut ſupplendum, communicare; res indigna & abſurda videretur. Nam ex revelatione certus erat de ſui evangelii veritate & plenitudine. Vel certè, ideò non contulit, ne videretur ab hominibus aut per hominem accepiſſe evangelium; & per hoc inferior cæteris Apoſtolis putaretur.

Fatetur Hieronymus hunc intellectum carnis & ſanguinis, à pleriſque tradi, ſed minimè probat, tum quòd arrogantiam ſonet, Paulum poſt revelationem Chriſti non fuiſſe dignatum ire ad homines & cum eis conferre ſermonem; quod & Porphyrius adverſus Paulum objicit: tum quia Petrum, Joannem & Jacobum carnem & ſanguinem putare, quæ ſecundùm Apoſtolum, 1. *Cor.* 15. regnum Dei poſſidere non poſſunt intollerabile eſt.

Itaque nomine carnis & ſanguinis carnales homines intelligi vult; & hunc ſenſum facit Non contuli evangelium meum cum Judæis aut aliis hominibus carni deditis.

Verùm hic ſenſus loco non admodum quadrat. Nulla enim ratio eſſe poterat, ut cum carnalibus & incredulis hominibus, quales erant Judæi, de ſuo evangelio communicationem inſtitueret; Neque id quiſquam alius facere tenebatur. Nam communicatio cum peritis & intelligentibus fieri debet; non cum hominibus judicio corruptis.

Neque movere nos debet *objectio* Porphyriana; non enim arrogantiæ tribuendum, ſed Apoſtolicæ conſtantiæ, quòd qui doctrinam ſuam ex divina revelatione certam & indubitatam habebat, noluerit eam velut dubiam humano ſubjicere examini: quod viſus fuiſſet facere, ſi ſtatim ab initio cum hominibus contuliſſet. Quo autem ſenſu, citra præjudicium prioris expoſitionis quæ nobis vera ac germana videtur, dictum ſit alibi, carnem & ſanguinem regnum Dei poſſidere non poſſe; ſuo loco à nobis explicatum eſt.

Jam illud, *continuò*, Chryſoſtomus ſic accipit, ut ſignificari putet Apoſtolum ſtatim quidem à ſua vocatione non communicaſſe cum hominibus evangelium ſibi revelatum: ſed tamen id eum poſteà feciſſe, non quaſi de incerto, ſed ne in vacuum curreret, poſteaquàm evangelium ejus ab obtrectatoribus cœpit in dubium revocari; ſi ne tunc quidem cum Apoſtolis de eo conferre voluiſſet: quemadmodum ipſe declarat cap. ſequenti.

17. NEQUE VENI JEROSOLYMAM AD ANTECESSORES MEOS APOSTOLOS. Græcè, *Neque redii in Jeroſolymam ad eos qui ante me Apoſtolos.* A genere deſcendit ad ſpeciem; quaſi dicat, ne quidem cum Apoſtolis contuli qui Jeroſolymis erant, & ante me Apoſtoli fuerunt, utpote à Chriſto in terris agente ad Apoſtolatum vocati. Huc quoque referendum præcedens adverbium, *continuò*: Nam poſteà Jeroſolymam venit & cum Apoſtolis contulit, ſcilicet poſt 14. annos, ut habetur infrà.

SED ABII IN ARABIAM, ſcilicet è Damaſco, ubi ſtatim à converſione mea baptizatus eram. Quid in Arabia Paulus egerit, traditum non habemus, neque curiosè quærendum eſt: niſi quòd cum Chryſoſtomo libenter arbitramur, eum præclara quædam, quæ ſcripta non ſunt, ibi præſtitiſſe. Significat autem illuc ſe profectum ubi nemo erat à quo doceretur.

ET ITERUM REVERSUS SUM DAMASCUM. Quanto tempore in Arabia hæſerit, æquè incertum: tametſi triennii tempus partim in Arabia, partim Damaſci eum exigiſſe, ſatis ex verbis ſequentibus intelligitur.

18. DEINDE POST ANNOS TRES VENI JEROSOLYMAM VIDERE PETRUM: *Veni*, Græcè *redii*: & pro *videre*, in Græco eſt ἱστορῆσαι, quod non eſt quomodocumque videre, ſed quomodo ſpectare aut inviſere ſolemus res aut perſonas in quibus ob excellentiam multa digna ſunt cognitu. Significat enim Apoſtolus ſe Jeroſolymam rediiſſe viſcendi Petri gratia, non ut cum eo ſuum evangelium conferret, aut diſceret ab eo aliquid: ſed ſtudio cognoſcendi propiùs tantùm virum, quem Chriſtus & Apoſtolorum principem & Eccleſiæ ſuæ paſtorem conſtituiſſet, aliiſque multis prærogativis ornaſſet: quique propterea ſummi nominis erat apud Chriſtianos. Sic autem velle videre honorare erat: ut ne quis ſuſpicaretur Petrum à Paulo contemptum, aut minoris quàm oportuit, æſtimatum. Atque hanc rem diligenter explicant commentatores tam Græci quàm Latini. Cæterùm tres anni quos memorat, ab ipſius converſione ſupputandi ſunt: ſicut & illi quatuordecim, quorum infrà meminit, ut ibi docebimus.

ET MANSI APUD EUM DIEBUS QUINDECIM. Id eſt, non amplius diebus 15. Quod utique ſpacium temporis addiſcendo evangelio, quod aliis prædicandum eſſet, haudquaquam ſufficere poterat. Hujus numeri 15. dierum myſticam ſignificationem ſi quis requirat, conſulat Hieronymi & Thomæ commentarios: legatque eumdem Hieronymum *in epiſt. ad Paulinum*, atque ejuſdem titulo *ſecundam expoſit. ſuper Pſalm.* 119. Porrò tota narratio hæc Apoſtoli eò ſpectat ut doceat quod initio aſſumpſit, *ſe neque ab hominibus neque per hominem*, ne per Apoſtolum quidem, atque ipſum Apoſtolorum principem Petrum accepiſſe ſuum evangelium: ſed ſine hominis interventu ex fonte divinæ revelationis illud hauſiſſe. Quaſi dicat. Triennium jam evangelium Chriſti prædicaveram magna cum fiducia, partim in Arabia, partim Damaſci, nec intereà quemquam Apoſtolorum conveni. Et quidem poſteà Petrum adii, ſed tantùm honoris cauſa, ut viderem, non ut diſcerem; quod ſatis arguit brevitas temporis quo apud eum manſi.

Quò ſpectet tota hæc Apoſtoli narratio.

Cùm hîc abſque dubio ſit ſenſus & intentio Pauli: conſequens eſt Hieronymum *in memorata ad Paulinum epiſtola*, cùm dicit futurum Gentium præceptorem myſtico dierum numero quo apud Petrum manſit, inſtruendum fuiſſe: locum hunc detorſiſſe nonnihil ad inſtitutum ſuum; dum congerit exempla quibus doceat ſcripturam ſacram non ſine magiſtro diſcendam. Verus ſenſus ex ipſius Hieronymi *commentariis* potiùs petendus, ubi diſertè

ſcribit, Paulum non diſcendi ſtudio Petrum adiiſſe, ſed cauſa honoris priori Apoſtolo deferendi, ac propterea quindecim dies ponere, ut oſtendat non fuiſſe grande tempus, quo potuerit aliquid à Petro diſcere. *Ut ad illum*, inquit, *ſenſum à quo cœpit, cuncta referantur: ſe non ab homine doctum eſſe, ſed à Deo.*

Quæritur autem quomodo conſentiat hæc Pauli narratio cum hiſtoria quam de eo ſcribit Lucas *Act.* 9. ubi, nulla Arabiæ mentione facta, refert eum non poſt triennium, ſed poſt dies multos à converſione, Damaſco, fugientem Judæorum inſidias, rediiſſe Jeroſolymam. Sed facilis eſt reſponſio, Lucam ſicut multa alia Pauli geſta, ſic & hanc ejus in Arabiam profectionem prætermiſiſſe. Res autem ita ſe habere videtur, Paulum mox à converſione & baptiſmo diſceſſiſſe in Arabiam: idque fortè ex conſilio fidelium qui Damaſci erant: inde non multò pòſt reverſum, ea Damaſci egiſſe quæ Lucas commemorat ab eo loco: *Et continuò ingreſſus in ſynagogas, prædicabat Jeſum*, &c. Deinde ſtructas ei inſidias à Judæis Damaſci morantibus: quas cum fugeret, Jeroſolymam rediiſſe, nimirum poſt tres annos ſuæ converſionis. Quod tempus à Luca ſignificatum putamus illis verbis, *Cùm autem implerentur dies multi*; familiare enim ſcripturæ eſt, dies ponere & pro tempore quod ex annis conſtat. Hæc concordia probatur Hieronymo: eſtque ſanè probabilius Pauli fugam accediſſe in ſecundo diſceſſu à Damaſco, quàm ut alii quidam volunt, in primo: quia ratio non ſuadet, ut unde clanculùm & cum periculo ob Judæorum inſidias receſſerat, eò rurſus ac nòn multò pòſt, palàm in Judæorum Synagogas evangelium prædicaturus, accederet.

19. ALIUM AUTEM APOSTOLORUM VIDI NEMINEM, NISI JACOBUM FRATREM DOMINI. Ne quis arbitretur, quamvis non à Petro, tamen ab alio quopiam Apoſtolorum Chriſti inſtitutum fuiſſe Paulum ad evangelizandum: removet hoc quoque, negans ſe quemquam alium ex Apoſtolis vidiſſe, niſi Jacobum fratrem Domini; atque hunc vidiſſe tantùm, non ab eo edoctum. Ubi *ſciendum* imprimis, Apoſtolum loqui de eo tempore, quo, poſt tres annos ſupradictos, Jeroſolymam reverſus eſt: ut ſupplendum ſit, *Et tunc alium Apoſtolorum neminem vidi*, &c. Nam poſteà plures ex Apoſtolis eum vidiſſe, cum *ex Actis Apoſt.* tum ex proximo capite hujus epiſtolæ manifeſtum eſt. Verùm id longè pòſt, ſcilicet poſt annos 14. quando jam multis annis Chriſtum Gentibus prædicaverat.

Quod ergo legitur *Actorum* 9. Paulum quando primùm à converſione Jeroſolymam venit, à Barnaba ductum fuiſſe ad Apoſtolos, id de ſanctis Petro & Jacobo intelligendum eſt. Jam in eo quod ait, *niſi Jacobum fratrem Domini*; ſi particula, *niſi*, propriè, id eſt, exceptivè ſumatur: planè ſequetur ex hoc loco, Jacobum fratrem Domini fuiſſe Apoſtolum. At ſi ſumatur impropriè, id eſt, adverſativè; quomodo non frequenter accipitur in ſacris literis, non ſequetur: quemadmodum ex eo quod dicit Dominus Joan. 17. *Quos dediſti mihi nemo ex iis periit, niſi filius perditionis*; non eſt conſequens, filium perditionis datum fuiſſe Chriſto à Patre. Quamquam nulla ratio eſt cur hoc loco placeat impropria locutio; cùm nemo ſit qui neget Jacobum fratrem Domini fuiſſe Apoſtolum; etiamſi reſtringas ad eos qui Dominum in carne viderant, & cum eo fuerant converſati.

An Jacobus frater Domini fuerit Apoſtolus ex duodecim.

Sed illud à nonnullis in dubium revocatur, fueritne unus ex duodecim. Quidam enim tres faciunt Jacobos Apoſtolos; ſcilicet filium Zebedæi qui idem frater Joannis; & alterum, Alphæi filium; ac tertium, fratrem Domini, quem extra numerum duodecim Apoſtolorum conſtituunt; exiſtimantes eum idcircò tantùm vocari Apoſtolum, quia quotquot Chriſtum in carne conſpectum poſteà prædicabant, generali nomine Apoſtoli vocabantur. Tertium autem hunc affirmant Jeroſolymorum epiſcopum fuiſſe; qui & Juſtus ob inſignem vitæ ſanctitatem, quam Hegeſippus & Joſephus commemorant, fuerit cognominatus. Ita ſentiunt Epiphanius *hæreſi* 79. Dorotheus *in ſynopſi*, Nicephorus *libro* 2. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 40. & alii, quos citat hujus ſententiæ propugnator Carolus Bonius *in ſcholiis ſuis ad libri* 2. *conſtit. Apoſtol. Clementis cap.* 59. Turrianus *ſuper libr.* 6 *conſtit. Apoſtol. Clementis cap.* 12. & 14. & Eraſmus *in annotationibus.* Quin & Hieronym. *in hujus loci comment.* nec non ſcribens *in cap.* 17. *Iſaiæ*, ad hanc opinionem non obſcurè videtur accedere; tametſi *in libro contra Helvid.* anteà ſcripto, tantùm duos fuiſſe Jacobos Apoſtolos affirmaſſet, eos nimirum ſolos quos Evangeliſtæ inter duodecim recenſent.

Fuiſſe ex numero duodecim.

Quæ quidem ſententia veriſſima eſt. Nam Jacobus ille qui ab Evangeliſtis inter fratres Domini numeratur, & à *Marco capite* 15 Jacobus Minor dicitur, nequaquam alius eſt ab eo quem in catalogo Apoſtolorum Evangeliſtæ vocant Jacobum Alphæi; cujus etiam ſe fratrem Judas Apoſtolus ſcribit; ut dubitandum non ſit, æquè Jacobum fratrem Domini, atque Judam fratrem Jacobi, Apoſtolos fuiſſe ex numero duodecim. Etenim Euſebius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ probatiſſimus ſcriptor *libro* 2. *capit.* 1. ex Clemente Alexandrino duos tantùm hoc nomine Apoſtolos commemorat; unum cognomento Juſtum, Jeroſolymis è templi faſtigio præcipitatum; & alterum gladio cæſum ab Herode. Sed & Martyrologia omnium Eccleſiarum occidentalium non plures duobus Jacobos Apoſtolos agnoſcunt, eoſdem inter duodecim conſcriptos. Tertius, ubi, quando, & quomodo paſſus hiſtoria nulla prodit.

Neque verò Paulus ſequenti capite Jacobum fratrem Domini cum eis qui erant columnæ Petro & Joanne, & quidem primo loco nominaret; niſi perinde ut illi, fuiſſet ex Apoſtolis illis primariis à Chriſto deſignatis. Quod etiam ſatis arguit frequens ejus & honorabilis mentio in *Actis Apoſtolorum*; maximeque illud quod *Actor* 15. ſecundus à Petro ſententiam dixit in Apoſtolorum concilio.

Porrò qui diverſum ſentiunt, opinionem ſuam hauſiſſe videntur *ex libro* 1. *recognit. Clementis.* Ad cujus argumenti refutationem ſatis eſt, ſi dicamus illius operis, utpote apocryphi, falſoque titulo donati, nullam eſſe authoritatem. Quod idem ſentimus de libris conſtitutionum Apoſtolicarum; tametſi locus ex iis proferri ſolitus non urgeat. De qua re tota vide Cardinalem Baronium *tomo* 1. *Annal. Eccleſiaſt. ad annum Chriſti.* 44. & Joannem Molanum *de hiſtoria ſanct. imag. lib.* 4. *cap.* 28. Qua autem ratione frater Domini dictus ſit hic Apoſtolus, eruditè explicat Hieronym. *lib. contra Helvidium*, oſtendens id procedere ex Hebræa conſuetudine, qua fratres dicebantur, non ſolùm qui eodem eſſent patre aut matre geniti, ſed & qui remotiori gradu conſanguinitatis ex latere diſtarent ab invicem. Qualis utique fraternitas interceſſit inter Dominum & Jacobum, ut qui fuerit filius Mariæ cujuſdam diverſæ à matre Domini; ſicut ex Evangeliis manifeſtum eſt, *Matth.* 27. *Marci* 15. & 16. *Lucæ* 24. Vide etiam quæ diximus ad illud 1. Corinth 9. verſ. 5. *Et fratres Domini.* Quare quod Hieronymus *in hujus loci commentario* ſignificat Jacobum Domini fratrem appellatum honoris gratia, nimirum ut ait, propter egregios mores & incomparabilem fidem, ſapientiamque non modicam; id ita putamus accipiendum, propter has cauſas Jacobum, cùm revera ſecundùm carnem eſſet frater Domini, etiam à fidelibus peculiariter ac præ aliis Chriſti Domini conſanguineis, fuiſſe tam inſigni appellatione honoratum.

Jacobus quo ſenſu frater Domini.

Neque enim Hieronymus ea quæ adverſus Helvidium diſſeruerat, *in hoc comment.* retractat; ſed allegat, & approbat, dumtaxat alia quædam nonnihil diverſa adjiciens.

20. QUÆ AUTEM SCRIBO VOBIS, ECCE CORAM DEO, QUIA NON MENTIOR. Juratio eſt, teſte etiam Auguſtino *in hunc locum*. Nam quia ſingula quæ dixerat, probare non poterat aut teſtibus certa ratione; ne conficta putarentur, juramento confirmat. Quod referendum eſt ad ſuperiora ab eo loco, *Cum autem placuit ei*, &c. tametſi pariter etiam ad ſubſequentia narrationis Apoſtolicæ, quæ protenditur ultra medium ſequentis capitis, referri poteſt. Certè ad totam narrationem ab Auguſtino refertur *in epiſtola* 19. *ad Hieronymum* ſcripta. Eſt autem Hebraica jurandi forma, in illis verbis, *Ecce coram Deo*, ſubaudi dico. Nam ordo verborum talis eſt, Ecce autem coram Deo dico & declaro, quia non mentior quæ vobis ſcribo: quaſi dicat; Deum, ut præſentem & omnia videntem, teſtem adduco, quod nihil horum confixerim.

Jusjurandum Apoſtoli.

21. DEINDE VENI IN PARTES SYRIÆ ET CILICIÆ. Id eſt, poſt quindecim dies quibus manſi Jeroſolymæ, reliqui Judæam ac diſceſſi in regiones Syriæ & Ciliciæ. Per hoc rurſus ſignificat, ſe ab Apoſtolorum qui in Judæa agebant, converſatione quotidiana qua ab illis inſtrui potuiſſet, procul abfuiſſe. Hoc ipſum Lucas Actor. 9. breviter ita perſtringit, *Et deduxerunt eum fratres Cæſaream; & dimiſerunt Tharſum*. Hæc enim urbs erat Ciliciæ, Pauli patria; quemadmodum ipſe teſtatur *Actor.* 22. Quo etiam loco refert ſe divinitus admonitum, uc exiret velociter ex Jeruſalem.

22. ERAM AUTEM IGNOTUS FACIE ECCLESIIS JUDÆÆ QUÆ ERANT IN CHRISTO: Hoc quoque eodem pertinet, quò præcedentia. *Tam breve tempus*, inquit Hieronymus, *ſe in Judæa fuiſſe confirmat, ut etiam vultu credentibus eſſet ignotus. Ex quo oſtendit non Petrum, non Jacobum, non Joannem ſe habuiſſe doctores; ſed Chriſtum, qui ſibi evangelium revelaſſet.* Hæc ille. Per *Eccleſias Judææ quæ erant in Chriſto*, ſignificantur Eccleſiæ Chriſtianæ quæ in Judææ locis erant, & ſolis conſtabant Judæis aut proſelytis. Ubi animadvertit Auguſtinus, Judæos in Chriſtum credentes non tam paucos fuiſſe ut Eccleſiis gentium miſcerentur; ſed multos, ut ex illis Eccleſiæ fierent. Quod non mirum, quia paucis adhuc gentilibus prædicatum erat Evangelium, ut ex Actorum hiſtoria perſpicuum eſt.

23. TANTUM AUTEM AUDITUM HABEBANT. Græcè, *audientes erant*; Ambroſ. *audiebant*, rectiùs, *audierant*, id eſt, auditu & fama cognoverant, rumor hujuſmodi ferebatur ad eos, à dicentibus.

QUONIAM QUI PERSEQUEBATUR NOS ALIQUANDO, NUNC EVANGELIZAT FIDEM, QUAM ALIQUANDO EXPUGNABAT. Id eſt, *vaſtabat*, quomodo legit Auguſtinus. Eſt enim in Græco idem verbum quod ſuperiùs, ubi dicitur, *& expugnabam illam*. Quod ibi de Eccleſia dictum, hic de fide. Vaſtabat autem & expugnabat fidem, quia Chriſti fidelibus fidem extorquere perſequendo nitebatur.

24. *ET* IN ME CLARIFICABANT DEUM. Græcè, *glorificabant. In me*, dixit pro eo quod eſt, *de me*. Senſus, vel *propter me*. Gloriam meæ converſionis Deo tribuebant. Notanda fidelium vetus conſuetudo, qui viſa vel audita alicujus hominis ad fidem converſione, ſtatim agnoſcebant opus Dei, ac Deum in ſuo opere laudabant. Sic Actor. 11. *Et glorificaverunt Deum dicentes: Ergo & Gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam*. Sic Chriſtianus populus didicerat, ait Proſper *de vocat gent. lib.* 1. *cap.* 7. Porrò teſtimonium hoc Eccleſiarum Judææ de Paulo, ſummopere valebat ad commendandam & ſtabiliendam ejus doctrinam; propter quam cauſam obiter illud inſere voluit.

Nota, Quod laus & gratiarum actio Deo exhibenda in converſione peccatorum.

CAPUT II.

1. DEinde poſt annos quatuordecim, iterum aſcendi Jeroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito. 2. Aſcendi autem ſecundùm revelationem: & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurriſſem. 3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum eſſet Gentilis, compulſus eſt circumcidi: 4. Sed propter ſubintroductos falſos fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent. 5. Quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos: 6. ab iis autem, qui videbantur eſſe aliquid, (quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt. Deus perſonam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur eſſe aliquid nihil contulerunt. 7. Sed è contra cum vidiſſent quòd creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis: 8. (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes) 9. & cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis: ut nos Gentes, ipſi autem in circumciſionem: 10. tantùm ut pauperum memores eſſemus: quod etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere. 11. Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. 12. Priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat: cum autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant. 13. Et ſimulatione ejus conſenſerunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. 14. Sed cum vidiſſem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non Judaice: quomodo Gentes cogis Judaizare? 15. Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores. 16. Scientes autem, quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſti Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro. 17. Quod ſi quærentes juſtificari in Chriſto, inventi ſumus & ipſi peccatores, numquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. 18. Si enim quæ deſtruxi, iterùm hæc ædifico: prævaricatorem me conſtituo. 19. Ego enim per legem legi mortuus ſuum, ut Deo vivam: Chriſto confixus ſum cruci. 20. Vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, 21. & tradidit ſemetipſum pro me. 21. Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.

Deut. 10. *d.* 17. *Job.* 34. *b.* 19. *Sap.* 6. *b.* 8. *Eccl.* 35. *b.* 16. *Rom.* 2. *b.* 11. *Epheſ.* 6. *b.* 9. *Col.* 3. *d.* 25. *Act.* 10. *e.* 34. 1. *Pet.* 1. *c.* 27.

Rom. 3. *e.* 20.

SUMMARIUM.

EXponit quare cum Apoſtolis Evangelium ſuum contulerit; Item, quomodo Petrum exemplo cogentem Gentes Judaizare, reprehenderit. Non juſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem Jeſu Chriſti.

DEINDE POST ANNOS QUATUORDECIM, ITERUM ASCENDI JEROSOLYMAM CUM BARNABA. Deſcribitur hæc profectio ejuſque cauſa, *Actor.* 15. De illa namque Paulum hîc loqui, quamvis Chryſoſt. & alii nonnulli negent, Hieronymus dubitet; plurium tamen interpretum eſt, & maximè probabilis ſententia, quam bonis argumentis prætereà aſſerunt Cardinal. Baronius *Annalium ſuorum tomo* 1. *ad annum Domini* 51. & Benedictus Pererius in *Diſput. proleg. priore ſuper epiſtolam ad Roman.* Fuit autem hæc tertia Pauli poſt converſionem Jeroſolymitana profectio; Nam de ſecunda, ſic meminit Lucas, Actor 12. *Barnabas autem & Saulus reverſi ſunt ab Jeroſolymis, expleto miniſterio*, cujus nimirum gratia fuerant profecti. Verùm hanc profectionem Apoſtolus in præſenti narratione prætermittit, quod illam non ob aliud ſuſcepiſſet, quàm ut eleemoſynam ab Eccleſiis collectam, una cum Barnaba Jeroſolymam perferret.

Id enim est quod Lucas vocat *ministerium*. Sed ejus rei commemoratio non pertinebat ad rem præsentem.

Porrò *quatuordecim annos* dicit, non à triennio post suam conversionem, quando, sicut dictum est superiùs, Petrum Jerosolymis vidit, ut jam sint à conversione septemdecim anni; quemadmodum intellexit Hieronymus, & alii quidam eum secuti: sed quatuordecim ab ipsa conversione. Sic enim Beda super *Actor.* 15. & author *ordinariæ glossæ hujus loci*, nec non Aquinas & Cajetanus *in commentariis* non modò sentiunt, sed etiam probant. Denique accuratè demonstrant authores memorati Baronius & Pererius.

Hîc observandum est Apostolum Paulum non priùs quàm mota à quibusdam esset dubitatio de doctrinæ suæ veritate ac sinceritate, Jerosolymam ascendisse conferendi cum Apostolis Evangelii sui gratia. Id enim palàm ostendit locus Actorum, ubi sic legitur: *Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari. Facta ergo seditione & disceptatione non minima Paulo & Barnabæ adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis, ad Apostolos & presbyteros in Jerusalem super hac quæstione.* Hæc ibi. Ex quibus etiam liquet quare unà cum Paulo ascenderit Barnabas; erat enim is Paulo socius evangelii & doctrinæ, quam gentibus prædicabant.

Observandum est, Paulum post conversionem quinquies ascendisse Jerosolymam, quod quidem ex scripturis doceri possit. *Act.* 9. Iterùm *cap.* 12. *Item* 15. *deinde cap.* 18. licet ibi non expressè dicatur; satis tamen probatur partim ex Græco codice, partim ex *versib.* 20. 21. 22. Postremò, *Act.* 21.

ASSUMPTO ET TITO. Hujus in Actis nulla mentio est; quia ad ejus loci narrationem nihil attinebat eum nominari: Hîc verò plurimum attinet. *Sensus* enim est: Ausus sum etiam Titum assumere, quamvis gentilis esset & incircumcisus. Tanta mihi fuit ad Apostolos proficiscenti, causæ meæ fiducia, ut non dubitaverim illuc adducere mecum hominem incircumcisum, non solùm comitem itineris, verùm etiam evangelii prædicandi socium; licet frementibus adversum me fratribus, qui circumcisionem necessariam prædicabant.

2. ASCENDI AUTEM SECUNDUM REVELATIONEM. Id est, monitus revelatione divina. Hinc colligunt quidam profectionem hanc diversam fuisse ab ea quæ describitur Act. 15. quòd illic non ex divina revelatione, sed humano consilio ac decreto profecti Jerosolymam dicantur Paulus & Barnabas cum cæteris. Verùm nulla repugnantia est; potuit enim fieri ut Paulus speciali revelatione moneretur idem illud facere, quod homines faciendum statuebant, quemadmodum legimus Act. 20. Petrum divinitus monitum, ut iret cum quibusdam, à quibus tamen ad hoc ipsum quærebatur. Quod autem nonnulli hîc non novam Apostolo factam putant revelationem, sed ascendisse eum interpretantur secundùm revelationem dudum acceptam, scilicet eam qua didicerat evangelium à Christo, de qua superiori capite, non placet. Nam illa revelatio generalis erat de evangelio ac Gentium vocatione; hîc autem Apostolus, ut factis suis authoritatem conciliet, specialem urget revelationem qua jussus fuerit ob controversiam tunc excitatam petere Jerosolymam.

ET CONTULI CUM ILLIS EVANGELIUM QUOD PRÆDICO IN GENTIBUS. Augustinus legit: *Et exposui illis.* Sed intellige, more conferentis. Id enim vult, etiam Hieronymo teste, quod in Græco est, ἀνεθέμην αὐτοῖς. Nam sensus est: Communicavi cum illis qui Jerosolymis erant, de evangelio quod prædico inter Gentes, deque tota ratione doctrinæ meæ quam tradidi & etiam nunc trado Gentibus, quarum sum Apostolus. Non itaque discendi studio, quod suprà negavit, evangelium suum nunc demum cum Ecclesia Jerosolymitana confert; sed ut omnes intelligerent eum nihil ab illa diversum docere; cujus rei calumniam patiebatur propter legem & circumcisionem, à cujus onere Gentes vindicabat. Contulit ergo cum aliis, non ut inferior, sed ut in munere prædicandi evangelii æqualis. Nam inter conferentes, ait Hieronymus, æqualitas est; inter docentem & discentem minor est ille qui discit.

SEORSUM AUTEM IIS QUI VIDEBANTUR ALIQUID ESSE. Hæc duo voculæ, *aliquid esse*, in multis codicibus mss. non leguntur; ut nec apud Hieronymum. Augustinus etiam absque iis locum hunc citat *lib. 2. quæst. evangel. cap. 40. & alibi*; sed nec in *commentario* eas legit, secundùm exemplaria correctiora. Denique Græci codices non addunt, dumtaxat hoc loco; nam infrà nobiscum legunt, *Ab iis autem qui videbantur esse aliquid.* Qui locus, ut huc quoque asscriberentur, occasionem dedit tametsi ad sensum vix quicquam videtur interesse; sunt enim Apostolo iidem hoc capite, *qui videbantur*, &, *qui videbantur esse aliquid*, &, *qui videbantur columna esse*: nisi quod hoc postremum plus aliquid sonat, ut infrà videbitur. Etenim Græcis δοκοῦντες dicuntur qui in precio habentur, & magnæ sunt existimationis. Significat autem imprimis Petrum, Jacobum, & Joannem, quos posteà nominat. Hi namque apud fideles, præcipuæ erant authoritatis; nec immeritò: Siquidem eosdem Paulus 2. *Corinth.* 11. & 12. magnos, & suprà modum Apostolos, vocat. *Sensus igitur est*: Contuli cum fratribus qui erant Jerosolymis evangelium meum, idque palàm & publicè; seorsum autem ac privatim illud contuli cum primariis Apostolis. Sensus.

Juxta hunc sensum, apparet Paulum cum Apostolis aliquid privata collocutione egisse, quod cum cæteris non egerit in conventu publico. Nam publicè quidem ita contulit, ut ostenderet Gentes non debere circumcidi, & servare legem Moysi: unde nata erat quæstio; quemadmodum patet *Actorum* 15. Privato autem & secreto colloquio cum Apostolis habito, placuit ipsos quoque Judæos ab observantia Mosaicæ legis, utpote jam extinctæ & mortuæ per Christum, esse liberandos; quod publicè declarari nondum oportebat, ne Judæi fideles, qui legem Mosaicam mordicus sibi retinendam putabant, offenderentur, atque à fide Christi resilirent. Sic enim Jacobus Actorum 21. Paulum alloquitur, *Vides frater quot millia sunt in Judæis qui crediderunt: & omnes æmulatores sunt legis*, &c. Porrò utramque partem totius sententiæ ad eosdem referunt, nimirum ad solos Apostolos, Cajetanus, & alii quidam, ut posterior pars explicatio sit prioris. *Contuli cum Apostolis evangelium meum: cum iis, inquam, qui præcipui nominis erant apud fideles; idque privatim feci, ne fortè*, &c. Nobis prior sensus & plenior, & commodior esse videtur.

NE FORTE IN VACUUM CURREREM AUT CUCURRISSEM. *Ne fortè*, Græcè: *ne quo modo.* Sensus est, evangelium meum cum illis contuli, non ut discerem quod priùs nesciebam, aut quasi causæ meæ parum fiderem: sed ne sine fructu prædicarem evangelium, aut hactenus prædicassem: dum scilicet à falsis fratribus passim traducor apud eos quibus hactenus prædicavi, & quibus adhuc prædico tamquam diversam & dissonantem à cæteris Apostolis doctrinam evulgans. Opus evangelicæ prædicationis *cursum suum* vocat, quòd in eo obeundo & exequēdo summa cum alacritate & diligentia versaretur: ita, 1. Cor. 19. *Sic curro, non quasi in incertum*, & 2. Tim. 4. *cursum consummavi.*

Nota, doctrinam fidei etsi bonam, non sine approbatione superiorum prædicandã.

Ostendit autem hic locus, quàm sit necessarium, doctrinam etiam bonam & divinitus acceptam, communicari cum iis qui præsunt Ecclesiæ, ut ab illis examinata & approbata cum fructu prædicari, cumque securitate & certitudine possit à fidelibus suscipi. Unde Hieron. *epist.* 89. *ad Augustinum cap.* 2. affirmat Paulum hoc loco significare, se non habuisse securitatem prædicandi evangelii, nisi Petri & cæterorum Apostolorum, qui cum eo erant, fuisset sententia roboratum. Et Augustinus libro 28. contra Faustum cap. 4. *Ipse Paulus Apostolus*, inquit, *post ascensionem Domini de cælo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando & cum quibus conferendo evangelium, ejusdem societatis esse appareret; Ecclesia illi omninò non crederet. Sed cum cognovisset eum hoc annunciantem quod etiam illi annunciabant, & in eorum communione atque unitate viventem: accedentibus etiam per eum talibus signis, qualia & illi operabantur: ita eum Domino commendante, meruit authoritatem, ut verba illius hodie sic audiantur in Ecclesia, tamquam in illo Christus, sicut ipse verissimè dixit, locutus audiatur.* Hæc Augustinus. Quæ verba benè notanda contra novos magistros, qui pro verbo Dei non verentur orbi Christiano doctrinas suas obtrudere; nec priùs cum Ecclesiæ præfectis communicatas, nedum ab illis approbatas, nec ullo miraculo confirmatas. Similis locus est apud eumdem Aug. *lib.* 2. *qq. evang. c.* 40.

Obs. contra hæreticos, doctrinam suam non subjicientes examini eorum, quorum interest.

3. Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi. Græcè, *cùm esset Græcus*, sed Apostolus *Græcum* dixit pro *Gentili*, sicut alibi, quoties Græcum opponit Judæo, ut *Rom.* 1. 2. & 3. *cap.* Sensus & connexio hujusmodi est. Quòd si Apostoli cum quibus evangelium contuli quod in Gentibus prædico, sensissent observationem Mosaicæ legis, cujus præcipua pars est circumcisio, necessariam esse Christianis: utique Titum Gentilem, quem mecum assumpseram, jussissent circumcidi, præsertim instantibus Judæis ut id fieret. Atqui factum id non est.

Sensus.

4. Sed propter subintroductos falsos fratres. Nonnulli codices particula *sed*, pro qua in Græco & apud Ambrosianum est, *autem*, omittunt; quam Hieronymus quoque redundare putat, & Erasmus Hieronymi authoritatem secutus in sua versione suppressit, quod sensus Apostoli videatur clarior ea remota: quasi dicat; Titum comitem suum qui Gentilis erat, non fuisse coactum circumcidi propter falsos fratres, id est, quamvis falsi fratres odiosè instarent ut Gentiles Christo ascripti circumciderentur; quemadmodum docet locus *Act.* 15. Verùm lectio nostra, cùm sit apud omnes Pauli interpretes tam Græcos quàm Latinos, non temerè est immutanda. Quod demum intelligens Erasmus *in paraphrasi* eam sibi retinendam & explicandam putavit. Sed de sensu mox videbimus; pendet enim à sequentibus.

Porrò, *subintroductos*, sive *subinductitios*, aut ut est apud Tertullianum lib. 5. contra Marcionem cap. 3. *superinductitios* (nam in Græco nomen est, non participium παρεισάκτους) eos intelligit Apostolus, qui, quum lateret quales essent, obiter ac furtim exploratorum more fuerant introducti aut ingressi in Ecclesiam. Sumitur enim ferè dictio Græca in malam partem, ejusque vim diligenter explicat Chrysostomus. Estque idem judicium de verbo παρεισῆλθον, *subintroierunt*, quod est in parte sequenti. Ejusdem significationis est παρεισέδυσαν, quo Judas Apostolus utitur in sua epistola de hæreticis loquens; quodque noster interpres itidem vertit, *subintroierunt*. Vocat autem Paulus ψευδαδέλφους, id est, falsos fratres; quod solo nomine fratres, id est, Christiani essent; reipsa vero hostes intestini, rectam fidem Ecclesiæ evertere molientes. Horum antesignanum id tempore fuisse Cerinthum hæresiarcham, author est Epiphanius *hæresi* 28.

Qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu. Libertas quam habemus in Christo ea est, qua liberi ab observatione legis Mosaicæ, ex Christi gratia justitiam & peccatorum remissionem accipimus. Tametsi sciendum est Apostolum nondum hîc urgere negotium justificationis, sed eam dumtaxat partem libertatis nominare qua fideles à jugo legis ceremonialis erant liberi.

Ut nos in servitutem redigerent. *Qui*, inquit, *falsi fratres subintroierunt*, id est, irrepserunt in Ecclesiam, *ad explorandam libertatem nostram quam habemus in Christo*, hoc est, in Christianismo; vel *in Christo*, id est, per Christum ejusque meritum; ut ea libertate explorata & cognita, nobis eam extorquerent, aut nos accusarent, nosque unà secum servituti legis subjicerent. Id enim exploratorum est, ad hoc cognoscere velle ut accuses, auferas, aut expugnes.

Potest etiam sententia magis specialiter, ad hunc modum de falsis fratribus exponi; Qui subintroierunt atque ingesserunt se in conventum Jerosolymitanum, exploraturi utrum nos, etiam apud Apostolos, legis ceremonias non observaremus, ac ne apud eos quidem Titum circumcidi pateremur (hanc enim suam & eorum qui secum erant, libertatem appellat:) ut si fortè comperissent nos metu Apostolorum circumcidisse Titum, eo exemplo & præscriptione traderent nos in servitutem legis; aut si id non fecissemus, accusarent nos apud Apostolos, & eorum authoritate tentarent cogere nos ad legem servandam. Sensus hîc maximè congruit institutæ narrationi de iis quæ Jerosolymis acta fuerunt.

Sensus.

5. Quibus neque ad horam cessimus subjectioni ut veritas evangelii permaneat apud vos. Hujus partis lectio primùm examinanda est, tum videndum quomodo cum præcedentibus cohæreat, postremò sensus totius sententiæ inquirendus. Itaque notandum usque ad Hieronymi tempora codices Latinos sine negatione partem hanc legisse, *quibus ad horam cessimus*, &c. Liquet hoc ipsius Hieronymi testimonio commentantis in hunc locum; atque ita legerunt Tertull. *lib.* 5. *contra Marcionem cap.* 3. & Ambrosianus eumdem hunc locum explanans; quibus adde Irenæum Græcum *lib.* 3. *contra hæreses cap.* 13.

Verùm nostrorum codicum lectio Græcis tam codicibus quàm commentariis, etiam antiquissimis planè consonat; etiam prædicti authores Latini contendunt Græca vitiata esse. Probat eamdem lectionem Hieronymus, nec secus legit Augustinus ac cæteri Latinorum Hieronymo posteriores. Denique ea sola reperitur hodie, non modo in Græcis & Latinis codicibus, verum etiam in versione Syriaca.

Jam & illum monendum, particulam relativam, *quibus*, apud authores Tertullianum & Ambrosianum non haberi; quibus & Latina quædam mss. suffragantur: Sed quoniam apud cæteros omnes aut penè omnes interpretes, idque juxta fidem Græcorum omnium exemplarium legitur accedentibus etiam præstantissimis Latinis: non dubitamus quin ab Apostolo scripta fuerit, licet quoad sensum redundet, de quo statim videbitur.

Tertia varietas est in vocabulo, *subjectione*; pro quo non pauci legunt dativum, *subjectioni*, siquidem ex Græco potest utrumque verti; sed commodiùs in auferendi casu, quem Romana habet editio, quemque Græcorum commentarii postulant.

Hæ porrò tam variæ præsentis loci lectiones, multos ac diversos sensus pepererunt. Qui negationem tollunt, sensum Apostoli faciunt adversativum ei quod dixerat Titum non fuisse compulsum

circumcidi, tamquam è contrario ſubjungat, *Sed propter ſubingreſſos falſos fratres, qui*, &c. *ad horam ceſſimus ſubjectione*. Id eſt, metu, ſeditionis quam parati erant adverſum nos commovere falſi fratres, noſtræ libertatis exploratores; *ad horam*, id eſt, pro tempore, ſubjecimus nos legi, ſive permittendo tandem ut Titus circumderetur (quem ſenſum à nonnullis tradi refert Hieronymus) ſive aliàs, ad vitandam Judæorum offenſionem, circumcidendo Timotheum Act. 16. *& tondendo mihi in Cenchreis caput*, ex voto, Act. 18. & ex Jacobi conſilio, ſecundùm legem me purificando, Act. 12. Sic enim intelligunt & explicant hunc locum Tertull. & Ambroſiaſter. Quin & S. Thom. hunc ſenſum ita refert, ut videatur non abjicere.

Verùm ſanè recipi non poſſunt hæ expoſitiones. Nam prior illa de Tito circumciſo, manifeſtè pugnat cum verbis Apoſtoli, qui jam abſolutè negaverat Titum compelli potuiſſe ut circumcideretur. Utraque verò totam intentionem Apoſtoli evertit, qui id enixiſſimè agit hac epiſtola, ne qua occaſione Gentibus imponatur ſervitus legis. Si enim ipſe contrarium aliquando fecit, ne Judæos offenderet, jam prævaricatus eſt. Et qua fronte Petrum reprehendit, quem conſtat ideò ſolùm, ne fratres à Jacobo venientes offenderet, à victu Gentilium ad horam abſtinuiſſe? Timotheum verò propterea ſine ſcandalo Gentilium, & proinde ſine juſta reprehenſione, circumcidit; quoniam is ex matre Judæa erat. Itaque ea res nihil pertinebat ad Gentiles. Ipſe verò Paulus cùm Judæus eſſet, potuit illo adhuc tempore quo lex nondum mortifera erat, ea quæ legis ſunt obſervare; dummodo Gentes exemplo ſuo non cogeret Judaizare; quod in Petro reprehendit. *Adde*, quod Apoſtolus hîc dicere non vult quid aliàs aliquando fecerit, ſed quid nunc, quando Jeroſolymis apud Apoſtolos erat, compulſus ſit aut non compulſus facere.

Porrò Hieronymus affirmativam lectionem, quamvis eam non probet, exiſtimat ita commodè accipi poſſe, Paulum ad tempus ceſſiſſe falſis fratribus; id eſt, acquieviſſe eis provocantibus ad Apoſtolos; aſcendit enim cum eis Jeroſolymam, & huic quidem ſenſui benè congruit ratio ſubjuncta; *Ut veritas*, &c. Hæc enim cauſa fuit Paulo Jeroſolymam aſcendendi. Convenit etiam quod ulteriùs ſequitur, *Ab iis autem qui videbantur*, &c. Sed cum Apoſtolus Jeroſolymam aſcenderit ſecundùm revelationem, ut dictum eſt ſuperiùs; cumque ex decreto fratrum ac libenter illud fecerit, utique non apparet hoc eſſe in quo ad horam falſis fratribus ceſſerit ſubjectione. Rectiùs fortaſsè referri poſſet ea ceſſio ad decretum Apoſtolorum, quo placuit Gentibus injungi ut abſtinerent à ſuffocato & ſanguine. Id enim factum propter Judæos, ne à Gentilium converſatione cum quibus in unam congregabantur Eccleſiam, nimium abhorrerent.

Verumtamen magis placet lectio negativa; cujus primùm facillima eſt expoſitio, ſi cum Hieronymo conjunctionem, *ſed* vel *autem* fingamus eſſe ſupervacuam, & illud, *propter ſubintroductos falſos fratres qui*, &c. continua oratione jungamus cum eo quod præcedit; quem ſenſum ſuperiùs indicavimus. Græci verò particulam, *autem*, adeò non negligunt hoc loco, ut putent eam habere vim amplificandi, quaſi dicat Paulus; *At neque Titus quum mecum inter Apoſtolos verſaretur, compulſus eſt circumcidi, ne quidem propter ſubintroductos falſos fratres*, id eſt, nec ad horum quidem importunam inſtantiam. His enim nec ad horam ceſſimus. Probari poſſet hæc interpretatio, ſi negatio fuiſſet repetita ſecundo loco: ſine qua textus ſenſum hujuſmodi vix admittit.

Quapropter illorum ſententiæ potiùs accedimus qui putant eclipticam eſſe orationem ea parte, *Sed propter*, &c. ac ſupplemento quodam indigere. Senſit hoc Auguſtinus, qui ita ſupplet: *Propter ſubintroductos autem falſos fratres non eſt compulſus Titus circumcidi*; id eſt, Non potuit extorqueri ut circumcideretur: ne ex circumciſione hominis Gentilis, meo conſenſu ac velut authoritate facta argumentum ſtruerent adverſarii pro ſua doctrina qua dicebant: *Niſi circumcidamini, non poteſtis ſalvari*.

Poteſt & aliter abſoluta reddi oratio, ut ſenſus totius loci ſit, Sed neque Titus comes meus, cùm Gentilis & incircumciſus eſſet, ac mecum inter Apoſtolos verſaretur, compulſus aut juſſus eſt circumcidi: *Propter ſubintroductos autem falſos fratres, qui ſubintroierunt*, &c. vehementer urgebamur. Id eſt, Quamquam propter illos urgeremur ut Titum pateremur circumcidi: quibus tamen tantopere inſtantibus, nec ad tempus quidem ceſſimus, ſubjiciendo nos eorum voluntati, aut tradendo nos in ſubjectionem & ſervitutem legis: idque ut veritas ac ſinceritas Evangelii, quæ docet legem abrogatam eſſe per Chriſtum, noſque per gratiam & non per legem ſalvari, apud vos Galatas ac cæteros Gentiles permaneat; apud quos utique non permaneret, ſi meo exemplo fidelibus author eſſem Judaizandi. Si illud quod Græcè legitur hoc loco εἰς, poſitum eſſet pro *iis*, ſeu *ipſis*: tum nullo ſupplemento foret opus, ſed oratio inchoata *verſ.* 4. finiretur extremo *verſ.* 5.

Cæterùm facit hic locus contra eos, qui cenſent Eccleſiam conſultò facturam, ſi concordiæ cum adverſariis ſuis ineundæ cauſa, puſillum aliquid ad religionem ſpectans quod offendere videtur, eis concedat: ut v. g. Qui putant uſum calicis reſtituendum laicis: ut ad eccleſiam hoc pacto reducantur ſchiſmatici. Non intelligentes, ſi id concedatur: illos continuò & plura poſtulaturos, & Eccleſiam calumniaturos, quæ tamdem agnoſcat ante hac ſe erraſſe, atque à Chriſti inſtituto deviaſſe. Verùm Eccleſia catholica didicit, exemplo Pauli Apoſtoli, nec ad horam cedere inſidioſis ejuſmodi poſtulatis: ut permaneat apud ipſam cunctoſque fideles doctrinæ catholicæ veritas.

Obſ. contra Sectarios, malam eſſe concordiæ viam, in quibuſdã punctis nonnihil concedere, aut condeſcendere.

6. AB IIS AUTEM QUI VIDEBANTUR ESSE ALIQUID. Ambroſ. *qui exiſtimantur aliquid eſſe*. Eſt enim in Græco participium præſentis temporis: quod tamen rectè vertitur etiam per verbum præteriti imperfecti, ſicut & ab Eraſmo factum eſt. Porrò ſuſpenſa eſt oratio per ſequentem parentheſim: qua finita, complet ſententiam potiùs quàm orationem; hanc enim incompletam relinquens, mox mutata ſermonis forma revertitur ad id quod inſtituerat. Facilè autem abſolvitur hæc pars ex illa ſubjuncta, verbo activo in paſſivum mutato; ut ſenſus ſit: Ab iis qui magno erant in precio, ac primi nominis apud Judæos fideles, nihil mihi collatum eſt, id eſt, facta Evangelii cum eis communicatione, nihil ab iis mihi acceſſit. Redit autem poſt interpoſitam de Tito narrationem, ad ea quæ de collatione cum Apoſtolis facta dicere cœperat: tacitam removens objectionem qua cavillari poſſet aliquis, ipſum ex ea collocutione in evangelii doctrina adjutum fuiſſe. Sequitur parentheſis.

(QUALES ALIQUANDO FUERINT, NIHIL MEA INTEREST; Hoc dicere videtur, quia Paulo inter alia objiciebatur, quòd aliquando perſecutus fuiſſet Eccleſiam: & hoc nomine minùs ei credendum; quaſi dicat: Quales illi qui nunc præcipuæ ſunt authoritatis, aliquando, id eſt, ante Apoſtolatum, vel ante acceptum Spiritum-ſanctum fuerint, nolo diſcutere. Nam vitam eorum præteritam ſcrutari non eſt meum; neque id ad rem facit: alioqui, poſſet etiam in illis inveniri quod reprehendatur: fuerunt enim & illi aliquando peccatores.

Alii reſpicere Apoſtolum putant ad humilitatem conditionis

conditionis priſtinæ : tamquam ſenſus ſit : Qui nunc ſunt in precio fuerunt aliquando abjecti, utpote homines illiterati, idiotæ, piſcatores : Ego contra, doctus in lege, inſtitutus ad pedes Gamelielis, clarus inter Judæos ; ſed hoc non commemoro, non enim refert qualis quis fuerit, ſed qualis ſit. *Prior ſenſus* eſt Auguſtini : *Poſterior* Ambroſiani, Thomæ, Cajetani & ferè Latinorum.

Chryſoſtomus autem ejuſque ſequaces, & cum iis Hieronymus, ſenſum hunc faciunt : Quam doctrinam illi olim tenuerint, id eſt, an legem ſervaverint atque exemplo ſuo ſervandam docuerint, an non : nihil ad me. Sed non placet Auguſtino cum Hieronymo diſputanti hic intellectus, idque meritò. Non enim exiſtimandum eſt ullo modo, Paulum in Petri & aliorum Apoſtolorum doctrina quidquam reprehendiſſe, aut in dubium vocaſſe : licet in aliquo facto Petrum reprehenderit, de quo poſtea. Non aliter cæteri Apoſtoli inter Judæos obſervarunt legalia, quàm ipſe Paulus ; qui 1. Corinth. 9. ſcribit ſe *Judæis factum tamquam Judæum, & iis qui ſub lege erant, quaſi & ipſe ſub lege eſſet, ut eos Chriſto lucrifaceret.* Itaque dicere non debuiſſet de ſuis coapoſtolis ſimiliter agentibus, *Nihil mea intereſt*, ſed purgare eos à crimine debuiſſet.

DEUS PERSONAM HOMINIS NON ACCIPIT) *Perſonam hominis accipere* in ſcripturis dicitur, qui attendit in homine conditionem aliquam, puta divitias, potentiam, formam, authoritatem, aut ſimile quid, quod ad negocium de quo agitur, nihil attinet, præſertim ſi id fiat in judicio, tunc enim propriè dicta eſt perſonarum acceptio, juſtitiæ contraria, de qua Græci intelligunt Apoſtolum hîc loqui. Juxta quos *ſenſus* & connexio talis eſt, Ipſi quamvis apud homines magni, rationem facti ſui Deo judici reddituri ſunt, qui perſonam hominis non reſpicit, ſed juſtè judicat unumquemque ſecundùm opera.

Porrò juxta Auguſtinum & Thomam, atque alios, hoc *ſenſu* pars iſta cum præcedenti connectitur ; Deus in eligendis ad Apoſtolatum hominibus, nullam prioris vitæ eorum rationem habet, nec conſiderat quales fuerint, ſed elegit quos vult, *Marc.* 3. tam potens ex perſecutore, quam ex piſcatore, facere prædicatores & Apoſtolos. Hic ſenſus ſine dubio verior eſt, tametſi in eo perſonarum acceptio largè, minuſque propriè, ſumatur. Nam alioqui, in gratuitis acceptionem perſonarum locum non habere teſtis eſt ipſe Auguſtinus *lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagia. cap. 6. & 7.* Unde autem ea phraſis originem habeat, diximus *in comm. Rom. 2.* Huc uſque parentheſis in textu.

Senſus verior.

MIHI ENIM QUI VIDEBANTUR ESSE ALIQUID, NIHIL CONTULERUNT. Sententiam quam imperfectam reliquerat, repetit & abſolvit, ſed (ut jam dixi) mutata forma orationis. Particula *enim*, repetentis eſt : Latini dicere ſolent, *ergo*, vel *inquam*, ac ſi diceret, *Mihi*, inquam, *qui videbantur eſſe aliquid*, &c. Ubi ſciendum illud *aliquid* in multis mss. codicibus non haberi, tantùm enim legunt, *qui videbantur eſſe*. Nec amplius in Græco eſt quam δοκοῦντες, de quo vocabulo ſuperiùs diximus. Unde & Hieronymus ſolummodò legit, *qui videbantur*, ut dictio *aliquid* videatur ex ſuperiori parte huc relata. Hinc porrò diſcimus, eadem eſſe Apoſtolo, *qui videntur*, & *qui videntur eſſe aliquid*, ac fruſtra nonnullos in iis diſtinguendis laborare.

Senſus.

Senſus igitur eſt. Mihi in illa communicatione quam de evangelio meo cum præcipuis Apoſtolis habui, nihil illi contulerunt, id eſt, nihil ab eis accepi, nihil didici, nihil per eam collationem mihi acceſſit. Nam acceſſionem aliquam ex collatione proveniente ſignificare videtur propoſitio σὺν à fronte addita Græco verbo, quod ſuperiùs dixit, *contuli*. Unde & Auguſtinus hunc locum ita legit ; *Mihi enim qui videntur aliquid, nihil apposuerunt.* Et in hunc ſenſum Chryſoſtomus & Theophyl. exponunt, ac Latini ferè omnes.

Alius ſenſus.

Alii ſenſum eſſe putant : illi ſuum evangelium non viciſſim mecum communicarunt, ſed mecum approbarunt tantummodo. Qua ex re liquet nihil mihi, quoad evangelii doctrinam, ab illis acceſſiſſe ; non enim accedere quidquam potuit, ſi ne quidem communicandum mecum ſuum evangelium putarunt. Nobis *prior ſenſus* præferendus videtur, nam & Valla eum probat, & Eraſmus ſequitur in *paraphraſi*, cùm in *annotationibus* anteà diverſum docuiſſet, non abſque Vallæ reprehenſione. Et alioqui, ſic debuiſſet dicere Apoſtolus, non contulerunt mecum ſuum evangelium : nunc autem dicit, *Nihil mihi contulerunt.*

7. SED E CONTRA, CUM VIDISSENT QUOD CREDITUM EST MIHI EVANGELIUM PRÆPUTII, SICUT PETRO CIRCUMCISIONIS. Nonnulli, quos Faber in commentario, & Eraſmus tam *in annotationibus*, quàm *in paraphraſi* ſequuntur, illud *ſed è contrà*, ſeparatum à ſequentibus ita jungunt cum eo quod præceſſit, ut ſenſus ſit abſolutus hujuſmodi ; *Qui videbantur eſſe aliquid, nihil mihi contulerunt, ſed è diverſo à me aliquid acceperunt*, ſcilicet ea quæ mihi, non illis à Deo revelata ſunt. Ita enim Faber exponit. Hujus expoſitionis etiam Hieronymus meminit, ſecundo loco ; *Sed è contrà*, inquit, *à me eis collatum eſt, dum fiunt in evangelii gratia firmiores.*

Imò non defuerunt, referente Thoophylacto, qui ſic interpretantur, Non ſolùm illi nihil correxerunt meorum, ſed vice potiùs verſa correcti ſunt. At meritò ſenſum hunc explodit Theophylactus. Etenim ſi Petrus in Evangelii doctrina nihil contulit Paulo ; nec corrigendo, nec adjungendo quippiam, aut ſupplendo, propterea quòd Paulus evangelium ſuum non ab hominibus ſed à Chriſto magiſtro didiciſſet, pari ratione nec Paulus in eadem re quidquam Petro cæteriſve Apoſtolis conferre potuit, ut qui æquè Chriſtum ipſum magiſtrum habuiſſent, & ad munus Apoſtolicum perfectè inſtituti eſſent à Spiritu ſancto.

Quod ſi Paulo peculiares quædam factæ ſunt revelationes, haud dubium quin etiam Petrus divinis revelationibus fuerit honoratus : ut *Act.* 10. & aliàs, non utique ad corrigendum vel ſupplendum Evangelium, ſed ſolùm ad Evangelii miniſterium, curſumque dirigendum. Adde, quòd ſecundùm hanc iſtorum diſtinctionem, id quod ſequitur, *Cum vidiſſent*, &c. nulla conjunctione cum præcedentibus cohærebit, præſertim in Græco, ubi pro verbis ſunt participia.

Multò igitur rectius eſt ut cum Chryſoſtomo, Theophylacto & Oecumenio, nec non cum Hieronymo juxta priorem ejus expoſitionem, quam plerique etiam Latini ſequuntur, hoc quod ait Apoſtolus, *ſed è contrà*, per hyperbaton, mediis quibuſdam tranſmiſſis, referatur ad illa longè ſequentia, *Jacobus & Cephas & Joannes dextras dederunt mihi ſocietatis*, Senſus. quaſi dicat. Illi mihi non contulerunt, quin potiùs, à falſis fratribus accuſatos, in ſocietatem muneris Apoſtolici, tamquam æquales me & Barnabam receperunt. Igitur adverſativum illud, *ſed è contrà*, non plenam vim habet adverſandi, neque enim ita ſemper accipitur apud authores, ſed perinde eſt ac ſi dicas, *quin magis* ; *ſed potiùs.*

Porrò rationem Pauli in ſocietatem receptionis continent verba interpoſita, *cùm vidiſſent quod creditum eſt mihi*, &c. Id eſt, cùm experimento jam cognoviſſent mihi commiſſum & concreditum eſſe à Deo munus evangelii prædicandi inter gentes incircumciſas, quemadmodum Petro concreditum erat apud circumciſos, id eſt, Judæos. Non ſentit Apoſtolus, Petrum ſolius circumciſionis Apoſtolum

fuiſſe ; ac multò minùs circumciſionis fuiſſe paſtorem atque epiſcopum ; cum ex *Actis & aliundè* planiſſimè conſtet, Petrum etiam Gentibus evangelium prædicaſſe ; quomodo viciſſim Paulus non ſolùm Gentibus, ſed & Judæis prædicavit; ut *ex iiſdem Actis & epiſtolis ejus* perſpicuum eſt : Sed ſignificat, Dei mittentis voluntatem fuiſſe ut præcipuè Gentibus ipſe, Petrus autem Judæis evangelium prædicaret. Sic Hieronymus & alii verba Apoſtoli explicant.

Verùm hoc rurſus intellige pro eo tempore quod hanc epiſtolam, vel potiùs quod hanc de qua nunc agitur communicationem, anteceſſit. Nam poſtquam Romam venit Petrus, longè lateque etiam ad Gentes evangelium, per ſe & per alios, diſſeminavit; ut cumulatè impleret illud quod cæleſti viſione ter admonitus audierat; *Occide & manduca*, Actor. 10. Creditum eſt autem Paulo evangelium præputii, ſtatim à converſioue ſua, quando evangelium à Domino accepit ; nec tamen excluſos ab ejus evangelio fuiſſe Judæos, teſtatur ipſe Dominus, ſic ad Ananiam de Paulo loquens: *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael.* Act. 9.

Obiter notanda latens ſignificatio fidelis miniſterii, in verbo, *creditum eſt mihi*, pro quo Græcè πεπιστευμαι *creditus ſum*, videlicet à Deo. Ubi & tanta laus Petri continetur, cui tamquam fideli miniſtro creditum fuerit evangelium circumciſionis. Porrò ſententiam confirmat ſubſequenti parentheſi.

8. (QUI ENIM OPERATUS EST PETRO IN APOSTOLATUM CIRCUMCISIONIS, OPERATUS EST ET MIHI INTER GENTES) Græcè, *ad Gentes*, vel *erga Gentes*. Verbum Græcum quod interpres vertit *operatus eſt*, efficacem in aliquo operationem ſignificat. Itaque non eſt ſenſus quem nonnulli tradunt, Qui Petrum fecit Apoſtolum Judæorum, idem me fecit Apoſtolum Gentium ; ſed explicanda eſt hoc modo ſententia: *Mihi præcipuè creditum fuiſſe à Deo evangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis*; ex eo manifeſtè cognoſcebant, *quia Deus qui efficax fuit in Petro ad Apoſtolatum circumciſionis*, id eſt, qui gratiæ ſuæ præſidio ita adfuit Petro ut prædicationem ejus apud Judæos efficacem redderet, multos ex illis ad Chriſti fidem per ejus miniſterium convertendo, *idem ille in me efficax fuit erga Gentes*, id eſt, prædicationē meam in Gentibus ſimiliter efficacem reddidit, quam plurimos ex illis per meum miniſterium ad fidem vocando ; cùm alioqui apud Judæos ferè inanis eſſet mea prædicatio. Efficaciam hanc prædicationis tria potiſſimum declarabant ; miracula prædicantium, chariſmata Spiritus ſancti diffuſa in credentes, & credentium multitudo. Eſt igitur argumentum ab effectu ſeu fructu miniſterii, quem præcipuum Petrus, operante Deo, fecit apud Judæos, Paulus inter Gentes.

9. ET CUM COGNOVISSENT GRATIAM QUÆ DATA EST MIHI : Repetitio eſt ejus quod parentheſim anteceſſit ; tamquam dicat, Cùm, inquam, ipſa jam rei experientia cognoviſſent gratiam quæ mihi data erat, nimirum evangelii in Gentibus prædicandi. Gratiam igitur ipſum apoſtolatum præputii, ſibi à Domino concreditum, vocat, quemadmodum & alibi. Sic enim ait Rom. 15. *Propter gratiam quæ data eſt mihi à Deo, ut ſim miniſter Jeſu Chriſti in Gentibus.*

JACOBUS ET CEPHAS ET JOANNES, QUI VIDEBANTUR COLUMNÆ ESSE, DEXTRAS DEDERUNT MIHI ET BARNABÆ, SOCIETATIS. Conſtruimus hæc tria nomina cum verbo ſubſequenti, *dextras dederunt*. Nam illud præcedens, *cognoviſſent*, copulatur cùm ſuperiori verbo *vidiſſent* ; utrum verò refertur ad ſuppoſitum remotius, *qui videbantur eſſe aliquid*, ut ordo & ſenſus ſit hujuſmodi: Sed è contrà, cum illi qui videbantur, atque in precio erant, vidiſſent & cognoviſſent apoſtolicam functionem mihi delegatam ad Gentes ; tunc illorum præcipui Jacobus, Cephas & Joannes, utpote qui non quomodocumque erant in exiſtimatione, ſed reputabantur ut columnæ quibus ædificium Eccleſiæ ſuſtentaretur ; mihi & Barnabæ collegæ meo, dextras ſocietatis dederunt, id eſt, in apoſtolatu ſocios, atque in evangelii doctrinam benè ſecum conſentientes, agnoverunt, & ut tales receperunt. Nam jungere dextras, ſocietatis & concordiæ ſymbolum erat. Significat ergo Paulus ſe & Barnabam ſuſceptos ab illis ſummis Apoſtolis, non ut diſcipulos, quales agnoſcebantur Titus & cæteri qui cum ipſis aſſcenderant, ſed ut coapoſtolos & in evangelii miniſterio pares. Jungere dexteras concordiæ ſymbolum.

Porrò *Jacobum* primo loco nominat ad honorem Domini, cujus erat frater ; & quia Jeroſolymorum epiſcopus erat, ubi hæc gerebantur, idemque maximi nominis apud Judæos ob ſanctitatis opinionem, ut liquet ex Joſepho & Hegeſippo. Nam quod Auguſtinus ſcribit tres iſtos à Paulo nominatos Dominicæ transfigurationi interfuiſſe, videlicet Jacobum intelligens fratrem Joannis, quod & legitur *in homilia quadam ſabbati poſt Domin. 1. quadrag.* inter eas quæ Euſebii Emiſeni falsò feruntur ; lapſus memoriæ eſt manifeſtus. Conſtat enim Jacobum Joannis fratrem multò ante concilium Jeroſolymitanum Herodis gladio occubuiſſe. Nec utique de alio Jacobo Paulus loquitur, quàm cujus *ſuperiori capite* meminit, & qui in concilio Jeroſolymis habito ſententiam dixit.

Quem verò *Cepham* hîc nominet, nonnulli revocarunt in *dubium*, propter illud maximè, quod ſtatim ſubjungit de Cepha à ſe reprehenſo, quod de Petro Apoſtolorum principe intelligi, putaverunt indignum. Itaque Cepham hunc à Paulo reprehenſum, dicunt non Apoſtolum, ſed ex LXX. Chriſti diſcipulis unum fuiſſe, ejuſdem nominis cum Petro Apoſtol. Refert hoc Euſebius *lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 12.* ex Clementis Alex. *lib. 5. hypotyp.* ac rurſum ex Euſebio refert Oecumenius *in commentario*, eamque ſententiam Hector Pintus *in Dan. 1.* quibuſdam argumentis veram eſſe contendit. Ac ſanè qui LXX. diſcipulorum catalogum texuerunt, Cepham quemdam inter eos numerarunt. Quis hic Cephas.

Sed opinionem hanc, tacito authorum nomine, velut commentitiam meritò rejicit Hieronymus, negans cujuſquam alterius Cephæ nomen ſibi cognitum eſſe, præterquam ejus qui & in evangelio, & in epiſtolis Pauli, modò Cephas, modò Petrus ſcribitur, una prorſus eademque ſignificatione. Quam enim, inquit, nos Latinè & Græcè petram vocamus, hanc Hebræi & Syri, propter linguæ inter ſe viciniam, Cepham nuncupant. *Adde*, quod totum argumentum epiſtolæ, ut idem ait Hieronymus, huic opinioni repugnat. Neque enim tam obſcurus diſcipulus cum Jacobo & Joanne præcipuis Apoſtolis, tamquam Eccleſiæ columna, comparari potuit; Neque Paulus hoc agit ut in ſocietatem apoſtolatus ab aliquo diſcipulorum qui non erant Apoſtoli, receptus videatur ; ſed ab ipſis Apoſtolis, iiſque primariis. Eamdem opinionem ex contextu Scripturæ refellit S. Gregorius *hom. 18. in Ezech.*

Non igitur alius hic Cephas à Paulo ſcribitur, quàm ille toties ab eodem nominatus *in 1. Cor. ſcilicet c. 1. 3. 9. & 15.* Argumenta verò quæ in diverſum adferuntur, exigui ponderis ſunt : & ad ea ſatis ab Hieronymo reſponſum eſt. Sed nec Catalogum LXX. diſcipulorum, qui nominibus temerè atque ridiculè ex ſcriptura novi teſtamenti collectis, fertur apud nonnullos authores, agnoſcit Eccleſia. Et quid de eo ſentiendum ſit, evidentibus argumentis oſtendi in *comm. cap. ult. epiſt. ad Rom.* Magis certè credendum Euſebio antiquitatis Eccleſiaſticæ ſcientiſſimo, qui,

loco ſuperiùs allegato palàm teſtatur, nullum LXX. diſcipulorum catalogum uſpiam exſtare.

UT NOS IN GENTES, IPSI AUTEM IN CIRCUMCISIONEM. Inabſolutus eſt ſermo, & ſupplendus hoc aut ſimili modo: Datis dextris ſocietatem apoſtolatus inierunt nobiſcum: ſic nimirum ut nos illo munere fungeremur erga Gentes, ipſi verò apud Judæos: quod rurſus intellige, paſſim ac præcipuè, idque ad tempus, donec res aliud poſtularet, quemadmodum id explicatum eſt ſupra.

10. TANTUM UT PAUPERUM MEMORES ESSEMUS. *Tantùm* non eſt connectendum cum eo quod præceſſit, quaſi dicat. *Ipſi autem circumciſionem tantùm.* Certum eſt enim nec Paulum ab evangelio Judæis prædicando, nec Petrum cæteroſque Apoſtolos à Gentibus ullo pacto prohiberi aut excludi potuiſſe; ſed ad ſequentia pertinet, Tantùm, inquit, hoc admonentes, ut dum evangelium apud Gentes prædicamus, pauperum qui in Judæa erant, memores eſſemus, commendando eos Gentibus ad fidem converſis.

Cura pauperum fidelium.

QUOD ETIAM SOLICITUS FUI HOC IPSUM FACERE. Verbum Græcum ἐσπουδασα non tam ſolicitudinem quàm diligentiam ſignificat, quaſi dicat; eam rem mihi commendatam qua potui diligentia præſtiti. Ubi Paulus obiter ſuam in pauperes, etiam Judæos, charitatem inſinuat, cùm à Judæis tam gravem pateretur contradictionem: cur autem non dicit, *ſoliciti fuimus*, ut Barnabam etiam comprehendat? Non aliam arbitror cauſam, quàm quia non multò poſt, ut *Act.* 15. legitur, Barnabas ab eo diſceſſit, ut proinde Paulus de ejus facto teſtari non potuerit. Porrò iſtorum pauperum, *& in epiſtola ad Rom. & utraque ad Cor.* mentio eſt; in quibus epiſtolis, cùm id adhuc agatur, quod hîc Apoſtolus ſe diligenter egiſſe memorat, rectè colligitur hanc epiſtolam tribus illis eſſe temporis ordine poſteriorem, ſicut in *argumento epiſt.* admonuimus.

Unde fidelibus Judæis paupertas.

Quod ad cauſam attinet paupertatis eorum de quibus hîc agitur, non ea præcipuè fuit quæ refertur *Actor.* 11. ſcilicet fames ab Agabo prædicta. Propter hanc enim non à Gentibus, ſed à Judæis extra Judæam habitantibus, & quidem longè ante tempus Jeroſolymitani concilii, collatio eleemoſynaria per miniſterium Barnabæ & Sauli facta eſt, & perfecta; quemadmodum *ex fine cap.* 11. & 12. *Actor.* perſpicuum eſt. Sed una generalis erat cauſa, quam referunt Hieronymus & Auguſtinus, quòd fidelium Judæorum multitudo quæ Jeroſolymis erat, venditis poſſeſſionibus ac pretio ad pedes Apoſtolorum poſito, ſicut *in Actis* Lucas memorat, paulatim ac tempore præcedente, egere cœpit; ut neceſſe habuerit aliorum fidelium, qui in aliis mundi partibus habitantes ſua non reliquerant, eleemoſynis ſuſtentari.

Cauſam alteram adferunt Græci interpretes, quòd facultatibus ſuis ſpoliati eſſent propter fidem Chriſti: hoc enim ſignificat ipſe Apoſtolus 1. Theſſ. 2. *Vos*, inquit, *imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Judæa; quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Judæis*, &c. Expreſſiùs verò id affirmat ad Hebr. 10. dicens: *Et rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.*

11. CUM AUTEM VENISSET CEPHAS ANTIOCHIAM; IN FACIEM EI RESTITI, QUIA REPREHENSIBILIS ERAT. Pro *Cepha*, *Petrus* legitur in Græco: nec non apud Hieronymum & Ambroſianum. Quod autem dixit interpres, *in faciem*, Græcè eſt, *ſecundùm faciem*; de cujus intellectu mox agemus.

Tempus hujus correptionis.

Quando contigerint ea quæ nunc à Paulo referuntur, non omninò certum eſt: neque enim Lucas *in Actis* horum meminit. Auguſtinus *epiſtola* 19. *quæ eſt ad Hieron.* putat hæc geſta eſſe ante conventum Jeroſolymitanum. At probabiliùs alii poſteà contigiſſe exiſtimant: Id enim poſtulare videtur ordo narrationis Paulinæ. Patet etiam ex *Actor.* 15. Paulum abſoluto concilio ſtatim Antiochiam eſſe reverſum, nec admodum diu ibi moratum. Quare veriſimile eſt per id tempus illuc adveniſſe Petrum, & cætera quæ hic narrantur acta fuiſſe. Niſi quis putet iſta eo tempore contigiſſe, quando iterùm Paulus aliquandiu hæſit Antiochiæ, *Act.* 18.

Cur eam narret Paulus.

Subjicit autem Apoſtolus hanc narrationem de Petro a ſe reprehenſo, non ut Petri authoritatem minuat, aut ſe illi præferat, uti calumniatus eſt olim Porphyrius, qui factum Pauli odiosè exagitavit, ſed eadem ratione ac neceſſitate qua narravit ſuperiora; nimirum ut oſtendat à ſe non aliud evangelium prædicari, quàm à Petro, cæteriſque Apoſtolis, atque ipſius etiam Petri exemplo & conſenſu conſtare, Gentes obſervatione legis onerandas non eſſe, quando & Petrus ipſe apud Gentiles gentiliter vixerit, & à ſe reprehenſus quòd exemplo ſuo Gentes ad Judaizandum cogeret, patienter acquieverit. Quæ res certò arguebat, Pauli doctrinam qua Gentes eximebat jugo legis, à Petro minimè fuiſſe improbatam.

S. Hieronymi opinio.

Cæterùm de intelligentia hujus loci, magna fuit concertatio inter egregios Eccleſiæ doctores Hieronymum & Auguſtinum. Docet enim Hieronymus hanc reprehenſionem qua Paulus Petrum à ſe reprehenſum ſcribit, ſimulatam, &, ut loquitur, diſpenſatoriam fuiſſe. Neque enim Petrum eo facto quod hîc narratur, quidquam commiſiſſe quod meritò reprehendi potuerit, ut proinde reprehenſio illa non ſeriò neque ex animo, ſed ex compoſito facta, debeat intelligi, quo per eam Judæi, quos Petri meximè movebat authoritas, videntes ſuum Apoſtolum Paulo reprehendenti cedere, ſanarentur ab errore quo adhuc tenebantur, putantes legem eſſe neceſſariam ad ſalutem.

S. Auguſt. ſententia.

Auguſtinus verò, qui commentarium hunc Hieronymi legerat, hujuſmodi interpretationem rejicit ac refellit, confirmans veram hanc Petri fuiſſe reprehenſionem, ut qui verè fuerit reprehenſibilis, propterea quòd ad veritatem evangelii non rectè ambularet dum ſimulatione ſua qua ſe à Gentili convictu ſubtrahens legalia ſervabat, etiam Gentes Judaizare cogeret, quemadmodum diſertè ſcriptum eſt à Paulo. Cujus verba ſi, ad excuſandum Petrum, ſic exponantur, ut nec verè fuerit reprehenſibilis Petrus, nec veraciter de eo dictum ſit quod non rectè ambulaverit ad veritatem Evangelii, ſed ideò, quia tamquam non rectè ambularet, fuerit externa dumtaxat ſpecie reprehenſus à Paulo: metuendum eſſe, ne mendaciis in ſcriptura detur locus. Hanc iſtorum doctorum diſſenſionem ac diſputationem videre eſt in eorum epiſtolis mutuò tranſmiſſis; apud Hieron. quidem *epiſt.* 86. *& ſequentibus uſque ad* 97. Apud Auguſt. *verò in epiſt.* 8. *& ſequentibus uſque ad* 19. Hieronymus authores ſuæ ſententiæ profert Græcos Pauli interpretes, Originem, Didymum, Apollinarem, Euſebium Emeſenum, & Theodorum Heracleotem, quibus acceſſere Chryſoſtomus, Theodoretus aliique Græci poſteriores, & inter Latinos Caſſianus *Collat.* 17. Sed hujus authoritas, ut & eorum quos citat Hieronymus, facilè repellitur. Fuerunt enim omnes, aut ferè omnes de hæreſi pravaque doctrina partim ab ipſo Hieronymo, partim ab aliis patribus notati; Id quod etiam à S. Thoma in commentario, ad elevandam eorum authoritatem, obſervatum eſt. Certè Caſſianum poſt Origenem mendacii patronum fuiſſe, eadem collatio planè convincit.

Porrò Auguſtinus præter apertiſſima verba Apoſtoli, quibus potiſſimùm nititur, ac inter cætera, id quod eſt cap. 1. *Quæ ſcribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior*; etiam Cyprianum pro ſe adducit, diſſe-

rentem *in epistola* 71. *ad Quintum.* In eadem sententia fuit Tertull. *lib.* 5. *contra Marc. cap.* 3. Commentator Paulinus Ambrosii titulo, *in hunc locum.* Gregorius Papa *lib.* 28. *Moral. cap.* 12. *& homil.* 18. *super Ezech.* Item Agapetus primus Papa *in epistola ad Justin. Imperatorem* (est apud Baronium *anno Christi* 535.) & ut semel dicam, Latini ferè omnes, qui post Augustinum hoc argumentum attigerunt, ac nominatim S. Thomas Aquinas *in commentario*, ubi totam controversiam quæ inter Augustinum & Hieronymum fuit, diligenter excutit, & ex Augustini sententia doctè resolvit.

Hieronymi retractatio.

Quodque amplius est, ipse Hieronymus opinionem suam qua Petrum in eo de quo reprehensus est à Paulo, peccasse negaverat, obliquè retractavit, & in Augustini sententiam concessit. Nam in *Dialogo contra Pelagianos*, quem statim posteà scripsit, *libro* 1. *capit.* 8. inter alia testimonia de scripturis sumpta, quibus docet sanctos non caruisse peccatis, & nullum episcopum prorsus esse irreprehensibilem; etiam de Petro profert exemplum ex hoc loco: *Si*, inquit, *ipse Apostolus dicat de Petro; quòd non recto pede incesserit in Evangelii veritate, & in tantum reprehensibilis fuerit, ut & Barnabas adductus fuerit in eamdem simulationem; quis indignabitur id sibi denegari, quod princeps Apostolorum non habuit?* Hanc Hieronymi retractationem observavit etiam Augustinus *in epistola* 260. *ad Oceanum*, dicens illum in opere recenter adversus Pelagium edito, eamdem de ista re gesta dictisque Apostolicis tenuisse sententiam, quam ipse, post beatissimum Cyprianum, secutus esset.

Est & alius Hieronymi locus *in lib.* 3. *Apologiæ adversus Ruffinum* eodem ferè tempore scriptæ, *cap.* 1. ubi cùm dixisset etiam Apostolos salvis inter se amicitiis dissensisse; pro exemplis adducit Paulum & Barnabam stomachatos propter Joannem cognomento Marcum: Eumdemque Paulum, qui in faciem Cephæ restitit, quòd non recto pede incederet in evangelio: quem tamen præcessorem suum & columnam Ecclesiæ vocaret. Quod de vera ac seria dissensione necesse est intelligi: qualis inter Paulum & Barnabam intercesserat. Quid enim novum si salvis amicitiis simulatè tantùm dissensissent? Denique quicumque seriam ac non simulatam hoc loco reprehensionem agnoscunt; iidem Petrum aliquid egisse quod reprehensione dignum esset, ac proinde peccasse fatentur. Sic inter alios Gregorius Magnus *locis suprà citatis.* Item Thomas Aquinas non solùm in *Commentario*, sed & postmodum *in summa* 1. 2. *qu.* 103. *art.* 4. *ad* 2. *&* 2. 2. *qu.* 33. *art.* 4. *ad.* 2. *& quæst.* 43. *art.* 6. *ad.* 2. Quibus locis etiam affirmat Petrum peccasse, & docet in quo peccaverit.

Peccasse B. Petrum, & in quo.

Nec verò quemquam offendere debet, quod Petrus post acceptum Spiritum sanctum peccasse dicatur; cùm nemo sit justus in hac vita qui non aliquando peccet, *Ecclesiastæ* 7. cumque præsens scripturæ locus apertè clamet Petrum peccasse. Quomodo enim Paulus de Petro totius Ecclesiæ principe scribere auderet, se ei in faciem restitisse, quia reprehensibilis erat; eumque non rectè ambulasse ad veritatem evangelii, qui facto & exemplo suo Gentes cogeret Judaizare, si sentiret eum ne quidem venialiter in hujusmodi facto peccasse? Nam mortaliter eum peccasse, nec Patrum quisquam dixit, nec locus iste convincit; facilè enim hæc quæ Paulus de eo scribit, à crimine excusantur; nam & quæ crimina non sunt, aliquando publicam merentur reprehensionem, si cedant in scandalum commune; quale erat factum Petri.

Quæ cùm ita sint: non possumus accedere quorumdam recentiorum opinioni, qui cum Augustino cæterisque Latinis seriam hîc agnoscentes reprehensionem, fortiter tamen negant à Petro quicquam peccatum fuisse. Sic Erasmus *in annotationibus*, & alii nonnulli posteriores; quorum ratio est Petrum non posse culpari in eo quod bona animi intentione fecit, quodque secundùm se malum non erat, sed tale dumtaxat, cujus occasione malum aliquod proveniret, id est, scandalum Gentilium. Quod utique Petro non putant imputandum, nihilo magis quàm si scandalizati fuissent Gentiles & ad Judaizandum inducti, ex eo quòd Paulum vidissent, vel circumcidere Timotheum hominem Gentilem, vel ex voto sibi caput tondere in Cenchreis, vel Jerosolymis se se cum cæteris Judæis purificare. Hæc enim omnia Paulum, etiam post istam Petri reprehensionem fecisse, constat *ex Actis*.

Hoc argumento Græci quoque & Hieronymus usi sunt, ut docerent non seriò, sed simulatè seu dispensatoriè gestum esse totum hoc negotium reprehensionis Apostolicæ. Qua fronte enim, inquiunt, seriò Paulus Petrum reprehenderet in eo quod ipsemet toties fecit, adeò ut scribat se factum Judæis tamquam Judæus esset, & iis qui sub lege erant, quasi sub lege esset, ut eos Christo lucrifaceret? Siquidem & Petrum propter Judæos hoc feciisse, Paulus ipse testatur.

Quibus æquè respondeo: Qua fronte Paulus hæc scriberet de Petro, & reprehensibilem fuisse, & non rectè ad veritatem evangelii ambulasse; si ne venialiter quidem in eo peccasset? Nam ad ea quæ è diverso objiciunt, in promptu responsio est ex SS. Augustino, Thoma, & aliis; qui benè docent hæc Pauli facta non fuisse talia quæ ex se præberent aliquam scandali occasionem Gentilibus. Timotheus enim ex matre Judæus erat, ideoque lege mortua quidem, sed nondum sepulta, circumcidi poterat. Et hanc rationem ipse Lucas qui factum narrat, satis insinuavit *Act.* 16. Paulus autem more Nazaræorum caput sibi tondens, Judæus inter Judæos versabatur.

Quòd verò purificaret se cum Judæis, idque Jacobo suggerente, cum Jerosolymis esset, manifestam ac necessariam habuit rationem, quæ luculentè describitur *Actorum* 21. Postremò, nil horum Paulum retraxit à conversatione Gentilium; At Petrus in civitate quæ Gentilium erat non Judæorum, priùs cum Gentilibus conversens, postea verò propter legis observationem ab eorum mensa sese subducens; quamvis bona intentione, ne Judæi qui supervenerant offenderentur, id faceret: occasionem tamen Gentilibus præbuit suspicandi quòd oporteret à cibis lege vetitis abstinere, quia Petrum Apostolorum principem in ea re factum suum priùs corrigere viderent. Certè illa Petri inconstantia in eadem re, non poterat non Gentiles offendere, & hoc Paulus urget, quando dicit eum non recto pede ambulasse: quia nimirum claudicabat in utramque partem.

Ex dictis intelligi potest quid sit respondendum ad hanc objectionem: Petrus non peccasset, si ex ejus facto, quo comedisset cum Gentilibus, fuissent scandalizati Judæi: ergo nec peccavit, quod ex ejus facto, quo se subtrahebat à mensa Gentilium, scandalizati fuerint Gentiles. Antecedens probatur tum quia Paulus similiter faciendo non peccavit, tum quia alioqui Petrus fuisset perplexus, nec peccatum evitare potuisset. Objectio.

Respondetur, antecedens esse verum, & negandam consequentiam, quia Petrus quidem apud Judæos Judaicè vivere poterat & debebat, ne eos offenderet, sed non ideò debebat abstinere à conviviis Gentilium, præsertim quibus antè interfuisset: hoc enim meritò offendebat Gentiles, quasi Petrus prius suum factum corrigeret, per hoc quasi docens legem servandam esse. Judæi autem ex Petri facto quo cum Responsio.

gentilibus ederet, rationabiliter offendi non poterant, quia palàm docebant Apoſtoli, & ipſe Petrus in concilio Apoſtolorum, jugum legis per Chriſtum ceſſare.

Deinde, quid Petri ſimulatio poterat prodeſſe ne Judæi offenderentur, quando Judæos latere non potuit Petrum jam antè ediſſe cum Gentibus? Non enim id ſecretò factum fuerat; & erant eo tempore alii Judæi Antiochiæ, qui id referre poterant Judæis à Jacobo venientibus. Igitur hac in re per imprudentia quamdam, ſive ut Dominicus loquitur, per inconſiderationem à Petro peccatum eſt; quemadmodum ex conſequentibus ampliùs patebit.

Notanda, Petri humilitas in ſuſcipienda correptione.

Illud verò potiùs in Petro mirari lubet ac laudare, quod liberam Pauli reprehenſionem, tanta manſuetudine & humilitate ſuſceperit, quanta paſtorem Eccleſiæ decuit; adeò ut dicat Auguſtinus *in commentario*, quòd erat objurgatore ſuo ipſe qui objurgabatur, mirabilior & ad imitandum difficilior: Nam ut idem Auguſtinus ait in Epiſtola ad Hieronym. quæ eſt apud eum 19. *Multò mirabilius eſt & laudabilius libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deviantem.* Quo nomine & Cyprianus Petri exemplum omnibus epiſcopis proponit imitandum, *epiſtola 71. ad Quintum.* De hac inſigni B. Petri humilitate eſt locus inſignis apud B. Gregorium *homil. 18. in Ezech.* dignus qui totus huc tranſcriberetur.

Verborum Apoſtoli expoſitio.

His neceſſariò præmiſſis ad Apoſtoli verba redeamus. Quod diximus, in Græco legi, *ſecundùm faciem ei reſtiti*, Hieronymus ſic accipit, ut *ſecundùm faciem* idem ſit quod ſpecie externa, & per ſimulationem; idque factum dicit, ut hypocriſis obſervandæ legis quæ nocebat eis qui ex Gentibus crediderant, correptionis hypocriſi emendaretur. Eadem eſt Chryſoſtomi expoſitio; videturque ei favere locus 2. Cor. 5. *ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde.* Similis adducitur locus ex cap. 10. ejuſdem epiſtolæ, *Quæ ſecundùm faciem ſunt, videte*, id eſt, ea quæ foris apparent.

Alii, *ſecundùm faciem*, ſive ut noſter habet textus, *in faciem reſiſtere*, idem eſſe volunt quod, *coram & in præſentia reſiſtere*, idque ſanè probabilius. Ita namque apud eumdem Apoſtolum, loco memorato dictum eſt, *in facie*, vel ut in Græco, *ſecundùm faciem quidem humilis ſum inter vos; abſens autem confido in vobis. In facie*, id eſt, præſens & coram; opponitur enim abſenti. Ex quo etiam loco, ſicut & ex illo 2. *Cor.* 5. mihi non improbabile eſt, interpretem noſtrum hîc quoque vertiſſe, *in facie*, non *in faciem.* Sic enim & Hieronymum legiſſe commentarius ejus indicat; & profectò minùs durè ſonat, *in facie*, quàm *in faciem reſiſtere*, ſi vis Latini ſermonis urgeatur; uti nec malè annotatum eſt ab Eraſmo.

Porrò ſimilis eſt locus Act. 25. *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur, præſentes* (Græcè, *ſecundùm faciem*, id eſt, coram) *habeat accuſatores.* Adde quod Apoſtolus ſeipſum paulò pòſt exponit quodammodo, cùm referens objurgationis ſuæ verba, ait: *dixi Cephæ coram omnibus.* Quapropter & Græci Chryſoſtomò poſteriores hunc ſenſum potiùs amplexi ſunt ut ex eorum commentariis liquet; nec adeò pro diverſa faciunt interpretatione Apoſtoli loca in diverſum allata; nam & illa ſi benè expendantur, hunc poſteriorem ſenſum magis poſtulant.

Videatur ibi Commentarius.

Porrò ſciendum pro eo quod nos legimus, *quia reprehenſibilis erat*, in Græco participialiter haberi, *quia reprehenſus erat:* quod quidam alii aliter exponunt. Quidam referunt ad reprehenſionem quam à Judæis fratribus paſſus erat Petrus, poſtquam ad Cornelium centurionem ejuſque demeſticos gentiles & incircumciſos introgreſſus fuerat, atque cum iis manducaverat, uti legitur Act. 11.

Sed hic intellectus præſenti loco non convenit, neque explicatur per verba ſequentia; quæ probationem continent hujuſce partis: magis autem quadraret, ſi verba hæc poſita eſſent poſt illud: *timens eos qui ex circumciſione erant*; Idcircò enim eos timere potuit, quia ab illis aliquando reprehenſus fuerat.

Græci, quamvis expoſitionis jam dictæ meminerint, aliam tamen proferunt, qua Petrus intelligatur reprehenſus Antiochiæ, hoc ipſo tempore quo gerebantur ea quæ Paulus hîc narrat; reprehenſus, inquam, à quibuſdam fratribus qui jam offendi cœperant inconſtantiâ Petri, modò cum gentilibus edentis, modò ſubtrahentis ſe; ſive quòd œconomiam hujus facti, ut Græci loquuntur, ignorarent; ſive quòd, ſecundùm Latinos, juſta fuerit reprehenſio, tamquam dicat Apoſtolus, *In facie ei reſtiti*, quandoquidem & ab aliis fratribus, etſi non coràm, reprehendi cœperat. Sic etiam Cajetanus exponit. Cæterùm Ambroſianus etiam participium legit, quomodo Græci, ſed interpretatur hoc modo: *Reprehenſus*, utique ab evangelica veritate, cui hoc factum adverſabatur. Reſpicit enim ad id quod infrà dicitur; *cùm vidiſſem, quòd non rectè ambularent ad veritatem evangelii.*

Verumtamen etſi conſtet in Græco participium eſſe, nec admittamus eorum conjecturam, qui ſuſpicantur olim ſecùs habuiſſe Græca exemplaria (refelluntur enim ex veterum Græcorum commentariis, & ex Latina Ambroſiani lectione:) non ideò tamen nobis à noſtra verſione recedendum eſt. Nam uti doctè annotatum eſt ab Adamo Saſboldo, Paulus Hebræa phraſi participium pro nomine verbali poſuit frequens; enim eſt Hebræis, imò perpetuum, ut quod nos per nomen verbale paſſivæ formæ enunciamus, illi participio paſſivo ſignificent. Exempli causâ, dicunt amatum ſeu dilectum pro amabili, laudatum pro laudabili, miratum pro mirabili, formidatum pro formidabili. Ita fit 2. *Regum* 1. *v.* 23. *Pſal.* 87. *v.* 1. & 138. *v.* 14. 1. *Cor.* 6. *v.* 4. *Heb.* 12. *v.* 18. & 27. Quod in Latina quoque lingua fit interdum; ut in his vocibus, contemptus, abjectus, honoratus, inacceſſus, & ſimilibus. Sic ergo, Paulus *reprehenſum* dixit pro *reprehenſibili.*

Certè Hieronymus Hebraicè, Græcéque peritiſſimus, ubique tam in commentario quàm in epiſtolis ad Auguſtinum, *reprehenſibilis* legit; nec de participio Græco ſcrupulum ullum movet, cùm alioqui Græca lectio potuiſſet eum pro petri defenſione nonnihil adjuvare. Nos igitur Auguſtinum ſecuti verba Apoſtoli ſic exponimus. Quum Petrus Antiochiam veniſſet, ibi propter hanc ipſam cauſam de qua nunc agitur, coràm ac multis præſentibus ei reſtiti, cum objurgatione, quia rem commiſerat publica reprehenſione dignam, quæ nec ſine ea corrigi poſſet. Senſum hunc exigit planus Apoſtoli textus, & ſubjuncta probatio. Senſus.

12. PRIUSQUAM ENIM QUAM VENIRENT QUIDAM A JACOBO, CUM GENTIBUS EDEBAT. Exponit cauſam ob quam reprehenſibilem dixerit Petrum, ita ut in facie reſiſtendum ei fuerit. Nam priuſquàm, inquit, Jeroſolymis Antiochiam veniſſent quidam à Jacobo ſive miſſi, ſive ſponte profecti, haud dubium quin Judæi legis æmulatores (etenim Jacobus Jeroſolymorum epiſcopus erat, & propter Judæos ipſe etiam legem ſervabat) cum Gentilibus edebat Petrus, ſine diſcrimine cibis utens communibus, lege neglecta. Quo ſanè facto ſuo palàm teſtabatur legis obſervationem non eſſe Gentibus neceſſariam, quando nec ipſe qui Judæus erat, legem apud eos ſervaret. Facit autem hujus facti commemoratio plurimum pro Pauli doctrina, dum oſtendit Petrum Apoſtolorum principem legis obſervationem neglexiſſe, & non niſi timore Judæorum ad eam obſervandam adductum fuiſſe, prout ſequitur.

CUM AUTEM VENISSENT, SUBTRAHEBAT ET SEGREGABAT SE, TIMENS EOS QUI EX CIRCUMCISIONE ERANT. Non ita *ſubtrahebat & ſeparabat ſe à Gentilibus*, ut omninò fugeret eorum conſuetudinem & colloquium; neque enim lex hoc præceperat, & ea res manifeſtiſſimè repugnaſſet vocationi Gentium ad fidem: quo enim modo vocari per Apoſtolos potuiſſent, cum quibus nec colloqui fas eſſet? *Sed ſubducebat ſe à conviviis & menſa Gentilium*, utpote qui promiſcuis & lege vetitis uterentur cibis. Priùs enim dictum eſt, *cum Gentibus edebat*. Fecit autem hoc Petrus timore Judæorum qui à Jacobo venerant; non quia ſibi periculum ab illis metueret, qui jam didicerat nec mortem pro Chriſto timere; ſed quòd timeret ne Judæi facto ſuo offenſi, legis æmulatione novas turbas excitarent, quibus curſus evangelii impediretur. Quamquam etiam dici poteſt, *eos* pro *eis* poſitum eſſe, in eo quod ait *timens eos*, quomodo ab eodem Apoſtolo dictum eſt infrà cap. 4. *Timeo vos ne fortè ſine cauſa*, &c. Sic autem ſenſus erit, Petrum ſubtraxiſſe ſe, quod, tamquam circumciſionis Apoſtolus, pro Judæorum ſalute ſolicitus, malum aliquod ipſis metueret ex ſuo cum Gentilibus convictu; ſcilicet ne reſilirent à fide, aut certè ſcandalum aliquod paterentur, videntes Apoſtolum ſuum aliud in Judæa agere, aliud inter Gentiles. Et ita quidem Græci exponunt; ſed prior ſenſus magis videtur literalis. Nam & aliàs adverſus Petrum ob ſimilem cauſam diſceptaverant Judæi, quando ad Cornelium acceſſerat *Actor.* 11. Et admodum nuper hoc ipſo loco, id eſt, Antiochiæ, ſeditionem Paulo & Barnabæ moverant propter circumciſionem, uti legitur *Act.* 15. *in principio*.

Quid moverit Petrum.

13. ET SIMULATIONI EJUS CONSENSERUNT CÆTERI JUDÆI. Græcè *Et unà cum eo ſimularunt etiam cæteri Judæi. Judæos* intelligit qui cum Perro erant, non qui à Jacobo venerant. Factum autem Petri ſimulationem vocat, non mendacium aliquod in facto, quæ eſt proprii nominis ſimulatio, ſemper illicita; ſed quia Petrus abſtinens à cibis lege vetitis, & ea parte legem obſervans, ſimilem ſe præbebat aliis qui legem obſervàbant ut neceſſariam ad ſalutem. Neque enim Græcis & Hieronymo conſentimus, affirmantibus Petrum alioſque Apoſtolos poſt paſſionem Domini non verè obſervaſſe legalia, ſed ſimulaſſe tantùm; Nam quòd verè obſervaverint, licet non cum opinione neceſſitatis, ex ſcripturis adeò manifeſtum eſt, ut negari non poſſit.

Quo ſenſu dicatur ſimulaſſe.

Loca ſunt *Act.* 10. ubi Petrus dicens ſe numquam manducaſſe quicquam commune & immundum, ſignificat ſe non minùs poſt Domini paſſionem quàm antè ſervaſſe legalia; *& Actor.* 15. ubi de legalibus quæſtione mota, Apoſtoli ſolos ab eorum obſervatione Gentiles excludunt, *& cap.* 21. ubi Jacobus ad Paulum: *Audierunt* (inquit) *de te quia diſceſſionem doces à Moyſe, eorum qui per Gentes ſunt Judæorum*; quem falſum fuiſſe rumorem, oſtendi vult ex eo quia Paulus ipſe legalia obſervabat: *Et ſcient*, inquit, *omnes quia quæ de te audierunt, falſa ſunt; ſed ambulat & ipſe cuſtodiens legem*. Verè igitur & non ſimulatè Paulus cæterique Judæi Chriſtiani legem ſervabant; ſive eam putarent obſervatu neceſſariam, ut illi qui venerant à Jacobo, ſive non, ut Petrus & fratres qui cum eo erant. *Simulabant autem hi unà cum Petro*, quia ſubtrahendo ſe à menſe Gentilium, legem ſervabant perinde ut alii Judæi, licet non eodem animo.

ITA UT ET BARNABAS DUCERETUR AB EIS IN ILLAM SIMULATIONEM. Græcè, *ſimul abduceretur eorum ſimulatione*, id eſt, *in eorum ſimulationem*. Senſus; Eò res progreſſa eſt, ut etiam Barnabas collega meus in Apoſtolatu Gentium, idemque me ſenior, illorum exemplo, maximè Petri, duceretur in eamdem cum illis ſimulationem, qua ſcilicet à Gentilium convictu ſeſe ſubtraheret. Unde fiebat ut erroris malum à tantis viris, altero circumciſionis, altero Gentium Apoſtolo, tractum, latiùs inter utriuſque populi fideles ſerperet

14. SED CUM VIDISSEM, QUOD NON RECTE AMBULARENT AD VERITATEM EVANGELII. *Rectè ambulare*, Græcis unum compoſitum verbum eſt, ὀρθοποδεῖν; quod ſonat recto pede incedere. Atque ita legit Hieronymus in commentariis, & in dialogo contra Pelagianos: ejus autem loco textus Ambroſianus habet, *rectâ viâ incedere*. Porrò *non rectè ambulare*, ſeu *non recto pede incedere ad veritatem evangelii*, non eſt aberrare à via veritatis evangelicæ, ſed claudicare & vacillante greſſu incedere in negotio veritatis evangelicæ procurando. Neque hoc ad errorem opinionis referendum eſt, quaſi putaverint Petrus & qui cum eo, legem Moyſi neceſſariò ſervandam, ſed ad qualitatem facti; claudicatio namque in eo erat, quòd inconſtanter & variè ſeſe gerebant apud Gentiles, modò cum illis edentes, modò ſeſe ſubtrahentes.

Non erravit Petrus opinione contra evangelium.

Unde non eſt quòd hæreticus ex his verbis calumniam faciat Petro, tamquam is in dogmate fidei vel erraverit opinione, vel aliquo modo vacillaverit, tantùm enim imprudentia quadam facti peccavit, quoniam ſimulatione ſua præbuit noxii erroris occaſionem Gentilibus, ut exiſtimarent eum neceſſariam adhuc credere legis obſervationem, proindeque ſibi etiam tanti Apoſtoli exemplo legem ſervandam eſſe.

Obſ. contra Sectarios. Petrum non erraſſe in dogmate fidei.

Neque verò ipſa per ſe ſimulatio, qualis hoc loco intelligitur, peccatum erat; ſimulaverat enim & ipſe Paulus eo genere ſimulationis, quando Timotheum circumcidit, & caput ex voto ſibi totondit; & omninò quoties *Judæis factus fuit tamquam Judæus, & iis qui ſub lege erant, quaſi ſub lege eſſet.* 1. Corinth. 6. Sed in eo Petri culpa fuit, quod id faceret ubi faciendum non erat, propterea quòd ex ipſius facto prona eſſet Gentilibus occaſio declinandi ab evangelica veritate. Hoc igitur tam in ipſo Petro, quàm in Barnaba & comitibus eorum, erat non rectè ambulare ad veritatem evangelii. Nam quod Eraſmus in *annotationibus*, pro Petri excuſatione, ſcribit, id quod plurali numero dicitur, *non rectè ambulárent*, non ad Petrum, ſed ad cæteros ſolùm referri debere, nullum habet authorem, ne ex Græcis quidem. Sed neque cohæret cum præcedentibus, neque cum ſubjecta reprehenſione, quæ ad Petrum ipſum dirigitur.

DIXI CEPHÆ CORAM OMNIBUS. Id eſt, palàm, ac multis præſentibus *Cepham*, vel ut in Græco, *Petrum* reprehendi hujuſmodi verbis. Hieronymus item & Ambroſianus *Petro* legunt. *Quòd autem coram omnibus*, inquit Auguſtinus, *neceſſitas coegit, ut omnes illius objurgatione ſanarentur. Non enim utile erat errorem qui palàm noceret, in ſecreto emendare. Huc accedit quòd firmitas & charitas Petri, cui ter à Domino dictum eſt, Amas me? Paſce oves meas; objurgationem talem poſterioris paſtoris pro ſalute gregis libentiſſimè ſuſtinebat.* Hæc Auguſtinus in commentario. Unde liquet hîc à Paulo nihil fuiſſe peccatum adverſum ordinem fraternæ correctionis, in eo quod publicè Petrum objurgavit abſque prævia privata admonitione. Nam publica ſalus ita fieri poſtulabat. Solùm autem Petrum alloquitur, quòd is ſuo exemplo cæteris author fuiſſet ſimulationis; quodque eo correcto, cujus apud omnes erat ſumma authoritas, aliorum correctio facilè ſecutura eſſet.

Senſus. Cur palàm Paulus eum reprehenderit.

SI TU CUM JUDÆUS SIS, GENTILITER VIVIS, ET NON JUDAICE; QUOMODO GENTES COGIS JUDAIZARE? *Quomodo*, Græcè τί, *quid*, id eſt, quare. *Senſus eſt*: Si tu, Petre, qui Judæus ex Judæis natus, poſtquam didiciſti legem morte Chriſti abolitam eſſe, non ampliùs eam ſervas, ſed negligis quaſi ea

ad te non pertineret (quod eſt gentiliter, & non Judaicè, vivere:) quid eſt quod nunc, hac tua ſimulatione tuoque exemplo, etiam Gentes, quæ ſunt extra legis profeſſionem, cogis Judaicè vivere, id eſt, legem Judaicam obſervare? velut ſi dicat, Quæ ratio eſt ut Gentiles ad Judaiſmum provoces, qui Judæus ipſe cùm ſis, Judaiſmo renunciaſti? Hoc indiſſolubili argumento, ait Hieronymus, Petrum conſtringit; imò per Petrum eos qui pugnantia illum inter ſe facere cogebant. Porrò *gentiliter vivere* cœpit Petrus, ex quo ei dictum eſt, *Macta & manduca*, Actor. 10. nam anteà ſolùm Judaicè vixerat: Unde dicebat, *commune & immundum nunquam intravit in os meum.*

Obſ. contra Sectarios, notam hæreſeos Petro impudenter impingentes.

Patet autem ex ſenſu jam dato, quàm impudenter calumniam hæreſeos primo eccleſiæ paſtori impingant hæretici, propter hoc quod Gentes Judaizare coegerit. Non enim id fecit errore doctrinæ, quaſi ſenſerit ac docuerit legem Gentibus imponendam eſſe; ſed uti dictum eſt, exemplo, & imprudentia facti. Nam quod doctrinæ vel opinionis error nullus hîc ſignificetur, clarum eſt; tum quia ſimulatio fuit, tum quòd paulò antè cum Gentibus ediſſet, nec ſubitò potuerit opinionem mutare; tum denique quia non reprehendit eum Paulus quòd non teneret aut non doceret evangelii veritatem, ſed quod ad eam non rectè ambularet, id eſt, facto & converſatione ſua eam non promoveret, ſed læderet. In quo tamen ipſo veniam haud dubiè merebatur, quia cùm eſſet Apoſtolus circumciſionis, peccavit amore Judæorum quos à Jacobo ad ſe venientes verebatur offendere, & ab evangelio ſuſcepto, ſua libertate qua apud Gentes utebatur, avertere.

Judaizare quid ſit hoc loco.

Notandum quoque eſt, verbum *Judaizare*, non hîc ad hæreſim pertinere, quomodo Judaizare dicuntur, qui docent aut ſentiunt religionem Judaicam à Moyſe traditam eſſe Chriſtianis ad ſalutem neceſſariam; quæ fuit olim hæreſis Nazaræorum & Ebionitarum, Cerintho cum primis authore: Sed idem valet quod Judæos imitari, ritus Moſaicos exemplo Judæorum obſervare; ſive id fiat opinione neceſſitatis, ſive ob reverentiam legis à Deo inſtitutæ, ſive propter authoritatem eorum qui legem hujuſmodi ſervant: quemadmodum Platonizare dicuntur, qui Platonis ſeu doctrinam ſeu dictionem imitantur; quacumque ratione id faciant. Sic autem Judaizabant non Judæi, ſed Gentiles Judæorum imitatores: At priori modo, Judæi quam maximè. Poſteriore modo hîc intelligit S. Aug. *epiſt.* 19.

Ubi finiantur verba Pauli ad Petrum.

15. Nos natura Judæi et non ex Gentibus peccatores. Petrum adhuc alloquitur; nec ſatis conſtat ubi verba Pauli ad Petrum finiantur, an ut quidam putant, eo loco, *Quod ſi quærentes juſtificari*, &c. an verò dum ait; *Sienim quæ deſtruxi*, &c. quemadmodum exiſtimat Cajetanus, ea ratione motus, quod ibi Paulus, anteà plurali numero uſus, incipiat loqui ſingulariter; An denique duret alloquium illud uſque ad finem hujus capitis. Nam initio ſequentis, planum eſt ad Galatas dirigi ſermonem. Hæc tertia ſententia Hieronymi eſt & Chryſoſtomi; facitque eam probabilem cohærentia ſermonis ad eum uſque locum; ſimul & nominis Galatarum illic expreſſio, tamquam ibi demum, Petro

Quarta ſententia.

dimiſſo, compellare eos incipiat. Niſi quis in ſuperioribus verbis dicat latentem eſſe receſſum à Petro, & ingreſſum ad materiam principalem; quod non eſt improbabile.

Hoc quod ait *Nos*, in ſua & Petri perſona dicit; tametſi poſſunt & utriuſque comites Judæi, in quibus & Barnabas, comprehendi. *Naturâ Judæos* vocat, qui à nativitate habent quod Judæi ſunt, non ſolùm genere, verùm etiam obligatione legis obſervandæ, tamquam ſub lege nati; lex enim populo Judaico data fuit. Proſelyti verò, qui ex Gentibus in Judaiſmum coaptabantur, juxta nomen ſuum adventicii erant, & voluntate, non natura Judæi.

Quod autem addit, *& non ex Gentibus peccatores*; tale eſt; Et non ex populo Gentium, quibus lex data non fuit, nati peccatores; id eſt, carentes regula divinæ legis, & per hoc abeuntes in omne genus peccatorum præcipites. Putat Auguſtinus Paulum, Judæos alloquentem, ex Judæorum conſuetudine Gentiles appellare peccatores; quod nomen, inquit, Gentibus impoſuerant Judæi jam vetuſta quadam ſuperbia, tamquam ipſi juſti eſſent. Porrò quod Primaſius vocabulum peccatores ad Judæos reflectit, quaſi ſenſus ſit: Nos ex Judæis & non ex Gentibus nati, peccatores tamen, coacta videtur interpretatio.

16. Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis; Vocula *autem* non eſt in Græco, nec apud Ambroſianum: conjungenda eſt enim hæc pars cum præcedenti, quæ inabſoluta remanſerat.

Niſi per fidem Jesu Christi. Sententiam reddit obſcuram particula, *niſi*. Quæ ſi propriè, ut Latinis auribus ſonat, accipiatur, exceptionem faciet ab eo quod præcedit; ut ſenſus ſit, hominem non juſtificari ex operibus legis niſi fides in Chriſtum ad ea opera accedat; quæ ſi acceſſerit, juſtificari eum per legis opera. Sed cùm hic ſenſus juſtificationem dividat, partim eam tribuens operibus legis, partim fidei Chriſti, quod eſt contra definitam & abſolutam Apoſtoli ſententiam, docentis in epiſtola Rom. 3. *ex operibus legis neminem juſtificari coram Deo, ſed juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*; necnon hoc ipſo loco, ſtatim pòſt affirmantis *juſtificari nos ex fide Chriſti, & non ex operibus legis*, &c. manifeſtum eſt interpretationem illam tamquam Apoſtolico ſenſui & ſcopo contrariam, omninò repudiandam eſſe: etenim ea Judaizantium, adverſus quos agit Apoſtolus, erat doctrina, legem cum fide Chriſti miſcere, & ex utraque pariter ſalutem exſpectare.

Verùm conſtat voculam *niſi* frequenter in ſcripturis adverſativè ſumi, ut idem valeat quod, *ſed tantùm*, quemadmodum etiam ſuperiori capite, admonuimus ad illa verba, *Niſi ſunt aliqui qui vos conturbant*. Sic autem intelligi debere hoc loco, non modò doctiſſimi quique interpretes Græci & Latini conſentiunt; verùm etiam ſatis colligitur ex his quæ paulò pòſt ſequuntur hoc loco, & ex memoratis Apoſtoli verbis Rom. 3.

Opera legis quæ, hoc loco.

Ex quo etiam loco petendum, quænam Apoſtolus intelligat opera legis, ex quibus negat hominem juſtificari, videlicet non ſola ceremonialia legis Moſaicæ, velut circumciſionem, ſabbatum, neomeniam, &c. de quibus plerique locum hunc exponunt: Sed in univerſum opera qualiacumque, ex lege, id eſt, ex ſola legis cognitione, facta, etiamſi moralia tantùm ſint: nam in doctrina Apoſtoli qua juſtitiam ab operibus legis removet, legem intelligi toto genere, prout moralia ſimul & ceremonialia comprehendit, perſpicuis argumentis oſtendimus *in expoſit. epiſt. ad Rom.* Quomodo autem idem intellectus præſenti loco quadret, ubi propriè de ceremonialibus quæſtio verſatur, reſtat ut explicemus.

Sciendum eſt igitur Apoſtolum ab eo loco, *Nos naturâ Judæi*, &c. propiùs ad rem inſtitutam accedere, & cauſam propter quam ceremonias legis ad Gentes transferri nullo modo patiatur, aperire. Nam ceremoniæ in figuram Chriſti venturi impoſitæ erant ad ſignificandum per eum aliquando veram nobis juſtitiam & remiſſionem peccatorum conferendam eſſe. Ideoque poſt ejus adventum, impleta jam earum ſignificatione, ceſſare debuerunt. Quare qui eas evangelio Chriſti promulgato adhuc retinendas, aut etiam Gentilibus imponendas cenſebant,

ii neque illarum institutionem, neque crucis Christi mysterium, quamvis in eum utcumque crederent, satis intelligebant. Christum quidem Dei filium, velut insignem veræ pietatis doctorem, à Deo missum, & omnium virtutum exemplar absolutissimum complectebantur: At ceremonias, quasi per se quicquam valerent ad remittenda peccata, retinere volebant; justitiam autem illam quæ in operibus bonis consistit, ex sola legis cognitione, Christi doctrina & exemplo adjutos, assequi se posse putabant.

Unde Apostolus, sumpto argumento ex justificatione non aliunde quàm ex fide Christi petenda, consequenter legis ac ceremoniarum concludit abrogationem. Porrò justificari quid sit, æquè ex iis quæ in *epistolam ad Rom.* commentati sumus, intelligi potest: Extenditur enim ad omnem veræ, salutaris ac beatificæ justitiæ acquisitionem; seu primam, qua quis ex impio justus fit; sive secundam, qua justus justificatur adhuc. Justificatur autem homo per fidem Jesu Christi; quatenus per eam Christum redemptorem agnoscens, ex ejus merito remissionem peccatorum atque justitiam à Deo exspectat & percipit. Quod quidem fit per ea media, quæ Christus ipse ad justificationem præstandam hominibus, instituit, uti sunt invocatio, pœnitentiæ opera, sacramenta, legisque divinæ observatio; juxta illud: *Factores legis justificabuntur.* Rom. 2.

Quomodo per fidem Christi justificemur.

ET NOS IN CHRISTO JESU CREDIMUS. Græcè. *Et nos in Christum Jesum credimus*: apud Hieronymum quoque, & in quibusdam mss. Latinis, præteriti temporis verbum legitur.

UT JUSTIFICEMUR EX FIDE CHRISTI, ET NON EX OPERIBUS LEGIS. Huc usque periodus, ab illo initio, *Nos naturâ Judæi*, &c. Tota verò sensum hunc habet; nos, quamvis nativitate Judæi simus & non Gentiles; quia tamen scimus & certissimè persuasum habemus non justificari quemquam per opera quæ faciat sola lege instructus, sed tantùm per fidem Jesu Christi, qui justitiam nobis sua passione promeruit: ideò & nos, inquam, tametsi nati sub lege, credidimus in Christum Jesum; scilicet ut per ejus fidem justificemur, & non per legis ceremonias, aut quæcumque opera solo legis adminiculo facta. Non enim credimus in Christum ut ex lege justificemur; sed ut ex ipsa fide Christi.

PROPTER QUOD EX OPERIBUS LEGIS NON JUSTIFICABITUR OMNIS CARO. Græcis est διότι, hoc est, *eò quòd*, vel *propterea quod*: non enim illatio est ex superioribus, sed repetitio est & inculcatio rationis suprà positæ, tamquam confessæ; quia dixerat *scientes*. Repetit autem, propter illud quod proximè dixit *non ex operibus legis*. *Dico*, inquit, *non ex operibus legis*; eò quòd ex operibus legis, ut jam dixi, non posset ullus homo justificari, ne Judæus quidem, cui Deus legem dedit. Hebraicæ phrases sunt, caro pro homine, per synecdochen; & *non omnis*, pro nullo; & *justificabitur*, pro justificari potest.

17. QUOD SI QUÆRENTES JUSTIFICARI IN CHRISTO, INVENTI SUMUS ET IPSI PECCATORES. Locus obscurus est, & ab aliis aliter expositus. Nobis maximè probatur hic *sensus*: Quod si nos, id est, ego Paulus, & tu Petre, dum quærimus justitiam ex fide Christi (quod nobis fundamentum est, & ratio negligendæ legis) propter hoc invenimur & deprehendimur etiam ipsi peccatores; tales enim à Judaizantibus judicamur, quasi similes Gentilibus, qui quòd sine lege vivant, peccatores vocantur, ut suprà dictum est: Numquid &c.

Sensus.

NUMQUID CHRISTUS PECCATI MINISTER EST? Plano sermone dixisset, *Ergo Christus peccati minister est*; Sed pro reverentia Christi per interrogationem intulit; Num ergo, inquit, fatebimur Christum peccati ministrum & procuratorem esse, qui fideles suos avocet à lege prohibente & puniente peccatum? Id enim consequens est; *si nos quærentes in Christo justificari, peccatores invenimur ob legem desertam.* Prosopopœia videtur esse in nomine *peccati* tamquam domini cujusdam ministros habentis, qui voluntati ejus inserviant ac regnum ejus promoveant, qualem personæ fictionem etiam alibi annotavimus in vocabulis peccati & justitiæ, ut *Rom. 6. & 7.*

Sensus.

Posset sensus etiam hic adferri; Si verè quærimus justitiam ex Christo: ergo non eam habuimus ex lege; ac proinde mansimus peccatores donec ad Christum veniremus; qui non peccati sed justitiæ minister est. Quoniam autem impium est suspicari Christum esse peccati ministrum; ideò declarans absurditatem illius consequentis (quo destructo, destruatur antecedens) subjungit.

ABSIT, ut scilicet tale quid de Christo sentiat, quisquis Christianus dici velit; Neque enim hoc ullo pacto concessuri erant illi ipsi contra quos agit Apostolus, uti qui & ipsi in Christum credidissent. Igitur ex destructione tam absurdi consequentis, destruendum relinquit antecedens.

18. SI ENIM QUÆ DESTRUXI, ITERUM HÆC REÆDIFICO; Græcè, *hæc iterùm ædifico*. PRÆVARICATOREM ME CONSTITUO. Id est, ostendo, astruo, confirmo. Eadem vis Græci verbi, quæ in illo loco Rom. 3. *Si iniquitas nostra justiciam Dei commendat*; id est, astruit & constabilit. Quibusdam videtur hæc in Petrum obliquè dici, qui fidem Christi quam verbo prædicabat, facto visus fuerit destruere & Judaismum reædificare. Cajetanus existimat, ab hoc loco verba esse Pauli ad Galatas, declarativa eorum quæ dixerat Petro.

Est autem hîc aliud argumentum à superiori, quo ostendit legem non esse revocandam. Tametsi potest & ad præcedens illud referri, quo dixerat, *Inventi sumus & ipsi peccatores*; ut hîc declaret se alia etiam ratione peccatorem fore, si lex servanda sit. *Sensus est;* Legem semel, factus Christianus, deserui, & quantum in me fuit prædicatione mea destruxi: quod si nunc illam restituto, docens eam observandam esse, plane astruo & confirmo me prævaricatorem legis tamdiu fuisse, quamdiu eam posthabui.

Sensus.

19. EGO ENIM PER LEGEM LEGI MORTUUS sum, UT DEO VIVAM, CHRISTO CONFIXUS SUM CRUCI. Ut intelligatur apta connexio partis hujus cum præcedenti, supplendum aliquid quod subauditur; hoc modo: Atqui non fui prævaricator deserendo legem; *nam per ipsam legem legi mortuus fui*: quasi dicat. Ipsa lex Moysi spiritualiter intellecta docet se non esse perpetuam, sed Christo, quem præfiguravit, venienti cedere debere: per ipsam ergo legem hoc mihi loquentem, mortuus sum legi; id est, subtractus sum legi, atque ei desii esse obnoxius: hoc enim significari ista phrasi, *legi mortuus sum*, intelligitur ex Roman. 6. & 7. Quidam sic exponunt: Ego per legem Christi mortuus sum legi Moysi; sed minùs ad mentem Apostoli, qui legem absolutè nominans, non aliam quàm legem Moysi significare solet, eidemque fidem Christi opponit. Dico absolutè: ne quis opponat quæ sunt *Rom. 3. v. 27. & c. 7. v. 4.* Iterùm *c. 8. v. 2.* Certè infrà *c. 3. sub finem* ait quòd lex Judæis fuit pædagogus in Christum.

Quæritur autem utrum Apostolus hîc loquatur de lege cerimoniali, an verò de universa lege Mosaica, decalogum etiam comprehendente. Sanè, quamvis expeditior sensus videatur de lege quatenus ceremonialis est; nihil tamen vetat universam legem à Moyse latam intelligi, quatenus ab eo lata est, tota enim Moysi legislatura cessat per Christum; nec lege decalogi Christianus tenetur, nisi quatenus cum lege naturæ convenit & à Christo renovata est; alioqui sabbati sanctificatio, quam decalogus præcipit, adhuc observanda erit Christianis: quod utique esset Judaizare.

Lex an universa hîc intelligatur.

Jam illud; *Ut Deo vivam*, à Græcis & Cajetano cum sequenti parte constructur, hoc modo: Ad hoc *Ut Deo vivam, Christo confixus sum cruci*; id est, Christo commortuus sum per baptismum. At rectiùs Latini conjungunt verbis præcedentibus; id enim exigit antithesis inter illa, *mortuus sum*, & *vivam*; ut sensus sit, *legi mortuus sum*, sed felici admodum morte; quia ad hoc mortuus sum *ut vivam Deo* per veram justitiam, & hæc nova vita est, quam alibi veteri vitæ opponit; sicut novum hominem, veteri. Congruit hic locus cum illo Rom. 7. *Mortificati estis legi per corpus Christi; ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructificetis Deo.* Hoc ergo quod sequitur, *Christo crucifixus sum cruci*; vel ut est in Græco ad verbum, *Christo confixus sum*; id est, una cum Christo confixus sum: separata sententia est, qua declarat quomodo, & per quid, legi mortuus jam Deo vivat.

Sunt autem hæc verba, cum sequentibus, Apostolici affectus plena; quibus hominis per Christum justificati personam in se transferens Christi beneficium magnificè exaggerat; quò magis appareat, quàm stultè egerint Galatæ, qui à Christo ad legem se passi fuerint abduci. Sensus. *Sensus est*: Quemadmodum Christus cruci affixus hac mortali vita defunctus est; ita & ego per baptismum, qui mortis Christi similitudinem gerit, mortuus sum legi; sic ut illa mei respectu jam extincta sit, nihilque juris in me habeat. Quod hîc de lege dicit, id Rom. 6. similiter dicit de peccato; est enim eadem ratio, quatenus *lex virtus est peccati*; ut ipse ait 1. Cor. 15. Verba ad Romanos sunt: *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati; ut ultrà non serviamus peccato* & quæ sequuntur.

20. Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Hoc ad Roman. 6. dicitur hujusmodi verbis; *Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.* Sensus. Sensus hujus loci est: Per baptismum Christo commortuus, vivo nunc per veram justitiam; vivo, inquam, non ego, id est, non vetus ille homo qualis eram; vel vivo non ego, hoc est, Quod jam vivo vitâ justitiæ, ex meipso non habeo; *sed vivit in me Christus*, id est, Christus qui à morte resurrexit ad vitam, mihi totius vitæ meæ spiritualis, hoc est, omnis justitiæ author est; totum quod vivo illi debeo, qui in me vivit & efficax est per gratiam suam. Divinæ gratiæ efficacia. Simili locutionis modo dictum est à Domino Matth. 10. *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Igitur ex hoc loco discimus, uti benè Sasboldus annotat, opera justorum non tam ipsorum esse, quàm spiritus Christi mentes eorum inhabitantis. Unde nec mirum quòd digna sint vitâ æternâ.

Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei. In Græco emphasis est propter articulum postpositum; quasi dicat, *In fide vivo*: illa inquam, fide, quæ est in Filium Dei, ubi & *filii*, & *Dei*, suos habent articulos, quò vehementior sit sermo. *Vivere in carne*, hoc loco non est secundùm carnem vivere, quomodo scriptum est Rom. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, sed idem est, quod vivere mortali hac vita: sicut accipitur Philip 1. *Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est.* Unde 2. Cor. 10. utrumque distinguens, ait: *In carne ambulantes non secundùm carnem militamus.* Itaque sensus est: Quod in carne hac mortali variis obnoxia tentationibus, justè vivo; non legi acceptum fero, sed fidei quam habeo in Christum filium Dei. *Justus enim ex fide vivit.*

Qui dilexit me, et tradit semetipsum pro me. Id est, qui me servum peccati, & pressum onere legis per quam à peccato liberari non poteram; nihil tale merentem dilexit, non divina tantùm ab æterno dilectione quatenus Deus est, sed etiam humano affectu, quatenus homo; & quod argumentum est excellentissimum dilectionis, semetipsum in mortem tradidit, ut me à morte redimeret ac vitæ restitueret. Christianæ gratitudinis est Christum fateri non solùm pro omnibus electis in mortem se didisse; sed ita Christi beneficium, quod multis commune est, interpretari, ut quisque sibi persuadeat eum pro se propriè passum & mortuum: quemadmodum hoc loco facit Apostolus, per hoc ostendens, inquit Theophyl. quòd tantam oporteat unumquemque gratiam reddere Christo, quantam si pro ipso solo mortuus esset, exhiberet. Neque enim quod Chrysost. in commentario significare videtur, hæc quæ à Paulo dicuntur, ad solam ipsius personam pertinent: sic enim non usque adeò facere viderentur ad præsentem disputationem, cùm in Paulo quædam peculiaria considerari possint, ut quòd anteà persecutor fuerit, & blasphemus, &c. sed de se loquens, vult idem intelligi de quolibet justo.

Christi in nos charitas.

Nostra in eum gratitudo.

11. Non abjicio gratiam Dei. Hæc pars epiphonematis speciem habet, quo jam concludit ea quæ de gratia Dei prædicanda disseruit. Græcè, *Non rejicio, repello, aspernor gratiam Dei.* Augustinus legit, *Non irritam facio gratiam Dei.* Ambrosianus, *Non sum ingratus gratiæ Dei*: ad quam lectionem alicubi alludit etiam Augustinus, ejusdemque meminit Thomas in commentario. *Gratiam Dei rejicit qui vel ad remissionem peccatorum obtinendam, vel ad justitiam consequendam, gratiam Dei negat esse necessariam.* Utrumque negabant Judæi contra quos agit Apostolus; solum autem posterius à Pelagio hæretico negabatur; qui peccatorum quidem veniam non nisi Christi beneficio nobis contingere fatebatur, sed vitam bonam & justitiam in libero cujusque arbitrio positam adjuncta legis cognitione, juxta suam hæresim asserebat. Dicit ergo Apostolus tanto affectus beneficio à Christo filio Dei; *Non sum tam ingratus, ut gratiam Dei per Christum mihi oblatam atque impensam repudiem*: quasi dicat. Absit à me tam detestabilis ingratitudo, in quam utique incurrerem si à lege justitiam expectarem: quod probat verbis sequentibus, deductione ad incommodum.

Quis gratiam Dei rejiciat.

Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est. *Gratis*, id est, frustra & absque necessitate. Nam, si, inquit, aliunde quàm per Christi mortem, ut per opera legis, obtineri potest justitia, quid necesse erat Christum mori? Neque enim satis idonea & magna causa esse potuit moriendi, filio Dei, quando sine ejus morte justitia & salus contingeret, aditusque pateret ad vitam æternam. Atqui frustra mortuum Christum qui fatetur, gratiam Dei repellit, eidemque ingratus existit. Sub morte, totam Christi passionem intellige; Frustra enim passus est, si sine ejus passione redimi & justificari potuit homo.

Quæret aliquis, cur non similiter dici possit, si per sacramenta, justitia; ergo gratis Christus mortuus est. *Respondeo*, de sacramentis veteris legis idem omninò dicendum: nam & ea hîc comprehendit Apostolus, ac speciatim circumcisionem; idemque Heb. 10. sic ait: *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Verùm de sacramentis novæ legis alia ratio est; hæc enim, ut talia, gratiam continent, & instrumenta sunt per quæ meritum mortis Christi nobis applicatur. Lex autem vetus, ut talis per se sine Christo consideratur: & contra gratiam dividitur: Id quod etiam ex *epistola ad Hebr.* manifestum est. Unde Judaizantes adversus quos disserit Paulus solam legem sibi ad justitiam sufficere arbitrabantur; tantùm opus esse, ut eam propositam & cognitam viribus liberi arbitrii quisque exequatur. Christum autem, uti suprà dictum est, recipiebant ut doctorem & exemplar justitiæ ac salutis. Illud hîc adden-

Quæstio de sacramentis. Responsio per dist.

dum, quod ſicut de lege veriſſimè ait Apoſtolus, *Si per legem juſtitia; ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*: ita veriſſimè dicitur, Si per naturam juſtitia: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Auguſt. *contra Jul. libr. 4. cap. 3. De nat & grat. cap. 9. & 40. De grat. & lib. arbit. cap. 13.*

CAPUT III.

1. O Inſenſati Galatæ, qui vos faſcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus Chriſtus proſcriptus eſt, in vobis crucifixus? 2. Hoc ſolum à vobis volo diſcere: Ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? 3. Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini? 4. Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa. 5. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? 6. Sicut ſcriptum eſt: Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. 7. Cognoſcite ergo, quia qui ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ. 8. Providens autem Scriptura, quia ex fide juſtificat Gentes Deus, prænunciavit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes. 9. Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham. 10. Quicumque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in Libro legis, ut faciat ea. 11. Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt: quia juſtus ex fide vivit. 12. Lex autem non eſt ex fide, ſed, qui fecerit ea, vivet in illis. 13. Chriſtus nos redemit de maledictio legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno: 14. ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. 15. Fratres (ſecundùm hominem dico) tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. 16. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit: Et ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in uno: Et ſemini tuo qui eſt Chriſtus. 17. Hoc autem dico: teſtamentum confirmatum à Deo: quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt Lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem. 18. Nam ſi ex lege hereditas: jam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus. 19. Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per angelos in manu Mediatoris. 20. Mediator autem unius non eſt: Deus autem unus eſt. 21. Lex ergo adverſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia. 22. Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus. 23. Priùs autem quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem quæ revelanda erat. 24. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur. 25. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo. 26. Omnes enim Filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. 27. Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. 28. Non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu. 29. Si autem vos Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſſionem heredes.

Geneſ 15. *b.* 6. *Rom.* 4. *a.* 3. *Jac.* 2. *e.* 23. *Gen.* 12. *a.* 3. *Eccl.* 44. *d.* 20. *Deuter.* 27. *d.* 26. *Heb.* 2. *a.* 4. *Rom.* 1. *b.* 17. *Lev.* 18. *a.* 5. *Deut.* 21. *d.* 25. *Heb.* 9. *d.* 17. *Rom.* 3. *b.* 9. *Rom.* 6. *a.* 3.

SUMMARIUM.

OStendit Abrahæ exemplo, Gentes expectare debere juſtitiam non ex lege, ſed ex promiſſione & fide: Legem autem fuiſſe pædagogum ducentem ad Chriſtum.



INSENSATI GALATÆ. *Inſenſati*, id eſt, ſtulti; quomodo legit Auguſtinus: Græca dictio ἀνόητοι, ſignificat *ſtupidos*, væcordes, qui quod oportet non intelligunt. Eadem vox, quæ apud Lucam 24. in verbis Chriſti ad diſcipulos, *O ſtulti & tardi corde*; ubi poſterius eſt prioris explicatio. Sicut autem in illis Chriſti verbis non fuit maledicentiæ vitium, ſed correptionis acrimonia, cum ſtudio corrigendi; ſic & in hac objurgatione Pauli; præſertim quod Galatæ, ſi beato Hieronymo credimus, vitio Gentis, indociles eſſent, & ad ſapientiam tardiores: ideóque, ſicut idem Hieron. *in prafat.* ſcribit, increpandi magis quàm docendi. Quare nihil hîc à Paulo factum contra illud, *Qui dixerit fratri ſuo fatue*: quo convicium iraſcentis prohibetur, non increpatio corrigentis. Convertit autem ad Galatas ſermonem Apoſtolus cum increpatione; quia jam ex ſuperioribus liquet quàm ſtultè egerint à Chriſto declinantes ad legem: ut meritò dixerit eis, *Miror quòd ſic tam citò transferimini*, &c.

Paulum hic non eſſe contumelioſum.

QUIS VOS FASCINAVIT NON OBEDIRE VERITATI? Pro *obedire*, multi codices habent, *credere*, atque ita vertiſſe hoc loco interpretem affirmat Hieronymus exponens illud 5. capitis, *Quis vos impedivit veritati non obedire?* Verumtamen idem Hieronymus præſentem locum enarrans, ſubmovet totum illud, *non credere veritati*; eò quòd in exemplaribus Adamantii non habeatur: & rurſus *ad* 5. *cap.* annotat in vetuſtis codicibus ea verba non haberi. Licet, inquit, & Græca exemplaria hoc errore confuſa ſint, quod tamen non de omnibus quæ tunc extabant Græcis exemplaribus accipiendum, ſed de multis, qualia ſunt & quæ hodie in manibus habentur.

Alioqui, nec apud Chryſoſtomum illa verba leguntur: ut nec apud poſteriores Græcos Pauli interpretes: quemadmodum ex eorum commentariis ſatis colligitur. His adde Latinos Auguſtinum, Ambroſianum, Primaſium, Sedulium, Haimonem, & Scholiaſten Hieronymi titulo, nec non mss. codices nonnullos, denique Syriacam editionem: Veriſimile eſt autem, huc aſſcriptum fuiſſe illud additamentum *ex* 5. *cap.* idque jam olim ante Hieronymi tempora. In Græcis noſtris codicibus utroque loco idem verbum legitur; quod aptiùs vertas, *acquieſcere*, quàm vel *credere*, vel *obedire*.

Porrò de faſcino multa ſcribit Hieronym. *in commentario*: nec pauciora Thomas, qui duplicem diſtinguit faſcinationem. *Unam*, qua ſenſus adhibitis præſtigiis quibuſdam ludificatur: ut aliud pro alio appareat; veluti cùm homo apparet cornutus, aut pro homine lupus; quod quidem ad artem magicam pertinet. *Alteram* qua quis ex maligno oculorum intuitu læditur: id quod maximè contingere ſolet pueris ætate adhuc tenera, dum ex vetularum urenti & invido aſpectu langueſcunt, & ad vomitum provocantur: cujus rei naturalem cauſam idem doctor eodem loco diligenter inveſtigat, tametſi & ad hujuſmodi effectum, fatetur operam dæmonum quandoque admiſceri; quod & Hieronymus annotavit. Faſcinatio quid propriè & quotuplex.

Juxta hoc igitur, bifariam hic locus exponi poteſt. *Uno modo*; Quis ita menti veſtræ, velut præſtigiator, falſis perſuaſionibus illudere potuit, ut veritatem ante oculos poſitam, & paulò antè cognitam atque receptam, jam non videritis; ſed pro ea aliud evangelium quod non eſt aliud, amplecteremini? *Altero modo*; Quis ita felicitati veſtræ, tamquam faſcinator invidit, ut oculos mentis quibus nuper Chriſtum fide cognitum recepiſtis, malevolo aſpectu, atque inſpiratione Judaici erroris inficeret; voſque ſalutaris doctrinæ cibum ſtomacho nauſeante revomere cogeret? Hunc ſenſum Hieronymus tradit; à quo non adeò multùm recedunt Græci, dum verbum Græcum βασκαίνειν pro eo quod eſt invidere, poſitum interpretantur. At priori ſenſui magis videtur congruere quod ſequitur.

ANTE QUORUM OCULOS JESUS CHRISTUS PROSCRIPTUS EST, IN VOBIS CRUCIFIXUS? Græcè, *Quibus ante oculos*, &c. Item *proſcriptus*, Græcè *præſcriptus*; & ita legiſſe Hieronymum, ex ejus commentario penè certa conjectura eſt, nec deſunt Latini codices qui ita legunt: Eam certe lectionem Clementina editio habet; *præſcriptus* autem, id eſt, ante ſcriptus; eſt enim idem in Græco verbum quod bis legitur Roman. 15. ubi nos habemus. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Unde commentarius de proſcripto, id eſt, damnato apud

Galatas Christo, quem Augustinus & Ambrosianus & alii Latinorum nonnulli adferunt ; ad rem præsentem facere non videtur. Nam verbum Græcum vix reperitur in ea significatione. Hieronymus præscriptum ante Galatarum oculos Jesum interpretatur, quòd olim de ejus passione & morte ac cæteris ad eum pertinentibus multa, à Galatis perlecta, scripserint Prophetæ.

Sed quia non verisimile Galatas etiamnum in Christo parvulos, in prophetarum libris admodum fuisse versatos ; idcirco Græcorum expositioni libentiùs accedimus, quæ hujusmodi est: Quis vos Galatas fascinavit ? Quibus per meam prædicationem, palàm, velut in programmate ac tabula publica, unde de plano legi & apertè cognosci posset, propositus est Christus, perinde atque si apud vos esset crucifixus ; ut non minus, imò verò magis ac certiùs illum crucifixum fidei oculis aspexeritis, quàm multi eorum qui coràm viderunt eum crucifigi ? Sensus.

Illud tamen quod addit Apostolus, *in vobis crucifixus*, multò aliter à Cajetano exponitur. *Crucifixus*, inquit, *in vobis*, hoc est, multa passus in vobis ; eo scilicet modo, quo Christus Petro dixisse narratur, *Vado Romam iterùm crucifigi* : & quo Paulus dicit se adimplere *ea quæ desunt passionum Christi*, Col. 1. Christus enim, etsi post resurrectionem impassibilis, adhuc tamen patitur in membris suis. Itaque secundum Cajetanum sensus est, Quis vobis fascinavit non solùm oculos, quibus Christum velut in tabula vobis depictum vidistis : sed & tangendi sensum, quo tam multa mala pro Christi nomine passi estis ? Huic intellectui respondet quod paulò pòst sequitur ; *Tanta passi estis sine causa* ?

Rursus aliter hanc partem exponit B. Arias. *In vobis crucifixus*, inquit, per virtutem ; quia passionis ejus virtutem in vobis experti estis per dona Spiritus S. quæ in vos effusa sunt. Hic sensus consonat cum iis quæ sequuntur de spiritu accepto. Verumtamen expositio Græcorum mihi planior videtur, & verbis Apostoli magis inherens : ut tota pericope sit hypotyposis quædam signata, qua doceat Jesu Christi crucem sic apud Galatas prædicatam, sic depictam fuisse, tamquam sub oculis eorum Dominus fuisset crucifixus.

2. Hoc solum a vobis volo discere. Premit Galatas rationibus aliquot interrogando propositis ; ut dum non habent quod respondeant, stultitiam suam agnoscere, & ab ea resipiscere cogantur. Vel hoc solum, inquit, mihi respondete ; unum hoc vos interrogo. Nam qui interrogat & sibi responderi vult, quasi discere cupit : alioqui propriè Paulus à Galatis, quos insensatos & stupidos vocat, & puorum ipse doctor erat non quærebat aliquid discere ; sed interrogando voluit eos docere.

Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei ? *Spiritum* intelligit sanctum : quem accipere dicuntur, qui dona ejus accipiunt. Quod verò noster interpres ad verbum reddidit, *ex auditu fidei*, hoc Erasmus & Hentenius, sensum reddentes, dixerunt, *ex prædicatione fidei*, scilicet audita & recepta. Nam & Græca vox ἀκοὴ, pro fama & narratione sumitur interdum apud profanos authores : LXX. verò interpretes ea leguntur usi pro obedientia, 1. *Reg.* 16. in verbis Samuelis ad Saul. Quæ significatio benè etiam huic loco convenit. Quærit ergo Paulus : Unde spiritum accepistis operandi miracula & variis linguis loquendi ? Num ex operibus legis ? Quod dici nequit ; quia spiritum accepistis antequam ad legem Mosaicam vos converteretis. An verò, quod restat, & negare non potestis, *ex fide Christi, quam audita prædicatione mea, suscepistis* ? Hinc concludendum, ergo stultè facitis qui à fide Christi ad legem Moysi transire vultis. Unde sequitur.

3. Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini ? *Stultos* hîc vocat interpres, quos paulò antè *insensatos*, cum in Græco sit idem nomen. Ambrosianus legit, *Sic sine intellectu estis* ? Sed & pro eo quod sequitur : *ut cum Spiritu*. &c. Ambrosiana lectio Græco textui propiùs inhærens, sic habet : *Incipientes spiritu, nunc carne consummamini* ? Et quidem etiam nonnulli nostri codices habent, ut & textus Primasii, *Consummamini* : quod quia non respondet particulæ *ut*, videri potest eam non fuisse scriptam ab Interprete ; quemadmodum nec in Græco est, sed quasi desideraretur, ab alio adjectam. Verùm prout Græca sonant, ita legendum & distinguendum esset : *Sic stulti estis ? qui spiritu cœpistis, nunc carne consummamini* ? Quamquam sensus eodem recidit, estque hujusmodi. Sensus.

Adeóne vecordes & insipientes estis, ut cùm rectus ordo postulet à carne ad spiritum progrediendum esse, vos contrà postquam incœpissetis à spiritu, cujus charismata in vos effusa sunt, nunc consummationem, sive perfectionem quæratis à carnalibus legis ceremoniis, quas observare vultis, quasi illæ vobis ad perfectionem desint, sicut falsò persuasi estis à Pseudapostolis ? Lex ceremonialis *caro* seu *carnalis* vocatur, quia tantum valebat ad justitiam, & emundationem carnis ut loquitur Apostolus Heb. 9. aut certè, quia carnalem populum, cui congruenter data fuit, ad spiritum elevare non potuit, sed in carne reliquit.

Nec contrarium est quod Roman. 7. dicit, *Scimus quod lex spiritualis est* : nam ibi non de ceremoniali lege, sed de morali sermo est ; quæ spiritualis dicitur, quoniam observata, spiritualem reddit hominem : licet ejus observatio non à lege sit, sed à Spiritu sancto. *Quidam* partem hanc absque interrogatione legunt, ut & sequentem : sed vehementior est oratio cum interrogatione. Verbum Græcum ἐπιτελεῖσθαι significat etiam finiri. Et sic quidam exponunt hoc loco istud consummari ; ut inchoatio opponatur non perfectioni, sed fini. *Ita sensus est*, Adeône dementes estis, ut cum à spiritu feceritis initium, desinatis in carnem ?

4. Tanta passi estis sine causa ? si tamen sine causa. Græcè, *Frustra ? Si quidem & frustra.* Quod autem ait *Tanta*, Græcè τοσαῦτα, potest & de numero & de magnitudine intelligi. *Sensus* : Ergone tam multa & gravia pro Christi nomine frustra passi estis, ac sine fructu ? Revocat enim eos commemoratione eorum quæ pro fide Christiana perpessi fuerant, ne patientia illa reddatur eis inutilis ; quod utique futurum erat si à gratia Christi ad legem Moysi, id est, à spiritu ad carnem prolaberentur. Quod autem addit, *Si tamen sine causa*, correctio quædam rhetorica est ejus quod interrogando dixerat, *sine causa* ; quasi dicat, Sed spero meliora ; Nam confido vos redituros à lege ad gratiam, ut non frustra tot & tanta passi fueritis. Hic locus ostendit id quod à Theologis traditur, bona opera subsequenti peccato mortificari, id est, infructuosa reddi, eademque rursus per pœnitentiam vivificari. Quòd si verò pœnitentia non sequatur, frustrà, quantum ad illos qui ea fecerint, facta esse, ut qui fructum inde nullum unquam sint percepturi. Qua de re vide *commentarium Hieron.* Sensus. Mortificatio & vivificatio bonorum operum,

5. Qui ergo tribuit vobis spiritum, et operatur virtutes in vobis : ex operibus legis, an ex auditu fidei ? *Tribuit*, Græcè, *subministrat*, vel *præbet*, ut legit Ambrosianus. Itaque *tribuit*, non præteriti, sed præsentis temporis est : sicut verbum *operatur* ; ita tamen ut hæc verba, quæ in Græco participia sunt, intelligamus à tempore absolvi, & proinde ad illud tempus referri, quo talia Galatis contingebant : tametsi Hieronymus refert etiam ad tempus præsens, quando jam evangelii verita-

tem Galatæ deſeruerant ; atque ex eo docet etiam à malis & hæreticis, invocato Chriſti nomine, miracula fieri poſſe.

Sed veriſimilius eſt Apoſtolum ad præterita tantùm reſpicere. Sumit enim argumentum ab iis bonis quæ conſecuti fuerant Galatæ, ex fide Chriſti ſuſcepta, ſine legis ceremoniis ; non ab iis quæ fortè apud eos adhuc remanſerant, poſtquam ad Moyſen deſciverant. Sic enim parùm validum videretur Apoſtoli argumentum. Senſus. *Senſus* igitur & collectio talis eſt : Deus qui varia Spiritus ſancti dona vobis impertiit, quique ſigna non vulgaria operatus eſt in vobis: utrúmne id fecit, quia ſectabamini opera legis, an verò quia fidem Chriſti vobis prædicatam receperatis ? Prius dici non poteſt, quandoquidem lex erat tunc vobis incognita ; reſtat igitur ut fidem gratiæ Chriſti tantorum in vobis bonorum cauſam agnoſcatis : a qua proinde ad legem tranferri minimè debuiſtis. Explicatio eſt & confirmatio ſuperioris argumenti, quo dixerat, *Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis*, &c. Si enim Deus dederit ſpiritum, non ex operibus legis, ſed ex fide, ergo & illi ſpiritum ex fide, non ex operibus.

6. Sicut Abraham credidit Deo, et reputatum est ei ad justitiam. In quibuſdam codicibus tam excuſis quàm manuſcriptis, ita legitur, *Sicut ſcriptum eſt, Abraham credidit Deo*, &c. Sed illud, *Scriptum eſt*, adjectitium eſſe, Græca & Syra exemplaria monſtrant, iiſque conformis Hieronymi textus Latinus, cum pleriſque noſtris codicibus ; in his enim non plus legitur, quàm nos habemus. Quomodo & Ambroſium atque Auguſtinum legiſſe colligitur ex eorum commentariis. Non ergo ſcripturæ teſtimonium allegat Apoſtolus ; ſed Senſus. exemplum ſolùm adducit ; in quo tamen ipſius ſcripturæ verbis utitur, quæ ſunt *Geneſ.* 15. Tale eſt ergo quod dicit ; Sic Deus ſpiritum vobis ſubminiſtrat, & virtutes in vobis operatur ex fide, & non ex operibus legis ; ſicut Abrahæ, non ex operibus legis obtigit juſtitia, ſed per fidem, qua credidit Deo, etiam antequàm eſſet circumciſus. Quænam fides fuerit Abrahæ reputata ad juſtitiam, & quo ſenſu reputata dicatur ; Item, quomodo ſententia illa valeat ad docendum quòd etiam nobis ad juſtitiam fides imputanda ſit ; ſatis à me explicatum arbitror *in com. epiſt. ad Rom. c.* 4. Significat autem Apoſtolus chariſmata ſpiritus, non ſine juſtitiæ dono Galatis data fuiſſe. Neque enim in multitudinem aliquam effundebatur Spiritus quoad chariſmata, niſi ſimul effunderetur quoad juſtitiam, cui chariſmata ſerviebant, tametſi in ſingulis id non oporteat.

7. Cognoscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ. Græcum γινώσκετε, ambiguum eſt ad *cognoſcite & cognoſcatis*. Poſteriori modo legunt Ambroſianus & Hieronymus, & ante eos Cyprianus *in epiſtola* 63. *ad Cæcilium* ; quibus & manuſcripti quidam Latini codices aſtipulantur. Utraque tamen lectio, quemadmodum benè Cajetanus oſtendit, commodum ſenſum facit. Infert enim Apoſtolus ex eo quod adduxerat exemplo Abrahæ Patriarchæ, cui fides ad juſtitiam fuit imputata ; eos qui ex fide juſtificati ſunt, aut ex ea juſtitiam & ſalutem exſpectant, (nam Græcè quamvis tantum ſit, *Qui ex fide*, ſupplendum tamen eſt verbum, *ſunt*, quod exprimitur verſ. 10.) eſſe filios Abrahæ, potiùs quàm illos qui juſtitiam ex lege quærunt ; eò quòd Abrahæ per imitationem aſſimilentur. Idque cognoſcere & intelligere Galatas debere admonet. Simul autem carnales Judæos perſtringit, qui gloriabantur ſe Abrahæ filios eſſe, quòd ex eo ſecundùm carnem eſſent progeniti. Quin potiùs, inquit, diſcite, eos qui juſtitiam ex fide quærunt eſſe filios Abrahæ : quoniam ejus imitatores ſunt. Hinc & Dominus ad Judæos ait Joan. 8. *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*. Sed quia rudes Galatæ dicere poterant ; Quid nobis proderit eſſe filios Abrahæ ? propterea ſubjungit fructum benedictionis expectandæ, quæ Abrahæ promiſſa fuit.

8. Providens autem scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus ; prænunciavit Abrahæ. *Providens*, Græcè προϊδοῦσα, id eſt, prævidens, cum prævidiſſet, vel quoniam prævideret. *Prævidens* etiam in textu Ambroſiano legitur : quamquam providere pro eo quod eſt prævidere, etiam Latinè dicitur. Adde quod *prævidere*, poteſt videri dictum pro eo quod Theologis eſt providere, id eſt, præordinare. Sic enim prænoſcere nonnumquam in ſcripturis accipi conſtat, atque eo modo Theophyl. verbum hoc exponit.

Porrò, *ſcriptura*, pro eo qui per ſcripturam nobis loquitur, id eſt, Spiritu ſancto, metonymicè dixit Apoſtolus : Non enim ipſa ſcriptura, quæ res inanimata eſt, vel prævidere quidquam potuit, vel Abrahæ quicquam prænunciavit. Quod poſterius nec ad ipſum Moyſem, qui multò poſt Abraham fuit poteſt referri ; ſed ad ſolum Deum : Jam nec ſimpliciter in Græco eſt, *prænunciavit* ſed *prævangelizavit*, Senſus. id eſt, rem lætam antè nunciavit ac promiſit. Igitur *ſenſus eſt* : Quoniam prævideret ac decreverat Deus, juſtificare Gentes ex fide : idcirco ad hoc ſignificandum in ſcriptura narratur, jam olim annunciaſſe Abrahæ tamquam omnium credentium patri, ut rem lætiſſimam, hoc quod ſequitur.

Quia benedicentur in te omnes gentes. Id eſt, *quod in te*, hoc eſt in ſemine tuo, ſive ratione ſeminis ex te naſcituri, benedictionem conſequentur omnes gentes. Ubi gentium nomen generale eſt, Ju- Gentes qui hoc loco. dæos etiam comprehendens : ſicut & in hujus verſus parte præcedenti : nam in Chriſto qui eſt ſemen illud promiſſum, non eſt diſtinctio Gentilis & Judæi. Et quidem *Geneſ.* 12. ubi ſcriptura, quam citat, originaliter habetur, in Hebræo non eſt vocabulum ſignificans gentes, ſed familias, Græcè φυλαὶ : Unde Hieronymus ita vertit : In te benedicentur univerſæ cognationes terræ. Tametſi aliis locis ubi hæc benedictio repetitur, ut *Geneſ.* 18. 22. & 26. *nec non Pſal.* 71. legitur in Hebræo, *gentes*, ſed generali, ut dictum eſt, ſignificatione, ut eædem intelligantur gentes & familiæ terræ.

Porrò benedictionem non carnalem, ſenſu judaico, ſed ſpiritualem oportet intelligi, quæ conſiſtit Quæ benedictio. in ſanctitate & juſtitia & beatitudine vitæ æternæ : quam accepturi ſunt ex omnibus gentibus illi qui audient à Chriſto ; *Venite benedicti patris mei*. Repetit autem ſcriptura promiſſionem hanc Geneſ. 22. his verbis : *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*. Quæ poſterior, prioris explicatio eſt, juxta ſenſum jam datum : Nam & ad Iſaac poſteà, ſimiliter atque eodem ſenſu dictum eſt, Geneſ. 26. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ*.

Alii tamen diverſum aliquid ſignificatum putant, ſcripturam ab Apoſtolo citatam ita exponentes : *In te*, hoc eſt, ad tui ſimilitudinem & imitationem, *benedicentur omnes gentes*. Sicut enim tu benedictionem & juſtitiam conſequeris ; ſic & omnes gentes fidem tuam imitantes, & per hoc tui filii, ſimiliter fide juſtitiam & benedictionem conſequentur. Hunc ſenſum tradunt Auguſtinus & Theophylactus, eumdemque Cyrilli authoritate confirmat Oecumenius. Imò ſenſum hunc exigere videtur illatio ſequens ; *Igitur qui*, &c.

Sed ſciendum ; in Geneſi ante hanc promiſſionem, qua dictum eſt Abrahæ : *benedicentur in te*, &c. nihil legi de fide aut juſtitia Abrahæ, ad quod hujuſmodi expoſitio referri queat ; & proinde minus germana nobis videtur hæc interpretatio.

Noſtram verò, quam tradit Hieronymus, quam & ipſe Oecumenius primo loco poſuit, præter alterum

rum ſcripturæ locum ſimilem, probabilem facit loci circumſtantia, qua ſemen & poſteritas Abrahamo promittitur.

Porrò neminem offendat quod loco verbi, *benedicentur*; in Hebræo legitur, *benedicent ſe*, tam Geneſ. 12. & 22. quàm etiam Pſalm. 71. ubi nos ex 70. legimus: *Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ.* Non enim, ut quidam putant, id ſolum ſignificatur, Gentes uſuras hujuſmodi imprecatione, Faciat tibi Deus, ſicut fecit Abrahæ & ſemini ejus: aut certè ſibi optaturas ſimilem cum illo, & ſemine ejus felicitatem; ſed planè ſignificatur futurum ut Gentes ſe benedictas, id eſt, beatas & felices, agnoſcant & prædicent propter ſemen Abrahæ, quod eſt Chriſtus, author benedictionis omnium Gentium, quæcumque in eum crediderint: ut proinde non multùm differant hæc duo, *benedicentur & benedicent ſe.* Quod intelligentes 70. interpretes paſſivè verterunt tribus locis ſuprà dictis, εὐλογηθήσονται *benedicentur*, quemadmodum & hoc loco à Paulo, & Actor. 3. à Luca refertur. Quare & Pagninus cùm Gen. 12. vertiſſet *benedicent ſe*, reliquis locis vertit *benedicentur.*

Senſus.

9. IGITUR QUI EX FIDE SUNT, BENEDICENTUR CUM FIDELI ABRAHAM. Græcè, *benedicentur*, Ambroſiano conſentiente. Ac rurſus tantum dicitur, *qui ex fide* non addito verbo, *ſunt*; quod tamen cùm etiam Græcè exprimatur verſ. 10 eſt hîc quoque ſubaudiendum, ut & monuimus ſuprà, *ad verſ.* 7. Continet autem hæc illatio rationem ſententiæ ſuperioris, qua dicebatur Deum, ſignificare volentem, quod Gentes per fidem juſtificaturus eſſet, prænunciaſſe Abrahæ, quod in ipſo benedicendæ eſſent omnes Gentes. Ea ratio eſt; aſſimilatio Gentium cum Abraham, in eo quod illum benedictione dignum reddidit, id eſt, in fide. Sic ergo ratiocinatur Apoſtolus: Abrahæ facta eſt promiſſio, quod in ipſo benedicerentur omnes Gentes; At Abraham ipſe per fidem, qua promiſſioni credidit, Deo placuit, & benedictionem promeruit; ergo quicumque ex fide juſtitiam & benedictionem expectant, eam cum Abraham qui Deo credidit, aſſequuntur: non autem illi qui ſunt ex operibus legis. Quod jam docet verbis ſequentibus.

10. QUICUMQUE ENIM EX OPERIBUS LEGIS SUNT, SUB MALEDICTO SUNT: Quaſi dicat: Qui verò opera legis ſectantur, & ex iis juſtitiam expectant, uſque adeò promiſſæ benedictionis exortes ſunt, ut etiam maledictioni ſive execrationi ſint obnoxii, ac punitione digni. Hoc ſiquidem eſt *ſub maledicto eſſe.*

SCRIPTUM EST ENIM, In ipſa lege Deut. 27. MALEDICTUS OMNIS QUI NON PERMANSERIT IN OMNIBUS QUÆ SCRIPTA SUNT IN LIBRO LEGIS, UT FACIAT EA. Obſervat Hieronymus in Hebræo non addi ſigna univerſalia, *Omnis & omnibus*: ſed nec ea legi apud interpretes, præterquàm apud ſolos 70. Refert autem Samaritanorum Hebræa volumina hac in re cum 70. interpretibus concordare: Unde ſuſpicatur Judæos, quod viderent ſe non poſſe omnia legis præcepta, quæ innumera erant, obſervare; ne propter hoc ſub maledicto eſſe viderentur, eraſiſſe ex Hebræis codicibus illa ſigna *Omnis, & omnibus*: præſertim, inquit, quod Apoſtolus vir Hebrææ peritiæ, & in lege doctiſſimus, illa verba, quaſi ſenſui ſuo neceſſaria, ad probandum illud, quod, *quicumque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt*, numquam protuliſſet, niſi in Hebræis voluminibus haberentur. Sed hoc argumentum non convincit. Nam ut in diſciplinis, ſic & in legibus, indefinitas propoſitiones univerſalem habere ſenſum in confeſſo eſt. Exempla paſſim obvia ſunt etiam in lege Moſaica, nominatim *Exod.* 21. & 22.

Concordia 70. Int. cum Hebr.

Hoc igitur attendentes 70. interpretes univerſale ſignum, quod in ſenſu verborum latebat, expreſſerunt. Idque ſimiliter eſſe factum ab iis, qui Samaritanis Hebræa biblia communicarunt, exiſtimandum eſt.

Nec ſanè veriſſimile eſt, ob cauſam ab Hieronymo commemoratam codices à Judæis fuiſſe corruptos: cùm utique non ignorarent eam audaciam nihil ſibi profuturam ad evadendum legis maledictum: ac futurum potiùs ut tanto ſcelere maledictum ſibi conduplicarent. Deinde quî convenit, ut propter multitudinem præceptorum quæ lege Moſaica continebantur, in tantum ſibi metuerint à maledicto, ut de verbis legis aliquid abradendum putarent; quando ipſi tam multa alia ſecundum ſuas, quas vocant, Deuteroſes, obſervanda legi ſuperaddiderint?

An Biblia Hebræa corrupta.

Omitto quærere, quando Judæi, ſeu Judæorum magiſtri conſpiraverint in tale facinus. Nam id factum oportuit poſt tempora Pauli, ſi is allegavit teſtimonium ſicut in Hebræis voluminibus legerat. Atqui ab eo tempore Judæi magis, magiſque diſperſi fuerunt per nationes iidemque paſſim in urbibus celebrioribus ſuas habebant Synagogas, in quibus ſcriptura per omne ſabbatum legeretur. An ergo credibile eſt, una conſpiratione, ac pari conſenſu factum, ut per omnes Synagogas legem patriam à Deo ſibi traditam, quam mordicus ſemper retinuerunt, & pro qua toties periclitati fuerunt, aliqua verborum mutilatione, ſeu qualibet mutatione corrumperent? *Denique* ſi Judæi voculas illas, de quibus nunc agitur, abraſerunt: cur eas Hieronymus in ſua verſione non reſtituit, ut integram nobis ſcripturam daret.

Dices, eum aliud vertere non potuiſſe, quàm quod reperit in Hebræo. Dicam & ego, quod ille ex Hebræo tranſtulit, & in Eccleſia legitur, ſicut uſque hodie in Hebræis codicibus habetur, id nobis tenendum eſſe citra ſuſpicionem raſuræ, ubi nulla probabilis ratio ſuadet, ut credamus quicquam eſſe ſublatum. Nam ex ſupradictis arbitror ſatis apparere Hieronymi ſuſpicionem (quod ſalva tanti doctoris authoritate dixerim) tantum eſſe ſuſpicionem, non veritatem. Eſt igitur citati teſtimonii ſenſus: *Omnem eum eſſe maledictum*, id eſt, execrabilem, & pœnis à lege comminatis obnoxium ac devotum, *qui non perſeveranter omnia faciat*, atque obſervet, *quæ lex præſcribit* obſervanda. Nam ut ait Jacobus Apoſtolus cap. 2. *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Cenſetur autem omnia facere, qui à fine legis non aberrat, id eſt, qui mortaliter contra legem non peccat.

Senſus citati teſtimonii.

Alii ſic exponunt; Eum omnia facere, qui ſine exceptione ſervat ea legis mandata, quæ continent ſubſtantiam vitæ: Ac de his ſimiliter memoratam Jacobi ſententiam interpretantur. Explicat enim ille ſeipſum de præceptis decalogi: quorum utique mortalis eſſe ſolet tranſgreſſio. Cujuſmodi item ſunt omnia, quæ in maledictionibus à Moyſe exprimuntur *Deuter.* 27. Sciendum tamen inter illas maledictiones quædam nominari peccata, quæ non expreſsè prohibentur decalogo: ac rurſum interdum peccari contra aliquod decalogi præceptum citra mortalem culpam.

Quapropter id quod priùs dixi, potiùs ſequendum eſt. Nunc argumentationem Apoſtoli conſideremus, quæ talis eſt: *Maledictus eſt quicumque non permanſerit in omnibus, quæ lex præcipit: At quicumque ex operibus legis ſunt, non permanent in illis omnibus: ergo quicumque ſunt ex operibus legis, ſub maledicto ſunt.* Hujus ſyllogiſmi minorem Apoſtolus non enunciat. ſed intelligendam relinquit. Et quoniam non eam conceſſuri erant adverſarii, ſed dicturi ſe permanere in omnibus præceptis legis, ideoque nihil ad ſe maledictionis ſententiam pertinere: idcircò tacitam iſtam ſubſumptionem verbis ſubjunctis probat.

11. QUONIAM AUTEM IN LEGE NEMO JUSTI-

FICATUR APUD DEUM, MANIFESTUM EST; QUIA justus ex fide vivit. *Quoniam* pro, *quòd*, ſicut eſt in Ambroſiano: Et pro, *vivit*, verior lectio futuri, *vivet*, quemadmodum & ad *Roman.* 1. annotavimus. Sic enim etiam hoc loco Græci, Syrique codices, & ex noſtris optimi quidam habent; Sic & Hieronymus legit. Nec in Græcis ea dictionum affinitas eſt, quæ in Latinis, ut facilè poſſit per errorem altera pro altera ſcribi. *Senſus eſt*: Neminem verò per legem juſtificari apud Deum, hoc argumento manifeſtum eſt, quia teſte Propheta *Juſtus ex fide vivet.* Itaque probat Apoſtolus eos qui ex operibus legis ſunt, non facere ea quæ ſcripta ſunt in lege: quia ex lege nemo juſtificatur coram Deo. Et hoc rurſum probat, ex ſcriptura prophetica: de cujus ſenſu videnda ſunt, quæ pro ejus explicatione diximus *ad Rom.* 1. Eodemque pertinet quod ait hujus epiſtolæ cap. 1. *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei.* Declarat enim ille locus, ex ea fide præcipuè quæ eſt in Chriſtum filium Dei redemptorem ac propiciatorem noſtrum, vivere juſtum, quatenus juſtus eſt; id eſt, ex ea juſtitiæ ſuæ vitam omnem haurire: quia quod juſtus eſt, & juſtè operatur, & juſtus permanet, habet ex hac fide tamquam radice, ex qua naſcatur, & tamquam fundamento, cui innitatur tota ejus juſtitia. Nam Deus ordinavit non juſtificare niſi credentes in Chriſtum filium ſuum unigenitum, mediatorem ac redemptorem: vult enim beneficium redemptionis & juſtificationis agnoſci per fidem.

Senſus.

Obſ. contra Sectarios, de juſtitia propria & inhærente.

Ex eodem loco refellitur illa diſtinctio propheticæ ſententiæ, cujus Hieronymus tantum meminit, quamque ſequitur, & nimis diligenter inculcat Cajetanus (nam & *Rom.* 1. eam tradit, & *Heb.* 10. repetit) ſcilicet ut legatur, *Juſtus ex fide*, deinde commate interpoſito, ſequatur; *vivet*: quaſi dicat Apoſtolus, Qui ex fide juſtus eſt, & non ex operibus, is abſolutè vivet. Refellitur, inquam, quia Apoſtolus illud, *ex fide*, cum verbo vivere, manifeſtè conjungit, affirmans ſe vivere ex fide filii Dei, dicto *cap.* 2. *hujus.* Atque hoc modo, citatam ab Apoſtolo propheticam ſententiam omnes interpretes acceperunt.

Prava diſtinctio teſtimonii Prophetici.

Porrò notandum eſt, Apoſtolum ſuperioris ſyllogiſmi minorem, non ex eo probare quod jugum legis ob multitudinem præceptorum, maximè ceremonialium, fuerit ſupra modum grave, Petro atteſtante, *quod neque nos*, inquit, *neque patres noſtri portare potuimus*, Actor. 15. Quam probationem nonnulli huc adferunt: minùs rectè. Nam eo non obſtante, Sancti Patres veteris teſtamenti permanſerunt in omnibus præceptis legis, ut qui à maledictione fuerint liberi. *Adde*, quod Moyſes illo *Deut. loco* quo maledictiones recenſet, nullam ceremonialium præceptorum facit mentionem, ſed tantùm moralium. Itaque ſolidiorem fecit Apoſtolus probationem ex teſtimonio ſcripturæ.

12. LEX AUTEM NON EST EX FIDE: Complementum eſt argumentationis ſuperioris, & conſequentiæ probatio. Nam quia reſpondere quis poterat legem & fidem, quoad effectum juſtitiæ inter ſe non pugnare, ſed ex utraque juſtitiam peti poſſe (hoc enim Judaizantes docebant:) ideoque teſtimonium prophetæ nihil adverſum ſe facere: reſponſioni hujuſmodi Paulus occurrit, dicens: *legem non eſſe ex fide*, hoc eſt, opera ex lege facta non poſſe eſſe opera fidei. *Si enim ex lege juſtitia; jam non ex fide, ſed gratis Chriſtus mortuus eſt.*

SED QUI FECERIT EA, VIVET IN ILLIS. Sententia hæc etiam Rom. 10. legitur, & deſumpta eſt ex *Levit. cap.* 18. tametſi Hieron. hujus loci immemor, eam referat ad locum *Ezech.* 20. ubi ſimile quid dicitur. Et quia de ejus intellectu plenè diſſeruimus *in explic. epiſt. ad Rom.* tantùm hîc repeto, ſenſum illum à multis receptum: Qui fecerit ea quæ lex præcipit, ita ſaltem ut illam manifeſto opere non tranſgrediatur; per ea legis opera, ſupplicium mortis evadet, vivetque vita temporali: non eſſe conſentaneum ſermoni ſcripturæ, quæ legis obſervationem nominans, de vera legis obedientia ubique, & maximè in ipſa lege, loquitur: ac nominatim in eo quod paulò antè Apoſtolus ex lege citavit, *Maledictus omnis qui non permanſerit*, &c. *ut faciat ea*: ubi relinquebat aſſumendum, illos *qui ex operibus legis ſunt, non facere ea*; quemadmodum ibi diximus. Vide Rom. 2. aliquot locis.

Verus igitur intellectus eſt de vera & in ſcripturis laudata legis obedientia. Quocirca ſic Apoſtolum intellige. *Lex autem non eſt ex fide: tametſi qui fecerit ea, quæ lex præcipit, ex eorum obſervatione vivet vita juſtitiæ veræque ſalutis:* quia *Factores legis juſtificabuntur.* Rom. 2. Et dictum eſt à Domino: *Si vis ad vitam ingredi: ſerva mandata.* Sed ex lege præcepta legis implere, & in iis vivere, nemo poteſt; hoc enim non fit niſi per fidem: quia juſtus ex fide vivet.

13. CHRISTUS NOS REDEMIT DE MALEDICTO LEGIS: FACTUS PRO NOBIS MALEDICTUM. Cum dixiſſet Apoſtolus, eos qui ſunt ex operibus legis, ſub maledicto eſſe, nec per legem inde eximi poſſe, pergit nunc oſtendere per quem, & qua ratione à maledicto liberari queamus, & promiſſam benedictionem conſequi: ſcilicet per Chriſtum, ſi in eum credatur. *Chriſtus*, inquit, *nos* tam Judæos quàm Gentiles *redemit à maledicto*, ſive execratione *legis*: id eſt, à pœna quam lex cum execratione minatur, dicens: *Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus*, &c. Præſtitit autem id nobis Chriſtus, *dum factus eſt ipſe pro nobis maledictum.* Hoc quo ſenſu dicatur, cùm durè ſonet Chriſtum factum eſſe maledictum & execrationem; atque ex eo non intellecto olim quidam fideles, errandi; Infideles autem calumniandi ceperint occaſionem, uti liquet ex Hieronymi & Auguſtini commentariis: petendum ex ſubjuncta probatione.

QUIA SCRIPTUM EST, Deut. 21. MALEDICTUS OMNIS QUI PENDET IN LIGNO. In Hebræo legitur hoc ſolum, *Maledictio Dei ſuſpenſus.* Et eo modo Theodotionem & Aquilam vertiſſe Hieronymus affirmat. Nam quod Symmachus, & eum imitatus Pagninus interpretandum putarunt, Propter blaſphemiam, ſeu maledictionem Dei, ſuſpenſus eſt; neque fonti Hebræo reſpondet, neque convenit cum citatione Apoſtoli; ac proinde rejiciendum eſt; præſertim quod non appareat ſolis in Deum blaſphemis ſupplicium crucis ac patibuli decretum fuiſſe: quandoquidem & latrones unà cum Domino crucifixi leguntur & in lege blaſphemus non crucifigi, ſed lapidari præcipitur Levit. 24.

Porrò 70. ſic verterunt: *Maledictus à Deo omnis qui pendet in ligno.* Hos Apoſtolus ſecutus videtur, niſi quod loco participii nomen verbale poſuit, quod execrabilem ſonat. Nec addidit, *à Deo.* Quam particulam quo conſilio omiſerit, incertum eſt: cùm ſic potuerit Chriſtum dicere maledictum à Deo, quomodo dixit alibi, eum factum à Deo peccatum. *Eum*, inquit, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, utique Deus 2. Corinth. 5. Quod autem Hieronymus exiſtimat veteres Hebræorum libros non habuiſſe Dei nomen, & poſt paſſionem Chriſti tam in Hebræis quàm noſtris codicibus ab aliquo, Dei nomen appoſitum, ut infamiam nobis inureret, qui in Chriſtum maledictum à Deo credimus: id nullo modo veriſimile eſt, licet in eam opinionem etiam S. Thomas authoritate Gloſſæ, ex Hieronymo ſumptæ fuerit inductus. Neque enim vel unus vel plures Judæi potuerunt libros tot interpretum, quos ipſe Hieronymus allegat, quique in manibus Chriſtianorum verſabantur, aſſcripto Dei vocabulo corrumpere, ſic ut nulla ſinceræ lectionis veſtigia uſquam extarent.

Potiùs arbitror Dei nomen ſtudio prætermiſſum

ab Apoſtolo, ne attrociori ſermone quo Chriſtus à Deo maledictus diceretur, imbecilles animi Galatarum offenderentur. Senſus autem citati teſtimonii ex loco Deut. quærendus eſt, ubi ſic legitur: *Quando peccaverit homo quod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti appenſus fuerit in patibulo; non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed eadem die ſepelietur: quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno: & nequaquam contaminabis terram tuam*, &c. Cui ſanè loco ſenſus hic aptiſſimè congruit; Eum qui ſuſpenditur in patibulo, maledictum eſſe a Deo, id eſt, execrabilem Deo, propter peccatum quo ſupplicium tale meruit; ut propterea corpus ejus non diu relinquendum ſit in hominum conſpectu, pendens in cruce; ſed eadem die removendum ex oculis, & obruendum terra.

Quo ſenſu Chriſtus dicatur maledictum.

Dices, Si hic eſt ſenſus: nihil ergo ad Chriſtum, utpote peccati omnis expertem, hæc ſcriptura pertinet. Reſpondent nonnulli, propriè quidem teſtimonium hoc ſcripturæ de ſceleratis agere: ſed quadam extenſione ad Chriſtum accommodari, qui maledictus à Deo dicatur, non propter ſua, quemadmodum illi qui ſecundùm legem crucifigebantur, ſed propter aliena peccata: quatenus nimirum Deus in illo noſtra peccata, quaſi ipſe peccaſſet, punivit & expiavit, ſecundùm illud Propheticum: *poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrûm.* Iſa. 53.

Verùm hac extenſione ſcripturæ nihil opus eſt. Non enim affirmat Apoſtolus Chriſtum illa ſententia comprehendi: ſed tantùm ex ea probare vult *Chriſtum factum eſſe maledictum ſimilitudine quadam.* Si enim maledicti & execrabiles erant Deo, qui pro ſuis ſceleribus ſuſpendebantur in ligno: Chriſtus igitur, ſicut aſſumendo naturam mortalem, venit in ſimilitudinem carnis peccati: ita ſuſpenſus in cruce ſuſtinuit ſimilitudinem maledicti, de quo loquitur ſcriptura Deut.

Senſus.

Dicitur ergo *factus pro nobis maledictum*, quia pro noſtra redemptione ac ſalute crucifixus, ſimilitudinem geſſit hominis à Deo maledicti; & pro tali reputatus eſt ab hominibus, juxta quod apud eumdem Prophetam eodem capite legitur: *Cum ſceleratis reputatus eſt.* Hunc intellectum confirmat alter ejuſdem Apoſtoli locus, quem ſuprà citavimus: quo *Chriſtus pro nobis factus dicitur peccatum*, id eſt, ob pœnam peccatoribus ſimilis, & pro tali reputatus. Nec ab hoc ſenſu diſcrepant Hieronymi, Auguſtini, & Græcorum commentarii, ſi propiùs inſpiciantur.

14. UT IN GENTIBUS BENEDICTIO ABRAHÆ FIERET IN CHRISTO JESU: *In Gentibus*, Græcè *In Gentes*, vel *ad Gentes*. Referenda eſt hæc pars ad illud præcedens: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.* Hoc ideò (inquit) ut benedictio Abrahæ promiſſa, quæ totam hominis renovationem & beatitudinem complectitur, ad Gentes veniret, & in iis compleretur per Jeſum Chriſtum. *Gentium* nomen hoc loco generale eſt, Judæos etiam comprehendens, ut & in verbis promiſſionis. Notanda quoque antitheſis inter maledictum & benedictionem; licet ea minus appareat in Græco.

UT POLLICITATIONEM SPIRITUS ACCIPIAMUS PER FIDEM. Explicatio eſt membri præcedentis. Neque enim pollicitationem ſpiritus dicit, tamquam promittentis, ut quidam exponunt, ſed tamquam rei promiſſæ. Senſus enim eſt; Ut per fidem qua in Chriſtum credimus, acciperemus Spiritum ſanctum nobis promiſſum, hoc eſt, ſpiritum charitatis & adoptionis filiorum Dei: non ſpiritum ſervitutis in timore, quem qui ſub lege erant, acceperant. Oſtendit hic locus eamdem eſſe promiſſionem benedictionis factam Abrahæ, & promiſſionem Spiritus ſancti per Prophetas annunciatam; quantum quidem ad rem promiſſam attinet: ideòque benedictionem illam Abrahæ promiſſam, ſpiritualiter intelligi.

15. FRATRES, SECUNDUM HOMINEM DICO, Alio nunc argumento docet, ex lege non eſſe juſtitiam, eoque ſumpto à ratione humana. Hoc eſt enim quod ait: *Secundùm hominem dico*; Id eſt, humano more loquor, à rebus humanis exemplum adfero, ſi minus capitis rationes ſublimiores.

TAMEN HOMINIS CONFIRMATUM TESTAMENTUM, NEMO SPERNIT, AUT SUPERORDINAT: *Spernit*, rectiùs ex Græco, *rejicit*. Textus Ambroſianus ordinem verborum immutat, hoc modo; Hominis teſtamentum confirmatum tamen, nemo irritum facit aut ſuperordinat. Quæ lectio ſenſum hunc innuit: Teſtamentum hominis, ſi tamen confirmatum ſit, reſcindi non poteſt, aut mutari. Placet hic ſenſus, & conſtructio, etiam Cajetano. Sed quia violentius eſt dictionem *tamen* in principio poſitam, eó uſque trahi, medio vocabulo prætermiſſo: magis probandum, quod alii dicunt, *tamen*, pro licet poſitum eſſe, & proximo genitivo, *hominis*, adhærere. Unde vertunt Eraſmus & Hentenius: hominis licet teſtamentum, &c.

Senſus.

Itaque *Senſus eſt*: Teſtamentum licet humanum, modò comprobatum ſit, & (ut loquuntur,) authorizatum, hoc eſt, jure factum: Nemo rejicere permittitur, aut ſuperordinare. *Rejicit*, qui quod factum eſt, planè convellit ac pro nullo habet. *Superordinat* autem, qui mutat, aut innovat ſive addendo aliquid, ſive demendo. Quidam *confirmatum* intelligunt *teſtamentum*, per mortem; prout Hebræor. 9. dicitur. *Teſtamentum in mortuis confirmatum eſt.* Sed Græcum vocabulum *hoc loco* poſitum, magis exigit ſenſum quem diximus: tametſi verum eſt Apoſtolum loqui de tempore quo mortuus eſt teſtator; Dum enim vivit, ipſi mutare eſt integrum.

Porrò ex hac proportione colligendum relinquit, multò minùs teſtamentum ſeu pactum, ſeu promiſſionem Dei poſſe à quoquam reſcindi, aut mutari; cùm neceſſe ſit divina firmiora eſſe humanis. Quæ tacita concluſio novæ propoſitionis loco intelligenda eſt, cui hæreat ſequens aſſumptio.

16. ABRAHÆ DICTÆ SUNT PROMISSIONES, ET SEMINI EJUS. Græcè: *Abrahæ autem dictæ*. &c. Senſus: Atqui *promiſſiones voce divina factæ ſunt Abrahæ & ſemini ejus*: Abrahæ quidem, & quia ſermo promiſſionis ad eum factus eſt, & quia promiſſum eſt ei; ſemini autem ejus, & quoniam ei promiſſum eſt, & quia per illud promiſſiones erant adimplendæ. Dicit autem, *promiſſiones*, numero plurali, quia non ſemel, ſed ſæpiùs facta eſt promiſſio: tametſi res principaliter promiſſa, hoc eſt, benedictio Gentium ſit in omnibus eadem. Nominatim autem in promiſſionibus fit mentio ſeminis *Gen.* 12. 13. 15. 17. & 22.

NON DICIT, ET SEMINIBUS, QUASI IN MULTIS: SED QUASI IN UNO, ET SEMINI TUO: QUI EST CHRISTUS. Hoc poſtremum: *Qui eſt Chriſtus*, interpretatio eſt Apoſtoli, qua promiſſionem illam; *Et ſemini tuo*, de Chriſto docet accipiendam. *Quæritur* ad quem locum Geneſeos Paulus in his verbis reſpiciat. Plerique putant ad *cap.* 22. ubi celebris illa promiſſio legitur, *Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes.* Sed obſtat quòd Apoſtolus tam diligenter conjunctionem copulantem ſemel & iterùm exprimit, cùm ait, Deum promittentem non dixiſſe; *Et ſeminibus*, ſed dixiſſe, *Et ſemini tuo.* Quorſum enim conjunctionem, alioqui ſupervacaneam ita ſtudioſè adderet; niſi reſpiceret ad aliquem ſcripturæ locum, in quo illa expreſſa haberetur? Hujuſmodi autem loca ſunt, *Geneſ.* 13. & 17. in quibus terram Chanaam promittens, Dominus dixit: *Dabo tibi, & ſemini tuo.* Quare huc potiùs Apoſtolum reſpexiſſe crediderim, eò maximè, quia dixerat, *Abrahæ & ſemini ejus*

Quæſtio.

Reſponſio.

dictas fuisse promissiones; quod distinctè in his duobus fit locis, dicendo, *tibi & semini tuo*; non item, cùm dicitur. *Benedicentur in semine tuo omnes Gentes.* Item quia infrà dicitur, *Donec veniret semen cui promiserat*, non in quo promiserat.

Nec obstare puto, quòd Apostolus *semen* interpretatur Christum; cùm in duobus locis memoratis semen intelligi constet populum carnaliter ex Abraham nasciturum, utpote cui possessionem terræ Chanaam Dominus promittat: Nam & Genes. 22. secundùm literam, idem populus nomine *seminis* significatur; id quod palàm ostendunt anteriora verba promissionis, quæ sic habent; *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Post quæ quidem verba continuo sermone sequitur illud; *Et benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ.* Quod si ergo locus hic rectissimè de Christo accipitur, qui pars erat futurus populi ex Abraham venientis, nihil prohibebit & in aliis duobus locis, Christum nomine seminis per mysterium intelligi, qui regno suo spirituali omnes terras Gentium erat possessurus. Quamquam dici potest, illud, *& semini ejus*, posse ex phrasi Hebræa sic accipi quasi *ejus*: quomodo Psalm. 3. legimus. *Multi dicunt animæ meæ*: id est, de anima mea. Est similis locutio sæpè in aliis psalmorum locis. Imò hoc ipso *cap. v. 19.* talis expositio optimè quadrat.

Quæstio. Verùm hîc alia non parva difficultas occurrit. Nam qua ratione Apostolus in vocabulo *seminis* urget numerum, dicens, non dixisse, *Et seminibus tanquam de multis, sed tamquam de uno, & semini tuo*: cum *semen* Hebræis sit nomen collectivum singulari numero multos comprehendens: nec usquam apud eos in plurali reperiatur, quantumcumque multos homines significare voluerint; ut & Hieronymus testatur? Ad hoc *respondent*, Frequenter etiam unum hominem per semen significari, quemadmodum patet ex ipsa *Genes.* 3. 4. 21. *capitibus*, & ex aliis scripturæ locis. Oportere autem vel ex circumstantiis vel aliunde intelligi, num pro uno, an pro multis accipiatur.

Sed hæc responsio præsentem difficultatem non tollit. Non enim dubium quin *semen* aliquando de uno tantùm homine dicatur in scripturis: sed quæritur quomodo rectè procedat Apostoli ratiocinatio, qua non ex circumstantiis aut aliunde, sed ex numero singulari docet unum, id est, Christum intelligi; cùm numerus ille communis sit multis & uni: & quidem frequentiùs ad multos referatur. Nec si vel maximè multos comprehendere voluisset Moyses scripsisset, *seminibus*, *sed semini*: scilicet propter ejus vocabuli in Hebrea lingua proprietatem. Quæstionem hanc primus movit Hieronymus, nec planè solvit.

Responsio. Magis facit ad nodum quæstionis solvendum quod Aquinas & Cajetanus breviter annotarunt, Paulum eodem spiritu quo promissio facta, & scriptura condita est, eam interpretari quòd ex numero singulari, unus, id est Christus, fuerit significatus. Providit enim Spiritus sanctus vocabulum ejusmodi in scripturis, ut per illud convenienter Christus significaretur. Nec prætermittendum quod Augustinus in Christo vult significari omnes Christianos fide imitantes Abraham. Hi namque sunt illud semen, cui promissio facta est: cùm Christus propriè sit semen per quod promissio sit adimplenda: In quo tamen etiam illi omnes, per unam fidem, ad singularitatem rediguntur: ut loquitur Augustinus.

17. Hoc autem dico. Collectio est ex præmissis: quasi dicat. Hoc igitur est, quod intendo, quod volo concludere. Testamentum confirmatum a Deo, Græcè, *testamentum antè confirmatum à Deo in Christum*: Ambrosianus, *in Christo*, Quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem. Græcè, *ad abolendam* sive *abrogandam promissionem.* Ordo & *sensus est.* Sensus. Lex quæ post annos à promissione quadringentos & triginta demum accepit initium, non potest irritum facere testamentum seu pactum tantò antè firmatum ratumque factum à Deo, atque in Christo præstandum, ut sic aboleatur & inanis reddatur Dei promissio.

Porrò tota Pauli argumentatio ab eo loco, *Tamen hominis confirmatum testamentum*, speciem habet syllogismi, estque hujusmodi: Pacta divina rata, & firma esse debent, multò magis quàm humana; Atqui Deus iniit pactum cum Abraham & semine ejus promissa benedictione per Christum: ergo pactum illud debet manere firmum, & inviolabile, nec per legem, quæ multò pòst supervenit, abrogari potuit, aut intercipi, quò minùs per Christum impleatur. Id autem contingeret, si per legem esset benedictio, quæ præstanda per Christum est promissa; Quod declarant proximè sequentia Apostoli verba.

Sed priùs hoc loco *quærendum* quid *Testamenti* nomine significetur. Quid hic testamentum. Sanè priori loco, ubi exemplum humani testamenti inducitur, propriè testamentum intelligi, id est, dispositionem hominis de eo quod post mortem suam velit fieri, consensus est omnium interpretum; Nec id videtur in dubium revocandum. Hoc verò, ubi Deo testamentum attribuitur, constat non ita propriè sumi posse; Pro qua re notandum est, ubicumque in scriptura veteris instrumenti 70. scripserunt διαθήκην, quod Latinis testamentum sonat, in Hebræo legi *Berith*: Quo vocabulo pactum significatur. Unde & Aquila & cæteri interpretes, Hieronymo teste, non διαθήκην, sed συνθήκην, id est, pactum, transtulerunt. Quamquam non ob hoc imperitiæ arguendi sunt 70. Siquidem διαθήκη, præter testamentum significat etiam interdum in genere pactum, conventum, pollicitationem; quemadmodum ex probatis authoribus ostendit Budæus in commentariis linguæ Græcæ. Quoniam autem 70. interpretes usi sunt ea voce ad pacta significanda; hinc & Apostoli (quorum tempore non alia Græca sacrorum codicum editio exstabat) libenter eamdem vocem eadem significatione usurparunt.

Itaque testamentum hoc quod Apostolus Paulus dicit confirmatum à Deo, non dubitavimus pactum exponere, id est, promissionem Abrahæ factam: sicut Apostolus seipsum interpretatur. Nec ideò invalida est Apostoli argumentatio, in qua pro antecedente sumpsit testamentum propriè dictum: Nam quæcumque sunt Dei pacta & decreta, majorem habent firmitatem, quàm quæ apud homines firmissima habentur, quale est testamentum. Unde à firmitate testamenti humani, rectissimè proceditur ad firmitatem cujuscumque pacti, seu promissionis divinæ.

Adde, quòd promissio, de qua differit Apostolus, etsi propriè testamentum non sit, meritò tamen & *hoc loco*, & *in epist. ad Hebr.* testamentum vocatur, duplici ratione: tum quia, sicut ait Augustinus, quod mors testatoris valet ad confirmandum testamentum ejus, quia consilium jam mutare non potest: hoc immutabilitas promissionis Dei valet ad confirmandam hæreditatem Abrahæ, præsertim accedente jurejurando, quo dixit. *Per memetipsum juravi* Genes. 22. Tum quia respiciebat mortem filii Dei, & ab ea, ut à Patre præordinata, certòque futura, jam inde ab initio firmitatem accipiebat. Plura de vocabulo testamenti legat qui volet, apud Sasboldum *in commentario*: & nos plura *in epistolam ad Heb.*

Unde faciendum initium temporis hic expressi. Jam quod ad numerum annorum attinet hîc expressum ab Apostolo, breviter dicimus eam senten-

tiam veriorem eſſe, & abſque ſcrupulo tenendam, quæ tempus hoc ducit ab initio promiſſionis Abrahæ factæ, uſque ad legem datam in monte Sinai. *Primùm* enim, id omninò exigit intentio Apoſtoli hoc loco; nam urget annorum multitudinem a promiſſione uſque ad legem, docens non potuiſſe per legem abrogari promiſſionem tot annorum veluti præſcriptione jam antè firmam. Quare ut vim adderet argumento; non ab aliquo poſteriori principio, juxta quorumdam opinionem, ſed à primo tempore factæ promiſſionis annos numerare debuit. *Deinde probatur* id ex chronica ſupputatione totius temporis memorati: quam diligenter in ſuo commentario S. Thomas exſequitur, & ante eum Auguſtinus *q.* 47. *in Exod. & lib.* 16. *de civit. cap.* 24.

Præter hos autem ita de hoc annorum numero ſentiunt Joſephus *lib.* 2. *ant. c.* 6. Euſebius *in chronico ad annum mundi* 3260. Epiphanius *in Ancoraro*, Severus hiſtoriæ *ſacræ lib.* 1. Rabanus, Liranus & Cajetanus *in Gen. & Exodum* ſcribentes; Item Joannes Driedo, Melchior Canus, & alii plerique, ut taceam commentatores hujus loci tam Græcos quam Latinos, qui omnes in hanc eamdem ſententiam conveniunt.

Cui denique ſuffragantur Martyrologia quæ in eccleſia leguntur, nominatim Romanum, & Uſuardi quæ *ad diem* 8. *cal. Jan.* à nativitate Abrahæ uſque ad egreſſum populi Iſraelitici ex Ægypto, quando lex data eſt, annos numerant fermè quingentos. Nec verò pugnat cum hac ſententia quod Gen. 15. Dominus Abrahæ prædicit poſteros ejus quadringentis annis ſervituros, quodque *Exod.* 12. tempus habitationis filiorum Iſraël in Ægypto ſcribitur fuiſſe quadringentorum & triginta annorum. Ex quibus locis Genebrardus & alii nonnulli ſumpſerunt occaſionem errandi, ut putarent annorum numerum, de quo loquitur Apoſtolus, ſupputandum eſſe ab ingreſſu Jacob, & filiorum ejus in Ægyptum: Ex quo conſequens ſit à promiſſione facta Abrahæ uſque ad legiſlationem multo plures annos interceſſiſſe, nimirum ſeptingentos aut circiter.

Sed ut omittam quod 70. Exod. 12. ſic legunt: *In terra Ægypti, & in terra Chanaan* (fortè enim alterum hoc additicium eſt) reſpondendum eſt cum Auguſtino, Thoma, aliiſque ſupradictis authoribus; ſcripturam iis locis non dicere à quo tempore ſervitus aut habitatio filiorum Iſraël in Ægypto cœperit, ſed tantùm ſignificare velle ad quod uſque tempus perducta ſit: haudquaquam exprimendo initium à quo tempus illud ſupputandum eſſet. Non ſemper enim in talibus ſcriptura id exprimit. Exemplum apertum eſt 2. *Reg.* 15. *verſ.* 7, Hoc autem initium in re propoſita ſecundùm Apoſtolum & veram chronologiam, multò altiùs repetendum eſſe, jam ſatis oſtendimus.

18. NAM SI EX LEGE HÆREDITAS: JAM NON EX PROMISSIONE. Id eſt: Si benedictio Abrahæ promiſſa, & juxta promiſſionem à filiis ejus hæreditanda, per legem præſtatur: non ergo jam, ex pura & liberali Dei promiſſione, per Chriſtum expectanda erit: atque ita per legem evacuabitur promiſſio. Quod fieri non poſſe ſuperioribus verbis monſtratum eſt. Convenit hæc ſententia cum illa præcedentis capitis: *Si per legem juſtitia: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*: Et expreſſiùs cum illa Rom. 4 *Si qui ex lege hæredes ſunt: exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.*

ABRAHÆ AUTEM PER REPROMISSIONEM DONAVIT DEUS. Ex oppoſito conſequentis, colligendum relinquit oppoſitum antecedentis. Atqui (inquit) ex promiſſione hæreditas eſt; quia Deus non ex conditione legis, ſed gratuito, & irrevocabili dono: dandam promiſit hæreditatem: Igitur hæreditas, benedictio, juſtitia non eſt ex lege. Huc reſpicit Proſper. *lib.* 1. *de vocat. gen. cap.* 9. quando dicit, manere prorſus & impleri quotidie quod Abrahæ Dominus ſine conditione promiſit, & ſine lege donavit. Obiter autem nota, vulgatum interpretem hîc & aliàs indifferenter uſurpare nomina promiſſionis, & repromiſſionis: pro quibus in Græco ſemper eſt idem vocabulum, ἐπαγγελία.

19. QUID IGITUR LEX? Ex dictis oritur hæc quæſtio; *Si enim hæreditas ita ex promiſſione eſt*, ut non ex lege: cur igitur lex introducta eſt? quæ utilitas legis? aut quid omninò de lege dicendum? Reſpondet.

PROPTER TRANSGRESSIONES POSITA EST. Græcè: *appoſita* ſive *addita eſt*. Auguſtinus legit, *præpoſita*. Additam autem dicit, ne putetur lex promiſſioni ſucceſſiſſe, eamque removiſſe. Igitur manente promiſſione lex adjuncta eſt & ſubjuncta, idque *propter tranſgreſſiones*, ſcilicet coercendas terrore & minis, ut ſaltem metu retraherentur homines à manifeſtis tranſgreſſionibus. Sic exponunt Hieron. & Chryſ. cum ſuis ſequacibus.

Lex propter tranſgreſſiones, quo ſenſu.

Aliter Auguſtinus: qui *legem propter tranſgreſſiones* oſtendendas, imò & quodammodo augendas, *poſitam* interpretatur; idque longè probabiliùs, ſi alia ſcripturæ loca conſulamus. *Nam per legem cognitio peccati*, Rom. 3. Et, *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio*: cap. 4. Et, *Peccatum*, inquit, *non cognovi niſi per legem* cap. 7. Ac rurſus ibidem: *Occaſione peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Et alia ejuſdem loci, quæ ſignificant per legem ex occaſione augeri peccatum. *Virtus enim peccati, lex* 1. Cor. 15. Et, *litera occidit.* 2. Cor. 3. Quin verò legem ad hoc ſubintroductam eſſe ut augerentur tranſgreſſiones, ejuſdem ad Rom. epiſtolæ cap. 5. diſertè Apoſtolus affirmat, dicens *Legem ſubintraſſe ut abundaret delictum.* Cum quo loco, ea quæ hîc dicuntur omninò conferenda ſunt.

Ad eum intellectum invitat quoque Græca lectio præſentis ſententiæ, quæ ita ſonat quaſi dicas, *Tranſgreſſionum gratiâ*, vel *ob tranſgreſſionum gratiam lex appoſita eſt.* Quæ lectio, etiam eſt apud Auguſt. lib. 15. contra Fauſtum cap. 8. *Tranſgreſſionis gratiâ poſita eſt.* Jam quod alicujus gratiâ fit, non fit ad ejus deſtructionem, ſed profectum.

Neque tamen ſenſus eſt, augmentum & abundantiam peccatorum id eſſe, cujus gratiâ lex à Deo data fuerit, ut cauſam legis finalem (hoc enim eſſet Deo peccata aſſcribere) ſed Deum lege lata permittere voluiſſe, ut homines ſuis viribus fidentes in legem impingerent, ejuſque tranſgreſſores fierent, & legis occaſione peccata augerent; quo ſic infirmitatis ſuæ convictus ſuperbus eorum animus, intelligeret legem ſibi ad juſtitiam non ſufficere, ſed ad eam conſequendam potentiori remedio, atque auxilio ſibi opus eſſe, nempe gratia Chriſti. Senſus.

Senſum hunc, præter ea quæ ex epiſtola ad Rom. adduximus (quam conſtat cum hac epiſtola ejuſdem ferè eſſe argumenti) probabilem inſuper facit, quod hic ſtatim quærit, *Lex ergo adverſus promiſſa Dei?* Et quod paulò pòſt ſequitur; *ſed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato.* Hæc enim referuntur ad illud quod dixerat, *legem poſitam propter tranſgreſſiones*, non minuendas aut coercendas, ſed augendas, ſenſu jam explicato. Vide etiam Auguſtinum *lib. de gratia Chriſti c.* 8 *De Spirit. & lit. c.* 6. *Contra duas ep. Pelag. lib.* 3. *c.* 4. Item *ſerm.* 13. *de verbis Apoſt.* & *ep.* 89. Porrò ſenſum Auguſtini benè admodum explicat S. Thomas *in com.* ad quem ſtudioſum lectorem remitto.

DONEC VENIRET SEMEN CUI PROMISERAT, Græcè, ᾧ ἐπήγγελται, *Cui promiſſum eſt, aut erat*, quemadmodum & legitur apud Hieronymum & commentatorem Ambroſianum, nec non apud Auguſtinum, tam in commentario, quàm alias, ubi locum hunc allegat: ut *lib.* 3. *de Trin. cap.* 12. Syra quoque verſio Latinè reddita ſic habet; *Donec veniret ſemen illud, cui facta eſt promiſſio*: Vide quæ de Græca voce anno-

Sensus. tavimus ad illud Rom. 4. *Quæcumque promisit.* Sensus Apostoli est, legem introductam fuisse, non ut semper duraret, sed ad tempus, donec veniret semen, cui promissio facta erat, ut in eo benedicerentur omnes Gentes, quod semen est Christus.

Lex disposita per angelos. ORDINATA PER ANGELOS. *Legem veterem per angelos ordinatam, sive dispositam,* ut legit Augustinus loco jam dicto, id est, angelorum opera seu ministerio digestam, scriptam, ac latam fuisse, testatur idem Apostolus *Hebr.* 2. & Stephanus, *Actor.* 7. significat, Et ipse Moyses *Deut.* 33. dicens, cum Domino legem in monte Sinai ferente adfuisse Sanctorum millia: quos 70. angelos interpretati sunt. Indicat ergo discrimen Apostolus inter legem, & promissionem, quòd lex angelorum ministerio lata fuerit; promissio per Christum præstanda: sicut infrà dicitur: *Ut promissio ex fide Jesu Christi daretur.* Sic etiam ad Hebr. 2. distinguit.

IN MANU MEDIATORIS. *Mediatorem* hoc loco Christum plerique, tam Græci quàm Latini, intelligunt, ut *sensus sit*, Legem Israelitico populo traditam fuisse per manum, id est, potestatem & directionem mediatoris Christi, populum illum in suum adventum hoc modo præparantis. Nam Christum Dei & hominum mediatorem vocat Apostolus 1. *Tim.* 2. Sensum hunc latè prosequitur Augustinus.

Mediator hîc Moyses. Alii verò *mediatorem* hoc loco Moysem intelligunt. Qui sanè intellectus multis modis fit probabilis: primum, quia Christus non veteris testamenti, sed novi mediator est; quomodo eum apertè nuncupat Apostolus *Hebr.* 8. & 12. Quò præterea faciunt quæ ibidem, nec non ejusdem *ep. cap.* 2. & 9. de differentia Christi, & Moysi, quoad utriusque ministerium, disseruntur; Quam & Joannes evangelista brevi sententia aperuit, dicens ca. 1. *Lex per Moysem data est: Gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Adde, quòd Moyses ipse sequestrum & medium, quoad legislationem, inter Dominum & filios Israël vocat; ac multis deinde verbis declarat: *Deut.* 5. Ad quem locum hîc Paulum respexisse valde verissimile est.

Quamvis autem per manum in scripturis metaphoricè potentia significari soleat: quoties tamen aliquid à Deo factum dicitur in manu cujuspiam: non potentia, sed ministerium aut instrumentum intelligitur, ut cum factum dicitur verbum Domini in manu Aggæi aut Malachiæ prophetæ. Atqui legem ministerio Moysi latam à Deo fuisse, planum est: idque hac ipsa phrasi, *In manu Moysi*, multis locis scriptura significat. *Ut Levit.* 10. & 26. *Josue* 4. 17. 21, & 22. 2. *Paral.* 33. 34. 35. & 2. *Esd.* 8. 9. & 10. At ministerio Christi datam aut latam fuisse eam legem, nec dicitur usquam, nec sine errore dici potest.

Sensus. Sentit igitur Apostolus legem per angelos administratam populo, nec tamen immediatè, sed interveniente ministerio Moysi. Atque hæc Theodoreti expositio est, à Salsoldo pluribus verbis confirmata. Igitur hæc pars superiori conjuncta, plenius, ex parte ministerii, distinguit legem à promissione, quæ non per angelos, nec per Moysem impleta fuit, sed per Christum implenda erat.

20. MEDIATOR AUTEM UNIUS NON EST: Sed plurium, ac saltem duorum: id quod ex ipsa ratione medii constat, nam medium est quod inter extrema collocatur. Qui Christum mediatorem interpretantur, hanc partem variè exponunt, ut videre est apud S. Thomam & Oecumenium. Tametsi res clara est ex illis Apostoli ad Tim. verbis, quibus *Christum mediatorem Dei & hominum appellat*: ut non sit opus alios sensus quærere, si ad Christum referamus. Moyses etiam quo sensu non unius mediator fuerit, sed plurium ex ipsius verbis liquet, quibus ait ad populum, *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos, ut annunciarem vobis verba ejus.*

DEUS AUTEM UNUS EST. At Deus, inquit, qui promisit Abrahæ unus est: non usus homine mediatore ad promittendum, sicut usus est ad ferendam legem. *Notandum* est ea quæ hîc de lege dixit Apostolus, respondens ad quæstionem, *Quid igitur lex?* non solùm eò spectare ut discamus usum legis, qui erat homines adducere ad Christum, uti mox expiibit; verùm etiam ut intelligamus, quantò lex inferior fuerit promissione, quantoque promissio dignior lege. Nam præter disparitatem suprà indicatam, promissio principaliter, ac primò facta est: lex apposita & subintroducta. Promissio benedictionis est; lex propter transgressiones: Promissio limitationem temporis non habet; lex posita donec veniret semen. Promissio facta à Deo: lex ordinata per angelos: Illa sine mediatore: hæc in manu mediatoris. Illic unius Dei factum est, ad Abraham loquentis; hîc Moyse internuncio ac mediatore res gesta est, eò quòd populus non sustineret audire verba Dei loquentis. Non negat Apostolus Deum cum Abraham loquentem, usum fuisse ministerio angeli, cum id satis constet ex scriptura, *Genes.* 18. & 22. sed tantùm dicere vult, legem ordinatam ac dispositam fuisse per angelos: non autem promissionem. Usus legis & quanto sit inferior promissione facta Abrahæ.

21. LEX ERGO ADVERSUS PROMISSA DEI? ABSIT. Ex præcedenti responsione emergit hæc quæstio; quasi dicat Apostolus, Si propter transgressiones lex posita est, non impediendas (sic enim quæstio locum non haberet) sed augendas potiùs: num ergo fatebimur legem adversari promissionibus divinis, easque evertere? Quoniam enim transgressores constituit homines; videtur obstare ne promissiones ipsi Abraham factæ ad eos perveniant, & in iis impleantur: quandoquidem transgressoribus non benedictio, sed maledictio per ipsam legem denunciatur. Verùm *absit* ut lex Dei promissis Dei repugnet; sic enim Deus sibi ipsi contrarius esset.

SI ENIM DATA ESSET LEX QUÆ POSSIT VIVIFICARE; VERE EX LEGE ESSET JUSTITIA. *Verè ὄντως, revera*, pro quo Augustinus, *omninò* tract. 49. in Joannem. Nondum ad quæstionem directè respondet, sed objectionem in adversarium retorquet; tamquam diceret: Imò, contrà se res habet. Nam si lex data esset quæ vivificare posset homines, id est, præstare ut benè beateque vivant; quod fieri nequit nisi per justitiam: tum verè ex lege haberetur justitia. Si autem ex lege: jam non ex promissione, uti superiùs ostensum est. Itaque per legem evacuaretur, atque irrita redderetur promissio, utpote in effectu benedictionis præstando à lege præoccupata. Sic ergo patet, quemadmodum sequatur legem contra Dei promissa militaturam, si verum sit quod vult adversarius, legem vivificare posse. Lex non vivificat nec præstat justitiam.

22. SED CONCLUSIT SCRIPTURA OMNIA SUB PECCATO; Græcè *sub peccatum.* Hîc jam respondet ad quæstionem. Per *scripturam* quidam legem scriptam, quam alibi literam vocat Apostolus: alii in genere scripturam sacram intelligunt. Quod posterius magis probo. Consonat enim hic locus cum illo *Rom.* 3. ubi omnes, tam Judæos quàm Græcos sub peccato esse ex scripturis ostendit. Hoc igitur est quod ait: Non modò lex eos qui sub lege sunt peccati convincit, & transgressores constituit: sed in universum scriptura concluśit omnia sub peccato, id est, declarat omnes homines velut concluśos & captivos teneri sub dominio peccati; Declarat autem cum passim docet omnes esse peccatores. Unde Hieronymus *q.* 8. *ad Algasiam*, hunc locum miscens cum eo qui est ad Rom. cap. 11. *Concluśit Deus omnes in incredulitatem ut omnium misereatur*: ita scribit. *Authoritatem sequimur scripturarum, quòd nullus homo sit absque peccato: sed concluśit Deus omnes sub peccato, ut omnium misereatur: absque eo solo qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Sic ille. Sensus.

UT PROMISSIO EX FIDE JESU CHRISTI DARETUR CREDENTIBUS: Id eſt, ut promiſſa juſtitiæ hæreditas, per fidem Jeſu Chriſti daretur credentibus in eum, dum ſcilicet in lege nullam invenientes peccati medelam, ad Chriſtum confugiunt, qui eſt ſemen illud in quo datæ ſunt promiſſiones. Lex igitur adeò non eſt adverſus promiſſa Dei, ut etiam illis ſubſerviat, & obſequium præſtet, dum homines peccati convictos ad promiſſum authorem gratiæ juſtificandos tranſmittit; quamvis etiam legis occaſione factos deteriores: juxta illud Roman. 5. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.*

Senſus.

Lex ſubſervit divinæ promiſſioni de benedictione per Chriſtum.

Idque variis modis.

Notandum eſt enim quòd quemadmodum duplici ratione lex propter tranſgreſſiones poſita eſt, uti diximus (nam aut eas neſcientibus commonſtrat, aut per occaſionem inſuper auget:) ita duplici ratione ducit ad Chriſtum. Quum enim monſtrat tranſgreſſiones, quaſi morbum aperiens; medicum à quo curetur quærendum docet. Quum verò per ipſam etiam augetur tranſgreſſio: quaſi morbo creſcente, qui curandus erat, tum ſuam illa manifeſtè prodit impotentiam. Itaque jam multò magis, ſimul & morbi demonſtratione & impotentiæ ſuæ profeſſione mittit infirmum ad verum medicum Chriſtum.

23. PRIUS AUTEM, QUAM VENIRET FIDES, SUB LEGE CUSTODIEBAMUR CONCLUSI IN EAM FIDEM QUÆ REVELANDA ERAT. *Sub lege*, Græcè, *ſub legem*. Ad eamdem particulam referendum participium, *concluſi*: ſic enim hîc dicit, *Concluſi ſub legem*, ſicut ſtatim dixerat, *Concluſi ſub peccatum*. Loquitur autem in perſona Judæorum, qui legem acceperant: & loquitur de tota lege Moſaica, non de ſola ceremoniali: ſed prout lex eſt ſine gratia, cui velut ex adverſo opponitur. Confer. *cap.* 4. *&* 5. *hujus epiſt. & cap.* 6. *ad Rom.*

Senſus.

Senſus eſt: Priuſquàm autem veniret tempus revelandæ fidei (quod nimirum eſt in adventu Chriſti;) ſub legis imperio ac poteſtate, velut in cuſtodia concluſi, ſervabamur, ne prorumperemus in manifeſta crimina: ſed pœnarum timore coerciti, ab idololatria, & aliis hujuſmodi gravioribus, externo ſaltem opere committendis, abſtineremus: ſervabamur, inquam, *in eam fidem quæ revelanda erat*: Id eſt, ut hac ratione duceremur ad eam fidem, quæ ſuo tempore manifeſtanda erat per Chriſti & Apoſtolorum ejus prædicationem. Igitur hîc tertius modus ſignificatur quo lex præparavit homines ad Chriſtum, dum ſcilicet timore eos continens & coarctans, quaſi ſervos, cogeret aſpirare ad libertatem filiorum Dei, promiſſam in Chriſto per fidem. Quod quidem ita ſe habere docet Auguſtinus exemplo primorum fidelium Judæorum, qui priùs ſub lege concluſi, mox ad prædicationem Apoſtolorum tanto ſtudio Chriſti fidem amplexi ſunt, ut pro ejus amore, confeſtim rebus ſuis venditis, earum precia ad eorumdem Apoſtolorum pedes abjicerent, ac cæteris Eccleſiis exempla Chriſtianæ perfectionis oſtenderent.

24. ITAQUE LEX PÆDAGOGUS NOSTER FUIT IN CHRISTO, UT EX FIDE JUSTIFICEMUR. Græcè, *In Chriſtum*, vel *ad Chriſtum*: Et melius erat, *juſtificaremur*, quàm *juſtificemur*. Textus Ambroſianus ad utrumque ſuffragatur: Hieronym. quoque *in ſecundo dialogo* contra Pelag. legit, *ad Chriſtum*. Pædagogus is dicitur, qui puero ductor & cuſtos adhibetur, ut teneram ejus ætatem regat: metuque ac flagris à vitiis coerceat, & primis elementis eruditat, donec (ut ait Hieronymus) ad majores philoſophiæ, ac gubernandæ reipub. diſciplinas à magiſtro inſtituendus tranſmittatur. Huic Apoſtolus legem ſimilem fuiſſe, ex ſuperiori ſententia colligit: Itaque, inquit, lex, inſtar pædagogi, nos tamquam parvulos & ad vitia proclives, timore coercuit: & præparavit, duxitque ad Chriſtum, verum juſtitiæ doctorem, ac magiſtrum, ut ex fide ejus, juſtitiam conſequeremur.

Quæſtio ſuboriens.

Sed quæret hîc aliquis. Si lex nos ducit ad Chriſtum, & gratiæ ejus recipiendæ nos præparat; quomodo non inde conſequens eſt, hominem ſola lege inſtructum, ſeſe ad gratiam præparare poſſe? Quod eſt contra illud à Patribus definitum, Gratiam non dari ſecundùm merita: & illud veriſſimè dictum à Proſpero *reſp. ad octavum capitulum Gallorum*: Sine gratia nemo currit ad gratiam.

Reſponſio.

Reſpondeo, Pertinere hoc ipſum ad beneficium gratiæ Chriſti, quòd quis à lege tamquam pædagogo ducatur ad Chriſtum: non quòd in hominem, priuſquam in Chriſtum mediatorem ſaltem implicitè credat, ſit aliqua gratiæ provocativa diſpoſitio: ſed quia lege Deus utitur, & quidem multipliciter, ſicut ſuprà declaratum eſt, tamquam occaſione qua ad gratiam homines adducuntur, quemadmodum & flagellis, atque afflictionibus quas hominibus immittit, uti ſolet ad eorum converſionem. Unde nec repugnat huic loco quod ſuprà dictum eſt, *propter tranſgreſſiones legem poſitam eſſe*: nam etiam in eo quod auctum eſt accepta lege peccatum, lex pædagogus fuit ad Chriſtum; dum videntes homines ſe per legem ſanari non poſſe, ſed ejus occaſione graviùs vulnerari, ad Chriſtum medicum confugiunt.

25. AT UBI VENIT FIDES, JAM NON SUMUS SUB PÆDAGOGO. Ex inducta comparatione legis cum pædagogo, concludit legis ceſſationem hoc pacto: At poſtquam advenit tempus revelatæ fidei, jam, tamquam magiſtro contraditi, non ampliùs ſub pædagogo ſumus, hoc eſt, ſub lege, quæ pædagogi erga nos gerebat officium. Poſteà quàm ad Chriſtum introducti ſumus per fidem, ceſſat pædagogia legis.

26. OMNES ENIM FILII DEI ESTIS PER FIDEM IN CHRISTO JESU. Tacitam diluit objectionem, qua Galatæ dicere poterant Apoſtolo Paulo: Si lex pædagogus veſter ad Chriſtum fuit; igitur & nos legem recipere debemus, ut ab ea velut pædagogo ducamur ad Chriſtum. Ad id ita *reſpondet* Apoſtolus, ut doceat pædagogum illum Judæis quidem opportunum fuiſſe, per quem ad Chriſtum adducerentur, non tamen omnibus hominibus neceſſarium, cum ſine eo fides haberi poſſit, per quam omnes efficiamur filii Dei. Dicit ergo, Quamvis lex nobis Judæis pædagogus fuerit ad Chriſtum, non ideò tamen etiam vobis illa accerſenda eſt, ut ad Chriſtum ducamini, regenerandi in filios Dei. Omnes enim vos, etiam ſine legis opera, filii Dei eſtis per fidem qua in Chriſtum creditis. Quin potiùs, fides quæ nos Judæos liberat à lege, cui ſubjecti fuimus; eadem non patitur vos Galatas legi ſubjici, ut qui per fidem æquè ut nos, facti ſitis ſecundùm adoptionem filii Dei, & per hoc à ſervitute legis liberi.

Notandum quòd etſi illud, *in Chriſto*, ferè conſtruatur cum *fide*, ad hunc modum, per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu, ut legit Hieronym. aut, quæ eſt in Chriſtum Jeſum, ut Ambroſianus, poteſt tamen ordinari cum anterioribus verbis, *filii Dei eſtis*, præſertim cùm Græcè non ſit in Chriſtum, ſed, *in Chriſto*, id eſt, per Chriſtum, Hebræa phraſi. Ita ſenſus erit, Omnes eſtis filii Dei per Chriſtum Jeſum, idque per fidem, qua in eum creditis. Neminem verò moveat, quòd dicit univerſaliter, *Omnes*; Id enim dicit ex hypotheſi fidei, non cujuſcumque, ſed qualis hîc intelligitur, id eſt, ejus quæ per dilectionem operatur. Sic enim & *infrà cap.* 5. fidem limitat.

27. QUICUMQUE ENIM IN CHRISTO BAPTIZATI ESTIS, CHRISTUM INDUISTIS. *In Chriſto*: Græcè. *In Chriſtum*, tametſi quidam Græci codices eam particulam omninò prætermittunt, tantùm legentes,

Quicumque enim baptizati estis, &c. Quos erasmus in sua versione, nec non in *paraphrasi* secutus est: sed mendosa, ni fallor, ea lectio est; Nam veteres tam Græci quàm Latini legerunt; Hi, *in Christo*: Illi, *in Christum*. Est autem hæc probatio sumpta à sacramento fidei, id est, baptismo, sicut illa præcedens, ab ipsa fide. *Quicumque enim*, inquit, *baptismi sacramento abluti estis, & per illud Christo incorporati, Christum induistis*, id est, exuto vetere homine, velut transformati estis in Christum, novum hominem. Cum igitur tam sitis intimè Christo conjuncti per fidem, ac fidei sacramentum; utique legis obsequio jam opus non habetis; ut adducamini ad Christum.

Quid induere Christum.

Induere Christum, ut ex aliorum locorum collatione patet, est Christo fieri conformem imitatione virtutum, & bonorum operum, quæ in Christo, tamquam capite perfectissimè fuerunt. Unde *Ro.* 13. post enumerationem vitiorum à quibus abstinendum admonet, subjungit: *Sed induamini Dominum Jesum Christum*. Ex quo liquet non omnes omninò baptizatos Christum induisse, sed eos tantùm qui baptismo justificati sunt. Idipsum & præsens locus ostendit. Probat enim Apostolus Galatas esse filios Dei, quia per baptismum Christum induerunt: Quæ ratio non valeret, si induisse Christum etiam malis, id est, non filiis Dei, competeret.

Quod ergo dicit, Omnes in Christo baptizatos Christum induisse, sic intellige, quantum est ex virtute baptismi. Quo sensu, & illud de aquis baptismi scriptum est Ezech. 47. *Vivent omnia ad quæ venerit torrens*. Porrò si Christum induunt quicumque in Christo baptizantur, igitur ad gratiam justificationis conferendam, ac virtutes Christianas inferendas efficax est baptismi sacramentum: & falsum est quod hæretici docent baptismum esse nudum justitiæ per fidem acceptæ signaculum.

Obs. contra Sectarios, baptismum non esse nudum justitiæ per fidem acceptæ signaculum.

28. Non est Judæus, neque Græcus: Id est Gentilis: Species enim pro genere ponitur. Non est servus neque liber: Non est masculus neque foemina. Supplendum est ex subsequenti sententia, *in Christo*. Ne putarent Galatæ saltem plus aliquid eos consequi in Christo, quos lex quasi pædagogus ad Christum adduxisset: id jam removet generali sententia, qua docet, in negotio justitiæ per Christum adipiscendæ, nullam haberi rationem, sitne Judæus quispiam, an Gentilis; servus, an liber, mas, an fœmina: hoc est, nullum generis, conditionis, aut sexus discrimen apud Christum agnosci, ut propter aliquid hujusmodi dicere quis possit, Ad me magis Christus pertinet. Ad hanc indifferentiam significandam, priùs servum quàm liberum nominavit Apostolus: quomodo & inter martyres Vitalem servum, Agricolæ Domino prænominat Ecclesia in oratione qua eorum intercessione petit adjuvari. 4. *Nov.*

Posset hîc quæri, quomodo cum eo quod hîc dicit: *Non est Judæus neque Græcus*, non pugnet quod *Rom.* 5. docet, multum omninò amplius esse Judæo præ Gentili. Sed hanc quæstionem in *illius loci commentario* solutam invenies.

Omnes enim vos, unum estis in Christo Jesu. Græcè, *Unus:* sed sensu eodem, quasi dicat. Estis omnes tamquam unus, id est, prorsus indiscreti, in negocio salutis per Christum: perinde atque si omnes ejusdem generis, conditionis, & sexus essetis. Alii paulò aliter, sed hic sensus optimè respondet tam sententiæ præcedenti, quàm Græcè lectioni.

29. Si autem vos Christi; ergo semen Abrahæ estis. Nec deest vobis (inquit) dignitas Judaicæ Gentis, quæ se jactat esse semen Abrahæ. 2. Corinth. 11. Nam *si vos Christi estis*, id est, Christo incorporati, & membra ejus effecti per fidem & baptismum, ut jam ostensum est: Christus autem est verum illud, ac singulare semen Abrahæ promissum: ergo & vos semen ac filii Abrahæ estis, non solùm fidei imitatione, verùm etiam incorporationis jure: ut quod Christo capiti convenit, toti ejus corpori Ecclesiæ tribuatur. S. Augustinus hanc sententiam paulò aliter legit, usus vitioso codice, quantum apparet.

Secundum promissionem hæredes. Græcè, *Et secundùm promissionem*, quomodo legit etiam Ambrosianus. *Sensus est*: Non ita estis semen Abrahæ, sicut erant Ismael, & reliqui concubinarum filii, qui ab hæreditate fuerunt excluſi: sed sicut Isaac, de quo dictum est, *In Isaac vocabitur tibi semen*. Pertinet enim ad vos æquè ut ad Judæos, hæreditas benedictionis, ex promissione facta Abrahæ, cùm per incorporationem pari jure pertineatis ad semen illi promissum, quod est Christus.

CAPUT IV.

1. Dico autem: Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit dominus omnium: 2. Sed sub tutoribus & actoribus est, usque ad præfinitum tempus à patre: 3. Ita & nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. 4. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege 5. Ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. 6. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater. 7. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius: & hæres per Deum. 8. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt dii, serviebatis. 9. Nunc autem cum cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo: quomodo convertimini iterùm ad infirma & egena elementa, quibus denuò servire vultis? 10. Dies observatis, & menses, & tempora, & annos. 11. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. 12. Estote, sicut ego, quia & ego, sicut vos: fratres obsecro vos: Nihil me læsistis. 13. Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem: & tentationem vestram in carne mea 14. non sprevistis, neque respuistis: sed sicut Angelum Dei accepistis me, sicut Christum Jesum. 15. Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. 16. Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis? 17. Æmulantur vos non benè, sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini. 18. Bonum autem æmulamini in bono semper: & non tantùm cum præsens sum apud vos, 19. Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis. 20. Vellem autem esse
Gen. 16. d. 15. apud vos modò, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis 21. Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non
Gen. 21. a. 2. legistis? 22. Scriptum est enim: Quoniam Abraham duos filios habuit; unum de ancilla, & unum de libera. 23. Sed qui de ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem. 24. Quæ sunt per allegotiam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans: quæ est Agar 25. Sina enim mons est in Ara-
Isa. 54. a. 1. bia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis. 26. Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est:
Rom. 9. b. 8. quæ est mater nostra. 27. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filii desertæ magis quàm ejus quæ habet virum. 28. Nos autem fratres, secundùm Isaac promissionis filii sumus. 29. Sed quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum: ita & nunc. 30. Sed quid
Gen. 21. a. 16. dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. 31. Itaque, fratres non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberavit.

SUMMARIUM.

Comparatione hæredis parvuli qui est sub tutoribus, ostendit Judæos ad tempus fuisse sub servitute donec veniret Christus. Revocat Galatis in memoriam suum pristinum fidei fervorem. Deinde ex allegoria duarum uxorum & duorum filiorum Abrahæ ostendit filios novi testamenti non esse sub servitute.

DICO AUTEM, QUANTO TEMPORE HÆRES PARVULUS EST; NIHIL DIFFERT A SERVO, CUM SIT DOMINUS OMNIUM. Ex occaſione ejus quod poſtremum intulerat *ſecundùm promiſſionem hæredes*, novam aſſumit parabolam non diſſimilem ſuperiori, qua legem dixerat pædagogum Judæorum fuiſſe in Chriſtum. Nunc enim eoſdem Judæos, id eſt, eos qui ſub lege ſunt, puero hæredi comparat, ipſam verò legem, tutoribus & actoribus, quorum curæ ſubjicitur puer donec ad hæreditatem introducatur. *Senſus :* Quod dico, tale eſt; Quamdiu hæres pupillus in minori adhuc ætate conſtitutus eſt, nulla re differt à ſervo, quantum ad vitæ rationem attinet, quia perinde ut ſervus, alieno regitur arbitrio, nec liberum uſum habet bonorum à patre relictorum, quamvis hæreditatis jure, ac voluntate paterna, eorum omnium ſit dominus. Illud, *nihil differt à ſervo*, poteſt etiam verti: Nulla re anteceſſit ſervo; ſicut Heb. 1. *Quantò differentius*, id eſt, *excellentius, præ illis nomen hæreditavit.*

Senſus.

2. SED SUB TUTORIBUS ET ACTORIBUS EST USQUE AD PRÆFINITUM TEMPUS A PATRE. Hoc eſt, Sed ſub curatoribus & diſpenſatoribus, Græcè, *œconomis*, *agit*, quorum arbitrio tum ipſe, tum bona ejus hæreditaria reguntur & adminiſtrantur, donec tempus teſtamento præfinitum à patre, aut alioqui legibus decretum, advenerit, quo jam ipſe ſuarum rerum curam, & adminiſtrationem ſuſcipiat, jamque re ipſa appareat quantum à ſervo differat.

3. ITA ET NOS, CUM ESSEMUS PARVULI, SUB ELEMENTIS MUNDI ERAMUS SERVIENTES. Græcè: *Sub elementa mundi eramus in ſervitutem adacti.* Ambroſianus, eramus ſubjecti. Cùm ait, *Nos*, in perſona Judæorum, qui ſub lege fuerant, loqui ſe ſignificat, in qua & ſuperiùs locutus fuerat, ubi Judæorum ſtatum ſub lege, tamquam pædagogo, exponebat: Nam quæ media ſunt ab illo loco: *Omnes enim filii Dei eſtis*, ad Galatas, qui ſub lege numquam fuerant, in ſecunda perſona dicuntur. Eſt autem hujuſmodi accommodatio parabolæ; Ita & nos Judæi, cum, tamquam adhuc parvuli, ad percipiendam promiſſæ benedictionis hæreditatem, quæ nobis ex prædeſtinatione Dei competebat, nondum eſſemus idonei, ſub elementis mundi, id eſt, ſub corporalibus ſignis, & carnalibus ceremoniis legis Moſaicæ, eramus velut quadam ſervitute preſſi.

Parvulos ſive pueros vocat Judæos, quia tam intellectu quàm affectu ſimiles erant pueris, nam de Deo & rebus divinis, ac nominatim de juſtitia hominis apud Deum, carnaliter ſapiebant: rebus quoque ſenſibilibus, quibus pueri delectantur, addicti erant.

Eoſdem ſervos ſub lege fuiſſe dicit, *tum* propter onus legis ceremonialis eis impoſitum, *quod*, inquit, Petrus Actorum 15. *neque patres noſtri, neque nos portare potuimus*: *tum* quia ſignis ita adhærebant, ut ea pro rebus amplecterentur, ſignificationem eorum non intelligentes: imò ne hoc quidem ſcientes ea ſigna eſſe. Sic autem ſignis adhærere, ſervorum eſt, teſte Auguſtino. *Tum* denique propter timorem ſervilem, quo continebantur aliquatenus in officio. *Acceperant enim ſpiritum ſervitutis in timore*: *nondum autem ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamarent Abba, Pater*, ut de eis dici poſſet, *Si filii & hæredes*, Rom. 8.

Porrò quæ vocet Apoſtolus elementa mundi, variant ſententiæ. Quidam phyſica quatuor elementa, ex quibus mixta corpora gignuntur intelligi putant: *Alii*, ſolem & lunam accipiunt, quod hæc duo luminaria motibus ſuis eas res nobis efficiant, quas paulò inferiùs à Galatis obſervatas Apoſtolus reprehendit, id eſt, dies & menſes, tempora & annos, ut μετωνυμικῶς ex cauſa effectus intelligatur. Quod etſi probabilitatem nonnullam habeat; rectiùs tamen illi, qui ex aliis locis ejuſdem Apoſtoli colligunt, quid elementorum nomine ſignificetur. Et loca ſunt *Coloſ.* 2. ubi ſemel & iterùm ab elementis mundi Coloſſenſes revocat, & *Hebr.* 5. ubi rudimenta Chriſtianæ fidei vocat elementa exordii ſermonum Dei.

Quæ Apoſtolo elementa mundi.

Unde ſatis apparet, Apoſtolo elementa dici in genere rudimenta, ſive initia doctrinæ alicujus, præſertim ad religionem pertinentis, ſeu veram ſeu falſam. Nam de vera religione ſermo eſt *ad Hebr.* de falſa, *ad Col.* Tametſi nomen elementi metaphoricè huc eſſe tranſlatum à primis illis corporibus quæ uſitatiſſimè elementa vocantur, haud negaverim. Sed notandum quòd tam *hoc loco*, quàm *ad Coloſſ.* non nudè nominavit elementa, ſicut *ad Heb.* ſed elementa mundi. Siquidem elementa mundi videntur intelligi rudimenta mundana, id eſt, craſſa, corporea, ſenſibilia. Nam mundus pro rerum univerſo, qua parte corporeum & ſenſibile eſt, ſæpenumerò ponitur in ſcripturis. At hujuſmodi elementa non ſunt illa, de quibus *ad Hebr.* utpote pertinentia ad Chriſtianam religionem, ſed ea de quibus *ad Coloſſ.* & hoc loco.

Quapropter elementa mundi, ſecundùm materiam præſentem, interpretati ſumus corporalia ſigna, & carnales ceremonias Moſaicæ legis. Quod confirmari poteſt ex *verſ.* 5. *hujus cap.* ubi dicitur, *eos qui ſub lege erant.* Vide etiam ad *Hebr. cap.* 9. verſum 9. & 10. Videri autem poteſt, Apoſtolum alludere ad pueros elementarios, qui ſerviliter compelluntur addiſcere elementa, literas ſcilicet ac rudimenta literaturæ, neſcientes quid ex iis ſit proventurum utilitatis.

4. AT UBI VENIT PLENITUDO TEMPORIS, MISIT DEUS FILIUM SUUM. Græcè, *emiſit*. Pergit in applicatione ſimilitudinis aſſumptæ. Nam ſicut puer hæres expleto tempore quod erat à Patre præfinitum, liberatur ab illa ſervitutis ſpecie, qua tutoribus & actoribus ſubjectus erat, & ad liberum uſum atque adminiſtrationem hæreditatis admittitur, ita & nos, inquit, *ubi venit plenitudo temporis*, id eſt, ubi tempus impletum eſt quod erat à Deo Patre præordinatum, liberamur à ſervitute legis, & hæreditatem filiis promiſſam accipimus. Ad hoc enim emiſit Deus in terram filium ſuum unigenitum, ſibi conſubſtantialem.

FACTUM EX MULIERE. De Eva legimus quòd facta ſit ex viro, quia nimirum de ejus ſubſtantia facta atque formata fuit. Ita filius Dei factus ex muliere, quia de mulieris ſubſtantia carnem accepit. Et ſicut Eva ex viro ſolo; ita Chriſtus ex muliere ſola: Non tamen Adam pater Evæ, ſicut Maria mater Chriſti, quia non per viam generationis, ac nativitatis Eva facta ex viro, ſicut Chriſtus ex muliere. Et tamen *factum ex muliere* dicere maluit Apoſtolus, quàm natum (quomodo nonnulli legendum putarunt, referente Beda ſuper Evangelio Lucæ 11. ad illud: *Beatus venter qui portavit*) ut ſignificaret non communi more naſcentium, ſed operatione Spiritus ſancti, abſque virili ſemine, conceptum atque formatum fuiſſe.

Mulieris nomen non obſcurat decus virgineum.

Porrò mulieris nomine, ſecundùm morem Hebraicè linguæ, non virgineum decus negatur, ſed fœmineus ſexus oſtenditur, ait Auguſtinus *ſerm.* 16. *de tempore*. Ex hoc loco facile eſt refellere tam veteres hæreticos, qui Chriſtum non ex ſubſtantia Mariæ virginis, ſed aliundè carnem aſſumpſiſſe dixerunt; quàm impium Neſtorium, qui eamdem virginem, non Dei, aut filii Dei matrem, ſed hominis tantùm, aut Chriſti, voluit appellari.

FACTUM SUB LEGE. Græcè, *ſub legem*, id eſt, legi ſubjectum. Sed *quæritur* utrùm *ſub lege factus*, quia legem obſervavit, an quia revera legi obnoxius,

ſicut habet Eraſmiana verſio, hoc eſt, ad legem obſervandam obligatus. *Reſpondetur*, filium Dei ſub lege factum eſſe, non obligatione, ſed obſervatione: Voluit enim circumcidi, & cætera omnia quæ legis ſunt ſubire, ut & humilitatis exemplum nobis præberet, & populo, in quo naſci dignatus eſt, quoad divina inſtituta conformem ſe redderet, legemque paternam honoraret: Denique *ut* legalis ſervitutis ſimilitudinem in carne ſua gerens, *eos qui ſub lege erant*, uti mox dicitur, *redimeret*; quamvis alioqui nullo præcepto ad eam obſervandam obligatos. Quod ipſe in Evangelio ſignificavit, quando dixit Dominum eſſe filium hominis, etiam ſabbathi, *Matth.* 12. Sic Ambroſius *libro primo de fide cap.* 6. Factum ſub lege interpretatur per obſervantiam legis.

At dices, Chriſtum accepiſſe mandatum à patre non tantùm ut naſceretur, pateretur, moreretur, ſed etiam ut circumcideretur, & alia quæ legis ſunt obſervaret. *Reſpondeo*, Dei patris ad filium non eſſe propriè mandatum, ſeu præceptum; hoc enim in Deum, cui ſemper ſumma libertas eſt agendi vel non agendi quidlibet, cadere non poteſt: ſed eſt patris ad filium decretum æternum, idque Patri cum Filio & Spiritu ſancto commune. Quod tamen interdum præceptum vocatur patris ad filium, qui & obediens patri factus dicitur uſque ad mortem, Philipp. 2. quia illius decreti in patre eſt authoritas; Eſt enim pater principium filii. In filio autem, ut homine, ejuſdem decreti facta eſt executio.

Quòd ſi contendas, filio ut homini propriè datum à patre præceptum; Fatebimur Chriſtum hominem, ut ſanctæ Trinitatis ſervus fuit, ita etiam à ſeipſo tamquam Deo, & à Spiritu ſancto, idem præceptum ei datum eſſe, & proinde fuiſſe obedientem non patri tantùm, verùm & Spiritui ſancto & ſibi ipſi. Nec ideò tamen lege fuit ligatus Moſaica, ſed peculiari patris præcepto. Factus igitur eſt ſub lege filius Dei, voluntaria ſubjectione, quomodo & parentibus ſuis ſubditus fuiſſe legitur Lucæ 2. Facit autem hic locus adverſus eos, qui Chriſtum dicunt aliquando revera legem ſolviſſe, violando ſabbathum, aut ſimilia contra legem opera faciendo. Quorum opinionem latiùs ex ſcripturis refutare, non eſt hujus loci.

5. UT EOS QUI SUB LEGE ERANT REDIMERET. Id eſt, dato pretio eximeret à ſervitute legis, ſuoſque faceret. Id enim ſignificat Græca vox ἐξαγοράζειν, qua peculiariter hoc loco Paulus utitur, id eſt, mercari rem quæ alterius erat; pretii commutatione ſuam facere, ſibique vendicare. *Lucrifacere* legit Ambroſius ſuper Luc. 2. licet hoc verbum non adeò quadret. Cæterùm in Græco non mutatur perſona: nam verti poteſt, *ut ſub lege exiſtentes*, id eſt, nos Judæos qui ſub lege eramus, *redimeret*: quoniam & ſequens membrum primam habet perſonam. Notanda congruentia; Chriſtum factum ſub lege ut eos qui ſub lege erant, redimeret, licet aliter Chriſtus ſub lege, aliter illi, quemadmodum patet ex ſuprà dictis.

UT ADOPTIONEM FILIORUM RECIPEREMUS. Nos Judæi. Hucuſque enim ex perſona Judæorum loquitur. Eſt autem hæc pars referenda ad illud. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere.* Nam *ſenſus eſt.* Senſus. Idcircò filium Dei factum eſſe filium hominis, id eſt, noſtræ naturæ participem ex fœmina, ut nos homines efficeremur per adoptionem filii Dei, utque hæreditatem, adoptionis jure debitam, conſequeremur. Hunc Apoſtoli locum malè intellexerunt, qui ex eo probare conati ſunt, juſtos veteris teſtamenti non fuiſſe participes adoptionis Chriſti, nec potuiſſe vocari filios Dei per adoptionem; contra illud Hebr. 2. *Qui multos filios in gloriam adduxerat.* Nam ſimili argumento negabunt eos juſtos fuiſſe, & legem impleviſſe, cùm ſcriptum ſit Deum miſiſſe filium ſuum, *ut juſtificatio legis impleretur in nobis*, Rom. 8. *Reſpondetur* ergo, virtutem paſſionis Chriſti, qui in plenitudine temporis miſſus eſt, pertinuiſſe etiam ad tempora præcedentia; licet amplior & copioſior ab ea fructus poſt paſſionem illius & reſurrectionem, evangelio per orbem prædicato, manaverit.

6. QUONIAM AUTEM ESTIS FILII, MISIT DEUS SPIRITUM FILII SUI IN CORDA VESTRA, CLAMANTEM; ABBA PATER. Græcè, *emiſit.* Quomodo ſuperiùs, poſteaquam oſtendiſſet legem fuiſſe pædagogum Judæorum in Chriſto, ad Galatas reflectit ſermonem dicens; *Omnes enim Dei filii eſtis*, &c. ita & hîc, eâdemque ratione, poſt applicatam Judæis parabolam de parvulo hærede, mutatâ perſonâ primâ in ſecundam, Galatas Gentiles alloquitur, occupans quod ab illis dici poterat: Si Judæis eo gradu contigit filiorum adoptio, ut priùs ſub lege eſſent tamquam ſub tutore; &, ſi Chriſtus ſub lege factus eſt, ut eos qui ſub lege erant redimeret: debemus nos priùs eſſe ſub lege, ut per Chriſtum redimamur, & filiorum adoptionem accipiamus. Ad hoc *reſpondet*; Vos Galatæ jam non indigetis legis tutela, quandoquidem eſtis filii, non ſicut hæres parvulus nihil differens à ſervo, ſed in ſtatu libertatis filiorum conſtituti. Quòd autem tales filii ſitis, inde liquet, quia miſit Deus in corda veſtra ſpiritum filii ſui, *clamantem*, id eſt, *in quo clamatis*, *Abba Pater.* Sic enim hic locus per alterum ſimilem *Roman.* 8. exponendus eſt.

Probat Galatas jam eſſe filios Dei, teſtimonio Spiritus ſancti, quòd nimirum impulſi à ſpiritu filii Dei, magno cordis affectu in orationibus ſuis Deum patrem appellarent, dicentes, *Abba*, *Pater*, vocabulo ex duabus linguis geminato. Veriſimile eſt enim Gentiles Chriſtianos utrumque vocabulum orando conjungere ſolitos. Quod autem Græci quidam codices aſtipulante etiam Ambroſiano, legunt *in corda noſtra*, quaſi Judæos unà cum Gentilibus hîc comprehendere voluerit Apoſtolus, non probamus; nam & illud præcedens: *Quoniam eſtis filii*, & ea quæ deinceps ſequuntur, ſecundam perſonam exigunt, & omnia Latina manuſcripta in hanc eamdem conſpirant lectionem.

Nonnulli ſic exponunt. Quoniam divina prædeſtinatione eratis filii, ideò nunc in plenitudine temporis dedit Deus in cordibus veſtris ſpiritum, per quem, ut filii, ipſum invocaretis, dicentes, Abba, Pater: Sed nunc commentarium planè refugit præſentis temporis verbum, *eſtis.*

Porrò cùm dicit, *ſpiritum filii ſui*, ſignificat Spiritum ſanctum non à Petro ſolo, ſed etiam à Filio procedere. Non enim ſpiritus filii dici poteſt niſi ſpirantis, & ut Theologi loquuntur, Principiantis; Appoſitè verò filii mentionem adjunxit, ut filiorum adoptionem in naturalem Dei filium referret. *Denique* in his Apoſtoli verbis obſerva ſanctæ Trinitatis, id eſt, trium in Deo perſonarum expreſſam ſignificationem: ſimul & proceſſionis earum, id eſt, filii ex patre, & ſpiritus ſancti ex utroque, non obſcuram inſinuationem.

7. ITAQUE JAM NON EST SERVUS, SED FILIUS. *Eſt*, Græcè & Syriacè, *es*, in ſecunda perſona, conſentientibus etiam Latinis quibuſdam, eaque lectio probabilior. Adhuc enim Galatas alloquitur, ſed numero, propter emphaſim, mutato in ſingularem. Tu igitur, inquit, quiſquis es qui per ſpiritum filii Dei clamas ad Deum, Abba, Pater; non ampliùs jam ſervus es, ab hæreditate alienus, ſed, vel ipſius Spiritus ſancti teſtimonio, filius.

QUOD SI FILIUS; ET HÆRES PER DEUM. Græcè & Syriacè *hæres Dei per Chriſtum.* Similiter Hieronymus, niſi quod genitivum, *Dei*, non apponat.

Sequela autem manifeſta eſt : Quòd ſi filius es, quamvis adoptivus, igitur & hæres illius cujus es filius, ſcilicet Dei, per meritum Chriſti filii ejus naturalis. Dubium enim non eſt, ait Ambroſianus, quin ideo quis adoptet ſibi filium, ut hæredem illum relinquat. Hæc autem hæreditas non poſt mortem patris expectatur, ſed vivente patre accipitur, & ſimul cum eo, bonorum ejus participatione, poſſidetur, partim quidem in præſenti vita, ſecundùm varia Spiritus ſancti dona, quæ ſunt inſtar arrhabonis ; pleniſſimè verò, in vita futura.

8. SED TUNC QUIDEM IGNORANTES DEUM, IIS, QUI NATURA NON SUNT DII, SERVIEBATIS. Dixerat Paulus, *Jam non es ſervus* ; per quod inſinuabat Galatas aliquando ſervos fuiſſe. At quomodo ſervos, dicere poterant illi, ſi numquam ſub lege fuimus ſervientes, ſicut Judæi, & nunc ab illa ſervitute nos prohibes ? *Reſpondet* Apoſtolus omninò eos ſervos fuiſſe, ſed alio quodam genere ſervitutis, eoque longè deteriori. *Sed tunc quidem*, inquit, id eſt, priuſquam eſſetis filii ; non, ut Judæi Deum ſerviliter colebatis, ſed *Deum verum ignorantes, ſerviebatis iis qui naturaliter Dii non ſunt*, & in quibus non eſt veritas divinæ naturæ, ſed hominum opinione, atque inſtitutione, pro diis habentur.

9. NUNC AUTEM, CUM COGNOVERITIS DEUM, IMO COGNITI SITIS A DEO : Græcè, *magis autem cogniti* ; quemadmodum & Hieronym. legit : ſed ſenſum optimè reddidit interpres noſter. Nam, *magis*, hoc loco non tam comparantis eſt, quàm corrigentis. Qua correctione, prævenientem Dei gratiam commendare voluit Apoſtolus ; quaſi dicat. *Nunc autem, poſteaquam* ab illa ignorantia converſi, *Deum cognoviſtis, imò verò cogniti, atque dilecti eſtis à Deo*, id eſt, per ejus dilectionem attracti ad eum cognoſcendum. Juxta illud 1. Joan. 4. *Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe dilexit nos.* Igitur cognitio, ſive dilectio, cum effectu intelligitur, cùm ipſa alioqui ſit ab æterno. Unde benè Theophylactus ſic exponit, *Cogniti*, id eſt, aſſumpti. Vide Commentarium noſtrum *ad* 1. *Cor.* 8. *verſ.* 3.

QUOMODO CONVERTIMINI ITERUM AD INFIRMA ET EGENA ELEMENTA, QUIBUS DENUO SERVIRE VULTIS ? Græcè, pro, *denuò*, duæ dictiones ſunt, *Iterùm ab initio*, ſeu, *de integro.* Cùm, inquit, Deus jam vos dignatus ſit ſui cognitione, qua à ſervitute falſorum Deorum vos avocavit, inſuper & filios ſuos fecerit, ſicut ſuprà dictum eſt ; quomodo vultis iterùm in ſervitutem relabi ? *Quomodo iterùm vos convertitis ad infirma, & egena elementa*, ut de novo, quaſi nullam anteà ſervitutem paſſi, ſub illis ſervire velitis ? Volebant enim Galatæ denuò ſervire elementis mundi, & ad ea iterùm convertebantur, non eadem numero vel ſpecie, ſed genere. Qui enim ſervierant idolis, ſervire volebant ſub ſignis, ac ceremoniis Judaicæ legis. Hæc enim per ea quæ dicit *elementa* ſignificari, patet ex verbis proximè ſequentibus, *dies obſervatis*, &c.

Vocat autem illa Apoſtolus infirma & egena elementa non tantùm quia poſt Chriſti paſſionem viribus deſtituta ſunt, quomodo quidam hunc locum exponunt ; ſed quia omnia illa veteris legis inſtituta, ſive ſacramenta, ſive ſacrificia, ſive quocumque alio nomine cenſeantur, quatenus ad illam legem pertinebant, nihil conferebant ad juſtitiam & ſalutem vitæ æternæ. Unde ait Hebr. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem : nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Et cap. 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, numquam poteſt accedentes perfectos facere.* Et iterùm : *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Nec mirum, quia *ſi per legem juſtitia*, ſicut dictum eſt ſuperiùs, *gratis Chriſtus mortuus eſt.* Si qui tamen, veteri lege durante, ſacramentis ejus & ſacrificiis utebantur ex fide Mediatoris ; gratiam per ea conſequebantur, non ut erant veteris legis inſtituta carnali populo tradita, ſed quatenus eis accidebat, ut cum ejuſmodi fidei devotione (quæ ad novam legem pertinet) exercerentur.

Dici etiam poteſt, quod erant infirma & egena elementa Judæis carnalibus, qui ex illis expectabant juſtitiam, non ſpiritualibus, qui illis benè utebantur. Erant infirma & egena iis qui illis plus tribuebant quàm ipſis competebat : ſimpliciter autem non erant hujuſmodi ; quia valebant ad id ad quod erant inſtituta. Verùm ea de re peculiaris eſt tractatio *in* 4. *ſent. diſt.* 1.

Cæterùm ex hoc loco apparet etiam idola, & idololatrici cultus ceremonias, *elementorum mundi* nomine comprehendi : dicens enim Apoſtolus, *iterùm convertimini ad elementa*, ſignificare videtur & illa priora, quibus ſervierant Galatæ, elementa fuiſſe, quamvis Judaicis elementis diſſimilia. Hæc enim infirma dumtaxat & egena ; illa verò etiam pernicioſa ; & hæc, aliquando licita ; illa, perpetuò mala.

Forſitan autem cuipiam videatur hic eſſe ſenſus ; Quibus elementis vos Gentiles ſervire vultis, ſicut Judæi hactenus ſervierunt ut iteratio intelligatur in facto ſimili, non in perſonis iiſdem. Sicut enim Judæi ſub jugo legalium ſervierant, ita Galatæ malè ab illis perſuaſi, ſub eodem jugo ſervire volebant.

Fortè etiam quiſpiam referat hanc iterationem ad Judæos fideles qui erant inter Galatas. Nam & in Galaticam regionem diſperſos fuiſſe Judæos, conſtat ex 1. ep. Petri cap. 1. *Electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ* &c. Verùm ex textu manifeſtum eſt Paulum eos compellare qui dudum idolis ſervierant, iis, inquam, *qui natura non ſunt dii* : eoſdemque reprehendere, quòd iterùm converterentur ad infirma & egena elementa. Quocirca retinenda eſt expoſitio, quam primò dedimus, ut menti & contextui Apoſtolico magis appoſita.

10. DIES OBSERVATIS, ET MENSES, ET TEMPORA, ET ANNOS. Partibus explicat quod in genere dixerat, eos iterùm converti ad infirma & egena elementa. Locum hunc Ambroſianus accipit de ſuperſtitioſis obſervationibus dierum ac temporum, dum ea fauſta vel infauſta putantur. Quem errorem à gentilitate ad Chriſtianos permanaſſe, ſæpè queritur Auguſtinus ; Qui etiam eodem ſenſu verba hæc accepit *Enchirid. cap.* 79. Sed & in commentario ſenſum hunc adfert priore loco. Verùm mox alterum præfert, quo de Judaicis obſervationibus exponitur, utpote ſcopo totius epiſtolæ congruentem. Quæ eadem expoſitio eſt Hieronymi, Chryſoſtomi, Theophylacti & aliorum.

Dies ergo quos obſervabant Galatæ à Pſeudapoſtolis edocti, erant, verbi gratiâ, ſabbathum, neomenia, ſcenopegia, cæteræque ſolemnitates Judaicæ. *Menſes*, ut primus & ſeptimus feſtorum causâ celebriores. *Tempora*, quale eſt, ait Hieron. ter per annos ſingulos Hieroſolymam venire. *Anni* denique ut ſeptimus annus remiſſionis, & quinquageſimus Jubilæi.

Obſ. contra Sectarios, malè ex hoc loco calumniantes obſervationem dierum feſtorum, jejuniorum, &c.

Ex his porrò liquet quàm pravè detorqueant hanc Apoſtoli ſententiam hæretici ad reprehenſionem ejus conſuetudinis, qua certos quoſdam dies feſtos annua celebritate recurrentes, & certa jejuniorum tempora, ex Eccleſiæ præcepto fideles obſervant. Hæc enim Eccleſiaſtica dierum ac temporum obſervatio, neque ad ſuperſtitionem Gentilium pertinet, neque ad legem à Chriſto abrogatam, ſed ex Apoſtolica traditione deſcendit.

Cur dies feſti inſtituti.

Et quidem quod ad natalitia martyrum, aliorumque ſanctorum cum Chriſto regnantium attinet, inſtituta ſunt ea propter tres potiſſimum cauſas, quas

Augustinus *lib.* 20. *contra faustum Man. cap.* 21. breviter complexus est his verbis: *Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur.* Quòd si omnis dierum observatio damnanda esset; neque ad iter agendum, neque ad serendum & metendum, & ad alia hujusmodi, commodos & opportunos dies expectare liceret. Abolendus quoque esset dies Dominicus, cujus observationem Apostolicam esse constat ex scriptura: Quod tamen nec adversarii dicere & facere audent, apud quos usque nunc ille dies est in observatione. Sed quid multa? cùm Hieronymus jam olim isti hæreticorum calumniæ prudenter obviaverit, *in hujus loci commentario.*

11. TIMEO VOS, NE FORTE SINE CAUSA LABORAVERIM IN VOBIS. Græcè, *Ne quomodo frustra laboraverim in vos*, sive, *erga vos.* Tametsi rectè noster interpres vertit, *ne forte*; nam Hieronymus & Græci particulam hanc urgent, tamquam sit dubitantis, & spem correctionis adhuc relinquentis. *Timeo vos*, dictum pro eo quòd Latinè diceretur, Timeo vobis, aut de vobis. Non enim Galatas timebat Apostolus, sed declarat suam pro eis solicitudinem, metuens ne inanem sumpserit operam ac laborem in eorum conversione: Frustraneus enim redditur erga eos labor prodicationis, qui in fide suscepta non perseverant, sed ad vomitum redeunt. *Melius est enim non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti.* 2. *Petri* 2.

12. ESTOTE SICUT EGO, QUIA ET EGO SICUT VOS. Dupliciter hoc exponi potest: uno modo, Judaicas observationes meo exemplo abjicite, neque legem servitutis patiamini vobis imponi; nam & ego me vestræ infirmitati accommodavi, ut vos Christo lucrifacerem. *Aliter*: Estote in eadem mecum sententia, & veritate doctrinæ, nam & ego alquando in eodem errore versatus sum, in quo vos modò versamini, quem moneo ut exemplo meo deseratis. Hic sensus Græcorum est interpretum; sed prior magis est germanus. Congruit enim cum eo quod alibi dicit: *Factus sum infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* 1. Cor. 9.

FRATRES OBSECRO VOS. Referendum hoc esse ad superiora Hieronymus admonet; nam cum sequentibus minùs aptè cohæret. Fratres, inquit, rogo vos & obsecro, ut quemadmodum dixi, faciatis. Videmus Apostolum tentare omnem viam revocandi Galatas ab errore. Hactenus enim argumentis & rationibus eos pressit, interdum increpationes admiscuit; Nunc precatur & obsecrat. Sic enim episcopo & doctori faciendum esse præcepit, 2. Tim. 4. *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.*

Nota, studium & zelum Apostoli in quærenda salute proximorum.

NIHIL ME LÆSISTIS. Planiùs ex Græco, Nullâ me injuriâ affeciſtis. Quòd, inquit, in superioribus vos duriùs increpavi; non feci contumeliosè tamquam injuriâ lacessitus, ut iracundi solent, sed amore, & studio vestræ salutis. Nam quod ad vos & factum vestrum attinet, nulla in re læsus sum à vobis, quin potiùs beneficiis apud vos affectus sum. Cùm non sine injuria tanti Apostoli, doctrinam ejus Galatæ tam citò deseruissent; negat tamen se læsum ab illis, vel quia defuit animus lædendi; vel quia magis in Christum erat hæc injuria, quàm in Paulum, vel certè, quia de tempore quo apud Galatas fuerat conversatus, loquitur. Quem sensum probabilem faciunt ea quæ sequuntur.

13. SCITIS AUTEM QUIA PER INFIRMITATEM CARNIS EVANGELIZAVI VOBIS JAM PRIDEM. *Infirmitatem carnis* nonnulli morbum corporis interpretantur, ut sensus sit: Cùm apud vos agerem & evangelium vobis prædicarem; vidiſtis me hominem corpore infirmum, & morbo afflictatum. Addunt, referente Hieronymo, Paulum sæpè graviſſimo capitis dolore vexatum, & hunc fuisse angelum Satanæ datum ei, ut ipsum colaphizaret, & de hac infirmitate nunc Apostolum loqui. Verùm magis placet posterior ejusdem Hieronymi, quæ & aliorum ferè omnium est expositio, qua *per carnis infirmitatem* generaliter intelligunt adversitates & afflictiones homini exteriùs illatas, ut contumelias, verbera, persecutiones, carceres, & hujusmodi malorum pericula, quæ infirmitatum nomine ab Apostolo significari *in* 2. *Corinth.* 11. & 12. satis ostendimus. Potest etiam, & quidem probabiliùs, ni fallor, intelligi illa infirmitas, de qua dicit cap. 10. ejusdem epistolæ. *Præsentia corporis infirma, & sermo contemptibilis.* Quo loco non persecutiones aut pericula, sed humilitatem corporalis suæ præsentiæ voluit significare, quemadmodum & 1. Corinth. 2. dicens: *Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.* Juxta hunc sensum accipi poterit hæc pars, ut probatio ejus quod dixit, *Ego sicut vos*; quasi diceret, ut me vobis accommodarem, magna cum humilitate, velut homo abjectus, evangelium vobis prædicavi, *jampridim:* pro quo Græcè τὸ πρότερον, priùs, id est, dudum, ac superiori tempore.

14. ET TENTATIONEM VESTRAM IN CARNE MEA NON SPREVISTIS, NEQUE RESPUISTIS. Græcè, *Et tentationem meam quæ in carne mea*, &c. Latina quoque nonnulla, *meam* habent. At verò nostræ lectioni favent pleraque omnia manuscripta; nec non omnes Latini commentatores, qui *vestram* legunt & exponunt. Dixit autem interpres *tentationem vestram*, pro *tentationi vestri*, id est, ea qua vos ex infirmitate mea tentabamini, aut certè tentari poteratis. Quod igitur Apostolus hac & præcedenti parte dicit, tale est; Non solùm me non læsistis, verùm etiam benevolentiam mihi magnam ostendistis. Cùm enim vobis dudum inter medias, ut scitis, persecutiones & pericula, vel, in corpore infirmo & contemptibili, præsens Evangelium prædicarem; non tamen estis passi offendiculum in illa carnis meæ infirmitate, neque eam adversati estis, nec per eam ad mei contemptum, aut ad respuendum Evangelium adducti, *sed sicut Angelum Dei,* &c. Magna laus est, virtutem in vase fragili non contemnere: Unde & Christus ait Matth. 11. *Beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, id est, quem non offenderit humilitas carnis meæ, quo minùs agnoscat, & credat, quis & quantus ego sim. Sensus.

Porrò Græca lectio potest hunc habere sensum, *Et tentationem meam, quæ erat in carne mea*, id est, persecutiones & verbera quæ in corpore meo passus sum, non estis aspernati, non illa vos offenderunt, ut propter illa minoris me faceretis. Et Hæc Græcorum expositio est. Constat autem tentationem in scripturis interdum significare afflictionem, ut Jac. 1. *Omne gaudium existimate, cùm in varias tentationes incideritis.* Et Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.*

SED SICUT ANGELUM DEI EXCEPISTIS ME SICUT CHRISTUM JESUM. Id est, nihil offensi illa carnis meæ infirmitate, tanti me feciſtis, & tanto cum honore me suscepiſtis, ut sicut angelum cælitus à Deo missum, in quo carnis infirmitas locum non habet, susciperetis: quodque amplius est, suscepiſtis me, sicut Christum Jesum, quia consideraſtis in me, non humilitatem meæ personæ, sed dignitatem ejus, cujus sum minister & Apostolus. Benè dicit, *sicut Angelus Dei*, quia Paulus verè angelus, id est, nuncius Dei erat.

15. UBI EST ERGO BEATITUDO VESTRA? Græcè, *Quæ igitur beatificatio vestra?* Sed annotat Oecumenius, τίς, id est, quæ, pro ubi positum esse.

Illud

Illud verò, *beatitudo*, ſeu *beatificatio veſtra*, poteſt vel activè vel paſſivè intelligi : Activè quidem, ut *ſenſus ſit*. Ubi nunc plauſus illi, & verba quibus me beatum appellabatis? Quaſi dicat. Nunc videmini longè aliter de me ſentire ; quandoquidem ab evangelio, quod vobis prædicavi, receſſiſtis. Paſſivè hoc modo, Tanta cum benevolentia & honore me vobis evangelizantem excepiſtis, ut ego vos præ multis aliis beatos prædicarem ; At nunc cogor vos ſtultos & inſenſatos vocare. Hunc ſenſum Hieron. & Græci tradunt ; tametſi prior, quem Theophylact. etiam attingit, aptiùs convenit cum iis quæ proximè præcedunt, & ſequuntur. Senſus.

TESTIMONIUM ENIM PERHIBEO VOBIS, QUIA SI FIERI POSSET, OCULOS VESTROS ERUISSETIS ET DEDISSETIS MIHI. Hyperbole eſt, qua Galatarum ingentem erga ſe affectum ſignificat. Eam Græci uſitatiori ſchemate ſic explicant, Habebatis me chariorem oculis veſtris, id eſt, Eram vobis chariſſimus. Temperat autem ſermonis exceſſum Apoſtolus, dum addit, *ſi fieri poſſet*, id eſt, ſi natura permitteret.

16. ERGO INIMICUS VOBIS FACTUM SUM VERUM DICENS VOBIS? Pro *vobis* priori loco, Græcè, *Veſter*. Senſus ; Ergóne propterea me pro inimico habere cœpiſtis, quòd veritatem vobis dixerim? Hinc apparet Galatas à Pſeudapoſtolis, qui Paulum oderant, malè perſuaſos, priorem illum affectum erga ſuum Apoſtolum remiſiſſe ; atque adeò cœpiſſe nonnihil in contrarium flecti ; quod hîc vocat inimicitiam.

Quæres, an Apoſtolus non ab initio veritatem dixerit Galatis, ut nunc quæratur ſe ex amico factum illis inimicum, poſtquam veritatem dicere cœpit. *Reſpondeo*, non omnia Chriſtianæ religionis ſtatim principio fuiſſe tradenda, ſed quædam in tempus opportunum differenda fuiſſe ; quale illud de legis & ceremoniarum abrogatione. Nam hujus rei mentione, in primis fidei rudimentis, apud Galatas, ac cæteros Gentiles opus non erat ; eò quòd legem non accepiſſent. Sed poſteaquam etiam uſque ad Galatas penetrarant Judæi, qui dicerent, *niſi circumcidamini, non poteſtis ſalvari*. Actor. 15. neceſſè fuit Apoſtolo de ea re veram & apertam doctrinam proferre.

17. ÆMULANTUR VOS, NON BENE, SED EXCLUDERE VOS VOLUNT, UT ILLOS ÆMULEMINI. De Pſeudapoſtolis ſuppreſſo nomine loquitur ; & *ſenſus eſt* : Illi per quos inimicus vobis factus ſum, vos ambiunt, tamquam veſtræ ſalutis admodum cupidi ; cæterùm, id faciunt *non benè*, vel quia zelus eorum non eſt ſecundùm ſcientiam, vel quia zelum ac ſtudium veſtri magis ſimulant quàm habent, ut qui revera vos excludere velint ab libertate evangelica, & ſervituti legis ſubjicere ; quò ſic vos habeant diſcipulos & imitatores, ſibi tamquam magiſtris addictos, & ſuæ gloriæ ſtudioſos. Non aliud enim illi quàm gloriam quærunt ab hominibus. Congruit huic loco teſtimonium Salvatoris de ſtudio Judæorum proſelytos ex Gentilibus facere quærentium : *Væ vobis*, inquit, *Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam ut faciatis unum proſelytum, & cùm fuerit factus, faciatis eum filium gehennæ, duplo quàm vos*, Matth. 23. Senſus.

Monet eraſmus in quibuſdam Græcis exemplaribus haberi, *includere* : Eſt autem apud Græcos quam minima differentia inter ἐκκλεῖσαι, *excludere*, & ἐγκλεῖσαι, *includere*. Hoc modo ſi legamus, *ſenſus erit* ; Sed concludere vos volunt & captivos habere, ferarum more, quæ caveis includuntur, id eſt, in ſervitutem redigere vos conantur, & ſuos facere, voſque pro libito velut ſibi obnoxios tractare. Sic enim Pſeudapoſtolos cum Corinthiis egiſſe, teſtantur illa Apoſtoli ad eos verba : *Suſtinetis enim, ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quàm in faciem vos cædit*. 2. Cor. 11.

18. BONUM AUTEM ÆMULAMINI IN BONO SEMPER, ET NON TANTUM CUM PRÆSENS SUM APUD VOS. Græcè, *Bonum autem* (ſupple, eſt) *æmulari in bono ſemper*, &c. Quomodo & Auguſtinus legit. Vindicat hanc lectionem articulus τὸ, qui verbo præpoſitus non ſinit aliter legi quàm *æmulari* modo infinitivo, quamvis alioqui ζηλοῦσθαι & ζηλοῦσθε facilè potuerint commutari. Noſtra lectio, quæ etiam apud Hieronymum eſt, poteſt hunc habere ſenſum : Ego verò vos moneo, non ut illos æmulemini, ſed ut bonum quemque, in re bona & honeſta, æmulemini, hoc eſt, imitandum vobis proponatis, etiam cùm abſens ſum à vobis. Quaſi tacitè dicat : Me, qui bonam vobis doctrinam tradidi, non ſolùm præſentem, verùm etiam abſentem æmulari debuiſtis. Quamquam Hieronymus bonum non de perſona, ſed de rebus exponit, ſenſu coactiori, tamquam dicat, Ea quæ bona ſunt, æmulamini in bono. Laborat eodem incommodo textus Ambroſianus, qui ſic habet : Æmulamini autem meliora dona in bono ſemper. Quæ lectio alludit ad illud 1. Cor. 12, *Æmulamini autem chariſmata meliora*. Verùm hîc non de chariſmatum, ſed perſonarum æmulatione, id eſt, imitatione, aut ſtudio agitur. Senſus.

Porrò Græca lectio contextui Apoſtolico meliùs quadrat, & planum habet ſenſum hujuſmodi ; Illi volunt ut ipſos æmulemini ; atqui bonum eſt & laudabile, ut æmulemini magiſtros veſtros, qualis ego imprimis ſum (id enim intelligi vult,) nec in quibuſcumque ſed tantùm in re bona, idque ſemper, id eſt, conſtanter, & non ſolùm me vobis præſente. Qua poſtrema parte latenter accuſat Galatas, quòd ipſo abſente defeciſſent ab ejus doctrina, quem præſentem tantis honoribus affecerant.

19. FILIOLI MEI, QUOS ITERUM PARTURIO, DONEC FORMETUR CHRISTUS IN VOBIS. Pathopœia eſt, qua tamquam materno loquitur affectu. *Parturio*, Græcè ὠδίνω, quo verbo dolor parturientis exprimitur. Poteſt autem ſententia tam ad ſuperiora, quam ad ſequentia, coaptari. *Senſus eſt* : Semel vos Chriſto peperi, quando ad fidem Chriſti perduxi, eaque ratione filioli mei eſtis generatione ſpirituali ; Sed quoniam à veritate evangelii vobis traditi, tamquam à vita defeciſtis, nunc *iterùm vos parturio*, id eſt, magno nixu & labore conor ad evangelii veritatem revocare ; idque tantiſper ago *donec Chriſtus in vobis formetur*, id eſt, donec perfectam Chriſti formam accipiatis, hoc eſt, rectam fidem de Chriſto, qua nimirum credatis Chriſtum vobis ad ſalutem ſufficere, ſine legalium obſervatione, Non enim omninò à Chriſto receſſerant, ſed Chriſto legem, velut in ſubſidium, adjungere volebant. Nonnulli formam hanc de robore fidei interpretantur ; minùs rectè : nam parturio non eſt ad robur, ſed ad perfectionem. Hîc autem nota quòd Chriſtus eſt quodammodo forma hominis Chriſtiani. Senſus.

20. VELLEM AUTEM ESSE APUD VOS MODO, ET MUTARE VOCEM MEAM. Pergit affectus ſui magnitudinem erga Galatas declarare. Utinam, inquit, vobis nunc adeſſem, ut coram, prout viderem vobis convenire, vocem meam mutare poſſem, id eſt, inflectere & accommodare ſermonem meum conditioni audientium ; quod abſens facere nequeo, tum quia viva vox magis afficit quam epiſtola, tum quia non video quemadmodum ſitis affecti, ut ſecundùm hoc aptarem ſermonem. Unde ſequitur,

QUONIAM CONFUNDOR IN VOBIS. Quod quidam ſic exponunt ; Quia pudore afficior propter vos, qui tam leviter receſſeritis ab eo quod ego vos docui. Hic commentarius eſt apud Auguſtinum, Ambroſiaſtrum, S. Thomam, cæteroſque ferè Latinos.

Sed sciendum pro verbo *confundor*, Græcis esse ἀπορεῦμαι, id est, hæreo, & anceps sum animi. Quo verbo etiam aliàs utitur Apostolus, ut 2 Cor. 4. ubi nos habemus; *Aporiamur, sed non destituimur*; Atque eo loco, verbi Græci significationem plenius explicuimus. Respondet ei Syriaca versio quæ habet, stupefactus sum, attonitus & inops consilii, de vobis, id est, quomodo vobiscum agere debeam. Quod res ipsa satis declarat; cùm in hac epistola vertat se in omnem orationis formam.

21. DICITE MIHI QUI SUB LEGE VULTIS ESSE; LEGEM NON LEGISTIS? Græcè: *non auditis*? Hieronymus & Augustinus, *non audistis*? quamvis apud Hieronymum, quæst. 8. ad Algas. habetur, *legistis*. *Legem*, posteriori loco totum vetus testamentum intelligi putat Oecumenius: idque non malè. Tota enim vetus scriptura erat Judæis pro lege. Confer *Roman.* 3. & 1. *Cor.* 14. Et certè qua ratione historia Geneseos sine dubio hîc nomine legis comprehenditur; eâdem & reliqui libri sacri veteris testamenti, possunt. Vide Hieronymum *ad Algas. quæst.* 8. ubi ait, historiam quoque nomine legis interdum comprehendi, cujus hîc est exemplum.

Quare minùs verisimile est Apostolum hîc eo nomine solum Moysi Pentateuchum, ex quo testimonium profert, comprehendere voluisse. Nam quamvis Christus in Evangelio legem à Prophetis interdum distinguit, ut *Matth.* 5. 7. 11. & 22. tamen notum est, non solùm historiam sacram, sed Psalmos etiam & Prophetas interdum legis nomine comprehendi: Psalmos quidem, velut Joan. 15. *ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis.* Quod scriptum est ex Psalmo 24. 34. & 68. Prophetas verò, ut 1 Cor. 14. *in lege scriptum est, Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic*; & *nec sic exaudient me dicit Dominus*, Quod invenitur apud Isai. *cap.* 28.

Post preces & blandimenta, quibus affectum movit Apostolus, nunc rursus argumentis urgere Galatas incipit. Argumentatur autem ex ipsa lege (id est, scriptura quæ legem tradit) contra eos qui sub lege esse volebant. Etenim lex ipsa docet non esse bonum sub lege teneri. Jam quidem suprà, bis, terve, ex lege contra legis justitiam ratiocinatus est; Sed hîc idipsum facit alio modo, scilicet ex historia allegoricè exposita.

22. SCRIPTUM EST ENIM QUONIAM ABRAHAM DUOS FILIOS HABUIT, UNUM DE ANCILLA, ET UNUM DE LIBERA: Scribitur hoc *Genes.* 16. & 21. Non est, inquit, sine mysterio quod scriptura narrat Abraham duos suscepisse filios, Ismael & Isaac; illum ex Agar ancilla, id est, serva, hunc verò, ex Sara libera. Fuerunt Abrahæ & alii filii, quos post obitum Saræ genuit, ut legitur Gen. 25. sed illi ad presentis rei mysterium non pertinent: unde nec de iis scriptura narrationem longiùs prosequitur, contenta generationem eorum prodidisse.

23. SED QUI DE ANCILLA, SECUNDUM CARNEM NATUS EST; QUI AUTEM DE LIBERA, PER REPROMISSIONEM. Ismael ex ancilla genitus, *secundùm carnem natus* dicitur, quia usitata lege naturæ secundùm insitam carni virtutem generandi, notus est. Habet enim ordo naturæ ut ex juvencula possit quis non nimiùm senex filios procreare. Isaac verò ex libera genitus, *per promissionem* dicitur *natus*, quia supra naturæ facultatem, ejus generatio fuit; nimirum ex virtute divinitus & promissa & suppeditata; cùm & *Abrahæ corpus esset emortuum*, & *emortua vulva Saræ*, quemadmodum dicitur ad Roman. 4.

24. QUÆ SUNT PER ALLEGORIAM DICTA. Græcè est, præsens participium, ἀλληγορεῦμενα. Allegoria est, quum ex eo quod dicitur, aliud quiddam significatur. Unde Augustinus *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 9. dicit quosdam Latinos interpretes ita vertisse, *Quæ sunt aliud ex alio significantia.*

Sunt autem allegoriæ duo genera: alterum in verbis, alterum in rebus. Quorum illud, commune est scripturæ sacræ cum scriptoribus non sacris: Est enim ea allegoria, continua quædam in verbis metaphora, qualis in eo quod paulo antè dixit Apostolus: *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur*, &c. Alterùm verò genus est ei peculiare, ut quoties vera quidem secundùm literalem sensum verborum, narratur historia, vel quippiam aliud dicitur, sed in ea re quæ narratur aut dicitur, secretior quædam latet altioris rei significatio. Ita verè quidem hæc de duobus Abrahæ filiis historia, sicut narratur, contigit: sed illa res gesta altiorem habet alterius cujusdam rei significationem. Quod ita consequenter docet, Allegoriæ duo genera.

HÆC ENIM SUNT DUO TESTAMENTA. Id est, In his quæ de duobus Abrahæ filiis, & eorum matribus scriptura narrat, est significatio duorum testamentorum, veteris & novi. Græca possunt accipi hoc modo; Hæ, id est, hæ duæ fœminæ, Agar & Sara, sunt duo testamenta per significationem, id est, sunt signa & figuræ duorum testamentorum. Quem sensum subsequens declaratio probabilem facit.

UNUM QUIDEM A MONTE SINA, IN SERVITUTEM GENERANS. Vitiosè quidam codices, *in monte*, legunt, reclamantibus non solùm Græcis, verùm etiam manuscriptis omnibus Latinis, ac textu, quo tam Hieronymus, quàm Ambrosianus usi sunt. Sensus est; *Alterum quidem* duorum testamentorum *à monte Sina*, in quo lex data est, ortum, seu profectum; *generans filios in servitutem*, id est, ipsa generatione servituti obnoxios. Qui enim ex matre serva nascitur, nisi quid aliud obstet, servus nascitur. Dicitur itaque vetus testamentum à monte Sina profectum, quia in illo monte lata est lex, cujus observatio, veteris Testamenti, id est, pacti inter Deum & veterem populum initi, conditio fuit, sed minimè à populo servata. Servitus autem ad quam filios suos generabat vetus testamentum, posita erat partim in importabili jugo præceptorum ceremonialium, cervicibus filiorum ejus impositio; partim in affectu & timore servili, quo iidem illi regebantur; quem Apostolus Roman 8. vocat *Spiritum servitutis in timore.* Quæ sanè posterior ratio magis propria est filiorum veteris testamenti, utpote essentialis quædam illius testamenti proprietas. Distinguuntur enim vetus & novum testamentum essentialiter per timorem & amorem. Sensus.

QUÆ EST AGAR. Relativum, *quæ*, non ad servitutem referendum est, sed ad testamentum, quod in Græco fœmininum est, ut potiùs vertendum fuerit, *quod est agar*: tametsi interpretem facilè excusat loquendi consuetudo, qua relativum sæpè genus suum accipit à substantivo sequente. Proinde sensus est; quod testamentum per Agar ancillam typicè significatum est.

25. SINA ENIM MONS EST IN ARABIA. In omnibus Græcorum codicibus sic legitur: *Nam Agar Sina mons est in Arabia.* Præfigitur autem ipsi *Agar* articulus τό, neutri generis, quem interpretes Græci referunt ad ejusdem generis dictionem ὄρος, id est, montem. Putant enim Sina montem, in quo data est lex, Arabum lingua nominatum fuisse Agar, & hoc Apostolum his verbis significare: ut sensus sit, Rectè per Agar ancillam vetus testamentum figuratum est, quia Sina mons Arabiæ, etiam Agar appellatur. Sensum hunc expressit versio Hentenii, quæ sic habet, *Mons enim Sina, Agar dicitur apud Arabes.* Verùm hujusmodi interpretatio non admodum probabilis est: Nusquam enim le-

gitur illum montem Sina, alio nomine vocatum Agar; nec arbitror filios Iſraël per Arabiæ deſerta tranſeuntes alio nomine montem illum vocaſſe, quàm quo apud indigenas, ſeu vicinos Arabes vocabatur.

Igitur Græcæ lectionis commodior hic ſenſus reddi poſſe videtur: Quod per Agar ancillam typicè ſignificatur; idem eſt cum eo quod Sina mons Arabiæ per typum ſignificat. Quaſi diceret: Agar & Sina ejuſdem rei gerunt ſignificationem, ſcilicet veteris teſtamenti. Senſus hic optimé ſervit illuſtrandæ allegoriæ, quam adfert Apoſtolus.

Porrò noſtra lectio, quæ apud omnes eſt Latinos interpretes, variè ab illis exponitur. A nonnullis *hoc modo*: Benè teſtamentum illud vetus generans in ſervitutem ortum eſt à monte Sina; quia mons ille ſitus eſt in Arabia, quæ regio eſt extra terram promiſſionis: ut intelligatur filios veteris teſtamenti non pertinere ad promiſſionem Abrahæ factam. *Alii* vim probationis ponunt in eo quod poſteà ſequitur, *Et ſervit cum filiis ſuis*: tamquam argumentetur Apoſtolus ex qualitate ſeu conditione montis, & filiorum ſive accolarum ejus, qui cùm, ut plurimùm, ſervi ſint, rectè mons ipſe quem accolunt, typum habet teſtamenti generantis in ſervitutem.

At quoniam hæc poſterior expoſitio, quemadmodum & ea quæ probationem accipit ex etymo vocis Arabiæ, qua ſignificatur humilitas ac depreſſio ſervituti propria, longiùs petitæ videntur, atque adeò incertum eſt, an habitatores montis Sinai, quo tempore Paulus hæc ſcribebat, ſervilis fuerint conditionis: idcircò, juxta priorem expoſitionem, magis arbitramur Apoſtolum urgere velle ſitum & qualitatem loci, ſine conſideratione perſonarum, quaſi dicat, convenienter à monte Sina vetus teſtamentum profluxit; nam Sina mons eſt horridus in Arabia, longè extra fines terræ promiſſæ ſitus; proinde aptiſſimus ad ſignificandam veteris teſtamenti qualitatem, quæ eſt timorem, & horrorem incutere, & ſervos facere, promiſſionis exortes, & ab hæreditate alienos.

QUI CONJUNCTUS EST EI QUÆ NUNC EST HIERUSALEM. Græcè, *conjungitur autem ei*. Hieronymus legit, *Qui conterminus eſt ei*. Quæritur quomodo mons Sina conjunctus ſeu conterminus ſit civitati Hieruſalem, cùm ſecundùm veram Geographiam diſtet ab ea fermè viginti dierum itinere, quemadmodum etiam Thomas teſtatur. Quidam reſpondent, conjunctum eſſe non vicinitate loci, ſed per radices illuc uſque protenſas. Genebrardus exponens *Pſalmum* 132. affirmat montem Sina perpetuo dorſo porrigi uſque ad montana Sionis. Sed hæc ægrè fidem admittunt, ob nimiam, ut dictum eſt, locorum diſtantiam, nec ullo fide digno teſtimonio ſuffragante. Sunt qui *conjunctum* interpretentur, è regione ſitum, etſi longè diſtantem. Thomas conjunctum intelligit per continuationem itineris Iſraelitarum ex illo monte proficiſcentium in terram promiſſionis, & in ipſam Jeruſalem. Alii alias expoſitiones adferunt, quas diligenter recenſet Adamus Saſbout.

Ut autem germanum ſenſum aſſequamur, ſciendum eſt verbum Græcum συστοιχεῖ, quod interpres noſter vertit, *conjunctum eſſe*; Eraſmus & Hentenius *confinem eſſe*, Theophylacti interpres, *contiguum eſſe*, non qualemcumque ſignificare conjunctionem, ſed eam quæ eſt in natura; & proprietate ingenii, aut in re quacumque ſimili: quam conjunctionem Latini conſenſum, cognationem, affinitatem vocare ſolent; ut & ea quæ ſic conjuncta ſunt, affinia, ſeu cognata inter ſe, quemadmodum doctè explicat Budæus in commentariis linguæ Græcæ.

Senſus. Senſum igitur hunc eſſe putamus; Qui mons Sina cognationem habet cum iſta terrena Jeruſalem, eique congruit quoad myſticam ſignificationem. Nam Sina vetus teſtamentum ſignificat; Terrena Jeruſalem ſedes eſt populi Judaïci, id eſt, filiorum veteris teſtamenti. In monte Sina lex vetus data eſt; In terrena Jeruſalem principatus eſt legis veteris, propter templum, & ceremonias, & ſtudium legis retinendæ. Denique idem eſt populus continuitate ſucceſſionis, qui legem in monte Sina accepit, & qui nunc in Jeruſalem habitans, pro eadem lege pugnaciter contendit. Adfert hunc ſenſum Theophylactus ſecundo loco, & ſic quidem ut approbare eum videatur.

Quod ergo dicit Apoſtolus, *Quæ nunc eſt Hieruſalem*, non ita exponendum, quæ nunc dicitur aut vocatur Jeruſalem, quomodo Eraſmus & Hentenius nimiùm licenter tranſtulerunt, quaſi ſenſus ſit. Quæ quidem olim aliis nominibus appellata fuit, ut Jebus & Salem, tunc autem Jeruſalem vocatur: Neque enim ad rem præſentem facit quòd ea civitas non idem ſemper nomen habuerit, cum utique etiam illo tempore quo lex data eſt, eam vocatam fuiſſe Jeruſalem, ſatis ex libro Joſuæ perſpicuum ſit. Sed *quæ nunc eſt*, id eſt, hujus temporis, ac ſæculi; hæc, inquam, terrena Jeruſalem. Mox enim opponit *illam quæ ſurſum eſt*, id eſt, cæleſtem Jeruſalem, cujus ſpes omnis in futurum ſæculum extenditur, juxta illud Hebr. ult. *Non habemus hîc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*. Similis antitheſis alibi; cùm ait: *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram*. Coloſſ 3. Atque hæc interpretatio veterum eſt tam Latinorum quàm Græcorum.

Poſtremo notandum, partem illam: *Conjungitur autem ei quæ nunc eſt Hieruſalem* (ſic enim in Græco legitur) referri poſſe, juxta Græcam lectionem, ad *Agar*, de qua præceſſerat, *Nam Agar Sina mons eſt in Arabia*; tametſi Græci interpretes, uti ſuprà dictum eſt, Agar à Sina in hac parte non diſtinguunt.

ET SERVIT CUM FILIIS SUIS. Quidam hoc ad *eam quæ nunc eſt Hieruſalem* referunt, eamque ſervire cum filiis ſuis interpretantur, vel quia civitas illa cum populo ſuo ſerviebat Romanis, vel quia legis Moſaicæ ſervitute premebatur. Quam expoſitionem probabilem facit pars ſequens, qua è diverſo dicitur, *eam quæ ſurſum eſt Hieruſalem, liberam eſſe*. Sed ut eò referatur Græca vix admittunt. Alii proinde copulant cum illa parte, *Quæ eſt Agar*, nam cætera media claudunt parentheſi, quemadmodum in multis codicibus impreſſis videre eſt. Secundùm hos itaque, ſenſus eſt; Vetus Teſtamentum ſignificatum per Agar, ſervit cum filiis ſuis, id eſt, in filiis; quatenus ſcilicet filios ſuos in ſervitutem generat. Dicit autem *cum filiis*, eò quòd ipſa Agar, in qua veteris teſtamenti typus erat, ſerva fuerit, & per hoc ſervitutem filiorum veteris teſtamenti præfiguraverit.

Porrò alii referunt ad Sina montem, ac filios ejus intelligunt illius montis accolas. Quem ſenſum jam antè diximus minùs nobis probari. Quocirca, ſive ad Jeruſalem terrenam, ſive potiùs ad vetus teſtamentum quod eſt Agar, ſive etiam ad Sina montem, pars iſta referatur; intelligendum eſt quodlibet horum ſervire cum filiis ſuis, quod homines comprehendat, aut gignat, aut ſignificet, obnoxios illi ſervituti, de qua jam dixerat: *Unum quidem à monte Sina, in ſervitutem generans*.

26. ILLA AUTEM QUÆ SURSUM EST HIERUSALEM, LIBERA EST; QUÆ EST MATER NOSTRA. Dixit Apoſtolus quid per Agar ancillam allegoricè ſignificetur; nunc, quid per Saram liberam ſignificatum fuerit, oſtendit, ſcilicet novum Teſtamentum, quod filios ſuos in libertatem generat. Id enim volunt hæc Apoſtoli verba, quibus dicit *eam*

Hierusalem quæ sursum est (intellige, quæ est Sara per significationem) liberam esse, ac matrem nostram. Nec refert ad rem propositam sive per Saram dicatur intelligi novum testamentum, sive Ecclesia novi testamenti. Sunt enim hæc duo conjuncta, sic ut alterum ex altero intelligatur. Unde Apostolus utrumque dicit: illud quidem, cum ait: *Hæc enim sunt duo Testamenta*; Istud verò, præsenti loco, *Saram* exponens, *Hierusalem quæ sursum est*. Nam & similiter dici poterat, per Agar vetus Testamentum significari, & Ecclesiam veteris Testamenti, id est, Synagogam, quæ filios suos in servitutem generabat.

Porrò novi Testamenti Ecclesiam Apostolus vocat *Hierusalem quæ sursum est*, id est, *Hierusalem* supernam, & ut loquitur Hebr. 12. *cælestem*; non quòd solam triumphantem in cælis Ecclesiam hîc intelligi velit (totam enim Christi Ecclesiam hac notatione comprehendit,) sed quia etiam qua parte militat & peregrinatur in terris, tamen per fidem & spem sursum est, dum ea *quæ sursum sunt, quærit & sapit, non autem ea quæ super terram*. Coloss. 3. cujus & conversatio in cælis est Philipp. 3. Unde & Joannes in Apocal. 21. Hanc eamdem sanctam civitatem Hierusalem novam videt descendentem de cælo à Deo.

Contra verò, qui ad vetus Testamentum, & terrenam Hierusalem pertinent, sicut de terra sunt, ita terrena quærunt & sapiunt, & terrenis ducuntur promissis: qualia nimirum vetus proponebat testamentum. *Libera autem est superna Hierusalem*, & filios suos in libertatem generat, eam, quæ servituti filiorum Agar dudum à nobis explicatæ, opponitur. Quæ proinde libertas præcipuè posita est in spiritu dilectionis, quem Apostolus, *Rom.* 8. vocat spiritum adoptionis filiorum, in quo clamant, Abba, Pater: Secundaria autem ratione consistit in eo quòd filii novi Testamenti per Christum exempti sunt à servili jugo legis Mosaicæ.

Jam quod addit Apostolus, *quæ est mater nostra*, significat nos, quæ per fidem, & baptismum Ecclesia gignit, liberos esse, utpote, ex matre libera genitos. Ubi *notandum*, in Græco & Syriaco legi; *quæ est mater omnium nostrûm*, eamdemque lectionem apud Hieronymum & Primasium haberi. Videtur enim Apostolus hac universali nota significare voluisse magnam fidelium novi Testamenti multitudinem ex Gentibus collectam, & colligendam; atque ita etiam Galatas esse filios cælestis Jerusalem, ac proinde liberos. Eò namque pertinet probatio sequens de multis filiis.

27. SCRIPTUM EST ENIM. Apud Isaiam *capite* 54. Citat hoc Prophetæ testimonium Apostolus, non ut in Hebræo est, sed juxta versionem LXX. quorum tamen sensus per omnia concordat cum Hebraica veritate; quemadmodum facilè liquet conferenti.

LÆTARE STERILIS, QUÆ NON PARIS, ERUMPE ET CLAMA, QUÆ NON PARTURIS. Verba sunt Prophetæ ad Ecclesiam novi Testamenti. Tu, inquit, Ecclesia, quæ usque ad Christi adventum sterilis fuisti; & ex Gentibus quidem penè nullos, ex Judæis verò pauciſſimos Christo filios, eosdemque sub servitutis velamine, tamquam & ipsi servi essent, latitantes, enixa es (nam parere, & parturire pro eodem hîc ponuntur) lætare, erumpe & clama; id est, cum lætitia Deum lauda, & in clamorem, & cantica laudis erumpe. Sic enim sensum complemus ex Hebræo, ubi pro *lætare*, lauda, & pro *erumpe & clama*, decanta laudem, & hinni, legimus. Ratio laudis & lætitiæ sequitur.

QUIA MULTI FILII DESERTÆ MAGIS QUAM EJUS QUÆ HABET VIRUM. *Desertæ*, id est, solitariæ: Nam in Græco nomen est, non participium. *Desertam* autem vocat, quasi à toto repulsam aut sejunctam, propter sterilitatem. *Eam verò quæ habet virum*, intelligit eam cum qua vir consuetudinem habet, propter fœcunditatem. Nam hac phrasi, qua vir dicitur habere mulierem, & mulier virum, significari commixtionem viri cum muliere, ostendimus *in expositione capitis* 5. *&* 7. *prioris epistolæ ad Corinth.*

Proinde sensus est; Meritò lætandum tibi est, quia tu, quæ hactenus solitaria fuisti, nec viro ad gignendos filios conjuncta (sterilis enim eras,) nunc fœcunda reddita, Christo viro tuo filios paries multò plures, quàm Synagoga viro suo conjuncta, id est, legem Mosaicam studiosè amplexata, toto veteris Testamenti tempore filios peperit. Nam legem Mosaicam virum fuisse Synagogæ docet Apostolus Rom. 7. Sensus.

Potest autem & hac ratione intelligi *desertæ*, seu solitaria, quod sola esset, filios non habens ex quibus familia multiplicaretur. Unde quod juxta Symmachi interpretationem legitur Psal. 67. *Deus inhabitare facit solitarios in domo*, id Psal. 112. ita expressum est, *Qui habitare facit sterilem, in domo, matrem filiorum lætantem*. Et hæc expositio videtur magis germana, consideranti has & similes scripturas. Qualis est illa Thren. 1. *Quomodo sedet sola*, id est, sine filiis, *civitas* prius populosissima. Et Isa. 49. *Ego destituta & sola*, ubi præcesserat, *Ego sterilis, & non pariens*. Item Baruch. 4. *Ego derelicta sum sola*.

Quod autem quidam hic speculantur, desertam fuisse Ecclesiam, quia fuerit derelicta in cultu idolorum, aliisque peccatis: non facilè est accipiendum, cùm sit alienum à mente Apostoli & Prophetæ. Nec umquam verum fuit, Ecclesiam servire idolis, aut esse derelictam à Deo: licet Gentilitas sic fuerit derelicta; ex qua posteà congregata & multiplicata fuit Ecclesia; quæ Ecclesia fuerat anteà in paucis hominibus.

Cæterùm appositè admodum Apostolus, cùm de mysterio Saræ sterilis ageret, adduxit hoc Prophetæ testimonium, in quo Christi Ecclesia, per Saram præfigurata, sterilis vocatur; ut quemadmodum Sara post longam sterilitatem, tamdem, ex divina promissione ac virtute fœcundata, filium peperit, in quo semen Abrahæ multiplicaretur; ita significetur Ecclesia post sterilitatem tot sæculorum, tamdem adveniente Christo, quamplurimos promissionis filios paritura, confluentibus ad eam undique Gentilium populis.

28. NOS AUTEM FRATRES, SECUNDUM ISAAC, PROMISSIONIS FILII SUMUS. Allegoriam hactenus expositam propiùs admovet instituto. Loquitur autem in persona Christi fidelium: *Nos*, inquit, qui in Christum credimus, *non secundùm Ismael carnis filii sumus, sed secundùm Isaac filii promissionis*. Id est, juxta typum & similitudinem Isaac, quem supra naturæ ordinem mater sterilis ex Dei promissione concepit, filii matris Ecclesiæ sumus; non ex viribus naturæ, sed supra naturam ex virtute Dei, qui Abrahæ promisit, geniti, & (ut ait Joannes Evangelista) *Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati*. Hinc colligendum relinquit Apostolus, eos qui in Christum credunt, non debere esse sub lege. Qui enim sub lege sunt, non secundùm Isaac promissionis filii sunt ex libera, sed secundùm Ismael filii carnis ex ancilla.

29. SED QUOMODO TUNC IS QUI SECUNDUM CARNEM NATUS FUERAT, PERSEQUEBATUR EUM, QUI SECUNDUM SPIRITUM; ITA ET NUNC. En altera congruentia figuræ cum re figurata. Nam *sicut quondam Ismael, qui secundùm carnem natus erat, persequebatur Isaac, qui natus erat secundùm spiritum, ita & nunc*, inquit, qui secundùm

carnem nati ſunt, id eſt, legis æmulatores, qui ex ſola legis cognitione ſibi juſtitiam promittunt, perſequuntur eos qui ſecundùm ſpiritum nati ſunt, id eſt, per virtutem Spiritus ſancti in filios adoptati. *Secundùm carnem* natus Iſmael dicitur, quia genitus ſecundùm naturalem virtutem carnis, ſcilicet ex matre fœcunda; quemadmodum explicatum eſt ſuprà, *Iſaac* verò *ſecundùm ſpiritum*, quia per miraculum natus ex matre ſterili & vetula; nam ea quæ ſupra naturam fiunt, peculiariter aſſcribuntur operationi Spiritus ſancti. Non eſt autem hinc conſequens Iſaac fuiſſe conceptum de Spiritu ſancto, quod nos in ſymbolo de Chriſto profitemur. Hac enim locutione ſignificatur, quod omne virile opus in Chriſti generatione ſuppleverit operatio Spiritus ſancti. Quod non ita fuit in conceptione Iſaac, ut qui natus eſt ex paterno ſemine.

Sed quæritur, quæ fuerit illa perſecutio Iſmaelis adverſus Iſaac. Nam *Gen.* 11. quò Paulum reſpexiſſe conſtat, non perſecutionem, ſed luſum legimus. *Cùm*, inquit, *vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit*, &c. Reſpondeo, *luſum* non uno modo accipi in ſcripturis. Interdum enim luſum ſerium ſignificat, id eſt, pugnam, ut 2. Reg. 2. dicente Abner ad Jacob, *Surgant pueri, & ludant coram nobis*, id eſt, dimicent.

Sic ergo nonnulli exiſtimant Iſmaelem luſiſſe cum Iſaac, id eſt, ludendo conatum fuiſſe eum perdere, ut hæreditas ipſi ſoli remaneret. Interdum verò dicitur de luſu ac geſtibus colentium idola, ut Exod. 32. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.*

Porrò quidam vocem Hebræam in Geneſ. vertunt, deridentem, ſive ſubſannantem, aut illudentem. Quò pertinet quod Auguſtinus *in ſermone de Agar & Iſmaele*, citatus à Beda *ſuper hunc locum*, ſic ait: Luſum illum Paulus perſecutionem vocat, quia luſio illa, illuſio erat. Hieronymus quoque luſum hunc non ſimplicem fuiſſe docet, ſed jurgium & contentionem, qua circumciſionis prærogativam, & primogenita ſibi vendicabat Iſmael, contra parvulum Iſaac.

Alii denique vertunt laſcivientem; Quibus conſonat Primaſii commentarius. Perſecutio nominatur, inquit, quia ſcurrilem eum & levem volebat facere, quale ipſis erat, ne ſibi in hæreditate præponeretur. Sunt qui intelligant Iſmael per ludum inducere voluiſſe Iſaac ad idola colenda; ſive quemadmodum S. Thomas refert, ad adorandas imagines luteas, quas faciebat. Quemcumque verò luſum ex omnibus jam dictis intelligas; rectè perſecutio vocata eſt ab Apoſtolo, quia in omnibus illis perſecutio quædam eſt: *Corporalis* quidem in machinanda morte, & in deriſione, & vendicatione primogenitorum; *Spiritualis* verò, quæ corporali gravior eſt, in eo quòd ad idololatriam, vel ad laſciuiam inducere puerum voluit.

Sanè utroque modo carnales Judæi, filios eccleſiæ perſecuti ſunt: corporaliter quidem, nam ut ait Apoſtolus 1. Theſſ. 2. *Et Dominum occiderunt Jeſum & Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & omnibus hominibus adverſantur*; adeò ut teſtetur Hieronymus, multò majores perſecutiones à Judæis in Chriſtianos, quàm à Gentibus concitatas fuiſſe: Spiritualiter autem, in quantum fideles à Chriſto revocare, & ad legem ſuam traducere ſummo ſtudio conati ſunt.

Prioris generis perſecutionem Paulus ipſe præ cæteris expertus fuerat; Poſteriorem experiebantur Galatæ, ad quos ſcribit. Quamquam non ſoli Judæi, ſed in univerſum quicumque tam in Eccleſia, quàm extra ſecundùm carnem vivunt, myſticè per Iſmaelem ſignificantur, & ſpiritualem Iſaac, id eſt, filios promiſſionis, qui ſecundùm ſpiritum vivunt, alterutro genere perſecutionis exagitant. *Omnes enim qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur*, utique à malis, & carnalibus hominibus, 2. Timoth. 3.

30. SED QUID DICIT SCRIPTURA? Id eſt, Quid ſcriptura commemorat Saram dixiſſe viro ſuo Abraham, quando vidit filium ancillæ ludentem cum filio ſuo? hoc nimirum quod ſequitur.

EJICE ANCILLAM ET FILIUM EJUS. Hîc jam tertia congruentia figuræ cum re figurata indicatur. Sicut enim Sara poſtulante, & Deo poſtulatum ejus approbante, ejecta eſt à domo Abrahæ Agar ancilla cum filio ſuo, ſic Eccleſia per ſpiritum Dei inſtante & perurgente, legem cum ſuis quaſi neceſſariè obſervatoribus, ejici oportuit è familia & populo Dei. Per quod palàm demonſtratur legis ac prioris teſtamenti ceſſatio. Atque hoc præcipuum eſt, quod Apoſtolus ex hiſtoria *Geneſis* per allegoriam expoſita, docere voluit.

NON ENIM HÆRES ERIT FILIUS ANCILLÆ CUM FILIO LIBERÆ. Græcè, *Non enim hæreditabit*, hoc eſt, hæreditatem accipiet. Nam hæres quiſpiam dicitur à jure ſuccedendi in bona alterius: ſive aliquando ſuccedat, ſive non. Unde eſt illud in Evangelio: *Hic eſt hæres, occidamus eum, & noſtra erit hæreditas.* Ea pars, *cum filio libera*, apud Ambroſianum & Hieronymum legitur quomodo in Geneſi, *cum filio meo Iſaac.* Sed Græca nobiſcum faciunt, tametſi nulla in ſenſu diverſitas eſt, niſi quod in noſtra lectione magis elucet antitheſis. Indicatur autem quarta congruentia; quòd ſicut ancillæ filius non eſt admiſſus in partem hæreditatis unà cum filio liberæ, ſic qui ſub lege ſunt, non percipient promiſſam hæreditatem ſimul cum Chriſtianis; Ideòque meritò cum lege ſua foràs mittendi. Terret hac ſententia Galatas, ut intelligant ſe excludendos ab hæreditate, ſi legem recipiant.

31. ITAQUE FRATRES NON SUMUS ANCILLÆ FILII, SED LIBERÆ. Quamvis hoc rectè ſequatur ex eo quod dixit: *Quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra*; Dictio tamen, *Itaque*, hoc loco non tam concludentis eſſe videtur, quàm accingentis ſe ad exhortationem ſubſequentem. Cujus etiam indicium eſt, quod *fratres* appellet. Igitur, inquit, fratres, quotcumque in Chriſtum credimus, *non ſumus ancillæ filii*, id eſt, non pertinemus ad legem, ſignificatam per Agar, *ſed ſumus filii liberæ*, pertinentes ad Hieruſalem, quæ ſurſum eſt, ſignificatam per Saram. Unde ſcire ac meminiſſe debemus nos liberos eſſe à ſervitute legis, utpote vocatos in libertatem ſpiritus, & à jugo ceremoniarum legalium, præfigurantium Chriſtum, liberatos; veritate jam exhibita.

QUA LIBERTATE CHRISTUS NOS LIBERAVIT. Id eſt, in quam Chriſtus per mortem ſuam nos aſſeruit; ille nimirum qui de ſeipſo loquitur: *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis*, Joan. 8. Hanc partem Græci connectunt ſequentibus, uti videbimus initio proximi capitis.

CAPUT V.

1. STate, & nolite iterùm jugo ſervitutis contineri. 2. Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vo-
Act. 15. *a.* 1. 2 bis nihil proderit. 3. Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ. 4. Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini: gratia excidiſtis. 5. Nos enim ſpiritu ex fide, ſpem juſtitiæ expectamus. 6. Nam in Chriſto Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides, quæ per charitatem operatur. 7. Currebatis benè: quis vos impedivit veritati non obedire? 8. Perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos. 9. Modicum fermentum

totam maſſam corrumpit. 10. Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud ſapietis; qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque eſt ille, 11. Ego autem, fratres, ſi circumciſionem adhuc prædico: quid adhuc perſecutionem patior? Ergo evacuatum eſt ſcandalum crucis. 12. Utinam & abſcindatur qui vos conturbant. 13. Vos enim in libertatem vocati eſtis fratres: tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem Spiritus ſervite invicem. 14. Omnis enim lex in uno
1. *Cor.5.b.6.* ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. 15. Quod ſi invicem mordetis & comeditis: videte ne ab invicem
Lev.19.d.18. conſumamini. 16. Dico autem: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. 17. Caro enim concupiſcit adverſus
Matth.22.d. ſpiritum: ſpiritus autem adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur: ut non quæcumque vultis, illa faciatis. 18. Quod
39. ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. 19. Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia,
Rom. 13. *b.8.* luxuria, 20. idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ. 21. invidiæ,
1. *Pet.2.c.* 11. homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. 22. Fructus autem Spiritus eſt: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, 23. manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Adverſus hujuſmodi non eſt lex. 24. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt, cum vitiis & concupiſcentiis. 25. Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus. 26. Non efficiamur inanis glotiæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

SUMMARIUM.

A Circumciſione, ſimulque à ceremonialium obſervatione Galatas, epilogi modo, avertit: ad charitatem hortatur: enumeratione quadam oſtendit quæ ſint opera carnis, & qui fructus ſpiritus.

STATE. Doctrinæ ſuperiori, qua oſtendit eos à Chriſto in libertatem vocatos, exhortationem ſubjungit, dicens: *State*, id eſt, abjecta omni fluctatione perſiſtite conſtanter in libertate, quam per Chriſtum ſemel adepti eſtis. Hunc ſenſum diſertè exponunt Græci codices, in quibus verbum *State*, præcedentibus adhæret in hunc modum: *Libertate igitur, qua Chriſtus nos liberavit, ſtate.* Tametſi Latini veteres Hieronymus, Ambroſianus, Auguſtinus, perinde ut nos, legunt, niſi quod duo poſteriores notam illationis in Græco præcedentem, hîc adjiciunt, *State ergo.* Certè Græca lectio apud me non parvum ſcrupulum habet, eò quòd præpoſitione careat. Nam in Græco non minùs incongruè jungitur ἑστάναι cum dativo caſu ſine præpoſitione, quàm Latinis, Stare cum ablativo, ſi quidem qualitas ſignificetur, in qua ſtandum, id eſt, perſiſtendum, ſit. Legimus enim Joan. 8. *in veritate non ſtetit.* Et 1. Corinth. 16. *State in fide.* Item, *ſtare in Evangelio.* 1. Cor. 15. & *ſtare in gratia Dei.* Roman. 5. & 1. Petr. 5. Atqui ſtare veritate, fide, Evangelio, gratia Dei, vel quidquam tale, non addita præpoſitione, non dicitur, niſi dum cauſa ſignificatur, ut fide ſtare, id eſt, per fidem, ut *Rom.* 11. & 2. *Cor.* 1. Hoc autem loco non cauſam ſignificat Apoſtolus, ſed qualitatem in qua ſtandum ſit, id eſt, libertatem Chriſtianam.

Itaque Græcis, æquè ut Latinis, dicendum erat, In libertate qua Chriſtus nos liberavit, ſtate, nimirum addita præpoſitione, quam etiam Syrus interpres, & Latini Græca vertentes, neceſſariò ſupplendam ſibi putarunt. Apparet ergo Græcam lectionem hoc loco vitioſam eſſe, ac fortaſſis veteri Latinæ lectioni cedere debere. Nec deſunt exemplaria Græca quæ Latinæ conſentiant. Tria vetuſta notat Robertus. Neque in diverſum moveat verbum, *State*, ſolitariè ſitum ſine expreſſione ejus in quo ſtandum ſit. Nam & alibi ſic exhortatur, ut Epheſ. 6. *State ergo, ſuccincti lumbos veſtros.* Et 2. Theſſ. 2. *Itaque fratres, ſtate, & tenete traditiones*, &c. Porrò notat Auguſtinus Apoſtolum, cum dicit, *ſtate*, ſignificare eos nondum cecidiſſe; Alioqui accommodatiùs dicturum, *Surgite.*

ET NOLITE ITERUM JUGO SERVITUTIS CONTINERI. Pro *contineri*, ſecundùm uſum Latini ſermonis aptiùs diceretur, *teneri*, *implicari.* Senſus eſt; Libertate donati ne patiamini vobis rurſus imponi ſervitutem. Loquitur de lege Moſaica, quam vocat jugum ſervitutis, ſimili ratione qua Petrus *Actor.* 15. eam vocavit jugum importabile, ſcilicet propter multitudinem præceptorum, quæ ſervis congruebat magis quàm liberis. Dicit *iterùm*, non quòd aliquando ſub lege ſerviviſſent Galatæ: ſed eo ſenſu quo dixit ſuperiori capite. *Quomodo convertimini iterùm ad infirma & egena elementa, quibus denuò ſervire vultis?* Servierant enim ſub falſa religione deorum, à qua ſervitute per Chriſtum liberatos, hortatur ne rurſus in ſervitutem ſe conjiciant, legis jugum ſubeundo.

2. ECCE, EGO Paulus DICO VOBIS QUONIAM SI CIRCUMCIDAMINI, CHRISTUS VOBIS NIHIL PRODERIT. Urget Galatas authoritate ſuæ perſonæ; erat enim eorum Apoſtolus, & apud eos magni habitus. Si, inquit, aliquid apud vos mea valet authoritas; ecce palàm affirmo vobis, ac denuncio; quod ſi circumciſionem recipiatis, non eritis participes beneficiorum Chriſti. Hanc ſententiam ex diametro opponit ei, qua dicebant Pſeudapoſtoli Actorum 15. *Quia niſi circumcidamini ſecundùm morem Moyſi, non poteſtis ſalvari.* Ubi ſciendum eſt, ſicut Pſeudapoſtolos illos, ita Paulum Apoſtolum loqui ad Gentiles, non ad Judæos. Nam Judæi fideles, quamvis ex circumciſione juſtitiam non quærerent, adhuc tamen ſe aut filios ſuos circumcidebant juſtis ex cauſis; tum ut honorificè Synagogam cum Moyſe ad ſepulchrum ducerent, tum ut infirmorum ex Judæis fratrum offenſionem evitarent. Qua ratione Timotheum Paulus circumcidit.

At Gentiles, quibus lex data non fuerat, quique proinde eas quas dixi cauſas circumcidendi ſe non habebant; ſi circumcidebantur, meritò judicabantur id facere quod perſuaſi eſſent, ſe, niſi circumciderentur, ſalvari non poſſe, prout Judaizantes docebant. Unde patet, quod etſi poſt introductam Chriſti legem nec Judæis nec Gentibus circumciſio fuerit ad ſalutem neceſſaria, peculiariter tamen Gentilibus dicendum fuerit, *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* His enim, circumcidi, erat juſtitiam & ſalutem ex circumciſione expectare: Hoc autem erat Chriſtum abjicere. *Nam ſi ex lege juſtitia, gratis ergo Chriſtus mortuus eſt*: ſuprà cap. 2. Erat igitur Gentilibus circumciſionis ceremonia pernicioſa & mortifera.

3. TESTIFICOR AUTEM RURSUS OMNI HOMINI CIRCUMCIDENTI SE. Græcè, *omni homini qui circumciditur.* QUONIAM DEBITOR EST UNIVERSÆ LEGIS FACIENDÆ. Græcè, *totius*, ὅλου. Superiori ſententia Galatas abſterruit à lege, periculo propoſito perdendæ ſalutis, quæ per Chriſtum eſt; Hîc idem facit oppoſita magnitudine oneris. Sicut autem ibi ſolis loquitur Gentilibus; ita & hîc. Neque enim Timotheus, cavendi ſcandali cauſa circumciſus, debitor factus eſt univerſæ legis faciendæ. *Senſus igitur eſt*; Iterùm dico, &, ſi meum teſtimonium recipitis, planè teſtificor omni homini, inter vos Gentiles, circumcidenti ſe, quòd eo ipſo quo circumciſionem recipit, debitorem ſe conſtituit univerſæ, vel, ut in Græco, totius legis faciendæ, id eſt, obligat ſe ad obſervandam totam legem Moſaicam, cujus innumera ſunt præcepta ceremonialia, ac plurima eorum gravia, moleſta, difficilia. Ratio ſententiæ eſt, quia circumciſio erat legis profeſſio. Nam divinitus inſtituta erat, tamquam viſibile quoddam ſignum, quo homines *inſcriberentur* in religionem Judaicam, quæ lege Moſaica continebatur. Senſus.

Quamvis enim circumciſio fuerit antiquior lege; tamen ex quo lex lata eſt, cœpit habere hujuſmodi inſtitutionem: perinde ut baptiſmus in nova lege, quem quicumque ſuſcipit, ſe debitorem conſtituit totius Chriſtianæ legis. Quoniam ergo gentilis poſt Evangelium Chriſti prædicatum, non eas habebat cauſas circumcidendi ſe, quas habere poterat Judæus; conſequens erat ut ſi ſe circumcideret ipſo facto legem profiteretur, eique toti ſe, velut proſelytum, ſubjiceret, atque univerſum legis onus ſubiret.

Voluit autem hoc Apoſtolus Galatis teſtificatum eſſe & expreſsè declaratum, quia malè perſuaſi erant à pſeudapoſtolis Judæis, etiam ſi circumciderẽtur, non fore eos obnoxios toti legi, ſed ſatisfacturos ſi præcipuas legis ceremonias obſervarent, ut Sabbatha, Neomenias, & certa ciborum diſcrimina. Nam neque ipſi magiſtri minuta quæque legis obſervabant, ſed ſatis habebànt, ſi Gentiles per circumciſionem & quædam alia notabiliora legis, quoquo modo ad legem Moſaicam traduxiſſent; ex ea re ſuam aucupantes gloriam apud homines ſuæ gentis ac legis. Unde ſequenti capite dicit de eis Apoſtolus: *Neque enim qui circumciduntur, legem cuſtodiunt; ſed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra glorientur.*

Sed quæres, quomodo qui circumcidebatur debitor erat univerſæ legis faciendæ, cùm ſecumdùm doctrinam præſentis Epiſtolæ, legalium obſervatio fuerit Gentilibus illicita prorſus ac mortifera; ad quam proinde nec per circumciſionem obligare ſe poterant. *Reſpondetur*, eum qui circumcidit ſe, teneri ad ſervanda legalia, non ſimpliciter, neque ex genere operis; ſed ex intentione operantis; Dum enim putat circumciſionem ſibi eſſe neceſſariam ad ſalutem, & ex hac opinione, eam ſuſcipit; conſequenter, eadem opinione durante, tenetur ad totam legem, cujus illa profeſſio eſt, obſervandam; ita ut peccet, ſi non obſervet: tenetur, inquam, non abſolutè, ſed ſuppoſita tali opinione; quæ falſa eſt & abjicienda. Atque hoc eſt quod Theologi docent, conſcientiam errantem obligare hominem; Id quod ex hac Apoſtoli ſententia rectè ſtatuitur. De qua re vide S. Thomæ *commentarium in hunc locum.*

4. EVACUATI ESTIS A CHRISTO QUI IN LEGE JUSTIFICAMINI. Redit ad explicandum id quod dixerat: *Chriſtus vobis nihil proderit.* Illud: *Evacuati eſtis à Chriſto*; Hieronymus putat malè interpretatum eſſe; ac potiùs dicendum fuiſſe, *A Chriſti opere ceſſaſtis.* Eraſmus vertit, *Chriſtus factus eſt vobis otioſus*, Hentenius, *Soluti eſtis à Chriſto*, Theophylacti interpres, *Aboliti eſtis à Chriſto*; Ambroſianus & Auguſt. cum noſtra lectione concordant. Omninm autem idem *ſenſus eſt*; Quicumque, inquit, ex lege juſtitiam quæritis; aboliti, & antiquati eſtis à Chriſto: id eſt, Chriſtus vobis inanis, inutilis, & otioſus factus eſt; nihil vobis negocii cum Chriſto, nihil per eum beneficii vobis expectandum. Eadem Græca phraſis habetur Rom. 7. ubi nos legimus, *Soluta eſt à lege viri.*

Senſus.

A GRATIA EXCIDISTIS. Id eſt, beneficium gratiæ Chriſti perdidiſtis. Nam qui ex lege juſtificari quærunt, non expectant juſtitiam à Chriſto per fidem, ſicut veri Chriſtiani faciunt. In quorum perſona ex adverſo ſubdit.

5. NOS ENIM SPIRITU, EX FIDE SPEM JUSTITIÆ EXPECTAMUS. Spem juſtitiæ dixit Hebræa phraſi, pro ipſa juſtitia quæ ſperatur. Atqui nos, inquit, quicumque rectè in Chriſtum credimus, per ſpiritum, ex fide qua Chriſtum credimus authorem juſtitiæ, ſpe certa juſtitiam exſpectamus & conſequimur; non autem ex lege aut circumciſione.

6. NAM IN CHRISTO JESU NEQUE CIRCUMCISIO ALIQUID VALET, NEQUE PRÆPUTIUM. Id eſt in religione Chriſtiana nihil valet, nihil confert ad juſtitiam & ſalutem, quòd quis circumciſus ſit aut incircumciſus. Hoc idem eſt quod dixit 1. Cor. 7. *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt.*

SED FIDES QUÆ PER CHARITATEM OPERATUR, Scilicet, aliquid valet, & quidem plurimùm, ad juſtitiam ſive acquirendam, ſive exercendam, atque augendam. Eſt enim fides totius juſtitiæ fundamentum; quam tamen non preſtat ſine charitate, id eſt, ea dilectione, quam tot præconiis Apoſtolus commandavit 1. Corinth. 13. Sciendum eſt in Græco ſic legi; *Sed fides per charitatem operata.* Eſt enim participium medium, quod Eraſmus quidem tollendæ ambiguitatis cauſa vertit activè, *per dilectionem operans*; & in annotationibus addit, *agens* rectiùs verti potuiſſe. Quin & plerique expoſitores verbum *operatur*, ſecundum uſum Latini ſermonis activè interpretantur; ut ſenſus ſit, quòd ea fides quæ non otioſa eſt, ſed per dilectionem exercet bona opera, tamquam benè agendi directrix, aliquid valeat in Chriſto.

Verùm huic intellectui obſtat, quod Græcum verbum medium ἐνεργεῖσθαι nuſquam alibi legitur activa ſignificatione, ne quidem apud authores prophanos; ſed ſemper id ſignificat, quod Latinè dicimus agi, ſive, agitari, incitari, impelli, exerceri, aut quid ſimile paſſivum. Unde dicti ἐνεργούμενοι qui à dæmone agitantur. Hujus autem paſſivæ ſignificationis exempla jam obſervavimus in præcedentibus Epiſtolis Pauli; ut Rom. 7. *Paſſiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris.* Et 2. Corinth. 1. *Pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ operatur in tolerantia earumdem paſſionum.* Et ejuſdem Epiſtolæ cap. 4. *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.* Ac rurſus in ſequentibus Epiſtolis occurrent exempla, ut Epheſ. 3. *Secundùm virtutem quæ operatur in nobis.* Coloſſ. 1. *Secundùm operationem ejus, quæ operatur in me in virtute.* 1. Theſſal. 2. *Verbum Dei quod operatur in vobis qui credidiſtis.* Et 2. Theſſal. 2. *Myſterium jam operatur iniquitatis.* Accedit & locus Jacob. 5. *Multum valet deprecatio juſti aſſidua*, Græcè *operata*, id eſt, incitata & vehemens. Occurrunt autem ſubinde & alia verba deponentia, quæ paſſivè ſunt exponenda, cùm activam ſignificationem apud Latinos habeant: quæ proferemus in enarratione loci memorati 2. Theſſ. 2.

Porrò ubicumque verbum *operari*, in ſcripturis manifeſtam habet activam ſignificationem, in Græco habetur, ἐνεργεῖν verbum activum. Cujus duo exempla ſunt in hac ipſa ad Gal. Epiſtola cap. 2. *Qui operatus eſt Petro*, &c. cap. 3. *Qui operatur virtutes in vobis.* Ejuſdem exempla videre eſt Matth. 14. Marc. 6. 1. Cor. 12. Epheſ. 1. & 2. Philip. 2. & alia quæ ſtudioſus facilè deprehendet.

Quæ cum ita ſint, locum præſentem non activè, ſed paſſivè putamus exponendum eſſe; hoc ſenſu: *Sed per charitatem animata, acta, mota, incitata ad opus*, quaſi dicat quæ per charitatem conſtituitur in actu, quamque charitas non ſinit eſſe torpentem & ocioſam. Hunc paſſivum ſenſum tradidit & comprobavit Turrianus *in opere pro Epiſtol. veter. Pontificum, libr. 3. cap. 15. fin.* Imò & Tertullian. *contr. Marc. lib. 5. cap. 4.* hunc locum ita recitat, *Fides quæ per dilectionem perficitur*, quomodo & Syra hoc loco redduntur. Charitas enim eſt velut ignis, anima, ſpiritus: inflammans, vivificans, impellens fidem; quæ ſine charitate frigida, mortua, ocioſa eſt. Unde charitas forma fidei, cæterarumque virtutum à Theologis nuncupatur; uti contrà ſine charitate fides informis & mortua dicitur, ſicut corpus ſine ſpiritu: *Jacob. 2.* Quæ comparatio hîc aptiſſimè quadrat.

Senſus.

Quoniam verò fides ſic per charitatem incitata, agit & exercet bona opera; fit ut ſenſus hic paſſivus, ab activo qui ab aliis traditur, haud multùm diſcrepet, tandemque ambo in unum recurrant. Illud de

nique notandum, contra hæreticos, ſicut & à commentatoribus tam Græcis quàm Latinis diligenter annotatum eſt, cùm fidem in Chriſto Jeſu aliquid valentem reſtringit Apoſtolus, addendo, *quæ per Charitatem operatur*; apertè eum innuere, quòd ſit aliqua fides quæ per charitatem non operatur, ſed ocioſa ſit, & per hoc in Chriſto nihil valeat. Quod quidem expreſſiùs docet idem Apoſtolus 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero*; *nihil ſum.*

7. CURREBATIS BENE. Ex priſtino profectu inconſtantiam eorum accuſat. Priuſquàm, inquit, aures accommodaretis magiſtris, egregiè proficiebatis in fide Chriſti ſuſcepta: quaſi dicat: Eratis in bona vita, nec ſimpliciter ambulantes, ſed magnum facientes progreſſum.

QUIS VOS IMPEDIVIT VERITATI NON OBEDIRE? Græcè, *acquieſcere*. Senſus eſt: quis, obſecro, tantum perſuadendo potuit, ut vos impediret à veritate Evangelii retinenda? Non inquirentis, ſed indignantis interrogatio eſt. Non enim interrogat ut ſciat à quo perſuaſi eſſent; ſed tamen malè, a quoquam homine perſuaderi eos potuiſſe miratur, & dolet. Simul inſinuat in conſequentibus, à diabolo profectam eſſe ejuſmodi perſuaſionem. Chryſoſtomus illud: *veritati non obedire*, prorſus reticet, ac tantùm legit: *Quis vos impedivit?* Sed nec Theodoretum plus legiſſe, ex ejus commentario apparet. Poſteriores tamen Græci, perinde ut & Latini omnes, legunt & exponunt. Certè ſenſus ſine eo probè conſtat, ut verbum *impedivit* referatur ad curſum; hoc modo: *Bene currebatis*: *Quis curſum veſtrum tam bonum interrupit?* Sic enim exponit Chryſoſtomus. Habuimus eamdem particulam ſuperius c. 3. *Quis vos faſcinavit non obedire veritati?* Atque eo loco oſtendimus videri additiam eſſe.

NEMINI CONSENSERITIS. *Hoc quia nec in Græcis libris*, ait Hieronymus, *nec in his qui in Apoſtolum commentati ſunt invenimus*; *prætereundum videtur.* Sic ille; Sed & qui poſt Hieronymum in Apoſtolum ſcripſerunt, Chryſoſtomus, cæterique Græci, item Auguſtinus, Primaſius, Liranus non agnoſcunt, ut nec hodierni codices Græci ac Syriaci nec manuſcripti Latini vetuſtiores, denique nec editio Clementina. Quamquam & id certum eſt, jam olim, etiam Hieronymi tempore Latinos quoſdam codices eam particulam habuiſſe; nam exponunt eam authores commentariorum qui Ambroſii & Hieronymi titulo feruntur, nec ipſe Hieron. in ſuo commentario meminiſſet, niſi legiſſet in quibuſdam; tametſi non appareat ex quo alio loco huc transferri potuerit. *Senſus* autem facilis eſt: Nemini prorſus, quicumque tamdem ille ſit, qui vos ad legalium obſervationem ſolicitat, acquieſcite.

Senſus.

8. PERSUASIO NON EST EX EO QUI VOCAT VOS. In quibuſdam codicibus addito pronomine legitur; *Perſuaſio hæc non eſt*, &c. Hieronymus legit, *Perſuaſio veſtra*; Auguſtinus, *Suaſio veſtra*. Idem pronomen & Syriaca habet interpretatio; Verum tam Græci codices quàm Latini meliores nihil tale addunt. Ac Græcè tantum eſt; Perſuaſio non ex vocante vos. Refertur autem hæc pars ad præcedentem interrogationem, *Quis vos impedivit veritati non obedire?* Eſtque in Græco *perſuaſio* verbale nomen ab illo quod interpres vertit, *obedire*, ut proinde *perſuaſio* non activè debeat exponi, qua quis perſuadet, ſed paſſivè, qua quis perſuadetur vt credat.

Itaque *ſenſus eſt*: Hæc veſtra credulitas, qua tam leviter eſtis perſuaſi recedere ab eo quod à me accepiſtis, non eſt ex eo, qui principio vocavit vos ad fidem; id eſt, ex Deo; ſed potiùs ex diabolo. Hoc enim tacitè vult intelligi. Nam quod Hieronym. *in comment.* perſuaſionem referri tantùm vult ad liberum arbitrium hominum excluſo diabolo; quodque poſt alia, etiam ita ſcribit: *Sive ergo in bonam, ſive in malam partem, nec Deus, nec diabolus in cauſa eſt: quia perſuaſio noſtra non eſt ex eo qui vocavit nos, ſed ex nobis, qui vel conſentimus, vel non conſentimus vocanti*: Hoc, inquam, ut ſonat, nequaquam recipiendum eſt, ac potiùs ad Origenis errores, ex cujus commentariis multa Hieronymus excerpſit, rejiciendum. Quatenus autem Hieronymi ſunt verba, ex iis quæ poſtea contra Pelagium, ſecundùm fidem catholicam, differuit, vel corrigenda vel benignè ſunt interpretanda. Scripſit enim hunc commentarium Pelagio nondum exorto; & per hoc minùs cautè.

9. MODICUM FERMENTUM TOTAM MASSAM CORRUMPIT. Græcè, *totam conſperſionem fermentat*. Atque in hunc modum emendare ſe priorem verſionem Hieronymus profitetur. Apud Auguſtinum quoque fermentandi vocabulum legitur; tametſi textus Ambroſianus cum noſtro convenit. Eſt autem allegorica Apoſtoli ſententia, quam & in prima ad *Cor. Epiſt. cap.* 5. adduxit, cum de fornicario excommunicando loqueretur. Eam non uno modo ad rem præſentem applicant expoſitores.

Nam Græci, quos & Cajetanus ſequitur, ſenſum hunc faciunt. Non eſt, ô Galatæ, quod exiſtimetis rem parvi eſſe momenti, ſi non totam legem, ſed vel ſolam circumciſionem, vel cum ea pauculas obſervationes Moſaicas recipiatis: Nam ſicut modicum fermenti totam maſſam, cui miſcetur, imbuit ſui ſapore; ſic vel exigua legis portio, ſi cum Evangelio miſceatur, ſinceritatem ejus corrumpet: quandoquidem totius & partis, quoad negotium juſtificationis, eadem ratio eſt. Ad hunc ſenſum accedere videtur Hieronym. *in fine lib. 2. comment. in Matth.* Tractans enim illud cap. 16. *Cavete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum*: citanſque hanc Apoſtoli ſententiam; cùm fermenti proprietatem expoſuiſſet, ſubjecit: Ita & doctrina hæretica, ſi vel modicam ſcintillam in tuum pectus jecerit; in brevi ingens flamma creſcit, & totam hominis poſſeſſionem ad ſe trahit.

At verò idem Hieronym. *in hujus loci commentar.* nec non Auguſtinus, Primaſius, cæterique Latini, referunt ad perſonas; quaſi dicat Apoſtolus: Ne putetis paucorum hominum, qui à Judæa venientes aliud docent, inſidias eſſe contemnendas; facilè enim ac citò ad multos penetrabit paucorum doctrina; non ſecus atque fermenti vis ad totam maſſam. Quæ Latinorum expoſitio commendationem habet ex altero loco Apoſtoli, ubi de homine ſeparando agebatur, ne moribus ſuis multitudinem inficeret. Eòdem invitat illud præcedens: *Quis vos impedivit?* & quod ſtatim ſequitur: *Qui autem conturbat vos.* Maximè verò illud quod poſteà dicit, *Utinam & abſcindatur qui vos conturbant*, ſcilicet, ne maſſam totam corrumpant.

10. EGO CONFIDO IN VOBIS IN DOMINO, QUOD NIHIL ALIUD SAPIETIS, ſive ut Ambroſianus legit, *ſentietis*; Quamvis, inquit, aliqua cauſa ſit metuendi ne à paucis multi corrumpamini; tamen benè confido de vobis per Chriſti Domini gratiam, quod non patiemini vos pertrahi in aliam ſententiam, ſcilicet à doctrina, quam accepiſtis, diverſam. Hinc utique manifeſtum eſt, ait Auguſtinus, non illos fuiſſe poſſeſſos à malis ſuaſoribus.

QUI AUTEM CONTURBAT VOS, PORTABIT JUDICIUM, QUICUMQUE EST ILLE. *Judicium* dixit pro pœna quæ juſtè infertur, & eſt ſenſus: Qui veſtram in fide Chriſti tranquillitatem nova doctrina perturbat, juſtas pœnas luet, non effugiet judicium quicumque is fuerit. Notare videtur unum aliquem præ cæteris inſignem turbationis Galatarum authorem. Non liquet utrùm denunciet extremi judicii vindictam, an verò, quod quibuſdam placet, tacitè minetur judicium excommunicationis.

11. EGO AUTEM FRATRES SI CIRCUMCISIONEM ADHUC PRÆDICO: QUID ADHUC PERSECUTIONEM PATIOR? Pſeudapoſtoli quò facilius Galatis circuciſionem perſuaderent, dicebant ipſum Paulum quoque eorum Apoſtolum circumciſionis præconem eſſe; ut qui Timotheum circumcidiſſet, & aliàs non ſemel deprehenſus fuiſſet legis cæremonias obſervaſſe; Quam calumniam refellens Apoſtolus, dicit: *Ego fratres ſi adhuc*, id eſt poſtquam converſus ſum ad Chriſtum, *circumciſionem prædico*, ſervandam; *cur uſque hodie perſecutionem patior à Judæis?* Hoc quippe certum argumentum eſt me circumciſionem & legem non prædicare; quod Judæi, qui pro ſola legis æmulatione mihi infenſi ſunt, adhuc non ceſſent me perſequi: ſecundum illud quod ſuprà dixi, filios ancillæ perſequi filios liberæ.

ERGO EVACUATUM EST SCANDALUM CRUCIS. Sive, ut in Græco melius haberi dicit Hieronymus, *Ergo ceſſavit*; Quod alij vertuut, abolitum eſt; vulgo, ceſſatum vocant. *Si*, inquit, *ego circumciſionem adhuc prædico*; debet ergo ceſſare offenſio Judæorum qua offenduntur ob crucis prædicationem; Non enim tam offendit eos prædicatio Chriſti crucifixi; quam legis per crucem abolitæ: Vellent enim legem cum Chriſto retinere. Sic Hieronymus.

Alij ſcandalum crucis exponunt ipſam crucem Chriſti, quæ Judæis Chriſtum ſibi promiſſum exſpectantibus, ſcandalo fuit, ne præſentem, & in propria venientem reciperent. Unde Apoſtolus 1. Corinth. 1. *Nos*, inquit, *prædicamus Chriſtum crucifixum*, *Judæis quidem ſcandalum Gentibus autem ſtultitiam.* Ita
Senſus. ſenſus erit: Si ego circumciſionem & legem adhuc prædico: ergo, ſecundùm meam doctrinam, abolita eſt crux Chriſti, cujus humilitas & ignominia Judæos tantopere offendit & avertit à fide Chriſti; Tamquam dicat; Ergo fruſtra crucem Chriſti prædica-
Suprà cap. 2. fin. mus, cum tanto Judæorum ſcandalo. Sequela manifeſta eſt; Quia *ſi per legem juſtitia; ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* Juxta hunc ſenſum valde probabilem, quem tradit Auguſtinus, deducit Apoſtolus argumentationem hac parte ad incommodum longé majus, quàm parte præcedenti.

12. UTINAM ET ABSCINDANTUR QUI VOS CONTURBANT. Græcè, *qui vos labefactant*, Eſt enim in Græco diverſum vocabulum ab eo quod ſuprà; *Qui autem conturbat vos*: ſignificat autem, à ſtatu dimovere ac dejicere, aut certè hujuſmodi dejectionem moliri; pro quo Tertullianus & Ambroſianus legunt, Qui vos ſubvertunt; id eſt, qui ſtudent vobis auferre libertatem in qua ſtatis, atque ex ea deturbare vos conantur. Nam ſequitur: *vos enim in libertatem* &c.

Porrò quam abſciſſionem hîc nominet Apoſtolus variant opiniones: Hieronymus, Ambroſianus, & Græci omnes ita exponunt; Utinam qui circumcidi vos volunt, & per hoc commovent; ipſi, non dico circumcidantur ablatione pelliculæ (ſunt enim circumciſi) ſed exſecentur etiam, ſcilicet amputatione totius membri, de cujus circumciſione tam graves motus excitant. *Senſus* hic etiam Cajetano probatur; nec immeritò; Siquidem Apoſtolus etiam alibi de carnali circumciſione per contemptum, contra Judaizantes, loquitur, ut Philip. 3. *Videte circumciſionem; nos enim ſumus circumciſio*, & rurſum, *Quorum gloria in confuſione* ſeu pudore, id eſt, ſecundùm quoſdam in pudendis ipſorum, nempe quia gloriabantur in membro illo circumciſo; & glorioſum ducebant, ſi illam circumciſionis ceremoniam quàm plurimis perſuaderent. Unde & ſequenti capite de iis dicit; *Sed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra glorientur.*

Quod ſi quæras, cur hac tali imprecatione non peccet Apoſtolus contra id quod alibi præcipit: *Benedicite & nolite malidicere*, Roman. 12. Reſpondet poſt Hieronymum Cajetanus, hanc maledictionem non ex odio, ſed ex juſtitia profectam eſſe. Juſtum enim erat, ut illi tale quid paterentur. Quamquam alij dictum hoc Apoſtoli per jocum excuſant. Attamen hic ſenſus Auguſtino, & Thomæ non placet; Sed hi ex maledictione benedictionem faciunt, de ſpirituali pudendorum abſciſſione Apoſtolum interpretantes, hoc ſenſu: Utinam ſpadones fiant propter regnum cælorum. Sic enim futurum, ut deſinant carnalem circumciſionem magnificare.

Alij denique loqui putant Apoſtolum de abſciſſio- Senſus probabilior.
ne, id eſt, ſeparatione hominum, quæ fit per excommunicationem. Qui ſenſus, præterquàm quod Apoſtolico ſpiritu dignior eſt quàm primus ille, non parum etiam probabilitatis accipit ex ipſo Apoſtolo. Jam enim dixerat: *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* In quibus verbis continetur excommunicationis cauſa; videlicet, periculum contagii; deinde viſus eſt excommunicationem minari, cùm dixit: *Qui autem conturbat vos, portabit judicium*: nam ſecundùm Tertullianum excommunicatio præjudicium quoddam eſt ad extremum judicium Dei. *Adde*, quod abſcindere, pro eo quod ſeparare à conſortio, ſeu converſatione, etiam alibi legitur in ſcripturis, ut Eccleſiaſtici 25. de muliere nequam: *A carnibus tuis abſcinde illam.* Iſa. 53. *Abſciſſus eſt de terra viventium.* Ezech. 37. *Periit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus.*

Jam verò magis etiam hic ſenſus placebit, ſi præſens locus conferatur cum eo qui eſt 1. *Corinth.* 5. ubi fornicarium excommunicandum decernit Apoſtolus. Nam & illic adducit eamdem ſententiam. *Modicum fermentum* &c. Et antè dixerat *Ut tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit.* Quod idem ferè eſt cum his verbis: *Utinam & abſcindantur qui vos conturbant.* Unde & ibidem concludit; *Auferte malum ex vobiſipſis*, quod eſt abſcindere Sed & judicij meminit eo loco: primùm cùm ait: *Jam judicavi ut præſens tradere hujuſmodi hominem* &c. Et poſteà: *Quid mihi de iis qui foris ſunt, judicare? nonne de iis qui intus ſunt, vos judicatis?*

Ex quibus omnibus apparet Apoſtolum dicentem: *Utinam & abſcindantur*, optare ut non ſolùm portent qualecumque judicium, qui Galatarum ſtatum turbabant, verùm etiam anathema fiant, per excommunicationis gladium amputandi penitus ab illorum conſortio. Quòd ſi Paulus abſciſſionem eam, quam Chryſoſtomus interpretatur, intelligi voluiſſet, uſus fuiſſet ejuſdem verbi compoſito cum Græco περιτέμνειν, circumdere, ut alluſionem lector animadverteret. Atqui non dixit ἀποτέμνονται, quamvis in uſu ſit apud Græcos, ſed ἀποκόπτονται.

13. VOS ENIM IN LIBERTATEM VOCATI ESTIS FRATRES. Dixi, inquit, *qui vos conturbant*, id eſt dimovere conantur à ſtatu libertatis; quia vos, fratres, in libertatem vocati eſtis à Chriſto. *Libertatem* intelligit eam præcipuè, cui contraria eſt ſervitus legis, ad quam Galatas pertrahere volebant pſeudapoſtoli, hoc eſt, libertatem à ceremoniis, & jugo legis Moſaicæ; Cui tamen libertati conjuncta etiam erat libertas à peccato, & à timore ſervili, qui proprius erat effectus veteris Teſtamenti. His enim velut tribus partibus Evangelica libertas conſtat & perficitur; & ipſa eſt, ad quam, ſecundùm Apoſtoli doctrinam, omnes fideles à Chriſto vocati ſunt.

Quocirca mentem Apoſtoli pervertunt hæretici; Obſ. contra Hæreticos libertatem Chriſtianam male interpretantes immunitatem à legibus humanis.
Primùm, qui libertatem hanc Chriſtianam & Evangelicam interpretantur immunitatem à legibus humanis; Quibus utique parendum eſſe, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam idem Apoſtolus apertiſſimè docet, *Rom.* 13.

Deinde & illi qui libertatem ab Apoſtolo commendatam in eo conſtituunt, ut unuſquiſque Chriſtianus in conſcientia & extra ſcandali periculum liber ſit ad agendum vel non agendum ea quæ per ſe non continent rationem juſtitiæ, quæ illi vocant

ἀδιάφορα; quale eſt uxorem ducere, aut non ducere: carnes edere, aut non edere; & alia hujuſmodi. Quæ doctrina, perinde ut ſuperior, humanam poteſtatem legum ferendarum tollit è medio, & prætereà retrahit homines à multis, quæ veram libertatem Chriſtianam promovent; ut ſunt in primis Evangelica conſilia.

TANTUM NE LIBERTATEM IN OCCASIONEM DETIS CARNIS. Ellipſis eſt in Græco: Deeſt enim verbum. Sic autem habet; *Tantum ne libertatem in occaſionem carni.* Nam dativus *carni* etiam apud Hieronymum & Ambroſianum legitur. Itaque verbum, *detis*, ipſo Hieronymo teſte, ab interprete additum eſt ad ſupplendam ſententiam, quamquam & *capiatis*, aut ſimile quid, ſuppleri poterat.

Pulcrè verò per occaſionem vocabuli *libertatis* tranſitum hoc loco facit Apoſtolus ad moralem exhortationem, quæ durat uſque ad illud capitis ſequentis: *Videte qualibus literis*, &c. Cùm enim libertatem animus carnalis facilè cogitet eam qua liberum cuique ſit agere quidquid libitum eſt; adeò ut nec defuerint hæretici, qui ſic libertatem Chriſtianam interpretarentur: monet Galatas nec libertatem, in quam vocatos eos dixit, malè intelligentes, eo nomine abutantur ad ſerviendum carni. Quam verò carnem Apoſtolus vocet, ex ſequentibus intelligetur.

SED PER CHARITATEM SERVITE INVICEM. Quaſi dicat. Hæc libertas de qua loquor, adeò non laxat carni habenas, ut etiam ſervitutem illi contrariam Chriſtianis imponat, eam ſcilicet qua quiſque proximo ſuo ſubſervit, exhibendo charitatis officia, quibus eum videt indigere. Servit enim qui alterius commodis ſtudet; ſed hoc ipſum ex charitate faciendum eſt. Quidam codices legunt, *per charitatem ſpiritus*, pro quo Ambroſianus, *per dilectionem ſpiritus*. Verùm in præſtantioribus quibuſque manuſcriptis non additur *ſpiritus*; ut nec in Græco & Syriaco; ſed & Hieronymus & Auguſtinus non agnoſcunt.

14. OMNIS ENIM LEX IN UNO SERMONE IMPLETUR: Græca addunt, *In hoc*, ſcilicet ſermone, qui ſequitur, DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM. Senſus Apoſtoli eſt: Cùm dico vos in libertatem vocatos eſſe, non revoco vos omninò à lege, ſed ſolùm ab ea quæ propria eſt ſervorum, quæque vocationi veſtræ repugnat, id eſt, à lege ceremoniali. Quod enim ad legem moralem attinet, in cujus obſervatione libertas veſtra, quæ eſt à peccato, conſiſtit; quæque eadem lex Chriſti eſt, hortor & moneo, ut per charitatem ſerviatis invicem: & ſic eam legem implebitis. Tota enim lex hujuſmodi impletur obſervatione unius mandati, quod eſt; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Simile quid dicit capite ſequenti: *Alter alterius onera portate; & ſic adimplebitis legem Chriſti*: niſi quod *alterius onera portare*, tantùm pars eſt ejus quod eſt *per charitatem ſervire invicem, & proximum ſicut ſeipſum diligere.*

Senſus.

Quis proximus, & quid diligere proximum, vide alibi.

Quæri hîc poſſet, quis dicatur *proximus*, & quis dicatur *diligere proximum* ſicut ſeipſum; & quomodo, qui proximum ſicut ſeipſum diligit, totam legem impleat, cùm lex non ſolum proximi, ſed etiam Dei diligendi præcepta contineat: Sed hæc à nobis explicata ſunt *in commentar. Epiſt. ad Roman.* 13. ad illa verba præſenti loco prorſus conſonantia: *Qui diligit proximum legem implevit. Nam non adulterabis*, &c. *in hoc inſtauratur. Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Proinde nihil opus eſt hîc eadem repeti. Tantùm addo, præceptum hoc ab Apoſtolo vocari *ſermonem*, ſive ut in Epiſtola Roman. interpres vertit, *verbum*, ea ratione qua decem præcepta legis Deut. 4. & 10. ab ipſo Moyſe vocantur decem verba legis, nimirum ob brevitatem verborum, quibus ſingula præcepta comprehenduntur, ut quaſi ſingula verba videri poſſint.

15. QUOD SI INVICEM MORDETIS ET COMEDITIS, VIDETE NE AB INVICEM CONSUMAMINI. Pro *comeditis*, alij vertunt, *devoratis*, Nam Græcum κατεσθιετε plus ſonat quàm comedere. Quod ſi vos, inquit, contra præceptum hoc mutuæ dilectionis, invicem mordetis & comeditis, id eſt, læditis ſeu leviùs ſeu graviùs, quod eſt contra præceptum illud dilectionis, quo dixi totam legem impleri: cavendum eſt, ne vos mutuò perdatis, id eſt, ne omninò privetis vos ſalute quæ eſt in Chriſto. Hanc perditionem, *conſumptionem* vocat, ut perſiſtat in metaphora morſus & comeſtionis.

Senſus.

Ad quas autem mutuas Galatarum injurias ſpeciatim Apoſtolus reſpiciat, non liquet. Videntur intelligi obtrectationes & injuriæ quædam graviores, quibus ſe mutuò affecerant, ſive occaſione contentionis, quam inter ſe de lege & circumciſione habebant, ſive (ut facilè contingit) etiam ex aliis cauſis. Unde & generalem deinceps doctrinam ſubjicit, de vitiis & virtutibus.

16. DICO AUTEM; SPIRITU AMBULATE, ET DESIDERIA CARNIS NON PERFICIETIS. Græcè, numero ſingulari, *deſiderium*, ſive *concupiſcentiam*. Hoc apud Ambroſianum, illud apud Hieronymum legitur. *Senſus*: Quod dicere volo, tale eſt, Eorum quæ modò dixi, hæc ſumma eſt: Vivite & converſamini ſecundùm dictamen Spiritus ſancti, manifeſtatum vobis in lege dilectionis. Quod ſi feceritis, quamvis caro ſolicitet ad peccata, non tamen facietis nec opere nec conſenſu id quod caro deſiderat aut concupiſcit. *Obſervandum* quod non ait, Et deſideria carnis non habebitis, ſed *non perficietis*. Quod non dicitur ad diſtinctionem ejus quod eſt facere, ſed ejus quod eſt, habere. Nam deſideria carnis non habere, id eſt, pravos motus carnis non ſentire, impoſſibile eſt in hac vita; non conſentire autem, poſſibile fit nobis per ſpiritum. Illud, *non perficietis*, poteſt etiam præceptivè intelligi, ne perficiatis; ſicut dictum eſt, Diliges, id eſt, dilige; tametſi prior ſenſus, qui ab omnibus traditur, convenientior eſt, & ex ſequenti ſententia probationem accipit. Similiter nomine *Spiritus*, ſignificari Spiritum ſanctum, ut interpretati ſumus, non autem, ut quidam volunt, ſpiritum humanum, quatenus tamen per Spiritum ſanctum renovatus ſit, oſtendemus in eo quod ſequitur.

Senſus.

17. CARO ENIM CONCUPISCIT ADVERSUS SPIRITUM, SPIRITUS AUTEM ADVERSUS CARNEM. *Quæritur* quid per carnem & ſpiritum adverſum ſe invicem concupiſentes Apoſtolus intelligat. Liranus & alij nonnulli, duplicem hominis appetitum ſignificari putant: inferiorem, qui fertur ad ſenſibilia, & ob id ſenſitivus appetitus vocatur, alio nomine ſenſualitas; & ſuperiorem, id eſt, intellectum ſeu rationalem apetitum, quo diliguntur intelligibilia, quæ ſenſu percipi nequeunt.

Quæſtio.

Sed refellitur hic commentarius: *Primùm*, quia hi duo appetitus in multis ſunt, & non pugnant, ut in hominibus carnalibus, in quibus rationalis voluntas obſequitur deſideriis carnis. At ubicumque illa duo ſunt quæ nominat Apoſtolus; neceſſe eſt ea ſibi invicem adverſari. Nam inter hæc ubique pugnam & inimicitiam conſtituit, *ut Rom.* 8. & alibi qua ratione ad improbandum hunc commentarium utitur Auguſtinus *ſerm.* 43. *de verbis Domini.*

Deinde refellitur, quia quod carni tribuit Apoſtolus, ſcilicet concupiſcere adverſus ſpiritum, id ipſum etiam in parte intellectiva reperitur, quemadmodum benè docet Auguſtinus *lib.* 8. *confeſſ. cap.* 5. *& ſeqq.* Non enim ſolùm appetitus inferior adverſus ſuperiorem movetur, verùm etiam ipſe ſuperior ſeu rationalis appetitus in ſeipſo contrarietatem hujuſmodi patitur, dum in homine juſto voluntas, in quantum eſt per gratiam renovata, diligit æterna & cæleſtia bona; quatenus autem vetuſtati adhuc

obnoxia, terrenis commodis & delectationibus afficitur.

Adde quod Apoſtolus in ſequentibus quædam enumerat inter opera carnis, quæ proprie ad appetitum ſenſitivum referri non poſſunt; uti ſunt idolorum ſervitus, ſectæ, invidiæ: Quod poſtremum vitium etiam eſt in dæmonibus, quos utique conſtat appetitu ſenſitivo præditos non eſſe.

Propter hæc, alii per carnem intelligunt animam, quatenus carnalis eſt, id eſt, ad vitia proclivis; per ſpiritum verò, eamdem animam, quatenus ſpiritualis eſt, id eſt, per Spiritum ſanctum reformata.

Rurſus alii (quod eodem recidit) hominem ipſum intelligi volunt; qui unus & idem caro dicitur qua parte carnalis eſt; & ſpiritus qua parte ſpiritualis. Nam Apoſtolus Paulus, qui profectò ſpiritualis erat, carnalem ſe vocat Roman. 7. propter fomitem peccati. Pro hac expoſitione poteſt illud adferri Joa. 3. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Verùm, ut hoc aliquo modo probabile ſit: ſi tamen diligentiùs hunc Apoſtoli locum expendamus, & cum iis quæ alibi ſcribit conferamus; inveniemus nomine carnis, ipſam carnalem concupiſcentiam ex prima tranſgreſſione nobis inſitam; ac nomine ſpiritus, ipſum Spiritum ſanctum ſignificari. Nam quod hîc carni tribuit, dicens; *Manifeſta ſunt opera carnis* &c. id ad Roman, 7. tribuit concupiſcentiæ ſub nomine peccati, dum ait: *Peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*, id eſt, omne genus pravorum deſideriorum. Et iterùm: *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Hanc quoque pugnam carnis concupiſcentis contra ſpiritum, eodem loco concupiſcentiæ tribuit, ſub nomine legis membrorum, & peccati, ſic inquiens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* *Carnem* hoc modo interpretatur Ambroſianus, uſus argumento, quod dixi, *ex epiſt. ad Rom.*

Quàm verò late pateat caro, id eſt, concupiſcentia; quamvis præſens Apoſtoli locus ſatis doceat, ea tamen de re, vide etiam, ſi lubet, quæ diximus ad illud Rom. 7. *Concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret, Non concupiſces.* Per *ſpiritum* verò Spiritum ſanctum ſignificari clarè docetur ex cap. 8. ejuſdem ad Rom. epiſtolæ. Nam quod hîc ſtatim dicitur, *quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*; illic de Spiritu ſancto exponitur iis verbis: *quicumque ſpiritu Dei aguntur* ſive *ducuntur* (eſt enim idem utrobique verbum in Græco) *ii ſunt filii Dei.* Quo loco ſunt & aliæ ſententiæ, in quibus Apoſtolus carni ſpiritum opponens, eumdem modò ſpiritum Dei, modò ſpiritum Chriſti interpretatur.

Iſtud etiam hujus loci quod paulò pòſt ſequitur, *Fructus autem ſpiritus eſt* &c. non de alio ſpiritu convenientiùs, quàm de Spiritu ſancto poteſt accipi. De quo proinde & ſententiam præſentem Hieronymus, Anſelmus, Aquinas, Cajetanus in commentariis, & Auguſtinus variis locis, intellexerunt. Nec ab his diſſentiunt Theodoretus, & Oecumenius, qui ſpiritum exponunt gratiam Spiritus ſancti; nec Ambroſianus qui legem Dei oppoſitam legi peccati.

Denique confirmat hanc expoſitionem carnis & ſpiritus illa Domini ſententia ſuperiùs citata: *quod natum eſt ex carne*, &c. ubi caro & ſpiritus id planè ſignificant priori loco, quod jam expoſuimus; licet poſteriori loco, per analogiam pro homine carnali & ſpirituali accipiantur.

Senſus. Ut igitur Apoſtolicam ſententiam explicemus; *caro concupiſcere dicitur adverſus ſpiritum*, quia carnalis concupiſcentia, quam ex Adam traximus, excitat & commovet in nobis prava deſideria Spiritui ſancto contraria: ut propter hoc etiam ipſa peccatum vocetur ab Apoſtolo, quia nimirum ad peccatum inclinat. *Spiritus autem concupiſcere dicitur adverſus carnem*; quia ſancta deſideria quæ carni contraria ſunt, in nobis excitat. Ac breviter, *Caro concupiſcit*, id eſt, concupiſcere nos facit, *adverſus ſpiritum*; & *ſpiritus concupiſcit*, id eſt, concupiſcere nos facit, *adverſus carnem*; videlicet ea locutione, qua alibi dicitur idem ſpiritus poſtulare & clamare; quia poſtulantes & clamantes nos facit. Vide Auguſtinum *Ench.* 12. *lib.* 1. *de nupt. & conc. cap.* 28. *&* 29. *contra Jul. lib.* 3. *cap.* 26. *&* 27. *& lib.* 6. *cap.* 5. Item *lib. de natura & gratia cap.* 52. 53. *&* 56. *& lib.* 8. *confeſſ. à cap.* 5. *uſque ad* 11. Hæc autem pugna non eſt nobis naturaliter à Deo inſita, ut Caſſianus tradere videtur *Collat.* 4. *&* 7. ſed eſt ex peccato: Tametſi Caſſiani verba nonnulli benignè conentur interpretari.

HÆC ENIM SIBI INVICEM ADVERSANTUR: UT NON QUÆCUMQUE VULTIS, ILLA FACIATIS. Græcè, *Hæc autem.* Et ſenſus eſt: Hæc quæ dixi, caro & Senſus. ſpiritus contrariis motibus ac deſideriis ita pugnant inter ſe, in hominibus juſtis, quales vos eſtis; ut propter eam cauſam non omnia quæ vultis faciatis. Vultis enim omninò non pati motus carnis, ſed ſine repugnantia quod bonum eſt facere: verùm, impediente carne, non facitis, imò nec, durante hac mortalitate, facere poteſtis. Ideoque non dixi, *Et deſideria carnis* non habebitis, non ſentietis; ſed *non perficietis.* Conſonat hic locus cum illa ſententia bis poſita Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago.* Proinde alterum ex altero declarandum.

18. QUOD SI SPIRITU DUCIMINI, NON ESTIS SUB LEGE. Id eſt, Si vos Spiritus ſanctus movet, agit, impellit, ſi, quemadmodum ſuprà dictum eſt, ſpiritu ambulatis: jam non eſtis ſub lege, ſcilicet terrente, premente, vindicante; quomodo ſub lege ſunt homines apertè mali, vel qui ſerviliter tantùm Senſus. ea quæ legis ſunt, faciunt. Nam vos per ſpiritum libenter ac ſponte facitis ea quæ lex præcipit. Sub lege eſt, qui timore ſupplicii quod lex minatur non amore juſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus à voluntate peccandi. Auguſt. *de nat. & grat. cap.* 57. Congruit huic ſententiæ quod idem Apoſtolus ſcribit 1. Tim. 1. *Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis* &c. Quod ſuo loco pleniùs exponendum eſt. Sicut autem illic, ita & hîc loquitur Apoſtolus de lege morali, de qua jam dixerat: *Omnis lex in uno ſermone impletur.* Quoniam verò jugum legis ceremonialis per ſe ſervile erat; hinc conſequenter intelligendum relinquit, incongruum eſſe, ut qui ſpiritu ducuntur, & per hoc à ſervitute legis moralis liberi ſunt, jugo legis ceremonialis ſeſe ſubmittant.

19. MANIFESTA SUNT AUTEM OPERA CARNIS, *Opera carnis* vocat omnia illa ad quæ caro, id eſt, concupiſcentia carnalis homines incitat: cujuſmodi non ſolùm ſunt peccata quæ propriè carnalia dici ſolent, id eſt, quæ corporis delectatione perficiuntur, & 2. *Cor.* 7. inquinamenta carnis vocantur; verùm etiam quæ ſpiritualia. Nam utriuſque generis peccata hîc ab Apoſtolo recenſeri, jam antè monuimus. Atque ex eo, carnem non ita ſpecialiter, ut quidam voluerunt, hoc loco accipi poſſe, benè probat Auguſtinus, cum alibi, tum *lib.* 14. *de civ. cap.* 2. *&* 3. Dicuntur autem *manifeſta opera carnis*, quia manifeſtum eſt talia quæ hîc enumerat, non ſpiritu divino, ſed concupiſcentia carnis inſtigante, fieri.

QUÆ SUNT FORNICATIO, IMMUNDITIA, IMPUDICITIA, LUXURIA. In hac operum carnis enumeratione, nonnihil diſcrepant Latina à Græcis; & ipſa Latina inter ſe. Græca fornicationi adulterium præmittunt, aſtipulante Ambroſiano & Auguſtino libr. 14. de civit. cap. 2. At nobiſcum facit idem Auguſtinus in commentario, nec non Hieronymus adulterium omninò prætermittentes. *Fornicationem* quidam intelligunt concubitum ſoluti cum ſoluta,

ut sit species ab adulterio distincta: Verùm ex aliis scripturæ locis constat nomen esse generale ad omnem concubitum maris & fœminæ non conjugalem; ut etiam adulterium & incestum comprehendat, velut Matth. 5. 1. Cor. 5. & alibi.

Notandum pro tribus illis, *immunditia, impudicitia, & luxuria*, duo tantùm in Græco nominari, quæ eadem habentur 2 Cor. 12. ubi Latinè vocatur immunditia & impudicitia. Græcis Syra consentiunt, & multa manuscripta Latina, quæ *impudicitiam* non agnoscunt; uti nec Hieronymus, nec Augustinus tam *lib.* 14. *de civit.* quam in *comment.* nec Beda *in hom. dedicat. altar.* ubi ex hoc Apostoli loco, tam opera carnis, quam fructus spiritus ordine recenset; sed tantùm immunditiam, & luxuriam legunt; pro quibus Ambrosianus, impuritatem & obscœnitatem. Unde satis apparet *impudicitiam & luxuriam*, ex diversis editionibus acceptas, respondere uni vocabulo Græco. Quid autem immunditia, & impudicitia, sive, ut hîc legitur, luxuria significent, & quomodo differant, diximus *in expositione* 2. *Cor.* 12.

20. Idolorum servitus. *Servitutem* pro cultu dixit interpres, nam Græcè est εἰδωλολατρεία. Quomodo contingat Christianum hoc peccato coinquinari, declaratum est ad illas Apostoli præceptiones 1. Cor. 10. *Neque idololatræ efficiamini, &, Fugite ab idolorum cultura.* Quo autem sensu cultus idolorum, & quæ deinceps sequuntur, ab Apostolo vocentur opera carnis; jam liquet ex iis quæ de carnis significatione supra diximus. De qua re consule etiam Augustinum *loco jam citato de civit. Dei.* Cæterùm Galenus *catech.* 82. putat intelligi illam idololatriam, de qua *Eph.* 5. *& Col.* 3. Argumento esse potest, quòd etiam hîc adjungatur peccatis libidinum.

Veneficia. Græcè numero singulari φαρμακεία, id est, *veneficium.* Qua voce propriè quidem significatur veneni procuratio, etiamsi non habeat magicum aliquid conjunctum; sed extendi solet tam Græca vox quàm Latina ad omnia opera magica, quæ nos maleficia vocamus, per quæ nimirum ex pacto cum dæmonibus inito, nocumenta inferuntur hominibus aut eorum possessionibus. Unde Hieron. artes maleficas hîc interpretatur. Secundùm quam acceptionem aptè subjungitur *veneficium idololatriæ*; quia per hoc peccati genus dæmonibus honor & cultus quidam exhibetur. At secundùm priorem significationem, convenit cum sequentibus.

Inimicitiæ. Vitium eorum est, qui odia exercent contra alios; non eorum qui hæc patiuntur. Quantum enim in nobis est, ait Hieronymus, nullius esse debemus inimici, sed cum omnibus habere pacem.

Contentiones, æmulationes, iræ, rixæ. Quatuor hæc vitia eodem prorsus ordine nominantur in 2. Cor. 12. Pro *contentione* (nam in Græco singularis est numerus) alii litem vertere malunt. Significat autem pugnam verborum vehementem, qualis inter inimicos; Tametsi potest in genere intelligi discordia; sicque faciliùs distinguetur à quarto vitio huic affini secundum Græca vocabula. Quid autem sit *æmulatio* quum in vitio ponitur, explicat Cicero *libr.* 4. *Tusc. quæst.* docetque esse ægritudinem seu dolorem animi inde natum, si eo quod quis concupierit alius potiatur, ipse careat.

Porrò quas interpres vulgatus hoc loco vertit *iras & rixas*; idem in 2. ad Corinth. transtulit *animositates & dissensiones.* Sed & Augustinus hîc non iras, sed animositates legit tam in *comment.* quam *lib.* 14. *de civit.* Significatur enim in Græco non qualiscumque ira, sed impetus ac fervor animi exardescentis ad vindictam. Hebræi furorem vocare solent. Denique vitium hoc quod interpres transtulit *rixas*, Græcis teste Hieronymo tale est, cùm quis semper ad contradicendum paratus, stomacho delectatur alieno.

Dissensiones. Alii vertunt, seditiones; Rectiùs arbitror dissidia vocari: qualia sunt aut domesticorum inter se, aut civium, aut etiam fidelium, exempli gratia dicentium: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ.*

Sectæ. Græcè αἱρέσεις, id est, dissidia opinionum in doctrina religionis, aut certè ipsæ opiniones sanæ doctrinæ adversantes. Sic enim videtur Apostolus hæreses accepisse 1. Corinth. 11. dicens: *Oportet autem & hæreses esse.* Quæ eadem acceptio benè congruit huic loco. Cùm enim dissensiones seu dissidia jam nominasset, subjicit hîc præcipuam ejus speciem. Cajetanus autem, quum dicit non hîc esse sermonem, de hæresibus in fide Christi, sed in civilibus seu moralibus à communi bono rececedentibus; non videtur satis attendisse ad hujus vocabuli significationem & usum in scripturis; ubi semper, aut plerumque ad religionem refertur; licet interdum etiam in bonam partem accipiatur, *ut Act.* 24. *& 26.*

21. Invidiæ, homicidia. Hæc eadem conjunxit Apostolus Rom. 1. Sunt enim consona vocabula φθόνοι, φόνοι. Cæterùm Augustinus *homicidia* non legit. Hieronymus etiam disertè excludit, cum reprehensione Latinorum codicum; Unde nec hîc textum habemus, sicut eum Hieronymus emendavit. Verùm quoniam non in Latinis modò, verùm etiam in Græcis hæc pars legitur, eamdemque Theophylactus *in commentario* declarat; utique non est à nobis expungenda. Quomodo autem differant æmulationes, quas dixit paulò antè, & invidiæ quas nunc dicit; vide nostrum *Comm. Jac.* 4.

Ebrietates, comessationes, et his similia: Hæc duo vitia, *comessationes, & ebrietates* conjunxit etiam *Rom.* 13. Ubi & quæ dicantur comessationes, exposuimus. De ebrietate, vide quæ commentati sumus *ad* 1 *Cor.* 5.

Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Græcè, *Regnum Dei non hæreditabunt*, sive, ut explicatiùs legit Tertullianus *libr. de resurrectione carnis cap.* 49. *Regnum Dei non sunt hæreditate consecuturi.* Pro quo Hieronymus & Augustinus, regnum Dei non possidebunt. Sic enim & noster interpres Græcum verbum reddidit 1. *Cor.* 6. Quo quidem loco phrasis hæc Apostolica diligenter à nobis explicata est. Quod autem ait, *prædico, & prædixi;* respicit diem judicii & retributionis operum nostrorum, quasi dicat. De quibus operibus carnis prædico vobis & præmoneo, priusquam veniat tempus illud retributionis; sicut & prædixi ac præmonui quum apud vos essem: eos qui hæc & similia agunt, non accepturos hæreditatem regni Dei. Sensus.

Sed *quæritur*, quomodo verum hoc sit, cùm inter opera superiùs enumerata sint quædam suo genere non mortalia peccata, sed venialia tantùm, quæ non excludunt à regno cælorum; ut contentiones, æmulationes, iræ & hujusmodi. *Respondeo* cum S. Thoma, quæcumque hîc enumerata sunt esse aliquo modo mortalia; sed alia quidem secundùm genus suum, ut fornicationem, idololatriam, homicidium &c. quædam verò mortalia secundùm suam consummationem; velut iram, cujus consummatio est in grave nocumentum proximi; In quod proinde si consensus accesserit, peccatum erit mortale. Et sic de cæteris. Eamdem quæstionem paulò aliter, & obscuriùs solvit Cajetanus, ad quem lectorem subtiliorem remitto.

22. 23. Fructus autem spiritus est. Opera spiritus maluit Apostolus *fructum spiritus* vocare, quàm opera, ut ipso vocabulo ea commendaret, Nam sicut fructus arborum & utilitatem vitæ præstat hominibus, & delectationem; ita virtutes & opera quæ in nobis producit Spiritus sanctus, & vitam æternam adferunt, & ipsa quoque per se, veram ac solidam delectationem pariunt in animis operantium,

rium, quemadmodum eruditè docet S. Thomas in commentario. Hinc idem Apostolus *Rom.6.* de operibus justitiæ loquens: *Habetis*, inquit, *fructum vestrum in sanctificationem; finem verò vitam æternam.* Vocat autem *fructum* Spiritus-sancti, singulari numero; propter connexionem omnium in charitate, tamquam principali dono Spiritus-sancti; quam propter hoc primo loco posuit.

CHARITAS, GAUDIUM, PAX, PATIENTIA, BENIGNITAS, BONITAS, LONGANIMITAS, MANSUETUDO, FIDES, MODESTIA, CONTINENTIA, CASTITAS. Pro his duodecim, in Græco tantùm habentur novem. Absunt enim *patientia*, *modestia*, & *castitas*. Ambrosianus numerat decem, juxta numerum (ut inquit) decem præceptorum decalogi. At Græcis consentiunt Hieronymus & August. *in commentariis*, ac rursum ille lib. contra *Jovinianum*: hic verò *tract. 87. in Joannem*, ubi locum hunc recitat, & singulatim exponit. His consentit & Beda *in homil. superius citata*. Prorsus autem verisimile est eadem Græca vocabula diversis aliter & aliter fuisse translata, ut μακροθυμίαν, *patientiam*, & *longanimitatem*; χρηστότητα *modestiam* & *mansuetudinem*; ἐγκράτειαν *continentiam* & *castitatem*.

Unde factum ut tot Latinis vocabulis, nimia quorumdam diligentia, congestis in codicem vulgatæ versionis, numerus excreverit. Quod ipsum & ex Hieronymi *commentario* colligitur. Argumentum ejus rei, quòd in quibusdam Latinis libris *longanimitas* & *patientia* loco transponantur, ut illa sit quarta; hæc, octava. Ita vidimus in manuscript. Laudensi. Charitas hoc loco non alia intelligenda est; quàm illa de qua cùm alibi sæpe, tum ex professo disseruit Apostolus 1. *Cor.* 13.

Cætera quæ deinceps sequuntur, ipsius charitatis quædam germina sunt; quemadmodum per singula breviter & pulchrè declarat Augustinus tract. memorato in Joannem. *Gaudium* intelligitur spirituale, quod idem Apostolus *Rom.* 14. vocat gaudium in Spiritu-sancto. Est enim delectatio in iis bonis quorum author est Spiritus-sanctus, qualia sunt quæcumque ad nostram pertinent sanctificationem. Opponitur autem invidiæ & æmulationi. *Pax* quam *eodem loco ad Rom.* ac rursum *cap.* 15. gaudio conjunxit Apostolus; tranquillam & pacificam cum proximis conversationem significat; atque opponitur inimicitiis. *Patientia*, sive quod Græca vox sonat, *longanimitas*, quam multi Latini codices itemque S. Thomas & Liranus proximè adjungunt patientiæ (pro qua alii lenitatem verterunt) virtus est per quam æquo animo adversa tolerantur, sive ea propulsare possis sive debeas; modò talia sint quæ tolerare debeas: Etenim *charitas patiens est, & omnia suffert.* 1. Cor. 13.

Inter benignitatem & bonitatem hoc interest, quòd *benignitas*, Græcè χρηστότης significat morum facilitatem ac suavitatem, quâ quis aliis sese libenter accommodat in bonum; Nam & *charitas benigna est*. Opponitur autem rixæ & contentioni, *Bonitas* verò specialiter intelligi videtur, quâ quis & à nocumentis abstinet, ac prodesse ac benefacere paratus est. Quod vel maximè charitatis officium est. Huic contraria sunt veneficia & homicidia.

Porrò *mansuetudo* iras ex adverso respicit, eique affinis est *modestia*. *Fides* autem non ea intelligenda est qua in Christum creditur; non enim hanc virtutem quæ fundamentum est totius justitiæ, post alias tam multas in catalogo fructuum spiritus recenseret Apostolus; sed eam dicit fidem quæ spectatur in servandis pactis & promissis; estque pars justitiæ specialis; quam & in *utraque ad Tim. epist.* nominat. Postrema *continentia* sive *temperantia* virtutum cardinalium una, cui *castitas* & sobriêtas ut species subjiciuntur; omnibus libidinis & gulæ vitiis opponitur, quæ erant *fornicatio, immunditia, impudicitia, comessationes & ebrietates.*

ADVERSUS HUJUSMODI NON EST LEX. Repetitio quædam est ejus quod dixerat, *Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Potest autem dupliciter intelligi illud *hujusmodi* tam in Græco quàm in Latino: vel de fructibus spiritus jam enumeratis; adversus quos non est lex, quia fructuum hujusmodi opera lex non punit; vel de hominibus talia agentibus. Sic enim post enumerata opera carnis, subjunxerat. *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et quidem hoc modo similior erit ista sententia illi quæ est 1. Timoth. 1. *Lex justo non est posita, sed injustis*; Id est, non est contraria justis, ut eos premat ac puniat, sed injustis, Quamquam & prior intellectus in eamdem redit sententiam. *Notanda* quoque figura sermonis qua minus dicitur, plus intelligitur: lex enim non solum non adversatur bonis operibus, aut hominibus ea facientibus; verum etiam illa præmiis remuneranda denunciat. Itaque tacitè intelligendum, à contrario sensu, ex parte superiori; quòd qui talia agunt, regnum consequentur. Id autem hîc non expressit; ne putaretur hoc esse beneficium legis.

24. QUI AUTEM SUNT CHRISTI, CARNEM SUAM CRUCIFIXERUNT CUM VITIIS ET CONCUPISCENTIIS. Græcè *carnem crucifixerunt cum passionibus & concupiscentiis.* Hieronymus *suam* non addit. Augustinus *in commentario & epistola* 38. legit *passionibus*; alibi, *affectibus*; rursus alibi, *perturbationibus.* Imperitè vero commentator Ambros. nomen *Christi* accepit numero plurali, tamquam Apostolus Christianos hîc vocet Christos, id est, unctos. Quod ex Græco facillimè refellitur.

Sensus est: Qui verè Christiani sunt, id agentes quod profitentur; ii carnalem concupiscentiam spiritui adversantem cum passionibus ejus, hoc est, cum pravis desideriis quæ ab illa excitantur, in sese mortificaverunt, idque per Spiritum-sanctum juxta illud Roman. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Quam vitiorum mortificationem, vocat hoc loco crucifixionem; quia Christus crucifixus & mortuus, veteris nostri hominis interitum ac destructionem in se voluit adumbrare; sicut idem à morte resurgens, novitatem vitæ nostræ in se repræsentavit; quemadmodum id pulcrè declarat Apostolus Rom. 6. *Passiones* autem hîc dicit, quas explicatius passiones peccatorum vocavit Rom. 6. Sensus.

Porrò *mortificari carnem cum vitiis & concupiscentiis*, non est eam ita perimi, ut aut prorsus non sit, aut nulla prava in homine desideria commoveat (quod in corpore mortis hujus non contingit) sed ita superari, deprimi ac debilitari per spiritum, ut non amplius dominetur. Sic enim mortem hanc peccati exponit Apostolus ejusdem ad Rom. epistolæ cap. 6. cùm ait: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Porrò si, qui Christi sunt, carnem suam cum vitiis crucifixerunt; igitur qui non crucifigunt carnem suam & vitia, non sunt Christi. Nota ad mores, mortificatio carnis est tessera Christiani.

25. SI SPIRITU VIVIMUS, SPIRITU ET AMBULEMUS. Græcè, *incedamus.* Hieronymus legit, *spiritui obtemperemus:* Augustinus, *spiritu & sectemur.* Cæterum in Græco non est verbum περιπατεῖν, *ambulare*, quod usitatissima in scripturis metaphora significat conversari & actiones instituere; quasi sensus sit; Si verè in vitam novam per spiritum regenerati sumus, motus vitæ respondeat, id est, exerceamus opera vitæ hujus spiritualis, quæ sunt bonæ & sanctæ actiones: sed est verbum στοιχεῖν quod significat ordinatè incedere, & intra limites suos se continere. Quocirca Chrysost. & ejus sequaces Theophyl. & Oecum. hoc modo interpretantur, Si verè secundum spiritum vitam agimus; stemus &

incedamus ordine noſtro, & intra ſpiritum nos contineamus ; id eſt, contenti Evangelio, quo traditur lex ſpiritus vitæ, legem Judæorum carnalem non adducamus. Poteſt etiam ſic intelligi ; Si ſpiritu vivimus ; viam quam monſtrat ſpiritus, teneamus, nec defluamus à ſpiritu ad opera carnis. Certè huic ſenſui magis quadrat quod ſequitur.

26. NON EFFICIAMUR INANIS GLORIÆ CUPIDI, INVICEM PROVOCANTES, INVICEM INVIDENTES. *Provocantes* ad pugnas verborum ; &, ſi victi fuerimus, invidentes. Aperit fontem contentionum & invidiæ. Nam ex cupiditate gloriæ quâ quiſque cupit inter homines excellere promanant hæc vitia. *Inanis* autem vocatur ea *gloria*, vel quia caduca eſt & momentanea ; vel potius, quia tantum in hominum opinione poſita. Hoc dicit propter contentiones & diſſidia inter Galatas exorta ; ſive de legalibus, ut quidam exponunt, ſive de aliis rebus ; non enim expreſſit hoc Apoſtolus. Loquitur autem in prima perſona, velut ſeipſum comprehendens ; quo civilior ac minus aſpera ſit admonitio.

CAPUT VI.

FRatres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. 2. Alter alterius onera portate & ſic adimplebitis legem Chriſti. 3. Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. 4. Opus autem ſuum probet unuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in altero. 5. Unuſquiſque enim onus ſuum portabit. 6. Communicet autem, is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis. 7. Nolite errare : Deus non irridetur. 8. Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem : qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. 9. Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim ſuo metemus non deficientes. 10. Ergo dùm tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. 11. Videte qualibus literis ſcripſi vobis mea manu. 12. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur. 13. Neque enim qui circumciduntur, legem cuſtodiunt : ſed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra glorientur. 14. Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. 15. In Chriſto enim Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura. 16. Et quicumque hanc regulam ſicuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei. 17. De cetero nemo mihi moleſtus ſit : ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto. 18. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum ſpiritu veſtro, fratres, Amen.

2. *Cor.* 3. *b.* 8.

1. *Teſſ.* 3. *c.* 12.

SUMMARIUM.

HOrtatur Galatas ut alii aliorum ferant infirmitates, & ut bonis operibus ſeſe exerceant. Non eſſe gloriandum niſi in cruce Domini.

FRATRES, ET SI PRÆOCCUPATUS FUERIT HOMO IN ALIQUO DELICTO ; VOS QUI SPIRITUALES ESTIS, HUJUSMODI INSTRUITE IN SPIRITU LENITATIS. Nonnulli putant præſentem admonitionem Apoſtoli eſſe velut epitomen eorum quæ ſcribit *epiſtola Rom. cap.* 14. *& initio* 15. adverſus eos qui de ciborum diſcrimine Judaico diſceptabant. Sunt enim illic ſimiles huic loco ſententiæ, *Infirmum in fide ſuſcipite, non in cogitationibus diſceptationum* : &; *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.* At ſanè non eſt neceſſe, doctrinam verbis ipſis generalem, abſque certiori conjectura, reſtringere ad ſpecialem materiam cujus tota hac epiſtola non eſt facta mentio. *Præoccupatus*, ſive juxta Auguſtinum *circumventus in aliquo delicto* dicitur, qui non malitia & animo deſtinato, ſed infirmitate vel imprudentia lapſus eſt in peccatum. Nam & hujuſmodi peccatum ſolet in ſcripturis delictum vocari, Græcè παραπτωμα : quaſi lapſus hominis ex improviſo impingentis. Pro verbo *inſtruite*, Græcè eſt *inſtaurate, reficite* ; vel, ut Hieronymus vertendum fuiſſe putat, *perficite*. Syriaca tranſlatio habet, *erigite*. Porrò *ſpirituales* quos Apoſtolus hîc alloquitur, Cajetanus doctores interpretatur.

Quidam Preſbyteros eccleſiæ volunt intelligi, locum hunc referentes ad pœnitentiæ ſacramentum, in quo preſbyter eum qui lapſus eſt inſtaurare, id eſt, reſtituere priori integritati, ac Deo reconciliare debeat ; dicuntque Apoſtolum admonere viros ſpirituales, id eſt, preſbyteros, ut id faciant in ſpiritu manſuetudinis. Verùm quis Apoſtolo *ſpiritualis* dicatur, expoſuimus in *comment.* 1. *Cor.* 2. *&* 3. Sunt enim Apoſtolo iidem ſpirituales, perfecti & firmiores ; eoſque opponit carnalibus, animalibus, parvulis in Chriſto, & infirmis. Et quidem oportet preſbyterum eo modo ſpiritualem eſſe ; ſed ut non omnis ille nec ſolus talis eſt, ita conſtat apud Apoſtolum, nomine preſbyteri & ſpiritualis hominis diverſa ſignificari.

Senſus igitur eſt : Nemo per inanem gloriam ſeſe ſuper alium efferat aut contendat ; ſed etſi quiſpiam tentatione præventus, ut eſt humana fragilitas, prolapſus fuerit in peccatum ; *vos qui ſpirituales ſtis*, id eſt, qui geritis vos pro ſpiritualibus & perfectis aut qui videmini tales, ne durius ac ſevenus agite adverſus hujuſmodi hominem ſed cum manſuetudine eum admonentes & corripientes, reſtituite atque erigite à lapſu. Dicit autem *in ſpiritu lenitatis* ; ut innuat, quod jam dixerat ſuperius, manſuetudinem eſſe fructum & donum Spiritus-ſancti. Quod enim illic *manſuetudinem*, hîc *lenitatem* vertit interpres ; cùm Græca vox eadem ſit. Senſus.

Nota ad mores, correptionem debere manſuetudine & charitate conditi.

Quæri poteſt cur Apoſtolus ſuo ipſius præcepto non ſit contrarius, qui Corinthiis virgam comminatur, dicens : *Quid vultis? in virga veniam ad vos? an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* 1. Cor. 4. quique Tito præcipit ut Cretenſes ſuos durè increpet ; Tit. 1. *Reſpondemus*, pro diverſitate perſonarum & peccatorum, modò ſevera increpatione vel etiam virga utendum eſſe, modò cùm manſuetudine agendum cum iis qui peccant. Rectiſſimè enim Gregorius docet, *parte* 3. *curæ paſtoralis*, peccantes alus atque aliis, aliter atque aliter admonendos eſſe. Ubi inter cætera cap. 33. *Aliter*, inquit *admonendi ſunt, qui repentina concupiſcentiæ ſuperantur ; aliter qui in culpa ex conſilio ligantur.* Atqui Cretenſium multi erant mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri ; & propter hoc durè increpandi. Corinthios quoque eos alloquitur Apoſtolus, inquit Hieronymus, qui poſt peccatum, non ſentientes errorem ſuum, nolebant majoribus ſuis ſubdi & pœnitentia corrigi. Ubi verò peccator intelligens vulnus ſuum, tradit medico ſe curandum, ibi non eſt virga neceſſaria, ſed ſpiritus lenitatis. Sic ille. Quæſtio.

CONSIDERANS TEIPSUM, NE ET TU TENTERIS. Numerum ſubitò mutat, non ex imperitia ſermonis, ut cenſet Hieronymus, ſed ſtudio ; propterea quòd ad compellandam uniuſcujuſque conſcientiam aptior ſit numerus ſingularis. Sic Dominus ad Scribas & Phariſeos mulierem adulteram adducentes, *Qui ſine peccato eſt veſtrûm*, inquit, *primus in illam lapidem mittat*, Joan. 8. Certè apud Terentium optimi Latini ſermonis authorem, ſimilis permutatio numeri legitur non abſque venuſtate ; Adeon, inquit, homines immutarier ex amore, ut non cognoſcas eumdem eſſe ?

Cæterum in eo quod ait; *tenteris*, cauſam pro effectu poſuit; eſt enim ſenſus: teipſum conſidera quicumque ſpiritualis es, ne & tu in tentationem incidas, tentatione vincaris, in aliquo delicto præoccuperis. *Qui te exiſtimas ſtare, vide ne cadas.* Nihil enim ad miſericordiam ſic inclinat, inquit Auguſtinus, quam proprii periculi cogitatio. Et Thomas in eamdem ſententiam, Nihil ita frangit hominis ſeveritatem in corrigendo, quam timor proprii caſus. Docet hic locus, homines etiam ſpirituales & perfectos non eſſe de ſua ſtabilitate ſecuros; & inanem eſſe eorum fidem qui ſibi perſeverantiam juſtitiæ certò pollicentur.

Obſerva neminem eſſe de ſua perſeverantia ſecurum.

2. ALTER ALTERIUS ONERA PORTATE. *Onera* vocat peccata, quæ reatu ſuo nos deprimunt, & pœnis obnoxios reddunt. Eſt autem ſermo metaphoricus ab iis ſumptus qui in portandis oneribus invicem ſublevant. Monet ergo Galatas, ut alii aliorum infirmitates & peccata, quodammodo reputent ſua, condolendo, diſſimulando, ferendo, leniter admonendo, fraternè corripiendo; denique hoc agendo, ut corrigatur frater potius quàm puniatur. Addo fraternam correptionem, neque enim correptio fraterna ſupportationi infirmorum opponitur, ſed potiùs ex ea conſequitur, ut bene docet S. Thomas 2. 2. *q.* 33. *art.* 1. *ad* 3. In tantum enim, inquit, aliquis ſupportat peccantem, in quantum adverſus eum non turbatur, ſed benevolantiam erga eum ſervat: ex quo fit ut eum ſatagat emendare.

Nota ad mores, aliorum infirmitates leniter ſufferendas.

ET SIC ADIMPLEBITIS LEGEM CHRISTI. Ita legunt Latini omnes; tametſi Græca habent imperativum modum, *adimplete*: quod tamen parum refert ad ſenſum. Annotat Theophylactus non eſſe dictum *implete*, ſed *adimplete*, ſive *complete*, id eſt, communiter omnes implete, quiſque portando onus alterius. Sed quam legem Chriſti adimplent, qui hoc faciunt? Nimirum eam quam ipſe Chriſtus tulit & tantopere commendavit dicens: *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. 13. Quod ſuum mandatum poſtea ſubinde repetit in *eodem ſermone cap.* 15. nec ab eo diverſum eſt illud apud alios evangeliſtas, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Lex igitur Chriſti lex fraternæ dilectionis eſt; quæ dictat mutua opera ferenda eſſe. Quam legem ſuperiori capite Paulus ipſe expreſſit cùm diceret, *Per charitatem ſpiritus ſervite invicem.* De qua & Joannes Apoſtolus; quemadmodum de eo Hieronymus in comment. refert, à fratribus admonitus cur ſemper idem inculcaret dicens; *Filioli diligite alterutrum*; reſpondit, *Quia præceptum Domini eſt*; &, ſi ſolum fiat, ſufficit. Porrò legem Chriſti eam quam diximus intelligunt omnes hujus loci interpretes; eamdemque plenius ediſſerit Auguſtinus *q.* 71. *inter* 83. Ex quibus omnibus etiam patet, Chriſtum non ſolum ut redemptorem hominibus datum eſſe cui fidant, ut volunt hæretici; ſed etiam legiſlatorem, cui obediant.

Obſ. contra Sectarios, Chriſtum datum redemptorem, non ſolùm ut ei credatur, ſed etiam obediatur.

3. NAM SI QUIS EXISTIMAT SE ALIQUID ESSE, CUM NIHIL SIT; IPSE SE SEDUCIT. Græcè, *ſeipſum decipit*; vel, ut preſſius ex Græco verterunt, Eraſmus & Hentenius, *ſuum ipſe fallit animum.* Hoc quidem dicitur adverſus ſuperbiam eorum qui ſibi placentes, & exiſtimantes ſe aliquid eſſe, durius tractabant infirmos: Attamen generalis ſententia eſt, omnem eum qui ſe exiſtimat aliquid eſſe, ſeipſum ſeducere; quia omnes nihil ſumus. Nam illa particula interpoſita, *cùm nihil ſit*, non reſtringit ſententiam, ſed rationem ejus continet. Idcirco enim, quicumque ſe aliquid eſſe exiſtimat, ſeipſum ſeducit; quia revera non aliquid, ſed nihil eſt, ſicut ipſe de ſe Apoſtolus profitetur, dicens, *tametſi nihil ſum*, 2. Cor. 12. Et hæc cogitatio, quæ certè veriſſima eſt, plurimum facit ad humilitatem.

Nota ad mores, locum contra vanam arrogantiam, & ſui ipſius complacentiam.

Senſus autem eſt, hominem ex ſe nihil poſſe quod ad pietatem & ſalutem æternam pertineat; Domino dicente: *Sine me nihil poteſtis facere* Joan. 15. & ejus Apoſtolo atteſtante, *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis tamquam ex nobis* 2. Corinth. 3. Quamquam & universè verum eſt de omni bono tam naturæ quàm gratiæ, nos ad id agendum nihil eſſe, cùm juxta canonem Arauſicanum, *nemo de ſuo habeat niſi mendacium & peccatum.* Senſus.

4. OPUS AUTEM SUUM PROBET UNUSQUISQUE. Preſſius eos urget qui, tamquam ipſi puri à crimine, facta aliena judicabant. *Senſus eſt*, Quiſque ſcrutetur, diſcutiat, expendat, examinet opus ſuum, id eſt, vitam & converſationem ſuam, & videat non ſolum cujuſmodi opera fecerit, ſed & qua intentione fecerit. Sic 1. Corinth. 11. *Probet ſeipſum homo* & 2. Cor. ultimo, *Ipſi vos probate.* Eſt autem emphaſis in vocabulo *ſuum*, cùm, dicit *opus ſuum*, & infrà, *onus ſuum*: quaſi dicat. Sicut pro ſuis operibus quiſque retributionem in Domino judice exſpectare debet, non pro alienis; ita ſua conſideret opera, non aliena. Senſus.

ET SIC IN SEMETIPSO TANTUM GLORIAM HABEBIT, ET NON IN ALTERO. Græcè, *Et tunc ad ſemetipſum tantum gloriationem habebit, & non ad alium.* Ita verterunt Hentenius & Theophylacti interpres; tametſi Eraſmus cum noſtro intreprete mavult ablativos, *in ſemetipſo, in alio.* Temporis adverbium etiam apud Auguſtinum & Ambroſium legitur.

Porrò variè ſententia Apoſtoli exponitur. *Uno modo*: Si quiſque diligenti cura probet & examinet ſua ipſius facta; tunc deſinet ſibi placere comparatione alterius, quem fortè exiſtimat ſe deteriorem. Nam ſi opus ſuum inveniat bonum & laude dignum, habebit in ſe unde glorietur, & pro quo gloriam à Deo exſpectet; ſecundum illud Rom. 2. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum.* Si verò pravum nec ſyncerum inveniat opus ſuum: habebit in ſe unde ſibi diſpliceat, & pro quo damnationem metuat; ſicut ibidem dicitur, *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* Hoc enim poſterius membrum, juxta expoſitionem ſupplendum erit; & explicatur verbis ſequentibus; *Unuſquiſque enim onus ſuum portabit*, ſcilicet in judicio Dei.

Igitur illud *in altero*, ſive *ad alterum*, volunt idem eſſe quod alterius comparatione; tamquam dicat Apoſtolus. Unuſquiſque judicabitur & retributionem vel gloriæ vel ignominiæ recipiet pro opere ſuo, non quale fuerit alieni operis comparatione, ſed quale in ſe: Ac proinde non debemus reſpicere ad alios, fortè pejores aut minus bonos, quaſi hoc nobis profuturum ſit in die judicii, ſi dicere poſſimus, Vixi melius aut non tam malè quàm ille aut ille, ſed ad noſmetipſos.

Alio modo: Si bonum inveniat opus ſuum: habebit unde glorietur apud ſe in conſcientia & coram Deo; ut non ſit ei neceſſe gloriam mendicare ab aliis, reclamante conſcientia quam alii non vident. Huic ſenſui conſonat illud 1 Cor. 14. *Mihi pro minimo eſt ut à vobis judicer.* Quodque ibidem ſequitur, *Et tunc laus erit unicuique à Deo.* Quidam verò Ironiam ſubeſſe putant in verbis Apoſtoli; ut ſenſus ſit: Qui ſibi ſpirituales ac cæteris perfectiores videntur, quòd videant aliorum lapſus & infirmitates; hi ſi vitam ſuam diligenter excutiant, invenient haud dubiè lapſus proprios: in illis ſi velint, glorientur; neque putent ſibi gloriam per hoc accedere, quòd alii peccent, quorum comparatione juſti videantur. At medius ſenſus mihi præ reliquis probatur.

5. UNUSQUISQUE ENIM ONUS SUUM PORTABIT. Græcè, *proprium onus*; & ita legit Auguſt- Similes

ejuſdem Apoſtoli ſententiæ ſunt, Rom. 14. *Unuſquiſque pro ſe rationem reddet Deo.* 1. Cor. 3. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*; & 2. Cor. 5. *Ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum ſive malum.* In quibus omnibus notandum quod dicit, *ſuum* & *proprium*; &, *pro ſe*, quod opponitur alieno. *Senſus* igitur eſt, Unuſquiſque in judicio divino portabit ſarcinam
Senſus. ſuam, non alienam; id eſt, ſtipendium recipiet peccati ſui non alieni. Ex quo ſenſu liquet, hoc Apoſtoli dictum non pugnare cum eo quod ſuprà dixit, *Alter alterius onera portate*; nec contrarium eſſe ſatisfactionibus aliorum pro aliis, nihilomagis quàm ſatisfactioni Chriſto pro nobis: Nam *aliorum onera portare*, ſicut antè diximus, eſt proximorum ferre infirmitates; quod ad vitam præſentem pertinet, ſicut & ſatisfacere pro aliorum peccatis; ac utrumque charitatis eſt officium erga proximos exhibendæ: *Onus autem ſuum portare*, quomodo jam expoſitum eſt, ad tempus extremi judicij refertur. Eò namque & cæteræ ſententiæ jam citatæ ſpectant.

Poteſt autem & onus hoc ſic intelligi, ut ſit debitum reddendæ rationis Deo de factis. Hoc ſuum onus quiſque portabit; quia *unuſquiſque pro ſe rationem reddet Deo*; ut jam ex cap. 14. ad Rom. allegavimus. Vocatur autem *onus*, propter peccata, quibus nemo caret: quorum omnium eſt reddenda ratio. Et ſic intelligit B. Auguſt. *contra lit. Petil. lib. 3. cap.* 5. ubi etiam breviter ac perſpicuè hunc locum cum ſuperiore conciliat, inquiens; Unuſquiſque proprium onus portabit, onus videlicet reddendæ rationis; quia unuſquiſque noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo. Nam quantum attinet ad onera mutuæ charitatis; invicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.

6. COMMUNICET AUTEM IS QUI CATECHIZATUR VERBO, EI QUI SE CATECHIZAT, IN OMNIBUS BONIS. Pro *verbo* quædam manuſcript. habent *verbum*, Græcis & Syris codicibus, & Hieronymo ſuffragantibus. Etenim verba docendi, etiam paſſiva, regunt accuſativum rei; ut ſi dicam, Hîc pueri docentur bonas artes, id eſt inſtituuntur in bonis artibus. Sic, *qui catechizatur verbum*, id eſt, qui inſtituitur in doctrina fidei; quam *verbi* nomine paſſim apoſtolicæ literæ ſignificant. Quamvis autem in Græco ſit κατηχούμενος, quod uſu eccleſiæ de iis tantùm dicitur qui ad baptiſmum rudimentis fidei præparantur; non tamen hîc de catechumenis hujuſmodi ſermo eſt, ſed de fidelibus adhuc rudioribus, quos plenius oportebat inſtitui in doctrina Chriſtiana: ſcribit enim Apoſtolus ad baptizatos; *Quicumque*, inquit, *in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*; ſuprà cap. 3. Neque ſanè qui non erant baptizati, teneri poterant præceptis apoſtolicis, utpote nondum ingreſſi in eccleſiam; Neque expediebat eos præcepto, quale hîc intelligi putamus, onerari; ne fortè reſilirent à propoſito.

Eſt autem *catechizare*, viva voce quempiam inſtituere in aliqua doctrina, præſertim religionis; ſolent enim religionis myſteria, etiam apud Ethnicos, voce magis quàm ſcripto diſcipulis tradi, & ad poſteros tranſmitti. Illud, *in omnibus bonis*; non ad proximum verbum, *catechizat*, referendum; ſed ad remotius *communicet*.

Senſus. Exponitur autem *dupliciter*, aut de bonis moralibus, aut de temporalibus. *Priori* modo, *ſenſus eſt*: Is qui docetur verbum fidei, communicet cum ſuo doctore, non in malis operibus, quæ facit, ſed in bonis quæcumque & facit & docet; juxta id quod
Alius ſenſus. ſuprà dixit cap. 4. *Bonum æmulamini in bono ſemper.* Sic exponunt Ambroſianus & Liranus cum gloſſa interlineali. *Poſteriori modo*: Qui inſtituitur in doctrina fidei, viciſſim communicet, id eſt, tribuat doctori ſuo bona temporalia quæcumque viderit ei neceſſaria: quia juſtum eſt ut qui ſpiritualia adminiſtrat, temporalia recipiat; quandoquidem & ipſe Dominus ordinavit *iis qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere*, 1. Cor. 9.

Hæc expoſitio pene omnium aliorum eſt interpretum, tametſi Hieronymus & Thomas etiam priorem ſenſum adferunt. Pro hac expoſitione facit ipſum verbum *communicandi*, per quod largitio bonorum temporalium in ſcripturis non rarè ſignificatur; ut Rom. 12. *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes.* Philip. 4. *Bene feciſtis communicantes tribulationi meæ.* Et iterùm, *Nulla mihi eccleſia communicavit in ratione dati & accepti niſi vos ſoli.* & Heb. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite obliviſci.* Videtur autem, Apoſtolus hoc præceptum idcirco poſt prædicta ſubjungere, ne verbis ſuperioribus, quibus inhumanitatem & arrogantiam magiſtrorum qui ſpirituales eſſe debent repreſſit, videretur ab illis alienare diſcipulos voluiſſe, quo minus eis liberaliter temporalia ſuppeditarent. Huic ſenſui aptè cohærent quæ ſequuntur.

7. NOLITE ERRARE: DEUS NON IRRIDETUR. Id eſt, Nolite voſmetipſos fallere vanis excuſationibus, quæ valere poſſunt apud homines, ſed non apud Deum; quia *Deus non irridetur*, id eſt, Deo qui futurus eſt omnium judex & peccatorum vindex, nemo poteſt illudere tamquam à ſe decepto; quia novit omnia. Solent enim deceptores irridere eos quos deceperint. Itaque ex poſteriore, intelligitur prius per metalepſim; ac ſi ſimpliciter dixiſſet, Deus à nemine fallitur.

8. QUÆ ENIM SEMINAVERIT HOMO; HÆC ET METET. Græcè, numero ſingulari. *Quicquid enim* &c. Auguſtinus & Ambroſianus: *Quod enim*; Monebat Apoſtolus eum qui catechizatur, ne catechiſtam ſuum debito fraudet honorario: Quia occaſione nunc generalem ſubjicit exhortationem ad bona opera, nominatim autem ac tribuendum ac benefaciendum proximis. Dicit ergo; Deum judicem nemo fallet: Nam procul dubio *quæcumque ſeminaverit homo* in hac vita, *eadem metet* in futuro Dei judicio. Id eſt, omnium operum ſuorum quæ fecerit, juſtam retributionem accipiet. Etenim hæc vita quaſi ſementis quædam eſt; ſemen, opera; *meſſis*, autem, juxta Chriſti teſtimonium, *conſummatio ſæculi* Matth. 13. Seges verò, quod pro operibus redditur, præmium aut ſupplicium; hoc enim eſt quod ſequitur.

QUONIAM QUI SEMINAT IN CARNE SUA, DE CARNE ET METET CORRUPTIONEM: Græcè, *Quia qui ſeminat in carnem ſuam, ex carne metet corruptionem.*

QUI AUTEM SEMINAT IN SPIRITU, DE SPIRITU METET VITAM ÆTERNAM. Hîc quoque Græcè eſt, *in ſpiritum, ex ſpiritu.* Prudenter obſervat Hieronymus Apoſtolum non dixiſſe, in ſpiritu ſuo, ſicut dixerat, *in carne ſua*, ſed tantùm *in ſpiritu*; quia qui bona ſeminat, inquit, non in ſuo quippiam, ſed in Dei ſpiritu ſeminat. Ualt enim intelligi Spiritum ſanctum; ſicut & in ſuperioribus. Videtur autem Apoſtolus in his verbis, *carnem* & *ſpiritum* conſiderare; tamquam agrum vel terram in quam ſemen Senſus.
mittitur; ut pro qualitate fundi fructum referat: *quaſi dicat*; Qui ſemen operum ſuorum projicit in terram carnis ſuæ, id eſt, ea facit in obſequium carnalis ſuæ concupiſcentiæ (unde & opera carnis vocantur;) is ex eadem carne ſua metet corruptionem, id eſt, referet interitum, miſeriam & mortem ſempiternam. Qui verò ſemen operum ſuorum ſeminat in agrum ſpiritus, id eſt, in Spiritu ſancto ea facit; ejuſdem virtute perducenda ad fructum (unde & fructus ſpiritus ab Apoſtolo nominantur;) is ex eodem ſpiritu, valorem velut infinitum operibus tribuente, recipiet pro eis vitam æternam, quam è diverſo *incorruptionem*, hoc eſt im-

mortalitatem vocat Apoſtolus *Rom.* 2. Senſum autem hunc quem dedimus illuſtrant alia ejuſdem Apoſtoli; ut *Rom.* 6. ubi operum peccati fructum ac finem dicit eſſe mortem; bonorum autem, vitam æternam, & *cap.* 8. cùm ait: *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Obſ. contra Sectar. pro meritis bonorum operum.

Porrò *notandus* hic locus adverſus ſectarios, pro meritis bonorum operum: ſi enim metet homo non ſolùm mala quæ ſeminavit, ſed etiam bona; metet autem qui bona ſeminavit, vitam æternam: igitur in bonis operibus velut in ſemine vita æterna continetur. Atqui ſemen hujuſmodi, reſpectu vitæ æternæ, non aliò quam ad cauſam meritoriam referri poteſt.

Quæret autem aliquis, quomodo dictum ſit univerſaliter ab Apoſtolo, juxta Græcam lectionem: *Quicquid homo ſeminaverit, hoc & metet*; cùm tam in bonis operibus quæ peccato ſubſequente mortificantur, quàm in malis quæ per gratiam remittuntur, manifeſta ſit exceptio. *Reſpondeo*, loqui Apoſtolum de operibus ante meſſem, id eſt, diem judicii, non extinctis, & (ut ita dicam) ex Dei memoria deletis, ſic enim tam de bonis operibus cadentium, quàm de malis reſurgentium, loquitur per Ezechielem Prophetam Dominus *cap.* 18. cùm dicit ſeſe talium non amplius recordari. Quamquam & hæc ipſa deletio fit per judicium Dei, quod in hoc ſæculo exercetur.

9. BONUM AUTEM FACIENTES NON DEFICIAMUS, vel, ut alii vertunt, *non defatigemur*; Auguſtinus legit, *non infirmemur*. Senſus eſt: Ne tædio aut moleſtia victi unquam ceſſemus à benefaciendo proximis. Rationem ſubjicit ex præmio numquam defecturo.

TEMPORE ENIM SUO METEMUS NON DEFICIENTES; vel, ut rurſus alii vertunt, *non defatigati*; pro quo Ambroſiaſter & Auguſtinus, *infatigabiles*; tametſi in Græco verba diverſa ſunt, quæ interpretes ſimiliter reddiderunt; *deficiamus*, & *deficientes*, vel *defatigemur*, & *defatigati*, quod moneo ne quis in Græco ſubeſſe putet anaphoram qualis in Latino.

Senſus.

Senſus eſt, *Tempore enim ſuo*, Græcè, *proprio*, (ſicut & Auguſtinus legit) hoc eſt, cùm venerit conſummatio ſæculi, quæ eſt proprium tempus metendi; tunc metemus, & fructum percipiemus inceſſanter & ſine fine; nam fructus ille eſt vita æterna. Poſſet etiam ſic intelligi. Tempore enim ſuo metemus, ſi prius non fuerimus defatigati bene operando. Porrò Auguſtinus Tractatu de cantico novo, cap. 2. hoc, *infatigabiles*, jungit ſequentibus; *Infatigabiles itaque dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Sed ex Græco melius præcedentibus annectitur, nam illud ἄρα γε apud Græcos amat primum locum ſententiæ.

10. ERGO, DUM TEMPUS HABEMUS, OPEREMUR BONUM AD OMNES. Id eſt, dum ſumus in hac vita, quod eſt ſeminandi tempus, ſtudeamus erga quoſcunque homines eſſe benefici, prout facultas & occaſio tulerit. Hinc diſce, proximi nomine in præcepto charitatis omnem hominem intelligi debere.

MAXIME AUTEM AD DOMESTICOS FIDEI. Id eſt, Chriſtianos, qui *domeſtici fidei* dicuntur, quia in unam domum eccleſiæ per fidem congregati ſunt, quos eoſdem Epheſ. 2. vocat *domeſticos Dei*; quia Eccleſia domus Dei eſt. Præcipitur ordo charitatis; ſecundum quem, cæteris paribus, fideles infidelibus ſunt præferendi. Addit autem hanc partem Apoſtolus, ut innuat, multò magis (quod ſuperius præceperat) illis eſſe beneficiendum, à quibus fidei doctrinam percipimus.

11. VIDETE QUALIBUS LITERIS SCRIPSI VOBIS MEA MANU. Finiturus epiſtolam Apoſtolus redit ad principale argumentum; volens bene inculcatum eſſe Galatis id quod eos tota ferme epiſtola tam ſtudiosè docuit, de lege non miſcenda cum Evangelio. Pro verbo *videte*, textus Auguſtini habet *vidiſtis*. Eraſmus vertit, *videtis*. Neutrum meo judicio rectè: nam ἴδετε, quod eſt in Græco, ſine controverſia *videte* ſignificat (quod & ex Syro verſum habemus) non *vidiſtis?* niſi poëticè ſumas pro ἴδετε. At *videtis*, multò minus. Hæc annotanda duxi, non quod ad ſenſum adeo referat, ſed pro veritate textus apoſtolici, & defenſione noſtri interpretis.

Porrò Græca dictione πηλίκοις quam interpres vertit, *qualibus*, Hieronymus ſignificari putat quantitatem, quaſi dicat Apoſtolus; Videte quàm grandem epiſtolam ſcripſerim vobis mea manu, quod tamen idem Hieronymus non de magnitudine characterum, aut de prolixitate epiſtolæ, ſed granditate ſenſuum vult intelligi. Ridet autem cujuſdam docti commentarium qui ſcripſerat, Paulum utpote Hebræum & Græcè ſcribendi imperitum, exigente neceſſitate, ut Galatis affectum erga eos ſuum commendaret, contra conſuetudinem manu ſua ſubſcripſiſſe hanc epiſtolam: quod dum facit, curvos tramites literarum vix magnis apicibus expreſſiſſe. Atque hoc eſſe quod dicit, *videte quantis literis*, &c.

Hoc etſi non prorſus immerito rejiciat Hieronymus, quia non erat Paulo inconſuetum epiſtolas à ſe dictatas ſua manu ſubſcribere, quemadmodum *ex fine epiſtolarum* 2. *ad Cor. ad Col.* 2. *ad Theſſ. & ad Philem.* manifeſtè probatur: attamen deformitatem literarum hîc ſignificari ſentiunt Chryſoſtomus ac

Senſus.

cæteri Græci; quaſi dicat Apoſtolus; Quamvis Græcos characteres non pulcrè pingam, ut videre poteſtis; volui tamen totam hanc epiſtolam meis digitis exarare, veſtri gratiâ; tum ut intelligatis quantopere veſtra ſalus mihi cordi ſit, tum ut nulla vobis poſſit eſſe ſuſpicio ne alienæ pro meis literæ vobis obtrudantur. Nam ſub nomine Pauli miſſas aliquando fuiſſe epiſtolas à falſis doctoribus, ſatis apparet ex eo quod dicit 2. Theſſ. 2. *Neque per epiſtolam tamquam per nos miſſam.* Græcis conſentit Ambroſianus in eo quod dicunt totam hanc epiſtolam Pauli manu ſcriptam fuiſſe: ubi enim, inquit, holographa manus eſt, falſum dici non poteſt: annuit & Cajetanus. Hieronymi ergo expoſitionem iſti quadantenus ſequuntur: quæ poteſt ex eo confirmari quod vox γράμματα apud Græcos pro epiſtola uſurpatur, ut nomen literarum apud Latinos. Exemplum eſt *Actor.* 28. Nos neque literas (γράμματα) accepimus, id eſt epiſtolam.

12. QUICUMQUE VOLUNT PLACERE IN CARNE, HI COGUNT VOS CIRCUMCIDI. Græcum verbum, quod interpres vertit, *placere*, compoſitum eſt, & ſignificat, *juxta faciem placere*. Docet autem hac parte Apoſtolus, quales ſint homines qui legem Galatis imponere volebant: & qua ratione mori id faciant: Intelligit autem pſeudapoſtolos, contra quos hæc, & ſequentia dicit. *Senſus eſt:* Qui gratiam hominum quærunt carne ſibi conjunctorum, & ab iis laudari cupiunt, aut offendere eos nolunt; ii ſunt qui vos pertrahere nituntur ad circumciſionem. Loquitur de Judæis, placere volentibus genti ſuæ, quam hic vocat carnem, & idcirco laborantibus ut quam plurimos ad legem Judaicam adducerent. Eſt autem hoc ipſum quod Apoſtol. 1. capite vocat *hominibus placere*, ſic inquiens: *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.*

Senſus.

TANTUM UT CRUCIS CHRISTI PERSECUTIONEM NON PATIANTUR. In Græco non eſt genitivus, *crucis*, ſed dativus, per ablativum reddendus, *cruce*, id eſt, ob crucem. *Senſus* enim eſt. Saltem id faciunt ut ne propter crucem Chriſti perſecutionem à fratribus ſuis Judæis patiantur. Id eſt, Chriſtiani

Senſus.

quidem esse volunt & crucifixum colere ; sed sine periculo persecutionis à Judæis tolerandæ. Nam Judæi plerique, ut ex *Actis Apost.* liquet, non tam persequebantur fidem crucifixi, quàm doctrinam legis abrogatæ vel abrogandæ per crucem; quemadmodum & à Cajetano bene annotatum est.

13. NEQUE ENIM QUI CIRCUMCIDUNTUR, LEGEM CUSTODIUNT. Græcè, *ipsi legem custodiunt.* Quod emphasim habet: nec ab Ambrosiano prætermissum est. Pro quo Hieronymus & Augustinus legunt, *hi legem custodiunt.* Sensus. Sensus autem est: Nam nec ipsi quidem, quamvis circuncisi sint & circuncisionem profiteantur ac prædicent, legem observant: cùm enim lex Mosaica sit jugum importabile, de quo Petrus Act. 15. *quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus*: multa legis præcepta negligunt; quin & absque probabili causa, cùm lubet, in multis sibi indulgent. Confer quæ diximus 1. *Cor.* 11. ad illud, *Accipit panem.* Itaque circuncisionem extorquere à vobis volunt, non zelo legis commoti.

SED VOLUNT VOS CIRCUNCIDI, UT IN CARNE VESTRA GLORIENTUR. Id est, ut glorientur apud suos se rem Judaicam egregiè promovisse, si circuncisionem, quæ fit in carne, vobis persuaserint, & per hoc ad legem suam vos traduxerint, ac proselytos fecerint. Quanto enim studio id agere soleant, declarat illa Salvatoris exprobratio, *circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum*, &c. Matth. 23. Porrò carnis nomine pudendas partes aliquando significari ex Ezechiele *cap.* 23,

Nota ad mores, de Passione Christi amãda & meditanda Christianis.

14. MIHI AUTEM ABSIT GLORIARI, NISI IN CRUCE DOMINI NOSTRI JESU-CHRISTI. Sensus est: Illi gloriam quærunt apud homines, ex carne vestra circuncisa; at verò procul sit à me, ut in aliqua re glorier, nisi in cruce, id est, in passione & morte, Domini nostri Jesu Christi, quam in crucis patibulo sustinuit, & per quam omne bonum salutare nobis promeruit ac procuravit. Quicquid enim ad pietatem & salutem pertinet vitæ æternæ, totum in nobis promanat *de fontibus Salvatoris*, id est, ex merito passionis Christi. Unde ipse dixit: *Sine me nihil potestis facere*, Joan. 15. Hinc est quod Leo Pontifex in *serm.* 8. *de pass. Dom.* crucem Christi vocat omnium fontem benedictionum, omniumque causam gratiarum.

Non vetat autem Apostolus ne quis glorietur in virtutibus, laboribus, passionibus, periculis pro justitia susceptis, atque in cæteris quæ hujusmodi sunt; id quod rectè fieri posse, si sit justa necessitas, ipse Paulus suo docuit exemplo. 2. *Cor.* 11. & 12. sed vult, ne quis aliter de quibuscumque rebus glorietur, quam in cruce; ut intelligat quisquis aliquid boni habet quod gloria dignum sit, in se non aliundè habere, quàm ex fonte crucis Dominicæ. Qua de re B. Hieronymus; *Sciendum est*, inquit, *quòd omnis illa gloriatio ad crucem relata, gloria crucis sit; & quicquid dignum in virtutibus perpetratur, hoc fieri ob Domini passionem.*

At dices: Paulus 1. Cor. 11. de quibusdam bonis gloriatur, quæ non proveniunt ex cruce Christi; cum dicit: *Hebræi sunt; & ego* &c. Respondeo, in illis non gloriatur tamquam in bonis ad salutem vitæ æternæ pertinentibus: Rectè tamen in illis gloriatur, propter pseudapostolos, ne videatur illis inferior; & ipsa talis gloriatio licet non esset in cruce, erat tamen ex cruce, utpote salutaris.

PER QUEM MIHI MUNDUS CRUCIFIXUS EST, ET EGO MUNDO. *Crucifixus*, id est, mortuus seu mortificatus; sicut annotavimus ad illud capitis præcedentis, *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt.* Mortuus autem dicitur alicui, qui, quasi mortuus, nullam amplius cum eo habet communicationem: sed, sicut mortuus à vivis, planè separatus atque alienatus est, ita *superius cap.* 2. dixit se per legem legi mortuum esse, & Rom. 7. *Mortificati estis*, inquit, *legi per corpus Christi*, & ejusdem epistolæ cap 6. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* *Mundum* plerique intelligunt res mundanas, id est, eas quæ ab hominibus hujus sæculi expetuntur, ut opes, honores, voluptates. Verum scripturæ familiarius est, *mundi* nomine mundanos & carnales homines significare; quod ex innumeris locis facilè potest ostendi: Quæ significatio etiam huic loco probe quadrat; nam de hominibus loquebatur paulò antè, cum diceret, *Quicumque volunt placere in carne*, &c. 1. *An quæro hominibus placere?* quod utique est mundo placere, & hoc modo intellexit August.

Itaque *sensus est*: Per quem Christum crucifixum, Sensus. id est, cujus merito ac beneficio, mihi contigit ut mundus & ego mutuo respectu planè mortui simus; nam nec mundus mihi afficitur, nec ego mundo, sed invicem alieni & aversi sumus, atque adeo adversi & contrarii. Mundus me odit & persequitur; ego illi placere nolo. Sic Dominus Joan. 15. *Si de mundo fuissetis; mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*

15. IN CHRISTO ENIM JESU NEQUE CIRCUNCISIO ALIQUID VALET, NEQUE PRÆPUTIUM, SED NOVA CREATURA. Non tam probatio est ejus quod præcessit, quam conclusio totius doctrinæ quam hac epistol. tradidit, quasi dicat. Hoc est quod dico, Sensus. & repeto & extremis verbis commendo; In negocio salutis obtinendæ per Christum, neque circumcisionem aliquid prodesse, neque præputium, sed novam creaturam; ideoque nullam vos habere causam cur patiamini vos circuncidi: quando econtrario satis jam docui, nihil salutis ex Christo vos consecuturos, si circuncisionem admiseritis; sed per eam vos prolapsuros in miseram & inutilem servitutem legis.

Quid vocet novam creaturam, intelligitur ex eo quod superiori capite simili sententia dixit: *sed fides quæ per charitatem operatur*, & 1. Cor. 7. *sed observatio mandatorum Dei.* Igitur *nova creatura*, quemadmodum optimè Cajetanus explicat, est vita spiritualis, à Deo creata per gratiam Jesu Christi. Comprehendit autem totam hominis renovationem ac justificationem ab initio fidei, usque ad consummatam charitatem expectandam in futuro sæculo: nec solùm complectitur habitus virtutum, ac donorum; sed & omnem actum veræ pietatis. Hæc enim est observatio mandatorum Dei.

19. ET QUICUMQUE HANC REGULAM SECUTI FUERINT, PAX SUPER ILLOS ET MISERICORDIA. Græcè, *Et quicumque hac regula inceßerint*: est enim idem in Græco verbum quod sub finem capitis præcedentis, pro quo interpres verterat *ambulemus.* De cujus verbi significatione sufficiant quæ ibi diximus. *Hanc regulam*, alii intelligunt totam doctrinam de justificatione traditam hac epistola: Alii, sententiam quæ proximè præcessit, *In Christo Jesu* &c. Ea namque potest accipi pro regula fidei ad omnibus tenenda: Alii rursus, illud solum, *sed nova creatura*; ut illi incedere dicantur hac regula, qui ambulant in novitate vitæ. Sic enim Chrysost. & Theophylactus exponunt. Secundum hos, Apostolus loquitur de regula vitæ; secundum superiores, de regula doctrinæ. Et quidem omnes hi commentarii probabiles sunt.

Coactius verò, quod Cajetanus regulam interpretatur, indicatam illis verbis, *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini* &c. Nam illa sententia ab hac divulsa est per aliam quæ interceßit, æquè notabilem; ut proinde multò commodius ad proxima verba, quàm ad remotiora referatur præsens periodus, præsertim id exigente pronomine de-

Senſus. monſtrativo *hanc*. *Senſus* autem eſt ; Quicumque juxta hanc regulam (aliquam ex dictis) inceſſerint, eamque tenuerint; pacem illis imprecor & miſericordiam à Deo.

ET SUPER ISRAEL DEI. Hoc addit, ne videatur excludere Judæos Verumtamen ne de omnibus ſecundum carnem Judæis intelligatur; dicit, *Iſrael Dei*, id eſt, qua parte Dei populus eſt ; non qua parte Deo contrarius, ut erant Judæi infideles & pſeudapoſtoli. Quamquam aliis placet *Iſraelem Dei* intelligi Iſraelem ſpiritualem, id eſt, quotquot per fidem veri ſunt Iſraelitæ & Abrahæ filii, tam ex Gentibus quàm ex Judæis; ut hæc pars ſit expoſitio præcedentis. Mihi magis probatur quod prius dixi.

17. DE CÆTERO, NEMO MIHI MOLESTUS SIT. Hieron. affirmat melius in Græco haberi, *De cætero labores* (Græcè κόπους) *mihi nemo exhibeat*. Auguſtinus quoque, *laborem* legit; Ambroſianus, *moleſtias*. Senſus. Senſus eſt: Poſthac nemo veſtrûm turbulentis contentionibus mihi laborem, moleſtiam, tædium adferat, de re nunc quantum ſatis eſt expoſita & inculcata. Loquitur cum authoritate, tamquam Galatarum Apoſtolus & Gentium Magiſter.

Ego enim Stigmata Domini Jeſu in corpore meo porto. *Stigma* Græca dictio eſt, qua ſignificatur nota cuti impreſſa aut inuſta; quomodo notari ſolent ſervi propriis dominorum ſignis. Non eſt, inquit, quod mihi laborem ac moleſtias augeatis, qui ex frequentibus laboribus, plagis, vinculis, aliiſque incommodis, etiam ſigna corpori meo impreſſa, tamquam notas Domini mei Jeſu, cujus me ſervum profiteor, porto ac circumfero. Hujuſmodi ſtigmata commemorat ipſe Paulus *in* 2. *Cor.* 11.

18. Gratia Domini Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, fratres, Amen. *cum ſpiritu veſtro*, id eſt, vobiſcum, ſicut dicitur in fine aliarum epiſtolarum. Claudit epiſtolam cum imprecatione gratiæ Dei per Chriſtum, idque more ſuo, de quo alibi diximus, & amplius dicturi ſumus *in* 2. *ad Theſſ.* In Græco ſequitur hæc hypographe *Ad Galatas ſcripta eſt ex Roma*. De qua ſatis dictum in argumento hujus epiſtolæ.

FINIS TOMI PRIMI.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA



7243 5 Vol

7163

Estius
Tom 1
Num 8

ESTIVS
IN
PAVLVM

TO. I.

2863